FR 208;24 AL2 q2 v.1 (L.I)
91-205

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

DOCTORIS IRREFRAGABILIS

ALEXANDRI DE HALES

ORDINIS MINORUM

SUMMA THEOLOGICA

DOCTORIS IRREFRAGABILIS

ALEXANDRI DE HALES

ORDINIS MINORUM

SUMMA THEOLOGICA

IUSSU ET AUCTORITATE

Rmi P. BERNARDINI KLUMPER

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM

MINISTRI GENERALIS

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

AD FIDEM CODICUM EDITA

WITHDRAWN

TOMUS I.

LIBER PRIMUS.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MCMXXIV.

Province of St. Joseph

PATRIARCHAE LEGIFERO

TRIUM ORDINUM SERAPHICAE MILITIAE

SANCTO FRANCISCO ASSISIENSI

SEPTIMO LABENTE SAECULO

AB IMPRESSIS CHRISTI SACRIS STIGMATIBUS

IN CARNE EIUS MORTALI

SUMMAM THEOLOGICAM

DOCTORIS IRREFRAGABILIS ALEXANDRI DE HALES

AD FIDEM CODICUM EDITAM

MONUMENTUM NUNQUAM DEFECTURI AMORIS

FILIORUM IN PATREM

HUMILI PLENOQUE DICAVERUNT ANIMO

FR. BERNARDINUS KLUMPER

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM MINISTER GENERALIS

AC FRATRES EDITORES

PROPRIETAS LITTERARIA

Omnem sicut dicit Boecius
in libro de trinitate.
optime dictum uidetur
eruditi esse hominis unumquodque
ut ipsum est ita de eo
fidem capere temptare.
Unde in naturalibus rationabiliter in mathematicis disciplinaliter in diuinis intellectualiter uersari oportebit. theologice facultatis inquisitionibus intendentes cum adiutorio gratie ihesu xpi tale principium capimus inquirentes in primis de doctrina theologie. Utrum sit scientia. Utrum distinguatur ab aliis scientiis de quo sit ista scientia. De modo traditionis huius scientie. Queret igitur aliquis in primis utrum doctrina theologie sit scientia. Ad quod arguet sic. Augustinus in libro. Lxxxiii. Q. liii. questione. quedam creduntur et nunquam intelliguntur. sicut est omnis hystoria singularia et humana gesta percurrens. cum igitur doctrina theologie pro magna parte sit hystoriaca ut patet in lege et euangelio. igitur est eorum que nunquam intelliguntur. sed eorum que nunquam intelliguntur non est scientia. scientia enim est intelligibilium. reliquitur ergo quod doctrina theologie non est scientia. Item sicut dicit philosophus in primo methaphisice experientia singularium est. ars uero uniuersalium. fit autem ars cum ex multis

Paris., Biblioth. National. cod. lat. 15329, fol. 1r.
Phot. Lécuyer.

SANCTISSIMI DOMINI

ALEXANDRI PAPAE IV

BULLA

AD MINISTRUM FRATRUM MINORUM IN FRANCIA

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio ... Ministro Fratrum Ordinis Minorum in Francia salutem et apostolicam benedictionem.

De fontibus paradisi flumen egrediens, exuberans videlicet Sacrarum intelligentia Scripturarum, per os recolendae memoriae fratris Alexandri Ordinis tui temporibus nostris largo profluxit laetitio impetu super terram, in lucem manifestius editis thesauris scientiae ac sapientiae salutaris. Idem siquidem frater, ut ex iis quae scripsit et tradidit comperimus, Deo plenus (nemo enim nisi in Spiritu Dei loquens aeternae veritatis mysteria ea inquisitionis indagine attigisset) studia sua publicis utilitatibus commodavit, et laboriosi operis sanctum aggrediendo propositum super quaestionibus theologicis utiliorem utique quam prolixam molitus est *Summam*, profectibus in lege Domini studere volentium compendiosius profuturam, in qua sententiarum irrefragabilium ordinatae sunt acies ad obterendam veritatis pondere contentiosae pervicaciam falsitatis. Prolixitatem quippe, si quam in eadem *Summa* lector delicatus abhorret, studiosis vobis in ea sic reddit continua partium suarum utilitas brevem, ut in tanto verborum agmine, quod immensa videtur divinae profunditatis eloquia continere, non aliud nos rationabiliter possit offendere quam quod, Deo eiusdem fratris laboribus finem, antequam suscepti operis dietam perficeret, imponente et ad statutum repositae mercedis evocante denarium, perfectae pietatis imperfectus est labor, quo et pauca videntur et ad satietatem animae insufficientia universa quae scripta sunt, nisi destinatum, et ad quem animos legentium pars suspendit exhibita, principii sui finem moles tanti operis sortiatur.

Quocirca discretioni tuae in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatinus considerans prudenter quod indecenter relinquitur, si negligenter omittitur

---

[1] Gaufredus de Bria (Brie) videtur fuisse Minister Provincialis Provinciae Franciae per annos 15, nempe 1243-57. | Cf. A. Callebaut, O. F. M., *Les Provinciaux de la Province de France*, in *Archiv. Franc. Hist.*, X, 1917, 315-328.

mutilum opus Dei, quod nonnisi caelestis sapientia per ministerium servi sui tam clara iam digestae partis iniit venustate, de consilio discretorum fratrum studentium ad perfectionem eiusdem *Summae* necessarios pro numero et idoneos pro merito convoces Parisius ex quibuslibet administrationis tuae locis Ordinis tui fratres, quibus ex parte nostra in remissionem iniungas peccaminum et ad suorum cumulum meritorum, ut dilecto filio fratri Guillelmo de Milletona [a] [1], huic sollicitudini deputato, sedule assistentes ipsumque ac se mutuo adiuvantes sine dilationis dispendio praedictae *Summae* opus finaliter exequantur, ad hoc uno et eodem Domini Spiritu, qui gratia mira scientiarum dona distribuit, adiuvandi.

Datum Anagniae, Nonis Octobris, pontificatus nostri anno primo [2].

---

[a] Cod. *Milterona*.

[1] De quo videsis E. Longpré, O. F. M., in *Dictionn. de Théol. cath.*, ed. Vacant-Mangenot, t. VIII, voce *Méliton*. Guil. de Melitona erat Magister cathedratus studii Minoritici Parisiensis anno 1248. Cf. Denifle-Chatelain, *Chartular. Univ. Paris.*, I, n. 178.

[2] Id est 7 octob. 1255. — Haec insignis bulla habetur in Bibl. Paris. Nation. codice lat. 15751, fol. 120v, post Librum I *Summae* Alexandri de Hales. In dicto codice (quem infra, p. XIX, n. 34 describimus) pro *Datum... primo* habetur *Datum Anagnie, V Kal. Augusti, pontificatus nostri anno* 2°. Sed immediate scriptor addit: *Explicit copia de verbo ad verbum quam ego habui et tenui et palpavi bullas pape et transcripsi et fuit papa Alexander 4us. Nota litteram Bonaventure anno 1256, eiusdem Alexandri secundo, quia data copie littere officialis est anno 1255 et est copia officialis ex originali bulla pape. Item sic illa in fine: Datum Anagnie, nonis octobris, pontificatus nostri anno primo.* Huius asserti auctoritate freti restituimus veram datam ipsius originalis bullae. Haec bulla scripta videtur ab amanuensi qui in initio codicis exaravit indicem quaestionum Libri I, qui sic desinit: *Explicit tabula titulorum libri primi Summe dni Alexandri de Halis anno Domini 1373 more romano 14° die aprilis.* Apud Cl. Denifle-Chatelain et alios infra citandos huius bullae editores ultima verba, nempe *Nota . . . primo*, omnino omittuntur. Hanc ediderunt primum Quétif-Echard, *Scriptores Ord. Praed.*, Lutetiae Parisiorum 1721, I, 321; et post eos Sbaralea, *Bullar. Franciscan.*, Romae 1759, I, 151; Sbaralea, *Supplem. ad Scriptor. trium Ord. S. Franc.*, Romae 1918, I, 17sq.; *Opp. omnia S. Bonav.*, Ad Claras Aquas 1882, I, LVIII; Pr. de Martigné, O. Cap., *La Scolastique et les tradit. francisc.*, Paris 1888, 50; Denifle-Chatelain, *Chartular. Univ. Paris.*, Paris 1889, I, n. 286; et Hilarin. Felder, O. Cap., *Geschichte der wissenschaftlichen Studien in Franziskanerorden bis um die Mitte des 13. Jahrhunderts*, Freib. i. Breisgau 1904, 209sq. Huius bullae mentionem faciunt apud antiquos *Chronica XXIV Generalium* (in *Anal. Francisc.*, III, 280, Ad Claras Aquas 1897): «Eodem anno [1255] doctrinam magistri Alexandri de Alis idem dominus Papa [Alexander IV] approbans et commendans, ut per magistrum Gulielmum de Melitona idem opus perfici posset, scripsit Ministro Franciae ut de tota Provincia aliquos studentes ad hoc idoneos eligeret, qui eidem magistro assisterent et eum ad dictum opus consummandum fideliter adiuvarent»; cf. ibidem, p. 309, 336; item, fr. Bartholom. Pisanus, *De conformitate vitae B. Francisci* etc., t. I (in *Anal. Francisc.*, IV, 543, Ad Claras Aquas 1906), qui eam haberi dicit «Parisius in sacristia conventus»; et *Firmam. trium Ordin. beat. P. N. Francisci*, Paris. 1512, parte I, fol. XLII: «Huius autem Alexandri doctrina exstat per Ecclesiam approbata, cuius approbationis bulla habetur in conventu fratrum Minorum Parisius». Hic notandum illud quod de Leonardo de Gifono, magistro cantabrigiensi, electo in Ministrum Generalem Ordinis Minorum in Capitulo Generali Tolosano 1373, narrat *Catalogus Ragusinus*, circa annum 1384-85 exaratus et in codice Oxonien. Bodleian. Canon. Misc. 525 asservatus: «Hic statuit ut scholastici scripta magistri Alexandri de Ales in suis scholasticis actibus et predicationibus non quottantes, inhabiles haberentur ad scholasticas promotiones, et quod eadem scripta per locum ab auctoritate habeantur, cum speciali bulla Alexandri 4^ti, que Parisius est, approbentur». Cf. H. Lippens, O. F. M., *Une nouvelle recension du Catalogus Generalium Ministrorum Ordinis Fr. Min.*, in *Archiv. Franc. Hist.*, XV, 1922, 346. In eodem codice in catalogo sanctorum Provinciae Franciae habetur: «Item, fr. Alexander de Ales, qui sic subtiliter in theologia locutus est et abunde, magister in eadem Parisius, quod fons vite vocatus [et] ab Alexandro IV speciali bulla in toto opere suo super Sententias in Ecclesia approbatus est». Cf. L. Lemmens, O. F. M., *Fragmenta minora. Catalogus sanctorum Fratrum Minorum*, Romae 1903, 31.

PROLEGOMENA

AD PRIMUM LIBRUM SUMMAE THEOLOGICAE.

INDEX PROLEGOMENORUM

PAG.

Benevolo lectori XI

SECTIO I. — OBSERVATIONES CRITICAE CIRCA CODICES LIBRI I « SUMMAE ».

§ 1. Elenchus codicum XII

§ 2. Descriptio codicum

I. Codices pro editione adornanda adhibiti XII

II. » ex integro lecti, sed non adhibiti. XIV

III. » collati XVI

§ 3. De independentia codicum XXI

§ 4. De familiis codicum XXI

§ 5. De integritate textus XXIV

§ 6. De bonitate textus XXIV

§ 7. De operis titulo XXV

§ 8. De divisionum titulis XXVI

§ 9. De unitate compositionis. XXVII

§ 10. De methodo a nobis servata. XXVIII

SECTIO II. — DE DOCTRINA LIBRI I « SUMMAE » HISTORICE CONSIDERATA.

§ 1. Alexandri Halensis relatio ad augustinismum scholamque S. Victoris XXVIII

§ 2. De conceptu bonitatis in synthesi Alexandri Halensis XXXV

§ 3. Alexander Halensis et aristotelismus XXXIX

Opera manuscripta a nobis allegata XLI

Opera impressa a nobis allegata XLI

Tabula siglorum quibus codices nostri signantur XLIV

PROLEGOMENA

Benevolo lectori.

Nova editio *Summae theologicae* Alexandri de Hales iam multis ab annis desiderabatur. Variae quidem decursu saeculorum huius operis prodierunt editiones, nempe solius Libri III Venetiis 1475, totius vero operis, nempe Librorum IV, Norimbergae 1481-82, Papiae 1489, Lugduni (Norimbergae) 1515-16, Venetiis 1575-76, Coloniae Agrippinae 1622. Ast, ut compertum est, editiones illae rarissime iam inveniuntur et nimis mendis librariis scatent. Sic editio Coloniensis, quam collationi codicum subiecimus, vitiis multis laborat, cum editores modo omnino arbitrario illud opus tractarint, parum curantes de fide codicum; multas quippe easque saepe magnas habet omissiones, quaestiones insuper ipsas earumque divisiones contra ipsum textum Alexandri arbitrarie distribuit, ita ut difficile evadat ipsam ibi invenire pulcherrimam structuram ab auctore clare indicatam.

Ut novae igitur editioni huius famosi operis provideretur Rmus P. David Fleming, Vicarius Generalis Ordinis Minorum, anno 1902 Collegio nostro onus imposuit. Varias propterea Europae Bibliothecas adierunt Collegii nostri socii ut quoscumque huius *Summae* codices requirerent, eos diligenter inspicerent maturoque subicerent examini. Ipse etiam Collegii nostri primus Praefectus, fel. mem. Fidelis a Fanna, dum pro inquirendis S. Bonaventurae operibus omnes quasi Europae Bibliothecas visitaret, sedulo iam notaverat plures quos invenit *Summae* Alexandri codices. Fructus tam longi tamque improbi laboris omnem superavit expectationem. Libri I detecta inspectaque sunt non minus quam 42 exemplaria, Libri II 47, Libri III vero 50, Libri IV tandem 22: insimul ergo 161.

Inventis codicibus, illico horum collationis arduo valde labori magno nos accinximus animo et textui constituendo operam dedimus. Pro Libro I non minus quam 17 codices ex integro legimus; ceteros omnes accurate examinavimus tum pro bonitate, tum pro integritate textus. Ne autem lectionum variantium farago inutiliter in immensum augeretur, octo tantum codices selegimus ad editionem nostram adornandam, quibus traditio manuscripta sufficienter stabilitur.

His muniti subsidiis de veteribus editionibus nihil curandum esse duximus, experientia insuper edocti Patrum nostri Collegii, qui *Opera omnia* S. Bonaventurae ad fidem codicum emendata primaevae puritati restituerunt (cf. *Opp. omnia S. Bonav.*, I, LXXIXb).

In limine huius editionis aequum est paucis exponere qualiter eam ad finem deducere intendimus. In animo igitur est ut primo ipsum textum *Summae* Alexandri de Hales ope illorum octo codicum, quos elegimus, nativae suae puritati reddamus, iis tantum notis sobrie adiectis quae vel ex ipso textu requiruntur vel ad eius elucidationem necessariae videntur, omissis scholiis aliisque id genus commentis quibus obiectivo restituendi textus operi subiectivum quid ex nostro adderetur. Criticae nempe editionis, quae vere hoc nomine digna sit, munus esse novimus praecipuum, ne dicamus unicum, ut textui edendo adlaboretur tamquam monumento historico, cui primitivus splendor restituatur. In prolegomenis igitur ad unumquemque ex quatuor Libris huius *Summae* praemittendis, ea tantum tractabimus quae ad criticam partem et historiam doctrinae singulorum Librorum pertinent, nihil in iis affirmare cupientes quod validis argumentis non fulciatur. Terminata totius *Summae* textus restauratione, ea quae spectant ad Alexandri Halensis vitam et cetera scripta adiungemus. Influxum tandem *Summae* in alios tum suppares, tum posteros Scholasticos attento examini subiciemus. Nonnisi enim praehabito toto illius textu, secundum regulas sanae prudentisque criticae artis ad fidem codicum restaurato, recte accurateque de tali argumento loqui fas est.

Antequam autem ad prolegomenorum studia transeamus, liceat nobis grato animo recolere quotquot ad diuturnum arduumque hoc opus in Collegio nostro adlaborarunt (quorum aliqui ad perennis vitae iam transierunt requiem) vel variis modis subsidium atque favorem praestiterunt. Libenter quoque gratitudinis debitum palam persolvimus omnibus variarum Bibliothecarum Praefectis, qui summam nobis humanitatem ac benevolentiam semper exhibuerunt, inter quos prae ceteris nominare lubet illarum quas saepius adire necesse fuit Praefectos, nempe Bibliothecarum Vaticanae, Florentinae Nationalis et Laurentianae, Parisiensis Nationalis, Monacensis et Assisiensis.

SECTIO I. — Observationes criticae circa codices Libri I *Summae*.

§ 1. — ELENCHUS CODICUM.

Praemittimus elenchum omnium codicum Libri I *Summae* Alexandri de Hales, iuxta ordinem alphabeticum Bibliothecarum, addito inter parentheses siglo codicis et numeris cursivis loco ubi in sequenti descriptione unusquisque invenitur.

Assisii, Bibl. Commun., cod. 105 (*9*).
» » » » 106 (*10*).
» » 109 (*11*).
Avenione, Bibl. Municip., cod. 280 (**L**, *4*).
Bononiae, Bibl. Commun. (Archigymn.), cod. A. 920 (*18*).
Brugis, Bibl. Commun., cod. 109 (*19*).
Caesenae, Bibl. Malatest., Fila I, Pl. 14, c. IV (*20*).
Cameraci, Bibl. Municip., cod. 330 (*21*).
» » » 518 (*22*).
Cantabrigiae, Bibl. Coll. S. Petri, cod. 92 (*23*).
» » » SS. Trinit., cod. 377 (*24*).
Cracoviae, Bibl. Univ. Jagell., cod. 1189[1] (*25*).
Florentiae, Bibl. Laur., S. Cruc., Pl. 24, Dext., cod. 2 (**F**, *2*).
» » » » » 3 (*12*).
» » cod. Fesulan. 129 (*26*).
» Nation., Conv. Soppr., cod. I. III. 9 (**G**, *3*).
Lauduni, Bibl. Municip., cod. 141 (*27*).
Mellici (Melk), Bibl. Mon. Ord. S. Bened., cod. 36 (*28*).
Monachii, Bibl. Nation., cod. lat. 6493 (*30*).
» » » » » 6943 (*31*).
» » » » » 7405a (*29*).
» » » 7987b (*13*).
» » » 13425 (*32*).
» » » » 18052 (*33*).
Oxonii, Bibl. Coll. Exon., cod. XXXIII (*14*).
Parisiis, Bibl. Nation., cod. lat. 3033 (*35*).
» » » » » 3034 (**S**, *7*).
» » » » » 14529 (*15*).
» » » » » 15327 (**R**, *6*).
» » » » » 15329 (**P**, *5*).
» » » » » 15751 (*34*).
» » » » » 15750 (*16*).
» » Arsenal., cod. 451 (*36*).
Patavii, Bibl. S. Antonii, cod. Scaf. XII, n. 262 (*17*).
Rhemis, Bibl. Municip., cod. 47 (*37*).
Romae, Bibl. Vatic., cod. Vat. lat. 701 (**V**, *8*).
» » » » Borgh. lat. 359 (**B**, *1*).
» » » » Ottob. lat. 435 (*38*).
» » » » Urbin. lat. 123 (*40*).
» » » » Mus. Borgian. 374 (*41*).
» » » » Chigian. lat. B. VII. 109 (*39*).
Vindobonae, Bibl. Nation., cod. 1384 (*42*).

§ 2. — DESCRIPTIO CODICUM.

I. — Codices pro editione adornanda adhibiti.

1. — **Codex B.** *Romae, Bibl. Vatican., cod. Borghes. lat. 359 (olim 59).* — Membran., mm. 333×225, saec. XIII exeuntis. Ligatus membrana; in dorso: *359, D. 4.*, parum infra: *F. F. Minorum Summa Questionum* [super] *Sententias;* deinde: *Pars I cod. mem. saec. XIII, 59;* tandem: *Borgh. 359.* Antiquitus in dorso legebatur: *Scriptum su-*[per Senten]*tias... Min. MS.* Folia 139 et 1 fol. membran. insititium in principio et 1 fol. cartaceum in fine. Binis columnis, 60 lin., littera gothica exaratus. Initiales alternatim rubrae et caeruleae, paragraphi ¶ et tituli quaestionum omnes rubri. Correctiones marginales frequentes. Fol. 2a-d quaternis columnis tabula quaestionum (113). Fol. 3a rubrica: *Incipit prima pars Summe questionum super Sententias edite a Fratribus Minoribus;* deinde: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 116b desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Rubrica: *Explicit iste liber.* Fol. 116v vacat. Fol. 117r-132r sequuntur quaestiones S. Bonaventurae *De scientia Christi et de Trinitate* (Cf. *Opp. omnia*, V, pp. 3-115). Fol. 132v vacat. Fol. 133a incipit: *Sunt partes.* Fol. 139c desinit: *in omnimoda imitabilitate.*

2. — **Codex F.** *Florentiae, Bibl. Laurent., S. Cruc., Plut. 24, Dext., cod. 2. (olim 263).* — Membran., mm. 350×240, saec. XIII. Ligatus assibus tela et corio fusco tectis; in dorso: *De Hales Summe Theologice Liber I.* Folia 121 et 1 fol. cartaceum insit. in initio. In parte interiori assis anterioris manu saec. XV: *Liber conventus Sancte Crucis de Florentia Ordinis Minorum in quo continetur primus Alexandri de Ales. N° 263.* Binis columnis, lin. 63, eadem manu exaratus. Initiales alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 120d-121a, manu saec. XV, pars indicis Libri I. Hunc adhibuimus usque ad p. 352 huius editionis, sed deinde, quia nimis iam mendis librariis scatere incipiebat, ei substituimus cod. G mox describendum. Fol. 1a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 120d desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Sequitur fragmentum indicis.

3. — **Codex G.** *Florentiae, Bibl. Nation., Conv. Soppr., cod. I. III. 9 (olim 492).* — Membran., mm. 400×270, saec. XIII exeuntis. Ligatus assibus; in dorso: *Alexandri de Ales Summae Theol. Pars I et IV. — III. 9. 492.* Folia 230 et 1 fol. insit. cartaceum in initio, et aliud in fine. Fol. insititio anteriori verso: *203 de XXVIIII° banco ex parte orientis;* deinde: *Alexandri de Ales prima et quarta pars Summe. Conventus S. Marci de Florentia, Ordinis Predicatorum. Habitus a Cosma Iohannis de Medicis.* Binis columnis, lin. 74, una manu scriptus; initiales alternatim rubrae et caeruleae. Signantur 75 petiae. Fol. 1r in marg. superiori:

Iste liber est fratris .... (abrasum) *Ordinis Predicatorum*... (cetera abrasa). Fol. 1a incipit: « *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 120d desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Fol. 121a-228d sequitur pars Libri IV *Summae.* Fol. 229r-230v index Libri I, qui dividitur in 20 quaestiones; 230d desinit cum rubrica: *Finis rubricarum primi libri de Summa fratris Alexandri.* Hunc codicem substituimus codici F a pag. 352, num. 260 huius editionis usque in finem Libri I.

4. — **Codex L.** *Avenion., Bibl. Municip., cod. 280 (olim 96).* — Membran., mm. 320×250, saec. XIII. Ligatus corio fusco; in dorso: *Summa Alexandri de Hales. Bibliothèque d'Avignon. MS n°. 280.* Fol. 273 cum uno folio insititio cartaceo in initio et altero in fine. Binis columnis, lin. 60-64, nitide conscriptus; correctiones marginales frequentes, sed breves, et omnes a manu primi amanuensis. Fol. 118r-125v littera diversa a prima, paulum angulosior, maior quoque ornatus maiuscularum. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. In parte interiori tegumenti anterioris manu moderna: *De la moitié du s. XIII;* in parte interiori tegumenti posterioris manu saeculi XV atramento: *Summa manu scripta Alexandri de Hales ordinis Fratrum Minorum super 1° et 2° Sententiarum. Empta anno 1463 undecim scutorum aureorum Iudeis civibus Avenion.* Fol. 1r-14v index I, II et III libri manu primi amanuensis exaratus. Fol. 1r rubrica: *Incipiunt problemata in Summa magistri Alexandri d'Alix;* deinde: *In prima distinctione agitur de doctrina theologie de qua queruntur hec.* Liber I habet 30 distinctiones, quarum ultima incipit fol. 3d: *In hac XXX distinctione agitur de hiis que dicuntur temporaliter de Deo, scilicet de missione;* desinit fol. 4a: *utrum ratione augmenti gratie dicatur mitti.* Sequitur vacuum 20 linearum; deinde rubrica: *Expliciunt problemata primi libri. Incipiunt problemata secundi.* Sequitur: *In hac prima distinctione secundi libri agitur de causa creaturarum multipliciter.* Fol. 6b desinit: *Utrum conscientia sit idem quod sinderesis;* residuum huius columnae vacat. Distinctiones quidem non numerantur, sed sunt 18. Fol. 6c rubrica: *Incipit secunda pars secundi libri in qua agitur de peccato;* deinde: *In hac distinctione agitur de malo, de quo queruntur hec.* Fol. 9d desinit: *quid sit sacrilegium.* Sunt distinctiones 26 non numeratae. Alia manus antiqua addidit: *aliqua problemata hic desunt.* Fol. 10a rubrica: *Incipiunt problemata tertii libri;* deinde: *In hac prima distinctione agitur de necessitate Incarnationis.* Sunt distinctiones 12, non omnes numeratae, quarum ultima fol. 11b: *Et quomodo intelligitur quod Apostoli iudicabunt auctoritate et potestate. Explicit prima pars tertii. Incipit secunda, scilicet de legibus et preceptis. In hac distinctione agitur de lege eterna.* Fol. 14c desinit: *utrum malus homo peccet predicando;* residuum folii vacat. Sunt distinctiones 26, non numeratae. Fol. 15a rubrica: *Incipit primus liber Summe magistri Alexandri de Hales de ordine fratrum minorum.* Deinde: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 125d explicit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Fol. 126a absque rubrica vel titulo incipit Liber II.

5. — **Codex P.** *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 15329.* — Membran., mm. 425×350, saec. XIII; in dorso manu moderna: *Summae Alex. de Ales I Pars. MS.* Folia recenter numerata 332 et unum fol. insititium in initio, in quo (ad rectum) manu saec. XIII: *Pretium xviij lib. parisiensium.* In interiori tegumento manu saec. XIX: *Ce MS. du 13e siècle en gros caractères contient la 1e partie de la Somme théologique d'Alexandre de Halès cordelier mort et enterré au couvent des Cordeliers en 1245.* Scriptura pulcherrima ac magna (minuscula habent 4 mm. altitudinis), ad carolingicam accedens, iudicio peritissimorum, inter quos doctissimum virum H. Omont, Directorem Bibl. Nation. Parisiensis, adnumerare possumus, circa annum 1250 exaratus. Prima maiuscula Q habet 60 mm. altitudinis, cuius ornatus videtur ad modum insularem accedere (puncta inquadrant litteram) et pertingit usque ad imam partem folii. Abbreviationes paucissimae et ordinariae. Duabus columnis scriptus, quarum singula habet 37 lineas plumbo lineatas. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Tituli quaestionum, in ipso textu positi, rubro exarantur, sed in margine non indicatur earum numerus nec inscribitur *quaestio* vel *articulus.* In marginibus crebrae occurrunt correctiones littera minutissima cursiva, quae vel in ipso textu, abrasis verbis erroneis, introductae sunt vel magna littera, manu primi amanuensis, in margine repetuntur. Saepius etiam in marginibus occurrunt notae vel glossae quae linea circumdantur et in fine signantur littera G, quam interpretandam duximus: *G[uillelmus de Melitona].* Hae glossae eadem littera minutissima cursiva exarantur ac correctiones marginales, de quibus supra. Pars superior codicis vel aqua vel igne vel forsan utroque partim consumpta fuit a fol. 117 usque ad fol. 332, quae pars consumpta formam angularem habet et quandoque etiam usque ad quintam lineam textus descendit. Praesertim ultima folia humiditate maculata sunt. Fol. 1a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 332b desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.*

Hunc codicem prae manibus habenti sponte in mentem veniunt verba Rogeri Baconis de *Summa* Alexandri: « *quae est plus quam pondus unius equi* », cuius « *exemplar apud fratres putrescit* » (cf. Brewer, *Rog. Bac. opera quaedam inedita,* London 1859, I, 326 sq.). Eiusdem prorsus scripturae, membranae, magnitudinis atque ponderis sunt codices lat. Bibl. Nation. Parisiensis 15330, 15331, 15332 et 15333, quorum duo primi Librum II, alii vero duo Librum III continent. Summum momentum horum codicum cuique illico patet, cum praebeant nobis, eadem manu et quidem circa annum 1250 exaratos, tres primos libros *Summae Theologicae* Halensis. Quamvis igitur ipsius textus bonitas in dictis codicibus non semper appareat eximia, aetas tamen horum maximi pretii est pro ea parte nostri laboris quae critica integritatis vocatur. Ex iis enim evidens fit hos tres primos libros *Summae* iam circa annum 1250 integre extitisse uti eos edituri sumus; quod etiam quanti referat in quaestionibus de relatione huius *Summae* ad compares sibi tractatus vicinae aetatis, nemo sane est qui non videat. Huius codicis fol. 1r

partem arte photographica expressam habes in initio huius voluminis.

6. — **Codex R.** *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 15327 (olim Sorbonae 558 et 232).* — Membran., mm. 375×250, saec. XIII. Ligatus assibus viridi corio tectis; in dorso: *Hallensis in 1um et 2um Sententiarum.* Habet fol. 439 secundum numerationem modernam et duo folia insititia cartacea, alterum in initio, alterum in fine. Habet tres antiquas foliationes, quarum prima numeris romanis I-CXXXIII (139a) complectitur totum Librum I *Summae;* folio 139v vacat; fol. 140 (moderna paginatio) incipit secunda foliatio antiqua numeris arabicis foliorum 150 (289 moderna) continens Primam Partem Libri II; a folio 290 (moderna) incipit tertia antiqua paginatio foliorum 149 (438 moderna) continens Secundam Partem Libri II seu *De Malo.* Primus Liber, de quo solum hic agimus, binis columnis, 64 linearum, littera gothica nitide exaratus est. Correctiones marginales frequentes. Initiales alternatim rubrae et caeruleae, paragraphi omnes rubrae. Textus dividitur in *Distinctiones* 10, quae iterum in *Quaestiones* 133 distinguuntur. In parte interiori assis anterioris recenti manu: *Ce MS. du 13e siècle contient 1° l'épitaphe d'Alexandre de Hales, 2° son commentaire sur le 1er et le 2d livre des Sentences. 558.* Fol. 1v (foliatio recens) manu saec. XIV sequens epitaphium:

« *In tumba que de directo distat per unam tumbam tantum ab introitu chori ecclesie fratrum Minorum Parisius hec scribuntur. In tabernaculo capitis ymmaginis sculpte in dicta tumba scribitur:* HIC IACET FR. ALEXANDER DE HALES QUI OBIIT ANNO DNI MILL°.CC°.XLV°. XII KALL. SEPTEMBRIS. *In circuitu dicte tumbe scribuntur hii versus:*

Gloria doctorum - decus et flos philosophorum,
Auctor scriptorum - vir Alexander variorum,
Norma modernorum - fons veri, lux aliorum,
Inclitus Anglorum - fuit archilevita, sed horum
Spretor cunctorum - fratrum collega Minorum
Factus egenorum - fit primus doctor eorum.

Fol. 2a-4c (fol. recens) index quaestionum Libri I. Fol. 5rv vacat. Fol. 6a absque nomine auctoris et titulo incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 139a explicit: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit Liber Primus.* Sequitur Liber II. Fol. 438v manu antiqua: *XII lib. inter Summas questionum.* Fol. 439v in margine superiori per ligatorem partim abscisso, manu antiqua: *Collegii pauperum magistrorum Parisius in theologia studentium. Pretium XII lib.* Parum infra, alia manu antiqua: *Pro pauperibus Magistris Collegii Sorbone.*

7. — **Codex S.** *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 3034 (olim Colbertinus 1009, Regius 3670).* — Membr., mm. 413×290, saec. XIII exeuntis. Ligatus assibus corio rubro tectis, regio stemmate ornatis. Folia 194 (paginatio recens) cum 3 foliis insititiis in initio et 3 in fine. Nitide litteris gothicis conscriptus, cum multis correctionibus marginalibus a primo amanuensi exaratis. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Desunt tituli quaestionum in corpore textus. Fol. 1r-2v index quaestionum, quarum numerus (20) et subdivisiones rubro notantur. Ultima linea indicis a primo amanuensi scripta est: *utrum dicantur mitti ratione augmenti gratie.* Deinde alia manus littera cursiva addidit 6 quaestiones de missione visibili, quarum prima est: *Quid sit missio visibilis secundum rem;* ultima vero: *Qualiter persona dicatur esse in specie sensibili in qua apparet.* Fol. 3a incipit absque nomine auctoris et titulo operis: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 194d explicit: *per infinita seculorum secula. Amen.*

8. — **Codex V.** *Romae, Bibl. Vaticanae, cod. lat. 701.* — Membran., mm. 380×270, saec. XIII exeuntis. In dorso scuta Pii VI et F. X. de Zelada card. bibliothecarii. Folia 486 (+ ff. 47a et 150a); post fol. 143 duo folia ultima fasciculi nullo textus detrimento excisa sunt. Binis columnis, a variis librariis exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Tituli quaestionum rubri. Correctiones marginales frequentes. Fol. 1-2 et 485-486 ex libro saec. XIII avulsa habent particulas Codicis Iustiniani, additis glossis interlinearibus et marginalibus paucissimis. Fol. 3r manu antiqua: *Summa fratris Alexandri,* manu moderniori: *Alex. de Ales franciscanus.* Fol. 3a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 143c desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Rubrica: *Explicit liber primus Summe fratris Alexandri.* Fol. 144a-484v sequitur liber II huius *Summae.* Huius codicis descriptionem nobis humanissime communicavit Illm. Dnus A. Pelzer ex Catalogo codd. Bibl. Vatic. quem summo labore edendum praeparat.

II. — Codices ex integro lecti, sed non adhibiti.

9. — *Assisii, Bibl. Municip., cod. 105.* — Membran., mm. 272×180, saec. XIII. Ligatus corio fusco. Folia 506. Binis columnis, lin. 54, una manu nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 1 recto: *Primus et secundus Sentent. Mag. Alexandri de Hales Ord. Min.* Sequitur usque ad fol. 11v index quaestionum. Fol. 12a absque titulo incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Manu posteriori signantur quaestiones principales ut *Distinctiones,* quarum ultima (XXX) fol. 162d incipit: *Dicto de nominibus notionalibus* (cf. ed. p. 697). Fol. 170b desinit: *in gratie prima donacione.* Fol. 171a-506 sequitur Liber II.

10. — *Assisii, Bibl. Municip., cod. 106.* — Membran., mm. 245×209, saec. XIV ineuntis. Folia 176 et fol. 1 insititium. Binis columnis, lin. 56, nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. In dorso: *Alexander Dales opus.* Fol. 1r in margine superiori manu tardiori: *Primus Alexandri;* in margine inferiori: *Ex libris Bibliot. Sac. Conventus Assisii.* Fol. 1a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 127v desinit: *in gratie prima donacione.* Fol. 128rv index materiarum. Fol. 129r-148v *Quodlibeta* fr. Ioannis Rodington, O. F. M.; incipit: *Utrum necessario vel involuntarie possit Christum offendere.* Fol. 149 Commentarius anonymus in IV librum *Sententiarum: Samaritanus. Circa principium.*

11. — *Assisii, Bibl. Municip., cod. 109.* — Membran., mm. 345×240, saec. XIII. In dorso: *Alensis Summae P. I. MS.* Folia 97 et fol. insititia 3 cartacea in principio. Binis

columnis, lin. 65, nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Correctiones marginales frequentes. Numerus quaestionum rubro notatur in margine. Fol. 12 sigillum *Bibliothecae Portiunculae;* fol. 13r aliud sigillum *Portiunculae.* Fol. 1a rubrica: *Primus magistri Alexandri;* incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 97r: *Revisto et cartolato di carta in carta et sono carti 97 et tre carti bombacine in principio, due scritte et una bianca. Dico carti 97 et la prima lettera Q e miniata.* Fol. 97v desinit: *concedo auctoritates et rationes que inducebantur* (cf. ed. p. 747a, lin. 13).

12. — *Florentiae, Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 24, Dext., cod. 3 (olim 264).* — Membran., mm. 320×230, saec. XIII exeuntis. Folia 135 et folia insititia cartacea 3 in principio et 2 in fine. Ligatus carta grossa corio et tela tecta; in dorso: *Aliud exemplar* (!). Binis columnis, lin. 57, nitide una manu exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 1r-2v, manu saec. XV index incompletus quaestionum. Fol. 3r in margine superiori: *Iste liber fuit ad usum fratris Thedaldi de Casa quem vivens assignavit armario fratrum minorum de Florentia, anno Domini 1406.* Fol. 3v: *Alexander fr. de Ales super primum Sententiarum. Conventus S. Crucis de Florentia Ordinis Minorum. N.° 264.* Fol. 4a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 135a desinit: *in gratie prima donacione;* in margine inferiori huius folii manu saec. XV: *tria quodlibeta deficiunt tantum.*

13. — *Monachii, Bibl. National., Clm. 7987b (Kaisheim 87b).* — Membran., mm. 345×250, saec. XIV. Folia 317. Ligatus assibus corio fulvo tectis. In asse anteriori: *Alexandri Halensis s*[eu] *de Hales O. Min. & Paris 1245 (Doctor irrefragabilis).* Provenit ex monasterio Cisterciensium B. Mariae Virginis in Kaisheim. Binis columnis, lin. 64-69, una manu nitide exaratus. Initiales alternatim rubrae et caerulcae. Correctiones rarissimae. Fol. 1a manu saec. XVI: *B. V. in Caesarea. In nomine Domini. Incipiunt tituli questionum primi libri Summe fratris Alexandri.* Fol. 3b: *Expliciunt tituli questionum primi libri Summe fratris Alexandri.* Fol. 4a in margine superiori rubrica: *Incipit primus liber Summe magistri Alexandri de Hales de ordine fratrum Minorum;* deinde incipit: *Quoniam sicut dicit Boetius.* Singulis quaestionibus apponuntur in marg. tituli rubri, quaestionibus principalibus etiam numerus earum. Numerantur 80 quaestiones. Inter fol. 88-89 numeratio ordinatim pergit, sed excisa sunt folia 14. Fol. 88d desinit: *sicut ergo humanitas* (cf. ed. p. 499b, lin. 14); fol. 89a incipit: *et quasi quibusdam accedentibus subiecte sunt. Vult ergo dicere quod hec* (cf. ed. p. 582a, lin. 10). Fol. 120b desinit: *per infinita secula seculorum. Amen;* deinde rubrica: *Explicit primus liber Summe fratris Alexandri.* Sequitur fol. 121r-317 Liber III huius Summae.

14. — *Oxonii, Bibl. Coll. Exoniensis, cod. XXXIII.* — Membran., mm. 350×245, saec. XIII exeuntis. Fol. 171 et 2 fol. insititia cartacea in principio et 2 in fine. Ligatus tabulis cartaceis corio gilvo coopertis. In anterioris tegumenti parte interiori habetur sigillum Colleg. Exoniensis, in cuius circulo legitur: *Collegium Exoniense in Academia Oxoniensi. 12. — 172. E. 9.* Scriptura insulari una manu, binis columnis, lin. 55, littera magna gothica exaratus. Scatet lacunis, multoties etiam maioribus per homoeoteleuton et habet multas repetitiones verborum. Ad singulas quaestiones et harum divisiones notatur numerus in margine et sunt 420 quaestiones. Initiales alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 1r habetur index rerum manu posteriori, sed valde incompletus. In margine inferiori scriptura moderniori: *Liber Coll. Exon.* Fol. 2r in margine superiori: *Sancti Spiritus assit nobis gratia;* deinde sequitur: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Inter fol. 109-110 unum folium excisum est; ultima verba fol. 109v sunt: *non potest intelligi poni ordo* (cf. ed. p. 476a, lin. 22); fol. 110r incipit: *voluntas vero ut voluntas* (cf. ed. p. 480a, lin. 11). Fol. 171d desinit: *et hoc in specie columbe.* (cf. ed. p. 750b, lin. 43). Desunt igitur circa 15 lineae.

15. — *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 14529 (olim S. Victoris 109).* — Membran., mm. 330×230, saec. XIII. Ligatus assibus membrana tectis. Folia recenter numerata 325 et folia insititia 5 in principio. Fol. insit. 1, ex alio codice deductum, continet quaedam iuridica. Fol. insit. 2r manu saec. XV index: *Tituli singulorum dubiorum, omnium questionum primi libri Summe domini Alexandri de Halis.* Fol. insit. 5v desinit: *Qualiter persona apparens vel missa dicatur esse in illis sensibilibus creaturis in quibus apparet vel mittitur.* Infra, manu saec. XIII: *Hic liber est Sancti Victoris parisiensis, inveniens quis ei reddat amore Dei.* Binis columnis, lin. 54, una manu nitide exaratus, initiales Libri I alternatim rubrae et caeruleae; correctiones frequentes manu primi amanuensis. Fol. 6r (fol. antiq. j) in margine superiori, manu moderna; *A d. 32;* in margine inferiori, manu saec. XIII, rubro: *Iesus. Maria. S.* (hic stemma S. Victoris) *Victor. S. Augustinus;* nigro: *Iste liber est S. Victoris parisiensis. quicumque eum furatus fuerit celaverit vel titulum istum deleverit anathema sit. Amen.* Manu saec. XV: *Tabulam reperies fol. 319.* Fol. 6a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 159v in marg. inferiori venditor codicis sua manu haec scripsit: *Ego Alanus Bene bedellus religiosorum beate Marie de Carmelo confiteor vendidisse presentem librum primum Alexandri de halis abbati et conventui Sancti Victoris Parisius precio iij sc. quam summam mihi persolvit fr. Iohannes la lamasse et promitto dictum librum garantizare dictis religiosis teste signatura manuali hic apposita. XV Iulii anni Domini mill.* (ceteris a ligatore ablatis). Hic Ioannes La Masse erat Prior, deinde Abbas S. Victoris anno 1448, 26 oct. et obiit 31 maii 1458 (Cf. L. Delisle, *Le Cabinet des Manuscrits,* II, 217). Fol. 160a desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Infra manu saec. XV: *Explicit primus magistri Alexandri.* Fol. 160v vacat. Fol. 161r in margine inferiori saec. XIII: *Iste liber est Sancti Victoris parisiensis. quicumque eum* (ut supra). *Iesu Maria S.* (hic stemma S. Victoris) *Victor. S. Augustinus.* Fol. 161a - 322c sequitur fragmentum Libri IV huius *Summae.* Fol. 322c manu saec. XV: *Hunc librum acquisivit monasterio Sancti Victoris prope Parisius*

frater Iohannes Lamasse dum esset prior eiusdem ecclesiae. Sequitur eodem fol. 322v manu saec. XV: *Tabula hic contentorum.* Fol. 323 vacat. Fol. 324 et 325 ex alio cod. desumpta tractant de rebus historicis Romanae Reipublicae.

16. — *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 15750 (olim Sorbonae 553).* — Membran., mm. 340×242, saec. XIII mediantis. Ligatus carta grossa, viridi corio tecta; in dorso: *Alensis Summa Iª pars;* et infra: *Bibliothèque Sorbonne.* Folia 254, et duo fol. insititia in fine. Binis columnis, lin. 54, una manu nitide exaratus; correctiones non ita frequentes, sed aliquando longiores (fol. 104v et 149v) manu primi amanuensis; tituli quaestionum rubri, initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 1v manu recenti: *Ce Ms du 13ᵉ siècle contient la Première Partie de la Somme d'Alexandre Halles. Ce Ms a été légué à la maison de Sorbonne par M. Gérard d'Abeville. Au commencement est un sermon de Iean Romain in haec verba: Hauri tibi aquam.* Fol. 2r in margine superiori: *Ioes Romanus,* et incipit sermo: *Hauri tibi aquam contra obsidionem et extrue munitiones tuas;* deinde alius: *Ego sum via, veritas et vita;* fol. 8d desinit: *hic explanat.* Fol. 9 in marg. superiore: *Liber primus Alexandri de Hales.* Fol. 9a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Ab amanuensi primum omissum fuit ultimum Membrum: *Determinato de missione invisibili* (cf. ed. p. 734, lin. 33), ast inter fol. 246v et 252r additum est quaternium manu primi amanuensis, licet littera parum parviori, conscriptum et rubricatio eodem modo fit ut in reliqua parte codicis. Fol. 246d desinit: *Ad illud quod primo obicitur contra missionem Spiritus Sancti potest responderi per predicta, quia licet timor servilis;* deinde in quaternio addito, fol. 247a textus absque ulla omissione continuatur: *et alia dona gratis data sint dona Spiritus Sancti* (cf. ed. p. 733a, lin. 23). Fol. 251d desinit: *apparitionum Spiritus Sancti. Si autem queratur* (cf. ed. p. 751b, lin. 5); desunt paucae lineae ad terminandam *Summam.* Fol. 252a est continuatio, manu primi amanuensis, folii 246d et incipit: *et alia dona gratis data;* fol. 252b desinit: *in gratie prima donacione. Explicit liber primus.* Fol. 252v., ternis columnis, index quaestionum (70): *utrum doctrina theologie sit scientia;* fol. 254b desinit: *utrum ratione augmenti gratie dicatur mitti Spiritus Sanctus vel Filius.* Deest igitur in indice ultimum Membrum. Fol. 254v: *Iste liber est Collegii pauperum magistrorum in theologica facultate Parisius studentium ex legato magistri Gyrardi de Abbatisvilla. precium VIII lib. Ioannes Romanus.* Cf. L. Delisle, *Le Cabinet des Manuscrits,* III, p. 30b, n. 37. Testamentum Gerardi ab Abbatisvilla, factum 19 octobr. 1271, « die lune post inventionem beati Firmini martyris », ap. Denifle-Chatelain, *Chartular. Univ. Paris.,* I, p. 491-93.

17. — *Patavii, Bibl. S. Antonii, Scaf. XII, n. 262.* — Membran., mm. 360×260, saec. XIII. Folia 160 et fol. cartacea insititia 2 in principio ac 2 in fine. Binis columnis, lin. 61, una manu nitide exaratus. Initiales alternatim rubrae et caeruleae. Ligatus assibus, corio tectis. Fol. 1r manu antiqua: *Prima pars Summe Theologie magistri Alexandri de Aleix. ordinis fratrum Minorum,* et iterum alia manu recentiori repetitur: *Prima pars Summe Alexandri de Ales Ordinis Minorum.* Fol. 1r in marg. inferiori: *d. frater Laurentius conduxit in Padua 26 Iulii 1411. III d*[en?]. Fol. 160r in margine inferiori: *Scriptus fuit hic primus liber operis huius in edomadibus XV.* Fol. 1a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 160b desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.*

III. — Codices collati.

In hac classe continentur codices quos ex integro examinavimus pro integritate operis et partim legimus pro bonitate textus eorumdem stabilienda.

18. — *Bononiae, Bibl. Communalis (Archigymnasii), cod. A. 920 (16 ll. I. 8).* — Membran., mm. 335×243, saec. XIII. Ligatus carta grossa et membrana. In dorso: *M.SS. B. I. 29;* in tabula anteriori, manu recenti: *Alexandri de Ales in I et II Sententiarum.* Folia 415 et duo folia insititia. Binis columnis, lin. 65, una manu nitide exaratus. Correctiones pauciores. Initiales alternatim rubrae et caeruleae. Textus dividitur in 30 *Distinctiones,* quarum ultima plumbo notatur. Fol. insit. 1v signum Bibl. Fratr. Praed. Bononiae: *S. Do. mi. ni. cus.* Fol. insit. 2r: *Iste liber est armarii fratrum Praedicatorum Sti Dominici de Bononia.* Fol. insit. 2v manu saec. XIV: *Magister Albertus dni pp. Notarius ecclesie fratrum Predicatorum Bononie librum istum sub ea condictione in testamento legavit ut nullatenus vendatur nec alienetur ab eis. Orate pro eo.* Probabiliter est magister Albertus, legum doctor, quondam Oddofrei legum doctoris, qui obiit Bononiae ante 6 dec. 1300, et cuius testamentum asservabatur apud Fratr. Praedicatores. (Cf. Giordani B., O. F. M., *Acta francisc. e tabulariis Bonon. deprompta,* in *Anal. Franc.,* IX, p. 429, n. 851; p. 583, n. 1151; p. 723, n. 1593). Fol. 3r index quaestionum. Fol. 5a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 132r desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Fol. 131c post *in gracie prima donacione* (cf. ed. p. 734b, lin. 25) sequitur vacuum 20 lin., deinde incipit: *cur missus est Filius* (cf. ed. p. 735a, lin. 7). Remanent aliqua indicia numerationis petiarum, ceteris a ligatore abscissis. Fol. 142r incipit Liber II.. In fine codicis, ultimo folio recto: *A dextris in 17ª bancha d.*; in verso eiusdem: *Alexander de Ales super Iᵘᵐ et 2ᵘᵐ Sententiarum cuius...* [cetera consumpta] *ponatur a dex. in VIII bancha ad litt....* [consumptum].

19. — *Brugis, Bibl. Communalis, cod. 209.* — Membran., mm. 232×166, saec. XIII. Folia 303 et unum fol. insititium in principio et alterum in fine. Ligatus assibus. In asse anteriori membrana sub cornu: *Primus liber Summe Alexandri de Halis.* Binis columnis una manu nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Fuit olim monasterii Sanctae Mariae de Dunis, Cisterc. Ordinis, in Flandria iuxta Furnas. Fol. insititio anteriori verso, manu recentiori: *Alex. de Ales Ord. Min. Summae ipsius pars prima.* Fol. 1a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 303c desinit: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit liber primus Summe fr. Alexandri.*

20. — *Caesenae, Bibl. Malatestiana, Fila I, Plut. 14, cod. IV.* — Membran., mm. 345×240, saec. XIV ineuntis.

Ligatus assibus corio tectis, quae novem aeneis clavis ornantur. Folia II + 294 et unum fol. insit. in principio, aliud in fine. Binis columnis, lin. 65, una manu nitide exaratus, initiales et paragraphi alternis paginis rubrae et caeruleae. Numerantur petiae, quarum remanent aliqua tantum indicia, ceteris abscissis. Tituli quaestionum rubro exarantur. Fol. I et II index quaestionum. Fol. 1r, in margine superiori: *Prima pars Summe Alexandri de Alest ordinis minorum super primo Sententiarum et durat usque ad l.vij.* Fol. 1a: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Numeratio foliorum Libri I prius ad 143 pertingebat, sed correctione facta, nunc ad fol. 148 pervenit. Fol. 148v desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* — Deinde sequitur Libri II Pars Prima.

21. — *Cameraci, Bibl. Municipalis, cod. 330.* — Membran., mm. 412×282, saec. XIII. Folia 389 Binis columnis, una manu litteris magnis nitide exaratus. Initiales alternatim rubrae et caeruleae. Desunt tituli et numeri quaestionum. Fol. 1a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 198b desinit: *per infinita secula seculorum. Amen;* deinde rubrica: *Explicit primus liber Summe Alexandri. Amen.* Sequitur fol. 198c sine titulo Libri II Pars Secunda.

22. — *Cameraci, Bibl. Municipalis, cod. 518.* — Membran., mm. 330×213, saec. XIII. Folia 214. Binis columnis, lin. 56, una manu nitide exaratus; initiales alternatim rubrae et caeruleae; desunt tituli quaestionum, quarum numerus rubro in margine notatur. Fol. 1r in margine superiori rubro et in margine inferiori nigro: *Incipit primus liber Summe Magistri Alexandri de Hales de ordine minorum.* Fol. 1a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 214c desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* deinde rubrica: *Explicit liber primus Summe Alexandri.*

23. — *Cantabrigiae, Bibl. Collegii S. Petri, cod. 92 (olim O. 9. 5).* — Membran., mm. 375×250, saec. XIII. Folia 128, sed deest numeratio. Ligatus assibus corio tectis. In dorso recenti manu: *Halys super 4 libr. Sentent.* Binis columnis una manu nitide exaratus cum initialibus et paragraphis alternatim rubris et caeruleis; tituli quaestionum et capitulorum (461) rubro exarati. Frequentes correctiones marginales manu suppari. In margine superiori notantur quaestiones et distinctiones, quarum ultima est 71. Hae dividuntur in capitula, quorum ultimum est 461. Fol. 1a littera initialis a barbaro quodam fuit excisa; item dimidium fol. 126 demptum misere periit. Fol. 1a incipit: [*Q*]*uoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 128d desinit: *Cur non accipiamus hic insinuatam per naturam visibilem trinitatis equalitatem* (cf. ed. p. 637b, lin. 43). Cetera desunt.

24. — *Cantabrigiae, Bibl. Coll. Trinitatis, cod. 377 (olim B. 16. I. 325).* — Membran., mm. 430×290, saec. XIII. Folia 380, sed non numerata. Ligatus assibus corio nigro tectis. Binis columnis, lin. 71-73, una manu nitide exaratus. Initiales alternatim rubrae et caeruleae sunt pulcherrime ornatae. Fol. 1r in margine superiori manu saec. XVI: *subtilissimus Doctor Hales.* In marg. inferiori impressum schedae cartaceae: *Ex dono ornatissimi viri Thomae Nevile Decani Cantuariensis et Collegii Trinitatis Praefecti.* In Libro I abundant correctiones marginales. Fol. 1a incipit: *sublimior cognoscimus Deum, sed dicitur in libro De libero arbitrio quod nihil est sublimius ratione* (cf. ed. p. 27a, lin. 43). Desinit: *in gratie prima donacione. Explicit liber primus p. li. Summe Halis.* — Deinde sequitur Liber II.

25. — *Cracoviae, Bibl. Universitatis Jagellonicae, cod. 1189* [1]. — Partim membran., partim cartaceus, saec. XV ineuntis. Folia 362 et fol. insititia vacua 12. Binis columnis una manu exaratus, initiales rubrae. In tegumento anteriori: *Allexander de Halis super Sententiarum* (!). Fol. 1r in marg. superiori rubrica: *Prima pars Summe de theologia Alexandri de Hallis;* deinde incipit: *Quoniam sicut dicit Boetius.* Fol. 358b desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Fol. 359a-362d index quaestionum.

26. — *Florentiae, Bibl. Laurent., cod. Fesulan. 129.* — Membran., mm. 400×280, saec. XV. Ligatus tegumento cartaceo tela cooperto. In dorso: *Alex. de Hales Summe Theologie vol. I. 129.* Folia 172. Binis columnis, lin. 65, una manu nitide exaratus, absque correctionibus marginalibus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Tituli quaestionum rubri. Fol. 1r in marg. superiori manu recenti: *1ª pars Summe Alexandri de Ales;* deinde index quaestionum (20); fol. 3c desinit: *Finis rubricarum primi libri de Summa fratris Allexandri de Halis.* Fol. 4a rubrica: *Alexandri de Ales de ordine sancti Francisci liber super primus* (!) *Sententiarum.* Deinde incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 172c desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Rubrica: *Explicit primus liber de Summa editum* (!) *ab Alexandro de Halis.*

27. — *Lauduni, Bibl. Municipalis, cod. 141.* — Membran., mm. 400×270, saec. XIII exeuntis. Folia 276 et 1 fol. insititium. Binis columnis, una manu nitide exaratus. Initiales rubro et viridi pulcherrime ornatae. Correctiones frequentes. Fol. 1 manu recentiori: *N. 175 tractatus theologiae* (sequitur partim deletum: *pars* [seu] *liber I in qua agitur de Deo, de SS. Trinitate*) *Summe Alex. Halens.* Fol. 1r-2v index Libri I. Fol. 3a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 3b vacat. Fol. 3c rursus incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 135d desinit: *in gratie prima donacione;* deinde rubrica: *Finis.* — Deinde incipit altera numeratio et sequitur, fol. 1a-141, Liber II incompletus.

28. — *Mellici (Melk), Bibl. Monasterii Ordin. S. Benedicti, cod. 36.* — Partim membran., partim cartaceus anno 1452 exaratus. Folia 315 numerantur, sed erronee, quia folia 223, 224, 243, 245 et 246 bis signantur. Folia insititia 9 in principio. Binis columnis una manu conscriptus. In tegumento anteriori: *Prima pars Summe fratris Allexandri d'Hallis ord. minorum.* Fol. insit. 1-6 index quaestionum; fol. insit. 7-9 vacant. Fol. 1a rubrica: *Incipit primus liber Summe Allexandri de Hallis ordinis fratrum minorum;* deinde incipit: *Quoniam sicut dicit Boetius.* Fol. 315a desinit: *per infinita secula seculorum. Amen. Anno Domini M°CCCC.52° finitus est iste primus liber Summe Allexandri de Hallis ordinis fratrum minorum, proxima feria sexta post inventionem s. crucis.*

29. — *Monachii, Bibl. Nation., Clm. 7405a (olim 1444).* — Cartaceus, monasterii Indersdorf, mm. 414×292, anno 1444, binis columnis, lin. 54, exaratus. Folia 249 et 3 folia

insititia. Fol. insit. 1 vacat; fol. insit. 2v: *Prima Pars Summe Alexandri de Ales tractat,* et sequitur binis columnis tabula alphabetica in Librum I; deinde: *Tabulaturam sive Registrum singularum questionum huius libri invenies huius prime partis in fine. Sit laus Deo.* Fol. insit. 3c: *In laudem Irrefragabilis doctoris divi Alexandri de Ales Ordinis beatissimi Francisci pangericum* (!) *carmen:*

Qui tibi maiorum repetis monumenta per orbem,
Patris Alexandri gesta, viator, habe.
Hic placito superum prognatus gente britanna
Protenus a puero flexit ad astra gradum;
Non gaze meminit nec avorum rura licetur,
Pectore in eximio sola Minerva sedet.
Ergo freta emensus et vastos equoris amnes
Se totum ad studium parisiense tulit,
Quo vel socraticos vel summos quosque Platones
Ingenio facile dexteriore preit.
Inde polum et celos et que supra astra geruntur
Rimatus didicit abdita fata Dei.
Sic tandem et meritis et digna laude probatus
Doctrine et verbi fit sator atque pater.
Ast ubi theologis pugna sententia venit
Acciperetne Minor signa magisterii,
Nullum enim sacri doctoris signa ferentem
Ex grege Francisci viderat orbis adhuc,
Magnus Alexander, cui mens persancta fuisset
Ac devota diu et religiosa Deo:
Ipse ego, mox inquit, certamina litis inique
Compescam nec erit cui suus obstet amor.
It vir et induitur palla vilente Minorum,
Quique magister erat, fit pius ecce Minor.
Nos quid obest, dixit, humilem gestare togellam
Qui pariter gerimus nomen onusque patris?
Quid contra impediat sublimi in nomine mentem
Cordigeros fratres continuisse piam?
Discipulos Christi, quibus est lustrare popellos,
Quis ferat ignaros iussa docere Dei?
Non tumet irrigua celesti flumine virtus
Nec sese extollit cui Deus auctor adest;
Mens humilis, purgata dolo, conserva deorum
Nec fama augescit nec iacet ima colens.
Iam primum post hac doctor fraterculus ibo,
Veste sub hac minimus parta trophea gerens.
Dixerat. Hinc patuit Francisci semper alumnus
Laurea doctorum, qui tot ut astra micant;
Tum demum ex superis captum geminare talentum
Ne torperet iners providus instituit.
At scola sacrorum quia nil satis ordine norat,
Cuncta quidem incertis sparsa fuere locis;
Hic prudens opifex, multa celeberrimus arte,
Compage et nervis consolidavit opus.
Primus in articulos divine volumina duxit
Artis et in morem retulit acta senum.
Quo duce premonitus in prelia divus Aquinas
Quotquot et usque legis fortius arma gerunt.
Nec quisquam adveniet, quamvis ars crescit in horas,
Tam mente integra, qui senis orsa latret;
Hauriet hinc potius veluti de fonte liquorem
Et tamquam exemplar preferat usque virum.
Hec brevibus dixi; que cetera multa supersunt
Non vacat ut noris, qui citus ire paras.

Anno ab incarnatione Domini M.CC.XLV.XII Kal. Septembris obiit idem Irrefragabilis doctor Parisius sepultus, cuius tumba his preconizatur metris:

Clauditur hoc saxo famam sortitus habunde
Gloria doctorum, decus et flos philosophorum,
Auctor scriptorum vir Alexander variorum,
Norma modernorum, fons veri, lux aliorum;
Inclitus Anglorum fuit archilevita, sed horum
Scriptor (!) *clericorum* (!) *frater collega Minorum*
Factus egenorum fit doctor primus eorum.
Si quis honos meritis, si qui virtute coluntur,
Hunc animo prefer, hunc venerare patrem,
Nec sorde et culpa pigritere per ocia deses
Nancisci studio que minor iste refert.

Totum illud carmen vulgatum est in editione *Summae* Alexandri Lugduni 1517, I, fol. 1v et a Fr. Gonzaga, *De origine seraph. relig. francisc.*, Romae 1587, p. 121sq. et Venetiis 1603, p. 126sq. Fol. 1r in margine superiori: *Questio prima utrum theologia sit scientia;* deinde: *Quoniam beatus* (!) *dicit Boetius.* Quaestiones principales numerantur in margine superiori et ad latus, usque ad quaest. LXXIIII. Fol. 245v desinit: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit prima pars Summe Alexandri de Hallis. scriptum et finitum per me Marquardum Holbain de Kaufbeiron anno 1444.* Fol. 246r: *Sequitur tabulatura sive registrum super prima parte magistri Alexandri de Ales.*

30. — *Monachii, Bibl. Nation., Clm. 6493 (Freising. 293).* — Cartaceus, mm. 410×288, saec. XV. Folia 273 et folia insititia 5 in principio vacua et 2 in fine. Ligatus assibus corio gilvo tectis. In assis anterioris parte interiori habetur imago B. Mariae Virginis cum puero Iesu et sub imagine legitur: *Insignia Capituli.* Binis columnis, lin. 46, una manu nitide exaratus. Tituli quaestionum et initiales rubricantur. Fol. 1a rubrica: *Incipit primus liber Summe magistri Alexandri de Hallis de ordine fratrum minorum;* incipit: *Quoniam sicut dicit Boetius.* Fol. 129v adest spatium vacuum, sed notatur: *Hic non est defectus sed negligentia scriptoris.* Fol. 268c desinit: *per infinita secula seculorum. Amen. Et sic est finis huius primi libri Sententiarum summata a venerabili Magistro Allexandro de Hallis.* Fol. 269a-273c index quaestionum incipit cum rubrica: *In nomine Domini. Incipiunt tituli questionum primi libri Summe magistri Allexandri de Hallis in cuius prima parte agitur de divina essentia.* Fol. 273c desinit: *Expliciunt tituli questionum primi libri fratris Allexandri de Hallis. Sit laus Deo etc.*

31. — *Monachii, Bibl. Nation., Clm. 6943 (Fürstenfeldt).* — Cartaceus, mm. 325×219, anno 1479 exaratus. Folia 426. Fol. insititio recto: *1ª Pars Allexandri d'Allis.* Binis columnis, lin. 41, eadem manu conscriptus absque correctionibus et rubricis. Numeri quaestionum principalium (84) in margine superiori et ad latus notantur. Fol. 1a sine titulo incipit: *Quoniam beatus* (!) *dicit Boetius.* Fol. 418v: *per*

infinita secula seculorum. Amen. Finit hic codex a Conrado Stöberlen de Perkyrchen laboriose exaratus sub incarnationis salutiffere anno 1479 in sancte Lucie virginis festo. Hic liber comparatus est per dominum Venerabilem Iudocum abbatem monasterii Campiprincipum, prioratum tenente venerabili viro magistro Leonardo Egenhofer sacre theologie profess. eximio anno Domini 1479. Sequitur index; deinde: *Iste liber attinet monasterio Fürstenveldt comparatus per reverendum patrem et dominum Iudocum abbatem anno 1479.*

32. — *Monachii, Bibl. Nation., Clm. 13425 (Ratisb. Dominic. 25).* — Cartaceus, mm. 293×220, anno 1399 exaratus. Folia 311 et folia insititia 2 in initio. Initiales rubrae. Binis columnis, lin. 46, una manu (si 12 ultima folia excipias) exaratus. Scatet vitiis grammaticalibus et librariis. Fol. insititio 1r: *Conv. Ratisb. ord. Pred.;* deinde: *Tituli questionum huius voluminis. Utrum doctrina theologie sit scientia. — Q. de cognitione Dei ex parte cognoscibilis. — Q. de cognitione Dei ex parte cognoscentis. — Q. de cognitione Dei ex parte medii.* Ultra has quatuor quaestiones index non continuatur. Eodem fol. inceptus est index alphabeticus rerum praecipuarum. Fol. numerato 1, in margine superiori, manu saec. XVII: *Conv. Ratisb. ord. Pred.;* rubrica: *Incipit prima pars Summe Alexandri;* col. 1 incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 311b desinit: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit prima pars Summe Alexandri de Halis in purgatione anno Domini 1399 in februario.*

33. — *Monachii, Bibl. Nation., Clm. 18052 (Teg.).* — Cartaceus, mm. 410×293, anno 1467 exaratus. Folia 300 et fol. insititium 1 in principio, cui inscribitur: *Iste liber attinet monasterio Sancti Quirini martyris in Tegernsee, anno Domini MCCCCLXVII comparatus. Contenta: Prima Pars Summe super Sententias magistri Alexandri de Halis de ordine fratrum minorum.* Binis columnis, lin. 54, una manu scriptus. Fol. 1a: *Incipit primus liber Summe magistri Allexandri de Hallis de ordine fratrum minorum etc.;* deinde incipit: *Quoniam sicut dicit Boetius.* Fol. 29-30 se habent ordine inverso, ita ut fol. 30r sit continuatio folii 28v, et fol. 29r continuatio folii 30v. Fol. 294v desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Fol. 295r-300v tabula quaestionum.

34. — *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 15751 (olim Sorbonae 924).* — Membran., mm. 348×240, saec. XIII. Folia 120 et 1 fol. vacuum. Ligatus membrana. Recensetur iam in antiquo catalogo Bibliothecae Sorbonae (1290-1338) his verbis: *Prima pars fratris Alexandri. Incipit in 2° fol.* dinem Dei, *in penultimo* de persona. *Precium C sol.* (Cf. L. Delisle, *Le Cabinet des Manuscrits,* III, p. 30, n. 39). Fol. 1r-1v index quaestionum exaratus a manu omnino diversa ab ea quae textum *Summae* scripsit. Fol. 2v: *Explicit tabula titulorum libri primi Summe dni Alexandri de Halis anno Domini 1373 more romano 14ª die aprilis.* In margine superiori numerus Sorbonae: *924;* infra: *Iste liber est collegii pauperum magistrorum Parisius in theologica facultate studentium. Quicumque delebit hunc titulum delebitur de libro viventium;* deinde alia manu: *precium C sol.;* recenti manu: *Ce MS du 13e siècle contient 1° la Somme d'Alexandre d'Alès, 2° la Bulle d'Alexandre IV de l'an 1255 au Général (!) des Franciscains. Pr. de fontibus;* antiqua manu: *summa quaestionum XXXIX.* Binis columnis, lin. 66, una manu nitide conscriptus, correctiones breves marginales manu primi amanuensis; initiales alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 3a sine titulo incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius* Fol. 120b desinit: *in gratie prima donacione. Omnis spiritus laudet Dominum.* Deinde manu saec. XV: *Nota quod hic deficiunt fere tria folia cum dimidio consequenter ad istam materiam et hoc vidi in libro magne libraric.* In ultima linea eiusdem folii repetitur manu primi amanuensis: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Fol. 120v manu saec. XIV Bulla Alexandri Papae IV: *Alexander episcopus* etc. *Dilecto filio. ministro fratrum Ordinis Minorum* etc. *De fontibus paradisi,* uti eam ex hoc codice edimus supra, p. VII. Explicit: *pontificatus nostri anno 2°.* Deinde: *Explicit copia de verbo ad verbum quam ego habui et tenui et palpavi bullas pape et transcripsi et fuit papa Alexander 4us. Nota litteram Bonaventure anno 1256, eiusdem Alexandri secundo, quia data copie littere officialis est anno 1255 et est copia officialis ex originali bulla pape. Item sic illa in fine: Datum Anagnie nonis octobris pontificatus nostri anno primo.*

35. — *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 3033 (olim Colbertinus 2096, Regius 3837).* — Membran., mm. 330×240, saec. XIII exeuntis. Ligatus carta grossa rubro corio tecta, aureo stemmate Ludovici XIV ornata in utroque tegumento. In dorso: *Summa Alexandri.* Folia 91 et 4 folia insititia in principio. Fol. insititio 2r: *Iste liber est;* deinde alia manu: *Primus Alexandri fr. minoris.* Fol. 3r index: *Incipiunt capitula primi libri.* Numerantur 92, quorum ultimum est, fol. insititio 4v: *An Spiritus Sanctus dicatur mitti ratione augmenti gratie.* Binis columnis, lin. 74, una manu nitide exaratus; initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae usque ad fol. 25v; correctiones a primo amanuensi exaratae. Fol. 1r rubrica: *Incipit primus liber fratris Alexandri.* Manu moderna: *Cod. Colb. 2096, Regius 3837.* Deinde: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 91a (aliud dimidium huius folii abscissum est) desinit: *in gratie prima donacione.* Fol. 91v: *emit ipsum Parisius;* deinde manu saec. XV: *Primus Alexandri 5 solid.*

36. — *Paris., Bibl. Arsenal., cod. 451 (olim 543. T. L.).* — Membran., mm. 340×243, saec. XIV ineuntis. Ligatus assibus membrana viridi tectis. In dorso: *Alexandri de Hales Summa. 451 - T. L. 543.* Folia recenter numerata 215, Fol. 1 vacat. Fol. 2v: *T. L. 543;* deinde alia manu: *215 feuillets. Juin 1877.* Binis columnis, lin. 52, nitide exaratus, breves correctiones manu primi amanuensis. Tituli Quaestionum (80) et articulorum rubro exarantur. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 3a rubrica: *Questio prima de quatuor causis. Incipit primus liber Summe magistri Alexandri de Hales de Ordine fratrum minorum;* deinde: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 213c desinit: *per infinita secula seculorum. Amen. Amen. Amen. Explicit liber primus Summe fratris Alexandri de Hales.* Bis notatur: *Emptus est VI fr. de pecunia collegii.* Fol. 214v manu saec. XIV: *Primus Summe fratris Alexandri de Halis.*

37. — *Rhemis, Bibl. Municipalis, cod. 471 (olim F. 423).* — Membran., mm. 360×252, saec. XIII. Folia 435 et fol. insit. 1. Adsunt tres numerationes: fol. 1-140, fol. 1-156, fol. 1-139. Fol. insititio 1: *Prima pars Summe Alex. de Hales;* et infra: *Iste liber est Oliverii Salah (Adami) doctoris in theologia.* In fine, in fol. agglutinato assi, subscriptio archiepiscopi Guidonis de Roya et infra: *Iste liber fuit de libris bone memorie domini Guidonis de Roya, nuper archiepiscopus* (!) *Rhemensis, qui continet primam partem Summe venerabilis Magistri Alexandri de Alis, in qua prima parte sunt 3es libri. Primus liber 140 f., 2us vero liber continet 155 f. et unum vacuum immediate sequens, 3us autem liber 139 folia continet, et sunt in toto in insto* (!) *volumine 434 folia scripta et unum vacuum post 2um li-brum. Numerata sunt folia per Egidium de Asperomonte die xvij mensis maii anno dni M°CCCC°XII°. Orate Deum pro dicto domino archiepiscopo. Si quis aliquid inde furatus fuerit anathema sit.* Binis columnis una manu nitide exaratus. Fol. 1a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* fol. 140a desinit: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit primus liber Summe Magistri Alexandri.* Fol. 140b et 140v vacant. Deinde sequitur fol. 1a (nova paginatio) - 435v Liber II.

38. — *Romae, Bibl. Vaticana, cod. Ottob. lat. 435.* — Membran., mm. 270×197, saec. XIII-XIV. Fol. 212 et folia insititia cartacea 2 in principio et 1 in fine. Ligatus membrana; in dorso: *Ottob. 435.* Fol. insit. 2r numeri deleti *589, 147* et *R. 9. 50; I. VI. 17;* deinde: *Scotus* (!) *super Magistrum Sententiarum;* infra: *Ex codicibus Ioannis Angeli Ducis ab Altaemps.* Paginatio antiqua j-clxxix, quam recens protrahit 180-212. A variis amanuensibus littera tum gothica, tum cursiva, partim binis columnis, partim sine columnis exaratus. Fol. 1r incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 153d desinit: *et sic intelligendum est suppositum Deus Pater potuit vel* [voluit] *generare. Consequenter queritur de hoc nomine Filius. Circa quod queruntur plura. In primis ergo querendum* (cf. ed. p. 601a, lin. 13). Fol. 154 vacat. Fol. 155r incipit: *Consequenter queritur de hoc nomine Filius.* Fol. 173r desinit: *Ad hoc autem quod sit vera adducit Magister rationes et auctoritates in libro Sententiarum, dist. xvj. Obicit enim sic: Cum enim comparatio* (!) *Dei* [cetera desunt] *sed indivisa sunt* (cf. ed. p. 707b, lin. 29): sic desinit hoc folium. Fol. 173v-174 vacant. Fol. 175-177r: index Libri II. Fol. 177v-178 vacant. Sequuntur fragmenta theologica absque nomine auctoris. Fol. 212v, manu antiqua: *Supplementum M. J. Foreste cuius principale est petia argentea;* infra: *Costa la legatura Iulii dni a di 21 Gennaro 1545.*

39. — *Romae, Bibl. Vaticana, cod. Chigian. lat. B. VII. 109.* — Membran., mm. 348×246, saec. XIV. Folia 180 et folia insititia 2 in principio et 2 in fine. Ligatus carta grossa viridi membrana tecta. In dorso: Stemma Chigi; infra: *Alex. de Hales Sum. Theol. Part. I.;* et infra: *B. VII. 109.* Binis columnis, lin. 58, una manu nitide exaratus cum initialibus et paragraphis alternatim rubris et caeruleis. Foliatio antiqua a fol. 1 ad 119 denis numeris, a fol. 120 usque ad finem ordinatim prosequitur. Fol. insititio 2v manu saec. XVII: *Alexandri de Hales angli Ord. Min. et preceptoris S. Thome de Aquino et S. Bonaventure, qui ob. 1245, Summe Theologice Pars Prima.* Fol. 2a (moderna foliatio) incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 175c desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Fol. 176r-178r index quaestionum. Deinde deletum est: *Iste liber est Iohannis Berroti de Bethone in Sabaudia precii vj scutorum philippi.* Et infra: *Io. b. br.*

40. — *Romae, Bibl. Vaticana, cod. Urbinat. lat. 123 (olim 163).* — Membran., mm. 390×268, saec. XV. Folia 238 (fol. 233bis omissa numeratione) et 2 fol. insit. in principio et 1 in fine. Ligatus pergamena viridi; in dorso: *163 VRB* et stemma gentilicium Alexandri Papae VII. Binis columnis, lin. 58, littera humanistica exaratus. Desunt correctiones marginales. Tituli et paragraphi rubri, initiales maiores alternatim rubrae et caeruleae, initiales maximae auro, variis coloribus floribusque ornatae. Fol. insit. 2v in circulo, floribus ornato, litteris alternatim aureis et caeruleis: *In hoc co | dice contine | tur primus Ale | xandri de Ales | super Sent | entiis.* Fol. 1r ornatur foliis, floribus, geniis, insignibus ac tesseris gentiliciis F[riderici] D[ucis] Urbini. In prima initiali Q imago picta, forse Boethii. Fol. 1a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 233d desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Deinde rubrica: *Prima pars Summe Theologie venerabilis doctoris fratris Alexandri de Ales super Sententiis explicit feliciter.* Fol. 233bis vacat. Fol. 234 rubrica: *Tabula primi libri Summe Theologie super Sententiis venerabilis doctoris fratris Alexandri de Ales incipit feliciter.* Dividitur materia in 20 distinctiones, cum 99 rubro signatis et 518 nigro exaratis subdivisionibus. Fol. 237d rubrica: *Tabula libri primi Summe Theologie venerabilis doctoris fratris Alexandri de Ales super Sententiis explicit feliciter.*

41. — *Romae, Bibl. Vaticana, Musaei Borgiani cod. lat. 374.* — Membran., mm. 248×170, saec. XIV. Ligatus membrana. Fol. 320, binis columnis, lin. 55, a variis scriptoribus exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. In interiori parte tegumenti: *MS* et *M. VII. 12;* parum infra: *Folia 148a-148d et 320 postmodum repperta inserenda curavi an. MCMXX mense maio. I. M.* Fol. 1a-147a Anonymi, *Commentar. in IV libros Sententiarum.* Fol. 148: *Index primi libri Sententiarum Alex. Halensis,* qui dividitur in 20 distinctiones et 516 capitula. Fol. 149r, in marg. superiori, alia manu: *Primus magistri Alexandri.* Fol. 149a incipit: *Quoniam sicut dicit Boecius.* Fol. 320b desinit: *licet magis proprie in gracie prima donacione. | Finito libro sit laus et gloria* [Ch]*risto. Amen. | Explicit primus liber Summe Magistri Alexandri.* Fol. 320v vacat.

42. — *Vindobonae, Bibl. Nation., cod. 1384 (U. 615).* — Membran., mm. 370×240, saec. XIII-XIV. Folia 293 (fol. 13, bis numeratur). A tribus amanuensibus binis columnis, nitide exaratus. Ligatus membrana. Initiales alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 1r (non num.) habet encomium (saec. XV) de quodam magistro Andrea de Weytra, sacrae theologiae professore necnon canonico Ecclesiae S. Stephani Vindobonae, qui hunc codicem librariae Collegii ducalis donavit. Fol. 2r (non num.) in parte superiori: *In hoc volumine continetur primus et secundus fratris*

Alexandri d' Hallis. Fol. 2v (non num.) elenchus quaestionum Primi Libri. Fol. 1 (insititium) tituli Libri I. Fol. 2r elenchus quaestionum Libri II. Fol. 3r-5v capitula Libri II. Fol. 6a incipit: « *Quoniam sicut dicit Boecius* ». Fol. 87v desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Fol. 88a sequitur S. Thomae Aq. *Quaestio de veritate.* Deinde sequitur nova impaginatio et incipit Liber II.

§ 3. — DE INDEPENDENTIA CODICUM.

Quod codices nostri inter se independentes sint, ita quod nullus ex alio sit transcriptus, luculenter desumitur ex sat longis omissionibus, quae singulis codicibus propriae sunt; pro solo codice **P**, cum rarissimae sint in eo longiores omissiones, quasi omnes, etiam breviores, recensere debuimus. Si quis igitur codex exemplar fuit alterius, necesse est ut in codice transcripto eaedem omissiones occurrant quas habet exemplar; quae si postea corrigantur, hoc nonnisi ex alio codice per additionem marginalem vel interlinearem fieri potest. Iamvero multae huiusmodi satis longiores omissiones in nostris codicibus inveniuntur, quae ita singulis propriae sunt quin in aliis occurrant, ne quidem correctae. Harum specimina hic iam sequuntur.

Omissiones solius **P**: 10*d*, 28*h*, 43*g*, 44*x*, 57*q*, 60*c*, 64*d*, 68*u*, 71*u*, 72*o*, 73*t*, 82*d*, 91*f*, 94*h*, 97*m*, 102*t*, 106*k*, 107*g*, *u*, 119a*g*, 121*a*, 127*c*, 130*b*, 134*q*, 154*q*, 176*t*, 180*v*, 183*l*, 184*g*, 188*a*, 190b*d*, 192*e*, 202*a*, *u*, 204*z*, 228*e*, 242*r*, 248*c*, 251*m*, 271*e*, *t*, 274*p*, 277*r*, 278*a*, 279*b*, 305*a*, 309*a*, *e*, 312*n*, 321*h*, 330*r*, 333*k*, 341*d*, *t*, 347*g*, 349*h*, 356b*g*, 357*e*, *o*, 359*e*, 363*e*, 365*n*, 368*u*, 369b*h*, *i*, 373*y*, 377*b*, 378*h*, 390*c*, 391*b*, 397*g*, 420*k*, 422*n*, 423*i*, 426*i*, 432*f*, 436*f*, *o*, 447*n*, 449*m*, 452*f*, 470b*e*, 476*f*, 483*r*, 484*l*, 492*k*, 497*g*, *u*, 499*a*, *g*, *k*, 504*t*, 509*d*, 518*g*, 520b*i*, 525*d*, 526*m*, 531*d*, 535*c*, *i*, 536*b*, *t*, 537*d*, 539*m*, 540*p*, 541*e*, 542*f*, 544*k*, 553a*g*, 554*i*, 557*l*, 560*t*, 563*v*, 573*g*, 575*f*, 578*n*, *s*, 579*o*, 580*t*, 581*e*, *o*, 584*i*, *k*, 587*m*, 591*s*, 595*c*, 598*a*, 600*p*, *v*, 601*c*, 604*g*, 606*g*, *m*, 607*a*, 609*a*, 621*c*, 622*b*, 628*n*, 633*e*, 634*d*, 637*p*, *q*, 639*e*, *k*, 641*q*, 642*h*, 646*a*, 648*g*, 653*o*, 655*k*, 657a*h*, 661*x*, 662*i*, *r*, 664a*l*, *q*, 665a*d*, 665b*a*, *g*, 667*a*, 669*o*, 672*h*, 675*c*, *n*, 678*c*, 681*f*, 686*i*, 693*s*, *t*, 696*g*, 706*k*, 707*c*, 711*h*, 731*a*.

Omissiones solius **V**: 26*b*, 48*b*, 91*m*, 133*g*, 138*c*, 141*m*, 149*t*, 157*c*, 163*a*, 167*s*, 175*f*, 215*q*, 252*y*, 255*g*, 259*r*, 264*m*, 270*l*, 297*x*, 339*g*, 373*o*, 470a*x*, 471*d*, 471*v*, 476*d*, 499*s*, 522*r*, 523*n*, 525*r*, 546*h*, 552*v*, 556*i*, 561*g*, 570*p*, *q*, 572*d*, 574*h*, 576*n*, 580*k*, 586*k*, 588*g*, *s*, 590*u*, 595*h*, 597*b*, *e*, 619*f*, 631*p*, 637*f*, 647*g*, 648*k*, 649*o*, 650*d*, 652*b*, *e*, 653*s*, 656*c*, 659*e*, 664b*l*, 665b*e*, *h*, *i*, 679*h*, 691*c*, 692*g*, 694*h*, 695*c*, *m*, 705*l*, 713*m*, 714*q*, 718*u*, 719*k*, 724*d*, 726a*n*, 731*a*, *h*, 737*o*, 643*f*.

Omissiones solius **S**: 3*k*, 55*s*, 78*d*, 96*h*, 113*o*, 119*c*, 165*c*, 181*n*, 202*f*, 212*o*, 237*k*, 245*g*, *m*, 293*o*, 349*a*, 351*c*, 358*n*, 362*b*, 403*i*, 409*f*, 416*m*, 417a*f*, 422*u*, *x*, 433*r*, 436*z*, 471*f*, 474*i*, 487*k*, 494*o*, 499*s*, 503*n*, 505*b*, *r*, 531*v*, 537*i*, 540*h*, *o*, 549*i*, 551*e*, *n*, 556*r*, 558*o*, 560*i*, 564*i*, 565*c*, 566*d*, *h*, 567*p*, 568*x*, 579*t*, 581*b*, 585*k*, 611*c*, 622*l*, 628*s*, 637*d*, 639*c*, 645*k*, 669*n*, 701*e*, *q*, 715*r*, 728*b*, 742*a*, 745*d*.

Omissiones solius **B**: 22*d*, 28*g*, 32*s*, 64*g*, 67*g*, 100*h*, 107*y*, 127*q*, 133*n*, 142*b*, 151*g*, 166*s*, 203*a*, 234*g*, 245*r*, 265*b*, 271*g*, 352*c*, 383*a*, 387*b*, 435*n*, 450*p*, *q*, 468b*c*, 472*x*, 476*s*, *t*, 481*l*, 483*i*, 494*p*, 501*b*, 518*s*, 531*c*, 535*d*, *e*, 552*s*, 555*e*, 574*g*, 579*r*, 582*h*, 585*b*, *u*, 599*n*, 620*c*, 645*n*, 650*c*, 656*o*, 669*k*, 670a*i*, 673*h*, 679*c*, 731*e*, 733*a*.

Omissiones solius **R**: 24*r*, 32*o*, 47*o*, 75*h*, 92*a*, 114*p*, 116*q*, 117*c*, 121*a*, 173*l*, 180*o*, 213*k*, 218*p*, 270*q*, 347*z*, 373*e*, *g*, *t*, 381*m*, 471*g*, 478*x*, 488*r*, 502*x*, 515*c*, 562*c*, 563*k*, 567*s*, 568*g*, 614*u*, 644*e*, 650*e*, 667*r*.

Omissiones solius **F**: 2*g*, 3*d*, 4*i*, 5*f*, 9*k*, 55*i*, 59*e*, 64*i*, 65*k*, 67*r*, 69*a*, *c*, 70*a*, 90*c*, 91*g*, 94*g*, 96*i*, 105*k*, 116*p*, 117*z*, 118*k*, 140*g*, 145*z*, 158*d*, 211*n*, *u*, 212*d*, 213*x*, 214*e*, 215*b*, 216*r*, 245*b*, 246*v*, 247*a*, 249*x*, 251*g*, 259*i*, 269*v*, 280*f*, 283*p*, 286*m*, 291*d*, 293*l*, 313*t*, 316*n*, 317*c*, 320*g*, 325*u*, 330*n*, 347*s*. A pagina 352 huic codici substitutus fuit codex **G**.

Omissiones solius **G**: 355*d*, 370*r*, 377*q*, 378*t*, 382*m*, 386*t*, *v*, 387*c*, 393*c*, *m*, 397*k*, 399*g*, 402*p*, 411*c*, 423*m*, 424*l*, 427*n*, 428*o*, *t*, 429*o*, 430*l*, 431*l*, 436*p*, 438*e*, 440*o*, 442*q*, 448*q*, 450*c*, 469a*i*, 469b*h*, 475*k*, *n*, 477*r*, 482*q*, 483*q*, *v*, 487*o*, 496*o*, 505*m*, 509a*x*, 510*e*, 514*n*, 516*c*, 517*d*, 541*g*, 544*y*, 546*d*, 549*f*, 551*o*, 553b*c*, 554*q*, 557*b*, 559*g*, 560*n*, 569*g*, 570*h*, 579*d*, 583*p*, 589*s*, *v*, 592*o*, 594a*q*, 597*b*, 599*s*, 601*n*, 602*c*, 607*k*, *r*, 614*l*, 623*o*, 624*t*, 628*k*, *r*, *v*, 637*t*, 638*f*, *p*, 639*m*, 643*g*, *o*, 644*d*, 647*i*, 654*i*, 659*c*, 663*c*, 664b*n*, 666*m*, *u*, 669*n*, *r*, 673*y*, 675*m*, 676*e*, 686*n*, 691*a*, 693*f*, 698a*n*, 699*b*, 700*k*, *x*, 702*e*, *o*, 711*d*, 718*v*, 719*o*, 724*v*, 726a*p*, 728*a*, *e*, *f*, 729*o*, 732b*h*.

Omissiones solius **L**: 19*f*, 161*c*, 186*h*, 189*a*, 234*f*, 239*i*, 251*y*, 361*c*, *h*, 365*c*, 367*g*, 372*d*, 373*p*, 388*g*, 389*q*, 415*c*, 440*q*, 443b*y*, 448*v*, 450*t*, 456*i*, 465*h*, 493b*l*, 499*x*, 503*b*, 534*g*, 553b*m*, 566*c*, 599*n*, 614*d*, *f*, 643*c*, 647*e*, 729*s*, 733*v*.

§ 4. — DE FAMILIIS CODICUM.

Codices nostri in duas series seu familias dividuntur, quarum altera est **PVS**, altera vero **BRLF** vel **BRGL**. Codex autem **S** saepius per correctionem a propria familia recedit ut alteram sequatur; item, in secunda familia codices **BR** non raro a propria serie discedunt quin tamen ad primam accedant. Haec relatio codicum constanter perseverat usque ad num. 514, pag. 734; ab hoc enim loco usque ad finem Libri I codices **RL** saepissime ab aliis omnibus recedunt.

Mutua codicum relatio illico oculis apparet ex sequenti schemate. Quod ut recte intelligatur, haec pauca observanda sunt: a=additio; ai=additio interlinearis; am=additio marginalis; e=expunxit; o=omissio; v=varians lectio; vc=varians lectio post correctionem; - c=codex habuit variantem lectionem, sed per correctionem ad alteram familiam transiit.

Pag.	Var.	Add.	Om.	P	V	S	B	R	L	F
1	*e*	.	.	v	-c	v	.	.	.	.
2	*á*	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	h	.	.	.	.	.	.	.	.	.
		o	.	.	.	.	.	a	a	a
	q	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	t	.	.	.	.	.	.	v	v	v
			u	.	.	.	.	o	.	o
	v	.	.	.	.	.	.	.	v	v
3		*f*	.	.	.	.	.	a	a	a
	i	.	.	v	v	v	v	.	.	.
	n	.	.	.	.	.	v	v	.	.
	r	.	.	.	.	.	v	v	v	v
			s	.	.	.	.	o	o	o
4	*a*	.	.	v	v	.	v	.	o	.
			d	.	.	.	o	o	o	o
	h	.	.	.	v	.	v	.	.	v
		l	.	.	ai	am	.	.	a	a
5			*a*	.	.	.	.	.	o	a
		b	.	.	.	a	.	.	a	a
			h	.	o	.	o	.	.	o
	k	.	.	.	.	vc	.	.	v	v
			p	.	.	.	.	o	o	o
	q	.	.	.	.	.	v	.	v	v
			r	.	.	.	.	.	o	v
	s	.	.	.	.	.	.	v	v	v
7	*g*	.	.	.	.	.	.	v	.	v
	h	.	.	.	.	.	.	.	v	vc
	k	.	.	.	.	.	.	v	.	vc
	m	.	.	.	.	v	vc	.	v	v
	q	.	.	.	.	.	.	v	v	v
8a	*d*	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	i	.	.	.	.	vc	.	.	v	v
8b	*a*	.	.	.	v	.	v	.	.	v
	d	.	.	.	.	.	v	v	.	.
			h	.	.	.	.	.	o	o
		m	.	.	.	.	.	a	a	a
	n	.	.	.	.	vc	.	v	v	a
		o	.	.	.	.	.	.	a	a
			o	.	.	.	o	o	.	.
9			*d*	.	.	o	o	o	o	o
			f	.	.	.	.	.	o	ai
			i	.	.	.	.	o	o	.
			o	.	.	.	.	o	.	o
		p	.	.	a	.	a	.	.	a
	r	.	.	.	.	.	.	v	v	v
	s	.	.	.	v	.	.	.	v	.
10	*a*	.	.	.	.	.	v	v	.	.
		e	.	.	.	.	a	a	a	a
			f	o	.	.	o	.	.	.
	g	.	.	.	.	.	-c	v	.	.
	h	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	m	.	.	.	vc	.	.	.	.	v
11	*b*	.	.	.	.	.	v	v	v	a
		c	.	.	.	am	.	.	a	a
	f	.	.	v	v	.	v	.	o	.
			h	.	.	.	.	.	o	o
			k	.	.	.	o	o	.	.
			l	o	.	o	.	.	.	.
	p	.	.	.	.	a	.	.	a	a
12			*a*	.	.	.	.	o	o	.
			b	.	.	.	o	o	o	o
	c	.	.	.	.	vc	.	.	v	a
		e	.	.	.	am	.	.	a	a
		f	.	.	a	a	.	.	a	.
	g	.	.	.	v	v	.	.	v	.
	k	.	.	.	.	.	.	.	v	v
			m	.	.	.	.	.	o	o
	n	.	.	.	v	.	.	.	.	.
	o	.	.	.	.	.	v	v	.	.
	q	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	r	.	.	.	.	.	.	v	v	.
	v	.	.	v	v	v	.	.	.	.
13a			*a*	o	o	am	.	.	.	.
		c	.	.	.	.	.	.	a	a
		e	.	.	.	.	.	.	a	a
	i	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	k	.	.	-c	v	-c	.	.	.	.
13b	*a*	.	.	v	v	-c	.	.	.	.
		c	.	.	.	.	.	.	a	a
	d	.	.	.	v	.	.	v	v	.
			e	o	o	am	.	.	.	.
		f	.	a	a	e	.	.	.	.
		k	.	e	e	e	a	.	.	.
	o	.	.	.	.	.	v	.	.	v
	t	.	.	.	.	.	v	v	.	.

Pag.	Var.	Add.	Om.	P	V	S	B	R	L	F
14		*e*	.	a	a	e	.	.	.	.
			f	o	o	o	.	.	.	.
			g	.	.	.	o	o	.	.
			n	.	.	.	o	o	.	o
			q	.	.	.	.	.	o	o
		q	.	.	.	am	.	.	a	a
			r	.	.	.	.	.	o	o
		s	.	v	v	v	v	v	.	.
			s	.	.	.	.	.	o	o
		t	.	.	.	am	.	.	a	a
15	*b*	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	d	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	f	.	.	.	.	.	v	v	v	v
			i	.	.	.	o	o	o	o
		k	.	a	a	e	.	.	.	.
16			*c*	.	.	.	o	o	o	o
		d	.	.	.	.	.	.	o	a
		g	.	.	.	.	.	.	a	a
	h	.	.	.	.	.	.	.	v	v
			i	.	.	.	.	.	o	o
	k	.	.	.	.	.	.	.	v	-c
		q	.	.	.	.	.	.	a	a
17		*d*	.	.	.	.	a	a	o	o
			f	.	.	.	o	o	o	o
			g	.	.	.	.	.	o	o
	k	.	.	.	.	.	.	.	v	v
			l	.	.	.	o	.	o	.
18	*f*	.	.	.	.	.	v	v	.	.
	g	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	h	.	.	.	v	v	v	v	.	.
19	*a*	.	.	.	.	.	.	.	v	v
		b	.	a	a	.	.	.	.	ai
		m	.	a	a	.	.	.	.	.
	p	.	.	.	.	.	-c	v	.	.
		v	.	.	.	.	.	a	a	.
		x	.	.	a	.	.	a	.	.
20	*b*	.	.	.	v	.	v	.	v	v
	d	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	g	.	.	.	.	.	v	v	.	.
	h	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	k	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	l	.	.	.	.	.	v	v	v	v
21	*a*	.	.	.	v	.	-c	.	.	v
	b	.	.	.	.	.	a	a	a	a
		c	.	.	.	.	.	.	o	o
		c	.	.	.	.	o	o	.	.
	g	.	.	.	.	.	v	v	.	.
	k	.	.	v	v	.	.	.	.	.
		m	.	.	.	.	o	.	.	.
22		*e*	o	.	.	am	.	.	.	.
			e	.	.	.	o	o	o	o
	f	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	m	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	n	.	.	-c	.	.	v	-c	v	v
23	*b*	.	.	v	.	v	.	.	.	.
		c	.	.	.	.	o	o	.	.
	e	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	g	.	.	.	.	vc	.	.	v	v
	h	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	i	.	.	.	.	.	.	.	v	v
		m	.	o	o	ai	.	.	.	.
24	*b*	.	.	.	.	.	-c	v	.	.
	d	.	.	.	.	.	v	.	v	v
	i	.	.	.	.	.	o	o	.	.
	k	.	.	v	v	-c	v	.	.	.
	l	.	.	.	.	.	v	v	v	v
		n	.	.	ai	o	.	.	.	.
		o	.	.	.	.	.	.	a	a
25	*a*	.	.	.	.	.	ai	o	o	.
	i	.	.	.	.	.	.	o	v	v
	n	.	.	.	.	.	o	o	.	.
	o	.	.	.	.	.	-c	v	.	.
	q	.	.	.	.	.	o	o	o	o
26	*c*	.	.	.	.	.	v	v	.	.
	d	.	.	v	-c	.	.	.	a	a
		g	.	ai	.	.	.	.	a	a
		l	.	.	.	.	.	.	a	a
		o	.	.	.	.	o	o	.	o
	r	.	.	.	vc	.	.	.	v	v
	t	.	.	.	.	v	.	v	.	.
27		*a*	.	.	.	o	o	ai	o	o
	b	.	.	.	-c	.	v	.	v	v
	c	.	.	.	.	.	v	v	.	.
		e	.	.	.	.	a	a	.	.
		f	.	.	.	.	.	.	a	a

Pag.	Var.	Add.	Om.	P	V	S	B	R	L	F
	k	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	m	.	.	.	.	.	v	v	.	.
	n	.	.	.	v	.	v	v	.	.
28		*a*	.	.	.	a m	.	.	a	a
		f	.	.	.	.	.	o	o	o
	m	.	.	.	.	.	.	v	v	v
		o	.	a	e	a	a	a	a	.
	p	.	.	.	.	.	v	v	.	.
		s	.	.	.	.	.	.	o	o
29	*g*	.	.	v	v	¬c	.	.	.	.
	h	.	.	.	v	.	.	.	v	v
		k	.	.	.	.	o	o	o	o
		l	.	.	.	.	.	.	o	o
		m	.	.	.	.	.	.	o	o
30		*c*	.	.	.	.	a	a	.	.
	k	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	m	.	.	.	.	v c	.	.	v	v
	p	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	q	.	.	v	v	v	.	.	.	.
		r	.	.	.	.	.	.	v	v
31			*b*	.	a i	.	o	o	o	.
			c	.	.	.	a m	o	.	.
	d	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	f	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	g	.	.	v	v c	.	.	v	v	.
32	*d*	.	.	.	.	.	.	.	v	v
	e	.	.	.	.	.	v	v	.	.
	g	.	.	.	.	.	.	.	v	v
		m	.	a	e	e	a	a	.	.
	n	.	.	.	.	.	.	.	v	v
		u	.	.	.	.	o	o	.	.
33		*e*	.	.	.	.	.	a m	a	a
	l	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	n	.	.	.	.	.	v	v	v	v
34	*c*	.	.	v	v	.	.	.	.	.
			d	.	.	.	o	o	.	.
		f	.	.	.	a m	.	.	a	a
		g	.	.	.	.	.	.	a	a
35	*a*	.	.	.	.	v c	.	.	v	v
	b	.	.	v	v	.	.	.	.	.
	c	.	.	.	.	v c	v c	.	v	v
	e	.	.	.	.	.	v	.	v	v
		f	.	.	o	.	o	.	.	.
	g	.	.	.	.	.	v	.	v	v
		i	.	.	.	.	o	o	o	o
		m	.	.	.	.	o	o	o	o
		n	.	.	.	.	o	o	o	.
		o	.	.	.	o	.	.	o	o
	q	.	.	.	.	.	.	.	v	v
36		*a*	.	.	.	.	.	.	a	a
	c	.	.	.	.	.	.	.	v	v
			d	.	.	.	a i	o	.	.
			i	.	.	.	.	.	o	o
39			*a*	.	.	.	o	o	o	o
	c	.	.	v	v	v	.	.	.	.
		d	.	.	.	.	a	a	.	.
40		*a*	.	.	.	.	a	a	a	a
		g	.	.	.	a m	a m	.	a	a
		h	.	a	a	a	.	.	.	.
		i	.	.	.	a i	.	.	a	a
	m	.	.	.	v	v	.	.	.	.
54			*c*	o	o	o	.	.	.	.
			e	o	o	a m	a m	a m	.	o
55	*a*	.	.	v	v	.	.	.	.	.
		c	.	.	.	.	a	a	.	.
			e	.	.	.	.	.	o	o
		h	.	.	.	a m	a	e	.	.
	n	.	.	v	v	- c	.	.	.	.
	p	.	.	.	.	.	v	v	.	.
	t	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	u	.	.	v	.	.	.	.	v	.
102			*b*	.	.	.	.	.	o	o
	f	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	g	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	h	.	.	.	.	.	v	v	.	.
		i	.	a	a	a	.	.	.	.
	o	.	.	.	.	.	v	v	.	v
	q	.	.	v	v	v	.	.	.	.
		s	.	a	.	a	.	.	.	.
200	*a*	.	.	.	.	.	v	v	v	v
			c	o	o	o	.	.	.	.
			d	.	.	.	.	.	a m	o
	e	.	.	v	v	v	.	.	.	.
300a	*b*	.	.	v	v	v	.	.	.	.
			d	.	.	.	o	o	o	o

Pag.	Var.	Add.	Om.	P	V	S	B	R	G	L
400			*a*	o	a i	a i	.	.	.	.
		d	.	a	a	e	.	.	.	e
			f	o	o	o	.	.	.	.
	g	.	.	.	.	.	.	v	v	v
			h	.	.	.	.	o	o	.
	m	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	n	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	s	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	u	.	.	.	.	.	v	v	v	.
		y	.	.	.	.	a	a	a	a
			x	o	o	a i	.	.	.	.
500			*b*	.	.	.	o	o	o	.
	c	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	g	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	i	.	.	.	.	.	v	v	v	v
		l	.	.	.	.	a	a	a	.
	r	.	.	.	.	.	o	o	o	.
	t	.	.	o	o	o	.	.	.	o
	y	.	.	.	.	.	o	o	o	o
600		*b*	.	.	.	.	a	a	a	.
	r	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	r	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	s	.	.	v	.	.	.	.	v	.
		s	o	.	o	o	o	o	o	.
		t	.	.	.	.	a	a	a	.
700		*c*	.	v	.	v	.	.	.	.
		g	.	a	a	a	.	.	.	.
			h	o	.	o	.	.	.	.
			h	.	.	.	o	o	o	o
			n	o	o	a i	.	.	.	.
			p	o	o	a m	.	.	.	.
	q	.	.	v	v	v	.	.	.	.
			t	o	o	o	.	.	.	.
			u	.	.	.	o	o	o	o
	x	.	.	v	v	v	.	.	.	.
			y	.	.	.	o	o	o	o
734			*a*	.	.	.	o	o	.	.
			c	.	.	.	o	o	.	.
			h	.	.	.	o	o	o	.
			i	.	.	.	o	o	.	.
	k	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	m	.	.	.	.	.	- c	v	v	v
			o	.	.	.	o	o	o	o
			q	o	o	a m	o	.	.	o
735	*b*	.	.	v	v	v	v	.	.	.
			c	o	o	o	o	.	.	.
			f	.	.	.	.	o	.	o
	h	.	.	.	.	.	.	v	.	v
			q	.	.	.	.	o	.	o
		r	.	.	a	a	a	e	.	a
736		*a*	.	.	.	.	.	a	.	a
	b	.	.	.	v	v	.	.	.	.
	c	.	.	.	.	.	- c	.	v	v
			f	o	o	a m	o	.	o	.
	h	.	.	v	v	- c	v	.	v	.
			i	o	o	a m	o	.	o	.
	k	.	.	.	.	.	.	v	.	v
	l	.	.	v	v	v	v	.	v	.
	o	.	.	.	.	.	.	v	.	v
	p	.	.	v	.	.	v	.	v	.
	r	.	.	.	.	.	.	v	.	v
737	*a*	.	.	v	v	v	v	.	v	.
			b	o	o	o	o	.	o	.
		d	.	a	a	a	a	.	a	.
			f	a i	o	.	.	.	.	.
	i	.	.	v	v	v	v	.	v	.
	k	.	.	.	v	.	.	.	v	.
	m	.	.	v	v	v	v	.	v	.
	p	.	.	v	v	v	v	.	v	.
	q	.	.	.	.	v	.	.	v	.
		s	.	.	a	.	a	.	.	.
750a	*a*	.	.	v	.	.	.	.	v	.
			d	o	o	o	o	.	a i	.
	e	.	.	v	v	v	v	.	v	.
	g	.	.	v	v	v	v	.	v	.
	h	.	.	v	v	v	v	.	v	.
			k	o	o	o	o	.	o	.
750b			*b*	o	o	a m	o	.	o	.
			e	o	o	a m	o	.	o	.
	f	.	.	v	v	v	v	.	v	.
	h	.	.	v	v	v	v	.	v	.
	i	.	.	v	v	- c	v	.	v	.
	l	.	.	v	v	v	v	.	v	.
751	*a*	.	.	v	v	- c	v	.	v	.
	b	.	.	v	.	v	v	.	.	.

§ 5. — DE INTEGRITATE TEXTUS.

Codices nostri textum Libri I integrum, si pauca excipias, habent prout hic editur. Duae tamen omissiones solito longiores in nonnullis notandae sunt. Pag. 356a in codd. BRL deest solutio argumenti 2, scilicet *Ad illud Apoc. 3 . . . Gentium intraret,* in G est additio marginalis. Item, pag. 493b sq. PVSBG omittunt solutiones particulares ad obiecta, nempe *Ad illud ergo quod obicitur . . . ponitur 'erat';* R illam omissionem illico in ipso textu reparavit, L eam correxit per additionem marginalem. Haec eadem deficiunt in aliis pluribus codicibus quos inspeximus, inter quos antiquus ille Bibl. Paris. Nation. cod. lat. 15750, quem Gerardus ab Abbatisvilla († 8 nov. 1271 vel 1272) Collegio Sorbonae testamento legavit (cf. § 2, n. 16).

Totum ultimum Membrum huius Libri I, scilicet *De missione visibili* (a pag. 734 usque ad 751), penitus omittitur in octo codicibus supra descriptis sub numeris 9, 10, 12, 24, 27, 34, 35, 41 et desinentibus in verbis: *licet magis proprie in gratiae prima donatione.* In codice lat. Bibl. Paris. Nation. 15750 amanuensis haec quidem in prima transcriptione omisit, sed ea per quaternium supplementare postea adiunxit, uti supra diximus. In codice lat. Bibl. Paris. Nation. 15751 (cf. § 2, n. 34) haec etiam omittuntur, sed manu saec. XV illico post textum adiungitur: *Nota quod hic deficiunt fere tria folia cum dimidio consequenter ad istam materiam et hoc vidi in libro magne librarie.* Codex Florentinus Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 24, Dext., cod. 3 (cf. § 2, n. 12) illud etiam omittit, sed manu saec. XV notatur: *tria quodlibeta deficiunt tantum.* Pro cod. Bononiensi A. 920 cf. § 2, n. 18.

§ 6. — DE BONITATE TEXTUS.

Textus huius Libri I satis bene conservatus per varias transcriptiones ad nos pervenit. Singulae tamen familiae codicum non ita raros nec ita leves habent errores, immo et ipsa unanimis lectio omnium codicum varios errores tum per omissiones, tum per additiones, tum per erratam lectionem nobis transmisit. Horum quidem communium errorum pars quaedam originem ducere potest ab ipso auctore, qui eos non advertit vel lapsu calami praeter intentum commisit. Quod luculenter confirmatur ex doctissimorum virorum autographis quae ad nos pervenerunt. Ast longe maxima pars utique repetenda est ab errore amanuensis, qui primus ex autographo hoc opus transcripsit cuiusque apographum ceteris amanuensibus in multiplicandis codicibus immediate vel mediate exemplar fuit. Quomodo enim alias explicari posset omnes codices in eisdem praecise locis eodem modo errasse? Si autem unum solum apographum admittatur a quo ceteri omnes directe vel indirecte dependeant, illico omnia obvia fiunt errorumque communium fons detegitur. Quod autem ab uno apographo omnes alii codices alicuius operis originem habeant nulli mirum videbitur qui usus noverit stationariorum libros per amanuenses transcribi curantium. Eorum utique, utpote soli lucro ex librorum commercio intendentium, intererat autographi litteram, lectu difficilem et non raro scriptura illa quae *inintelligibilis* dicitur exaratam, semel transcribere atque iuxta hoc primum apographum ceteros deinde, quotquot pro commercio necessarii erant, codices exarare. Hoc quidem apographum sedulo corrigi solitum fuisse non dubitamus, ast et ipsi correctori non raro errorem effugisse nemo est qui miretur.

Sequitur iam elenchus 177 locorum, ubi errata visa est lectio omnium codicum, ideoque reiecta: 2*l*, 7*l*, 8a*g*, 9*h*, 10*p*, 11*i*, *r*, 13a*g*, 13b*p*, 16*f*, 19*h*, 23*f*, 25*k*, *l*, 29*c*, *f*, 30*g*, 31*i*, 41*m*, 44*d*, *p*, 45*h*, 46*q*, 49*b*, 50*n*, 56*e*, 62*c*, 69*l*, 71*l*, 73*o*, 76*m*, 86*l*, 93*g*, 94*a*, 95*c*, 97*l*, 107*s*, 111*d*, 120*e*, 126*r*, 140*i*, 145*c*, 147*e*, 152*l*, 154*h*, 155*h*, 157*b*, 161*o*, *p*, *z*, 166*i*, 169*a*, *i*, *m*, *o*, 170*a*, *i*, 177*g*, 178*i*, 182*c*, *d*, 184*b*, 103*f*, *g*, *o*, *u*, 194*f*, 195*h*, 197*k*, *x*, 199*i*, 205*f*, *n*, 219*d*, 221*q*, 223*x*, 234*t*, *x*, 236*n*, 237*i*, 240*l*, *p*, 252*v*, 261*c*, 284*a*, 287a*k*, 288*c*, 292*e*, 294a*a*, 295*r*, 296*b*, 298*x*, 307*ỳ*, 309*i*, 310a*o*, 310b*d*, 316*o*, 320*e*, 323*l*, *s*, 344*g*, 345*c*, 347*i*, *k*, 360*i*, 372*n*, 323*d*, 374*r*, 394*l*, 399*i*, *p*, 404*e*, 415b*m*, 417b*n*, 427*a*, 435*l*, 438*d*, 441*d*, 448*d*, 451a*a*, 455*q*, 457*m*, 461*k*, 463a*m*, 474*k*, 479*v*, 486a*p*, *r*, 486b*k*, 497*b*, 498*g*, 501*k*, 505*f*, 509a*x*, 512*l*, 517*b*, 526b*d*, 560*y*, 562*h*, 563*l*, 564*f*, 566*f*, *p*, 581*s*, 586*l*, *m*, 599*a*, 613*q*, 614*t*, 617*a*, 620*i*, 626*l*, *o*, 630*m*, 647*b*, 652*i*, 653*g*, 654*n*, 664a*p*, 664b*p*, 673*g*, 679*b*, 680*g*, 682*r*, 683b*k*, 684*d*, *h*, 696*e*, 704*o*, 715*t*, 717*a*, 721*l*, 727*m*, 737*u*, 740*b*.

Forsan quis mirabitur toties reiectam fuisse codicum lectionem. Huic respondisse sufficiat in solis duobus primis libris *Summae contra Gentiles,* iuxta autographum S. Thomae novissime editis (Romae 1918), qui multo minoris sunt molis quam Liber I *Summae* nostrae et quorum tantum fragmenta autographi habentur, non minus quam 49 vicibus ipsius S. Thomae autographi lectionem, ut *casu erratam,* a doctissimis editoribus reiectam fuisse. Quid si integrum habuissent!

Praeter errores omnibus codicibus nostris communes singula quoque familia eorumdem proprios eosque evidentes atque satis frequentes habet tum per erratas lectiones, tum per indebitas additiones vel omissiones, uti in schemate supra posito (p. XXII sq.) iam illico patet. Propterea in constituendo textu huius Libri I impossibile nobis fuit unam familiam prae altera ut normam fixam stabilemque eligere, immo aliquoties, textu ipso cogente, uni tantum codici, eoque correcto, fides adhibenda fuit, ceterorum lectione penitus reiecta.

Cum autem omnium codicum deficiens vel erroneum inventum fuerit testimonium, nos ipsi genuinam lectionem proponere nisi sumus, errata lectione inter notas reiecta, prudenter tamen et hac summa artis criticae regula ducti: praeprimis ipse contextus valet sensusque ab auctore intentus. Si quid autem, ad textum recte conficiendum, litterae addere necesse fuit, illud uncis quadratis [ ] inclusimus.

Insuper, cum non pauci errores ex prava oriantur interpretatione abbreviationum, ideo in variantibus lectionibus

notandis modo scribendi, in codicibus usitato, inhaesimus, ut ea ratione origo percipiatur errorum. Alii autem frequentes id genus errores, quorum causam quivis, vel parum in veterum scripturis edoctus, facile intuetur, sunt sequentes:

adhuc	pro	*ad hoc*
affectu	»	*effectu*
aliqua	»	*alia*
aliquid	»	*aliud*
circa	»	*contra*
cogitatio	»	*cognitio*
communio	»	*communicatio*
concupiscentie	»	*commune*
creare	»	*causare*
cui	»	*tibi*
dicitur	»	*Dei*
distinctio	»	*diffinitio.*
erat	»	*erit*
esse	»	*omne*
et	»	*in* vel *id est.*
hec	»	*hoc* vel *hic*
huius	»	*huiusmodi*
imago	»	*imaginatio*
in	»	*iij*
ipse	»	*Christus*
monere	»	*movere*
nature	»	*iustitie*
nisi	»	*ubi*
nobis	»	*vobis*
non	»	*enim* vel *nunc* vel *vero*
nota	»	*notitia* vel *natura*
per	»	*secundum*
perceptio	»	*participatio*
perducit	»	*producit*
prepositio	»	*propositio*
quando	»	*quoniam*
quod	»	*quid* vel *quia*
relevatio	»	*revelatio*
sed	»	*scilicet* vel *secundum* vel *si*
sui	»	*sive*
tamen	»	*tantum* vel *cum*
unum	»	*unde* vel *verum*
vel	»	*ut*
voluit	»	*noluit.*

§ 7. — DE OPERIS TITULO.

Ex descriptione codicum supra posita (p. XII sqq.) sequentia de titulo, quo vocatur opus Alexandri, eruere licet. Praemittendum autem ducimus nos ea tantum codicum testimonia hic allaturos quae manu antiqua exarantur, neglectis penitus inscriptionibus quae in dorso vel in foliis insititiis moderniori manu scripta inveniuntur.

Codices 14 nullum prorsus titulum habent, nempe codd. **PSRF** (cf. sub nn. 5, 7, 6, 2) et ii quos supra descripsimus sub numeris 10, 11, 14, 16, 18, 23, 27, 31, 35 et 42.

In 17 codicibus vocatur simpliciter *Summa* absque ullo addito, nempe in codd. **VGL** (cf. § 2, nn. 8, 3, 4) et in iis supra descriptis sub numeris 13, 15, 17, 19, 20, 21, 22, 24, 28, 29, 32, 34, 36 et 37.

Tres codices scriptum Alexandri appellant opus *Super Sententias*. Sic in cod. Assisiensi 105 (cf. § 2, n. 9) intitulatur *Primus et Secundus Sententiarum Mag. Alexandri de Hales;* in cod. Florent. Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 24, Dext., n. 3 (cf. § 2, n. 12): *Super Primum Sententiarum;* in cod. Ottob. lat. 435 (cf. § 2, n. 38): *Scotus* (!) *super Magistrum Sententiarum.*

In aliis 8 codicibus promiscue occurrit titulus *Summa* et *Super Sententias*. In codice B (cf. § 2, n. 1) intitulatur: *Prima pars Summe questionum super Sententias;* in Florent. Bibl. Laurent. cod. Fesulan. 129 (cf. § 2, n. 26), in fine indicis: *Finis rubricarum primi libri de Summa fratris Alexandri de Halis,* deinde in initio textus: . . . *liber primus super Sententiarum* (!), tandem in fine operis: *Explicit primus liber de Summa editum* (!) *ab Alexandro de Halis.*

In codice Monacensi lat. 6493 (cf. § 2, n. 30) in rubrica ad initium operis: *Incipit primus liber Summe* etc.; ad finem textus: *Et sic est finis huius primi libri Sententiarum summata* etc. In cod. Monacensi lat. 18052 (cf. § 2, n. 33) in fol. insititio 1: *Prima pars Summe super Sententias* etc.; ad initium operis: *Incipit Primus liber Summe* etc.

In codice Cracoviensi, Univ. Jagell. 1189[1] (cf. § 2, n. 25) in tegumento anteriori: *Allexander de Halis super Sententiarum* (!); fol. 1r in margine superiori: *Prima pars Summe de Theologia Alexandri de Hallis.* In cod. Vatic. Urbin. lat. 123 (cf. § 2, n. 40) tum: *primus Alexandri de Ales super Sententiis,* tum: *Prima pars Summe Theologie . . . super Sententiis.* In codice Vat. Mus. Borgian. lat. 374 (cf. § 2, n. 41) tum: *index primi libri Sententiarum Alex. Halensis,* tum: *Explicit primus liber Summe Magistri Alexandri.*

In solo codice Vat. Chigian. lat. B. VII, 109 (cf. § 2, n. 39) manu saec. XVII: *Summe Theologice Pars Prima.*

Apud coaevos Alexandri opus eius nunquam alias citatur quam sub titulo *Summa*. Sic in bulla Alexandri Papae IV, (cf. p. VII sq.); item apud S. Bonaventuram, *Opp. omnia,* II, 2; item, teste Rogero Bacone (*Op. min.,* ed. Brewer, *Fr. Rog. Bacon op. quaedam hactenus inedita,* London 1859, I, 326) « *vocatur Summa fratris Alexandri* ». Apud alios autem posteriores auctores saepe citatur ut *Scriptum super Sententias*. In antiquioribus autem Bibliothecarum catalogis tum *Summa,* tum *Super Sententias* nominatur.

Ex iis erui potest, ut iam doctissimus notavit Em. Franciscus Card. Ehrle, *Hist. Bibl. Rom. Pont. tum Bonif. tum Avenion.,* I, Romae 1890, 495, nota 737, quod « Alexander de Hales commentationes *Sententiarum* non reliquit; at eius *Summa Theologiae* in antiquis librorum titulis atque indicibus haud raro *scriptum in libros Sententiarum appellatur* ». Unde patet errasse tum Quétif-Echard, *Script. Ord. Praed.,* I, 497a, Lutetiae Paris. 1721, dum asserunt quod ipsa *Summa* Halensis « nihil aliud est quam eius in *Sententias* commentarius », tum Sbaraleam, *Supplem. ad Script. trium Ord. S. Franc.,* Romae 1918, parte I, p. 18sq., dum probare nititur, solis catalogis Bibliothecarum fisus, Alexandrum praeter *Summam* etiam commentum super quatuor libros *Sententiarum* P. Lombardi composuisse.

§ 8. — DE DIVISIONUM TITULIS.

In editionibus hucusque factis opus Alexandri dividitur in *Partes* quatuor. In antiquis autem inscriptionibus codicum a nobis inspectorum divisio appellatur vel *Liber* vel *Pars* vel utrumque; et notandum quod non curamus de annotationibus factis in foliis insititiis, sed solum de rubricis quae ante vel post textum inveniuntur. In 8 codicibus nulla divisio indicatur, nempe in cod. **P** (cf. § 2, n. 5) et **S** (cf. § 2, n. 7) et in iis quorum descriptio invenitur supra, § 2, sub num. 12, 14, 18, 27, 31 et 38. In aliis 6 codd. adhibetur divisio in *Partes*, scilicet in codd. descriptis sub num. 17, 20, 25, 28, 32, et 40. In 20 codicibus, iisque generatim antiquioribus, dividitur in *Libros*, nempe in codd. **F, L, R, V** (cf. § 2 nn. 2, 4, 6, 8) et in iis qui veniunt sub num. 9, 11, 15, 16, 22, 24, 26, 28, 30, 33, 34, 35, 36, 37, 41 et 42. Utraque appellatio, scilicet *Liber* et *Pars*, occurrit in codd. **B** et **G** (cf. § 2, nn. 1 et 3) et in cod. descripto sub n. 29.

In prologo generali, in initio Libri III posito, opus quidem dividitur in quatuor *Partes*, ast in Libro II, ubi prima pars huius operis citatur, adhibetur appellatio *Liber*, ut ibi videbimus.

In nominandis autem divisionibus quaesitorum quae singulis Libris occurrunt, maior est diversitas. Editiones quidem antiquae Libros huius operis dividunt in *Quaestiones*, easque in *membra*, *articulos* et *paragraphos* subdividunt. Codices autem vel nullam vel omnino diversam habent divisionem. Codd. **L** (cf. § 2, n. 4), Assisiensis 105 (cf. § 2, n. 9) et Bononiensis (cf. § 2,n. 18) Librum I dividunt in *Distinctiones* 30; cod. Urbin. lat. 123 (cf. § 2, n. 40) in *Distinctiones* 20, quarum subdivisiones solo numero notat; cod. Vat. Mus. Borgian. lat. 374 (cf. § 2, n. 41) in *Distinctiones* 20 et has in 516 capitula; codex Ottob. lat. 435 (cf. § 2, n. 38) dividit in *Distinctiones* et has in capitula; codex **R** (cf. § 2, n. 6) in 10 *Distinctiones* et has in 183 *Quaestiones*. Alii dividunt in *Quaestiones* 20 (cf. § 2, n. 3), 74 (cf. § 2, n. 29), 80 (cf. § 2, n. 13 et 30), 84 (cf. § 2, n. 31 et 33), 133 (cod. **B**, cf. § 2, n. 1), 420 (cf. § 2, n. 14). Cod. **S** (cf. § 2, n. 7) dividit in *Quaestiones* 20 et has in capitula.

Hae autem divisiones potius arbitrario modo factae sunt nec ullo modo primaevae structurae operis correspondent, quae quidem perpulcra est.

Si autem ipsius Alexandri citationes examinemus, alias divisiones reperimus, quarum praecipuas afferre liceat.

Pag. 44b: *dictum est supra, ultimo capitulo Inquisitionis de cognitione Dei;*

p. 60a: *dictum est in Quaestione de cognitione Dei;*

p. 107a: *ostensum est in Quaestione de incommunicabilitate aeternitatis;*

p. 133a: *illud ad Quaestionem de incarnatione eius reservamus;*

p. 140a, 141a, 163b: *in Quaestione de unitate;*

p. 146b: *in Quaestione sequenti manifestabitur;*

p. 171a: *supra, Quaestione de aeternitate;*

p. 241b: *plenius inquiretur in Tractatu de legibus et praeceptis;*

p. 241b: *explicabitur in Tractatu de angelis;*

p. 280: *supra, Quaestione de bonitate;*

p. 281b: *in Tractatu de praedestinatione et reprobatione et voluntate;*

p. 295a: *supra, in Quaestione de praescientia;*

p. 298a: *supra, in Quaestione de permissione voluntatis divinae;*

p. 337a: *in Quaestione de praedestinatione;*

p. 354b: *in Problemate praecedenti;*

p. 362b: *in Tractatu de potentia;*

p. 375b: *in Quaestione de reprobatione;*

p. 386a: *in Tractatu de bono;*

p. 401b: *ex praedictis, Quaestione de veritate;*

p. 404b: *Quaestione de bono ... et Quaestione de signis voluntatis divinae, Quaestione de permissione;*

p. 469a, 620a: *Quaestione de processione Spiritus Sancti;*

p. 501a, 507b, 593b, 634a: *Quaestione de numero personarum;*

p. 505b: *Quaestione de ordine divinarum personarum;*

p. 506b: *Quaestione de veritate divinarum personarum;*

p. 513b: *Quaestione de divina essentialitate et Quaestione de bonitate;*

p. 515a: *in Quaestione de generatione aeterna, capitulo Utrum convenit generare vel generari;*

p. 523b, 548a: *Quaestione de bonitate;*

p. 544b: *Quaestione de bonitate et iterum supra, in Quaestione de hoc nomine 'essentia';*

p. 564b: *Quaestione de doctrina Theologiae, quaestione ultima, et supra, Quaestione de nominibus divinis in generali;*

p. 579b: *Quaestionibus de veritate personarum et Quaestionibus de numero personarum;*

p. 584a, 589a, 591a: *Quaestione de persona;*

p. 591a: *Quaestione superiori, de suppositione personae;*

p. 601a: *determinabitur infra, Tractatu de fide humanitatis, Quaestione de nativitate temporali Christi;*

p. 642b: *Quaestione de iis nominibus 'similis et aequalis';*

p. 645: *Quaestione de generatione aeterna;*

p. 646b: *Inquisitione de potentia, Quaestione de comparatione intentionis potentiae ad intentionem scientiae et voluntatis, et iterum Inquisitione de processione Spiritus Sancti, Quaestione an Spiritus Sanctus procedat per modum amoris aut sapientiae;*

p. 685b: *in Quaestione de numero notionum;*

p. 687: *Tractatu de nominibus propriis personarum;*

p. 699b: *in tertio Problemate;*

p. 701b: *Quaestione de persona;*

p. 703b: *in secundo Problemate;*

p. 707: *in sequenti Problemate;*

p. 719b: *in Tractatu de processione Spiritus Sancti.*

Ex iis videtur nec ipsum Alexandrum ita stricte divisiones suas eodem semper titulo, immo eamdem quaestionem variis nominibus appellare. Verbi gratia, dicit p. 280: *supra, Quaestione de bonitate,* ast alibi idem citans, p. 386a: *in Tractatu de bono;* item, p. 281b: *in Tractatu de praedestinatione,* ast p. 337a: *in Quae-*

stione de praedestinatione; item, p. 362b: *in Tractatu de potentia,* ast p. 646b: *Inquisitione de potentia;* item, p. 646b: *Inquisitione de processione Spiritus Sancti,* ast p. 719b: *in Tractatu de processione Spiritus Sancti.*

Quibus sic stantibus, unusquisque videt impossibile nobis fuisse appellationes istas adeo indeterminatas ut normam fixam admittere, ubi tot divisiones et subdivisiones occurrebant proprio nomine designandae. Quapropter retinuimus quidem nomina titulorum quibus utitur Alexander, ut sunt *Inquisitio, Tractatus, Quaestio* etc., iis tamen alia adiungere necesse fuit ut structura operis clare ante oculos poneretur.

Cum autem ex hac divisione quam, textui ipsius auctoris innitentes, admisimus, citationes ex opere Alexandri nimis longae et intricatae evaderent si per integrum omnes divisiones et subdivisiones referendae essent, ideo singula quaesita *Summae* numero marginali progressivo signavimus, quo facilius quam prius citationes fieri possent. Verbi gratia, si citandum est quaesitum *Quis sit effectus providentiae* — quod occurrit in hoc Libro I, parte I, inq. I, tract. V, sect. II, quaest. III, tit. I, cap. VIII, art. I — sufficiet notare: *Alex. Hal., Summa Theol., lib. I, num. 208.*

Tandem ut citationes ex veteribus editionibus hucusque factae faciliter in nostra editione inveniantur, in indice quaestionum, ad finem huius voluminis posito, notavimus concordantiam editionis Coloniensis anni 1622. Eo modo omnem difficultatem e medio sublatam esse censemus.

§ 9. — DE UNITATE COMPOSITIONIS.

Huius Libri I apparet unitas tum in concipiendo structuram generalem, tum in varias multasque eius divisiones et subdivisiones ordinando et coordinando. Tractatus introductorius, agens de doctrina Theologiae et de cognitione Dei, ab ipso auctore ut exordium quoddam proponitur totius materiae tractandae. In fine enim Quaestionis de doctrina Theologiae ipse asserit (p. 13b): « In hunc ergo modum terminatur haec quaestio quae est sicut exordium sequentis inquisitionis ». In principio autem Quaestionis de cognitione Dei dicit (p. 14): « Huius rei gratia praeponimus quaestionem de cognitione Dei quae potest haberi ab homine in hac vita, ut manifesti sint termini inquisitionis circa essentiam beatissimae Trinitatis ». In fine autem eiusdem Quaestionis idem repetens ait (p. 36b): « Et in hunc modum terminatur haec quaestio de cognitione Dei per naturalem rationem ad cognoscendum terminos inquisitionum circa divinae substantiae Unitatem et Trinitatem ».

Deinde ad materiam propriam accedens, proponit Libri I divisionem in duas *partes* (p. 39), scilicet « prima de ipsa re, quae est Unitas Trinitatis, ordinata ad credulitatem cordis, secunda de nominatione ordinata ad confessionem oris ». Primam iterum partem in duas dividit *Inquisitiones* (p. 39), quarum altera aget « de substantia divinae Unitatis », altera vero « de pluralitate divinae Trinitatis ». In prima Inquisitione tractanda proponit decem, de quibus omnibus reapse fuse in hoc Libro agitur. Secundam Inquisitionem aggrediens, ante omnia nexum inter hanc et primam ipse aperte exponit (p. 413): « Post inquisitionem eorum quae pertinent ad divinam essentiam, cum omni veneratione et modestia procedamus ad inquisitionem eorum quae pertinent ad declarationem divinarum personarum ». Hic proponit tractanda quinque, quae deinde ad unguem evolvuntur.

Terminata Parte prima, secundam aggreditur, praemittens nexum inter hanc et illam (p. 491): « Inquisitis in praecedentibus iis quae spectant ad fidem divinitatis et Trinitatis, procedimus ad inquisitiones eorum quae pertinent ad confessionem eiusdem sacratissimae Unitatis et Trinitatis ». Deinde tractanda proponit tria, scilicet de divinis nominibus in generali (pp. 493-510), de eisdem in speciali (pp. 511-751), tandem colligere intendit nominum differentias. Duae primae inquisitiones perfecte hic evolvuntur; tertia autem, si eam ut inquisitionem intendit specialem, deest, ast certo materia huius in duabus praecedentibus tota continetur.

Ex iis iam satis dilucide apparet unitas totius huius Libri I, quae maior adhuc elucet si singulorum Tractatuum et Quaestionum examinentur divisiones et eorum nexus ad praecedentia. Maxime autem evincitur ex frequentissimis citationibus quibus ipse auctor ad proprium opus remittit, quarum plures iam supra attulimus (cf. p. XXVI). His si eas adiungas ubi auctor utitur formula generaliori, v. g. *ut dictum est supra, ut infra declarabitur* etc., invenimus auctorem non minus quam 350 vicibus ad proprium opus remittere, quibus si addas locos ad quos nos ipsi in notis remisimus, adhuc magis elucebit operis unitas. Prae ceteris notatam volumus auctoris citationem, in Quaestione *De nominibus symbolicis* (p. 564b). Hanc quaestionem non evolvit, sed solum remittit ad initium huius Libri, dicens: « Dubitabilia circa partem istam determinantur supra, Quaestione de doctrina Theologiae, quaestione ultima », id est p. 12b, num. III.

Haec iam abunde sufficiant ut Libri I unitas compositionis demonstretur.

Adicere liceat quaedam de delineatione totius *Summae,* id est Librorum IV, in hoc Libro I contenta. Delineatio quidem totius operis ponitur in prologo Libri III, sed etiam in Libro I generali quodam modo iam adumbratur. In fine enim Quaestionis de doctrina Theologiae (p. 13b) legitur: « Ex praedictis manifestum est quod doctrina Theologiae est de substantia Dei efficiente per Christum opus reparationis. Ideo partes primae inquisitionis theologicae sunt circa excellentiam divinae sublimitatis [quae est materia Libri I], consequentes vero sunt de Christo [Lib. III] et pertinentibus ad opus reparationis » [Lib. II et IV].

Quinimmo in Libro I iam ter remittitur *expresse* ad Librum II, scilicet p. 116a: « Istud reservabimus inquirendum, cum quaeretur de conditione rerum »; item, p. 238, ubi agitur de derivatione potentiarum creatarum a Deo: « Et haec amplius discutientur suis locis »; item, p. 241b: « Hoc plenius explicabitur in Tractatu de angelis ». Ad

Librum III quater remittitur, scilicet p. 133a: « Illud ad quaestionem de incarnatione eius [Christi] reservamus »; item, p. 241b: « Hoc plenius inquiretur in Tractatu de legibus et praeceptis »; item, p. 318b: « Determinabitur infra, De incarnatione Christi »; tandem, p. 601a: « Determinabitur infra, Tractatu de fide humanitatis, Quaestione de nativitate temporali Christi ».

Coronidis gratia hic afferre lubet S. Bonaventurae verba, quae summi momenti sunt non solum pro authenticitate, sed etiam pro divisione, totius operis Alexandri. In *Praelocutione* ad lib. II (*Opp. omnia*, II, 1) ita dicit: « Quemadmodum in primo libro sententiis adhaesi et communibus opinionibus magistrorum et potissime magistri et patris nostri bonae memoriae fratris Alexandri, sic in sequentibus libris ab eorum vestigiis non recedam ». Deinde parum infra, postquam praemisit octo opiniones Petri Lombardi, duas nempe ex singulis *Sententiarum* libris, communiter non teneri, prosequitur S. Bonaventura (loc. cit., II, 2): « Et licet fortassis aliquis eum in aliquibus harum opinionum sustineat, verumtamen pater et magister noster bonae memoriae frater Alexander in nulla harum ipsum sustinuit, sed potius contrarium sensit, cuius vestigiis praecipue inhaerere propono ». Ex iis luculentissime apparet S. Bonaventuram prae manibus habuisse et ut genuinam agnovisse *Summam* Alexandri in quatuor Libros divisam.

§ 10. — DE METHODO A NOBIS SERVATA.

Quae supra, variis locis, de methodo in hac editione servata iam diximus, hic summatim colligere liceat et alia pauca breviter addere.

1) De veteribus editionibus nil curandum duximus. Cf. supra, p. XIb.

2) Nulla familia codicum prae alia ut regula fixa textus constituendi eligi potuit, sed ipse contextus sensusque ab auctore intentus nobis in seligendis codicum lectionibus summa fuit regula. Cf. supra, p. XXIVb.

3) Necesse fuit novam quaestionum distributionem admittere, cum divisiones quas praebent veteres editiones saepius non correspondeant textui ipsius auctoris. Concordantia cum editione Coloniensi anni 1622 ponitur in fine huius voluminis. Cf. supra, p. XXVIIa.

4) In citandis S. Scripturae textibus auctor capitula tantum affert, nunquam autem versiculos. Hos in textu, minoribus tamen litteris, posuimus, ne notulae ad imam paginam nimis augerentur.

SECTIO II. — De doctrina libri I *Summae* historice considerata.

§ 1. — ALEXANDRI HALENSIS RELATIO AD AUGUSTINISMUM SCHOLAMQUE S. VICTORIS.

1. Alexander Halensis in conscribenda *Summa Theologica* doctrinas philosophicas et theologicas a S. Augustino, S. Anselmo et schola Sancti Victoris praecipue excogitatas et iam in academiis Medii Aevi usu receptas, fidelissime amplectitur. Etenim decursu saeculorum, sapientia christiana motu quodam progressivo in synthesim organicam sese constituerat, ut videre est praesertim in libro *De Trinitate* S. Augustini, in *De fide orthodoxa* Ioannis Damasceni, in Summis *De Sacramentis* et *De Trinitate* Hugonis et Richardi a S. Victore, in quatuor libris *Sententiarum* Petri Lombardi et in aureis opusculis, *Monologion* et *Proslogion*, S. Anselmi [1]. Ad ulteriorem autem progressum, non parum iuvaminis scholae dialecticae necnon et alii Magistri celebriores istius temporis, inter quos eminent Praepositinus a Cremona († 1217) et Guillelmus Altissiodorensis († 1231), praestiterant [2]. Quasi fructus uberrimus istius intensae speculationis et quasi praeambulum, maiestate eminens, ad synthesim ulteriorem et definitivam augustinismi, a S. Bonaventura et Card. Matthaeo ab Aquasparta elaborandam, extat *Summa Theologica* Alexandri Halensis. In hoc praecise consistit huius operis momentum doctrinale quod ex una parte thesaurum antiquae sapientiae authentice servans fideliterque transmittens, totam scholam Franciscanam Medii Aevi cum philosophia, theologia ac mystica priorum saeculorum arctissime nectit, et ex altera parte ei propriam et characteristicam imprimit directionem, ita ut per saecula in via sanctorum Augustini et Anselmi magistrorumque S. Victoris potius incedat schola Franciscana, quin tamen ab illa prudens doctrinae aristotelicae usus excludatur.

2. Iam ipso saeculo XIII summum hoc momentum operis Alexandri Halensis recte observatum fuit. In epistola enim quam die 1 iunii 1285 ad episcopum Lincolniensem scribebat Ioannes Peckham, O. F. M., archiepiscopus Cantuariensis, haec leguntur [3]: « Quae sit solidior et sanior

---

[1] Recte E. Gilson, *La philosophie de Saint Bonaventure*, Paris 1924, 468, de summis post S. Bernardum scriptis ait: « De telles œuvres témoignent amplement, et elles témoigneront de plus en plus irréfutablement à mesure qu'elles auront été mieux étudiées, de l'intense vitalité que manifeste la pensée chrétienne vers la fin du XIIe siècle et le début du XIIIe. Bien loin de nous apparaître comme un chantier désordonné occupé par des équipes d'ouvriers anarchiques et impuissants à construire, elle nous apparaît comme résolument engagée dès l'époque des Victorins dans la voie qui conduit à S. Bonaventure. D'inspiration essentiellement théologique, elle utilise, sans fausse honte, la terminologie ou même la doctrine d'Aristote, mais sous la condition expresse que jamais aucun de ses principes constitutifs ne viendra se substituer à ceux de l'augustinisme dans l'édifice légué par la tradition ».

[2] M. Grabmann, *Die Geschichte der scholastischen Methode*, Bd. II: *Die scholastische Methode im 12. und beginnenden 13. Jahrhundert*, Freiburg im Breisgau 1911.

[3] C. Martin, *Registrum epistolarum fratris Ioannis Peckham*, London 1885, III, 896-902.

doctrina vel filiorum Beati Francisci, sanctae scilicet memoriae fratris Alexandri ac fratris Bonaventurae et consimilium, qui in suis tractatibus, ab omni calumnia alienis, sanctis et philosophis innituntur, vel illa novella, quasi tota contraria, quae quidquid docet Augustinus de regulis aeternis et luce incommutabili, de potentiis animae, de rationibus seminalibus inditis materiae et consimilibus innumeris, destruit pro viribus et enervat, pugnas verborum inferens toti mundo ». Insuper S. Bonaventura [1], augustinismo tam profunde addictus, non solum attestatur se adhaesisse « communibus opinionibus magistrorum et potissime magistri et patris nostri bonae memoriae fratris Alexandri », immo in Praelocutione ad Librum II *Sententiarum* sese defendit contra illos quibus videbatur ipsum a sententiis eius deviasse. Haec testimonia sufficienter attestantur quod iam saeculo XIII opus Doctoris Irrefragabilis ut summa augustinismi traditionalis habitum fuit.

3. Hoc idem praeclare ostendunt etiam fontes generales ab Alexandro Halensi adhibiti. Etenim in unaquaque materia, constanti quadam praeoccupatione, Doctor Irrefragabilis illos scriptores copiosissime citat qui, initio saec. XIII, ut auctoritates primariae in Scholis habebantur. Qua ex ratione provenit quod documentatio patristica et litteraria Alexandri Halensis opulentissima sit et cuique legenti Librum I huius *Summae* quamdam admirationem ingerat [2]. Fere omnes Patres latinos citat, auctores Graecos non omittens. Ex iis praesertim magni facit auctoritatem Ioannis Damasceni [3], cuius nomen circa 144 vicibus recurrit in hoc Libro I; insuper saltem 18 vicibus ad diversas doctrinas libri *De fide orthodoxa* clare alludit; plura etiam quae docet de cognitione Dei, de praedestinatione, de voluntate divina, praecipue de divinis nominibus [4], ab isto S. Doctore derivant, ita ut pauci Scholastici doctrinam Damasceni tam extensive in scholis divulgaverint. Attamen Alexander Halensis ut fontes principales adhibet, unacum Boethio et Dionysio, illos auctores quorum doctrinae, summa cum fidelitate interpretatae, augustinismum Medii Aevi constituerunt, scilicet S. Augustinum, S. Anselmum, Hugonem ac Richardum a S. Victore. S. Augustinus fere in omnibus quaestionibus citatur; sexaginta septem scripta S. Doctoris genuina vel olim ei attributa in hoc Libro I adducuntur. In primis frequentissime occurrunt libri *De Trinitate*, deinde liber *Confessionum*, opus *De Genesi ad litteram* et libri *De civitate Dei*. Inde apparet Doctorem Irrefragabilem illis operibus S. Augustini prae ceteris uti, quae a S. Bonaventura ut fontes principaliores augustinismi designantur in sua *Epistola de tribus quaestionibus* [5]. Insuper in aliquibus particularibus quaestionibus illa opera S. Augustini afferuntur quae specialius ad istam materiam spectant. Sic in quaestione *De cognitione Dei in via* [6] allegat epistolam ad Paulinam, *De videndo Deo*, ita ut illam quasi totaliter sibi appropriet [7]. Non minus fideliter Doctor Irrefragabilis scripta S. Anselmi adhibet, praesertim *Monologion*, *Proslogion* et dialogum *De veritate;* recte igitur dici potest quod specialis veneratio Doctorum Franciscalium saec. XIII erga hunc S. Doctorem ab ipso procedit [8]. Quod attinet ad Richardum a Sancto Victore, patet ex ipso textu *Summae*, principaliter in tractatu *De processione Spiritus Sancti* [9], Doctorem Irrefragabilem huius opus *De Trinitate* diligentissima volvisse manu, ita ut in cathedra Studii Parisiensis Fratrum Minorum novo splendore fulserit celeberrima illa Schola S. Victoris [10].

4. Quanti influxus isti fontes fuerint in doctrinam Alexandri Halensis constituendam manifeste apparet ex multis *Quaestionibus* quae fere totaliter ex textibus Augustini, Anselmi, Richardi a S. Victore, Boethii et Dionysii conflantur, quasi ad modum libri *Sententiarum* Petri Lombardi. Sic plures quaestiones tractantes *De cognitione Dei in via ex parte cognoscibilis* ex citationibus Augustini mixtim cum textibus Richardi a S. Victore, Gregorii Magni, Ambrosii conficiuntur [11]. Similiter omnes quaestiones *De cognitione Dei in via ex parte cognoscentis*, fere ad litteram ex Augustino, Ambrosio, Hugone a S. Victore, Ioanne Damasceno et Boethio derivant [12]; inquisitio *De medio cognoscendi Deum per gratiam fidei* [13] pro magna parte textibus Augustini *De videndo Deo* constat. Insuper, argumenta ab Alexandro Halensi allata ad existentiam Dei statuendam, nullo modo ei propria sunt, sed omnia quasi ad verbum ex Richardo a S. Victore, Damasceno, Hugone a S. Victore, Anselmo et Augustino proveniunt [14]. Celeberrima quaestio, *An sit proprium divinae essentialitati non posse cogitari non esse*, ex textibus

---

[1] *Opp. om.*, II, 1-3. Cf. supra, p. XXVIIIa.

[2] Th. de Régnon, S. J., *Etudes de théologie positive sur la Sainte Trinité*, 2e serie: *Théories scolastiques*, Paris 1892, II, 355-356. Cl. auctor loquens de *Summa* Alexandri Halensis ait: « On y voit l'intention d'élargir le cadre de la théologie, en interrogeant la tradition, non plus seulement dans S. Augustin et quelques latins, mais dans tous les docteurs de la catholicité ». Idem iudicium fert Dr. A. Stöckl, *Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, Mainz 1865, II, 326: « Abgesehen von Aristoteles, seinen Commentatoren und anderen ältern Philosophen und Schriftstellern des heidnischen Alterthums, kennt er alle lateinischen Kirchenväter und übergeht in seinem Werke fast keinen derselben; auch die griechischen Väter sind ihm zum grössten Theile bekannt, und auch die Ansichten der vorzüglichsten theologischen Schriftsteller des eilften und zwölften Jahrhunderts werden von ihm bei geeigneten Anlässen berücksichtigt und erwogen. So nimmt er in jeder Beziehung eine hervorragende Stellung in seiner Zeit ein ».

[3] Cf. de Régnon, l. c., 356: « Alexandre apprécie surtout Saint Damascène. Il le cite souvent, et comme un auteur d'exceptionnelle autorité ».

[4] Cf. num. 333, 344, 369, 373, 384 etc.

[5] *Opp. om.*, VIII, 335.

[6] Num. 8, p. 14 sqq.

[7] Cf. J. Auriault, *De la connaissance de Dieu d'après Alexandre de Halès*, in *Revue de l'Institut catholique de Paris*, Paris 1903, VIII, 390. Loquens de fontibus Alexandri Halensis ait: « Il avait sous les yeux une lettre de S. Augustin à Pauline, qui porte le titre de *Livre sur la vision de Dieu*, et où, après lui, toute la scolastique devait puiser les éléments du traité. Aucun n'en a fait une analyse plus complète que Alexandre de Halès ».

[8] Cf. A. Daniels, O. S. B., *Anselmzitate bei dem Oxforder Franziskaner Roger von Marston*, in *Theologische Quartalschrift*, Tübingen 1911, 35-59.

[9] Num. 304 et sqq.

[10] Cf. de Régnon, l. c., 343.

[11] Cf. num. 8, p. 15; num. 10, p. 18; num. 12, p. 21; num. 13, p. 22.

[12] Cf. num. 14-20, p. 23-30.

[13] Cf. num. 22, p. 32-34.

[14] Num. 25, p. 40-42.

S. Anselmi unice texitur [1]. Si agatur de attributis divinis, res saepissime non aliter habetur. Sufficit hic breviter notare quod quaestiones, ista methodo confectae, inveniuntur passim in tractatu de incircumscriptibilitate Dei [2], de proprietatibus aeternitatis [3], necnon de eius comparatione ad tempus [4], de veritate divinae naturae [5], de bonitate [6], de omnipotentia [7], de scientia [8], de providentia [9] et de voluntate [10]. In tractatu de SS. Trinitate etiam plures quaestiones extant quae pro notabili parte ex densis citationibus Augustini et Richardi a S. Victore conficiuntur [11]: sic, inter alias, quaestio *De veritate personarum divinarum* [12]. Idem omnino frequentius observari potest in inquisitione *De divinis nominibus*. Pluries accidit quod una quaestio quasi ex integro ex diversis textibus unici auctoris conflatur, vel Augustini [13] vel Richardi a S. Victore [14] vel Boethii [15] vel Dionysii [16] vel Ioannis Damasceni [17], aliquoties vero ex citationibus duorum triumve Patrum, ut Damasceni et Dionysii [18], Augustini et Hilarii [19], Boethii ac Augustini [20], Richardi a S. Victore et Boethii [21]. Sic Liber I *Summae Theologiae* Alexandri Halensis, in sua universalitate consideratus, in monumentis traditionis catholicae firmissimum fundamentum habet et ad illos fontes primarios augustinismi authentici immediate et abundanter attingit.

5. His dictis facile intelligitur quod Alexander Halensis fidelissime amplectatur illam traditionem theologicam et philosophicam quae a S. Augustino et sequacibus eius originem habet. Quod S. Augustinum attinet, hoc omnino evidens est, si inter alia considerantur ea quae docet *Summa* de relatione divinae voluntatis ad malum [22], de Verbo [23], de Dono [24], de nominibus appropriatis in divinis [25] et de missione [26]. Revera generalis doctrina Doctoris Irrefragabilis in fontibus supra citatis resolvitur, ita ut difficile videatur sententias alicuius momenti indicare quae ab ipsis non proveniant. Quapropter, historia doctrinarum et diversarum Scholarum saeculi XIII spectata, opportunius erit solum aliquas sententias breviter proponere quae Alexandrum Halensem discipulum Augustini, Anselmi et scholae S. Victoris necnon ducem Scholae Franciscanae speciali titulo ostendunt [27].

Ad hunc finem in primis notare oportet quae docet Alexander Halensis de natura doctrinae theologicae, in quaestione introductoria *Summae*. Etenim secundum ipsum, theologia, quae etiam considerat res inferiores « magis secundum illud quod habent de deiformi [28] », proprie est sapientia. Hoc constat non solum quia est cognitio causae causarum, sed praesertim quia « movet affectionem ad bonitatem [29] », et est quaedam cognitio secundum gustum [30]. Ita expresse loquitur Alexander Halensis: « Theologia, quae perficit animam secundum affectionem, movendo ad bonum per principia timoris et amoris, proprie et principaliter est sapientia [31] ». « Est duplex praesentia Dei: in visu et in gustu. Et secundum hoc, est cognitio videntis in lumine et gustantis in tenebris: et talis est cognitio fidei in qua absens est visui et praesens gustui [32] ». Ex isto conceptu sequitur quod modus quo traditur Sacra Scriptura non est proprie modus scientiae speculativae [33]. Eadem ratione, Theologia plus acquirit certitudinis ex pio affectu quam ex intellectus speculatione [34]. « Est enim certitudo speculationis et est certitudo experientiae; praeterea, est certitudo secundum intellectum et est certitudo secundum affectum; item est certitudo quoad animum spiritualem et est certitudo quoad animum animalem. Dico ergo quod modus theologicus est certior certitudine experientiae, certitudine quoad affectum, quae est per modum gustus, in Psalmo: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua* etc., quamvis non certior quoad speculationem intellectus, quae est per modum visus » etc. Sic in theoria sua de cognitione religiosa, Alexander Halensis nullo modo elementum affectivum negligit [35], sed potius perseveranter inculcat. Hoc magni momenti est, quia influxum Augustini manifeste revelat

---

[1] Num. 27, p. 44-45. Cf. num. 108, p. 169; num. 459, p. 654.
[2] Num. 39, p. 63.
[3] Num. 61-65, p. 89-99.
[4] Num. 71, p. 110.
[5] Num. 87-101, p. 138-159.
[6] Num. 102, 103, p. 160-163; num. 119, p. 187; num. 121, p. 189-191.
[7] Num. 136-138, p. 208-213. Cf. num. 146, p. 225; num. 158, p. 239; num. 162, II, p. 243.
[8] Num. 176, 177, p. 260-262.
[9] Num. 196-200, p. 285-291; num. 201-203, p. 293-295.
[10] Num. 281, p. 388-390; num. 283, p. 399-402.
[11] Cf. num. 307, p. 443; num. 308, p. 446; num. 310, ad 6-16, p. 450; num. 311 p. 452; num. 319, p. 468.
[12] Num. 312, p. 454-458.
[13] Num. 344, p. 509; num. 457, p. 652.
[14] Num. 349, p. 517.
[15] Num. 397, p. 586.
[16] Num. 367, p. 544.
[17] Num. 333, p. 492.
[18] Num. 368, p. 545.
[19] Num. 395, p. 582.
[20] Num. 340, p. 503.
[21] Num. 387, p. 570. Eodem modo Alexander Halensis theologos coaevos, praesertim Praepositinum a Cremona et Guillelmum Altissiodorensem, excerpsit. Hoc pluries accidit in tractatu *De divinis nominibus*, in quaestionibus ex magna parte mere logicalibus.
[22] Num. 283-286, p. 399-406.
[23] Num. 419-427, p. 610-619.
[24] Num. 430-433, p. 622-625.
[25] Num. 448-461, p. 640-658.
[26] Num. 495-518, p. 697-751.
[27] De relatione doctrinali Alex. Halensis et S. Bonaventurae in tractatu de Deo Trino egregie tractat passim A. Stohr, *Die Trinitätslehre des heiligen Bonaventura*, I, Münster 1923.
[28] Num. 113, p. 178a.
[29] Num. 1, *Solutio*, p. 2.
[30] Ibid.: « Notandum quod est scientia perficiens cognitionem secundum veritatem; est etiam scientia movens affectionem ad bonitatem. Prima est ut cognitio secundum visum, et ideo debet dici scientia absoluta; secunda, ut cognitio secundum gustum, et ideo debet dici sapientia a sapore affectionis, secundum quod dicitur Eccli. 6, 23: *Sapientia secundum suum nomen est* »
[31] Ibid.
[32] Num. 19, sub *Respondeo*, p. 29. Cf. num. 5, ad 2, p. 9.
[33] Num. 4, ad 2, p. 3.
[34] Num. 5, sub *Respondeo*, p. 9. Cf. ibid. ad 1 et num. 23, ad 3, p. 35: « Ad tertium quod obicit quod "nihil est homini certius sua fide" distinguendum est: quod est certitudo secundum speculationem intellectus, quae est per modum visus, et est certitudo secundum sensum affectus, quae est per modum adhaerentiae, voluntatis scilicet vel amoris. Et hoc secundo modo intelligitur "nihil est certius homini sua fide", non primo ». Cf. M. Hauzeur, *Collatio totius theologiae*, Augustae Eburorum 1646, I, p. 10.
[35] Non absque momento est notare quae docet Alexander Halensis circa cognitionem bonitatis creatae quae in entibus reperitur: « Ordinatio creaturae, quae est a causa ut sit secundum causam, est rectitudo quae est veritas; debita ordinatio a causa ut sit ad causam, est rectitudo quae est bonitas. Prima percipitur intelligentia mentis, secunda vero sentitur affectu voluntatis ». Num. 89, ad 11, p. 145.

et viam patefacit, ut recte notavit R. Seeberg [1], prioribus Magistris ex Ordine Minorum.

6. Non minus fideliter altissimis speculationibus Augustini et Anselmi adhaeret Doctor Irrefragabilis in quaestione de cognitione Dei. Revera, secundum ipsum, Deus cognoscitur per viam causalitatis ex contemplatione rerum sensibilium; saepe saepius illud affirmat Alexander Halensis [2], provocans explicite ad verba S. Pauli, in Ep. ad Rom.: « Dicendum », ait ipse [3], « quod creatura medium est ad cognoscendum Deum secundum quod habetur cognitio Dei per habitum acquisitum per experientiam sensibilium ». « In praesenti per effectus cognoscimus ipsum, secundum quod dicitur Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei* etc. » [4]. Attamen non secus ac S. Bonaventura [5], Matthaeus ab Aquasparta [6] et Guillelmus de la Mare [7], etiam aliam viam perveniendi ad Deum agnoscit Doctor Irrefragabilis. Saepe enim legerat verba ista Hugonis a Sancto Victore: « Deus notitiam suam ab homine sic ab initio temperavit, ut sicut nunquam 'quid esset' poterat comprehendi, nunquam 'quia esset' poterat ignorari [8] »; insuper similia verba Ioannis Damasceni sibi erant nota [9]. Quapropter attente distinguens inter cognitionem Dei 'quia est' et 'quid est' [10], et inter cognitionem in actu et in habitu [11], Alexander Halensis docet quod cognitio Dei in mente rationali ita impressa est ac tanta evidentia fulget ut existentia Entis Primi, etiam gratia non influente [12], ignorari non possit nec de ea, praeter fidem, notitia certior habeatur [13]. Diffuse disserit Doctor de ista cognitione Dei naturali [14], semper illam secernens a cognitione Entis Primi per viam causalitatis [15]. Inter alia, haec quae sequuntur profert [16]: « Dicendum quod est cognitio de Deo duplex: cognitio actu, cognitio habitu. Cognitio de Deo in habitu naturaliter nobis impressa est, quia ipsa naturaliter est in nobis habitus impressus, scilicet similitudo primae veritatis in intellectu, quo potest conicere ipsum esse et non potest ignorari ab anima rationali. Cognitio vero in actu duplex est. Una est cum movetur anima secundum partem superiorem rationis et habitum similitudinis primae veritatis superiori parti rationis impressum, eo modo quo recolit suum principium per hoc quod videt se non esse a se. Et hoc etiam modo non potest ignorare Deum esse in ratione sui principii. Alia est, cum movetur anima secundum partem inferiorem rationis, quae est ad contemplandas creaturas. Et hoc modo potest non cognoscere Deum esse;... aliis autem modis non ». Itaque tanta est veritas divini esse ut non possit cogitari non esse; quod Alexander, duce Anselmo, fuse exponit [17]. Hac via tamen Deus non cognoscitur perfecte, sed tantum sub ratione communi, ut ens summum, bonum, verum [18]. Illius impressae ac evidentis notitiae ratio ultima est in hoc quod anima est imago Dei [19]. Revera ad mentem Augustini et Anselmi nil melius dici poterat [20].

7. Non aliter ac praecipui theologi saec. XIII ineuntis, scilicet Guillelmus Parisiensis, Robertus Grosseteste et Thomas Eboracensis [21], O. F. M., exemplarismum S. Augustini Alexander Halensis ample proponit et sustinet. Ipse enim interfuit et subscripsit condemnationi ab Episcopo Parisiensi latae anno 1241, ubi inter alios errores reprobata fuit ista propositio: « Multae sunt veritates ab aeterno quae non sunt Deus [22] ». Ut iam recte observaverat cl. Duhem [23] et infertur ex ipso textu *Summae* [24], haec condemnatio traditionalem doctrinam de ideis exemplaribus in mente divina contra falsas interpretationes directe tuebatur. Quo ex facto satis intelligitur diligentia qua Doctor noster hanc materiam aliasque quaestiones connexas tractat. Fundamentum speculationis eius videtur esse quod « ipsa divina natura de sua potestate habet similitudinem, non quae sit a creaturis, sed magis

---

[1] *Lehrbuch der Dogmengeschichte*[3], Leipzig 1913, III, 327: « Die Auffassung Alexanders von der theologischen resp. religiösen Erkenntnis ist für die ganze ältere Franziskanerschule massgebend geworden ».

[2] Num. II, sub *Respondeo*, 20b-21a; num. 15, ad 2, p. 25; num. 17, ad 2, p. 28; num. 18, ad 2, p. 29; num. 21, ad 2, p. 32; num. 72, *Solutio*, p. 72; num. 295, ad 6, p. 418; num. 333, sub *Respondeo*, p. 493; num. 335, sub *Respondeo*, p. 496.

[3] Num. 24, ad 3, p. 36.

[4] Num. 11, sub *Respondeo*, p. 21.

[5] Cf. Gilson, l. c., p. 119sqq.

[6] Doctrinam augustinismi iste auctor clarissime proponit in suo inedito *Quodlibeto* IV, q. 7: *Utrum intellectus humanus possit Deum cognoscere*, quod habetur Tuderti, Bibl. Comun., cod. 44, fol. 217v-218r. Distinctione facta inter cognitionem comprehensivam et apprehensivam, pergit dicens: « Ad istam cognitionem multis modis, multis viis ascenditur. Primo per naturalem impressionem, quoniam hoc ipso quod imago Dei est, habet sibi impressam notitiam Dei; unde Ioannes Damascenus, lib. I, cap. 1: " Cognitio existendi Deum naturaliter nobis impressa est ". Secundo, per rationalem manuductionem, prout ductu creaturarum gradatim ascenditur in cognitionem Creatoris, sicut dicit Apostolus, Rom. 1: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas*, et hoc per comparationem vel per ablationem, sicut docet Augustinus, VIII *De Trinitate*, cap. 6. Tertio, per inspirationem et fidei illustrationem » etc.

[7] *Com. in Sent.*, I, d. 8, q. 1: *An ita conveniat Deo veritas essentiae ut non possit cogitari non esse*; hoc opus ineditum habetur Florentiae, Bibl. Nation., Conv. Sopp., cod. A. 2. 727, fol. 17r. Maximi momenti est alia quaestio inedita: *Utrum Deum esse sit articulus fidei*, probabilissime eidem auctori attribuenda, quae invenitur etiam Florentiae, Bibl. Nation., Conv. Sopp., cod. B. 6. 912, fol. 2v.: valde accedit ad doctrinam et stilum S. Bonaventurae.

[8] Cf. num. 14, sub *Respondeo*, p. 23.

[9] Num. 346, *Solutio*, p. 513.

[10] Num. 14, *Solutio*, p. 24.

[11] Num. 24, sub *Respondeo*, p. 36.

[12] Num. 14, p. 33.

[13] Num. 24, ad 3, p. 36; num. 16, ad 3, p. 44.

[14] Num. 14, p. 23; num. 24, p. 35; numm. 26-27, p. 43-45; num. 108, p. 169; num. 345, p. 513.

[15] Num. 464, sub *Respondeo*, p. 665: « Notio Dei dicitur uno modo creatura, in quantum eius effectus per eam, sicut medio extrinseco, cognoscitur; Dyonisius: " Ipsa apparentis mundi operatio est et invisibilium Dei propositio ". Alio modo dicitur species veritatis menti rationali impressa, qua sicut similitudine vel specie cognoscitur. Et iis duobus modis notio dicit quid creatum vel concreatum » etc. Cf. num. 345, ad 2, p. 513.

[16] Num. 26, *Solutio*, p. 43. Cf. A. Daniels, O. S. B., *Quellenbeiträge und Untersuchungen zur Geschichte der Gottesbeweise im dreizehnten Jahrhundert* (*Beitr. Baeumker*, VIII, fasc. 1-2) 1909, p. 137.

[17] Ibid.; cf. num. 27, p. 44.

[18] Num. 26, ad 3, p. 44.

[19] Num. 26, *Solutio*, p. 43; num. 8, ad 5, p. 16; num. 36, ad 5, p. 60; n.409, *Solutio*, p. 602.

[20] Cf. I. Endres, *Geschichte des mittelalt. Philos.*, München-Kempten, 97 sq.

[21] Cf. *Sapientiale*, Florentiae, Bibl. Nation., Conv. Sopp., cod. A. 6. 437, fol. 32r-37r.

[22] Num. 92, p. 148.

[23] *Le système du monde*, Paris 1917, V, 339-340.

[24] Num. 92, ad 3, p. 148.

ad creaturas [1] ». Ex hoc infertur quod omnium rerum ideae sunt in mente divina [2]: quod ad scientiam divinam [3] et partim ad providentiam [4] explicandas multum confert. Haec tamen pluralitas idearum nullum detrimentum summae divinae unitati affert, quia « nihil aliud est dicere 'ideas plures' quam exemplar plurium [5] ». Fons earum est Pater, sed in Verbo resultant: « Filius enim Dei speculum dicitur, Sap. 7, 26: *Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula*. Et dicitur speculum, non ad similitudinem speculi exterioris, sed interioris, scilicet imaginis quae est in anima hoc modo: ut intelligatur Pater primus fons formarum in sua essentia; ista eadem potest considerari ut est in Filio habente istas formas a Patre et ut a Patre resultant in Filio, et secundum hoc potest dici Filius speculum, non quia aliquid resultet in eo a creatura, sed quia resultant in eo rationes aeternae a Patre... Ibi leguntur et repraesentantur omnes formae sive rationes viventes et aeternae [6] ». Quapropter Verbum tenet rationem medii inter Patrem, id est « facientem non ab alio et factum [7] », et est « fons sapientiae creatae, id est ordinis rationalis qui est in rebus creatis [8] ». Ex hoc directe infertur impossibilitas aeternitatis mundi: « Mundus enim archetypus praecedit mundum sensibilem et natura sive origine et aeternitate, hoc est durationis immensitate, et ideo impossibile est mundum sensibilem coaequari mundo archetypo in duratione, quia immenso nihil comparabile aut aequale invenitur [9] ».

8. Istius doctrinae consequentias deducens, Alexander frequentissime inculcat omnes res ad analogiam primi exemplaris factas esse [10]. Verbum quidem aeternum unice est « expressa similitudo Dei Patris [11] », et « expressio similitudinis convenit soli Filio [12] », tamen creatura est etiam « aliquantula similitudo », sed « non expressa [13] ». Triplicem impressionem sive vestigium Trinitatis omnis fert in se creatura: « Causa enim divina est causa in triplici genere causae: efficiens, formalis ut exemplar, finalis. Quae quidem causalitas, cum sit communis toti Trinitati, appropriatur ut causa efficiens Patri, exemplaris Filio, finalis Spiritui Sancto. Secundum hoc, esse in creatura quod fluit a causa, triplicem sortitur impressionem, ut in conformatione ad causam [14] » etc. In ista conformitate ad Deum, omnis veritas entium radicatur [15]. Ad differentiam vero aliarum rerum, anima non est mere vestigium Dei, sed potius eius imago, « secundum memoriam, intelligentiam et voluntatem quae sunt in mente [16] », quam assimilationem gratia magis expressam reddit [17]. Ratione huius intimae proprietatis est capax Dei [18], immo et immortalis [19]. Licet haec doctrina ad sublimem synthesim S. Bonaventurae [20] non accedat, faciliter tamen ibi percipitur influxus profundus S. Augustini necnon et Seraphici Doctoris systematis delineatio [21].

9. De theoria illuminationis seu cognitione in rationibus aeternis nonnisi breviter tractat Alexander Halensis in Libro I *Summae*, quia circa tempus in quo scribebat, unanimis videtur fuisse consensus Doctorum in sententia S. Augustini. Mentem suam in primis aperte ostendit, cum celebriores textus Augustini, *De libero arbitrio* [22], *Contra Faustum* [23], *Soliloquiorum* [24], *De vera religione* [25] et *De videndo Deo* [26], qui tam frequenter in praesenti materia a S. Bonaventura et Matthaeo ab Aquasparta citantur, ipsemet allegat et ex illis propriam sententiam efformat. Praeterea, tenet illud a Scholasticis communiter receptum, scilicet quod veritas intellectus humani in Deum aliquo modo refundi debet. Etenim, ut cl. P. Ignatius Jeiler, O. F. M., recte adnotavit [27], Alexander Halensis « distinguit veritatem, quae fundatur super essentias rerum creatarum, a prima veritate ». De hac dicit [28]: « Veritas rei dicitur duobus modis. Uno modo, secundum quod dicitur "indivisio esse et quod est"... Alio modo, secundum quod veritas dicitur ab

---

[1] Num. 163 ad *a* et *e*, p. 246; ibid. *Solutio*, p. 245. Cf. Scholion in S. Bonav., I. *Sent.*, d. 35, a. 1, q. 2, (I, p. 607); Baur, *Die Philosophie des Robert Grosseteste* (*Beitr. Baeumker*, XVIII, fasc. 4-6) 1917, 249.

[2] Num. 175, p. 258; num. 176, p. 260.

[3] Num. 167, p. 249. Cf. num. 250 sub *Respondeo* p. 342.

[4] Num. 199, *Solutio*, p. 290.

[5] Num. 80, p. 130. Cf. num. 245, ad 5, p. 337.

[6] Num. 257, sub *Respondeo*, p. 349.

[7] Num. 425, p. 618. Cf. num. 422, p. 613.

[8] Num. 420, ad 1, p. 612.

[9] Num. 64, ad 2, p. 96. Cf. num. 426, p. 618.

[10] Num. 21, sub *Respondeo*, p. 32; num. 57, *Solutio*, p. 85; num. 132, p. 202; num. 314, p. 460; num. 347, p. 514; num. 355, p. 527; num. 366, p. 542; num. 388, p. 572; num. 417, p. 608.

[11] Num. 422, sub *Respondeo*, p. 614; num. 256, sub *Respondeo*, p. 348; num. 413-419, p. 603-610.

[12] Num. 415, sub *Respondeo*, p. 606.

[13] Num. 422, p. 614.

[14] Num. 73, sub *Respondeo*, p. 115; num. 518, *Solutio*, p. 749: « Ex natura dicitur creatura omnis, etiam irrationalis, esse signum totius Trinitatis quantum ad conditiones penes quas determinatur vestigium Trinitatis, quae sunt in omnibus creaturis, sicut est unitas, veritas, bonitas naturalis, modus, species et ordo et huiusmodi, penes quae devenitur in cognitionem Trinitatis quoad ea quae sunt appropriata personis, et hoc modo sicut in vestigio vel signo naturali impresso a creatione, dicitur esse tota Trinitas in omnibus creaturis ». Cf. num. 113, p. 179, ubi enumerantur septem exempla vestigii Trinitatis; num. 84 et 85, p. 135-136 etc.

[15] Num. 94, *Solutio*, p. 151; num. 99, sub *Respondeo*, p. 157; num. 89, ad 7, p. 144.

[16] Num. 417, sub *Respondeo*, p. 608.

[17] Num. 50, *Solutio*, p. 77: « Dicendum quod 'Deum esse per gratiam' ponit necessario gratiam creatam in creatura, quae quidem gratia est similitudo, qua anima est imago actu, id est in imitatione actuali; et cum se habet anima per conformitatem ad Deum in similitudine expressa, dicitur Deus inhabitare in ipsa per gratiam ».

[18] Num. 8, ad 5, p. 16. Cf. num. 508, ad 3, p. 723.

[19] Cf. num. 34, ad 5, p. 57. Illa imago Dei in anima, a peccato corrupta, cf. num. 129, ad 2, p. 199, reformatur per opus recreationis. Omnia considerat theologia in relatione « ad unum quod est reformatio hominis ad similitudinem Dei seu conformatio hominis ad Deum per opus reparationis a Christo ». Cf. num. 3, ad 4, p. 7.

[20] Cf. Gilson, l. c., 141, 196.

[21] Cf. Stohr, l. c., 18: « Was Bonaventura über Gottes Fussspur und Bildnis in der Schöpfung geschrieben, finden wir bis tief in die Einzelheiten des gebotenen Materials hinein bei Alexander wieder. Bemerkt wurde bereits, dass von den sechs assignationes vestigii fünf aus Alexander übernommen wurden. Die Verwandtschaft in der Lehre von der imago ist auch überaus nahe ».

[22] Num. 459, *Solutio*, et ad 2, p. 654.

[23] Num. 156, ad 2, p. 238.

[24] Num. 20, n. 1 et ad 1, p. 30-31; num. 24, litt. *a*, p. 36; num. 282, VII, ad 1, p. 398.

[25] Num. 90, n. 2 et ad 2, p. 146.

[26] Num. 16, litt. *d*, p. 26.

[27] *De humanae cognitionis ratione anecdota quaedam. Dissertatio praevia.* Ad Claras Aquas 1883, p. 13-14.

[28] Num. 91, sub *Respondeo*, p. 147.

Augustino "lux intelligibilis", eo quod in modum lucis manifestat omnia vera et tenet et conservat in esse, quemadmodum lux est principium conservativum suorum effectuum; prout dicitur ab Anselmo "rectitudo mente perceptibilis", eo quod per ipsam mensurantur omnia vera, sicut per tempus omnia temporalia: hoc modo una est et sola veritas, quae est divina, qua manifestantur omnia vera et conservantur in esse et mensurantur. Primo ergo modo multae sunt veritates secundum multiplicationem essentiae verorum; secundo modo una tantum veritas, quemadmodum lux et rectitudo una». Parum infra dicit [1]: «Sicut a prima essentia est omne quod est in quantum est, et a prima bonitate omne quod bonum est in quantum bonum est, ita a summa veritate est omne verum in quantum verum est». Insuper Alexander egregie explicat quomodo in via lux divina in actu cognitionis attingitur, ubi solvit hanc obiectionem: «Sicut se habet lux ista corporalis ad sensum et visibilia, ita se habet lux divina ad intellectum et intelligibilia, sicut dicit Augustinus, in *Soliloquiis*, quod "terra visibilis est et lux. Sed terra nisi luce illustrata videri non potest; similiter disciplinarum spectamina non possunt intelligi nisi aliquo suo sole illustrentur"; et illud est Deus. Si ergo lux corporalis per se ipsam videtur et non per aliud, ergo lux, quae est Deus, per se ipsam videtur et non alio». Ad quod Doctor Irrefragabilis ita respondet [2]: «Dicendum quod 'videri se ipso' dicitur dupliciter: effective et materialiter. Dicendum ergo quod lux etiam videtur se ipsa et per se ipsam effective, quia non est alia causa quae faciat lucem videre nisi ipsa. Est tamen aliqua causa materialis, in qua scilicet lux videtur, quemadmodum in aëre vel colore. Unde videtur lux se ipsa effective, non tamen se ipsa materialiter, hoc est in se ipsa, id est in sua spiritualitate et absolutione suae naturae, sed in alia, ut in aëre vel colore. Eodem modo lux aeterna in praesenti videtur se ipsa, non tamen in se ipsa, sed in creatura, quae est quasi medium materiale deferens ipsam lucem ad intellectum».

His concordat doctrina Gilb. Tornacensis [3], O. F. M., S. Bonaventurae eiusque discipulorum [4]. Recte ergo Ioannes Peckham inter primarios propugnatores theoriae illuminationis Doctorem Irrefragabilem adnumeravit [5].

10. Satis etiam elucet caracter augustinianus *Summae* Alexandri Halensis ex sua metaphysica de luce. Ut cl. Baeumker [6] et R. Guardini [7] optime notarunt, Schola Franciscana Medii Aevi in primis sub influxu Roberti Grosseteste in tractandis philosophicis et theologicis quaestionibus saepe ad metaphysicam de luce recurrit. Apud Alexandrum Halensem ista tractatio non est tam opulens ac apud S. Bonaventuram, si solum spectetur ad Librum I *Summae*, tamen momento doctrinali non caret.

Etenim non solum veritas [8] gratiaque assimilantur luci [9], sed et ipse Deus saepissime concipitur ut lux summa, «fons lucis spiritualis», lux ipsa intelligibilis [10]», «sol spiritualis [11]», qui illuminat omnes, quantum est de se. Deus incomprehensibilis est, quia «sicut visus noster deficit in maxime lucidis et minime, ita intellectus in maxime lucidis, ut in cognitione Trinitatis, propter immensitatem luminis [12]». Ista «lux increata infinita est quantum ad omnia et ideo habet immensitatem durationis [13]»; summe est delectabilis omnibus ut lucens [14]. Omnia sunt in Deo ut vita et lux: «Dicuntur omnia in ipso lux: lux enim est similiter communis dispositio in corporalibus et spiritualibus; sed in corporalibus per participationem, et propter hoc dicuntur omnia in ipso lux esse, quia omnia in Dei cognitione relucent et sunt manifesta [15]». Proprie «lux significat divinam essentiam ut in quadam diffusione [16]», quapropter lucis aeternae perfectio praecipue manifestatur in productione Verbi: «Dicendum quod imperfectionis est in luce creata quod ex se producat plures splendores et plures calores. Si enim tantum posset uno splendore quantum pluribus, non produceret plures. In divinis autem productio Filii a Patre est splendoris perfecti, et ideo supervacuum et confusio esset quod esset productio plurium filiorum [17]» etc. In via haec lux increata in se non attingitur, «sed in creatura, quae est quasi medium materiale deferens ipsam lucem ad intellectum [18]». Solum in termino erit «videre Deum per Verbum ut per lucem [19]».

In ente creato relucet claritas lucis aeternae. Hanc ideam pulcre evolvit Alexander [20]: «Dicendum quod divina essentia est abstracta a rebus per impermixtionem, quia omnino non est ipsae res nec dependet ab eis; sed non est abstracta per causalitatem quin res dependeant et teneantur ab ipsa nec esse possent sine ipsa: unde creatura ab ipso non potest abstrahi. Unde sicut lucere solis est substantificum claritatis et illuminationis quae ab ipso est in aëre, ita quod non potest esse sine illo, sic claritas esse creaturae non potest esse sine claritate lucis aeternae quin semper irradiet et influat in ipsam».

In elementis physicis lux ubique invenitur, propter quod non est mensurata et numerata [21]. Nonnullas etiam

---

[1] Num. 95, sub *Respondeo*, p. 152. [2] Num. 20; ad 1, p. 31.

[3] Cf. *Erudimentum doctrinae*, Florent., Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 36, Dext., cod. 6, fol. 34r-35r.

[4] Cf. M. Grabmann, *Der göttliche Grund menschlicher Wahrheitserkenntnis nach Augustinus und Thomas von Aquin*, Münster 1924, p. 30-36.

[5] Cf. Hessen, *Die Begründung der Erkenntnis nach dem heil. Augustin* (*Beitr. Baeumker*, XIX, fasc. 2) 1919, 94: «Durch die Bestimmung Gottes als causa exemplaris unseres Erkennens begründet Alexander den Exemplarismus der Franziskanerschule».

[6] *Witelo, ein Philosoph und Naturforscher des XIII Jahrhunderts* (*Beitr. Baeumker*, III, fasc. 2) 1908, 393-406.

[7] *Die Lehre des heil. Bonaventura von der Erlösung*, Düsseldorf 1921, 148-156.

[8] Num. 88, ad 3, p. 140b; num. 90, ad 3, p. 146b.

[9] Num. 50 ad 1, p. 77b; num. 502, ad 3, p. 712b; num. 512, ad 2, p. 732b.

[10] Num. 89, ad 6, p. 144; num. 502, ad 3, p. 712b.

[11] Num. 282, ad 1, p. 398a. [12] Num. 21, ad 4, p. 32b.

[13] Num. 64, ad 10, p. 97b; num. 328, ad 3, p. 483b.

[14] Num. 458, ad 2, p. 654. [15] Num. 175, ad 1, p. 259b.

[16] Num. 297, p. 425b.

[17] Num. 318, ad 3, p. 467b. Cf. num. 295, litt. *e*, p. 415; num. 89, ad 3, p. 144b.

[18] Num 20, ad 1, p. 31a.

[19] Num. 21, ad 5, p. 32b.

[20] Num. 46, ad 2, p. 73a.

[21] Num. 111, ad 3, p. 174b.

operationes habet. Sic eas describit Doctor noster: « Lux duplicem habet effectum: manifestare et movere. Est enim principium manifestandi se et alia, ut dicit Augustinus, in quadam *Homilia super Ioannem*, ex illo verbo Eph. 5, 13: *Quae arguuntur, a lumine manifestantur;* omne enim quod manifestatur, lumen est, et secundum hunc modum ' verum est lux intelligibilis ', quia principium manifestativum. Unde Hilarius: " Verum est declarativum esse ". — Item, est principium motivum. Unde corpora quae non sunt in participatione lucis, ut opaca et terrea, naturaliter sunt immobilia; quae vero in participatione lucis, ut perspicua, aqua et aër, sunt mobilia, sed non per se, et magis aër quam aqua, quia magis est in participatione lucis; quorum vero lux est de substantia sunt mobilia per se, ut corpora caelestia et ignis: et hac ratione bonum, quod est principium movendi, est lux intelligibilis [1] ». Praeterea, « lux est principium conservativum suorum effectuum [2] ». Non tamen ubique eosdem effectus producit ob differentes dispositiones materiae recipientis [3]. Haec omnia perfecte concordant cum theoria tam celebrata augustinismi medioevalis.

11. In multis quoque materiis philosophicis non aliter ac S. Augustinus et celebriores eius discipuli saec. XIII sentit Alexander Halensis. Sic theoriam de rationibus seminalibus explicite admittit [4], recte ad auctoritatem divi Augustini provocans [5]. Insuper, duce quoque Augustino [6], ac consentientibus S. Bonaventura et B. Duns Scoto, concipit materiam primam, non ut mere potentiam, sed ut ens quoddam imperfectum, habens quoque suam bonitatem propriam [7]. Haec a doctrina aristotelica prorsus aliena sunt.

In psychologia etiam nonnulla elementa augustiniana apud Alexandrum Halensem inveniuntur. Sic clare distinguit inter partem superiorem et inferiorem rationis [8], quod multum interest in quaestione de cognitione Dei et aeternorum. Insuper explicite admittit existentiam memoriae intellectivae [9], a multis aristotelismi asseclis reiectam; quapropter considerat verbum, etiam in divinis, ut productum dictione distincta ab ipso actu intelligendi [10] ex vi memoriae fecundae; quae doctrina in theodicea S. Bonaventurae [11] et B. Duns Scoti [12] momento non caret. Praeterea, Alexander Halensis « verius credit quod intellectus humanus intelligit singularia [13] »; fundamenta opinionis a Matthaeo ab Aquasparta, Rogero Marston et B. Duns Scoto propugnatae, apud ipsum satis explicite innuuntur. Tandem, non abs re erit notare quod in toto hoc Libro I *Summae* de voluntate divina in se et in suis actibus praeclare tractatur [14]; ita fit quod voluntarismus, qui praecipue in theodicea B. Duns Scoti sese manifestat, ex Alexandro Halensi tamquam a plenitudine fontali oriatur.

12. Qua fidelitate Alexander Halensis augustinismo traditionali adhaesit, eadem etiam S. Anselmi amplectitur doctrinas. Argumentum celebre S. Doctoris ad probandam Dei existentiam [15] necnon eius demonstrationem ex veritatibus aeternis [16] constanter admittit. Ad mentem eiusdem longe disserit de veritate ontologica et logica [17], non aliter procedens in ista materia ac Robertus Grosseteste [18] et Thomas Eboracensis [19]. Non minus fideliter sententiis S. Anselmi adhaeret in tractando de praescientia [20] et libero arbitrio, de misericordia [21] et de proprietatibus aeternitatis divinae [22]. Ex principiis S. Anselmi in hac ultima materia provenit ex parte oppositio Alexandri Halensis « contra ponentes aeternitatem mundi [23] ».

13. A magistris quoque scholae S. Victoris valde dependet Doctor noster. In primis distinctionem Hugonis a S. Victore inter opera conditionis et opera recreationis agnoscit [24]. Ad mentem eius tractat de statu primi hominis [25] et de cognitione quam Adam de Deo habebat in paradiso [26]. Illum prae ceteris laudat in quaestione de differentiis voluntatis divinae in generali [27]. Attamen profundius sententiae Richardi a S. Victore in doctrinam Doctoris Irrefragabilis influxum exercuerunt [28]. Demonstrationem existentiae Dei incipit proferendo in primis argumenta Richardi [29]. Illum in tractatu de Trinitate ubique allegat. Sic in quaestione de cognoscibilitate huius mysterii per viam rationis tenet cum eodem « quod non deest argumentum ad probandum Trinitatem, id est

---

[1] Num. 88, ad 5, p. 141.
[2] Num. 91, p. 147b.
[3] Num. 37, ad 2, p. 61b-62a.
[4] Num. 153-155, p. 234-235.
[5] Cf. Duhem, *Le système du monde*, Paris 1914, II, p. 443-447.
[6] Cf. Duhem, l. c., p. 431-438.
[7] Num. 116, ad 2, p. 183.
[8] Num. 17, sub *Respondeo*, p. 28; num. 26, *Solutio*, p. 43.
[9] Num. 256, ad 5, p. 348; num. 257, sub *Respondeo*, p. 349; num. 417, sub *Respondeo*, p. 608; num. 419, p. 611b; num. 424, ad 3, p. 617.
[10] Num. 296, p. 419-421. Cf. de Régnon, l. c., 380-390.
[11] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 27, p. 2, a. 1, q. 1 (I, 481 sqq.). Cf. de Régnon, l. c., 524-30; Barth. de Barberiis, *Cursus theologicus ad mentem S. Bonaventurae, De Deo*, disp. XII, q. 6, Lugduni 1687, I, 201-204.
[12] Cf. Ox., I, d. 27, q. 3, nn. 11 et 16 (X, 368 et 375). De mente S. Augustini cf. Hauzeur, *Anatomia S. Augustini*, Augustae Eburorum 1643-1645, II, 205-206.
[13] Num. 173, ad 1, 256.
[14] Num. 266-294, p. 360-412. Insuper notanda sunt ea quae docet Doctor noster de dispositione rerum a voluntate divina, num. 249, ad 1, p. 341, de conceptu dilectionis in Deo, num. 247, *Solutio*, p. 339, de notione praedestinationis, num. 221, *Solutio*, p. 317; num. 224, sub *Respondeo*, p. 320 etc., et providentiae, num. 196, *Solutio*, p. 267. Cf. Seeberg, l. c., 359.
[15] Num. 26-28, p. 42-45. Cf. num. 34, litt. *c*, p. 55. Cf. I. Endres, l. c., 97: « Anselmus ist für Alexander in seiner Gotteslehre eine der ersten Autoritäten ».
[16] Num. 25, p. 41b.
[17] Cf. praecipue num. 90-99, p. 146-156.
[18] L. Baur, *Die Philosophie des Robert Grosseteste* (*Beitr. Baeumker*, XVIII, fasc. 4-6) 1917, 201-207.
[19] Cf. *Sapientiale*, lib. VI, cap. 24, l. c., fol. 201r.
[20] Num. 184-185, p. 269-271.
[21] Num. 280-282, p. 388-390.
[22] Num. 61-64, p. 89-92.
[23] Num. 64, litt. *b*, p. 93. Cf. num. 61, ad 2, p. 90. Magni etiam facit auctoritatem S. Anselmi in quaestione de processione Spiritus Sancti, num. 310, p. 447-452.
[24] Num. 3, ad 1, 2, 4, p. 6-7.
[25] Num. 146, p. 225.
[26] Num. 18, p. 29.
[27] Num. 272, p. 369b.
[28] Cf. de Régnon, l. c., 343: « Alexandre fait profession ouverte de s'attacher à la doctrine du Prieur de S. Victor, surtout pour ce qui concerne le dogme de la Trinité. Continuellement il le cite, non pas simplement comme une autorité grave, mais comme le Maître par excellence, qu'on ne doit pas craindre de suivre, le cas échéant, même lorsqu'il s'éloigne d'une opinion communément enseignée ».
[29] Num. 25, p. 40. In materia de divinis attributis non raro provocat ad eius auctoritatem, num. 32, *Solutio*, p. 52; num. 56, sub *Respondeo* et ad 1, p. 85; num. 71, p. 110; num. 136, p. 208.

medium sive ratio inferens de necessitate Trinitatem esse, sed tamen deest ratio conferens ex parte nostra [1] ». Praecipue rationibus eiusdem demonstrat quod divina unitas secum patitur pluralitatem [2], non quidem naturarum [3], sed utique personarum [4]. Ad mentem scholae S. Victoris diffusionem vitalem [5] ex Patre « principio totius divinitatis [6] » non sine acumine in mysterio Trinitatis contemplatur, igneis meditationibus Seraphici Doctoris viam sternens. Quapropter tenet quod ' esse sine origine ' est dignitas in prima persona [7]; etiam innascibilitatem in Patre magni facit [8]. In stabilienda generatione Filii in divinis ad rationes Richardi metaphysicas provocat [9], eiusdem argumenta psychologica ex natura amoris amicitiae non omittens [10]. Fidelem discipulum Richardi magis sese revelat in tractatu de processione Spiritus Sancti [11], de veritate [12], numero [13] et aequalitate divinarum personarum [14]. Definitionem personae a Boethio excogitatam accipit solummodo prout a Richardo correcta fuit [15]; cum illo tenet quod persona in divinis « secundum substantiam dicitur et substantiam significare videtur [16] »; ad mentem eiusdem tractat de nomine existentiae in Deo [17]. Non secus ac Richardus a S. Victore explicat quomodo Filius est imago Patris, non vero Spiritus Sanctus [18]. Saepe distinguit processiones divinas in immediatam et mediatam et inter modum principalem et minus principalem procedendi [19], quod accedit ad modum loquendi Richardi. Tandem ex hoc quod scholam S. Victoris in speculatione mysterii SS. Trinitatis in multis presse sequitur, nullo modo tamen theoriam S. Augustini negligens, eo ipso psychologiam amoris a Richardo elaboratam plane admittit [20]. His igitur consideratis [21], evidentissime patet quanta veneratione doctrinales traditiones scholae S. Victoris ab Alexandro Halensi custoditae fuerunt et quomodo in theodicea primitivae scholae Franciscanae constituenda vix minorem influxum habuerunt illae quam meditationes S. Augustini. Quod cl. Stohr de S. Bonaventura notavit [22], apud Alexandrum Halensem non minus recte observari potest.

§ 2. — DE CONCEPTU BONITATIS IN SYNTHESI ALEXANDRI HALENSIS.

14. Profundus influxus principaliorum Occidentis doctorum, scilicet S. Augustini, S. Anselmi et praecipue Richardi a S. Victore, sese manifestat quasi unitive in synthesi Alexandri ex idea bonitatis excogitata.

Etenim Alexander a schola S. Victoris repetit principium fundamentale, non solum suarum inquisitionum circa mysterium SS. Trinitatis, ut iam recte observaverat cl. de Régnon, S. I. [23], sed etiam totius sui systematis generalis, scilicet conceptionem extaticam summi boni sive amoris. Hoc ipsum clare enuntiat Doctor Irrefragabilis [24]: « Ex parte divinae bonitatis est influentia bonitatis intrinseca in emanatione aeterna Filii a Patre et Spiritus Sancti a Patre et Filio, ad quam, si poneretur nunc esse et prius non fuisse, sequeretur mutatio ex parte bonitatis sive voluntatis divinae; et est influentia extrinseca ut in emanatione creaturarum a Creatore, quae sunt in diversitate substantiae, et ad hanc influentiam, si ponatur non fuisse et postea esse, non sequitur mutatio ex parte bonitatis ». Aliter non poterat fieri commendatio summi Boni, quia « manifestatio bonitatis divinae in summo potest esse dupliciter: quoad magnitudinem potentiae aut quoad multiplicationem. Quoad magnitudinem manifestavit se summa bonitas in generatione Filii a Patre et processione Spiritus Sancti ab utroque ab aeterno. Nulla autem maior potest cogitari potentia quam ut ex Patre generetur Filius per omnia aequalis et consubstantialis. Quantum vero ad multiplicationem potentiae ostendendae in creaturis multis, non potuit esse manifestatio ab aeterno [25] ».

15. Amplissime Doctor noster tractat de influentia bonitatis divinae intrinseca in suis inquisitionibus circa mysterium SS. Trinitatis. In primis recte observat quod in speculatione Dei per hoc nomen [26] quod est ' bonum ' non consideratur bonitas divina absolute et in se, sed ut est in persona Patris, quae est « principium totius divinitatis [27] ».

---

[1] Num. 10, ad 3, p. 19. Cf. num. 23, litt. *a*, p. 34.
[2] Num. 76, p. 120. [3] Num. 77, p. 124.
[4] Cf. num. 81, p. 132; num. 316, ad 3, p. 464-465.
[5] Num. 319, ad 4, p. 470 etc. [6] Num. 297, ad 10, p. 427.
[7] Num. 322, ad 1, p. 474. [8] Cf. Stohr, l. c. 128.
[9] Num. 295, p. 414, 416. Cf. de Régnon, l. c., 280-281.
[10] Num. 311, sub *Respondeo*, p. 453. Cf. de Régnon, l. c., 282.
[11] Num. 304, p. 438; num. 307, p. 443; num. 311, p. 452; num. 324, p. 475. Cf. de Régnon, l. c., 360, 398-406. [12] Num. 312, p. 454.
[13] Num. 317, p. 465; num. 319, p. 468; num. 321, p. 473.
[14] Num. 330, p. 485.
[15] Num. 387, p. 570-572. Cf. num. 312, ad 5, p. 456; num. 337, ad 3, p. 500. [16] Num. 386, p. 566-569.
[17] Num. 348, p. 517-518. De his omnibus, cf. de Régnon, l. c., 344-355.
[18] Num. 417-419, p. 608-610. Cf. Stohr, l. c., 148: « Alexander bleibt innerhalb der richardschen Gedankengänge, wenn er die Bildhaftigkeit des Sohnes mit der Uebereinstimmung in der Produktivität begründet und deshalb dem Heiligen Geiste abspricht ». Cf. de Régnon, l. c., 378.
[19] Num. 298, ad 3, p. 430 etc.
[20] Num. 304, ad 4, p. 440; num. 307, sub *Respondeo* et ad 4, p. 444-445; num. 311, sub *Respondeo* p. 453. Cf. P. Rousselot, *Pour l'histoire du problème de l'amour au Moyen Age* (*Beitr. Baeumker*, VI, fasc. 6) 1908, p. 65.
[21] Cf. etiam num. 460, sub *Respondeo*, p. 646; num. 428, sub *Respondeo*, p. 620.
[22] L. c., 188-189: « Gewiss hat er [Bonaventura] viele, sehr viele Einzelzüge aus des afrikanischen Vaters Meisterbau getreulich nachgezeichnet. Ich erinnere nur an die Lehre vom vestigium und der imago, vom Sohn als Verbum und imago, vom Heiligen Geist als Amor und Donum, von der missio und appropriatio. Aber an ganz bestimmten Stellen, und zwar an den Brennpunkten seines Werkes zeigt Bonaventuras Schaffen ein ganz anderes Gepräge. Es ist ein Umbiegen, keine Bruchstelle wird sichtbar. An diesen Punkten setzt dann der Einfluss Richards ein, der vielleicht gerade deshalb so unvermerkt Platz greifen konnte, weil eine gewisse geistige Verwandtschaft zwischen Augustin und dem in Dionysius wirksamen Neuplatonismus besteht. Dieser Quelle entstammen die alle mehr oder weniger als Variationen des dionysischen bonum diffusivum sui zu wertenden « Beweise » für die Trinität, die Idee von der primitas, condignus und condilectus, amor gratuitus, debitus und mixtus. Vermittler dieses reichen Gutes sind unserem Heiligen Wilhelm von Auxerre und Alexander von Hales geworden ».
[23] L. c., 407-421. Dissertatio XI de theoria Alexandri Halensis habetur p. 339-431.
[24] Num. 64, ad 4, p. 96. Haec sunt etiam ad mentem Dionysii. Cf. Petavius, *Dogmata theologica, De Deo uno*, lib. II, cap. 8, n. 15, Venetiis 1745, I, p. 120.
[25] Num. 64, ad 5, p. 96.
[26] Quoad nos, non vero simpliciter, primum nomen Dei est ' bonum '. Cf. num. 352, p. 522.
[27] Num. 297, ad 10, p. 427.

Dicendum ergo « quod summum bonum sive divina essentia potest considerari dupliciter: ut in se vel ut in persona quae non habet esse ab alio. Secundum quod consideratur in se: sic consideratur absolute et absque ratione diffusionis, quia si hoc modo intelligeretur ratio diffusionis in ea, consequeretur quod esset diffusio ipsius substantiae in infinitis personis, et quod non esset status in aliqua; propterea manifestum est quod essentia secundum se sive summum bonum consideratur absque ratione diffusionis sui. Si vero consideratur in persona, quae non habet esse ab alio, ut in Patre: secundum hoc est ratio diffusionis ex summa bonitate in Patre, sive ex essentia in Patre per generationem et in Filio cum Patre per processionem, sicut patebit. Non ergo sequitur ex hoc quod essentiae attribuatur generare, sed magis ipsi personae habenti essentiam; licet igitur non est diffusivum sui ut in se consideratur, nihilominus est diffusivum prout est in persona non-ente ab alio [1] ». In eadem doctrina insistit Doctor Irrefragabilis. Addit enim immediate [2]: « Dicendum quod plenitudo bonitatis est causa, id est ratio, generationis, quare Pater generet; et hoc secundum quod ipsa bonitas intelligitur in Patre, id est in persona quae quidem est et non ab alia, non secundum quod consideratur in se ». Aliis verbis, in Trinitate diffusio bonitatis est personalis, cum e contra in productione rerum potius essentialis dici potest [3].

16. Ex hoc « principalissimo fundamento », ut illud vocat S. Bonaventura, in opusculo *Itinerarium mentis in Deum* [4], Alexander primo deducit quod bonitas est ratio divinarum processionum et personarum pluralitatem exigit. Laus enim boni in communicatione sui consistit [5]. Similiter, ratio plena caritatis in eo est quod in alterum tendit [6], quia « nunquam potest esse solitaria », praecipue si agatur de caritate perfecta [7]. Consequenter necessario in summo bono generatio intelligitur [8]; sine ista diffusione aeterna « non est summa bonitas [9] ». Cum vero « communio boni non potest nisi duobus modis esse, scilicet vel per modum naturae — et haec est generatio vel productio generati a generante — vel per modum voluntatis — et haec est processio amoris ab amante [10] », — necessario sequitur quod in divinis habentur tum generatio Filii, tum spiratio Spiritus Sancti. Diffuse et pulcre haec exponuntur ab Alexandro, praecipue in quaestionibus quae ad processionem Spiritus Sancti [11] et numerum divinarum personarum spectant [12]. Audiatur ipse, ubi inquirit *Unde sit ratio numeri in divinis* [13]; ibi enim habetur quasi synthesis omnium inquisitionum eius circa influentiam divinae bonitatis intrinsecam. « Cum quaeritur unde sit numerus vel ratio numeri in divinis, dicimus quod iste numerus est ex parte perfectionis virtutis et bonitatis et caritatis; tamen appropriando secundum rationem intelligentiae, ratio bonitatis est sicut principalis ratio illius numeri: quia laus boni et eius perfectio ostenditur in communicatione, sed communicatio semper est unius ad alium, et ideo ubi est communio, semper est alius et alius, et ita multiplicatio et numerus, et bonitas summa est quasi principalis causa istius multiplicationis in divinis. Sed cum bonitas sit communior quam natura et voluntas [14], sicut est duplex principium, unum quod est natura, alterum quod est voluntas, sic bonitas duobus modis erit, quia est bonitas naturae et bonitas voluntatis, et haec est caritas. Communicat ergo se bonitas vel per modum naturae vel per modum voluntatis sive affectionis. Communicatio bonitatis, quae est per modum naturae, illa plena est et perfecta per generationem: quod tamen sit de parte substantiae vel essentiae et non de tota essentia, istud imperfectionis est in natura. Quia ergo omnis imperfectio a bonitate summa removenda est et omnis ei perfectio tribuenda, ideo necessarium est quod communicet se per modum naturae, quae communio est per generationem, et quod illa generatio non sit de parte essentiae, sed de tota essentia; et haec communio bonitatis est ratio distinctionis sive numeri in distinctione determinata, quae est Patris ad Filium. Sed sicut communicat se bonitas per modum naturae, ita per modum voluntatis, quia summi boni summa est communio; non esset autem

---

[1] Num. 297, ad 23, p. 428. Cf. num. 319, ad 4, p. 470: « Ad quartam rationem dicendum quod summa bonitas, sicut est ipsa ratio productionis personae a persona in Patre et Filio, ita est ratio non-productionis in Spiritu Sancto ».

[2] Num. 297, ad 24, p. 428.

[3] Num. 330, ad 4, p. 486: « Nota quod est duplex diffusio: personalis, qua una persona diffundit se in processione alterius, et quantum ad hoc non diffundit se Spiritus Sanctus sive bonitas prout est in persona Spiritus Sancti, quia non congrueret, ut tactum est, et haec est summa; alia est essentialis, scilicet ipsius essentiae, et quantum ad hoc diffundit se Spiritus Sanctus sive bonitas Spiritus Sancti; haec vero diffusio est in communicatione bonitatis divinae creaturis. Haec autem diffusio non est summa nec conveniret esse summa ».

[4] Cap. 6, n. 1 (V, 310).

[5] Num. 76, litt. *b*, p. 121: « Supposita hac propositione per se nota, quod esse divinum est summum et perfectum bonum; item supposito quod perfectio boni consistit in communione, tertia suppositio est quod communio non est eiusdem ad se, sed unius ad alterum. Ex iis necessario relinquitur quod ponenda est pluralitas in esse divino: quia ubicumque est ponere communionem boni unius ad alterum, necesse est ponere pluralitatem, quia ibi est ponere alterum et alterum vel alium et alium; sed in Deo est ponere summum bonum, sicut patet per primam propositionem, et communionem boni, sicut patet per secundam, quia aliter non esset bonum perfectum, et unius ad alterum, sicut patet per tertiam; ergo in esse divino est ponere pluralitatem ». Cf. num. 295, litt. *b*, p. 414, etc.

[6] Num. 304, ad 4, p. 440.

[7] Num. 324, ad 3, p. 477. Cf. Stohr, l. c., p. 62.

[8] Num. 295, litt. *b*, p. 415.

[9] Num. 270, ad 3, p. 365: « In Deo sunt actus aeterni, ut generare et huiusmodi, sine quibus non est summa bonitas ».

[10] Num. 319, *Solutio*, p. 469. Cf. num. 304, litt. *a, b, c, f*, p. 438-439; num. 319, litt. *c*, p. 468.

[11] Num. 304-312, p. 438-453.

[12] Num. 317-320, p. 465-470.

[13] Num. 317, p. 465.

[14] Hoc principium Halensis optime declaratur a cl. de Régnon, l. c., 418-419: « Les processions divines ne sont pas simplement le jeu des facultés d'une nature intelligente et voulante. Leur source est plus profonde. Elles partent de la substance même sur laquelle, d'après notre mode de concevoir, s'appuient les facultés d'intelligence et de volonté. Cette source n'est autre que l'Etre même de Dieu, en tant qu'il est bon; et, par conséquent, dans la distribution logique des réalités divines, la Bonté descend avec l'Etre et l'accompagne partout. Logiquement aussi générale que l'être, plus générale que la nature et la volonté, elle pénètre ces deux réalités; elle les imprègne, les agite chacune à sa manière. Cette vibration de bonté expansive, qui est essentielle à l'être même du Principe, devient donc, et dans sa nature une fécondité de Génération, et dans sa volonté une libéralité de Dilection ».

summa nisi communicaret se per modum naturae et voluntatis; et ideo communicat se per modum voluntatis, quae communio est per amoris affectum sive caritatem; et haec communio summi boni est ratio numeri in distinctione determinata, quae est Patris et Filii ad Spiritum Sanctum. Ratio ergo numeri sumitur ex parte perfectionis summae bonitatis; sed communio totius essentiae per generationem, cum essentia non habeat partem, est ratio numeri Patris ad Filium, communio per naturam voluntatis ratio numeri et distinctionis Spiritus Sancti ab utroque ». Haec plane ostendunt [1] quod in systemate Alexandri summa bonitas est ratio omnis communicationis in Deo [2], immo quod perfectus ordo et concordia in divinis ab ipsa procedit, « quia bonitas divina non est ratio nisi communionis ordinatae et distinctae [3] ». Revera difficile esset profundius explicare quomodo vita intima SS. Trinitatis consistit in intrinseca diffusione bonitatis divinae per modum naturae et per viam affectionis [4].

17. Insuper notandum est quod in theodicea naturali Doctoris Irrefragabilis etiam eminet conceptus Dei ut summi boni. Hoc manifeste apparet ex hoc quod, notione metaphysica ' boni ' sedulo determinata [5], auctor ita diffuse de bonitate divinae naturae [6] et dilectione Dei [7] tractat, ut fere nihil amplius desiderari possit. Praeterea, in inquisitionibus de aliis divinis attributis, saepe causam primam sub hoc aspectu considerat. Ex hoc quod Deus est summum bonum concludit ad unitatem Dei et excludit pluralitatem principiorum [8]. Inter bonitatem summam et ubiquitatem Dei relationem intimam indicat; etenim « ' ubique ' dicit plenitudinem divinae bonitatis, connotando tamen respectum ad omne ' ubi ' in creatura [9] »; « quaelibet creatura, secundum quod comparatur ad Deum, est nata repleri divina bonitate, aliter enim vacua esset: et ideo omnis res, sive sit substantia sive accidens, quaecumque sit, comparatur ad Deum ut ' ubi ', communi modo loquendi [10] ». Praeterea, considerat iustitiam divinam ut quamdam « condecentiam divinae bonitatis [11] », de qua disserit ad mentem S. Anselmi, praesertim in quaestione *Quae sit prior in Deo intentio, misericordiae an iustitiae.* Ibi inter alia haec leguntur [12]: « Dicendum quod contingit comparare iustitiam et misericordiam secundum latitudinem suam et generalitatem, ut scilicet sunt in eodem gradu, ut iustitia large comparatur ad misericordiam large, et iustitia communiter ad misericordiam communiter, et iustitia stricte ad misericordiam stricte: et sic semper in Deo prior est intentio misericordiae quam iustitiae. Quod patet: iustitia enim large sumpta est condecentia bonitatis divinae, misericordia large est superabundantia pietatis divinae; sed prior est ipsa bonitas quam condecentia bonitatis: quia enim bonus summe, ideo decet ei facere quod facit, et inde iustitia, et non e converso; nam ex eo quod summa est bonitas et superexcellens, ex hoc provenit condecentia » etc. Tandem admittit quod providentia spectat non solum ad sapientiam, sed etiam ad bonitatem, « cum bonitas ordinis sit a summa voluntate, mota ab ipsa summa bonitate [13] ». Haec omnia, synthetice considerata, plane demonstrant quod idea bonitatis est velut fundamentum totius theodiceae Alexandri Halensis.

18. Quia autem Deus est summum bonum, omnia entia ab ipso fluxerunt influentia bonitatis extrinseca et sic ipsius imaginem gerunt et ad ipsum ordinantur [14]. Bonitas enim entis cuiuscumque est ratio ipsa cur sit causa in omni genere, quia « ipsum bonum, in quantum movet, induit rationem agentis; in quantum regulat, rationem artis vel exemplaris; in quantum complet, est in ratione propria causae finalis [15] ». Hunc processum rerum Alexander praecipue describit in quaestione *De fluxu aliorum bonorum a summo Bono* [16], et quidem omnino ad mentem Boethii et S. Augustini. Sicut contemporaneus suus Philippus Grevius, in sua inedita *Summa de bono* [17], Doctor Irrefragabilis docet universitatem rerum, non quidem a sapientia vel potentia divina, sed a bonitate summa principalius processisse [18]: « Dicimus in Primo quod, licet potentia et sapientia et voluntas, quae sunt in ipso, producant res, ipsa tamen voluntas est principalior causa productionis, quia ponit necessitatem in productione. Inde est quod non determinatur processus rerum per potentiam et sapientiam, ut dicantur res egredi secundum rationem potentis vel sapientis, similiter nec secundum rationem volentis, sed boni, quia licet divina voluntas sit principalis causa huius productionis, ponens in ea necessitatem, voluntas tamen divina in ratione voluntatis nunquam se movet ad agendum, sed in ratione bonitatis: unde ipsa bonitas quasi movet voluntatem, voluntas in

---

[1] Cf. etiam num. 311, p. 452-453; num. 330, ad 4, p. 486: « Eadem bonitas est qua Pater summe diffundit se generando Filium et Pater et Filius spirando Spiritum Sanctum et illa quae diffusa est in Spiritu Sancto ». Cf. num. 304, ad 2 et 3, p. 440.

[2] Num. 317, ad 2, p. 466. Cf. num. 248, *Solutio*. p. 340.

[3] Num. 304, ad 2, p. 440; num. 318, ad 2, p. 467; num. 319, ad 4, p. 470.

[4] De aequalitate divinarum personarum disserit etiam Doctor noster in relatione ad praedilectum suum axioma « bonum est sui diffusivum ». Cf. num. 330, p. 485-486. Recte hoc animadvertit cl. Stohr, l. c., 171: « Alexander geht der Frage im Sinn von und mit Berufung auf Richard und den Lombarden nach. Von Bedeutung für Bonaventura wurde er dadurch dass er die Frage unter den Gesichtspunkt des bonum diffusivum sui rückte ».

[5] Num. 102-108, p. 160-169.

[6] Num. 108, p. 169sqq. Frequenter Alexander lectores remittit ad suum tractatum *De bonitate divina*. Cf. num. 194, p. 280; num. 279, p. 386a; num. 285, p. 404b; p. num. 352, p. 523b; num. 370, p. 548.

[7] Num. 247-255, p. 338-346.

[8] Num. 78, p. 125.

[9] Num. 43, p. 68.

[10] Num. 44, p. 69b.

[11] Num. 141, p. 220b; num. 142, ad 5, p. 222; num. 280, p. 388; num. 282, p. 396b.

[12] Num. 281, p. 388-390.

[13] Num. 196, *Solutio*, p. 286-287; num. 199, *Solutio*, 290-291.

[14] Cf. num. 352, p. 523a: « Bonum dicit rationem secundum quam est alpha et omega, hoc est principium et finis: bonitas enim Dei quasi movit eum ut faceret creaturas, et ad hoc ut essent participes suae bonitatis ».

[15] Num. 104, p. 163b. Cf. de Régnon, l. c., 408-410.

[16] Num. 110, p. 171-173.

[17] Florentiae, Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 36, Dext., cod. 4, fol. 6r-13r.

[18] Num. 110, p. 172. — Idem docet ex professo Alexander in Libro II *Summae*, in quaestione *An primum efficiens necessitate vel voluntate produxerit res in esse*, et infra ubi quaerit *Quare producta est rerum diversitas prima*, et docet omnia facta esse « ex supereffluentia bonitatis divinae »; cf. *Sum. Theol.*, II, parte I, num. 16 et 53.

ratione bonitatis movet se ad producendum res: tunc enim vult producere quando videt quod bonum est. Bonum igitur motivum est in processu rerum, non unum, non verum, cum 'unum' referatur ad potentiam, 'verum' ad sapientiam. Et iterum processus est secundum rationem boni creaturarum a Creatore, non secundum rationem unius, veri, potentis, sapientis, volentis; similiter nec secundum rationem iusti, quia 'iustum' non est motivum: bonum enim trahit ipsam voluntatem ad actum producendi, et non alia». Alibi Alexander eadem brevius docet[1]: «Bonum est conditio generalis ipsius causae, quae est Deus: quia enim bonus, ideo fecit creaturam; unde Augustinus: "Quia bonus est, sumus"; et ideo bonum respicit omnem creaturam cuius est causa». «Bonum increatum, sicut dicit Dionysius, dicitur "ex quo omnia subsistunt": et sic se habet in ratione efficientis ad bonum creatum quod ab ipso est; et dicitur bonum increatum "in quo omnia contenta sunt": et sic se habet in ratione causae formalis ad bonum creatum quod in ipso est tamquam in continente; item, bonum increatum dicitur "quod omnia affectant et ad quod omnia convertuntur": et sic habet intentionem causae finalis[2]». Diffusio tamen illa extrinseca, quamvis ineffabilis, praecipue in mysterio Incarnationis[3], non est in infinitum, sed «dicitur esse status et numerus in hac influentia propter ordinem et perfectionem universi. Si enim ita esset, non esset status in ordinatione universi et sic nec completio sive perfectio in universo et sic periret ordinatio universi[4]». Insuper divina communicatio non est eadem in omnibus entibus, sed modo «cui possit addi in bonitate, quia creatio est productio de nihilo[5]». Omnino etiam libera est. Quod vero dicitur quod Deus negare se ipsum non potest «sic intelligendum est ut quod dicit 'non posse' non dicat necessitatem qua adstringatur suam bonitatem communicare, sed immutabilitatem suae liberalitatis qua, quantum in se est, paratus est communicare nisi impedimentum ex parte suscipientis invenerit[6]». Ex iis verbis patet quod origo et tota rerum dispositio a summo bono causaliter et exemplariter dependet quadam extrinseca finitaque bonitatis divinae influentia.

19. Hoc conceptu logice ductus, Alexander Halensis impressionem bonitatis increatae in universitate rerum principaliter speculatur et omnia ut bona participata formaliter considerat[7]. Pluries repetit quod omne creatum, etiam materia prima[8], bonitate signatum est «quia bonitas una est, quae est prima, quae secundum magis et minus communicatur ab omnibus creaturis[9]». Haec bonitas non inest enti per essentiam[10], sed potius «secundum ordinem participationis primae bonitatis secundum plus et minus[11]». Ipsa est quasi ratio communior vestigii Trinitatis; saltem hoc suadent plures expressiones Alexandri[12]. Duplex bonitas in omni creatura habetur: bonitas entis in se et in ordine universi[13]. Haec universalis conditio determinatur per modum, speciem et ordinem, de quibus longissime et omnino ad mentem S. Augustini disserit Alexander[14]. Suam propriam sententiam declarans, Doctor Irrefragabilis ait[15]: «Bonum creatum dicitur quia a bono, quia in bono, quia ad bonum. Modus autem sumitur ex comparatione creaturae ad efficientem, quia ipsa dat modum; species ex ordinatione rei ad causam formalem; ordo vero ex comparatione ad finalem. In quantum ergo bonum creatum dicitur quia a bono, habet modum; in quantum dicitur bonum quia in bono, dicitur habere speciem; in quantum dicitur bonum quia ad bonum, dicitur habere ordinem. Licet autem haec omnia indicent bonitatem, principaliter tamen secundum ordinem dignoscitur, quia species in intellectu suo ponit modum, ordo autem dat praeintelligere modum et speciem et non e converso, unde ponit illa; et ideo tamquam per summum notificatur per ordinem» etc. Quia taliter bonitate signata est creatura, ipsa ducit ad Deum[16]. Immo, ut addit alibi[17], «bonum non-summum semper dat intelligere bonum summum et ideo non potest intelligi, isto non cointellecto».

Haec omnia optime cohaerent. Si attente considerantur, non omissis illis quae docet circa naturam mali[18], cognitionem Dei sub ratione bonitatis[19] et ordinationem hominis «ad fruenda, quae sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, incommutabile bonum[20]», satis apparet quod in synthetica rerum consideratione nulli est secundus Doctor Irrefragabilis. Recte generalis synthesis eius haberi potest ut quaedam efflorescentia tractatus *De natura boni* S. Augustini necnon speculationum scholae S. Victoris.

---

[1] Num. 370, p. 548. Cf. num. 142, ad 4, p. 222.

[2] Num. 115, *Solutio*, p. 181.

[3] Num. 10, ad 1, p. 19. Secundum Alexandrum, ex eo quod Deus est summum bonum, conveniens esset Incarnationem fuisse, etiamsi homo non peccasset. Cf. Guardini, l. c., 42.

[4] Num. 122, p. 192b.

[5] Num. 143, ad 1, p. 223. Cf. num. 248, *Solutio*, p. 340.

[6] Num. 273, ad 6, p. 374.

[7] Cf. num. 106, ad obiecta, p. 168.

[8] Num. 116, ad 2, p. 183. Cf. num. 112, ad 4, p. 176.

[9] Num. 79, ad 4, p. 128. Cf. num. 46, III, ad 3, p. 73; num. 49, ad 2, p. 76; num. 105, ad 5, p. 166 etc.

[10] Num. 117, p. 183-186.

[11] Num. 122, *Solutio*, p. 192; num. 46, ad 3, p. 73; num. 117, ad 2 et 3, p. 185.

[12] Num. 113, *Solutio*, p. 177: «Concedimus quod sicut illud increatum, cuius habet anima rationalis imaginem, non est solum Trinitas personarum, sed unitas in Trinitate, ita non solum est triplex bonum [scil. modus, species et ordo] vestigium Creatoris in nobis, sed haec secundum quod fundatur supra unitatem essentiae, quae respondet unitati increatae». Loc. cit., p. 178b-179: «Ad illud quod quaeritur de differenti assignatione horum secundum differentes intentiones vocabulorum: dicendum quoniam cum sint in creatura ut vestigium Trinitatis, creatura autem secundum omnem suae bonitatis sive esse variam considerationem sit vestigium, variatur horum consideratio in creaturis». Cf. num 143, ad 4, p. 324.

[13] Num. 79, ad 10, p. 129.

[14] Num. 111-116, p. 173-182. Cf. num. 112, ad 1-2-3, p. 175-176; num. 143, ad 2, p. 224a.

[15] Num. 115, *Solutio*, p. 181. Cf. num. 116, p. 183.

[16] Num. 143, ad 4, p. 224: «Ad ultimum dicendum quod creatura potest considerari in se: et in hoc modo non relucet in ea summa bonitas; vel potest considerari ut ductiva ad summam bonitatem per hoc quod est vestigium summae bonitatis: et sic in ea relucet summa bonitas, non quia bonitas sua sit summa, sed quia bonitas sua ducit ad summam bonitatem».

[17] Num. 109, ad 1, p. 171.

[18] Num. 282, ad 7, p. 397. Cf. num. 129, p. 198.

[19] Num. 15, ad 2, p. 25: «Dicendum quod cum cognoscatur Deus per effectus naturales et per effectus gratiae — in effectibus naturalibus cognoscitur Deus sub ratione bonitatis generali, qua est participabilis ab omni creatura; in effectibus vero gratiae participatur sub ratione bonitatis speciali, qua solum praebet se animabus sanctis ut dulcis et delectabilis — ideo primo modo dicetur 'videri' aliquo modo, sed secundo modo 'cerni'».

[20] Num. 3, ad 5, p. 7. Cf. num. 142, ad 4, p. 222b

§ 3. — ALEXANDER HALENSIS ET ARISTOTELISMUS.

20. Alexander Halensis, utpote stricte sententiis augustinismi scholaeque S. Victoris inhaerens, non poterat, saltem aliquoties, non observare insufficientiam doctrinae metaphysicae Philosophorum, praesertim Aristotelis. In primis affirmat illos Philosophos paganos in cognitione perfecta Dei defecisse, quia ad notionem Summi Boni non pervenerunt[1]. Insuper breviter notat quod illi primam Causam sub ratione quidem principii, non autem sub ratione « qua abundat Pater a principio » consideraverunt; quapropter creaturam rationalem ad imaginem eius esse nescierunt[2]. Alibi addit quod « notificatio potentiae secundum Philosophum non convenit divinae potentiae universaliter, sed data est de potentia creaturae[3] ». Praeterea, explicat qua ratione Philosophi gentiles non consideraverunt malum ut corruptivum habilitatum naturalium, quae sunt modus, species et ordo. Etenim « notandum quod quamvis illarum habitudinum sit malum corruptivum, non tamen est corruptivum illarum prout comparantur ad dictos habitus qui sunt virtutes naturales, vel alios quoscumque, sed solum prout disponunt ad bonum gratuitum. Quia igitur Philosophi nunquam pervenerunt ad cognitionem gratiae vel boni gratuiti, ideo neque cognoverunt istas habitudines prout disponunt ad bonum gratuitum. Quia ergo sic erat malum corruptivum earum, patet quod nunquam potuerunt cognoscere qualiter malum esset istius boni corruptivum[4] ».

Quod vero maioris momenti est, Alexander Halensis non raro sententias vel errores Philosophorum impugnat. Sic existentiam alicuius intelligentiae intermediae inter primam causam et animam humanam, prout Neoplatonici et aliqui Arabes excogitaverunt, clare reicit[5]: « Secundum quod natura appellatur substantia aliqua, sic dicit Augustinus quod " nulla est interposita natura inter mentem et Deum, ut scilicet sit aliqua substantia intellectualis ", velut angelus, per quam formetur et perficiatur ipsa mens, quemadmodum Philosophi mentiti sunt, dicentes intelligentiam humanam educi in actum et perfici per intelligentiam angelicam ». Contra Aristotelem sustinet quod Deus nullam mutationem patitur in creatione rerum[6]: « Quod vero dicit Philosophus quod necesse est quod mutetur in eo voluntas vel renovetur appetitus, dicendum est quod locutus est de Deo ad modum hominis et ideo deceptus est ». Strenue Alexander Halensis contra Philosophum docet quod aeternitas soli Deo proprie convenit. Sic demonstrat quod « non sunt plures veritates ab aeterno, quae non essent Deus[7] ». Impugnat etiam sententiam aristotelicam de aeternitate materiae[8], similiter errorem de aeternitate motus[9], et quidem fere iisdem verbis ac S. Bonaventura. Tandem, omni modo expugnat « ponentes aeternitatem mundi et temporis », praesertim in sua quaestione *De incommunicabilitate aeternitatis*[10]. Thesis aristotelica, iudicio ipsius, « habet repugnantiam implicitam. Si enim ab aeterno creatum est, ab aeterno est, et si ab aeterno est, non habet esse post non-esse, ergo increatum est[11] ». « Si quaeritur quare non fuit mundus ab aeterno, cum voluntas sit causa proxima et sufficiens et ab aeterno voluit mundum fieri: respondeo quod in intellectu creaturae est ens ab alio de nihilo; et omne ens de nihilo habet esse post non-esse; unde in intellectu creaturae est aliquid quod repugnat aeternitati; et ratio est: quia sicut creatura non potest aequari Creatori in potentia vel essentia, sic nec in duratione; esset autem aequalis in duratione, si esset aeterna[12] ». Tam profunde hanc quaestionem tractat Alexander Halensis ut argumentis suis fere nihil addere deinceps potuerint S. Bonaventura et Matthaeus ab Aquasparta.

Non obstante tamen hac oppositione, Alexander Halensis Philosophos graecos et arabes non omnino negligit. Saepe enim ad principia aristotelica alludit quin tamen nominatim Philosophum designet. Sic plus quam 200 citationes implicitae in Libro I *Summae* inveniuntur. Plerumque agitur de generalibus axiomatibus, in usu Scholarum iam receptis et desumptis praesertim ex *Organo*, quod Doctor noster legit « quando rexit in artibus » Parisiis[13]. Aliquoties tamen explicite ad Aristotelem provocat, prae aliis *Metaphysicam*[14] et librum *De causis*, falso eidem attributum, tunc allegans. In quaestione de aeternitate mundi manifestat se optime nosse rationes Philosophorum, quibus probare volunt creaturas esse ab aeterno[15]. In quibusdam aliis materiis etiam satis fideliter opiniones aristotelicas exponit[16]. Praeter Aristotelem vero alii philosophi, Maimonides, Avicenna, Algazel, vix nominantur[17]. Ex iis liquet Alexandrum Halensem in Libro I *Summae* ab aristotelismo parum accepisse, sed principiis et sententiis SS. Augustini et Anselmi necnon scholae S. Victoris constanter et aperte adhaesisse.

21. His omnibus consideratis, patet ab Alexandro Halensi magistros Ordinis Minorum hanc auream regulam didicisse, quam pulcre exponit S. Gualterus Brugensis, O. F. M., in suis *Quaestionibus disputatis*[18] ineditis, et quae frequenter famosis opinionibus S. Bonaventurae necnon et B. Duns Scoti originem dedit: « Dico quod plus cre-

---

[1] Num. 10, ad 1, p. 19. Cf. num. 458, ad 1, p. 653. Idem habetur apud Thomam Eboracensem, *Sapientiale*, lib. I, cap. 14, fol. 15r.

[2] Num. 405, ad 4, p. 597. Cf. num. 110, *Solutio*, p. 172a.

[3] Num. 131, ad 2, p. 202.

[4] Num. 127, *Solutio*, p. 198.

[5] Num. 20, ad 3, p. 31.

[6] Num. 64, ad 4, p. 96. De Rabbi Moyse Maimonide cf. num. 162, I, p. 242.

[7] Num. 92, p. 148.

[8] Num. 133, ad 1 et 2, p. 204; num. 140, ad 1, p. 218.

[9] Num. 64, ad 12, ad 14, p. 98. Cf. num. 57, *Solutio*, p. 86a.

[10] Num. 64, p. 92-99.

[11] Num. 150, ad 6, p. 229.

[12] Num. 270, ad 3, p. 365. Cf. num. 60, ad 2, p. 89; num. 426, sub *Respondeo*, p. 619.

[13] Cf. Roger. Baco, *Opus minus*, ed. Brewer, London 1859, p. 326.

[14] Explicitae citationes sunt, p. 1b: « in principio *Metaphysicae* », p. 4b: « in *Metaphysicis* », p. 118a: « in V *Metaphysicae* », p. 18a: « in libro *De caelo et mundo* ».

[15] Num. 64, n. 12-16, p. 94-95, ad 12-16, p. 98-99.

[16] Num. 66, p. 103; num. 173, p. 256; num. 131, p. 202.

[17] Num. 162, p. 242; num. 74, p. 117-120.

[18] Florentiae, Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 7, Sin., cod. 7, fol. 52v.

dendum est Augustino et Anselmo quam Philosopho: sicut luce lucente in monte, in quo non sunt nubes vel [sunt] lucidae nubes, et in valle in qua essent vapores vel nubes densae, plus esset credendum homini stanti in monte de claritate temporis vel diei quam homini existenti in valle in medio vaporum et nubium densarum, et plus etiam esset credendum homini de lumine qui existens in monte posset oculos circumferre et supra respicere quam homini qui esset in monte et semper haberet oculos ad lumen quod esset in terra defixos; sic et Sancti fuerunt in monte bonae vitae sine concupiscentia carnis et mundi cupiditate et superbia vitae intellectum obtenebrantibus, habuerunt etiam oculos ad lumen supernum elevatos, Philosophi vero fuerunt in valle densa per malam vitam quae intellectum obscurat multum, et habuerunt oculos ad lumen terrae, id est creaturae, defixos; propter quod etiam ipsi dicunt nihil posse intelligi sine phantasmate, quasi existens in valle diceret nihil posse videri nisi in densa nube vel vapore. Quia ergo "veritas est quaedam lux intelligibilis" secundum Augustinum, *De vera religione*, de omni veritate quam tractat Sanctus, simul [et] Philosophus, plus adhaerendum est iudicio Sancti quam Philosophi, sicut plus credendum est homini existenti in monte de lumine corporali quam homini existenti in valle».

In Collegio S. Bonaventurae
8 novembris 1924.

PATRES EDITORES.

UNI TRINOQUE DOMINO
SIT SEMPITERNA GLORIA!

OPERA MANUSCRIPTA A NOBIS ALLEGATA.

ANONYMI, *Biblia cum glossis,* Patavii, Bibl. S. Ant., Scaf. XII, n. 274: p. 29, n. 5.

» *Breviarium Romanum,* Florent., Bibl. Laurent., Leopold. Gad., cod. 205: p. 744, n. 4.

» *Expositiones in Boethii De consol. philosophiae:* Florent., Bibl. Laurent., Plut. 77, cod. 4; Plut. 78, codd. 16, 17, 18, 19, 20, 21; cod. Gadd. Sup., Plut. 89, cod. 82; Aedil. 162; S. Crucis, Plut. 25, Sin., cod. 2. — Monachii, Bibl. Status, codd. lat. 4603, 9659, 16119. — Paris., Bibl. Nation., codd. lat. 6401a, 6403, 6406, 6410, 6411, 6639, 6643, 6645, 6646, 6769, 6770, 6773; Nouv. acq. lat. 13334, 13953, 14416, 14380, 14381, 15104, 16094, 17815, 17816. — Trecis, Bibl. Municip., codd. 1381 et 1101. — Treviris, Bibl. Municip., cod. 1903: p. 314, n. 6. — Vindobon., Bibl. Status, codd. lat. 53, 3245: p. 310, n. 2; 314, n. 6. — Vindobon., Bibl. Status, codd. lat. 84, 3143, 3146, 3150, 3223, 3251, 3252 4989: p. 314, n. 6.

» *Quaestiones theologicae,* Assisii, Bibl. Commun., cod. 138: p. 173, n. 3; 191, n. 1.

» *Quaestiones theologicae,* Assisii, Bibl. Commun., cod. 182: p. 346, n. 1.

» *Quaestiones theologicae,* Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 16406: p. 87, n. 6; 346, n. 1.

» *Quaestiones theologicae,* Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 15272: p. 87, n. 6.

BURGUNDIO, *Damasceni De orthodoxa fide,* Florent., Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 13, Dext., cod. 8: p. 56, n. *e;* 499, n. *n.*

GILBERT. TORNACENSIS, O. F. M., *Erudimentum doctrinae,* Florent., Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 36, Dext., cod. 6: p. XXXII, n. 3.

S. GUALTER. BRUGENSIS, O. F. M., *Quaestiones disputatae,* Florent., Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 7, Sin., cod. 7: p. XXXIX, n. 18.

GUIL. DE MARA, O. F. M., *Comment. in I Sent.,* Florent., Bibl. Nation., Conv. Soppr., cod. A. 2. 727: p. XXXI, n. 7.

» *Quaest. disputatae,* Florent., Bibl. Nation., Conv. Soppr., cod. B. 6. 912: p. XXXI.

MATTHAEUS AB AQUASPARTA, O. F. M., *Quodlibeta,* Tuderti, Bibl. Commun., cod. 44: p. XXXI, n. 6.

NICOL. TRIVETH, O. P., *Comment. in Boeth. De consol.,* Paris., Bibl. Nation., codd. lat. 6404, 6408, 6409, 6641; Nouv. acquis. lat. 10045, 11856, 12962, 18424; — Florent., Bibl. Laurent., Plut. 76, codd. 46, 47, 56; Plut. 77, cod. 3; Gadd. Sup., Plut. 89, cod. 87; Aedil. 163; S. Crucis, Plut. 25, Sin., cod. 1 et Plut. 33, Sin., cod. 7: p. 314, n. 6.

ODO RIGALDUS, O. F. M., *In I Sent.,* Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 14910: p. 179, n. 1.

PHILIPPUS GREVIUS, *Summa de bono,* Florent., Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 36, Dext., cod. 4: p. 2, n. 3; 28, n. 4; 376-80.

PRAEPOSITINUS, *Summa,* Tuderti, Bibl. Commun., cod. 71: passim.

ROGER. BACO, O. F. M., *Comment. secundus in Physic. Aristot.,* Ambiani, Bibl. Municip., cod. 406: p. 94, n. 8.

ROBERT. MELODUNENSIS, *In I Sent.,* Brugis, Bibl. Commun., cod. 191: p. 6, n. 4; 645, n. 2.

SIMON TORNACENSIS, *Summa,* Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 14886: p. 656, n. 3.

THOMAS EBORACENSIS, O. F. M., *Sapientiale,* Florent., Bibl. Nation., Conv. Soppr., cod. A. 6. 437: p. XXX, n. 20; XXXIX, n. 1; 18, n. 6.

OPERA IMPRESSA A NOBIS ALLEGATA.

Acta Sanctorum, mens. Augusti, IV, Paris 1867.

ALANUS, *Maxime theologice,* s. a. e. l.

B. ALBERTUS MAGNUS, O. P., *Summa theologica,* lib. I, Paris 1895, t. XXXI.

ALGAZEL, *Logyca et Philosophia,* Coloniae 1506.

ARISTOTELES, *Opera omnia,* Paris, Didot 1848.

» » Iacob. de Venetiis, Venetiis 1496.

AURIAULT CH. J., *De la connaissance de Dieu d'après Alexandre de Halès,* in *Revue de l'Institut de Paris,* VIII, 1903, 390.

AVENCEBROL, *Fons vitae,* ed. C. BAEUMKER, in *Beiträge Baemker,* I, Heft 2-4, 1892-95.

AVERROES, *Commentarii in Aristotel.,* in *Aristotelis Stagiritae omnia quae extant opera,* Venetiis ap. Juntas 1503.

» *Epitome in libros Metaphysicae,* Venetiis 1552.

» *De anima,* Venetiis 1550.

» *Destructio destructionum,* Lugduni 1529.

AVICENNA, *Logyca, Sufficienlia* etc., Venetiis 1508.

BACO ROG., *Opus maius*, ed. H. BRIDGES, London 1900.

» *Opus minus*, ed. BREWER, London 1859.

» *Opus tertium*, ed. J. S. BREWER, London 1859.

» *Metaphysica*, ed. R. STEELE, London s. a.

BAEUMKER C., *Ein Traktat gegen die Amalricianer*, Paderborn 1893.

» *Witelo ein Philosoph und Naturforscher des XIII. Jahrhunderts*, in *Beitr. Baeumker*, III, fasc. 2, 1908.

BARBERIIS B. DE, O. Cap., *Cursus theologicus ad mentem S. Bonaventurae*, Lugduni 1687.

BAUR L., *Die Philosophie des Robert Grosseteste*, *Beitr. Baeumker*, XVIII, fasc. 4-6, 1917.

Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters herausgegeben von Cl. Baeumker (Beiträge Baeumker), Münster 1891-1924.

BELVACENSIS V., *Speculum doctrinale*, Venetiis 1494.

BOETHIUS, *Opera omnia*, Basileae 1570.

» *Philosophiae consolationis libri quinque*, ed. R. PEIPER, Lipsiae 1871.

S. BONAVENTURA, cf. Editores.

CALLEBAUT A., O. F. M., *Les Provinciaux de la Province de France*, in *Archivum Franciscanum Historicum*, X, 1917.

CALMET A., O. S. B., *Commentarius litterarius in Evangelium Ioannis*, VII, Venetiis 1756.

CELANO TH. A, O. F. M., *Legenda S. Francisci*, ed. E. D' ALENÇON, O. Cap., Roma 1906.

[CEVA B. DE], O. F. M., *Firmamenta trium Ordinum beatissimi Patris nostri Francisci*, Parisius 1512.

CHEVALIER U., *Repertorium hymnologicum*, Louvain 1892-1904.

S. CHRYSOSTOMUS I., *Opera omnia*, V, Venetiis 1583.

Codex Iustiniani, Lugduni 1557.

CORRENS P., *Die dem Boethius fälschlich zugeschriebene Abhandlung des Dominicus Gundisalvi De unitate*, in *Beiträge Baeumker*, I, Heft 1, 1891.

DANIELS A., O. S. B., *Quellenbeiträge und Untersuchungen zur Geschichte der Gottesbeweise in dreizehnten Jahrhundert*, in *Beiträge Baeumker*, VIII, Heft 1-2, 1909.

» *Anselmzitate bei dem Oxforder Franziskaner Roger von Marston*, in *Theol. Quartalschrift*, XCIII, 1911, 35-39.

Decretales Gregorii Papae IX cum glossis, Venetiis 1595.

DE LA HAYE I., O. F. M., *Bibliotheca maxima*, XVII, Paris 1660.

DELISLE L., *Le Cabinet des Manuscrits*, Paris 1868-81.

DENIFLE-CHATELAIN, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, I, Paris 1899.

DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum*, ed. 11, Freiburg i. Br. 1913.

DIONYSIUS CARTUSIANUS, *Opera omnia*, Tournai 1902.

DU CANGE, *Glossarium mediae et infimae latinitatis*, Paris 1840-50.

DUHEM P., *Le système du monde*, Paris 1913-17.

EDITORES Collegii S. Bonaventurae, O. F. M., *S. Bonaventurae opera omnia*, Ad Claras Aquas 1882-1902.

» *Petri Lombardi libri IV Sententiarum*, Ad Claras Aquas 1916.

» *De humanae cognitionis ratione anecdota quaedam*, Ad Claras Aquas 1883.

» *Bibliotheca Franciscana Ascetica medii aevi*, I, Ad Claras Aquas 1904.

» *Chronica XXIV Generalium*, in *Analecta Franciscana*, III, Ad Claras Aquas 1897.

» *De conformitate vitae beati Francisci ad vitam Domini Iesu, auctore Fr. Bartholomaeo de Pisa*, I, in *Analecta Franciscana*, IV, Ad Claras Aquas 1906.

EHRLE FR., S. I., *Historia Bibliothecae Romanorum Pontificum tum Bonifatianae tum Avenionensis*, Romae 1890.

EHRLE-DENIFLE, *Archiv für Literatur und Kirchengeschichte*, Freiburg i. Br. 1885-1889.

ENDRES I., *Geschichte der mittelalterichen Philosophie im christlichen Abendlande* (*Sammlung Kösel* n. 22), München-Kempten, s. a.

EUCLIDES, *Elementa Geometriae*, Venetiis 1509.

FELDER H., O. Cap., *Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden bis um die Mitte des 13. Jahrhunderts*, Freiburg i. Br. 1904.

GHELLINCK J. DE, S. I., *Le mouvement théologique du XIIe siècle*, Paris 1914.

GILSON E., *La philosophie de Saint Bonaventure*, Paris 1924.

GIORDANI B., O. F. M., *Acta franciscana e tabulariis Bononiensibus deprompta*, in *Anal. Francisc.*, IX.

GONZAGA FR., O. F. M., *De origine seraphicae religionis franciscanae*, Romae 1587 et Venetiis 1603.

GRABMANN M., *Die Geschichte der scholastischen Methode*, Freiburg i. Br. 1901-1911.

» *Der göttliche Grund menschlicher Wahrheitserkenntnis nach Augustinus und Thomas von Aquin*, Münster 1924.

GUARDINI R., *Die Lehre des heil. Bonaventura von der Erlösung*, Dusseldorf 1921.

GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa aurea,* Paris ap. Fr. Regnault s. a.

GUNDISSALINUS DOM., *De divisione philosophiae,* ed. L. BAUR, in *Beiträge Baeumker,* IV, Heft 2-3, 1903.

GUTTMANN I., *Die Scholastik des dreizehnten Jahrhunderts in ihren Beziehungen zum Judenthum und zur jüdischen Literatur,* Breslau 1902.

HAUZEUR M., O. F. M., *Collatio totius theologiae,* Augustae Eburorum 1646.

» *Anatomia Sancti Augustini,* Augustae Eburorum 1643-45.

HERINCX G., O. F. M., *Summa theologica scholastica,* ed. tertia, Antverpiae 1704.

HERMETIS TRISMEGISTI, *De castigatione animae libellus,* ed. O. BARDENHEWER, Bonn 1873.

HESSEN I., *Die Begründung der Erkenntnis nach dem heil. Augustin,* in *Beitr. Baeumker,* XIX, fasc. 2, 1919.

HUGO DE S. CHARO, O. P., *In Epistolam ad Romanos,* Venetiis 1754.

JOURDAIN C., *Excursions historiques et philosophiques à travers le Moyen Age,* Paris 1888.

KELLNER H., *Heortologie,* ed. tertia, Freiburg i. Br. 1911.

LEMMENS L., O. F. M., *Fragmenta minora. Catalogus sanctorum Fratrum Minorum,* Romae 1903.

Die pseudo-aristotelische Schrift ueber das reine Gute bekannt unter dem Namen Liber de causis, ed. O. BARDENHEWER, Freiburg i. Br. 1882.

Liber de intelligentiis, ed. C. BAEUMKER, in *Beiträge Baeumker,* III, Heft 2 1908.

Liber 24 Philosophorum, ed. C. BAEUMKER, *in Festgabe zum 70. Geburtstag G. Von Hertling,* Freiburg i. Br. 1913.

LIPPENS H., O. F. M., *Une nouvelle recension du Catalogus Generalium Ministrorum Ordinis Fratrum Minorum,* in *Archivum Franciscanum Historicum,* XV, 1922.

LOMBARDUS P., cf. Editores.

LONGPRÉ E., O. F. M., *Guillaume de Méliton,* in *Dictionnaire de Théologie catholique,* VIII, voce *Méliton.*

LYRANUS N., *Biblia Sacra,* Venetiis 1588.

MAIMONIDES RABBI MOYSES, *Dux perplexorum,* Basileae 1629.

MANITIUS M., *Geschichte der lateinischen Literatur des Mittelalters,* I, München 1911.

MARTIGNÉ PR. DE, O. Cap., *La Scolastique et les traditions franciscaines,* Paris 1888.

MARTIN R., O. P., *Pro Petro Abaelardo un plaidoyer de Robert de Melun contre S. Bernard,* in *Revue des Sciences philosophiques et théologiques,* XII, 1923, 308 sqq.

MARTIN C., *Registrum epistolarum fr. Ioannis Peckham,* London 1885.

MONE, *Hymni latini,* III, Freiburg. i. Br. 1855.

Patrologia latina et graeco-latina, ed. MIGNE.

PETAVIUS D., S. I., *Dogmata theologica,* I, Venetiis 1745.

PLATO, *Timaeus interprete Chalcidio cum eiusdem Commentario,* ed. I. WRÖBEL, Lipsiae 1876.

QUÉTIF-ECHARD, O. P., *Scriptores Ordinis Praedicatorum,* I, Lutetiae Parisiorum 1721.

RÉGNON TH. DE, S. I., *Etudes de théologie positive sur la Sainte Trinité,* Paris 1892.

ROUSSELOT P., *Pour l'histoire du problème de l'amour au Moyen Age,* in *Beitr. Baeumker,* VI, fasc. 6, 1908.

RUPELLA I. DE, O. F. M., *Summa de anima,* ed. TH. DOMENICHELLI, O. F. M., Prato 1882.

B. SCOTUS I. DUNS, O. F. M., *Opera omnia,* Paris 1891-95.

SBARALEA I. H., O. M. Conv., *Supplementum ad Scriptores trium Ordinum S. Francisci,* editio secunda, I, Romae 1918.

» *Bullarium Franciscanum,* I, Romae 1759.

SEEBERG R., *Lehrbuch der Dogmengeschichte,* III, Leipzig 1913.

SIXTUS SENENSIS, *Bibliotheca Sancta,* Venetiis 1574.

STÖCKL A., *Geschichte der Philosophie des Mittelalters,* Mainz 1865.

STOHR A., *Die Trinitätslehre des heiligen Bonaventura,* Münster 1923.

VALOIS N., *Guillaume d'Auvergne,* Paris 1880.

TABULA SIGLORUM

QUIBUS CODICES NOSTRI SIGNANTUR.

B ..... Borghesianus lat. 359.
F ..... Florentinus Laurent., S. Crucis, Plut. 24, Dext., cod. 2.
G ..... Florentinus National., Conventi Soppressi, cod. I. III. 9.
L ..... Avenionensis Municip., cod. 280.
P ..... Parisiensis National., cod. lat. 15329.
R ..... » » » » 15327.
S ..... » » » » 3034.
V ..... Vaticanus lat. 701.

PROLOGUS GENERALIS

Tota christianae fidei disciplina pertinet ad duo: ad fidem et intelligentiam Conditoris et fidem atque intelligentiam Salvatoris. Unde Isaias Propheta, in persona Domini loquens, dicit, 43, 10-11: *Credatis et intelligatis quia ego ipse sum: ante me non est formatus deus et post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me Salvator.*

Fides enim [Conditoris] principaliter continet duo, scilicet cognitionem substantiae Conditoris et cognitionem operis Conditoris. Cognitio substantiae Conditoris consistit in cognitione divinae Unitatis et eiusdem beatissimae Trinitatis; cognitio vero operis Conditoris consistit in cognitione creationis rerum seu formationis. Unde Propheta signanter dixit quantum ad cognitionem substantiae: *Intelligatis quia ego sum;* Exod. 3, 14: *Ego sum qui sum;* quantum ad cognitionem operis subdidit: *Ante me non est formatus deus,* a quo sit principium universae creationis.

Item, fides et intelligentia Salvatoris versatur circa duo, scilicet circa personam Salvatoris et circa opus salvationis. Persona autem Salvatoris est persona Filii Dei, scilicet Christus in duabus naturis, divinitatis scilicet et humanitatis: Deus enim et homo unus est Christus. Unde ad significandum personam Salvatoris in natura divinitatis dicit: *Ego sum,* cui scilicet competit nomen quod est Exod. 3, 14: *Qui est misit me ad vos.* Ad significandum eamdem personam in natura humanitatis addit: *Ego sum Dominus;* unde in Apoc. 19, 16: *Habebat in vestimento suo et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* Opus salvationis consistit in sacramentis salutis per praesentem gratiam et praemiis salutis per futuram gloriam. Ad quod designandum addit: *Et non est absque me Salvator,* a quo scilicet sit principium et causa nostrae salvationis; Osee 13, 4: *Deum absque me nescies, et Salvator non est praeter me.*

Inquisitio igitur catholica de iis quae pertinent ad fidem quadripartita est: prima pars pertinet ad cognitionem substantiae divinae Trinitatis et Unitatis; secunda ad opera divinae conditionis; tertia ad personam Salvatoris in natura divinitatis et natura humanitatis; quarta vero pertinet ad sacramenta salutis et opera futurae glorificationis [1].

---

[1] Prologus iste generalis in omnibus codicibus non habetur hoc loco, sed in initio Libri III et ibi eum suo loco ponemus ac variantes lectiones codicum signabimus. Placuit autem iam hic ponere pro commoditate lectoris, quia est revera introductio in quatuor Libros *Summae* Alexandri.

ALEXANDRI DE HALES

O. F. M.

SUMMA THEOLOGICA

LIBER PRIMUS.

TRACTATUS INTRODUCTORIUS

QUAESTIO I.

DE DOCTRINA THEOLOGIAE.

Quoniam, sicut dicit Boethius, in libro *De Trinitate* [1], « optime dictum videtur [2]: eruditi est hominis unumquodque, ut ipsum est, ita de eo fidem capere tentare [3] » — unde « in naturalibus rationabiliter, in mathematicis disciplinaliter, in divinis intellectualiter versari oportebit », — theologicae facultatis inquisitionibus intendentes, cum adiutorio gratiae [a] Iesu Christi tale principium capimus, inquirentes in primis de doctrina Theologiae:

1. utrum [b] sit scientia;
2. utrum distinguatur ab aliis scientiis;
3. de quo sit ista scientia;
4. de modo traditionis huius scientiae.

CAPUT I. 1

UTRUM DOCTRINA THEOLOGIAE SIT SCIENTIA.

Quaeret igitur aliquis in primis utrum doctrina Theologiae sit scientia [4].

Ad quod arguet sic: 1. Augustinus, in libro *83 Quaestionum*, quaestione 48 [5]: « Quaedam creduntur et nunquam intelliguntur, sicut est omnis historia singularia [c] et humana gesta percurrens [d] ». Cum ergo doctrina Theologiae pro magna parte sit historica [e], ut patet in Lege et Evangelio: ergo est eorum quae nunquam intelliguntur; sed eorum quae nunquam intelliguntur non est scientia: scientia enim est intelligibilium [6]; relinquitur ergo quod doctrina Theologiae non est scientia.

2. Item, sicut dicit Philosophus, in principio *Metaphysicae* [f 7]: « Experientia singularium est, ars vero universalium: fit autem ars, cum ex multis experimento intellectis [g] una fit de similibus [h] acceptio »; sed doctrina Theologiae pro magna parte non est universalium, sed singula-

---

[a] R om. [b] V add. *doctrina illa.* [c] B *temporalia.* [d] In P nota mg. Guilelmi de Melitona: *Hystoria est geste rei narratio, ut diffinit Tullius. G.* [e] PS *historiaca,* quod V corr. [f] B *Metaphyseos.* [g] P add. mg. *vel collectis.* [h] P add. mg. *universalis.*

1 Cap. 2 (PL 64, 1250).

2 Cf. Gilb. Porret., *Commentar. in Boethii lib. De Trinit.*: « Nam, sicut optime dictum videtur a *Cicerone,* eruditi » etc. (PL 64, 1265); sed revera est dictum Aristotelis, *Ethic. ad Nicomach.*, I, c. 3 (ed. Didot, II, 2).

3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa aurea,* I, prolog., f. 1c (Paris, Fr. Regnault, s. a.): « Si autem considerassent heretici res divinas in infinitum excedere res naturales, nunquam proprias rationes rerum naturalium applicare voluissent rebus divinis, *quoniam (sicut dicit Boetius) eruditi hominis est de unaquaque re, prout eius natura exigit, sermonem habere* ».

4 Cf. scholion ad S. Bonav., I *Sent.*, procem., q. 1 (*Opp. omnia,* Ad Claras Aquas 1882-1902, I, 8); *Breviloq.*, p. 1, c. 1 (V, 210); cf. infra, p. 35 a.

5 PL 40, 31.

6 Cf. Aristot., *Poster.*, I, c. 31 (I, 150).

7 Lib. I, c. 1 (II, 468).

rium, ut patet in narratione historica [a]; relinquitur ergo quod non est ars vel scientia.

3. Item, cum triplex sit acceptio veritatis in doctrinis: opinio, fides, scientia [1], ex opinabilibus opinio, ex credibilibus fides, ex scibilibus scientia [2]; sed nunquam ex opinabilibus scientia generatur neque ex credibilibus, in quantum huiusmodi; ergo, cum doctrina Theologiae, in quantum huiusmodi, sit credibilium, Ioan. 20, 31: *Haec scripta sunt, ut* [b] *credatis,* relinquitur ergo quod acceptio doctrinae Theologiae non erit scientia.

4. Item, Augustinus, XIV *De Trinitate* [3]: « Non quidquid sciri ab hominibus potest in rebus humanis, ubi plurimum supervacuae vanitatis et noxiae curiositatis est, huic scientiae tribuo, sed illud tantummodo quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur et roboratur [c] ». Ergo haec scientia non generat nisi fidem; ergo non est vero nomine scientia, maxime cum fides sit acceptio « supra opinionem et infra scientiam constituta [4] ».

Contra: *a.* Quod cognoscitur per divinam inspirationem verius scitur quam quod [d] per humanam ratiocinationem, quia in inspiratione divina [e] impossibilis est falsitas, in ratiocinatione vero contingit plerumque [f]; ergo, cum cognitio Theologiae sit edita inspiratione divina – II Tim. 3, 16: *Omnis Scriptura divinitus inspirata* etc., et II Petr. 1, 21: *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* – ergo verius est scientia quam ceterae scientiae [g].

b. Item, Augustinus, XIV *De Trinitate* [5]: Theologia est scientia quae est in rebus quae ad salutem hominis pertinent; ergo est scientia.

Solutio: Primo notandum [h] quod est scientia causae et scientia causati. Scientia [i] vero causae causarum [k] est sui gratia; scientia vero causatorum, sive sint causae sive effectus tantum, non est [l] sui gratia, quia referuntur et dependent a causa causarum. Hinc est quod Theologia, quae est scientia de Deo, qui est causa causarum, sui gratia est. Nomen ergo scientiae appropriatur scientiae causatorum, nomen vero sapientiae scientiae causae causarum. Unde et ipse Philosophus [6] dicit quod Philosophia Prima, quae est sui gratia et [m] de causa causarum, debet dici sapientia. Simili ratione doctrina theologica, quae transcendit omnes alias scientias, debet dici sapientia; unde Deut. 4, 6: *Haec est nostra sapientia et intellectus coram populis.*

Praeterea [n], notandum quod est scientia perficiens cognitionem secundum veritatem; est etiam scientia movens affectionem ad bonitatem. Prima est ut cognitio secundum visum, et ideo debet dici scientia absoluta; secunda [o], ut cognitio secundum gustum [7], et ideo debet dici sapientia a sapore affectionis, secundum quod dicitur Eccli. 6, 23: *Sapientia secundum suum nomen est.*

Theologia igitur, quae perficit animam secundum affectionem, movendo ad bonum per principia timoris et amoris, proprie et principaliter est sapientia. Prima Philosophia, quae est theologia philosophorum, quae est de [p] causa causarum, sed ut perficiens cognitionem secundum viam artis et ratiocinationis, minus proprie dicitur sapientia. Ceterae vero scientiae, quae sunt de causis consequentibus et causatis, non debent dici sapientiae, sed scientiae.

Unde secundum [q] hoc dicendum quod doctrina Theologiae est sapientia ut sapientia [8]; Philosophia vero Prima, quae est cognitio primarum causarum, quae sunt bonitas, sapientia et potentia [r], est sapientia, sed [s] ut scientia; ceterae vero scientiae, quae considerant passiones de subiecto [t 9] per suas causas, sunt scientiae ut scientiae.

[Ad obiecta]: Respondendum est [u] igitur ad obiecta: 1. Ad primum dicendum quod aliter est historia in sacra Scriptura, aliter in aliis. In aliis enim historia significatione sermonum exprimit « singularia gesta » hominum, nec est intentio significationis interioris; et ideo, quia singularium actuum et temporalium est, omnis talis historia est eorum quae « nunquam intelliguntur ». In sacra vero Scriptura ponitur historia non ea intentione seu fine ut significentur singulares actus hominum significatione sermonum, sed ut significentur universales actus et conditiones pertinentes [v] ad informationem hominum et contemplationis divinorum mysteriorum significatione rerum. Hinc introducitur passio Abel, ut significetur pas-

---

[a] PVS *historiaca,* P add. mg. *et in lege Moysi.* [b] L om. [c] P add. mg. *et defenditur.* [d] S om. [e] Ita P add. mg., alii om. [f] B add. *quia,* quod V exp. [g] F om. *sancti... scientie.* [h] LF *Prenotandum,* S *primo nomine notandum* pro *p. n.,* V add. *est.* [i] R *scientie.* [k] L *causatorum.* [l] Codd. *sunt.* [m] B om. [n] F om. [o] RLF add. *est.* [p] R om. [q] LF *per.* [r] S exp. *potentia,* in mg. *ratio.* [s] R om. [t] RLF *subiectis.* [u] RLF om. [v] LF *particulares.*

1 Cf. Aristot., *Poster.,* I, c. 33 (I, 152).

2 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 3 (III, 466).

3 Cap. 1, n. 3 (PL 42, 1037).

4 Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa Sent.,* tr. 1, c. 1 (PL 176, 43); Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.,* I, p. 10, c. 2 (PL 176, 330); cf. Phil. Grevius, *Summa de bono,* III (cod. Florent. Laurent., S. Crucis, Pl. 36, dexter, n. 4, f. 108d).

5 Praesertim ex c. 1, n. 2 erui potest (PL 42, 1037).

6 *Metaph.,* I, cc. 1 et 2 (II, 469 et sq.); cf. Avicenna, *De Philos. Prima sive Scientia divina,* c. 1 (ed. Venet. 1508, f. 70a); Gundisalin., *De divis. philos.* (ed. Baur, in *Beitr. Baeumker* 1903, IV, fasc. 2-3, p. 38).

7 Cf. Pseudo-Dionys., *De myst. theol.,* c. 2 (PG 3, 1026, PL 122, 1174).

8 Cf. Praepositin., *Summa,* II (cod. Tudertin. 71, f. 117bc).

9 Cf. Aristot., *Poster.,* I, c. 28 (I, 149).

sio Christi et iustorum; malitia Cain, ut significetur perversitas iniustorum [1]; et sic in ceteris. Introducitur ergo in historia sacrae Scripturae factum singulare ad significandum universale, et inde est quod eius est intellectus et scientia.

2. Ad secundum dicendum [a] quod universale dicitur quatuor modis: in praedicando: ut homo; in exemplando: ut forma sotularis [2] ad multos sotulares et vita Iob ad vitam multorum hominum; in significando: ut Iacob ad significandum iustum qui contrahit [b] cum Rachele et Lia, quia exercet se in vita activa et contemplativa [3]; in causando: ut Deus, causa universalis [c] conditionis rerum, et Christus, causa universalis reparationis hominum [d]. Secundum hoc ergo dicendum quod est universale in Scriptura sacra. Habet enim [e] Scriptura sacra sententias generales, ut: *Initium sapientiae timor Domini,* Prov. 1, 7; *Finis praecepti* [f] *caritas,* I Tim. 1, 5 et huiusmodi; in quibus universalibus sententiis est universale primo modo, secundum ambitum praedicationis. — Habet [g] sententias particulares, ut quae proponuntur historice, prophetice et huiusmodi, in quibus, quantum ad sensum exteriorem, est universale secundo modo dictum, scilicet exemplare. Verbi gratia, in litterali historia Abrahae et Iob singulare est quod narratur, sed ad hoc in Scriptura narratur ut exemplar sit vitae et conversationis bonorum [h]. Unde Rom. 15, 4: *Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt;* et Iac. ultimo, 10: *Exemplum accipite patientiae et longanimitatis Prophetas* [i 4]. — Quantum vero ad sensum interiorem et spiritualem est universale tertio modo in particularibus sententiis, scilicet universale [k] in significando, quia est signum rei universalis ad multa. — Quantum ad utrumque sensum Scripturae interiorem et exteriorem, sive in sententiis particularibus sive generalibus, secundum quod [l] fit reductio ad Deum, qui est universalis causa conditionis rerum, vel ad Christum, qui est universalis causa reparationis [5] hominum, est [m] universale quarto modo, scilicet in causando. Secundum ergo [n] hunc modum et distinctionem est dicere doctrinam sacram esse rerum universalium.

3. Ad tertium dicendum quod, secundum distinctionem Augustini, in libro *83 Quaestionum* [6], « credibilium tria sunt genera. Alia sunt quae semper creduntur et nunquam intelliguntur, sicut est omnis historia. Alia, quae mox ut creduntur intelliguntur, sicut sunt omnes rationes humanae vel de numeris vel de quibuscumque disciplinis. Alia, quae primo creduntur et postea intelliguntur, qualia sunt ea quae de divinis rebus non possunt intelligi nisi ab eis qui mundo sunt corde [7], quod fit praeceptis servatis quae de bene vivendo accipiuntur ». Ex hoc ergo apparet quod est ' credibile ' quod nunquam coniungitur scientiae, sicut sunt gesta historica [o]; quaedam vero quae [p] coniunguntur scientiae, sicut credibilitas [q] rationum disciplinalium; quaedam vero sunt quae disponunt ad intellectum et scientiam, sicut est in divinis. Unde, secundum aliam litteram [8], dicitur Is. 7, 9: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Non repugnat ergo doctrinam Theologiae esse credibilium et esse scientiam.

4. Ad quartum iam apparet responsio: quia haec scientia primo generat fidem, et postea [r], mundato corde per fidem operantem per dilectionem [9], generat intellectum. Unde haec est differentia istius doctrinae, quae est sapientia, ab aliis, quae sunt scientiae: quia hic ipsum ' credere ' introducit ipsum ' intelligere '; in aliis vero ipsum ' intelligere ' introducit ipsum [s] ' credere ': eo enim quod intelligit, assentit. — Ad illud tamen quod addit quod « fides est infra scientiam et supra opinionem [t] », distinguendum est: quod est fides suasa ex rationibus probabilibus, et de hac est verum quod ipsa est infra scientiam; et est fides inspirata ad assentiendum primae veritati sive primo vero propter se ipsum [10], et haec est supra omnem

---

[a] L *dicitur.* [b] B *contraxit.* [c] F *de causa universali* pro *D. c. u.* [d] F om. *conditionis.... hominum.* [e] S add. *in.* [f] RLF add. *est.* [g] F *Item,* R add. *etiam.* [h] F add. *hominum.* [i] PVSB *prophetarum.* [k] S om. *tertio... universale,* F om. *sententiis.* [l] P add. al. m. [m] V add. *in.* [n] BR *vero.* [o] VL *historiaca.* [p] R om. [q] Ita S, alii *credulitas.* [r] BRLF *postmodum.* [s] RLF om. [t] F *dispositionem.*

1 Cf. Augustin., *Contra Faustum Manichaeum,* XII, c. 9 (PL 42, 258).

2 Id est *calcei;* cf. Du Cange, *Glossarium,* verbo *Sotulares.*

3 Cf. Augustin., loc. cit., XXII, c. 52 (PL 42, 432).

4 Verba *et longanimitatis* (quae in textu graeco occurrunt) addit etiam Beda, *Comment. in Ep. S. Iac.* (PL 93, 38).

5 Apud Hugon. de S. Vict. saepius occurrit distinctio conditionis seu creationis et reparationis seu restaurationis mundi. Cf. *De sacram. christ. fid.,* prol., c. 2 (PL 176, 183); *De Scripturis,* c. 2 (PL 175, 11); *Excerpt. prior.,* II, c. 1 (PL 177, 203).

6 Quaest. 48 (PL 40, 31); cf. Paschas. Radbert., *De fide, spe et charitate,* ubi fusius hic textus explicatur (PL 120, 1404 et sqq.).

7 Cf. Matth. 5, 8.

8 Ita etiam *Septuaginta.* Haec lectio invenitur apud Augustin., *Epist.* 120, n. 3 (PL 33, 453); *Sermo* 43 (PL 38, 254 sqq.); Anselm., *Proslog.,* c. 1 (PL 158, 227); *De fide Trinit.,* c. 2 (PL 158, 263); Hug. de S. Vict., *Miscell.,* V, tit. 104 (PL 177, 804). In Vulgata legitur: « *Si non credideritis, non permanebitis* ».

9 Cf. Gal. 5, 6.

10 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* III, tr. 3, q. 3 (f. 146d): « Fides est assentire primae veritati propter se et super omnia ».

scientiam et ad hanc disponit acceptio doctrinae sacrae et in hanc [a] totaliter intendit.

Item [b], adhuc obiciet aliquis sic: « Omnis scientia est alicuius generis subiecti, cuius partes et passiones per se considerat », sicut dicit Philosophus [1]; sed dicit Boethius, in libro *De Trinitate* [2], quod « Deus non est subiectum »; ergo non est accipere considerationem de Deo ut passionem de subiecto; ergo Theologia, quae est cognitio de Deo, non erit scientia.

Ad [c] hoc dicendum quod alius est modus « cognoscendi formas alligatas materiae, alius est [d] modus cognoscendi formas separatas a materia », sicut ostendit Boethius, in libro *De Trinitate* [3]. In primis enim est forma circa subiectum, et hoc per causam aliquam; et de huiusmodi intelligitur « scientia est generis subiecti, passiones ipsius subiecti considerans ». In formis vero et rebus separatis a materia, velut est ipsa divinitas et trinitas personarum, est modus cognoscendi alius, ut per operationem cognoscamus virtutem, per virtutem ipsam divinitatis substantiam, Rom. 1, 2: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas.* — Praeterea, alius est modus cognoscendi simplicia, alius composita. Composita enim cognoscuntur per resolutionem in suas partes: et ideo scientia, quae est de compositis [e], est unius generis subiecti, cuius partes considerat; in simplicibus vero, quorum non est accipere partem [f], non est accipere hunc modum sciendi: circa ergo simplicia divinitatis est modus cognoscendi non talis, sed qui dictus est.

2 CAPUT II.

DE DISTINCTIONE DOCTRINAE SACRAE AB ALIIS SCIENTIIS.

Consequenter quaeritur de distinctione doctrinae sacrae ab aliis scientiis [4]. Quaeritur ergo si doctrina Theologiae sit sicut una aliarum scientiarum, vel comprehendat ipsas, vel comprehendatur in [g] illis ut alicui parti Philosophiae supponatur.

Ad quod obicitur sic: 1. Eccli. 1, 1: *Omnis sapientia a Domino Deo est;* ergo omnis sapientia seu scientia est theologica vel [h] divina, quia theologica scientia non est aliud quam scientia divina.

2. Item, theologica sive divina scientia aut dicitur divina quia a Deo: et tunc omnis alia scientia est divina; aut dicitur divina [i] quia est de Deo: et secundum hoc Philosophia Prima est divina et theologica, quia est de Deo; erit igitur sacra Scriptura scientia sicut aliae vel sicut Prima Philosophia.

3. Item, si dicatur divina quia a Spiritu divino edita, obicitur: quia « omne verum, a quocumque dicatur, a Spiritu Sancto est » verum, sicut dicit Glossa [5] super illud I Cor. 12, 3: *Nemo potest dicere: Dominus Iesus* etc.; ergo omnis veritas cuiuscumque scientiae est edita a Spiritu Sancto; ergo, cum Theologia sit scientia a Spiritu divino [k] edita, erit omnis alia scientia theologica.

4. Item, si theologica seu divina dicatur quia per divinam revelationem habita, obicitur: Rom. 1, 19, ubi loquitur de cognitione philosophorum quam habuerunt de Deo: *Quod notum est Dei manifestum est in [l] illis: Deus enim illis revelavit* [6]; ergo cognitio philosophica de Deo fuit habita per revelationem; ergo est [m] theologica.

Ex iis ergo rationibus videtur relinqui quod Theologia sit sicut una scientiarum, connumerabilis inter alias.

Contra: *a.* Omnis humana scientia est acquisita per inventionem vel [n] doctrinam; sed theologica disciplina est inspirata, non acquisita, quantum ad editionem, sicut dicitur II Tim. 3, 16 [7]; ergo non est sicut una ex aliis.

b. Item, omnes humanae scientiae fundantur super testimonium creaturae, ex quo colligitur experimentum, sicut dicit Philosophus, in *Metaphysicis* [8]: « Omnis scientia et ars per experientiam accidit: experientia enim fecit artem »; sed theologica doctrina fundatur super testimonium fidei, Is. 7, 9 secundum aliam litteram [9]: *Nisi credideritis, non intelligetis;* ergo non est sicut aliae scientiae.

---

[a] PVB *hac.* [b] R *Et.* [c] RLF *Et ad.* [d] BRLF om. [e] F *hiis.* [f] F *partes.* [g] V *ab.* [h] VBF *et.* [i] F om. *quia... divina.* [k] L *sancto.* [l] Ita V (interl.) S (mg.) LF, PBR om., L om. *est.* [m] RLF om. [n] R add. *per.*

1 *Posterior.*, I, c. 28 (I, 149).
2 Cap. 4 (PL 64, 1253).
3 Cap. 2 (PL 64, 1250).
4 Cf. S. Bonav., *De reduct. art. ad Theol.* (V, 319-325).
5 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1651).
6 Ita Lombard. (PL 191, 1325), Haymo (PL 117, 374) et *Glossa interl.*, in h. l., necnon Lombard., I *Sent.*, d. 3, c. 1 (p. 30); Vulgata: *manifestavit.*
7 *Omnis Scriptura divinitus inspirata.*
8 Lib. I, c. 1 (II, 468). 9 Cf. supra, p. 3b, nota 8.

c. Item, I Cor. 2, 7: *Sapientiam loquimur in mysterio, quae abscondita est.* Glossa[1]: « Ut nesciant pseudo », « quia non est [a] in verbis, sed in virtute, non [b] humana ratione comprehensibilis [c], sed Spiritus efficacia credibilis[2] »; ergo non est sicut aliae scientiae.

d. Item, Hugo de S. Victore[3]: Aliae scientiae sunt « de operibus conditionis, quae [d] scilicet apparent in rerum natura; Theologia vero est de [e] operibus reparationis », quae apparent ex fide, non in rerum natura seu in humana ratione, sicut dicitur super illud Rom. 1, 19: *Quod notum est Dei*[4], « id est quod de Deo noscibile est per naturalem rationem, quia multa sunt [f] quae de Deo sciri per naturam non possunt »; ergo non est connumerabilis [g] inter alias scientias.

e. Item, in aliis scientiis sunt solum significationes verborum, in hac autem sunt non solum significationes verborum, sed etiam [h] rerum[5], Gal. 4, 22: *Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit;* et sequitur [i][6]: *Quae sunt per allegoriam dicta;* et I Cor. 2, 7: *Loquimur sapientiam* [k] *in mysterio;* Glossa[7]: « Exponendo mysteria Veteris Testamenti, in quibus Christus significatur, ut in hostia [l] Abel vel Abrahae ».

f. Item, omnes aliae scientiae traduntur secundum ordinem ratiocinationis a principiis ad conclusiones, quibus doceatur intellectus, non [m] moveatur affectus; sed Scriptura sacra traditur secundum ordinem informationis practicae principiorum ad operationes, ut moveatur affectus secundum timorem et amorem ex fide iustitiae et misericordiae Dei. Unde Deut. 6, 5: *Diliges Dominum Deum tuum* etc.; et infra[8]: *Dominum Deum tuum timebis* etc.; et Exod. 20, 5: *Ego sum Deus zelotes, vindicans* etc. *et faciens misericordias* etc.

[Solutio]: Ex iis igitur sequitur quod Theologia non est sicut alia scientia, nec connumerabitur inter alias, ut alicui parti Philosophiae supponatur. Quod concedendum est.

1-4. **Ad obiecta** autem respondendum hoc modo: quoniam doctrina sacra dicitur divina seu theologica, quia a Deo et de Deo et [n] ductiva ad Deum. — ' A Deo ': quod convenit aliis scientiis, sed tamen non [o] hoc modo convenit sacrae Scripturae. Est enim verum ut verum, et est verum ut bonum; utrumque est a Spiritu Sancto. Sed cum accipitur verum ut bonum, illud bonum aut est ut bonum morale aut ut bonum gratuitum. Si gratuitum: sic est assimilatio ad Spiritum Sanctum, qui est bonitas; et ideo huiusmodi acceptio est a Spiritu Sancto per modum ipsius: hinc est quod antonomastice dicitur haec doctrina edita a Spiritu Sancto. In aliis vero scientiis, speculativis scilicet, est acceptio veri ut veri et [p] etiam boni ut veri [q]; in practicis autem moralibus, etsi sit acceptio veri ut boni, non tamen ut boni gratuiti, sed moralis: unde non dicuntur editae a Spiritu Sancto. — Item, ' de Deo ' dicitur esse ista scientia et non sicut aliae scientiae, velut Prima Philosophia, quia non agunt de Deo secundum mysterium Trinitatis vel secundum sacramentum humanae reparationis. — Item, ' ductiva ad Deum ': per principium timoris et amoris ex fide misericordiae et iustitiae Dei; quod non convenit alicui ex aliis [r] scientiis. — Et per hoc patet solutio ad obiecta.

CAPUT III. 3

DE QUO SIT SCIENTIA SACRAE SCRIPTURAE.

Ordine sequenti [s] quaeritur de quo sit scientia sacrae Scripturae[9].

Circa quod diversa leguntur: I. *a.* Hugo de S. Victore, in libro *Sententiarum*[10]: « Materia divinarum Scripturarum sunt opera reparationis; aliarum vero scientiarum opera conditionis ».

Contra: 1. Gen. 1 agitur de operibus conditionis.

2. Item, Theologia est scientia de Deo; ergo est scientia de causa operum conditionis et reparationis; non igitur materia divinarum Scripturarum erunt opera reparationis, sed magis ipsa causa, quae Deus est.

---

[a] LF om. [b] SLF add. *in.* [c] V *apprehensibilis.* [d] L om. [e] S om., V exp. [f] F om. *noscibile... sunt.* [g] S *convertibilis.* [h] VBF om. [i] V om. *e. s.* [k] S (corr.) LF *sapientie causam.* [l] L *historia.* [m] R add. *ut.* [n] V om. [o] S *in.* [p] RLF om. *et*, V *ei*, quod expunxit et corr. mg. *in.* [q] Ita BLF, alii *veri ut boni* pro *b. u. v.* [r] LF om. [s] RLF *consequenti.*

1 Scil. *interlinearis.* Forma abbreviata *pseudo*, pro *pseudo-apostoli*, invenitur etiam in *Glossa ordinaria* ad Gal. 2, 9 (PL 114, 572); Lombard., *In Ep. ad Gal.* 4, 19 (PL 192, 145); Petr. Comest., *Hist. scholastica, in Act. Apost.*, c. 42 (PL 198, 1671).

2 *Glossa ordinaria* (PL 114, 521), ex Ambrosiastro, *Comment. in Epist. ad Cor.*, c. 2 (PL 17, 193); Lombard. utrumque textum iungit (PL 191, 1548).

3 *De sacram. christ. fid.*, prolog., c. 2 (PL 176, 183).

4 Lombard., in h. l. (PL 191, 1326).

5 Cf. Hugo de S. Vict., loc. cit., c. 5 (PL 176, 185).

6 Ibid., vers. 24.

7 *Ordinaria*, in h. l. (PL 114, 521).

8 Deut. 6, 13.

9 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, quaest. procem., q. 1 (I, 6-9); *Breviloq.*, prol. et p. 1, c. 1 (V, 205-207, 210).

10 Rectius *De sacram. christ. fid.*, prol., c. 2 (PL 176, 183).

II. 3. Item, Magister, in *Sententiis* [1], secundum B. Augustinum, *De doctrina christiana* [2], ponit « continentiam Novae et Veteris Legis circa res et signa versari »; ergo materia divinarum Scripturarum sunt res et signa.

Contra: 4. Non est eadem scientia rerum et signorum, immo dividuntur scientiae reales, quae sunt de rebus, contra scientias sermocinales, quae sunt de signis rerum; ergo non est una scientia rerum et signorum.

5. Item, res de quibus agit Theologia, secundum Augustinum [3], sunt res « quibus fruendum, quibusque [a] utendum, quae fruuntur et utuntur »; sed sub iis comprehenditur omne genus rerum; ergo Theologia est de omnibus.

III. 6. Item, ponunt alii [4] quod materia divinarum Scripturarum est « Christus integer, caput et corpus, Christus et Ecclesia, sponsus et sponsa », iuxta Glossam [5] in principio Psalterii, quia « nihil est in divina Scriptura quod non pertineat ad Christum vel ad [b] Ecclesiam [6] ».

Sed contra: 7. *Finis Legis est Christus,* Rom. 10, 4; et Eccli. 43, 29: *Consummatio sermonum ipse est;* ergo non est materia.

Respondeo: Materia dupliciter accipitur in scientiis [c]: 'de qua' et 'circa quam'. 'Materia de qua' potest assignari tripliciter, secundum illud B. [d] Dionysii, in *Hierarchia angelica* [7]: « In tria dividuntur supermundana ratione omnes divini intellectus: in essentiam, virtutem et operationem ». Secundum hoc ergo, si assignemus materiam divinarum Scripturarum secundum rationem operationis, dicemus quod materia divinarum Scripturarum sunt opera reparationis humani generis. Si vero assignemus materiam divinarum Scripturarum secundum rationem virtutis, dicemus quod materia divinarum Scripturarum est Christus, qui est *Dei virtus et Dei sapientia,* I Cor. 1, 24. Si vero assignemus materiam divinarum Scripturarum secundum rationem essentiae, dicemus quod materia divinarum Scripturarum est Deus sive divina substantia. Unde secundum hoc Theologia est scientia de substantia divina cognoscenda per Christum [e] in opere reparationis [8].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [f] ergo quod primo obicitur contra assignationem Hugonis, quod 'in 1 Gen. agitur de operibus conditionis': dicendum [g] quod duplici ratione agitur in scientia de aliquo: vel quia pertinet ad genus rei de qua agitur in illa scientia, sicut contentum in illo, vel ut clarius fiat et manifestius illud de quo agitur in illa scientia. Secundum primum modum agitur etiam in sacra Scriptura de operibus reparationis, sed secundum modum secundum agitur de operibus conditionis. Unde Hugo de S. Victore, in *Sententiis* [9]: « Ut competentius ad tractanda opera restaurationis accedat, primum in ipso capite narrationis constitutionem narrat operum conditionis, Gen. 1. Non enim convenienter ostendere posset qualiter homo reparatus sit, nisi prius ostenderet qualiter sit lapsus, neque lapsum eius convenienter ostenderet, nisi prius qualiter a Deo [h] institutus fuerat explicaret. Ad ostendendam autem primam institutionem hominis oportuit ut totius mundi constitutio poneretur, quia propter hominem factus est mundus ».

2. Ad secundum vero quod obicitur contra eumdem, quod 'Theologia est de causa operum recreationis et conditionis': concedendum est. Non tamen ex hoc sequitur quod materia divinae Scripturae non sint opera reparationis, quia summa causa, quae Deus est, declaratur per opus reparationis, per virtutem Christum, sicut dictum est [10], ut in operatione cognoscamus virtutem et in virtute divinitatem, Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei,* scilicet *virtus et divinitas, cognoscuntur per ea quae facta sunt.* — Nota ergo secundum Hugonem [11] quod « opus conditionis est creatio mundi cum omnibus elementis suis; opus vero restaurationis est incarnatio Verbi cum omnibus sacramentis suis. Mundanae sive saeculares scientiae materiam habent opera conditionis, divina Scriptura materiam habet opera restaurationis ».

3. Ad illud vero quod obicitur contra assignationem materiae sacrae Scripturae, in *Sententiis* [12], circa res et signa: dicendum quod res et signa sunt materia circa quam est sacra Scriptura, non materia de qua est; et ideo conve-

---

[a] VF *quibus.* [b] R om. [c] F *sententiis.* [d] R *divi.* [e] F *ipsum.* [f] V *aliud.* [g] F add. *est.* [h] S om. *a D.*

[1] Lib. I, d. 1, c. 1 (p. 14).

[2] Lib. I, c. 2, n. 2 (PL 34, 19).

[3] Loc. cit., I, c. 3 (PL 34, 20).

[4] Ita Robertus Melodunensis (cod. Brugensis 191, fol. 11b), Rob. Lincolniensis iuxta B. Ioan. Scotum, I *Oxon.*, prol., q. 2 later., n. 16 (ed. Paris 1896, VIII, p. 163-4) et Glossistae de quibus in nota sequenti.

[5] *Ordinariam,* in praefatione ad Psalter. (PL 113, 844); similiter Lombardus, *In Psalmos,* praefatio (PL 191, 59 et 60); item Gilb. Porret., *In Psalmos* (cod. Florent. Laurent., S. Crucis, Pl. 7, dext., n. 9, f. 1c).

[6] Iuxta B. Albert. M., *Summa theol.,* pars I, tr. 1, q. 3, etiam verba « *nihil est in divina Scriptura* » etc. sunt ex *Glossa* in principio Psalterii (ed. Borgnet, Paris 1895, XXXI, p. 73a).

[7] Id est *De cael. hierarch.,* cap. 11, § 2 (PG 3, 283, PL 122, 1059).

[8] Hisce apparet Alexandrum sententiam suam stricte componere ex dictis supra ad litt. *a* et nn. 2, 6.

[9] Rectius *De sacram. christ. fid.,* prol., c. 3 (PL 176, 184).

[10] Cf. supra, sub *Respondeo.*

[11] *De sacram. christ. fid.,* prol., c. 2 (PL 176, 183).

[12] Lombardi, loc. cit.

nienter dixit, iuxta B. Augustinum [1], materiam sacrae Scripturae « circa res et signa [a] versari ». Materia vero de qua est sacra Scriptura est divina substantia cognoscenda per Christum in opere reparationis. Quemadmodum est dicere de Philosophia Prima quod materia circa quam est sunt omnia — unde et dicitur esse de omnibus, **quia est circa ens secundum omnem sui differentiam**, secundum differentes [b] divisiones entis, scilicet ens potentia, ens actu, ens unum et multa, ens substantia et accidens, et huiusmodi — **materia vero de qua intentio, est** [c] **ens actu unum**, quod est substantia prima, a qua omnia dependent: ita per quemdam modum materia circa quam est sacra Scriptura, sunt res et signa; materia vero de qua principalis intentio, est illa **quae dicta est.**

4. Ad illud vero quod obicitur de unitate scientiae quae [d] non est rerum et signorum: respondendum [e] quod hoc est ubi est separata ratio considerationis rei et signorum. Hic vero non separatur consideratio, cum sit relatio considerationis ad unum, quod est reformatio hominis ad similitudinem Dei [2] seu conformatio hominis ad Deum per opus [f] reparationis a Christo.

5. Ad illud vero quod obicit quod est de omnibus, quia agit de rebus secundum omnem differentiam: dicendum quod, etsi agat de omnibus, non tamen secundum rationes differentes omnium, sed secundum unam rationem, quae est **ut homo reparatus per sacramenta incarnationis,** quae [g] est res inter fruenda et utenda constituta, per utenda perveniat ad fruenda, quae sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, incommutabile bonum. Etsi [h] ergo agat de omnibus in genere [i], non tamen de omnibus secundum omnem [k] modum sive secundum omnium rationem, sed secundum unum proprium modum et rationem quae **dicta est.**

6. Ad illud quod obicitur contra assignationem, quia [l] ponitur totus Christus, caput et corpus, materia sacrae Scripturae: concedendum est **secundum modum qui dictus est.**

7. Et quod obicitur quod 'Christus est finis, ergo non est materia': dicendum quod non sequitur. Quemadmodum enim in virtutibus quae sunt in finem, ut fides, spes, caritas, idem est **materia sive obiectum** [m] **et finis, ut fides materiam** et finem habet summum verum, credens ipsum summum verum propter summum verum; et caritas similiter amat summum bonum propter summum bonum — non autem sic est in virtutibus quae sunt eorum quae sunt ad finem, ut in [n] iustitia et fortitudine, immo est alia materia virtutis, alius finis; fortitudinis enim materia sunt ardua et difficillima, sed finis est summum bonum: tolerat enim et aggreditur difficilia propter summum bonum — similiter est [o] dicere de scientia quae est in finem, quae est sacra Scriptura, quoniam idem habet pro materia et fine. Unde non sequitur: 'Christus est finis, ergo non est **materia'.**

CAPUT IV.

DE MODO TRADITIONIS SACRAE SCRIPTURAE.

Consequenter quaeritur de modo sacrae Scripturae [3].

Et est prima quaestio an modus in sacra Scriptura sit artificialis vel scientialis;

secunda, an sit certitudinalis;

tertia, an sit uniformis vel multiformis;

et supposito quod multiformis [p], quarta quaestio est de multiformitate modorum sacrae Scripturae.

ARTICULUS I. 4

An modus sacrae Scripturae sit artificialis vel scientialis.

Ad primum obicitur sic: 1. Omnis modus poeticus est inartificialis sive non scientialis [4], quia **est modus historicus vel transumptus, qui** [q] **qui**dem non competunt arti [r]; sed theologicus modus est poeticus vel historialis vel parabolicus; **ergo non est artificialis.**

---

[a] S *circa.* [b] F *differentias.* [c] R *est intentio est etiam* pro *i. e.* [d] F *quod.* [e] R *respondetur.* [f] R *opera.* [g] RF *qui.* [h] L et F (corr.) *si.* [i] R om. *i. g.* [k] Ita RF (corr.), alii *eumdem.* [l] Codd. *qua.* [m] SB (corr.) LF *subiectum.* [n] V om. [o] B om. [p] V add. *vel uniformis.* [q] RLF *que.* [r] F om.

1 Loc. supra cit., p. 6a.

2 Cf. Hugo de S. Vict., *De Scriptur.*, c. 1 (PL 175, 10).

3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, quaest. procem., q. 2 (I, 9-12); *Breviloq.*, prol., §§ 5 et 6 (V, 206-207).

4 Verba *ars* et *scientia* apud antiquos saepe promiscue adhibentur. Ita Vincent. Belvac., *Speculum doctrinale*, I, c. 13: « Idem est ars et scientia, doctrina quoque, disciplina et facultas ». Item Aristot., *Metaph.*, I, c. 1 (II, 468); Isidor., *Etymol.*, I, c. 1 (PL 82, 73); Hugo de S. Vict., *Erud. didasc.*, II, c. 1 (PL 176, 751).

2. Item, omnis modus scientiae est definitivus, divisivus, collectivus [1]; sed modus sacrae Scripturae non est huiusmodi; ergo non est scientialis.

3. Item, omnis modus artis et scientiae est per sermones manifestos; modus sacrae Scripturae est per sermones mysticos; ergo non est artificialis vel scientialis.

Respondeo: Dicendum [a] quod non est modus sacrae Scripturae [b] artis vel scientiae secundum comprehensionem rationis humanae, sed per dispositionem divinae sapientiae ad informationem animae in iis quae pertinent ad salutem. Unde Augustinus, XIV *De Trinitate* [2]: « Non quidquid [c] sciri ab hominibus potest in rebus humanis, ubi plurimum vanitatis vel noxiae curiositatis [d] est, huic scientiae tribuo, sed illud tantummodo quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, roboratur »: quae scientia est in rebus quae ad salutem [e] pertinent.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo quod obicitur, respondendum, secundum B. Dionysium, in *Hierarchia angelica* [3], dicentem: « Valde artificialiter [f] Theologia poeticis sacris formationibus in non figuratis intellectibus usa est, nostrum intellectum respiciens ». « Etenim non est possibile aliter nobis lucere divinum radium nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum », « quoniam non est possibile animo nostro ad non materialem [g] illam ascendere caelestium hierarchiarum contemplationem, nisi ea, quae secundum ipsum est [h], materiali manuductione utatur [i] ». Propterea « pulcre in sacra Scriptura procreatae sunt informium formae et figurae carentium figuris ». Propterea « decentissimum est eloquiis divina aenigmata occultare et inviam [k] multis ponere sacram abditamque supermundanorum intellectuum veritatem; est enim non omnis sacer neque omnium, ut Eloquia dicunt sacra, scientia [l] ». Ex quibus verbis B. Dionysii patet quod ratio quare sacra Scriptura valde [m] artificialiter secundum modum poeticum tradatur, potest esse necessitas intellectus nostri, qui deficit in comprehensione [n] divinorum; secunda est dignitas veritatis quae debet celari hominibus malis.

2. Ad secundum dicendum quod alius est modus scientiae, qui [a] est secundum comprehensionem veritatis per humanam rationem; alius est modus scientiae secundum affectum pietatis per divinam traditionem. — Primus modus definitivus debet esse, divisivus [b], collectivus; et talis modus debet esse in humanis scientiis, quia apprehensio veritatis secundum [c] humanam rationem explicatur per divisiones, definitiones et ratiocinationes. — Secundus modus debet esse praeceptivus, exemplificativus [d], exhortativus, revelativus, orativus, quia ii modi competunt affectui pietatis; et hic modus est in sacra Scriptura: unde ad Titum 1, 1 dicitur scientia *secundum pietatem*. Praeterea, modus praeceptivus est in Lege et Evangelio, exemplificativus in historiographis, exhortativus in libris Salomonis et Epistolis, revelativus in Prophetis, orativus in Psalmis. — Nota etiam quod alius modus debet esse scientiae [e] quae habet informare affectum secundum pietatem; alius scientiae quae habet informare [f] intellectum solum ad cognoscendam veritatem. Ille qui erit ad informationem affectus, erit per differentias quae dictae sunt, quia praecepta [g], exempla, exhortationes, revelationes, orationes introducunt pietatis affectiones. Est autem pietas « cultus Dei », sicut dicit Augustinus, XII *De Trinitate* [4], introducens illud Iob 28, 28, alia littera [h 5]: *Ecce, pietas ipsa est sapientia*. Est autem cultus Dei, « quo nunc desideramus eum videre, credimusque [i] et speramus visuros »; desideramus caritate, credimus fide, speramus spe [6], secundum quas tres virtutes [k] pietatis disciplina formatur.

3. Ad tertium dicendum [l] quod, sicut proprium est scientiae humanae tradi per sermones manifestos, ita proprium [m] divinae sapientiae ut sit per sermones occultos. Est enim sapientia in mysterio, secundum quod dicitur I Cor. 2, 7: *Loquimur sapientiam, quae in mysterio est abscondita*. Ratio autem absconsionis est triplex. Prima est meritum fidei: in hoc enim meretur, quia credit quod non videt. Propter hoc, Apoc. 5, 1: *Vidi* [n] *in dextera sedentis librum scriptum* [o] *intus et foris, signatum sigillis septem*. — Secunda causa est exercitium studii. Propter quod dicitur

---

[a] R *respondendum*. [b] F add. *modus*. [c] L *numquid* pro *n. q.* [d] LF *curiositatis vel* (F *et*) *noxie vanitatis*, pro *v. v. n. c.* [e] P add. *hominum*. [f] Ita L, F (corr.) *artificialis*, alii *artificialis est*. [g] Codd. *naturalem*. Cf. infra, p. 30b, sub *Contra*, litt. *b*, ubi Alexander legit recte *materialem*. [h] F om. [i] S (corr. mg.) LF *arctatur*. [k] F *in* et seq. lacuna. [l] Ita L, F om. *sacra*, alii om. *scientia*. [m] R om. [n] F *comparatione*.

[a] VBF *que*. [b] S add. *debet esse*. [c] V *in*. [d] BR *explicativus*. [e] R om. [f] F *formare*. [g] B add. *sunt*. [h] LF om. *a. l.* [i] F *credimus quia*. [k] F *unitates*. [l] F add. *est*. [m] RLF add. *est*. [n] S (corr.) RLF *vidit*. [o] LF add. *signatum*, BR om. *intus*, quod in V est add. mg. sed exp.

[1] Verba *colligere* et *collectio* (versio litteralis pro *syllogizare*, *syllogismus*) iam occurrunt apud Ciceron., *De offic.*, II, c. 16 et Quintilian., *Instit. orat.*, II, c. 20.

[2] Cap. 1, n. 3 (PL 42, 1037). Cf. supra, p. 2a.

[3] Cap. 2, § 1 et c. 1, § 2 sq. (PG 3, 133, 122, PL 122, 1040, 1038 sq., 1041, ordine pluries inverso).

[4] Cap. 14, n. 22 et cf. XIV, c. 1, n. 1 (PL 42, 1010, 1036).

[5] Ita etiam *Septuaginta*, qui habent θεοσέβεια. Cf. Praepositin., *Summa*, II (f. 117c).

[6] Cf. Augustin., *De Trinit.*, VIII, c. 4, n. 6 (PL 42, 951).

Dan. 12, 4: *Claude sermones, signa librum usque ad tempus statutum; pertransibunt enim plurimi, et multiplex erit scientia.* — Tertia causa est dignitas veritatis quae debet abscondi malignis, Matth. 7, 6: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.*

ARTICULUS II. 5

An modus sacrae Scripturae sit certitudinalis.

Consequenter quaeritur an modus sacrae Scripturae sit certitudinalis, scilicet an is modus [a] sacrae Scripturae sit certior quam in aliis scientiis.

1. Et cum certior sit intellectus quam fides, in aliis scientiis est intellectus, in hac vero fides: ergo certior est modus in aliis scientiis quam in ista.

2. Item, certior est scientia quae procedit ex principiis per se manifestis intellectui, quam illa quae procedit ex principiis occultis [b] intellectui; sed aliae scientiae procedunt ex principiis per se manifestis intellectui, haec autem ex occultis intellectui, quia ex principiis fidei; ergo modus in aliis scientiis [c] est certior.

3. Item, certior est modus in illa scientia quae traditur ex sermonibus propriis, quam in [d] illa quae procedit ex sermonibus transumptis.

4. Item certior est quae per univoca et simpliciter dicta tractatur, quam quae per aequivoca et multipliciter dicta [e], quia ex iis dubia sententia generatur. Relinquitur ergo quod certior est modus in aliis scientiis quam in Theologia.

Contra: *a.* Certior est modus sciendi per inspirationem quam per humanam ratiocinationem; item, certius est quod scitur testimonio Spiritus, quam quod testimonio creaturarum; item, certius est [f] quod scitur per modum gustus quam quod per modum visus. Cum ergo modus sacrae Scripturae sit modus sciendi per inspirationem [g], per testimonium Spiritus [h], per modum gustus, in aliis vero modus [i] sciendi per ratiocinationem, per testimonium [k] creaturae, per modum visus [1]: manifestum est quod certior est modus sciendi in Theologia quam in aliis scientiis.

Respondeo: Est certitudo speculationis et est certitudo experientiae; praeterea, est certitudo secundum intellectum et [l] est certitudo secundum affectum; item, est certitudo quoad animum spiritualem et est certitudo quoad [m] animum animalem. Dico ergo quod modus theologicus est certior certitudine experientiae, certitudine quoad affectum, quae est per modum gustus, in Psalmo [2]: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua* [n] etc., quamvis non certior quoad speculationem intellectus, quae est per modum visus. Item, certior est homini spirituali, quamvis incertior animali, I Cor. 2, 14: *Animalis enim* [o] *homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei; spiritualis autem omnia diiudicat* [p].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo quod obicitur iam patet solutio: quod fides certior est intellectu aliarum scientiarum certitudine affectionis, non certitudine speculationis.

2. Ad secundum dicendum quod sunt principia veritatis ut veritatis, et sunt principia veritatis ut bonitatis. Dico ergo quod aliae scientiae procedunt ex principiis veritatis ut veritatis per se notis; haec autem scientia procedit ex principiis veritatis ut bonitatis et per se notis ut bonitatis, quamvis occultis ut veritatis [3]. Unde haec scientia magis est virtutis quam artis [q], et sapientia magis quam scientia; magis enim consistit [r] in virtute et efficacia quam in contemplatione et notitia, I Cor. 2, 4: *Sermo noster non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.*

3. Ad tertium dicendum quod est certitudo animali homini, qui non habet notitiam nisi experimento sensibilium; et est certitudo homini spirituali, qui habet spiritum ad contemplationem divinorum. Animali ergo homini non est certus modus per mysticas locutiones, quamvis sit certus homini spirituali, I Cor. 2, 9: *Quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, nobis revelavit per Spiritum; Spiritus enim omnia scrutatur.* — Praeterea, proprium est, sicut dictum est [4], huius scientiae tradi in mysterio et ideo in sermonibus occultis; propterea [s], cum modus sermonum occultorum vel mysticorum sit secundum proprietatem scientiae, certior erit ille modus animae dispositae ad illam, quae scilicet est spiritualis, non animalis.

4. Ad ultimum dicendum quod alius est modus certitudinalis in scientia tradita secundum spi-

---

[a] R add. *scilicet.* [b] F *per se non manifestis.* [c] L om. [d] Ita PV, alii om. [e] P add. *quc.* [f] L om., F add. interl. [g] F add. interl. *non.* [h] Codd. add. *modus sciendi.* [i] RL om. [k] F om. *spiritus, modus... testimonium.* [l] F add. interl. *secunda.* [m] B add. *ad.* [n] R om. *tua*, F. om. *e. t.* [o] RF om. [p] VBF add. *etc.* [q] F corr. *virtus quam ars* pro *v. q. a.* [r] Ita RLF, alii *constat.* [s] VL *preterea.*

1 Cf. supra, p. 2b.
2 Psalm. 118, 103.
3 Cf. supra, p. 5b, *ad obiecta.*
4 Cf. supra, p. 8b, *ad 3.*

ritum humanum et in scientia tradita secundum Spiritum divinum. Illa enim est coarctata secundum intellectum unum per modum spiritus humani, qui simul et semel non intelligit nisi unum; in ista [a] vero non est coarctatio, quia Spiritus divinus, secundum quem tradita est, est *unicus, multiplex*, sicut dicitur Sap. 7, 22. Et ideo hic modus est in scientia sacra [b], ut sit unicus sensus litterae, multiplex vero in mysterio. Et hoc non detrahit certitudini in anima, quae est disposita ad illam, quae scilicet est [c] spiritualis, ut dictum est [1].

6 ARTICULUS III.

An modus sacrae Sripturae sit uniformis vel multiplex.

Consequenter quaeritur an modus sacrae Scripturae sit uniformis vel multiformis [2].

Quod autem sit multiformis: *a.* Hebr. 1, 1: *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis* [d] etc. Ex quo relinquitur quod non est uniformis modus in Veteri Testamento.

b. Item, Eph. 3, 8-10: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia in gentibus evangelizare investigabiles divitias gratiae Christi;* et sequitur: *Ut innotescat principibus et potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Ex quo relinquitur quod non est uniformis modus in Novo Testamento.

c. Item, quadruplex sensus est in verbis sacrae Scripturae, sicut dicit Beda [e] [3], *Super principium Genesis:* « Quatuor sunt sensus sacrae Scripturae: historia, quae res gestas loquitur; allegoria, in qua aliud ex alio intelligitur; tropologia, id est [f] moralis locutio, in qua de moribus ordinandis tractatur; anagogia, per quam de summis et caelestibus tractaturi ad superiora ducimur. Verbi gratia, Ierusalem secundum [g] historiam est civitas; allegorice significat Ecclesiam; secundum tropologiam, id est moraliter, animam cuiuslibet fidelis; secundum anagogiam, caelestium omnium vitam [h], qui *revelata facie* Deum vident », II Cor. 3, 18. Ergo sensus intelligentiae sacrae Scripturae est multiformis.

d. Item, in Lege est modus praeceptivus; in historicis modus historicus, exemplificativus; in libris Salomonis modus exhortativus; in Psalmis modus orativus [i]; in Prophetis modus revelativus. Relinquitur ergo non esse modum uniformem in libris Veteris Testamenti.

e. Item, in Evangelio est [k] modus historicus quoad narrationem vitae Christi et actionum; mandatorius et consultorius [l] in doctrina Christi; in Epistolis Pauli et Canonicis est modus commonitorius [m]; in Actibus modus historicus; in Apocalypsi modus revelativus. Ergo non est uniformis modus in Novo Testamento.

f. Item, Dionysius, in *Angelica* [n] *hierarchia* [4]: « Duplex est sanctae [o] manifestationis modus. Unus quidem sicut conveniens per similes procedens imagines; alter vero per dissimiles formationes [in] omnino inconveniens et indecorum formatus ». Per similes imagines: ut « cum eloquia Domini ut rationem et intellectum et essentiam laudant, divinam rationalitatem et sapientiam et vere existentem subsistentiam declarantes ». Per dissimiles: ut « cum invisibilem et infinitam et incomprehensibilem vocant, ex quibus non quid [p] est, sed quid non est significatur ». Relinquitur ergo quod non est [q] uniformis modus manifestationis sacrae Scripturae.

Contra: 1. Rom. 15, 4: *Quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.* Si igitur ad nostram doctrinam magis est modus uniformis quam multiformis, quia in multiformi confunduntur intellectus: relinquitur ergo quod modus sacrae doctrinae debet esse uniformis.

2. Item, noster intellectus magis instruitur per pauciora quam per multa, quia in paucioribus via magis [5]; debet igitur esse uniformis.

3. Item, planior est modus et facilior qui est uniformis quam qui est multiformis; sed modus Scripturae debet esse per planiora et manifestiora, unde dicitur Hab. 2, 2: *Scribe visum et explana eum* [r], *ut percurrat qui legerit eum;* relinquitur ergo quod debet esse uniformis.

---

[a] BR *secunda.* [b] R *sacra Scriptura* pro *s. s.* [c] R om. [d] P om. [e] BRLF add. *in principio.* [f] PB om. *i. e.* [g] R *per*, B. corr. interl. [h] LF *vita.* [i] V corr., exp. *exorativus*, B corr., exp. *ortativus.* [k] S om. [l] B *consultatorius.* [m] Ita V (corr. interl.) F, alii *comminatorius.* [n] F *ecclesiastica.* [o] Ita F, alii *scientie.* [p] Codd. hic et infra *quod*, alibi recte, cf. p. 13a, litt. *a.* [q] V om. [r] R add. *super tabulas.*

1 In argumento praecedenti, *ad 3*, p. 9b.

2 Cf. S. Bonav., *Breviloq.*, prol., § 4 (V, 205-6); *In Hexaem.*, coll. 2 (V, 336-342).

3 Rectius Strabus, *Prothem. Glossae ordinariae super principium Genesis* (PL 113, 63), ubi verbotenus sequentia habentur. Cf. Beda, *De Tabernaculo*, I, c. 6 (PL 91, 410) et *In Cantica Canticor. allegorica expositio*, IV (PL 91, 1142).

4 Cap. 2, §§ 2 et 3 (PG 3, 138sq., PL 122, 1041).

5 Id est *facilior, melior, certior.* Cf. Aristot., *Poster.*, I, c. 25 et *Topic.*, II, c. 2 (I, 148, 187); S. Bonav., *Opp. omnia*, III, prolegomena, p. Vb.

Respondeo [a]: Dicendum quod modus sacrae Scripturae multiformis debet esse. Et hoc [b] triplici ratione: prima est ratio efficientis, id est Spiritus Sancti, qui est, sicut dicitur Sap. 7,22: *Spiritus intelligentiae multiplex, unicus.* Propterea, ut in scientia sacra modus efficientis appareat, debet esse multiplex seu multiformis. — Secunda est ratio materiae, quae est *multiformis sapientia Dei.* Propterea, ut materiae modus respondeat, debet esse [c] multiformis. — Tertia est ratio finis, qui est instructio in iis quae pertinent ad salutem. Cum ergo sint multiformes status hominum: in Lege, post Legem, tempore prophetiae, tempore gratiae; et etiam in iis status multiformis hominum: quia alii hebetes in iis quae ad fidem, alii difficiles in [d] iis quae ad bonos mores; et differentibus modis: alii in [e] prosperis, alii in adversis vitam agunt [f], alii in bonis, alii in peccatis: relinquitur [g] quod instructio sacrae Scripturae, quae est ordinata ad hominis salutem, debet habere modum multiformem, ut modus respondeat fini.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod obicitur quod modus multiformis confundit intellectum: dicendum quod non est verum, immo instruit intellectum. Cum enim sit intellectus hebes, acutus et mediocris, aliter et in alio debet fieri demonstratio veritatis hebeti, acuto et mediocri, ut quod non capit intellectus hebes in una forma, capiat in alia. Praeterea, aliter instruendi sunt parvuli simplices, aliter adulti perfecti, sicut dicit Apostolus, I Cor. 3, 1-2: *Tamquam parvulis in Christo lac dedi vobis potum, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc potestis.* Propter hoc necessarius est modus multiformis.

2. Ad aliud vero [h] quod obicit, eodem modo solvendum est per interemptionem [1]: quod intellectus magis instruitur per pauciora, ubi [i] refertur ad statum unius singularis personae; sed referendo ad intellectus differentiam secundum diversitatem hominum et status, non est verum.

3. Similiter est [k] dicendum ad aliud quod obiciebat quod 'planior et facilior est uniformis quam multiformis': dicendum quod non est verum ubi multiformis modus ponitur in manifestatione unius rei, sed tamen secundum formas differentes.

ARTICULUS IV. 7

De multiformitate modorum sacrae Scripturae.

Consequenter quaeritur de multiformitate.

I. Et primo de multiformitate [l] quae est in intellectibus sacrae Scripturae.

a. **Et videtur** ex praedicta auctoritate Bedae [2], quod multiformitas intellectuum sacrae Scripturae est in quatuor: in historia, allegoria, tropologia, anagogia.

Sed contra hoc obicitur: 1. Quia Hugo de S. Victore ponit tantum tres: historiam, allegoriam, tropologiam. Unde dicit, in III *Sententiarum* suarum [m] [3]: « Historia est rerum gestarum narratio, quae in prima litterae significatione continetur; allegoria est, cum per id quod factum dicitur, aliud factum sive in praeterito sive in futuro significatur; tropologia est, cum per id quod factum dicitur, aliquid faciendum significatur ». Per hoc ergo [n] videtur superflua assignatio Bedae quantum ad anagogiam.

2. Item [o], in sacra Scriptura sunt proverbia et parabolae quantum ad litteram scriptae; et constat quod modus parabolicus non est historicus nec allegoricus nec tropologicus nec anagogicus; ergo plures sunt intellectus quam illi quatuor; diminuta igitur est assignatio praedicta.

3. Item, Augustinus, in libro *De utilitate credendi* [4]: « Omnis Scriptura, quae Vetus Testamentum dicitur, quadrifarie [p] traditur: vel secundum historiam, cum docetur quid [q] scriptum est; vel secundum aetiologiam [r], cum docetur de qua causa scriptum est; vel secundum analogiam [s], cum docetur convenientia inter duo Testamenta; vel secundum allegoriam, cum docetur ad litteram non esse accipienda, sed spiritualiter intelligenda ». Ex iis ergo relinquitur quod est unus sensus mysticus et triplex litteralis; in supradicta vero assignatione Bedae unus litteralis et tres mystici.

---

[a] V *Responsio*, R *respondendum* om. *dicendum*. [b] BRLF *est*. [c] S (mg.) LF add. *ut*. [d] F om. [e] L om., F om. *a. i.* [f] PVB *agant*. [g] B add. *ergo*. [h] LF om. [i] Codd. *nisi*. [k] BR om. [l] S om. *E. p. d. m.*, PS om. *in*. [m] S *summarum*. [n] F om. [o] P om. [p] SLF *quadrifaria*. [q] S *cum*; alii *quod*. [r] Codd. *etymologiam*. [s] Ita B corr. mg. et interl., alii *anagogiam*, ut etiam legitur apud B. Albert. M., *Summa Theol.*, p. I, tr. 1, q. 5 (XXXI, p. 28a).

1 Aristot., *Elench.*, c. 18 (I, 297) profert duos modos solvendi, scil. aut *distinguendo* aut *negando* aliquam praemissam, qui in versione Iacobi de Venetiis (Venet. 1496, f. 255r, c. 3) et Pseudo-Boethii vertuntur per *dividentes* et *interimentes* (PL 64, 1029).

2 Cf. supra, p. 10a, litt. *c*.

3 Potius *De sacram. christ. fid.*, I, prol., c. 4 (PL 176, 185). Fusius de iis tractat in *De Scripturis et scriptor. sacris*, cc. 3-5 (PL 175, 11 sqq.).

4 Cap. 3, n. 5 (PL 42, 68).

Respondeo: Dicendum [a] quod, cum veritas prima trina sit et una, modus scientiae veritatis primae est trinus in uno: unus litteralis, triplex spiritualis: anagogicus, qui est sursum ducens in primum principium; allegoricus, qui est enuntiativus arcanorum primae veritatis; tropologicus vel moralis, qui est ordinativus ad summam bonitatem. Unde anagogicus ad Patrem, allegoricus ad Filium, moralis refertur ad Spiritum Sanctum.

Accipitur autem [b] numerus intellectuum hoc modo: quia aut est litteralis exterior aut spiritualis interior. Primo modo non multiplicatur [c]. Secundo modo spiritualis variatur, quia [d] aut refertur ad mores aut ad fidem; et si ad fidem: aut ad fidem divinitatis aut ad fidem humanitatis. Primo modo moralis, secundo anagogicus, tertio allegoricus. — Alio modo possunt accipi, ut dicamus quod intellectus [e] sacrae Scripturae aut est de causa aut de effectu. De causa, quae aeterna est [f], Deus, est anagogicus intellectus. De effectu dupliciter [g] potest esse: aut de facto aut de faciendo. Si de faciendo, sic est moralis intellectus sive tropologicus. Si de facto, hoc est dupliciter: aut enim intelligitur in prima facie litterae, hoc est per [h] significationem verbi, et sic est litteralis sive historicus: « historia enim est [i] rerum gestarum narratio quae in prima facie litterae continentur », sicut dicit Hugo [1]; aut intelligitur per significationem facti, et sic est allegoricus, secundum quod dicit Hugo, quod « allegoria est cum per id quod factum dicitur, aliquod [k] aliud factum sive in praesenti sive in futuro sive in praeterito significatur ».

[Ad obiecta]: 1. Nota ergo quod Hugo de S. Victore, qui posuit materiam divinarum Scripturarum opera restaurationis [2], posuit tantum tres intellectus sacrae Scripturae, qui quidem fundantur in opere, scilicet historicum, allegoricum et tropologicum. Beda [3] vero, qui intellexit materiam divinarum Scripturarum non solum opus reparationis, immo causam, addidit anagogicum, qui quidem intellectus respicit causam, sicut alii tres effectum.

2. Ad illud vero quod opponitur [l] de parabolico intellectu, dicendum quod reducitur ad historicum. Sed historicum dicitur [m] dupliciter: secundum rem et secundum rei similitudinem. Secundum rem, sicut in rebus gestis; secundum similitudinem, sicut in parabolis. Parabola enim est similitudo rerum, cum per rerum differentem similitudinem ad id quod per ipsam intelligitur, pervenitur. Unde de parabolicis [n] evangelicis dicit Augustinus [4] quod sic accipienda sunt: non ut essent, sed ut esse possent.

3. Ad tertium quod obicitur, dicendum [o] quod Augustinus distinguit intellectus, in libro *De utilitate credendi* [5], non secundum diversitatem quae est in ratione intelligentiae seu eius quod intelligitur, sed [p] secundum differentiam quae est in modo intelligendi. Unde tres primi sensus intelliguntur et comprehenduntur sub sensu litterali: illi enim tres sensus conveniunt in modo [q] dicendi cum litterali; quartus vero sensus comprehendit tres spirituales, et ideo non est contrarietas.

II. Quaeritur iterum [r] de sensu litterali an fundetur supra verum.

1. **Nam videtur aliquando fundari supra mendacium:** Iudic. 9, 8: *Ierunt ligna silvarum ut ungerent sibi regem;* sed istud videtur extraneum a scientia veritatis, Iob 13, 7: *Non indiget Deus nostro mendacio.*

Respondeo quod veritas in sermone est dupliciter: quantum ad illud quod dicitur, et quantum ad illud propter quod dicitur. Dicendum ergo quod in huiusmodi parabolis est veritas quantum ad [s] id propter quod dicuntur, quia sunt ad designationem alicuius [t] facti vel rei secundum veritatem; et isto modo assumuntur non quantum ad significationem primam, sed quantum ad significationem secundam. Unde notandum quod in historicis est veritas quantum ad significationem vocum, in parabolicis quantum ad significationem rerum [6].

III. Item, quaeritur [u] de spirituali sive mystico, qui maxime utitur similitudinibus rerum corporalium et passibilium [v].

1. Nam, cum convenientes similitudines sint magis ad demonstrationem divinorum quam disconvenientes, mysticus intellectus deberet [x] habere convenientiores similitudines; ergo, cum spiritualium similitudines sint convenientiores divinis quam similitudines corporalium, non debent [y] assumi similitudines in mystico intellectu nisi spirituales.

2. Item, inconveniens est formationes turpes summae pulcritudini coaptare [7]; sed turpes forma-

---

[a] RL om., V *Solutio dicendum*, BF *Solutio respondeo* pro *R. D.* [b] BRLF om. [c] LF *mutatur*, quod in S est corr. mg., expuncto *multipliciter.* [d] F om. [e] S (mg.) LF add. *sensus.* [f] VS add. *scilicet.* [g] VSL *duplex.* [h] F *in.* [i] F om. [k] Ita LF, alii *aliquid.* [l] S *obicitur.* [m] LF om. *S. h. d.*, S om. *S. h.* [n] VF *parabolis.* [o] BRLF *est responsio.* [p] B om. [q] LF *materia.* [r] RL *etiam.* [s] V om. [t] B add. *dicti.* [u] P corr. ex *qua.* [v] PVS *spiritualium*, L om. *rerum.* [x] B *debet.* [y] B *debeant.*

1 Pro hoc et seq. textu cf. supra, p. 11a sq.
2 Cf. supra, p. 5a, litt. *a.* 3 Cf. supra, p. 10a, litt. *c.*
4 *Contra mendac.*, c. 10, n. 24 (PL 40, 533 et 535).
5 Cf. supra, p. 11b, n. 3.
6 Cf. Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, prol., c. 6 (PL 176, 185).
7 Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hierarch.*, c. 2, §§ 2 et 3 (PG 3, 138sq., PL 122, 1041).

tiones sunt formationes [a] quae sunt ex rebus materialibus et obtusis et inordinatis, sicut ira et furor et concupiscentia; ergo per huiusmodi non debet fieri demonstratio de Deo; inconvenienter ergo hic agitur in mysticis intellectibus Scripturarum, qui nominant Deum ut ignem, lapidem angularem, ut bestiam, ut leonem, ut vermem et huiusmodi, et furentem, irascentem et concupiscentem [1].

Contra: *a.* Dionysius [2]: « Negationes in divinis verae sunt, affirmationes incompactae », quia ex iis affirmationibus « non ostenditur quid est Deus, sed magis quid non est ». Si igitur dissimiles formationes magis sunt ad negationem quam ad affirmationem, ergo magis competit ostensioni divinorum ostensio per dissimiles formationes quam per similes.

b. Item, per pretiosiores formationes seducitur intellectus simplicium, credens [b] ipsa divina sive caelestes essentias esse huiusmodi res unde sumuntur similitudines pretiosae; sed per dissimiles formationes reducitur intellectus; ergo convenientiores sunt dissimiles formationes mysticis intellectibus quam similes. Unde [c] Dionysius [3]: « Per pretiosiores formationes contingit seduci, auriformes quasdam aestimantes esse caelestes essentias et quosdam [d] viros fulgureos, et quibuscumque aliis formis quibus Theologia caelestes formavit intellectus. Quod quidem ne paterentur qui nihil visibilibus bonis altius intelligunt, sanctorum theologorum sapientia ad indecorum descendit, non concedens materiale nostrum », hoc est intellectum, « in turpibus imaginibus remanens quiescere ».

c. Item, dicit [e] Dionysius [4]: « Nihil eorum quae sunt est [f] universaliter boni participatione [g] privatum, siquidem, ut Eloquiorum veritas ait, *omnia valde bona,* Gen. 1, 31; est ergo ex omnibus intelligere bonas speculationes et [h] invisibilibus et immaterialibus rebus ex [i] materialibus formare dissimiles similitudines ».

[Solutio]: Quod concedendum est. Et dicendum secundum B. Dionysium [5], quoniam manifestatio divinorum fit duobus modis: per similia, sicut cum laudatur [k] ex dispositionibus spiritualis creaturae, quae est ad eius similitudinem, ut ratio et intellectus et sapientia; et per dissimilia, sicut cum laudatur per dispositiones rei corporalis. Quod [a] contingit tripliciter [6]; « Aliquando enim laudatur ex supremis, sicut cum dicitur sol iustitiae, stella matutina; aliquando ex mediis, ut cum dicimus ipsum ignem resplendentem; aliquando ex novissimis, ut cum dicimus ipsum lapidem angularem aut [b] bestiam aut etiam vermem ».

Et ratio convenientiae assignatur a [c] Dionysio [7] multiplex [d]: prima est, quia ista sunt magis ad negationem quam ad affirmationem et ideo veriora, quia « negationes veriores sunt in divinis ». — Secunda est, quoniam per ista « magis reducitur noster intellectus ». Unde, cum intellectus noster [e] ad Deum cognoscendum [f] illa accipit [g], nullo modo quiescit in illis ut credat Deum esse huiusmodi, sicut accideret ex locutione quae esset per similia in dispositionibus spiritualium. — Tertia est, quia [h] « ex omnibus est bonas speculationes elicere » et convenientes formare caelestibus formas ex vilibus [i] materiae partibus, quoniam ex vere bono [k] subsistentia imagines intellectualis pulcritudinis habent. — Quarta, ut celentur divina immundis et malis. Unde Dionysius [8]: « Sic omnes Prophetae dissimilem sanctam [l] figurationem honorant, ut neque divina ab immundis accipi possint ». — Quinta ratio est [m], quia per ista noster manuducitur intellectus. Unde [n] Dionysius [9]: « Pulcre procreatae [o] sunt informium formae propter nostram analogiam [p] non valentem immediate in [q] invisibiles extendi contemplationes ».

[Ad obiecta]: 1-2. Et per [r] hoc patet solutio ad obiecta.

In hunc ergo modum terminatur haec quaestio, quae est sicut exordium sequentis inquisitionis [10].

Ex praedictis manifestum est quod doctrina Theologiae est de substantia Dei efficiente per Christum [s] opus reparationis humanae. Ideo [t] partes primae inquisitionis theologicae sunt circa excellentiam divinae sublimitatis, consequentes [u] vero erunt de Christo et pertinentibus ad opus reparationis.

---

[a] PV om., in S add. mg., B *ut formationes.* [b] F add. *hec.* [c] LF add. *beatus.* [d] B *quos.* [e] LF add. *beatus.* [f] L om. [g] Codd. *privatione.* [h] L om. [i] Ita LF, alii *et;* B *forme* pro *formare.* [k] V *laudantur,* quod P corr. per lin. obductam supra *n,* S corr. per exp. eiusdem litterae.

[a] Ita PV, S (corr.) et alii *que.* [b] R *ut.* [c] LF add. *beato.* [d] VRL *multipliciter.* [e] PV om. *u. c. i. n.,* quod in S est add. mg. [f] PV add. *quoniam cum,* quae S exp., V *eum* pro *Deum.* [g] S add. *ita.* [h] R *que.* [i] V *talibus scilicet,* PS exp. *scilicet,* S corr. *talibus* in *vilibus.* [k] B add. *non,* quod PVS exp., RL *vero* pro *vere.* [l] B om. [m] F om. [n] R add. *dicit.* [o] BF *procurate.* [p] Codd. *anagogiam,* ut etiam occurrit apud B. Albert. M., *Summa Theol.,* p. I, tr. I, q. 5 (XXXI, p. 29a). [q] B *ad.* [r] B *propter.* [s] B *ipsum.* [t] BR *unde.* [u] P *consequenter.*

1 Cf. Pseudo-Dionys., loc. cit.; Augustin., *In Ioan.,* tr. 80, n. 1 (PL 35, 1839).

2 *De cael. hierarch.,* c. 2, § 3 (PG 3, 141, PL 122, 1041); cf. Alan., *Theol. regul.,* reg. 18 (PL 210, 630).

3 Loc. cit. (PG 3, 142, PL 122, 1042).

4 Loc. cit., c. 2, §§ 3 et 4 (PG 3, 141, PL 122, 1042).

5 Loc. cit. c. 2, §§ 2 et 3 (PG 3, 158sq., PL 122, 1041).

6 Loc. cit., § 5 (PG 3, 143, PL 122, 1043).

7 Loc. cit., §§ 3 et 4 (PG 3, 139sq., PL 122, 1041 sq.).

8 Loc. cit., c. 2, § 5 (PG 3, 143, PL 122, 1043).

9 Loc. cit., § 2 (PG 3, 139, PL 122, 1040).

10 Continet revera praeambula in totum opus *Summae.*

QUAESTIO II.

DE COGNITIONE DEI IN VIA.

Volens autem se manifestare humanis cordibus superessentialis substantia, Deus [1], in latione [a] Legis praecipit Moysi, Exod. 19, 21: *Contestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad videndum Deum,* ponens limites humanae rationi in inquisitione divinorum et maxime in perscrutatione abditissimae et sacratissimae divinae Unitatis et Trinitatis. Hinc est etiam quod per Sapientem [b] dictum est: *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui* [c], Prov. 22, 28. Termini autem isti sunt sententiae divini Eloquii. Propter quod B. Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [2], dicit « universaliter non audere aliud cogitare vel dicere de superexcellentissima divinitate praeter hoc quod in divinis [d] Scripturis invenitur expressum ».

Huius [e] rei gratia praeponimus quaestionem de cognitione Dei quae potest haberi ab homine in hac vita, ut manifesti sint termini inquisitionis circa essentiam beatissimae Trinitatis [3].

Quaeritur ergo [f] de cognitione Dei in via [g] ex parte cognoscibilis, ex parte cognoscentis, ex parte medii cognoscendi.

I. Ex parte cognoscibilis quaeritur [h]:
primo, an Deus sit cognoscibilis [i];
secundo, an sit [k] cognoscibilis in sua immensitate;
tertio, an sit [l] cognoscibilis in sua Trinitate [m];
quarto, an sit [n] cognoscibilis facie ad faciem;
quinto, an [o] cognoscibilis in sua specie;
sexto, an [p] cognoscibilis in sua praesentia, secundum quod praesens est creaturae.

II. Ex parte cognoscentis:
primo, an sit in naturali potentia cognoscere Deum;
secundo, an cognoscibilis [q] a bonis tantum;
tertio, an cognoscibilis [r] sensu aut ratione tantum;
[quarto, an cognoscibilis ratione vel intelligentia solum];
quinto [s], an cognoscibilis secundum modum unum ab homine ante peccatum et post.

III. Ex parte medii cognoscendi:
primo [t], an cognoscatur per medium;
secundo, de medio cognoscendi per naturam;
tertio, de medio cognoscendi per gratiam;
quarto, de comparatione cognitionis per naturam et per [u] gratiam;
quinto, de comparatione secundum certitudinem medii ad cognoscendum Deum et creaturam.

---

[a] R *datione.* [b] B *Sapientiam.* [c] V *nostri,* om. *Prov. 22.* [d] S *dicitur in divinis nominibus et* pro *q. i. d.* [e] PV add. *et,* quod S exp. [f] PVS om. [g] BR om. *i. v.* [h] P om. et habet tres titulos ad I, II, III ut rubricas. [i] B add. *in essentia.* [k] F om. [l] F om. [m] R add. *per rationem naturalem.* [n] BRF om. [o] L add. *sit.* [p] L add. *sit,* F add. *est.* [q] F om., L add. *sit;* LF om. *secundo;* post *tantum* S (mg.) LF add. *vel a malis etiam.* [r] V add. *a;* LF om. *tertio.* [s] PVSBR *quarto,* LF om. [t] S (mg.) LF add. *queritur.* [u] F om.

[1] Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.,* c. 1, §§ 1 et 2, ubi Deus passim dicitur ὑπερούσιος (PG 3, 587, PL 122, 1113sq.).

[2] Cap. 1, § 1 (PG 3, 587, PL 122, 1113).

[3] Haec igitur quaestio est praeambula in *Primum Librum* huius *Summae.*

MEMBRUM I.

De cognitione Dei in via ex parte cognoscibilis.

CAPUT I. 8

AN COGNOSCIBILIS SIT DEUS ANIMAE HUMANAE.

Quaeritur igitur an cognoscibilis sit Deus animae humanae [1].

Ad quod sic: 1. Augustinus, in libro *De videndo Deo* [2]: « Invisibilis est natura Deus, non tantum Pater, sed et ipsa Trinitas, unus Deus »; sed hoc est ei esse [a] visibilem, quod cognoscibilem. Sicut enim [b] dicitur in eodem libro [3]: « Hoc distat inter videre et credere, quia praesentia videntur, creduntur absentia. Praesentia autem hoc loco [c] intelligimus quae praesto sunt sensibus sive animi sive corporis: sicut hanc lucem corporis sensu video, et meam voluntatem, quia praesto est animi mei sensibus, quia intus mihi praesens est ». Omne autem cognoscibile est visibile sensibus animi vel corporis; cum ergo Deus sit invisibilis, ergo et incognoscibilis [d].

2. Item, Augustinus, in eodem [4]: « *Deum nemo vidit unquam nec videre poterit, quoniam lucem habitat inaccessibilem* [5], et est natura invisibilis sicut et incorruptibilis, et sicut nunc incorruptibilis nec postea corruptibilis, ita non solum nunc, sed et semper invisibilis ».

3. Item, Ioannes Damascenus [6]: « Infinitus est Deus et incomprehensibilis »; sed omne quod cognoscitur animo, comprehenditur intellectu; Deus ergo non est cognoscibilis.

4. Item, omnis [e] cognitio infiniti, in quantum huiusmodi, est infinita, quia si esset finita, non transiret super infinitum. Cum ergo substantia divina sit infinita, non cognoscetur nisi cognitione infinita; sed cognitio infinita non potest esse a potentia finita, quia actio infinita non egreditur a potentia finita; cum ergo omnis potentia rationalis animae sit finita, non egredietur ab ipsa actio quae sit cognitio substantiae Dei infinitae.

5. Item, inferius optimo nostro non est natum cognoscere optimum nostrum, sive optimum nostrum non est cognoscibile ab inferiori nostro [7]: ut mens vel ratio non est cognoscibilis ab imaginatione [f] vel sensu; ergo nec melius et excellentius optimo nostro incomparabiliter erit cognoscibile ab optimo nostro; ergo nec Deus a mente nostra, quod est optimum in nobis.

Contra: *a.* Augustinus, in I [g] *Soliloquiorum* [8]: « Intelligibilis est Deus, intelligibilia sunt scientiarum spectamina, sed differunt plurimum: nam terra visibilis est et lux, sed terra, nisi luce illustrata, videri non potest; similiter disciplinarum spectamina videri non possunt, nisi [h] aliquo velut suo sole illustrentur », videlicet Deo.

b. Item, Rom. 1, 19: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis.* Glossa [9]: « Id est cognoscibile ductu rationis; quasi dicat: in se habent unde possunt cognoscere quod est cognoscibile de Deo ». Et ibidem [10]: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque* [i] *eius virtus et divinitas.* Et Sap. 13, 5: *A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator eorum videri.*

c. Item, sicut virtus affectivae rationalis est ad amandum bonum, sic virtus cognitivae rationalis ad cognoscendum verum. Si ergo summum bonum est appetibile ab affectiva rationali, ergo et [k] summum verum [l] cognoscibile a cognitiva rationali.

---

[a] R om. [b] BRLF *nam sicut* pro *s. e.* [c] F *modo.* [d] B *non est cognoscibilis* pro *e. i,* LF *est* pro *et.* [e] F om. [f] BRLF *imagine* et om. *ab.* [g] R *libro.* [h] V add. *in.* [i] BRLF om. [k] PV add. *in,* quod S abrasit, B *et* ex *in.* [l] L *bonum.* B add. interl. *est.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, qq. 1-3 (I, 67-75), *Quaest. disp. de Trinit.*, q. 1, a. 1 (V, 45, 51).
2 *Epist.* 147, c. 8, n. 20 (PL 33, 605).
3 Cap. 2, n. 7 (PL 33, 599).
4 Cap. 15, n. 37 (PL 33, 613). 5 I Tim. 6, 16.
6 *De fide orthod.*, I, c. 4 (PG 94, 799).
7 Cf. Augustin., *Epist.* 147, c. 18, n. 45 (PL 33, 617): « Cum sit aliquid nostrum visibile, sicut hoc corpus, aliquid vero invisibile, sicut homo interior; et cum optimum nostrum, hoc est mens atque intelligentia, invisibile sit oculis corporis; quomodo id quod est melius optimo nostro, visibile erit inferiori nostro? »
8 Cap. 8, n. 15 (PL 32, 877). Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3 (f. 3d sq.).
9 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1326).
10 Rom. 1, 20.

Respondeo, secundum [a] Augustinum, *Ad Paulinam, De videndo Deo* [1], dicentem: « Si quaeris utrum possit Deus videri, respondeo: potest. Si quaeris unde hoc sciam, respondeo: quia in veracissima Scriptura legitur [2]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo obiectum dicendum secundum verbum B. Augustini [3]: « Si quaeris quomodo dictus sit [b] invisibilis Deus, si videri potest, respondeo: invisibilem esse natura, videri autem potest [c], cum vult et sicut vult ». Ex quo patet distinctio: quod Deus est invisibilis natura [d], visibilis vero [e] voluntate. Secundum hoc ergo distinguendum: quod est visibile necessitate et est visibile voluntate. Visibilia necessitate sunt corporalia et sensibilia; visibilia vero voluntate sunt spiritualia, quemadmodum angeli et ipse Deus. Et hoc est quod dicit Augustinus, in eodem libro [4], sumens auctoritatem Ambrosii [5] super illud Luc. 1, 11: *Apparuit angelus* etc.: « Non similiter sensibilia videntur et is, cuius naturae est non videri, voluntatis [f] videri: nam si non vult, non videtur; si vult, videtur. Apparuit enim Deus Abrahae, quia voluit; aliis, quia noluit, non apparuit ».

2. Ad secundum quod dicit quod « sic est natura invisibilis sicut incorruptibilis », dicendum secundum [g] Augustinum, *De videndo Deo* [6]: « Corpora consuetudine loquendi visibilia nominantur; propterea Deus invisibilis dicitur ne corpus esse credatur, non quia munda corda suae substantiae contemplatione fraudavit, cum [h] haec summa merces Deum diligentibus promittatur, dicente ipso Domino, Ioan. 14 [i], 21: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo illi me ipsum* ».

3. Ad tertium similiter respondendum [k] iuxta distinctionem Augustini, *De videndo Deo* [7]: « Aliud est videre, aliud [l] totum videndo comprehendere. Illud enim videtur quod praesens utcumque [m] sentitur; totum autem videndo comprehenditur quod ita videtur ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt, sicut nihil latet praesentis voluntatis tuae, circumspicere autem potes fines anuli tui. Exempli gratia duo posui, quorum unum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet ». Ex quo manifestum est quod non sequitur: 'Deus est incomprehensibilis, ergo incognoscibilis'.

4. Ad quartum respondendum iuxta Boethium, in libro *De consolatione* [8], quod ea « quae cognoscuntur, non secundum sui naturam cognoscuntur, sed secundum cognoscentium facultatem ». Cognitio igitur non dicetur finita vel infinita a re cognita finita vel infinita, sed a facultate cognoscentis finita vel infinita, quia quod cognoscitur, per modum cognoscentis cognoscitur [n], non per modum rei cognitae [9]. Et hoc manifestum est in omni modo cognitionis, sive sit cognitio sensitiva sive imaginaria sive intellectualis. Non ergo sequitur quod si substantia divina sit infinita, quod cognitio, quae de ea est ab intellectu humano, sit infinita; immo quia intellectus humanus finitus est, cognoscet substantiam divinam finite.

5. Ad quintum dicendum quod materialitas prohibet quod sensus, qui est vis inferior, non possit cognoscere vim superiorem, quae est ratio; nulla enim vis, cuius esse et actio dependet a materia, potest apprehendere [o] formam vel rem abstractam a materia. Hinc est, cum virtus sensitiva secundum esse et agere dependeat a materia, non erit cognitiva mentis vel rationis, quae est res et forma abstracta [p] a materia. — Ex alia autem parte ipsa immaterialitas et simplicitas spiritualitatis facit quod mens vel ratio est cognoscibilis melioris et excellentioris se, scilicet divinae substantiae, quae est simplex et immaterialis. Et in hoc imago eius est, secundum [q] Augustinum, in libro *De Trinitate* [10]: « Imago Dei est in hoc quod capax eius et particeps esse potest: capax per cognitionem, particeps per amorem ». Hinc patet quod non sequitur obiectio.

---

[a] F add. *beatum.* [b] F add. *quoniam,* R *actus* pro *dictus.* [c] BRLF om., F *quando* pro *cum.* [d] LF add. *scilicet.* [e] R om. *v. v.* [f] Codd. *voluntate.* [g] LF add. *beatum.* [h] LF *et,* V corr. interl. *et* non del. *cum.* [i] LF om. *I. 14.* [k] L *respondit,* quod F. corr. [l] R add. *est.* [m] L *utrumque,* quod F corr. [n] R om. [o] F *comprehendere,* L om. *rem.* [p] F *substracta.* [q] LF add. *beatum.*

1 *Epist.* 147, c. 15, n. 37 (PL 33, 612).
2 Matth. 5, 8.
3 Loc. cit.
4 Cap. 6, n. 18 (PL 33, 603).
5 *Exposit. in Luc. Evang.,* I, n. 24 (PL 15, 1543), quod fuse in seqq. evolvit Ambrosius: « Visum est etiam Stephano, cum lapidaretur a populo, aperiri caelum; visus est etiam Iesus stans a dextris Dei; et non est visus a populo... Et quid de hominibus loquimur, cum etiam de ipsis caelestibus virtutibus et potestatibus legerimus, quia *Deum nemo vidit unquam*... Sed quid de Trinitate dicam? Seraphim quando voluit, apparuit et vocem eius Esaias solus audivit » etc.
6 *Epist.* 147, c. 20, n. 48 (PL 33, 618).
7 Cap. 9, n. 21 (PL 33, 606).
8 Lib. V, pr. 4 (PL 63, 848 sq.).
9 Cf. Averroes, *De anima,* II, text. 67 (ed. Venet. 1550, VI, 140a); *Lib. de causis,* §§ 7, 19, 23 (p. 170, 181, 184); Avicenna, *De intellig.,* c. 4 (f. 65d); *Lib. de intelligentiis,* prop. 35 [1] (ed. Baeumker, in *Beiträge Baeumker* 1908, III, fasc. 2, p. 41). Huius libri auctorem cl. Baeumker dixit Witelo, sed P. Duhem, *Le système du monde,* V, 358 sqq., huius opinionis fundamenta evertit. Ipse cl. Baeumker priorem suam sententiam iam reliquit.
10 Lib. XIV, c. 8, n. 11 (PL 42, 1044).

CAPUT II. 9

AN DIVINA SUBSTANTIA SIT COGNOSCIBILIS IN SUA IMMENSITATE.

Consequenter quaeritur [a] an divina substantia sit cognoscibilis in sua immensitate [1].

Ad quod sic: 1. Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei* etc. Glossa [2]: « Tam pulcra astra condidit ut ex iis quantus et quam admirabilis est Creator eorum possit agnosci [b] ». Ergo de Deo potest haberi cognitio 'quantus sit'; sed quantus est virtute infinita et immensa, et idem est ei esse quantum quod magnum: « nec mole magnus est, sed virtute », sicut dicit Augustinus [3]; ergo [c] potest cognosci in sua immensitate sive infinitate.

2. Item [d], Eph. 3, 19: *Ut impleamini omni plenitudine Dei;* sed omnis plenitudo Dei est sua immensitas; impletio autem [e] ista est per cognitionem et amorem; ergo immensitas Dei [f] poterit cognosci.

3. Item, Ioan. 15, 15: *Omnia, quaecumque audivi a Patre meo* [g], *nota feci vobis;* sed 'omnia' ibi intelliguntur potentia, veritas, bonitas, aeternitas et etiam immensitas, quia omnia ista nota sunt Filio; ergo et ipsam aeternitatem et immensitatem notam fecit Apostolis.

4. Item, omnia quaecumque sunt in Deo, sunt unum, scilicet aeternitas, veritas, immensitas; si ergo est cognoscibilis veritas, erit cognoscibilis immensitas.

Contra: *a.* Ambrosius, *Super Lucae* 1 [4], in originali: « *Deum nemo vidit unquam* [h] [5], quia eam, quae habitat in Deo, plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit ».

b. Item, Boethius [6]: « Omne quod scitur vel cognoscitur, non ex sua natura, sed secundum comprehendentium cognoscitur facultatem ». Cum ergo facultas animae comprehendentis sit finita, divina autem substantia secundum suam immensitatem sit infinita: ergo non erit cognoscibilis in sua immensitate ab anima rationali.

Solutio: Dicendum quod est cognitio de Deo per modum positionis et per modum privationis [7]. Per modum privationis cognoscimus de Deo quid non est; per modum positionis cognoscimus quid est. Divina ergo substantia in sua immensitate non est cognoscibilis ab anima rationali cognitione positiva, sed est cognoscibilis cognitione privativa [8].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo [i] quod primo obicitur quod « ex creaturis quantus sit Creator possit agnosci »: dicendum quod quantus sit potest cognosci per modum privationis, non per modum positionis. Verbi gratia, quantus sit duratione cognoscitur per modum privationis, cum dicitur aeternus, id est sine principio et fine; similiter quantus sit repletione, cognoscitur per hoc quod dicitur incircumscriptus, per abnegationem loci et ubi; similiter quantus sit virtute, per abnegationem mensurae virtutis ipsius, cum dicitur immensus. Per modum vero positionis, ut determinaretur quanta sit ei magnitudo sive virtus sive duratio, non est possibile.

2. Ad secundum respondet Augustinus [9] quod non est intelligendum illud ad Eph. 3 [k], 19: *Ut impleamini omni plenitudine Dei,* ut habeamus plenitudinem quam habet: « Sic enim implebuntur in omnem plenitudinem Dei, non cum fuerint et ipsi plenus Deus, sed cum perfecte fuerint pleni Deo ».

3. Ad tertium dicendum quod *omnia nota feci vobis* [10] intelligendum est [l]: id est praeordinavi ut omnia nota faciam vobis [11]; 'omnia' autem ibi distribuit pro creaturis, non universaliter pro omnibus conditionibus immensae et infinitae divinae essentialitatis. Tamen etsi diceretur distribuere pro divina immensitate et aeternitate et huiusmodi [m], tunc distinguendum est: divina essentia cognoscibilis est in sua immensitate, hoc est quia immensa est, et hoc modo verum est; vel est cognoscibilis secundum suam immensitatem, et hoc modo falsum est, secundum quod modus immensitatis determinat cognitionem in comparatione ad cognoscentem: nam si determinaret cognitionem in comparatione ad rem cognitam, vera esset et esset idem sensus qui prius.

4. Ad ultimum dicendum quod non sequitur in divinis talis modus argumentandi: 'in divinis idem est sapientia, bonitas et immensitas; ergo quod de uno dicitur, et de altero'. Ista enim no-

---

[a] S om. [b] R *cognosci.* [c] V om. [d] BRLF add. *ad.* [e] S add. *est.* [f] BRLF om. [g] LF om. [h] S *nunquam.* [i] V om., L *vero.* [k] LF *Apostoli* pro *a. E. 3.* [l] BL om. [m] R *etc.* pro *e. h.*

1 Cf. infra, p. 58 sq., num. 86.
2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1325).
3 *De Trinit.*, VI, c. 7, n. 8 (PL 42, 929).
4 Lib. I, n. 25 (PL 15, 1544). 5 Ioan. 1, 18.
6 *De consol. philos.*, V, pr. 4 (PL 63, 848 sq.).
7 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, I, c. 4 (PG 94, 799).
8 Cf. infra, p. 18a, nota 6, definitio 23.
9 *Epist.* 147, c. 23, n. 53 (PL 33, 621).
10 Ioan. 15, 15.
11 Cf. Augustin., *In Ioan.*, tr. 86, n. 1 (PL 35, 1850).

mina, etsi unum designent ratione principalis significati, tamen differunt ratione connotati et ratione modi significandi. Unde cum idem sit in Deo scientia et voluntas, non tamen sequitur: 'scientia est malorum, ergo voluntas malorum'. Ita nec illud quod obicitur sequitur.

10

CAPUT III.

AN COGNOSCATUR PER NATURALEM RATIONEM TRINITAS PERSONARUM.

Quaeritur consequenter an cognoscatur per naturalem rationem Trinitas personarum [1].

Et videtur quod sic: *a.* Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque* [a] *eius virtus et divinitas.* Ibi dicit Glossa [2] quod per illa tria '*invisibilia, sempiterna virtus* et *divinitas*' intelligitur Trinitas personarum; ergo Trinitas personarum cognoscebatur a philosophis [b] per naturalem rationem.

b. Item, Philosophus, in libro *De caelo et mundo,* in principio [3], ostendit quod ternarius est numerus omnis rei, et inducit [4] in naturalibus, mathematicis et divinis: in naturalibus, ut [c] motus a medio, motus ad medium, motus [d] circa medium; in mathematicis [e], ut linea, superficies, corpus; in divinis similiter. Unde dicit [5]: « Hoc numero adhibuimus nosmetipsi magnificare Deum unum, creatorem, eminentem [f], ex proprietatibus eorum quae creata sunt ». Ergo et ipse Philosophus [g] per naturalem rationem habuit notitiam Trinitatis.

c. Item, Trismegistus [6]: « Monas monadem genuit et in se suum [h] reflectit ardorem »; ergo Trismegistus habuit notitiam Trinitatis, quia monas gignens est Pater, monas genita Filius et ardor Spiritus Sanctus.

d. Item, Augustinus, in libro *De Trinitate* [7]: « Philosophi sapientiam tripartitam esse » dixerunt, qua [i] est significatio Trinitatis. « Cui enim sunt eae adscribendae nisi auctori omnium creaturarum, datori intelligentiae, amoris inspiratori »? Unde vult dicere Augustinus quod Naturalis Philosophia est de iis quae pertinent ad conditionem naturae; Rationalis, de iis quae pertinent ad rationem et intelligentiam; Moralis, de iis quae pertinent ad amorem. Ideo Naturalis adscribitur auctori, Patri; Rationalis, sapientiae, Filio; Moralis, amori seu bonitati, Spiritui Sancto.

Contra: 1. Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei* etc. Glossa [8]: « Augustinus dicit philosophos non

---

[a] V *quorumcumque.* [b] B *Apostolis* pro *a. p.* [c] S *et.* [d] R om. [e] F add. *autem.* [f] Ita BR, alii *imminentem* et om. *ex.* [g] LF *Aristoteles.* [h] VSBR *ipsum.* [i] B *quarum.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 4 (I, 75-77); *Quaest. disp. de Trinit.*, q. 1, a. 2 (V, 51-58).

2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1328).

3 Lib. I, cc. 1 et 2 (II, 367 sq.).

4 Id est: exemplificat.

5 Loc. cit., c. 1 (II, 367).

6 Cf. *Liber 24 philosophorum,* quem ex cod. Erford., Amplon. 4°, n. 151, f. 22a primus H. Denifle, in *Archiv f. Litt. u. Kirchengesch.*, II, 428 deinde additis commentariis iuxta varios codd. critice edidit cl. Baeumker, in *Festgabe zum 70. Geburtstag G. von Hertling,* Freiburg i. B. 1913, p. 30sqq.; Alan., *Theol. regul.*, reg. 3 (PL 210, 624); Guil. Altissiod., *Summa,* III, tr. 4, q. 1 (f. 151a). De hac Trismegisti definitione fuse tractat Thomas Eboracensis, o. f. m., in suo opere quod ipse vocat *Sapientiale,* I, cc. 9 et 18 (cod. Bibl. Florent. Nation., Conv. soppr. A. 6. 437, ff. 14c, 25ab). De cognitione philosophorum cf. Abael., *Introd. ad theol.*, I, nn. 15-25; *Theol. christ.*, I, c. 5; *Epitome,* cc. 11, 12, 18 (PL 178, 1004-34, 1139-1166, 1712-1720). — Utile duximus ex integro dicta 24 sapientum hic inserere iuxta editionem a cl. Baeumker curatam: 1. « Deus est monas, monadem gignens, in se suum reflectens ardorem. — 2. Deus est sphaera infinita, cuius centrum est ubique, circumferentia nusquam. — 3. Deus est totus in quolibet sui. — 4. Deus est mens orationem generans, continuationem perseverans. — 5. Deus est, quo nihil melius excogitari potest. — 6. Deus est, cuius comparatione substantia est accidens, accidens nihil. — 7. Deus est principium sine principio, processus sine variatione, finis sine fine. — 8. Deus est amor, qui plus habitus plus placet. — 9. Deus est, cui soli praesens est, quicquid cuiuscunque temporis est. — 10. Deus est, cuius posse non numeratur, cuius esse non clauditur, cuius bonitas non terminatur. — 11. Deus est superens, necesse, solus sibi habundanter sufficiens. — 12. Deus est, cuius voluntas deificae potentiae et sapientiae adaequatur. — 13. Deus est sempiternus agens in se sine divisione et habitu. — 14. Deus est oppositio nihil mediatione entis. — 15. Deus est vita, cuius via in formam est veritas, in unitatem bonitas. — 16. Deus est, quem solum voces non significant propter excellentiam, nec mentes intelligunt propter dissimilitudinem. — 17. Deus est intellectus sui, solus praedicationem non recipiens. — 18. Deus est sphaera, cuius tot sunt circumferentiae, quot sunt puncta. — 19. Deus est semper movens immobilis. — 20. Deus est, qui solus suo intellectu vivit. — 21. Deus est tenebra in anima post omnem lucem relicta. — 22. Deus est, ex quo est quicquid est non partitione, per quem est non variatione, in quo est quod est non commixtione. — 23. Deus est, qui verius cognoscitur quid non est, quam quid est. — 24. Deus est, qui sola ignorantia mente concipitur ».

7 Potius *De civit. Dei,* XI, c. 25 (PL 41, 338).; cf. Ambros., *Expos. in Luc. Evang.*, prol., nn. 2 et 5 (PL 15, 1529, 1531).

8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1328), ex Augustino, *Quaest. in Heptat.*, II, c. 25 (PL 34, 604). Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 151ab).

pertigisse usque ad notitiam tertiae personae, scilicet Spiritus Sancti, super Exod. 8, 18, ubi magi Pharaonis defecerunt in tertio signo: quia summi gentium philosophi de τὸ ἀγαθόν, id est summo [a] Patre, et de νοῦς, scilicet mente eius, philosophati sunt; sed in [b] tertio signo defecerunt magi, quia usque ad tertiam personam pervenire non valuerunt philosophi ». — Respondeo, secundum Glossam [1], quod « cognitionem ipsius Trinitatis per propria ipsarum personarum non habuerunt nec habere potuerunt [c], nisi per doctrinam aut inspirationem; sed notitiam Trinitatis per appropriata ipsis personis, scilicet potentiam, sapientiam et benignitatem, habuerunt et habere potuerunt [d] ». — Sed obicitur: Nam sicut sciverunt appropriata Patri et Filio, ita sciverunt appropriata Spiritui Sancto; et sicut nescierunt [e] proprium Spiritus Sancti, sic nescierunt proprium Patris et Filii; ergo sicut ignoraverunt personam Spiritus Sancti, ita ignoraverunt personam Patris et Filii [f]; et sicut cognoverunt [g] personas Patris et Filii, ita et personam Spiritus Sancti.

2. Item, nonne Trismegistus cognovit personas per propria, cum dixit [2]: « Monas monadem genuit et ardorem procedentem »?

3. Item, Richardus de S. Victore [3]: « Credo sine dubio quod ad quorumcumque [h] explanationem quae necesse est esse, non modo probabilia, immo et necessaria argumenta non deesse »; sed nihil adeo [i] necesse est esse sicut Trinitatem personarum; ergo ad ipsam ostendendam possunt haberi argumenta necessaria et rationes naturales; ergo per rationem naturalem potest cognosci Trinitas.

Respondeo quod [k] per naturalem rationem de se non potest haberi cognitio Trinitatis secundum propria; tamen per naturalem rationem, adiutam per aliquam gratiam aut gratis datam aut gratum facientem, potest. Et ratio huius est: quia intellectus noster, obtenebratus per originalem corruptionem, deficit in iis quae verissime [l] sunt; et ideo circa maxime intelligibilia deficit et etiam de iis quae minime sunt et ideo minime intelligibilia sunt [m] — sicut est esse motus et temporis, quae habent debilissimum esse — quemadmodum sensus deficit in extremis, id est maxime sensibilibus et minime. Hinc est: cum esse divinarum personarum in unitate essentiae sit maxime et verissime, intellectus noster obtenebratus deficit. Nec hoc est mirum, quia, sicut dicit Aristoteles, in *Prima Philosophia* [4]: « Intellectus noster [n] se habet ad manifestissima naturae sicut oculus noctuae ad solem ».

[Ad obiecta]: 1. Dicendum ergo ad primo obiectum quod ideo dicuntur [o] defecisse in cognitione tertiae personae, quia defecerunt in cognitione bonitatis [p]. Et hoc multipliciter: primo, quia non cognoverunt potissimum effectum bonitatis, scilicet incarnationem et redemptionem; secundo, quia etsi [q] bonitatem cognoverunt, non tamen ut summam et primam venerati sunt, quia sua bona sibi attribuerunt; tertio, quia etsi habuerunt appropriata duabus personis, scilicet potentiam et sapientiam, non tamen habuerunt appropriatum tertiae personae, scilicet bonitatem [5].

2. Ad secundum dicendum quod [r], etsi Trismegistus intellexit propria personarum, cum dixit: « Monas monadem genuit » etc., quod hoc habuit non per naturalem rationem, sed per doctrinam vel inspirationem [6].

3. Ad tertium dicendum quod non [s] deest argumentum ad probandum Trinitatem, id est medium sive ratio inferens de necessitate [t] Trinitatem esse, sed tamen deest ratio conferens ex parte nostra [u]. Non est ergo defectus ex parte rei, sed est defectus ex parte [v] rationis conferentis, id est intellectus nostri, qui non potest ipsum medium invenire et inventum conferre ad concludendum veritatem. Unde dicit Richardus [x], ibidem [7]: « Ad quaecumque necessaria est esse argumenta, non deesse, quamvis contingat nostram industriam latere ».

---

[a] LF *sermo.* [b] Ita VF (interl.), alii om. [c] B *poterunt.* [d] B *poterunt.* [e] V *nesciunt.* [f] L om. *ergo... Filii.* [g] V *agnoverunt.* [h] Codd. *quamcumque.* [i] F *ad esse.* [k] F om. [l] F *verissima,* quod S corr. [m] Ita PV, alii om. [n] L om. [o] P add. interl. *philosophi.* [p] R *beatitudinis,* quod B corr. in mg. [q] B *si.* [r] V om. [s] V del. [t] B *esse necesse* pro *d. n.,* R om. *de.* [u] L om. [v] Ita RL, alii om. *e. p.* [x] VR add. *de Sancto Victore.*

1 Lombardi, loc. cit.; cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (fol. 151ab).

2 Cf. supra, p. 18a, nota 6.

3 *De Trinit.,* I, c. 4 (PL 196, 892).

4 *Metaph.,* II, lect. brevior, c. 1 (II, 486).

5 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 151ab).

6 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.: « Fuit etiam tertium genus philosophorum qui cognoverunt tres personas distincte, sed illi fuerunt *edocti a Christianis,* ut Mercurius [id est Trismegistus] qui fuit in tempore Christianorum ». — Praepositin., *Summa,* II (f. 112d): « Aliis tamen videtur esse dicendum quod sit fides de uno Deo in philosopho, et non scientia, et quod solis humanis rationibus non potuerunt philosophi pervenire ad hoc, sed aliqua occulta *inspiratione* adiuvante ». — Hugo de S. Charo, *In Ep. ad Rom.,* c. 1 (ed. Venet. 1754, VII, f. 14b), locum Trismegisti vel Mercurii habet sicut Alexander, et ait: « Quod obicitur de Mercurio, dicendo quod habuit notitiam de Trinitate per doctrinam, quia forte fuit discipulus Balaam vel in libris ejus legit, cui est revelata notitia Trinitatis per inspirationem, vel ab aliquo *edoctus* fuit, vel per *inspirationem* hoc habuit ». — Rog. Baco, *Op. mai.,* II, cc. 6 et 9-14 (ed. Bridges, III, 49-68); *Op. tert.,* c. 24 (ed. Brewer, 79sq.).

7 Loco supra cit., p. 19a, nota 3, ad sensum.

11

CAPUT IV.

AN DEUS SIT COGNOSCIBILIS FACIE AD FACIEM IN VIA.

Deinde quaeritur an Deus sive divina substantia sit cognoscibilis facie ad faciem in via [1].

Et quod sic, probatur: 1. Gen. 32, 30: *Vidi Dominum facie ad faciem* etc. Augustinus, in libro *De Trinitate* [2]: « Facies est illa forma, in qua *non rapinam arbitratus est* Filius *esse* [a] *aequalem* Patri [3] »; ergo ipse Iacob vidit ipsum in forma divina et facie.

2. Item, Num. 12, 8: *Ore ad os loquor* [b] *ei*, id est Moysi, *et palam*, id est *non per aenigmata, Deum videt;* ergo et ipse Moyses videbat Deum absque ulla similitudine in sua forma et specie; et hoc est secundum faciem.

3. Item, Is. 6, 1-3: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et plena erat omnis terra* etc.; ergo Isaias vidit Dominum in sua maiestate; ergo in sua forma et specie.

4. Item, II Cor. 3, 18: *Nos revelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem;* ergo nos absque omni velamine videmus gloriam Dei; ergo absque omni similitudine, in sua claritate.

5. Item, Exod. 32, 11: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.*

Contra: *a.* I Cor. 13, 12: *Videmus nunc per speculum et in aenigmate* [c], *tunc autem facie ad faciem.* Ubi dicit Glossa [4] quod « per speculum et aenigma significantur [d] similitudines quae valent ad intelligendum Deum » in praesenti; ergo in praesenti non potest videri in sua forma sive secundum faciem.

b. Item [e], Exod. 33, 20: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo et vivet;* et sequitur [5]: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Relinquitur ergo quod non poterit videri in sua forma sive secundum faciem.

Item, quaeritur quomodo differat videre posteriora Dei a visione faciei.

Respondeo: Facies Dei dicitur multipliciter. Uno modo dicitur facies Dei praesentia eius per gratiam, secundum quod dicitur in Psalmo [6]: *A facie Domini mota est terra* etc. — Alio modo dicitur facies praesentia eius per carnem, Psalmus [7]: *Ostende nobis faciem tuam* [f] etc.; et in figura Moysi, Exod. 33, 14: *Facies mea praecedet te.* — Tertio modo dicitur facies praesentia eius per gloriam in propria forma, Iob 33, 26: *Videbis faciem eius in iubilo;* et I Cor. 13, 12: *Tunc autem facie ad faciem.*

Et secundum hunc modum posteriora Dei dicuntur tripliciter [g], sive cognitio per posteriora: uno modo rationes naturales, alio modo figurae, tertio modo creaturae.

Secundum quod facies dicitur praesentia Dei per gratiam, secundum hoc cognitio secundum faciem erit cognitio secundum [h] praesentiam seu [i] contemplationem gratiae; quo modo accipitur Gen. 32, 30: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Et huic respondet, quasi a posteriori, cognitio per naturalem rationem [k], quae non accipit praesentiam eius in affectu, sicut est in cognitione per gratiam, sed tamen accipit quasi a posteriori veritatem aliquam de eo secundum intellectum.

Item, secundum quod facies dicitur praesentia eius per carnem, secundum hoc posteriora Domini dicuntur figurae Legis, quae figurabant incarnationem. Unde et illi qui erant in Veteri Lege videbant quasi a posteriori per figuras futurorum; sed nos videmus eum quasi in facie, quia credimus et accipimus eum ut in carne [l] praesentem; quo modo accipitur illud Apostoli, II Cor. 3, 18: *Nos autem revelata facie* etc., ubi, postquam locutus est de velamine [m] figurarum, hoc adiunxit Apostolus.

Item, secundum quod tertio modo dicitur facies praesentia gloriae, secundum hoc posteriora Dei possunt dici creaturae. Est enim cognitio Dei in sua forma et est cognitio ipsius in effectu suo. Cognoscere ipsum in suo effectu est cognoscere ipsum a posteriori; cognoscere ipsum in se,

---

[a] F add. *se*, V om. *Filius.* [b] VBLF *loquitur.* [c] R om. *in*, V om. *et*, L (corr.) *enigma* pro *t. a.* [d] BRLF *significat*, V *in enigmate* pro *e. a.* [e] B om. [f] B *Domine faciem* pro *f. t.* [g] BR *multipliciter.* [h] BRLF *per.* [i] V add. *secundum.* [k] PVS *cognitionem.* [l] BRLF *carnem*, F om. *ut.* [m] V *revelatione.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 3 (II, 542-547); Maimonides, *Dux perplexorum*, p. I, cc. 21, 37, 38, 54 (ed. Basileae 1629, pp. 25, 55, 57, 87) etiam pro seqq.; Pseudo-Beda, *Quaest. sup. Exod.*, c. 42 (PL 93, 379); J. Guttmann, *Die Scholastik des dreizehnten Jahrhunderts in ihren Beziehungen zum Judenthum und zur jüdischen Literatur*, Breslau 1902, pp. 32-46.

2 Lib. II, c. 17, n. 28 (PL 42, 863).

3 Cf. Philipp. 2, 6.

4 *Ordinaria* (PL 114, 543), ex Augustino, *De Trinit.*, XV, c. 9, n. 16 (PL 42, 1069).

5 Vers. 23.

6 Psalm. 113, 7.

7 Psalm. 79, 4.

sicut est, est cognoscere ipsum in sua facie. Et hoc modo dicitur Moysi [1]: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris,* quia in praesenti per effectus cognoscimus ipsum, secundum quod dicitur Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei* etc.; in futuro vero cognoscemus ipsum in se.

Item, nota secundum B. Augustinum [2], quod facies Dei dicitur forma divina, et secundum hoc posteriora Dei possunt [a] dici forma humana. Et secundum hoc potest accipi illud Moysi: *Posteriora mea videbis,* hoc est in carne videbis, *faciem autem meam videre non poteris.*

Nota etiam quod facies Dei potest dici visio intellectualis, sive sit per rem aliquam sive per speciem intelligibilem [b], abstractam scilicet a materia [c]. Et secundum hunc modum posteriora dicuntur visio imaginaria et visio corporalis. Et secundum hoc intelligitur illud [3]: *Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem,* quia apparebat ei in specie intelligibili; et etiam illud Num. 12, 8: *Palam, et non per aenigmata* [*aut figuras*] *Deum videt,* ut 'aenigma' referatur ad imaginariam visionem, 'figurae' ad corporalem. Apparet enim Dominus in visione corporali in specie aliqua exteriori, sicut Exod. 4 [4], Moysi in rubo; apparet etiam in visione imaginaria, sicut in somnis Iacob, Gen. 29 [5]; de quibus duobus modis dicitur Num. 12, 6: *Si quis fuerit inter vos propheta, in visione apparebo ei,* scilicet corporali, *vel per somnium,* scilicet visione imaginaria. Apparet etiam in visione intellectuali in specie [d] intelligibili, ut Moysi, Num. 12 [6].

CAPUT V. 12

UTRUM DEUS SIT COGNOSCIBILIS IN SUA SPECIE IN VITA ISTA.

Postea quaeritur utrum Deus sit cognoscibilis in sua specie, hoc est utrum cognoscatur sicuti est, in vita ista.

Et probatur quod non: 1. Exod. 33, 20: *Non videbit me homo, et vivet.*

2. Item, I Tim. ultimo, 16: *Habitat lucem inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potuit.* Glossa [7]: « In hac vita, post autem videbit ».

3. Item, Gregorius, in *Moralibus* [8]: « *Deum nemo vidit unquam.* Per [e] quod patenter datur intelligi quod, quamdiu in hac vita mortali vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest: sed per ipsam naturae suae speciem non potest, ut anima, gratia Spiritus afflata, per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam speciem non pertingat »; ergo in hac vita [f] non potest videri, etiam per gratiam, sicut est.

4. Item, species omnino abstracta et absoluta a corporeitate [g], si intelligitur sicuti est, non intelligitur nisi a vi [h] intellectiva omnino absoluta a corpore [i] et expedita a mole corporea. Si ergo intellectus humanus, quamdiu hic vivitur mortaliter, est praegravatus a corpore, secundum quod dicitur Sap. 9, 15: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:* ergo relinquitur quod non [k] potest cognoscere speciem divinam sicuti est, quae [l] est omnino abstracta a corpore.

Contra: *a.* Augustinus, in libro *De videndo Deo* [9]: « In libro Numerorum, scilicet 12 [m] [10], dicit Dominus aliis Prophetis [n] in visione se apparere et in somnis, Moysi autem per speciem, non per aenigmata. Ubi etiam addit, dicens [11]: *Et gloriam Domini vidit.* Quid ergo est quod eum sic fecit exceptum? nisi forte quia in illa contemplatione dignum tunc habuit ministrum *in tota domo* sua fidelem [12], ut quemadmodum concupierat, videret Deum sicuti est ».

b. Item, Augustinus, in eodem [13]: « Ita etiam verum est quod dictum est [14]: *Nemo potest faciem meam videre et vivere,* quia necesse est ab hac vita abstrahi mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur, et non sit incredibile, quibusdam sanctis, nondum [o] ita defunctis ut sepelienda cadavera remanerent, etiam istam excellentiam revelationis fuisse concessam ». Et ponit

---

[a] VF *potest,* quod B corr. [b] BRLF add. *aliquam.* [c] LF om. *a. s. a. m.,* BR om. *abstractam scilicet,* S om. *scilicet.* [d] L om. *i. i. s.* [e] V *et.* [f] R om. [g] BR *corporalitate.* [h] V *ab* pro *a. v.* [i] V *carne.* [k] PV *nemo.* [l] R *quia.* [m] BR om. *scilicet.* [n] B add. *scilicet.* [o] B *mundum.*

1 Exod. 33, 23.
2 *De Trinit.,* II, c. 17, n. 28 (PL 42, 863).
3 Exod. 32, 11.
4 In Vulgata c. 3.
5 In Vulgata c. 28, 12.
6 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* XII, c. 6, n. 15 (PL 34, 458); *De Trinit.,* II, c. 16, n. 27 et c. 18, n. 34 (PL 42, 862, 867).
7 Lombardi, in h. l. (PL 192, 360) et *Interlinearis.*
8 Lib. XVIII, c. 54 (PL 76, 92).
9 *Epist.* 147, c. 13, n. 32 (PL 33, 611); cf. *De Gen. ad litt.,* XII, c. 27 (PL 34, 477).
10 Vers. 6 et sqq.
11 Cap. 12, 8. Ita etiam in versione syriaca.
12 Cf. Hebr. 3, 5.
13 Cap. 13, n. 31 (PL 33, 610).
14 Cf. [illegible] 33, 20.

exemplum de Paulo in raptu, II Cor. 12. Relinquitur ergo quod potest in hac vita videri.

c. Item, non est aliquis defectus in potentia naturae, qui non possit removeri per potentiam gratiae et superari; ergo, si potentia naturae est ad videndum Deum sicuti est, dum vivitur in carne, tamen cum multiplici defectu, per potentiam gratiae poterit ille defectus amoveri; ergo per adiutorium gratiae potest Deus videri in praesenti sicuti est.

Solutio: Per naturam, constans est, non potest [a] videri sicuti est. Distinguendum ergo est quod est gratia perfecta et est gratia imperfecta. Dico autem gratiam imperfectam, quae est in hominibus imperfectis; perfectam vero gratiam, quae est [b] perfectorum, secundum quod est esse perfectum in via. Dicendum ergo quod non est possibile videre Deum in praesenti per gratiam imperfectae contemplationis, sed per gratiam perfectae contemplationis potest, non tamen adeo plene ut post hanc vitam. Et hoc est quod dicit [c] Gregorius, super Iob 28, 21, ubi dicitur [1]: « *Sapientia abscondita est ab oculis omnium viventium,* quia in hac mortali carne consistentibus et videri potest per quasdam circumscriptas imaginationes, et videri non potest per incircumscriptum lumen aeternitatis; a quibusdam videri non potest [d] in hac mortali carne existentibus, tamen inaestimabili virtute crescentibus quodam contemplationis acumine aeterna Dei claritas videri potest ».

[Ad obiecta]: 1-4. Unde notandum, secundum Augustinum, in libro *De Trinitate* [2], ad solvenda obiecta, quod « Dei facies dicitur forma, in qua *non rapinam arbitratus est esse se aequalem* Patri, quam *nemo potest videre et vivere,* sive quia post hanc vitam *videbimus facie ad faciem,* secundum quod dicit Apostolus, I Cor. 13, 12 et secundum Ioannem, I Ioan. 3, 2: *Nondum apparet quid erimus; cum autem* [e] *apparuerit, tunc similes ei erimus, quoniam* [f] *videbimus eum sicuti est.* Quod utique post hanc vitam intelligi voluit, cum mortis debitum solverimus; sive etiam nunc, in quantum Dei Sapientiam, per quam facta sunt omnia, spiritualiter intelligimus, in tantum [g] carnalibus affectibus morimur, ut mortuum nobis hunc mundum deputantes, nos quoque ipsi [h] huic mundo moriamur et dicamus quod ait Apostolus, ad Gal. ultimo, 14: *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo* ». — Et per haec patet solutio ad omnia [i] obiecta.

Unde et [k] secundum hoc nota quod dicit Augustinus, in quaestione penultima *Ad Orosium* [3], de raptu Pauli: « Ob [l] id raptus fuerat apostolus Paulus in tertium caelum, id est intellectualem visionem, ut Deum non per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa veritas, cerneret. Ad hoc profecto pervenerat Paulus ut Deum sic in hac vita videret, sicut sancti post hanc vitam videbunt ».

13

CAPUT VI.

UTRUM DEUS POSSIT NATURALITER COGNOSCI IN SUA PRAESENTIALITATE.

Consequenter quaeritur utrum Deus possit naturaliter cognosci in sua praesentialitate, secundum quod praesens est creaturae, hoc est utrum possit cognosci de Deo naturaliter quod praesens est omnibus rebus.

Et videtur quod sic: *a.* Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei* etc. Glossa [4]: « Per gubernationem videtur quod praesens est omni rei ».

Contra: 1. Cognitio per gratiam maior est quam illa quae est per naturam; sed per gratiam non cognoscitur esse praesens per gratiam de necessitate; ergo multo minus per naturam poterit cognosci esse praesens [m] rebus per essentiam: nam illa cognitio certior est.

2. Item, Ambrosius [5]: « Cum absens putatur, videtur; cum praesens est, non videtur ».

Respondeo: 1. Dicendum quod per naturam potest cognosci esse praesens rebus per essentiam [n]; tamen non potest cognosci esse praesens per gratiam [o]: quia medium in cognitione naturali est effectus creatus, qui potest comprehendi; gratia autem dicit acceptionem in Deo, ratione cuius non est in potestate nostra comprehendere gratiam esse, et ita nec Deum praesentem esse per gratiam.

---

[a] P *posse* [b] L om. [c] F add. *beatus.* [d] B om. *per... potest.* [e] P om., in S est add. mg., BRLF om. *tunc.* [f] LF *quando.* [g] R *quantum.* [h] V om. [i] S om. [k] V om., B *etiam.* [l] S *ad.* [m] BRLF *in.* [n] Pro *p. e.* BLF legunt *per gratiam,* quod in PR est linea obductum, in V est expunctum; S *per gratiam gratiam,* sed ultima vox expungitur, et post *rebus* habetur signum cui correspondet add. mg. *per essentiam,* ita ut ibi legendum sit: *praesens rebus per essentiam; per gratiam tamen* etc. Lectio igitur a nobis admissa toto contextu apparet suffulta. [o] S linea delevit *p. g.* et punctis positis sub his vocibus iterum expunxit.

[1] *Moral.*, XVIII, c. 54, n. 88 sq. (PL 76, 92 sq.).
[2] Lib. II, c. 17, n. 28 (PL 42, 863 sq.).
[3] Pseudo-Augustin., *Dialog. quaest.* 65, q. 63 (PL 40, 752); cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, XII, cc. 1-5, 34 et 37 (PL 34, 453 sqq. et 482 sq.), ubi fusius de variis generibus visionum agitur.
[4] Lombardi, in h. l. (PL 191, 1397 sq.).
[5] *Expos. in Luc. Evang.*, I, n. 27 (PL 15, 1545).

2. Ad auctoritatem Ambrosii potest dici, secundum[a] quod exponitur a pluribus [1]: « Cum absens putatur », id est reputatur ut absens per humilitatem, « videtur », quia tunc est praesens per gratiam; item, « cum praesens est » per gratiam, « non videtur », quia reputatur absens per humilitatem. — Notandum tamen, secundum Augustinum, in libro *De videndo Deo* [2], quod Ambrosius intendit tractare[b] verba illa Ioan. 13 [3]: *Tanto tempore vobiscum sum* etc. *Philippe, qui videt me* etc. Secundum hoc ergo dicit Ambrosius quod, quamvis ubique sit praesens per immensitatem, tamen putatur[c] esse absens per incomprehensibilitatem. Secundum hoc ergo sic exponitur auctoritas: « Cum absens putatur », id est[d] incomprehensibilis, « tunc videtur », id est cognoscitur; item, « cum praesens est, non videtur », quia non putatur eius praesentia incomprehensibilis. Unde Philippus et alii Apostoli habebant Christum praesentem et non videbant, quia non cogitabant[e] eum ut absentem, id est incomprehensibilem. Unde Augustinus, exponens verbum Ambrosii, in libro *De videndo Deo* [4]: « ' Cum absens putatur, videtur '; non dicit ' cum absens est ', sed ' cum absens putatur ': nusquam enim absens est qui *caelum et terram implet* [5], nec spatiis intercluditur parvis nec magnis[f] diffunditur; ubique totus est et a nullo continetur loco. Haec qui excedente mente intelligit, videt Deum, etiam cum absens putatur ».

MEMBRUM II.

De cognitione Dei in via ex parte cognoscentis.

CAPUT I. 14

UTRUM SIT IN NATURALI POTENTIA COGNOSCERE DEUM AN REQUIRATUR GRATIA SUPERADDITA.

Sequuntur quaestiones ex parte cognoscentis. Et primo quaeritur utrum sit in naturali potentia cognoscere Deum, an requiratur gratia superaddita [6].

Quod autem non sit sufficiens naturalis potentia: 1. Primo probatur per hoc quod dicitur, I Tim. ultimo, 16: *Habitat lucem inaccessibilem, quam nullus hominum vidit.* Glossa [7]: « Quia nullus ad eam[g] accedit ex se, sed cui datur ex dono eius. Quod intelligebat Propheta, dicens [8]: *Accedite ad eum, et illuminamini.* Et ita inaccessibilis est lux illa, quia ipse est quem *nullus hominum vidit* ex se ».

2. Item, Ambrosius, *Super Lucam* [9], et[h] repetit Augustinus, in libro *De videndo Deo* [10]: « Non est in potestate nostra videre Deum, sed in potestate illius apparere ». Ex quo sequitur quod non sufficit naturalis potentia ad videndum Deum, sed requiritur gratia.

3. Item, idem in eodem Ambrosius [11]: « Si potestas non est videndi[i] Deum, est tamen gratia promerendi ut videre possimus ». Ergo videre Deum est ex gratia, non ex naturali potentia.

4. Item, Ambrosius, in eodem[k] [12]: « Non similiter sensibilia videntur et is in cuius voluntate situm est videri et cuius naturae est non videri. Voluntatis Dei est videri[l]: nam si vult, videtur; si non vult, non videtur. Apparuit Deus Abrahae, quia voluit; aliis non apparuit, quia noluit ». Ex quo relinquitur quod Deus non potest videri per naturalem potentiam solum.

Contra: *a.* Rom. 1, 19: *Quod notum est Dei, manifestum est in*[m] *illis.* Glossa [13]: « Ductu rationis, quasi dicat: in se habent unde cognoscere possunt quod est noscibile de Deo, scilicet naturalem rationem ».

Respondeo, secundum Hugonem, in suis *Sententiis* [14]: « Deus notitiam suam ab homine sic

---

[a] V om. [b] PS *retractare.* [c] R *videtur,* BR om. *esse.* [d] V add. *cum.* [e] PVS *cognoscebant.* [f] Codd. *parvus nec magnus* pro *p. n. m.* [g] Ita S (corr. mg.) LF, alii *eum.* [h] LF *quod.* [i] LF *videre.* [k] B om. *i. e.* [l] F om. *V. D. e. v.* [m] PV om., in S add. interl.

1 Cfr. Gregor. M., *Moral.*, IX, c. 13, n. 20 (PL 75, 870); variae allusiones apud S. Bernard., *Sermo in Cant.* 57, n. 4 (PL 183, 1052).
2 *Epist.* 147, c. 12, n. 29 (PL 33, 609 sq.).
3 In Vulgata cap. 14, 9.
4 Loc. cit.
5 Ierem. 23, 24.
6 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, qq. 1 et 2 (I, 67-73).
7 Lombardi, in h. l. (PL 192, 360).
8 Psalm. 33, 6.
9 Lib. I, n. 26 (PL 15, 1544).
10 Cap. 6, n. 18 (PL 33, 604).
11 Loc. cit.
12 Loc. cit., n. 24 (PL 15, 1543) et Augustin., loc. cit. (PL 33, 603).
13 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1326).
14 Rectius *De sacram. christ. fid.* I, p. 3, c. 1 (PL 176, 217).

ab initio temperavit, ut sicut nunquam 'quid esset' poterat comprehendi, nunquam 'quia esset' poterat ignorari ». Dicendum ergo quod cognitio de Deo 'quia est' potest haberi per naturalem rationem, sed cognitio 'quid est' non [1].

Nota igitur quod, cum sit cognitio de re multiplex: quia est, quid non est, quid est, qualis est, quanta est, propter quid est, de divina substantia per naturalem rationem potest haberi cognitio in praesenti 'quia est' et 'quid non est'.

'Quia [a] est', sicut supra dixit Hugo et Ioannes Damascenus, I libro [2]: « Ipsa creatio [b] et permanentia et gubernatio rerum magnitudinem divinae praedicant [c] naturae; unde omnibus cognitio existendi Deum naturaliter inserta est ».

Item, 'quid non est', secundum quod dicit Ioannes Damascenus [3]: « In [d] Deo 'quid est' impossibile est dicere secundum substantiam; familiarius autem est magis ex omni [e] ablatione facere rationem: nihil enim est eorum quae sunt; unde non est ens, sed super omnia ens [4] ».

Cognitio vero 'quid est' et 'qualis est' — quid est secundum substantiam, qualis [f], et liceat ita loqui, secundum personalem proprietatem — non potest [g] haberi per naturalem rationem; sed imperfecte et in aenigmate habetur per gratiam, perfecte vero et secundum speciem per gloriam. Unde Ioannes Damascenus [5]: « Quid est Dei substantia et qualiter Deus ex Deo genitus est ignoramus et dicere non possumus ».

Cognitio qua cognoscitur per potentiam 'quantus est' [h] propria est ipsius Dei et excedit omnem cognitionem creaturae. Unde et de cognitione 'quantus est', quae pertinet ad eius immensitatem, dixit Ambrosius [6]: « Plenitudinem divinitatis eius nemo mente aut oculis comprehendit »; et B. Gregorius, super Iob [7]: « Eius essentia a nullo plene videbitur ».

15

CAPUT II.

UTRUM POSSIT DEUS COGNOSCI A BONIS ET A MALIS.

Postea quaeritur utrum possit Deus cognosci a bonis et a [i] malis.

Et probatur quod non [8]: I. 1. Augustinus, in libro *De Trinitate* [9]: « Mentis humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur ». Ergo non potest cognosci nisi a mundis.

2. Item, Augustinus [10]: « Trinitas, quae est summum bonum, purgatissimis mentibus cernitur ». Ergo requiritur [k], ad hoc quod cernatur, purgatissima mens; non ergo potest cognosci [l] a malis.

3. Item, Matth. 5, 8: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ambrosius [11]: « Si qui mundo corde Deum videbunt, ergo alii [m] non videbunt; neque enim indigni Deum videbunt, neque is qui Deum videre voluerit, potest videre Deum ».

II. Contra: 1. Rom. 1, 21: *Qui cum* [n] *cognovissent Deum* etc. *non sicut Deum glorificaverunt* etc. Et in eodem, 19: *Quod notum est Dei, manifestum est in* [o] *illis.*

2. Item, Augustinus, in libro *Retractationum* [12], retractans illud quod dixerat in *Soliloquiis* [13], dicens: « Non approbo quod in oratione dixi: 'Deus, qui non nisi mundos verum [p] scire voluisti'; responderi enim potest multos non mundos multa vera scivisse », etiam de Deo.

3. Item, Iob 1, 6 legitur quod ipse diabolus venit ante conspectum Dei inter filios Dei. Ergo ipse diabolus, qui est immundissimus, conspexit Deum [q].

4. Item, Apoc. 1, 7: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt.* Ergo mali videbunt eum in iudicio [r].

Respondeo: Sicut dictum est [14], est cognitio de Deo 'quia est', et haec potest esse malorum; et est cognitio de Deo 'quid est', et haec duobus modis: quid est secundum operationem in creaturis, ut quia potens in operatione, sapiens in gubernatione, iustus in retributione, et hoc modo etiam potest cognosci a malis; et est cognitio

---

[a] P *Et quia.* [b] R *creatura,* quod B corr. [c] B *predicantur.* [d] BLF *de.* [e] F *omnium.* [f] V add. *est.* [g] S *habet.* [h] B om. [i] BRL om. [k] PVB *relinquitur,* quod S exp. et in mg. corr. *requiritur.* [l] BRLF *cerni.* [m] F add. *Deum.* [n] S om., in V add. interl. [o] Ita LF, alii om. [p] V *Deum.* [q] Codd. transponunt sic: *conspexit Deum, qui est immundissimus.* [r] R om. *et qui... iudicio.*

1 Cf. supra, p. 18a, nota 6, definitio 23.
2 *De fide orthod.*, c. 1 (PG 94, 790).
3 Loc. cit., c. 4 (PG 94, 799).
4 Cf. supra, p. 18a, nota 6, definitio 11.
5 Loc. cit., c. 2 (PG 94, 794).
6 *Expos. in Luc. Evang.*, I, n. 25 (PL 15, 1544); cf. Augustin., *Epist.* 147, c. 9, n. 22 (PL 33, 606).
7 *Moral.*, XVIII, c. 54, n. 88 (PL 76, 92).
8 Id est, quod non a malis.
9 Lib. I, c. 2, n. 4 (PL 42, 822); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 2, c. 1 (ed. Ad Claras Aquas 1916, p. 21).
10 Loc. cit.
11 *Expos. in Luc. Evang.*, I, n. 27 (PL 15, 1544).
12 Lib. I, c. 4, n. 2 (PL 32, 589); cf. Lombard., loc. cit.
13 Lib. I, c. 1, n. 2 (PL 32, 870).
14 Cf. supra, p. 24a.

de Deo quid in se est[a], et hoc modo non est cognoscibilis a malis.

[Ad obiecta]: Respondendum ergo ad obiecta utriusque partis:

I. 1. Ad primum iam patet solutio, quia intellectus malorum non figitur in ipsa luce, quia non videt eam in se, sed in umbra creaturae.

2. Ad secundum dicendum ut fiat vis in hoc quod dico 'cernere', et assignetur differentia eius quod est 'cernere' et eius quod est 'videre'. 'Videre' enim est rem[b] sub specie aliqua apprehendere[c]; 'cernere' vero est rem sub certa specie et distincta et determinata apprehendere. Propterea[d] ille qui videt a remotis hominem et non discernit an sit homo, sed corpus aliquod vel animal[1], non dicitur 'cernere', quamvis dicatur 'videre'; sed cum videt eum de prope sub sua certa specie, tunc dicitur 'cernere'. — Secundum istum modum dicendum quod, cum cognoscatur Deus per effectus naturales et per effectus gratiae[e] — in effectibus naturalibus cognoscitur Deus sub ratione bonitatis generali, qua est participabilis ab omni creatura; in effectibus vero gratiae participatur sub ratione bonitatis speciali, qua solum praebet se animabus sanctis ut dulcis et delectabilis — ideo primo modo dicetur 'videri' aliquo modo, sed secundo modo 'cerni'. Ideo, quamvis a malis aliquo modo 'videri' possit in effectibus naturae, tamen a purgatissimis mentibus 'cerni' potest in effectibus gratiae.

3. Ad tertium dicendum quod est videre Deum in eo quod est, scilicet in se, et est videre Deum in eo quod non est, scilicet in suo effectu, quod non est ipse, sed ab ipso. Primo modo videtur[f] solum a mundis corde, secundo modo[g] videtur a malis. — Item, Augustinus, in libro *De videndo Deo*[2]: « Si nostra voluntas apud se manens et latens, sine ulla sui[h] commutatione, per quas se extendat exprimit voces, quanto facilius Deus omnipotens, sua latente et incommutabiliter manente natura, in qua voluerit specie et cui voluerit poterit apparere! Ad visionem vero illam, in qua videbimus eum sicuti est, munda corda perveniunt ».

II. 1–2. **Ad obiecta alterius partis** iam patet solutio[i] quantum ad primum et secundum.

3. Ad tertium[k] tamen dicendum, secundum quod dicit Augustinus, in libro *De videndo Deo*[3]: « Quod scriptum est venisse angelos in conspectum[l] Dei, non ideo diabolus vidisse Deum credendus est; ipse enim dicitur venisse in conspectum Dei, non Deus in conspectum eius; veniunt autem in conspectum[m] nostrum quae videmus, non a quibus videmur ». — Si ergo obiciatur, quod[n] semper diabolus venit in conspectum Dei, cum[o] semper videatur a Deo: respondendum[p] quod, quamvis sit in conspectu Dei quantum ad sapientiam, quae omnia videt, tamen dicitur venire in conspectum Dei quantum ad ordinem iustitiae, qua ordinatur differenter mala voluntas diaboli ad tentationem bonorum, sicut in lob[4], et ad seductionem reproborum, sicut III Reg. 22[5] de Achab. Unde distinguetur conspectus sapientiae et conspectus iustitiae.

4. Ad ultimum respondet Augustinus, in eodem libro *De videndo Deo*[6]: « *Videbunt in quem pupugerunt*[7], secundum humanam formam, non illam Dei formam, in qua *non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo*[8]; in illa Dei forma tunc videbunt eum, qui videbunt eum sicut est ».

CAPUT III. 16

UTRUM DEUS COGNOSCATUR SENSU ET HOC EXTERIORI SIVE INTERIORI.

Deinde quaeritur utrum Deus cognoscatur sensu, et hoc exteriori sive interiori, vel ratione tantum[9].

Et[q] videtur quod sensu, non tantum ratione: 1. Nam ubicumque est apparitio, ponitur cognitio; sed legitur[10] Deus apparuisse in visione corporali et in visione imaginaria et in visione intellectuali; ergo cognitio de ipso fuit secundum actum virtutis sensibilis exterioris et interioris et secundum actum virtutis intellectivae; ergo qualibet vi potest Deus cognosci.

---

[a] RL om., B add. interl. [b] F om. [c] F *comprehendere.* [d] V *preterea.* [e] P add. *etiam.* [f] VS *dicitur videri,* in P habetur *dicitur videri videtur,* sed *dicitur videri* linea obductum deletur. [g] F om. [h] R om. [i] LF *responsio.* [k] Codd. haec cum praecedenti sic iungunt: *quantum ad primum et tertium,* sed omnino erronee. Ex ipso enim contextu patet hic haberi lacunam, cum revera ad 1 et 2 responsum sit, ad 3 vero hic tantum solutio detur. [l] Codd. hic et infra *conspectu.* [m] Ita codd., deinceps vero *conspectu.* [n] BR om. [o] P *et,* quod B corr. [p] SB *respondemus,* RLF *respondeo.* [q] BRLF om.

[1] Cf. Avicenna, *Sufficientia,* I, c. 1 (ed. Venet. 1508, f. 13c).
[2] *Epist.* 147, c. 19, n. 47 sq. (PL 33, 618).
[3] Cap. 11, n. 25 (PL 33, 607 sq.); cf. Abael., *Dial. int. phil. iudaeum et christ.* (PL 178, 1666 sq.)
[4] Cap. 1, 6 et 2, 1. [5] Vers. 6, 12, 17.
[6] Cap. 11, n. 28 (PL 33, 609).
[7] Apoc. 1, 7. [8] Philipp. 2, 6.
[9] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 16, a. 1, qq. 1-3 (I, 278-284); II *Sent.*, d. 10, a. 3, q. 2 (II, 271-273); *Breviloq.*, p. 1, c. 5 (V, 213 sq.).
[10] Cf. Augustin., *Contra Adimant.*, c. 28 (PL 42, 171).

2. Item, idem videtur per distinctionem illam [1] qua dicitur: triplex est visio, scilicet corporalis, imaginaria et intellectualis; ergo aliqua est ad sensum.

3. Item, Exod. 3, 2 legitur Dominus apparuisse Moysi in rubo; et Exod. 24, 10, *septuaginta senioribus, qui viderunt Deum Israel et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini et quasi caelum* [a], *cum serenum est;* et Abrahae in specie humana, Gen. 18, 3. Ergo apparuit in specie corporali; sed sicut apparuit, cognoscebatur; ergo cognoscebatur in specie corporali [b]. Cum ergo species corporalis sit apprehensibilis per vim sensibilem exteriorem corporalem, relinquitur quod ipse Deus potest cognosci secundum aliquem modum per vim sensibilem.

4. Item, legitur Dominus [c] apparuisse in specie imaginaria, ut Iacob, Gen. 28, 12-13, quando *vidit in somnis Dominum innixum scalae;* et Is. 6, 1: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum* etc.; et Dan. 7, 9, quando *aspiciebat, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit* etc.; ergo ipse apparuit in visione imaginaria; sed visio imaginaria est virtutis [d] imaginativae sive sensus interioris; relinquitur ergo quod ipse Deus possit cognosci a virtute imaginativa [e].

Contra [2]: *a.* Divina forma magis est elevata a sensu quam aliqua forma creata; sed forma aliqua creata [f], ut caritas, non est perceptibilis a sensu; ergo multo magis nec forma divina. Et ad hoc Augustinus, *De videndo Deo* [3]: « Caritas, quantulacumque in nostra voluntate consistit nobisque perspicua [g] est, nec in loco videtur [h] nec corporalibus oculis quaeritur; quanto magis nec Deus ipse [i], cuius hoc pignus [4] in nobis est »! Ergo relinquitur quod Deus non videtur visione corporali, sicut nec caritas.

b. Item, Ambrosius, *Super Lucam* [5]: « Deus non in loco videtur, sed in mundo corde, nec circumscribitur visu nec tactu tenetur nec auditur affatu [k] nec incessu sentitur ». « ' Non [6] circumscribitur [l] visu ' propter id quod dictum est, Exod. 33, 23: *Posteriora mea videbis;* ' nec tactu tenetur ' dicit propter luctam Iacob, Gen. 28 [7]; ' nec auditur [m] affatu ' » dicit, quia legitur etiam auditus a filiis Israel, Exod. 21 [8]; « ' nec sentitur incessu ' [n], sicut legitur Gen. 3, 8, dum deambularet Dominus » etc. Relinquitur ergo quod Deus non videtur visione corporali.

c. Item, omnia quae videntur imaginativa [o] virtute videntur ut localia et sub aliquibus spatiis locorum seu circumstantiis loci. Si ergo Deus cognoscitur absque omni spatio locali, relinquitur quod non potest aliquo modo cognosci a virtute imaginativa. Unde Augustinus, *De videndo Deo* [9]: « Si illa quae in luce cordis oculis intuemur », sicut sunt cogitationes animi et affectiones et virtutes animae, « nullis locorum spatiis separantur et tamen [p] discernuntur inter se, quanto magis [q] Deus, *qui lucem habitat inaccessibilem* [10] corporis sensibus, quo nec ipsius nisi mundi [r] corde potest esse accessus »!

d. Item, idem in eodem [11]: « Cum ab exterioribus sensibus interiora distinguis atque illa istis anteponis, cumque, illis foris relictis, istis intrinsecus demoraris, et ea quibusdam suis finibus incorporalibus metiendo [s] diiudicas, in nulla te [t] putas animi luce versari? Ego existimo quod tanta et talia, tam vera, tam clara, tam certa videri sine luce non possunt. Ipsam igitur [u] lucem, in qua ista [v] perspicis, intuere, et vide utrum ad eam possit accedere ullus corporeorum radius oculorum ». Si ergo illa est lux divina, ergo nullo modo potest Deus videri oculo corporali.

e. Item, nulla vis corporea comprehensiva, habens determinatum situm [x] in corpore, est apprehensiva nisi virtutis corporeae. Si ergo vis sensibilis interior et vis sensibilis exterior sint virtutes corporeae, habentes determinatum situm et organum in corpore: relinquitur quod non erunt apprehensivae nisi specierum corporearum. Relinquitur ergo quod Deus non potest cognosci vel apprehendi virtute sensibili interiori vel exteriori.

f. Item, « superior vis continet inferiorem, inferior autem non surgit in superiorem [12] »; sed Deus est obiectum rationis; ergo non potest in illum sensus [y], cum omnino sit absque conditione materiae.

---

[a] F add. *est.* [b] V om. *sed sicut... corporali.* [c] BR *Deus.* [d] P *virtus,* quod V corr. [e] L *imaginaria.* [f] F om., L exp., V add. mg. [g] P (interl.) RLF add. *non,* in B *est* est add. interl. [h] L *videtur in loco,* B *est in loco* pro *l. l. v.* [i] V om. [k] B *auditu affatur.* [l] LF add. *in,* V om. *nec auditur... visu.* [m] R *auditu.* [n] B *in sensu.* [o] L *imaginaria,* idem subinde; BRF om. *virtute.* [p] L *cum.* [q] S om. [r] V (corr.) LF *mundo,* BR *nec* pro *nisi.* [s] Ita F, in VSB corr. ex *movendo,* quod habent PR, L *mentiendo;* R *divinitus* pro *diiudicas,* quod B corr. [t] SR *re.* [u] BR *autem.* [v] B *isti.* [x] L *locum.* [y] V add. mg. *cadere.*

1 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, XII, c. 7 (PL 34, 459 sq.).

2 Ex finali « *Quod concedimus* » (p. 27a) apparet omnia quae sub *Contra* ponuntur habenda esse pro sententia doctoris. Quod saepius occurrit.

3 Cap. 17, n. 44 et cf. c. 6, n. 18 (PL 33, 616, 604).

4 Cf. II Cor. 1, 22. 5 Lib. I, n. 27 (PL 15, 1544).

6 Sequitur explicatio verborum Ambrosii facta ab Augustino, *Epist.* 147, c. 11, n. 26 (PL 33, 608).

7 In Vulgata cap. 32, 24 sq.

8 In Vulgata c. 19, 9 et sqq. Pro *dicit quia... Exod. 21* legitur apud Augustin.: « Sicut non solum a tot sanctis, verum etiam a diabolo auditus est ».

9 Cap. 17, n. 44 (PL 33, 616).

10 I Tim. 6, 16.

11 Augustin., *Epist.* 147, c. 17, n. 42 (PL 33, 615).

12 Boeth., *De consol. philos.*, V, pr. 4 (PL 63, 849).

g. Item, in visione Moysi [1] erant duo: esse speciem ignis et esse signum; sed constat quod signum, ut signum, non erat obiectum sensus, quia signum, ut signum, et significatum — quae dicuntur relative et in [a] intellectu unius includitur intellectus alterius — ab eadem vi comprehenduntur [b]; ergo sensus nullo modo erigebatur in [c] cognitionem significati. Relinquitur ergo quod non erigebatur [d] ad cognitionem significati, cum non apprehenderet illud ut signum. — Quod concedimus.

[Ad obiecta]: 1. Et dicendum [e] ad obiecta, secundum [f] Augustinum, in libro *De videndo Deo* [2], quod « interiores oculi sunt iudices exteriorum oculorum; isti autem illis quodam officio nuntiandi et [g] ministerio famulantur; multaque illi vident quae isti non vident ». Secundum hoc ergo dicendum ad obiecta quod [h] in corporalibus visionibus est apprehensio formae corporalis et eius quod est signum. Sensus ergo apprehendebat formam corporalem; quod autem esset signum, istud erat solum rationis. Unde in apparitione erat forma obiecta et significatio Dei qui apparebat [i], et ex illa parte dicitur apparitio ex qua est significatio, quae est solum in rationali. — Per haec patet responsio ad primum.

2. Ad secundum dicendum est quod Augustinus [k], in libro *De videndo Deo* [3], dicit: « Ea quae mente conspiciuntur non indigent ullo corporis sensu ut ea vera esse noverimus; quae autem per corpus nuntiantur, nisi [l] mens adsit quae nuntiata suscipiat, nulla possunt scientia contineri, et quae nuntiata quasi [m] suscipere prohibetur, foras ea relinquit, sed eorum imagines, id est incorporeas [n] similitudines corporum, incorporaliter commendat memoriae ut, cum voluerit, velut de custodia ductas atque in conspectum cognitionis exhibitas, iudicet [o]. Etiam ista duo discernit: quid in specie corporali foras reliquerit, quid ei simile intus aspiciat, et illud absens, hoc praesens esse dignoscit; sicut, me absente, faciem mei corporis cogitas, et illa est tibi [p] imago praesens, absens autem facies, cuius illa imago est ». Ex hoc ergo manifestum est quod visio corporalis sive imaginativa [q] non erit visio prophetica vel divina, nisi adsit visio intellectualis quae formam corporalem et imaginariam abstrahendo diiudicet. Hinc est quod [r] visio Pharaonis [4] imaginaria non fuit prophetica [s], sed Ioseph [5]; nec visio Baltassar [6] corporalis fuit prophetica, sed Danielis [7].

3-4. Per hoc patet responsio ad cetera.

CAPUT IV. 17

UTRUM DEUS COGNOSCATUR RATIONE VEL INTELLIGENTIA.

Quaeritur iterum, cum cognitio Dei non sit per sensum, sed per intellectum, ex parte autem intellectus multiplicetur vis apprehensiva, secundum B. Augustinum [8], ut ratio et intelligentia, quaeritur ergo utrum Deus cognoscatur ratione vel intelligentia solum [9].

Ad quod sic: *a.* In Psalmo [10]: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Glossa [11]: « Lumen vultus ratio est, quae est ad cognoscendum Deum ».

b. Item [t], illa vi, quae est in anima sublimior, cognoscimus Deum; sed dicitur [u], in libro *De libero arbitrio* [12], quod « nihil est sublimius ratione »; ergo cognoscitur ratione.

Contra: 1. Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [13], assignans vires animae quinque apprehensivas: sensum, imaginationem, rationem, intellectum, intelligentiam, dicit: « Sensus est vis quae percipit formas corporeas praesentes. Imaginatio est vis quae percipit formas corporeas absentes. Ratio est vis quae percipit corporum naturas universales [v] abstractas, ut genera et species, differentias, propria et accidentia: abstrahit enim a corporibus quae fundantur in corporibus universales naturas [x], non actione, sed consideratione. Intellectus est vis quae [y] cognoscit spiritum [z] creatum. Intelligentia vero est vis quae cognoscit spiritum increatum », Deum. Relinquitur

---

[a] SBLF om., in R add. interl.; V om. *et*, quod in F est add. interl. [b] BLF *comprehenditur*, quod V corr. [c] BR *ad*. [d] V *exigebatur*. [e] BR add. *quod*. [f] LF add. *beatum*. [g] F *in*. [h] V *que*. [i] B *approbat*. [k] BRLF *secundum Augustinum* pro *e. q. A.* et om. *dicit*. [l] B *quasi*. [m] BR *qualis*. [n] VBR *corporeas*. [o] B *videlicet*, quod V corr. [p] B om. [q] B *imaginariam*, F *imaginaria*. [r] F add. interl. *nec*. [s] Ita V add. mg., alii om. *n. f. p.* [t] R *in*. [u] F *dicit*. [v] F add. *et*. [x] L *naturales*. [y] Ita P, alii *qua*, idem infra. [z] F *ipsum* et om. *vero*.

1 Exod. 3, 2.
2 *Epist.* 147, c. 17, n. 41 (PL 33, 615).
3 Loc. cit., c. 16, n. 38 (PL 33, 613 sq.).
4 Gen. 41, 1 sqq.
5 Gen. 38, 5 sqq.
6 Dan. 5, 5 sqq.
7 Dan. 7, 9. De his variis visionibus cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, XII, cc. 9 et 11, nn. 20 et 23 (PL 34, 461 sq.).
8 Pseudo-Augustin., *De spiritu et anima*, c. 11 et sq. (PL 40, 786 sq.).
9 Cf. S. Bonav., *Itiner.*, c. 1, nn. 4-7 (V, 297).
10 Psalm. 4, 7.
11 Lombardi, in h. l. (PL 191, 88).
12 Augustini, II, c. 6, n. 13 (PL 32, 1248).
13 Cap. 11 (PL 40, 786 sq.).

ergo quod cognoscitur Deus intelligentia, non ratione.

2. Item, Boethius, *De consolatione*[a] [1], distinguens vires apprehensivas, dicit: « Sensus contuetur[b] speciem in subiecta materia constitutam; imaginatio vero solam sine materia inducit[c] figuram; ratio vero hanc quoque[d] transcendit, speciemque ipsam, quae singularibus[e] inest, universali consideratione perpendit; intelligentia, supergressa universitatis ambitum, ipsam simplicem formam pura mentis acie contuetur ». Cum ergo divina essentia sit simplex forma et talis quae non inest singularibus ut universalis forma, relinquitur quod cognoscitur intelligentia, non ratione.

3. Item, Boethius, in eodem [2]: « Superior vis amplectitur inferiorem, inferior vero ad superiorem nullo modo consurgit; neque enim sensus aliquid extra materiam valet cognoscere, nec universales species imaginatio contuetur, nec ratio capit simplicem formam ».

Respondeo: 1. Ratio uno modo dicitur communiter, alio modo stricte. Secundum quod large sumitur, comprehendit intelligentiam, intellectum et rationem stricte acceptam. Vis enim rationalis secundum aspectum quem habet ad id quod supra se[f] est, scilicet Deum, dicitur intelligentia; secundum aspectum quem habet ad id[g] quod iuxta se est, scilicet spiritualem naturam, dicitur intellectus; secundum vero respectum quem habet ad id quod infra se est, scilicet corporum naturas, dicitur ratio stricte. Et haec est intentio B. Augustini, in libro *De anima et spiritu* [3]. — Aliter: secundum bimembrem divisionem dicit Augustinus [4] quod ratio dividit se in[h] duo, scilicet in superiorem et inferiorem, scilicet[i] in virum et mulierem. Superior pars est ad contemplandum Deum et aeterna, inferior ad contemplandas[k] creaturas et temporalia. Ad superiorem pertinet sapientia, ad inferiorem[l] scientia.

Dicendum ergo secundum hoc quod Deus comprehenditur ratione, secundum quod rationis nomen extenditur ad superiorem partem, quae est mens vel intelligentia dicta, non secundum quod restringitur nomen rationis ad inferiorem partem, quae est ad contemplandas creaturas vel inferiores naturas.

2-3. Ad aliud[m] vero Boethii dicendum quod est accipere rationem per modum rationis et per modum intelligentiae; similiter intelligentiam per modum intelligentiae et per modum rationis. Modus vero proprius rationis est accipere in collatione: ut unum[n] in multis, velut universalem formam[o] in multis singularibus, et unum ex alio et post aliud, ut ex principiis conclusionem. Modus vero intelligentiae est apprehendere[p] ipsam simplicem formam[q], nec unum per aliud sive post aliud, sed totum simul [5]. In nobis ergo est ratio per modum rationis et ipsa intelligentia, secundum statum praesentem, per modum rationis: quia nostra intelligentia comprehendit simplicem formam[r], quae est Deus, non per modum simplicitatis et simultatis, sed velut universalem causam in multis effectibus, et per aliud, ut per effectus, scilicet[s] creaturas. Ratio vero per modum intelligentiae et intelligentia per modum intelligentiae est divini intellectus. Hinc dicit Boethius, in libro *De consolatione* [6], quod ratio solum hominis est, intelligentia Dei. Et hoc est quod ipse dicit: « Sensus solus, cunctis aliis cognitionibus destitutus, immobilibus animantibus cessit, quales sunt conchae maris; imaginatio vero mobilibus beluis, quibus iam inesse fugiendi appetendive aliquis videtur affectus[t]; ratio vero tantum humani generis est, sicut intelligentia sola divini ».

CAPUT V.

DE COGNITIONE NATURALI QUAM DE DEO HABUIT HOMO IN PRIMO STATU.

Deinde quaeritur utrum homo in primo statu cognosceret per creaturas Deum. Circa quod quaeruntur duo [7]:

primo, an cognosceret Deum per creaturas;

secundo, utrum melius tunc[u] cognosceret Deum per rationem, quam modo[v] cognoscatur per fidem.

---

[a] S (mg.) LF add. *philosophie.* [b] F *continetur.* [c] L *indicat,* F (corr.) *ludicat.* [d] R om. [e] R *singularis.* [f] RLF om. [g] B om. *quod supra... id.* [h] P om. [i] R om. [k] V *contemplandum Deum et,* sed exp. *Deum.* [l] V add. *pertinet.* [m] LF *illud.* [n] P *unum ut* pro *u. u.* [o] PSBRL add. *que,* quod V exp. [p] BR *comprehendere.* [q] F om. [r] V add. mg. *per modum rationis.* [s] LF om. [t] B *effectus.* [u] R om. [v] S add. *quam.*

[1] Lib. V, pr. 4 (PL 63, 849).

[2] Loc. cit. [3] Cap. 12 (PL 40, 788).

[4] Loc. cit., cc. 11 et 34 (PL 40, 787 et 804); cf. *De Trinit.,* XII, c. 13, n. 20 (PL 42, 1008); Lombard., II *Sent.,* d. 24, c. 7 (423); Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 10, q. 3 (64b); Phil. Grevius, *Summa,* II (f. 43b sqq.).

[5] Id est, non per discursum ratiocinationis, sed per intuitionem immediatam.

[6] Lib. V, pr. 5 (PL 63, 854).

[7] Pro his cf. Guil. Paris., *De universo,* II, p. 3, c. 20 (ed. Paris. 1674, I, 1057b); S. Bonav., I *Sent.,* d. 3, a. 1, q. 3 (I, 74 sq.); II *Sent.,* d. 23, a. 2, q. 3 (II, 542-547).

ARTICULUS I. 18

Utrum homo in primo statu cognosceret per creaturas Deum.

Circa primum sic: *a.* Hugo de S. Victore[1] loquitur de scala Iacob, et vult facere differentiam inter cognitionem hominis et cognitionem angeli, dicens quod « angeli non indigent scala, quia volant per contemplationem », homo autem, qui volare non potest, scala indiget; scala autem est vehiculum [a] creaturae; ergo Adam in primo statu cognoscebat Deum per creaturas; ergo indigebat creaturis.

Contra: 1. Hugo[b 2]: « Cognovit homo Creatorem suum non ea [c] cognitione quae foris ex auditu solo perficitur [d], sed ea quae intus per inspirationem monstratur ».

2. Item, idem[3]: « Non ea qua modo Deus a credentibus [e] absens fide creditur, sed ea qua [f] tunc per praesentiam contemplationis scienti manifestius cernebatur, cognovit Creatorem suum, non ita excellenter sicut postea cognoscere debuisset, si perstitisset ». Ergo non cognovit Deum per creaturas, sed se ipso.

Respondeo: 1. Sicut dicitur Eccli. 17,7-8: *Posuit oculum ipsorum super corda ipsorum, ostendere* [g] *illis magnalia operum suorum, ut magnalia narrarent operum illius.* Oculus autem est aspectus intellectus rationalis, et iste oculus est in terrena et aeterna: sed in terrena est per naturam, in aeterna vero per gratiam. Dicendum ergo quod Adam per creaturas videbat Deum, non in se.

2. Ad aliud [h] quod dicitur « manifestius [i] per praesentiam contemplationis »: dicendum quod Deus manifestatur in se et in suo effectu. In effectu ergo tunc manifeste videbatur, non obscure; sed modo, propter peccatum, obscure et non manifeste videtur. Naturaliter ergo non est acceptio eius secundum quod est, sed cum effectu semper.

ARTICULUS II. 19

Utrum Adam melius in primo statu cognosceret Deum per rationem quam modo cognoscatur per fidem.

Postea quaeritur utrum Adam melius in primo statu cognosceret Deum per rationem [k] quam modo cognoscatur per fidem.

Et videtur quod sic: *a.* Quia cognitio quae est [l] per absentiam non est tanta quanta est illa quae est per praesentiam contemplationis; sed talis fuit cognitio Adae ante peccatum, sicut dicit Hugo[4]; ergo etc. [m].

Contra: 1. Glossa[5] Iob 33,25: *Consumpta est caro eius a suppliciis:* « Nota Adam ante peccatum nec stultum nec sapientem fuisse, neque sapienter neque stulte peccasse ». Et ita videtur quod minor fuerit illa cognitio quam habuit, quam fidei.

Respondeo: In Adam fuit cognitio naturalis et superaddita. Maior autem cognitio potest dici tripliciter: scilicet quantum ad comprehensionem intellectus vel quantum ad meritum vel quantum ad gustum. Potest ergo dici quod cognitio, quam habuit Adam naturaliter de Deo per creaturas, maior fuit quantum ad comprehensionem intellectus; sed illa quae est per fidem maior est [n] quantum ad meritum et quantum ad gustum, quam illa quae est per naturam. Est enim duplex praesentia Dei: in visu et in gustu[6]. Et secundum hoc, est cognitio videntis in lumine et gustantis in tenebris: et talis est cognitio fidei, in qua absens est visui et praesens gustui. Propter quod dicitur

---

[a] B *vinculum.* [b] V add. *de S. Victore.* [c] Codd. add. *solum.* Ipsa continuatio huius loci (n. 2) requirit omissionem dicti verbi, quod etiam apud Migne et S. Bonav. (II, 542, n. 1) deest. [d] F *percipitur.* [e] Ita F corr., alii *accedentibus* pro *a. c.* [f] Codd. *que.* [g] PV *ostendens,* quod S corr. per exp. [h] VLF *illud.* [i] L add. *est.* [k] Ita PVS, alii om. *p. r.* [l] LF om. *q. e.* [m] LF om. *e. e.* [n] F om.

[1] *De unione corp. et spir.* (PL 177, 285).
[2] *De sacram. christ. fid.*, I, c. 14 (PL 176, 271).
[3] Loc. cit. [4] Loc. cit.
[5] Haec glossa invenitur in bibliotheca S. Antonii Patavina, ubi exstat *Biblia S. cum glossis,* saec. XIII, in 22 voll. In cod. scaf. XII, n. 274, est *Liber Iob glossatus,* et ad c. 33, vers. *Consumpta est caro eius a suppliciis,* notatur: « Quia per carnem Adam peccavit, tota successio sub carnis afflictione gemuit. Et nota, eum ante peccatum neque sapientem neque stultum fuisse, neque sapienter neque stulte peccasse. Sapiens enim est, qui observatione peccati agenda vel vitanda novit; stultus vero sequenda vel vitanda ignorat ». Videtur sumpta secundum sensum ex Augustino, qui, *De lib. arb.*, III, c. 24, n. 71 (PL 32, 1305 sqq.), scribit: « Multum sibi videntur acute proponere quaestionem, qui dicunt: Si sapiens factus est primus homo, cur seductus est? Si autem stultus factus est, quomodo non est Deus auctor vitiorum, cum sit stultitia maximum vitium? » Et respondet (n. 73) « quod neque stulte neque sapienter factum dici potest ». Cf. *Retract.*, I, c. 14, n. 4 (PL 32, 607).
[6] Cf. supra, p. 9a sub *Contra.*

in Psalmo [1]: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam* [a] *abscondisti!* etc.

[Ad obiecta]: 1. Dicendum igitur quod est sapientia quantum ad speculationem et quantum ad electionem. Primo modo fuit sapiens Adam; sed in electione non fuit sapiens, quia male elegit; nec fuit stultus, quia non penitus ignorabat quid eligendum. Et hoc est quod sequitur in illa Glossa [2]: « Sapiens enim est qui [b] observatione peccati agenda vel vitanda novit, stultus vero qui sequenda vel vitanda omnino ignorat »; nec talis fuit Adam. Et sic patet quomodo intelligatur.

MEMBRUM III.

De cognitione Dei in via ex parte medii cognoscendi.

Determinatis [c] quaestionibus illis quae incidunt ex parte cognoscibilis et ex parte cognoscentis, consequens est determinare quaestiones incidentes ex parte medii cognoscendi.

20 CAPUT I.

UTRUM DEUS VIDEATUR VEL COGNOSCATUR SE IPSO VEL REQUIRATUR ALIUD SICUT MEDIUM AD COGNOSCENDUM IPSUM.

Quaeritur ergo in principio utrum Deus videatur vel cognoscatur se ipso vel requiratur aliquid aliud sicut medium ad cognoscendum ipsum.

Ad quod sic obicitur: 1. Sicut se habet lux ista [d] corporalis ad sensum et visibilia, ita se habet lux divina ad intellectum et intelligibilia, sicut dicit Augustinus, in libro *Soliloquiorum* [3], quod « terra visibilis est et lux. Sed terra nisi luce illustrata videri non potest; similiter disciplinarum [e] spectamina non possunt intelligi, nisi aliquo suo [f] sole illustrentur »; et illud est Deus. Si ergo lux corporalis per se ipsam videtur et non per aliud, ergo lux, quae est Deus, per se ipsam [g] videtur et non alio.

2. Item, cum tria sint genera visionis [h], sicut dicit Augustinus [4], corporalis, imaginaria et intellectualis, tertio genere videntur « res quae non habent similitudinem nisi se ipsas », ut dicitur I Cor. [i] 12, 2, in Glossa Augustini [5]; ergo non videtur per imaginem [k] sive per [l] similitudinem. Quod autem tertio genere visionis videatur Deus, habetur Rom. 1, 20 super illud: *Invisibilia Dei* etc., quod philosophi viderunt Deum tertio genere visionis [6].

3. Item, dicit Augustinus [7] quod « mens, nulla interposita natura, ab ipsa prima veritate formatur ». Nulla igitur alia natura intercurret [m] inter primam veritatem et mentem, quae sit sicut medium ad cognoscendum Deum.

Contra: *a.* I Cor. 13, 12: *Videmus nunc per speculum et* [n] *in aenigmate.* Glossa [8]: « *Per speculum* [o] *in aenigmate,* id est per imaginem [p] obscuram: videmus enim aliquas creaturas in quibus aliqua Dei similitudo relucet ». Et sequitur [9]: « Sicut speculi nomine imaginem [q] significavit, ita nomine aenigmatis similitudinem, quamvis obscuram. Utroque igitur nomine similitudines significatae sunt quae valent ad intelligendum Deum, licet obscure ». Relinquitur ergo quod non cognoscitur in praesenti Deus nisi per similitudines creaturarum.

b. Item [r], Dionysius, in principio *Hierarchiae* [10]: « Non est possibile animo nostro ad non [s] materialem illam ascendere caelestium hierarchiarum contemplationem, nisi ea quae secundum ipsum est materiali manuductione utatur: huius rei gratia misericors perfectionis principium sensibilibus imaginibus caelestes descripsit intellectus ». Relinquitur ergo quod non possunt percipi spirituales creaturae nisi per medias similitudines;

---

[a] V *que.* [b] F add. *in.* [c] BR add. *vero.* [d] S om. [e] V *disciplinaliter.* [f] S add. *loco.* [g] Codd. *ipsum.* [h] L *visionum.* [i] B *Col.* [k] Ita LF, alii *imaginationem.* [l] F om. [m] S (corr. mg.) LF *intervenit* [n] V om. [o] F add. *et.* [p] Ita LF, alii *imaginationem.* [q] PVS *imaginationem.* [r] LF add. *beatus.* [s] P om.

1 Psalm. 30, 20.
2 Cf. supra, p. 29a, nota 5.
3 Lib. I, c. 8, n. 15 (PL 32, 877).
4 *De Gen. ad litt.*, XII, c. 7 (PL 34, 459).
5 *De Gen. ad litt.*, XII, c. 6 (PL 34, 458 sq.); apud Lombard., in h. l. (PL 192, 80 sq.).
6 *Glossa Interlin.* et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1328), ex Augustino, *Contra Adimant.*, c. 28, n. 2 (PL 42, 171).
7 *De vera relig.*, c. 55, n. 113 (PL 34, 172); cf. *De Gen. ad litt., lib. imperf.*, n. 60 (PL 34, 243); *De diversis quaest. 83*, q. 51, nn. 2 et 4 (PL 40, 33).
8 *Interlin.* et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1662), ex Augustino, *De Trinit.*, XV, c. 9, n. 16 (PL 42, 1069).
9 Apud Lombard., loc. cit.
10 *De cael. hierarch.*, c. 1, § 3 (PG 3, 122, PL 122, 1039).

ergo multo magis nec ipsa spiritualis substantia increata.

Respondeo: In praesenti non est cognoscere Deum sine medio. Utrum autem in futuro [a] possit cognosci sine medio aliquo, alias inquiretur [1].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod ' videri se ipso ' dicitur dupliciter: effective et materialiter. Dicendum ergo quod lux etiam videtur se ipsa et per se ipsam effective, quia non est alia causa quae faciat lucem videre nisi ipsa. Est tamen aliqua causa materialis, in qua scilicet lux videtur, quemadmodum in aëre vel colore. Unde videtur lux se ipsa effective, non tamen se ipsa materialiter, hoc est in se ipsa, id est in sua spiritualitate et absolutione naturae suae, sed in alia, ut in [b] aëre vel colore. Eodem modo lux aeterna in praesenti videtur se ipsa, non tamen in se ipsa, sed in creatura, quae est quasi medium materiale deferens ipsam lucem ad intellectum.

2. Ad secundum dicendum quod intellectualis visio dicitur duobus modis: uno modo intellectualis visio [c] cognitio per intellectum, sive sit per similitudinem ipsius rei intellectae [d], sive per rem ipsam. Et hoc modo dicitur intellectualis visio Rom. 1, 20, in Glossa [2]. — Alio modo dicitur intellectualis visio prout dicitur caelum, et hoc modo non quaecumque cognitio per intellectum dicitur visio intellectualis, sed solum illa qua res videtur non per similitudinem aliam a re. Et hoc modo accipitur II Cor. 12, 2, in Glossa [3] super illud: *Raptus usque ad tertium caelum,* ubi dicitur: « Tertium genus visionis est illud quo dilectio [e] intellecta conspicitur, eas res continet quae non habent imagines sui similes ». Et sequitur: « Dilectio enim non aliter videtur praesens in specie qua est et aliter absens in aliqua imagine sui [f] simili ». Dicendum ergo quod primo modo, visione intellectuali, videtur Deus in praesenti, sed secundo modo videbitur in patria.

3. Ad tertium dicendum quod natura potest accipi dupliciter, scilicet substantia aliqua vel dispositio ipsius substantiae. Secundum quod natura appellatur substantia aliqua, sic [g] dicit Augustinus [4] quod « nulla est interposita natura inter mentem et Deum, ut scilicet sit aliqua substantia intellectualis », velut angelus, per quam formetur et perficiatur ipsa mens, quemadmodum [h] philosophi [5] mentiti sunt, dicentes intelligentiam humanam educi in actum et perfici per intelligentiam angelicam. — Secundum vero quod natura dicitur dispositio substantiae, sic [i] non est inconveniens dispositionem aliquam esse ex parte mentis ad videndum Deum, ut utatur [k] ibi se ipsa sicut imagine quadam ad videndum Deum, vel etiam speciebus aliis intelligibilibus.

CAPUT II. 21

UTRUM DEUS COGNOSCATUR PER CREATURAM SICUT PER MEDIUM.

Consequenter quaeritur de medio cognoscendi per naturam Deum, quod est creatura. Quaeritur ergo utrum [l] Deus cognoscatur per creaturam sicut per medium.

Et videtur quod non: 1. Quia [m] omnis cognitio est per convenientiam; sed non est convenientia creaturae ad Deum, quia non est convenientia nec in genere nec in specie nec in numero; ergo non erit ipsum cognoscere per creaturam.

2. Item, omnis cognitio, quae est fundata super ratiocinationem, est fundata super habitudinem aliquam; sed non est habitudo creaturae ad Deum; ergo non erit cognoscere Deum per creaturam. — Probatio mediae: quia non est aliqua proportio finiti ad infinitum; sed Deus infinitus, creatura finita; ergo non est aliqua communis proportio vel habitudo.

3. Item, Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [6]: « Fortis acies mentis, cum multa et [n] incommutabilia conspexerit, diriget se in summam veritatem [o] qua omnia alia monstrantur, eique inhaerens obliviscitur cetera »; sed cum intelligit primam veritatem, pervenit ad ipsam; ergo obliviscitur omnia alia; ergo non intelligit ipsam per alia.

---

[a] L add. *cognoscatur vel.* [b] BRL om., V add. interl. [c] Ita BRLF, P om., in VS est add. mg.; R om. *cognitio,* quod in B est add. mg. [d] PVS *in intellectu.* [e] V *delectatio.* [f] BRLF *sive.* [g] Ita PV (corr.) RL, alii *sicut.* [h] R *quam tamen.* [i] B *sicut.* [k] S *uniatur,* F om. *ibi.* [l] Codd. *quomodo.* [m] S *quidem.* [n] F *etiam.* [o] L *bonitatem* et add. mg. *vel veritatem.*

1 Cf. infra, p. 61, num. 37.

2 *Interlin.,* in h. l.; cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 1328).

3 Lombardi, in h. l. (PL 192, 80 sq.), ex Augustino, *De Gen. ad litt.,* XII, c. 6, n. 15 (PL 34, 458 sq.), ubi et sequens.

4 Cf. supra, p. 30 b, n. 7.

5 Multi Neoplatonici et Arabes. Cf. Avicenna, *De intellig.,* c. 4 (f. 65b sqq.), *Metaph.,* IX, c. 3 (f. 104b); Algazel, *Philosoph.,* II, tr. 5, cc. 1 et 2 (ed. Venet. 1506); Averroes, *Epitome in libros Metaph.,* tr. 4 (ed. Venet. 1552, VIII, f. 181 sq.); Avencebrol, *Fons vitae* (*Beitr. Baeumker* 1892, I, fasc. 2-4, p. 194); Maimonides, *Dux perplexor.,* II, cc. 5 et 6 (p. 198 sq.); *Lib. de causis,* §§ 3, 17 et 22 (p. 165, 179, 183); Pseudo-Dionys., *De cael. hierarch.,* c. 3 (PG 3, 122 sq., PL 122, 1045) et passim.

6 Lib. II, c. 13, n. 36 (PL 32, 1260).

4. Item, cum anima nata sit ad intelligendum [a] primam veritatem, non est defectus ex parte eius; sed lux divina semper est ei praesens; ergo semper et sine medio videt ipsam.

5. Item, Matth. 11, 27: *Nemo novit Patrem nisi Filius.* Glossa [1]: « Pater declaratur per Verbum ». Ergo videmus Deum per Filium, non per creaturas. — Ad idem est illud *Sententiarum* [2]: « Deus Pater, qui verissime indicare se omnibus [b] cognituris et voluit et potuit, hoc [c] ad se indicandum genuit, quod est ipse qui genuit ». Ergo Filius proprie est ad indicandum Deum.

Contra: *a.* Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei.* Glossa [3]: « Deus, qui invisibilis erat natura, opus suum fecit quod opificem sua visibilitate monstraret ». Ergo videmus eum per creaturas.

b. Item, I Cor. 13, 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate.*

Respondeo: 1. Ad primum dicendum quod est convenientia secundum univocationem et est convenientia secundum analogiam. Secundum univocationem est convenientia in genere vel in specie vel in numero. Convenientia secundum analogiam: ut substantia et accidens conveniunt in ente, quia [d] dicitur secundum prius et posterius de illis: quia ens substantia est principium accidentis, et ideo per prius dicitur ens de substantia, quae [e] est ens per se; per posterius de accidente, quod est ens in alio. — Dicendum ergo quod non est convenientia Dei et creaturae secundum univocationem, sed per analogiam: ut si dicatur bonum de Deo et de [f] creatura, de Deo dicitur per naturam, de creatura per participationem. Similiter omne [g] bonum de Deo et de [h] creatura dicitur secundum [i] analogiam.

2. Ad secundum dicendum quod est considerare divinam substantiam in se et ut causam. In se considerata est « velut quoddam pelagus substantiae infinitae [4] ». Si vero consideretur ut causa, dupliciter consideratur: ut causa efficiens et ut causa finalis, quia est *alpha et omega* [5]. Isto secundo modo consideratur in quantum finiens creaturam: a parte ante, in quantum est causa efficiens, et a parte post, ut causa finalis; et sic est accipere aliquam habitudinem [k] finiti ad infinitum, non ut est in se, sed ut est finiens.

3. Ad tertium dicendum quod est dirigere aspectum in ipsam veritatem dupliciter: secundum quod est ipsa vel secundum quod est in creatura. Primo modo non est aspectum figere, sed secundo modo. — Dicendum ergo quod est cognitio in [l] fieri et in facto esse: cognitio de Deo semper est in fieri in vita ista, sed in futuro erit facta. Et hoc modo debet intelligi quod dicit Augustinus [6], quod « mens obliviscitur cetera ». Sicut patet cum aliquis facit rem, habet instrumenta [m], sed cum facta est, proicit ea. Augustinus [7]: « Indigemus in praesenti dispensationis similitudinibus ».

4. Ad quartum dicendum quod defectus est a parte naturae: « Sic enim se habet intellectus noster ad manifestissima naturae sicut oculus noctuae ad solem [8] ». Sicut enim visus noster deficit in maxime lucidis et minime, ita intellectus in maxime lucidis, ut in cognitione Trinitatis, propter immensitatem luminis [n]; similiter deficit in minimis, scilicet in tempore et motu. Deficit ergo in aeternis intellectus noster quasi in maximis, et in minimis, scilicet in tempore et motu [o] [9]. Sicut ergo oculus debilis, non potens solem videre in rota, videt eum in aëre, similiter et nos Deum [p] in creatura.

5. Ad quintum dicendum quod est Deum [q] videre per Verbum et per [r] creaturam, sicut est videre rem per lucem et per speculum: sed per lucem formaliter, per speculum [s] materialiter; similiter [t] est videre Deum per Verbum ut per lucem, sed per creaturas ut per speculum.

22 CAPUT III.

DE MEDIO COGNOSCENDI DEUM PER GRATIAM FIDEI.

Consequenter quaeritur de medio cognoscendi Deum per gratiam. Et cum sit cognitio per gratiam [u] fidei, per gratiam donorum intellectus et sapientiae, per gratiam prophetiae, per gratiam raptus, hic tantummodo quaeremus de medio cognoscendi per gratiam fidei, quia sine ista cognitione nulli adulto est salus; alia vero suis locis inquirentur.

---

[a] L *videndum ipsam.* [b] Lombard. *animis.* [c] B *sed.* [d] Ita LF, in S *quia* est corr. mg., in VB corr. interl. exp. *et*, PR *et.* [e] BR *et.* [f] R om. [g] VF *esse.* [h] V om. [i] L *per.* [k] L *similitudinem.* [l] V exp. [m] PBR add. *infinita*; quod VS exp. [n] VL *lucis.* [o] R om. *deficit ergo... motu.* [p] Ita P, alii om. [q] F om. [r] B om. [s] B om. *sed per... speculum.* [t] F *sic.* [u] BR om. *p. g.*

1 *Ordinaria*, in h. l. (PL 114, 123), ex Augustino, *Quaest. Evang.*, I, q. 1 (PL 35, 1323).

2 Lombard., I *Sent.*, d. 5, c. 1 (p. 44), ex Augustino, *De fide et symbolo*, c. 3, n. 4 (PL 40, 184).

3 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1326), ex Ambros., *Comment. in Epist. ad Rom.* (PL 17, 57).

4 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, I, c. 9 (PG 94, 835).

5 Cf. Apoc. 1, 28.

6 Cf. supra, p. 31b, nota 6.

7 *De Trinit.*, XV, c. 9, n. 16 (PL 42, 1069).

8 Aristot., *Metaph.*, II, lectio brevior, c. 1 (II, 486).

9 Cf. supra, p. 19b, in *Solutione*.

I. *a.* **Ad hoc ergo** primo introducitur illud quod dicit Augustinus, in libro *De videndo Deo* [1]: « Inter videre et credere hoc distare dicimus: quia videntur praesentia, creduntur absentia. Praesentia autem in hoc loco intelligimus omnia [a] quae praesto sunt sensibus sive corporis sive animi, unde sumpto vocabulo [b] praesentia nominantur ». Ex hoc ergo relinquitur quod cognitio fidei non est visio et quod cognitio absentium est cognitio per fidem.

Contra: 1. I Cor. 13, 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ex quo accipitur quod videre est duobus modis: videre per speculum et aenigma, videre per speciem. Cum ergo credere sit videre per speculum et aenigma, credere est videre; nulla ergo est differentia quam ponit Augustinus inter credere et videre.

2. Item, si cognitio absentium est credulitas, ergo, cum imaginatio et memoria sit rerum absentium, cognitio imaginativa et memorativa erit credulitas; imaginari igitur et memorari erit credere: quod patet esse falsum. Relinquitur ergo quod non est propria differentia, « videntur praesentia, creduntur absentia [2] ».

II. Item, quaeritur utrum cognitio fidei sit scientia [3].

Ad quod sic [c]: *a.* Augustinus, *De videndo Deo* [4], assumens illud I Ioan. 3, 2: *Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus:* « Scire se dicit quod nondum factum fuerat, nec videndo, sed credendo cognoverat »; ergo credere est scire; ergo fides est scientia.

b. Item, Augustinus, in eodem [5]: « Scientia nostra constat ex rebus visis et creditis »; sed acceptio animae ex rebus creditis est fides; ergo fides est scientia.

Contra: 1. Triplex est acceptio intellectus [6]: opinio, fides, scientia; si ergo opinio nunquam est scientia, ergo nec fides [d] erit scientia.

Respondeo [e]: **I.** 1. Ad primum [7] dicendum quod videre aliquid dicitur duobus modis: videre in se, videre in alio. Proprie dicitur aliquid videri, cum videtur in se; improprie vero, cum videtur in alio. Secundum hoc dicendum quod credere est videre aliquid in alio, non in se, et ideo improprie. Et hoc est quod dicit Augustinus, in libro *De videndo Deo* [8]: « Si scire non inconvenienter [f] dicimus illud quod certissimum credimus, ita factum est ut etiam recte credita, quamvis absint a nostris sensibus, videre mente dicamus ». Tamen proprie, sicut ipse dicit [9], « creduntur illa quae absunt a sensibus nostris, si videtur idoneum testimonium quod eis perhibetur [g]; videntur autem illa quae praesto sunt animi vel corporis sensibus: unde et praesentia nominantur ». Ex quo patet: quod creditur, proprie non videtur in se, sed in suo testimonio; quod vero videtur proprie, cognoscitur in sui praesentia. Unde nota exemplum Augustini [10]: « Hanc lucem corporis sensu et meam voluntatem sensu animi mei video. Si quis vero indicet mihi voluntatem [suam], cuius vox mihi praesens est, tamen quia ipsa voluntas quam indicat latet sensum corporis et animi mei [h], credo, non video, dummodo recipiam vocem eius pro teste idoneo: quia, si existimarem mentiri, non esset testis idoneus et ideo non crederem [i] ».

2. Ad secundum respondet Augustinus, in libro *De videndo Deo* [11]: « Non, quia dixi ' quae absunt a sensibus nostris ea credi ', sic accipiatur ut inter illa deputentur quae aliquando vidimus », sicut imaginabilia, « et vidisse nos retinemus », ut memorabilia, « certique sumus, quod tunc non praesto sunt, cum [k] recoluntur a nobis: neque enim inter credita, sed inter visa deputantur [l] ». Videre enim est sensu corporis vel intuitu mentis rem comprehendere; credere vero est [m] quod in conspectu mentis vel corporis nunquam adfuisse recolitur.

II. Ad ultimum quod quaerit utrum fides dicatur scientia, distingue [n] quod scientia dicitur stricte [o], communiter, communissime. Stricte dicitur scientia cognitio rei per causam, sicut dicit Philosophus [12]: « Scire idem est quod causam rei nosse ». — Communiter dicitur scientia visio rei per intellectum, secundum quem modum dicit Augustinus, *De videndo Deo* [13]: « Quae per corpus videntur, nisi mens adsit quae talia nuntiata susceperit, nulla possunt scientia contineri ». — Communissime vero dicitur scientia [p] eo modo quo dicit Augustinus, *De videndo Deo* [14]: « Scientia nostra constat ex rebus visis

---

[a] Ita V corr. mg., exp. *dicta*, quod alii habent. [b] V add. mg. *littere*. [c] Ita R., alii om. [d] S om. [e] R (mg.) LF add. *per ordinem*. [f] F *incongruenter*. [g] SB *prohibetur*, R *probetur*. [h] R om. [i] V *crederetur* ex *crederentur*. [k] F *et*. [l] BRLF *reputantur*. [m] R om. [n] BRLF *distinguendum*. [o] R om. [p] B om.

1 *Epist.* 147, c. 2, n. 7 (PL 33, 599).
2 Augustin., loc. cit.
3 Cf. Lombard., III *Sent.*, d. 24, c. 3 (p. 663); Guil. Altissiod., *Summa*, III, tr. 3, q. 4 (f. 147a sqq.); cf. supra, p. 1 sqq.
4 *Epist.* 147, c. 5, n. 12 (PL 33, 601).
5 Cap. 3, n. 8 (PL 33, 600).
6 Cf. supra, p. 2a.
7 Hic respondet ad obiecta posita sub primo *Contra*.
8 *Epist.* 147, c. 3, n. 8 (PL 33, 600).
9 Loc. cit., c. 2, n. 7 (PL 33, 599).
10 Loc. cit.
11 Loc. cit.
12 *Metaph.*, I, c. 3, n. 1 (II, 471).
13 Cap. 16, n. 38 (PL 33, 613).
14 Cap. 3, n. 8 (PL 33, 600).

et creditis. Sed iis quae vidimus vel videmus nos ipsi testes sumus; iis autem quae credimus [a], aliis testibus movemur ad fidem, cum earum rerum, quas nec vidisse nos recolimus nec videmus, dantur signa in vocibus vel litteris vel quibuscumque documentis, quibus visis, non visa credantur. Non immerito ergo nos scire dicimus non solum ea quae vidimus vel videmus, verum etiam ea quae idoneis testibus vel testimoniis credimus ».

23

CAPUT IV.

DE PROBATIONE CREDENDORUM PER RATIONEM.

Deinde quaerendum est, per comparationem cognitionis per naturalem rationem ad cognitionem per gratiam fidei, de probatione credendorum per rationem [1].

1. Nam dicit B. [b] Gregorius [2]: « Fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum ». Ergo fidem probare est meritum fidei evacuare [c].

2. Item [d], ad Hebr. 11, 1: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Cum ergo fides argumentum sit, ergo est [e] probans, non probatum.

3. Item, cum dicat auctoritas [3] quod « nihil est homini certius sua fide », omnis autem probatio est per certius: ergo fides non poterit probari; supervacuae ergo et vanae sunt rationes ad probandum credenda.

4. Item, ipsa credenda sunt supra omnem intellectum et rationem; sed quaecumque probantur naturali ratione sunt infra intellectum et rationem [f]; ergo credenda non possunt probari naturali ratione.

Contra: *a.* Richardus, in libro *De Trinitate* [4]: « Credo sine dubio ad quaecumque quae necesse est esse, non tantum probabilia, immo etiam necessaria argumenta non deesse ». Cum ergo credenda maxime necesse sit esse, ad ipsa probanda maxime necessaria sunt argumenta.

Respondeo: Sicut quidam [5] dixerunt et bene, triplici ratione possunt probari credenda per naturales rationes. Prima ratio est propter nos [g]: intelligentia creditae veritatis quam semper debemus investigare, iuxta illud Psalmi [6]: *Quaerite faciem eius semper.* Unde propter hanc intelligentiam veritatis, quam credimus, obtinendam, possumus excogitare rationes, ad quas inveniendas illuminat ipsa gratia fidei. — Secunda ratio est promotio simplicium ad perfectam fidem: sicut enim per bona temporalia simplices promoventur ad divinum amorem, sic per huiusmodi rationes promoventur ad perfectam seu maiorem fidem. Unde propter hoc praelatis dicitur, I Petr. 3, 15, ut *omni poscenti parati sint reddere rationem de ea, quae in eis est, fide et spe* [7]. — Tertia ratio est revocatio infidelium ad fidem: sicut enim dicit Ioannes Damascenus, I libro [8], « quamvis cognitio existendi Deum naturaliter nobis inserta sit, tamen in tantum praevaluit perniciosa malitia hominum naturae, ut dicant non esse Deum, secundum quod dicit David [9]: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus* ». Propterea, ad tales revocandos necessariae sunt rationes.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum dicendum quod, quamvis credenda cognoscantur per naturalem rationem et [h] per fidem, tamen aliter et aliter. Nam in cognitione quam habemus de credendis per naturalem rationem, acquiescimus ipsi ve-

---

[a] S om. *q. c.* [b] R om. [c] PV *evacuari.* [d] BR om. [e] BR om. [f] Ita S (add. mg.) LF, alii om. *sed... rationem.* [g] LF add. *scilicet,* V *intelligibilia* pro *intelligentia.* [h] B om., F om. *per.*

[1] Cf. Lombard., III *Sent.*, d. 23, cc. 7-9 et d. 24, c. 3 (p. 658 sqq.); S. Bonav., III *Sent.*, d. 24, a. 2, qq. 1 et 3 (III, 517-524).

[2] *Hom. in Evang.*, II, hom. 26, n. 1 (PL 76, 1197). Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, praefat. (f. 1a), ubi et sequens argumentum.

[3] Cf. Augustin., *De Trinit.*, XIII, c. 1, n. 3 (PL 42, 1014); Lombard., III *Sent.*, d. 23, c. 7 (p. 659); Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, I, c. 2 (PL 196, 891); Praepositin., *Summa*, II (f. 117c); Phil. Grevius, *Summa*, III (f. 108d sqq.).

[4] Lib. I, c. 4 (PL 196, 892). Cf. Anselm., *De fide Trinit.*, c. 4 (PL 158, 272 sqq.).

[5] Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.: « Triplici ratione ostenditur fides. Prima est quia rationes naturales in fidelibus augmentant fidem et confirmant... Secunda ratio est defensio fidei contra hereticos... Tertia est promotio simplicium ad veram fidem ». Praepositin., *Summa*, III (f. 117c): « Scientia, de qua hic agitur, in tribus consistit: in fidei defensione contra impios et pro piis et in temporalium idonea administratione et in bona conversatione inter pravos. Primam habent pauci, secundam plures, tertiam plurimi ». Lombard., III *Sent.*, d. 35, c. 2 (p. 709).

[6] Psalm. 104, 4.

[7] Vulgata: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe.* De la Haye, *Bibl. max.*, XVII, 459 dicit multos codices habere *spe et fide.* Augustinus, *Epist.* 120, n. 4 (PL 33, 454) legit: *de fide et spe nostra.*

[8] *De fide orthod.*, c. 3 (PG 94, 794); cf. Pseudo-Cyril. Alex., *De sacros. Trinit.*, c. 1 (PG 77, 1122).

[9] Psalm. 52, 1.

ritati propter testimonium proprium quod in nobis habemus, scilicet ipsam rationem qua cogitur intellectus; in cognitione vero per fidem acquiescimus ipsi veritati non propter testimonium proprium, sed alienum, scilicet divinum seu primae veritatis. Et hoc insinuavit Augustinus, supra [1], *De videndo Deo.* — Ad illud ergo quod obicitur quod « fides non habet meritum » etc.: dicendum quod « humana ratio praebet experimentum » ei qui innititur soli rationi, ut scilicet credat ipsam veritatem propter rationem: et illa evacuat [a] meritum. Ei vero qui [b] non innititur rationi, immo [c] acquiescit ipsi veritati propter testimonium primae veritatis, humana ratio non praebet experimentum, quia quamvis habeat rationem credendorum, non tamen ei innititur: et hoc modo est in fidelibus. Quod significatum fuit, Ioan. 4, 42, in Samaritanis, qui dixerunt mulieri [d]: *Iam non propter te credimus* [2].

2. Ad secundum quod obicitur quod *fides est argumentum* etc., eleganter quidam [3] respondendo dixerunt quod aliter se habet ratio in logicis ad fidem, aliter in theologicis. In logicis enim ratio causat [e] fidem: unde argumentum est ratio rei dubiae faciens fidem [4]. In theologicis vero est [f] e converso, quia fides causat [g] rationem: unde fides est argumentum faciens rationem. Fides enim qua creditur est lumen animarum, quo quanto quis magis illustratur, tanto magis est perspicax ad inveniendas rationes quibus probentur credenda [5].

3. Ad tertium quod obicit quod « nihil est homini certius sua fide », distinguendum est: quod est certitudo secundum speculationem intellectus, quae est per modum visus, et est certitudo secundum sensum affectus [6], quae est per modum adhaerentiae [h] [7], voluntatis scilicet [i] vel amoris. Et hoc secundo [k] modo intelligitur « nihil est certius homini sua fide », non primo.

4. Ad quartum dicendum quod quaedam probantur per priora, quaedam per posteriora: per priora, ut effectus per causam; per posteriora, ut causa per effectus. In iis vero quae probat ratio vel intellectus per priora, medium quo probatur et quod probatur est infra humanum intellectum: et ideo hac via probationis non probantur credenda. In iis vero quae probat per posteriora, etsi medium sit infra intellectum humanum vel iuxta, nihil prohibet quin probet veritatem quae est supra humanam rationem vel intellectum, ut [l] *invisibilia Dei, sempiterna quoque eius* [m] *virtus et divinitas, per ea quae facta sunt,* Rom. 1, 20. Et hoc modo probantur credenda.

CAPUT V. 24

UTRUM CERTIOR SIT COGNITIO DE DEO QUAM DE CREATURA PER NATURALEM RATIONEM.

Restat, ad complementum praesentis inquisitionis, quaerere utrum certior sit cognitio de Deo quam de creatura per naturalem rationem [8].

Ad quod obicitur sic: 1. Certius videtur quod videtur in [n] lumine quam quod videtur in tenebris; sed creatura videtur ut [o] in lumine, divina vero substantia ut [p] in tenebris, Psalmus [q] [9]: *Posuit tenebras latibulum suum.* Glossa [10]: « In iis tenebris vitae mortalis [r] latet, ubi per fidem ambulamus, non per speciem ». Ergo certius cognoscitur creatura.

---

[a] S (corr.) LF *illi evacuatur* pro *i. e.* [b] PV *que.* [c] Ita S (corr. mg.) B (corr. interl.) LF, alii *ipsi.* [d] B *mulier.* [e] BLF *creat.* [f] VB om. [g] BLF *creat.* [h] P add. *vel.* [i] BRLF om. [k] R om. [l] R *vel.* [m] BRLF om. *q. e.* [n] BRL om. [o] SLF om. [p] L om. [q] LF *in Psalmo.* [r] L corr. interl. ex *corporalis.*

1 Cf. p. 33b, nota 14.

2 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., praef. et III, tr. 3, q. 4 (f. 1a et 147b).

3 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 1ab): « Unde dicit Isaias, 7 cap.: *Nisi credideritis non intelligetis,* quia mens sine lumine fidei clarius videre non potest res divinas. Propter hoc bene dictum est a quodam: quoniam apud Aristotelem argumentum est ratio rei dubie faciens fidem; apud Christum autem argumentum est fides faciens rationem ». — Phil. Grevius, *Summa,* III (f. 107d): « Item argumentum dicitur in logicis ratio rei faciens fidem; et fides ibi accipitur pro effectu argumenti; sed in theologicis non accipitur pro effectu convictionis, sed pro principio convictionis: illa fides fit, et hoc facit ». Cf. Gilb. Porret., *In Boeth. libr. de praedic. trium person.* (PL 64, 1303 sq.).

4 Cf. Cicero, *Topic.*, c. 3 et *Academ.*, II, c. 8 in fine; Boeth., *In Topica Ciceron. Comment.*, I (PL 64, 1048).

5 Cf. Guil. Altissiod. locc. cit. (f. 1a et 147b).

6 Cf. supra, p. 9a, sub *Respondeo;* Guil. Altissiod., op. cit., III, tr. 3, q. 2 (f. 146a-b).

7 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., II, tr. 6, c. 1 (f. 53bc): « Duplex est visio. Est enim visio adherentie et est visio non adherentie. Visio non adherentie stat in apprehensione veri et est in speculativo intellectu et ideo ipsa non est virtus; visio autem adherentie, que est in intellectu practico et transit ab apprehensione veri usque ad delectationem boni, virtus est ». Ibidem, tr. 16 (f. 80ab): « Duplex est intellectus, scilicet adherens et non adherens, vel realis et nominalis, quod idem est. Adherens sive realis intellectus est qui transit a vero in bonum; intellectus non adherens sive nominalis est qui sistit in vero ».

8 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, V, c. 16 (PL 34, 333), ubi probare intendit Deum facilius mente percipi quam creaturas.

9 Psalm. 17, 13.

10 Lombardi, in h. l. (PL 191, 192), ex Augustino, *Enarrat.*, in h. l. (PL 36, 149).

2. Item, certior est cognitio qua cognoscitur de re 'quia est' et 'quid est', quam cognitio qua cognoscitur de re 'quia est' et 'quid non est' et de qua non potest cognosci 'quid est'; sed de creatura est cognitio primo modo, de Deo [a] cognitio secundo modo, sicut dicit Dionysius [1] et Damascenus [2]; ergo certior est cognitio de creatura.

3. Item, certius cognoscitur medium quam conclusio; sed creatura est medium ad cognoscendum in praesenti, ut dicitur Rom. 1, 20; ergo certius cognoscitur creatura.

Contra: *a*. Certius videtur lux quam ea quae lumine videntur; sed ipse Deus se habet ad intelligibilia sicut lux ad visibilia, ut dicit Augustinus, in I *Soliloquiorum* [3]: « Quomodo in [b] hoc sole tria animadvertimus [c]: quod est, quod fulget, quod illuminat, sic in secretissimo Deo tria animadvertere debemus: quod est, quod intelligit, quod cetera intelligere facit ».

Respondeo: Sicut superius [4] dictum est, est [d] cognitio de re 'quia est' et 'quid est'. Cognitione 'quid est' cognoscitur creatura certius quam Deus; cognitione vero 'quia est' cognoscitur Deus certius [e] aliquo modo. Nam multiplex est certitudo [5]: est enim certitudo quantum ad sensum et est certitudo quantum ad intellectum; item, secundum intellectum dupliciter: aut secundum habitum aut secundum actum [6]; item, secundum habitum multipliciter: aut secundum habitum innatum aut [f] secundum habitum infusum aut secundum habitum acquisitum per viam sensus [7]. — Dicendum ergo quod creatura certius cognoscitur quam Deus dupliciter, scilicet certitudine sensus et certitudine quae est per habitum acquisitum per viam sensibilium; Deus autem certius cognoscitur dupliciter, scilicet certitudine quae est per habitum [g] innatum et illa quae est per habitum infusum: primo modo ab omnibus, secundo modo a fidelibus.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod cognoscere rem in lumine est cognoscere de ea quid est vel quanta vel qualis est; et haec cognitio certius habetur de creatura quam de Deo. Nihil tamen prohibet Deum cognosci certius cognitione 'quia est', eo modo quo superius dictum est [8].

2. Et per hoc patet solutio ad secundum.

3. Ad tertium dicendum quod creatura medium est ad cognoscendum Deum, secundum quod habetur cognitio de Deo per habitum acquisitum per experientiam sensibilium. Et hoc modo, ut dictum est [9], certior est [h] de creatura quam de Deo. Non tamen propter hoc sequitur quin cognitio de Deo, quae est [i] per habitum innatum vel [k] infusum, sit certior.

Et in hunc modum terminatur haec quaestio de cognitione Dei per naturalem rationem ad cognoscendum terminos inquisitionum circa divinae substantiae Unitatem et Trinitatem.

---

[a] LF add. *est*. [b] V *et*. [c] Ita LF, alii *advertimus*. [d] R om., in B add. interl. [e] R om. [f] S *innatum* pro *h. i. a.* [g] R om. *acquisitum... habitum*. [h] V *certiorem* pro *c. e.* [i] LF om. *q. e.* [k] V *et*.

1 *Epist. I ad Caium* (PG 3, 1066, PL 122, 1177); cf. *De mystica theologia*, c. 1, § 2 (PG 3, 999, PL 122, 1173).
2 *De fide orthod.*, I, c. 4 (PG 94, 693).
3 Cap. 8, n. 15 (PL 32, 877); cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3 (f. 4a).
4 Pag. 24a.
5 Cf. supra, pag. 9a, sub *Respondeo*.
6 Cf. infra, p. 43b, *Solutio*.
7 Cf. Phil. Grevius, *Summa*, III (f. 113a).
8 Sub *Respondeo*.
9 Sub *Respondeo*.

LIBRI PRIMI PARS PRIMA

DE UNITATE ET TRINITATE DEITATIS

ORDINATA AD CREDULITATEM CORDIS

INQUISITIO PRIMA

DE SUBSTANTIA DIVINAE UNITATIS

Adiuvante gratia Iesu Christi, ad propositam inquisitionem circa divinae substantiae Unitatem et Trinitatem cum omni reverentia procedamus. Cuius inquisitionis duae sunt partes, secundum verbum Apostoli, Rom. 10, 20: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem* [a] *confessio fit ad salutem.*

Est igitur inquisitio bipartita de Unitate et Trinitate deitatis [b]: prima de ipsa re, quae est Unitas Trinitatis ordinata ad credulitatem cordis; secunda de nominatione ordinata ad confessionem oris, ut sciamus quod credimus, confiteri locutionibus catholicis et veris.

Prima iterum inquisitio geminatur: in primis [c] enim erit inquirere de [d] substantia divinae Unitatis, consequenter vero de pluralitate divinae Trinitatis.

Inquirenda autem circa substantiam Unitatis proponimus ista, Domino largiente:

1. de divina essentialitate;
2. de incommutabilitate;
3. de simplicitate;
4. de immensitate: *a*) quantum ad infinitatem; *b*) quantum ad incomprehensibilitatem; *c*) quantum ad incircumscriptibilitatem; *d*) quantum ad aeternitatem;
5. de divina unitate;
6. de veritate;
7. de bonitate;
8. de divina potentia;
9. de divina scientia [e];
10. de divina voluntate.

---

[a] BRLF om. [b] B *divinitatis.* [c] PVS *in prima.* [d] BR add. *divina.* [e] B *essentia.*

TRACTATUS PRIMUS

DE DIVINA ESSENTIALITATE IMMUTABILITATE ET SIMPLICITATE

QUAESTIO I.

DE DIVINAE SUBSTANTIAE ESSENTIALITATE.

De divinae igitur substantiae essentialitate ostendenda sunt duo: primo, quod necesse est divinam substantiam esse; secundo [a], quod necesse est notam esse sic ut non possit cogitari [b] non esse.

25

CAPUT I.

QUOD NECESSE EST DIVINAM SUBSTANTIAM ESSE.

Ad primum ostendendum multiplices adducuntur [c] rationes, sumptae [d] secundum differentes intentiones cogitandi divinam essentiam [1]:

I. Per intentionem [e] igitur entis sive esse, Richardus de S. Victore, in libro *De Trinitate* [2], probat Deum esse, proposita hac distinctione: « Omne quod est vel esse potest, aut [f] ab aeterno habet esse aut esse coepit ex tempore; item, omne quod est vel esse potest, aut habet esse a semetipso vel ab alio quam a semetipso. Universaliter itaque omne esse triplici distinguitur ratione. Erit enim esse cuique existenti: aut ab aeterno et semetipso; aut, e contrario, nec ab aeterno nec a semetipso; aut mediate [g] inter haec duo [h]: ab aeterno quidem, nec tamen [i] a semetipso. Nam illud quartum, quod huic membro e contrario videtur respondere [k], nullo modo ipsa natura patitur esse: nihil enim omnino potest esse a semetipso, quod non sit ab aeterno. Quidquid enim ex tempore coepit esse, fuit [3] quando nihil fuit; sed quamdiu nihil fuit, omnino nihil habuit et omnino nihil potuit; nec sibi ergo nec alteri [l] dedit ut esset vel ut aliquid posset, alioquin dedit quod non habuit et fecit quod non potuit ». Relinquitur ergo: si aliquid est ex tempore, non est a semetipso, sed ab alio. A destructione [4] ergo consequentis, si aliquid est a [m] semetipso, non est ex tempore, sed ab aeterno; illud ergo quartum non potest esse, quod aliquid sit a semetipso, non tamen ab aeterno.

Iis ergo ita positis, arguit sic [5]: « Quod innumera sint quae ab aeterno non fuerunt, quotidiana experimenta latere non sinunt. Superior autem ratio invenit quod quidquid ab aeterno non fuit, a semetipso esse non possit. Sed si nihil a semet-

---

[a] BRLF add. *vero.* [b] P *excogitari.* [c] R *ostenduntur,* F *adduxerunt.* [d] F *sumtas.* [e] F *intentiones.* [f] S om. [g] Ita S (mg.) B (mg.) LF, alii om. [h] V om., PVS add. *aut.* [i] Ita S (interl.) LF, alii om., PV om. *quidem* pro quo S habet *quedam.* [k] B *sedere.* P add. *esse.* [l] VS *ex.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 1, q. 2 (I, 153 sqq.); *Quaest. disp. de Trinit.*, q. 1, a. 1 (V, 45-51); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 1 (f. 1d sq.); Daniels, *Quellenbeiträge und Untersuchungen zur Geschichte der Gottesbeweise im dreizehnten Jahrhundert* (*Beitr. Baeumker* 1909, VIII, fasc. 1-2), ubi passim agit de mente Alex. Halens. circa argumentum S. Anselmi. G. Grunwald, *Geschichte der Gottesbeweise im Mittelalter bis zum Ausgang der Hochscholastik* (*Beitr. Baeumker* 1907, VI, fasc. 3, pp. 95-101), ubi de doctrina Alex. Halens. circa existentiam Dei praeclare tractat.

[2] Lib. I, c. 6 (PL 196, 893). [3] Supple *tempus.*

[4] Id est *negatione.* Verba Arist., *Topic.*, V, cc. 2 sqq., ἀναασκευάζειν, κατασκευάζειν a Iacobo de Venet. vertuntur per *destruere* et *construere* (inter opp. Boethii, PL 64, 955 sqq.), in ed. Didot per *refellere* et *affirmare* (I, 220 sqq.).

[5] Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, I, cc. 7 et 8 (PL 196, 894).

ipso fuisset, non esset omnino unde ea existere potuissent quae suum esse a semetipsis non habent nec habere valent. Convincitur ergo aliquid esse a semetipso et eo ipso, ut iam dictum est, esse ab aeterno ». Et hoc dicimus divinam substantiam.

Item, ulterius arguit [1]: « Aliquid fuisse ab aeterno [a], quod tamen non sit a semetipso », quae est differentia media, « nemini videatur impossibile, quasi sit necessarium causam [b] semper effectum praecedere et omne, quod ab alio est, semper suo principio succedere oportere. Certe radius solis de sole procedit et ab illo [c] originem trahit et tamen soli coaevus existit. Si igitur lux ista [d] corporalis habet radium sibi coaevum, cur non habeat lux illa spiritualis et inaccessibilis [e] radium sibi coaevum [f] »?

II. Item, Ioannes Damascenus [2] probat idem per rationem causalitatis: « Omne quod est, aut est causabile [g] aut incausabile; sed omne causabile est vertibile: vel [h] secundum electionem, ut spiritualis substantia [i], vel secundum generationem et corruptionem vel alterationem vel secundum motum localem, ut corporalia [k]; ergo exierunt de non esse in esse. Quorum enim esse a versione incipit, haec [l] versioni subiecta sunt et mutabilitati; et e converso quaecumque sunt subiecta versioni, coeperunt a versione ». Cum ergo omnes substantiae huius mundi [m] sint vertibiles, exierunt de non esse in esse; ergo causabiles; sed nihil est causabile a se; relinquitur ergo quod est substantia incausabilis, a qua sunt alia [n] causabilia.

Item, constans est quod universitas creatorum, sive ponatur finita sive infinita, tota causata est; cum ergo nihil sit sibi causa, necesse est [o] quod habeat causam sui non causatam. Nec potest poni circulus in causis efficientibus, quia sequeretur quod idem esset [p] prius et posterius se in essendo. Ut, si A poneretur causa B, B vero causa C, item [q] C causa A: cum in causando esset A prius B et C, ergo cui [r] esset prius C, [huic] esset prius A; sed C prius A, cuius est causa; ergo A prius A: quod est impossibile [3]. Relinquitur ergo quod non potest poni circulus; sequitur ergo de necessitate praecedens ratio.

Item, Sap. 13, 4-5: *Si virtutem* [a] *et opera creaturarum* [b] *mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui haec fecit, fortior est illis; a magnitudine enim speciei et creaturae potest cognoscibiliter Creator eorum videri.*

Item, Hugo de S. Victore, in I *Sententiarum* [4]: « Cum anima de se dubitare [c] non possit quoniam est [d] (quia se ignorare non potest), cogitur [e] ex se et hoc credere (quia aliquando coepisse se meminit) quoniam non semper est. Cum ergo non per se coepisse et initium habuisse se videat, non potest ignorare » quia non fuit sibi initium. « Ut ergo [f] inciperet quod non erat, ab alio factum est, qui erat »: et illum dicimus Deum. Hinc dicitur in Psalmo [5]: *Scitote, quoniam Dominus* [g] *ipse est Deus, ipse fecit nos* etc. [h]

III. Praeterea, per intentionem veritatis probatur idem ab Anselmo, in libro *De veritate* [6]: « Cogitet qui potest quando [i] non fuit verum hoc, scilicet quod [k] futurum erat aliquid, aut quando desinet aut non erit verum hoc, scilicet quia praeteritum erit aliquid. Quod si neutrum horum cogitari potest et utrumque horum verum sine veritate non potest esse, impossibile est cogitare quod veritas principium vel finem habeat ». Ergo est veritas aeterna: et hanc dicimus divinam essentiam.

Item [l], Anselmus, in eodem [7]: « Si veritas habuit principium aut habebit finem, antequam ipsa inciperet, verum erat quia 'non erat veritas', et postquam finita erit, verum erit quia 'non erit [m] veritas'; sed verum non potest esse sine veritate; erat igitur veritas antequam esset veritas, et erit veritas postquam finita est veritas: quod inconvenientissimum est ». Aeternaliter igitur est veritas.

Item, ex negatione veritatis sequitur positio veritatis, sicut ratiocinatur Augustinus, in libro [n] *Soliloquiorum* [8]: Si [o] veritas non est, veritas est [p], quia consequitur [q] 'veritatem non esse' esse ve-

---

[a] R om. *Et hoc dicimus... aeterno.* [b] PVS *omnem*, in S *causam* est add. mg.; BRLF *quod* pro *quasi.* [c] B *alio.* [d] F om. [e] Ita S (corr. mg.) LF, P *materialis*, quod S exp., V (corr. interl.) BR *immaterialis.* [f] LF *coeternum.* [g] In codd. est magna confusio hic et deinceps in scribendis verbis *causabile* et *incausabile*, pro quibus saepius aliqui habent *creabile* et *increabile*. Quae confusio provenit ex parva differentia quae habetur in abbreviationibus horum verborum. [h] S add. mg. *est*, F *quia est vel.* [i] LF om. [k] Ita PV, S (corr. mg.) et alii *corporalis.* [l] L *hinc.* [m] Codd. *huiusmodi.* [n] BR *ista*, LF *illa.* [o] F om. [p] L *idem esse pro q. i. e.* [q] V om. [r] F *cum.*

[a] PVS *veritatem.* [b] P *creaturas.* [c] BRL *dubitari.* [d] B add. *et.* [e] LF *cognoscitur.* [f] L *enim.* [g] S om., in F add. interl. [h] LF *et non ipsi nos.* [i] B *quoniam.* [k] BRLF *quia.* [l] L add. *idem.* [m] V om., F *erat.* [n] BRLF *primo.* [o] R *scilicet.* [p] R om. [q] F *sequitur.*

1 Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 9 (PL 196, 895).

2 *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 795); cf. Pseudo-Cyril. Alex., *De Trinit.*, c. 2 (PG 77, 1122 sq.); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 1 (f. 1d), ubi etiam sequens argumentum invenitur.

3 Cf. Nicol. Ambian., *Ars fidei cathol.*, sub nomine Alani, *De articulis cathol. fidei*, n. 1 (PL 210, 597).

4 Rectius *De sacram. christ. fid.*, I, p. 3, cc. 8 et 9 (PL 176, 219).

5 Psalm. 99, 3.

6 Cap. 1 (PL 158, 468 sq.).

7 Loc. cit. (PL 158, 469).

8 Cf. lib. II, c. 15, n. 28 et cc. 2 et 4, n. 17 (PL 32, 898, 886, 888, 900) ad sensum.

rum. — Si dicatur quod 'veritatem non esse, esse [a] verum' ponit [b] verum secundum quid, non simpliciter, tamen adhuc sequitur: quia [c] omne 'secundum quid' est respectu alicuius quod est simpliciter; si ergo est verum secundum quid, sequitur necessario quod aliquid est verum simpliciter et aliqua veritas simpliciter.

IV. Item, per intentionem bonitatis probant [1] idem: optimum est optimum; ergo optimum est, quia in intellectu eius quod est 'optimum' intelligitur 'esse'. — Respondent dicentes quod non sequitur, quia hoc verbum 'est' non copulat actum existendi, sed solum essentiam sive esse secundum habitum, sicut hic: 'Caesar est Caesar', ex quo non sequitur: 'ergo Caesar est'. — Contra: In intellectu eius quod est 'optimum' intelligitur ens actu necessario: quia intellectus eius quod est 'optimum' est [d] 'quo nihil est melius' [2]; sed melius est ens actu quam ens in potentia, et utrumque melius quam non ens, liceat sic loqui. Si ergo ens [e] 'quo nihil melius' ponit ens actu necessario, ergo et optimum ponit ens actu; si ergo nullus intellectus potest negare optimum esse optimum, ergo necessario habet concedere optimum esse actu.

Item, ad idem Anselmus, in *Proslogion* [3]: « Credimus, Domine, te esse aliquid, quo nihil maius excogitari [f] possit. An non est aliqua talis natura, quia *dixit insipiens in corde suo: non est Deus* [4]? Sed certe ipse insipiens, cum audit hoc ipsum quod dico 'aliquid quo [g] nihil maius cogitari potest', intelligit quod audit, et quod intelligit in intellectu eius est, etiam si non [h] intelligat illud esse ». Inde sequitur: « Certe illud quo maius excogitari nequit, non potest esse in [i] solo intellectu. Si enim in solo [k] [intellectu] est, potest cogitari esse et in re: quod maius est. Si ergo id quo maius excogitari non potest est in solo intellectu, id ipsum quo maius excogitari non potest est quo maius [l] excogitari potest; sed certe hoc esse non potest; existit igitur proculdubio aliquid quo maius excogitari non potest et in intellectu et in re ». Et necessitatem huius ratiocinationis ipse Anselmus multipliciter declarat in libro *Contra respondentem pro insipiente* [5].

V. Item, probatur per intentionem praeeminentiae. Unde Anselmus, in *Monologion* [6]: « Cum [m] naturarum aliae aliis negari non possint esse meliores, nihilominus persuadet ratio aliquam [n] in eis sic supereminere ut non habeat superiorem se. Si enim huiusmodi [o] distinctio graduum sic infinita est ut nullus sit ibi gradus superior quo superior alius [p] non inveniatur, ad hoc [q] ratio deducitur, ut ipsa multitudo naturarum [r] nullo fine claudatur; quod absurdum est ». Est igitur ex necessitate aliqua natura, quae sic est [s] alicui vel aliquibus superior ut nulla sit cui ordinetur inferior. Restat igitur summam esse naturam.

Item, Richardus, in libro *De Trinitate* [7], ad idem: « Illud certissimum est et unde [t], credo, nemo dubitare potest: quod [u] in tanta multitudine rerum existentium et tam multiplici differentia graduum oporteat aliquid esse summum; summum autem omnium dicimus [v] quo nihil est maius, nihil est melius [8] ».

Iis igitur rationibus ostenderunt de necessitate Deum esse [x].

CAPUT II.

QUOD NON POTEST COGITARI DEUM NON ESSE.

26

ARTICULUS I.

Utrum necesse sit divinam essentiam sic notam esse ut non possit cogitari non esse.

Consequenter, quantum ad divinam essentialitatem declarandam, ostendendum est eam sic notam esse ut non possit cogitari non esse [9].

a. **Ad quod arguit** Anselmus, in *Proslogion* [10]: « Si potest cogitari esse aliquid quod non possit cogitari non esse, maius erit quam illud quod non

---

[a] S om. [b] L *pone*, F corr. [c] V *quod*. [d] B om. [e] R om., in B add. interl. [f] BRLF *cogitari*. [g] V *quod*. [h] F *et similiter* pro *e. n.* [i] F *ex*. [k] R om. *i. s.*, quod in B est add. interl., L *esse* pro *est*. [l] BR *magis*. [m] BR *causa*. [n] V *aliquem*, R om. *sic*. [o] B om. [p] PV *aliis*. [q] PVS add. *enim*. [r] PV om. [s] F om. [t] V *non de*, B *bene*, R *verum*. [u] S *que*. [v] R om. [x] R om.

1 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 1 (f. 2a); Boeth., *De consol. philos.*, III, pr. 10 (PL 63, 765).
2 Cf. Rich. de S. Vict., *De Trinit.*, I, c. 11 (PL 196, 896).
3 Cap. 2 (PL 158, 227); cf. Guil. Altissiod., loc. cit.
4 Psalm. 13, 1. 5 Capp. 1 sqq. (PL 158, 249 sqq.).
6 Cap. 4 (PL 158, 148).
7 Lib. I, c. 11 (PL 196, 896).
8 In *Libro Hermetis* seu Trismegisti, de quo supra (p. 18a, nota 6), quinta definitio Dei est: « Deus est quo nihil melius excogitari potest ». Cf. Augustin., *De lib. arbit.*, II, c. 6 (PL 32, 1248); Bernard., *De consider.*, V, c. 7, n. 15 (PL 182, 797).
9 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 1, q. 2 (I, 153 sqq.).
10 Cap. 3 et cf. c. 4 (PL 158, 228 sq.).

esse potest cogitari. Si ergo id quo [a] maius cogitari nequit potest cogitari non esse, id ipsum quo maius cogitari nequit non est id quo maius cogitari nequit; quod convenire non potest. Sic [b] ergo vere est aliquid quo maius excogitari non potest, ut nec cogitari possit non esse; et hoc es, tu, Domine Deus noster. Si enim mens aliqua possit cogitare aliquid melius te, ascenderet creatura super Creatorem: quod valde absurdum est ».

b. Item, naturales impressiones, manente natura, sunt immutabiles et universales et eaedem apud omnes; sed « cognitio existendi Deum est nobis naturaliter impressa », sicut dicit Damascenus [1]; ergo, cum semper maneat natura, constat quod haec cognitio est universalis et eadem apud omnes; ergo de esse divinae essentiae nullus potest dubitare. Ita ergo est quod non potest ignorari a creatura rationali.

c. Item, verissime et verissima essentia est quae nec non [c] esse, nec cogitari potest non esse, quando scilicet vere et perfecte est, ut nec non esse in re, nec in opinione non esse possit. Si igitur divina essentia verissime est et verissima, ergo non potest non [d] esse, nec cogitari non esse [2].

d. Item, si distinguatur, sicut quidam [3] dixerunt, quod est ratio ut ratio et [e] ratio ut natura, ratione ut natura non potest ignorari Deus nec cogitari non esse, sed ratione ut ratione potest: — obicitur quod nullus, si movetur ratione ut ratione ad cogitandum de se, potest ignorare suum esse, quoniam sibi semper praesens est, insuper nec ignorare se non semper fuisse; sed si cognoscit se esse et se non semper fuisse, necessario cognoscit se esse ab alio quod est principium sui esse, secundum illud Psalmi [4]: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos* [f] etc.; ergo non potest Deum esse ignorare, si ratione, ut est ratio, moveatur [5].

Contra: 1. Ioannes Damascenus [6]: « Quamvis cognitio existendi Deum naturaliter sit nobis impressa, tamen in tantum praevaluit perniciosa hominum malitia ut dicant non esse Deum, secundum quod dicit David [7]: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus* ». Ergo divina essentia ab insipiente potest ignorari et cogitari non esse.

2. Item, iuxta hoc obicit Anselmus, in [g] *Proslogion* [8]: Quomodo *dixit insipiens in corde suo: non est Deus?* Aut enim dixit quod cogitare potuit aut quod cogitare non potuit. Si quod cogitare potuit: ergo potest cogitari Deum non esse. Si quod cogitare non potuit — contra: « idem est dicere corde et cogitare; si ergo vere cogitavit quod [h] *dixit in corde suo* [i] » Deum non esse: ergo potuit cogitare Deum non esse.

3. Item, idololatra dicit de Deo fidelium quod non est Deus; sed Deus fidelium est solus et verus Deus; ergo de Deo vero dicit et cogitat quod non est Deus nec etiam aliquid; potest igitur cogitari Deum non esse [9].

4. Item, I Tim. ultimo, 16: *Solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Ex quo accipitur quod divinum esse minime est cognoscibile. Si ergo de quolibet ente creato possumus cogitare ipsum [k] non esse, ergo multo magis de divino esse potest cogitari ipsum non esse.

5. Item, Boethius, in libro *De hebdomadibus* [10]: Intellecto paulisper, gratia disputandi, quod non sit summum bonum, adhuc intelligetur aliquid esse album, aliquid esse magnum, sed tamen non intelligetur aliquid esse bonum. Potest ergo [l] intellectus noster accipere de rebus [m] esse, non intellecto summo bono esse. Ex quo videtur relinqui: posse cogitari summum bonum non esse [n].

Solutio: Dicendum quod est cognitio de Deo duplex: cognitio actu, cognitio habitu [11]. Cognitio de Deo in habitu naturaliter nobis impressa est, quia [o] ipsa naturaliter est in nobis habitus impressus, scilicet similitudo primae veritatis in [p] intellectu, quo potest conicere [q] ipsum esse et non potest ignorari ab anima rationali. Cognitio vero in actu duplex est. Una est, cum movetur anima secundum partem superiorem rationis et habitum similitudinis primae veritatis superiori parti rationis impressum, eo modo quo recolit suum [r] principium per hoc quod videt se non esse a se. Et hoc etiam modo non potest ignorare Deum esse in ratione sui principii. — Alia

---

[a] V *quod*, idem infra. [b] V *Si.* [c] PVS om. [d] PVS om. [e] R add. *est*, S om. *ut ratio.* [f] F om. *i. f. n.* [g] P om. [h] Ita V, alii *quia.* [i] BRLF om. [k] BRLF om. [l] F *tamen.* [m] B om. *d. r.* [n] F *quod summum bonum possit cogitari non esse* pro *posse... esse.* [o] Ita S (abras.), alii add. *in.* [p] V *non*, quod S corr. [q] L *cognoscere*, quod V corr. [r] L *ipsum.*

1 *De fide orthod.*, I, cc. 1 et 3 (PG 94, 790 et 794).
2 Cf. Anselm., *Contra Gaunil.*, c. 5 (PL 158, 255).
3 Cf. Phil. Grevius, *Summa*, III (f. 195 c).
4 Psalm. 99, 3.
5 Cf. Augustin., *De lib. arbit.*, II, c. 3, n. 7 et *Soliloq.*, II, c. 1 (PL 32, 1243 et 885).
6 *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 794).
7 Psalm. 13, 1.
8 Cap. 4 (PL 158, 228) ad sensum.
9 Cf. Guil. Altissiod., op. cit., I, c. 3, q. 4 et c. 14, q. 1 (f. 5 c, 34 a).
10 PL 64, 1312 ad sensum; cf. Guil. Altissiod., op. cit., III, tr. 2, q. 10 (f. 139 b).
11 Cf. supra, p. 36 a, *Respondeo;* B. Alb. M., *Summa Theol.*, p. I, tr. 4, q. 19 (p. 127 b): « Quidam distinxerunt quod est cogitatio [*lege* cognitio] per rationem in habitu et per rationem in actu... sed haec solutio mirabilis esse videtur ».

est, cum movetur anima secundum partem inferiorem rationis, quae est ad contemplandas creaturas. Et hoc modo potest non cognoscere [a] Deum esse, cum scilicet per peccatum et [b] errorem aversa a Deo obtenebratur, eo modo quo dicit Apostolus, Rom. 1, 21: *Cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est cor insipiens eorum, et servierunt creaturae potius quam Creatori.* Et hoc modo *dixit insipiens: non est Deus;* aliis autem modis non.

[Ad obiecta]: 1. Per quod patet responsio ad primum.

2. Ad secundum [c] respondet Anselmus, in *Proslogion* [1]: Dupliciter « dicitur aliquid in corde vel cogitatur. Aliter enim cogitatur res, cum vox eam significans cogitatur; aliter, cum id [d] ipsum quod res est intelligitur. Illo itaque modo, scilicet primo [e], potest cogitari Deus non esse; isto vero [f], scilicet secundo, minime. Nullus quippe intelligens id quod Deus est potest cogitare quia [g] Deus non est, licet haec verba dicat in corde aut [h] sine ulla aut cum aliqua extranea significatione. Deus enim est id quo [i] maius excogitari non potest; quod qui bene intelligit, utique [k] intelligit id ipsum sic esse ut nec cogitatione possit non esse; nequit igitur eum non esse cogitare ».

3. Ad tertium dicendum quod cognitio alicuius potest esse duobus modis: in ratione communi et in ratione propria [2]. Potest ergo aliquid cognosci in ratione communi et tamen ignorari sub ratione propria: sicut cum aliquis cognoscit mel sub ratione communi, videlicet quia est corpus molle, rubeum, ignorat autem ipsum sub ratione propria; et ideo, cum videt fel esse corpus molle, rubeum, deceptus credit ipsum esse mel [3]. Similiter cognitio beatitudinis et appetitus ipsius nobis innatus est in [l] ratione communi, quae « est status omnium bonorum aggregatione [m] perfectus [4] »; tamen in ratione propria ab aliquibus ignoratur. Unde diversi in diversis ponunt et aestimant beatitudinem: quidam in voluptatibus, quidam in divitiis [n], quidam in honoribus [5]. Hinc patet quod ipsi ignorant beatitudinem in propria ratione. Similiter dicendum quod idololatrae in ratione communi Deum non ignorant, quod est ens, principium [o], omnipotens; Deum tamen sub ratione propria ignorant, et ideo dicunt [p] de Deo, qui est trinus et unus et verus, quia non est Deus, et de idolo quia est Deus [6].

4. Ad quartum patet responsio per praecedentia de cognitione Dei [q]: quia cognitione [r] 'quia est', non 'quid est', et quae est secundum habitum infusum vel innatum, maxime cognoscitur Deus, sicut dictum est supra, ultimo capitulo inquisitionis de cognitione Dei [7].

5. Ad quintum et ultimum dicendum, sicut dixit [s] Anselmus supra [8], quod [t] intellectu sive cogitatione qua cogitatur res, « cum vox eam significans cogitatur », potest summum bonum cogitari non esse; cogitatione vero vel intellectu quo id [u] « ipsum quod res est [v] intelligitur », nullo modo.

27

ARTICULUS II.

An sit proprium divinae essentialitati non posse cogitari non esse.

Restat quaerendum si hoc sit proprium divinae essentialitati non posse cogitari non esse ita quod non [x] conveniat alii.

1. Ad quod sic obicit Respondens [9] pro insipiente Anselmo [y]: « Cogitare me non esse, quamdiu me esse certissime scio, nescio utrum possim; sed si possum, cur non et quidquid aliud quod eadem certitudine scio »? Ergo, quamvis certum mihi sit Deum esse, potero cogitare ipsum non esse. Si autem [z] possum, iam non erit istud proprium Deo, scilicet non posse cogitari non esse.

2. Item, si secundum proprietatem falsa nequeant intelligi, nihil quod est potest intelligi non esse: falsum enim est non esse quod est; quare non erit proprium Deo non posse intelligi non esse.

Contra: *a.* Obicit Anselmus, in libro *Contra respondentem pro insipiente* [10]: « Proculdubio, quidquid alicubi aut aliquando non est, etiam si est alicubi aut aliquando, potest tamen cogitari

---

[a] B (corr. mg.) LF *ignorare* pro *n. c.* [b] Ita LF, alii *in.* [c] R add. *patet.* [d] PV *ad*, quod S corr. per abras.; codd. *quo* pro *quod.* [e] S add. *modo.* [f] BR add. *modo.* [g] V om. [h] PVS *ut.* [i] VSBR *quod.* [k] Ita BR, PV *itaque*, S (corr.) LF *neque.* [l] L om. [m] LF *congregatione.* [n] PVS *deliciis.* [o] L (corr.) *primum*; B *Dominus* pro *Deum.* [p] Codd. *negant.* [q] R om. [r] VSBR add. *Dei.* [s] BR *dicit.* [t] V add. *in*; BR *cognitione* pro *cogitatione.* [u] S *ad.* [v] Ita LF, alii om., codd. *quo* pro *quod.* [x] P om. [y] LF corr. *Anselmus.* Textum ita intelligas: *sic Anselmo obicit Respondens pro insipiente.* [z] Ita F, alii add. *non.*

1 Cap. 4 (PL 158, 229).
2 Cf. Avicenna, *Sufficientia*, p. I, c. 1 (f. 13c et 14a).
3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 4 (f. 5d); Aristot., *De elenchis*, c. 5 (I, 280); *De anima*, III, c. 1 (III, 462).
4 Boeth., *De consol. philos.*, III, pr. 2 (PL 63, 724).
5 Cf. Boeth., loc. cit.
6 Cf. Guil. Altissiod., op. cit., I, c. 3, q. 4 (f. 5cd).
7 Pag. 36a, *Respondeo.*
8 Cf. p. 44a, *ad 2.*
9 Gaunilo, *Liber pro insipiente*, n. 7 (PL 158, 248).
10 Cap. 1 (PL 158, 250).

nunquam et nusquam esse, sicut non est alicubi aut aliquando. Verbi gratia, quod heri non fuit et hodie est, sicut heri non fuisse intelligitur, ita et [a] nunquam esse intelligi potest. Et quia hic non est et alibi est, sicut non est hic, ita cogitari potest nusquam esse. Similiter, cuius partes singulae non sunt ubi aut quando sunt aliae partes eius, omnes partes, et ideo ipsum totum, possunt [b] cogitari nunquam aut nusquam esse. Nam etsi dicatur tempus semper esse et mundus ubique, non tamen illud totum semper aut iste totus est ubique; et sicut singulae partes non sunt quando aliae sunt, ita possunt nunquam esse cogitari; et singulae mundi partes, sicut non sunt ubi aliae sunt, ita subintelligi possunt nusquam esse; sed et quod ex partibus coniunctum est, cogitatione dissolvi et non esse potest. Quare [c] quidquid alicubi aut aliquando totum non est, etsi est, potest cogitari non esse ». Talis autem est omnis creatura. « At [d] vero, quo maius nequit cogitari, si est, non potest cogitari non esse », ut probatum est supra [1]; proprium igitur est [e] soli divinae essentiae sic esse ut non possit cogitari non esse. — Quod concedendum est cum distinctione quae supra posita est [f] [2].

Ad obiecta: dicendum secundum Anselmum [3]: « Quamvis nulla quae sunt, in quantum sunt, possunt cogitari non esse, quia non possumus cogitare simul esse et non esse, tamen omnia possunt cogitari non esse praeter id quod summe est [g]. Illa itaque omnia et sola possunt cogitari non esse, quae initium habent aut finem aut partium coniunctionem, et, sicut iam dixi [4], quidquid alicubi aut aliquando totum non est. Illud vero solum non potest cogitari non esse, in quo nec initium nec finem nec partium esse [h] ponendum coniunctionem et quod nonnisi [i] semper et ubique [k] totum ulla invenit cogitatio ».

1. Ad primum ergo [l] respondet Anselmus [5]: « Scito, quia [m] potes te cogitare non esse, quamvis certissime scias te esse. Multa namque cogitamus non esse quae scimus esse, et multa esse quae non esse scimus, non existimando, sed fingendo ita esse ut cogitamus »; non tamen, in quantum concernitur esse, potest simul cogitari [n] non esse.

2. Ex praedictis patet responsio ad secundum.

In hunc ergo modum terminatur quaestio de divina essentialitate.

QUAESTIO II.

DE IMMUTABILITATE DIVINAE ESSENTIAE.

Postea inquirendum est de divina immutabilitate [o]:
primo, an divina essentia sit omnino incommutabilis [p] [6];
secundo, an conveniat ei aliquo modo quod sit mutabilis [q];
tertio, an proprium sit divinae essentiae quod sit incommutabilis.

CAPUT I. 28

AN DIVINA ESSENTIA SIT OMNINO INCOMMUTABILIS.

Ad primum ergo arguitur hoc modo: *a.* Richardus, in libro *De Trinitate* [7]: « Omnis mutatio aut est de statu in statum meliorem aut de statu in statum deteriorem aut de statu in statum priori aequalem; ubi autem nihil horum erit, natura incommutabilis erit ». Sed talis est divina natura: quia non in statum deteriorem, quia verissime est; nec in statum [r] meliorem, quia

---

[a] V *quod*, F *etiam*. [b] F *potest*. [c] R om. [d] B *aut*. [e] BRL om. [f] L *supradicta* pro *q. s. p. e.* [g] Ita S (mg.) B (mg.) LF, alii om. *Ad obiecta... est*. [h] Codd. *est*. [i] VS *non est nisi*, P exp. *est*. [k] P (manu post.) V add. *est*; P *nulla* pro *ulla*. [l] RL *vero*. [m] B *quod non*, L *Scio* pro *Scito*. [n] P *cogitare*. [o] S (corr.) LF *incommutabilitate*. [p] V *immutabilis*, R om. *omnino*. [q] L *commutabilis*. [r] B add. *in*.

1 Pag. 42, num. 26.
2 Cf. supra, p. 43b, *Solutio* et 44a, *ad 3*.
3 Anselm., loc. cit., c. 4 (PL 158, 253)
4 Cf. sub *Contra*.
5 Loc. cit.
6 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 8, c. 2 (p. 59); S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 2, q. 1 (I, 156sqq.); *Quaest. disp. de Trinit.*, q. 6, a. 1 (V, 97sqq.).
7 Lib. II, c. 3 (PL 196, 903).

a semetipso est; nec in statum aequalem, quia perfecta est. Relinquitur igitur quod omnino [a] divina natura incommutabilis est.

b. Item, omne quod mutabile est est ens in potentia ad aliquod non esse vel ad aliquod esse; sed quod maxime [b] et verissime est ens [1] non est [c] ens in potentia ad aliquod non esse; similiter quod perfectum [d] est non est [e] ens in potentia ad aliquod esse; ergo quod verissime et perfecte est nullo modo est mutabile; sed talis est divina natura; ergo etc.

c. Item, Augustinus [2]: « Omne quod mutatur non servat ipsum esse; et quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest quod fuerat non esse ». Quod ergo servat [f] semper ipsum idem esse et non potest secundum aliquem modum non esse, non mutabitur neque poterit mutari; erit ergo simpliciter [g] immutabile.

Contra: 1. Omne quod se habet alio modo nunc quam prius est mutatum, quia mutari est alio modo se habere nunc quam prius; sed Deus alio modo se habet nunc quam ab aeterno se habuit; ergo est mutatus. — Probatio mediae: quia modo se habet ad creaturam ut dominus, ut conservator, ut rector, secundum quem modum non se habuit ab aeterno.

2. Item, Filius Dei nunc est homo, quod non fuit ab aeterno; ergo se habet alio modo quam se habuit ab aeterno [3].

3. Item, motus alterationis sive mutatio secundum alterationem est duobus modis [4]: uno modo est transitus a contraria qualitate in contrariam, ut cum ex albo fit nigrum; alio modo exitus ab otio in actum, ut cum ex non considerante fit considerans, ex non volente fit volens et ex non operante [h] operans [5]. Omnis ergo [i] exiens ab otio in actum est mutatus vel alteratus; sed Deus in creando est exiens ab [k] otio in actum; ergo alteratur; ergo est mutabilis [l].

4. Item, omne volens quod prius noluit mutatur voluntate; sed Deus vult nunc esse creaturam quam noluit esse prius; ergo est mutatus voluntate.

5. Item, arguit Ambrosius [6], in libro *Sententiarum*, 9 dist., lib. I [m] [7], quod « si Deus coepit esse Pater, ita quod prius [n] erat Deus, postea factus est Pater, ergo mutatus est »; ergo similiter Deus non semper erat creator et incepit esse creator; ergo mutatus est.

6. Item, 7 dist., I *Sententiarum* [8], Augustinus: « Si Spiritus Sanctus nasci potuit, potuit esse Filius; et si potuit esse Filius, mutabilis esse potuit ». Et ex hoc vult concludere: ergo non potuit nasci. Sed unde sequitur hoc? nisi quia in Spiritu Sancto [o] est proprietas processionis; si autem poneretur esse Filius, poneretur in eo proprietas generationis, et ita mutaretur. — Sed tunc obicitur: quia, cum in Patre sit notio spirationis respectu Spiritus Sancti et notio paternitatis [p] respectu generationis Filii a Patre, ergo Pater mutabilis est, quia spirat et generat, sicut Spiritus Sanctus mutabilis diceretur, si spiraretur et generaretur.

Respondeo: Quaedam relationes adveniunt [9] et concomitatur mutatio in eo quod relative dicitur secundum illas; quaedam vero adveniunt nec concomitatur mutatio in eo quod relative dicitur secundum illas, sicut dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [10]: « Quomodo obtinebimus nihil secundum accidens dici Deum? nisi quia ipsius naturae nihil accidit quo [q] mutetur, ut ea sint accidentia relativa, quae cum aliqua mutatione rerum de quibus dicuntur, accidunt. Sicut amicus dicitur relative: neque enim esse incipit, nisi cum amare inceperit; fit ergo aliqua mutatio voluntatis ut amicus dicatur. Nummus autem relative dicitur, nec tamen mutatus est cum esse incipit pretium neque cum dicitur pignus, et si qua similia. Si ergo nummus potest sine aliqua [r] sui mutatione totiens dici relative, ut, neque cum incipit dici neque cum desinit, aliquid [s] in eius natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat: quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus [t] accipere ut ita dicatur relative aliquid [u] ad creaturas, ut, quamvis incipiat [v] temporaliter dici, non tamen ipsi substantiae Dei

---

[a] F om. [b] P add. *sed.* [c] VB (corr.) *et.* [d] Ita BR, alii *factum.* [e] F om. [f] RB (corr. mg.) *fuerat.* [g] BR *simplex.* [h] V add. *fit.* [i] LF *homo*, V *Cum ergo* pro *O. e.* [k] BRLF *ex.* [l] R *non immutatur* pro *e. m.*, quod B corr. per exp. [m] V *secundo*, LF om. *l. I.* [n] F *primo.* [o] B om. [p] Ita B, PV pro *n. p.* habent *non paternitas*, LF *non paternitatis*, S (post abras.) R om. *notio* et legunt *paternitas* [q] Codd. *quod.* [r] F *ulla.* [s] S add. *esse.* [t] B *dicemus*; BR om. *ita.* [u] P *quid.* [v] V *accipiat.*

1 Cf. Augustin., *De Trinit.*, V, c. 2 (PL 42, 912).
2 Loc. cit.; cf. Lombard., loc. cit.
3 Cf. Abael., *Introd.*, III, n. 6 (PL 178, 1104).
4 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 7; *De gener. et corrupt.*, I, cc. 4 et 5; *Metaph.*, III, c. 7 et XI, c. 2 (II, 356, 440, 441, 512, 600).
5 Cf. Aristot., *De anima* II, c. 4 (III, 450).
6 *De Trinit.*, I, c. 9, n. 59 (PL 16, 542).
7 Lombard., loc. cit., c. 2 (p. 67).
8 Loc. cit., c. 1, (p. 55). Hic locus etiam a S. Bonav., *Quaest. disput. de Trin.*, q. 6, a. 2 (V, 103a n. 5) attribuitur S. Augustino, sed Editores solum notant eumdem locum occurrere apud Lombard. et Alexandr. Halensem loc. cit., ac Magistrum praemittere quaedam verba Augustini. At e converso Magister haec verba opponit aliis verbis Augustini. Alibi, scil. I *Sent.*, d. 7, dub. IV (I, p. 144b), S. Bonav. solius Magistri facit mentionem.
9 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1253sqq.); Alan., *Theol. regul.*, reg. 23 (PL 210, 632).
10 Lib. V, c. 16 (PL 42, 922); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 30, c. 1 (p. 188sq.).

accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturae ad quam dicitur ». Quando [a] ergo aliqua dicuntur relative de Deo, non dicuntur relatione [b] quae ponat mutationem in ipso, sed solum in creatura.

[Ad obiecta]: 1. Secundum hoc [c] dicendum quod, cum dicitur 'Deus est modo creator et prius non fuit', quod non se habet aliter quam prius, sed creatura se habet aliter ad ipsum. Quaedam enim relativa dicunt mutuam dependentiam, ut pater et filius in naturali generatione: et tunc relatio fundatur super utrumque extremum. Quaedam autem sunt quorum unum dependet ab altero et non e converso, ut quandoque in [d] causa et effectu [e], quia effectus dependet a causa et non e converso: et tunc totus respectus [f] fundatur super unum extremum, tamen in comparatione ad alterum. Et tunc, si designatur habitudo, non ponitur mutatio ex parte utriusque, sed ex parte alterius tantum, scilicet in quo respectus fundatur. Deus ergo, cum sit causa, non dependet a creatura, sed e converso. Et [g] propter hoc, cum dicitur 'creator nunc et non prius', non ponitur in ipso innovatio ad creaturam, sed ponitur [h] illa innovatio in creatura, secundum quam nunc se habet aliter ad ipsum quam prius. Unde sensus est: 'Deus incipit esse creator': 'Deus est [i], et creatura nunc incipit ab illo esse de nihilo'.

2. Similiter cum dicitur 'Deus est nunc homo et prius non fuit', ex hoc sequitur quod humana natura aliter se habet ad ipsum quam prius. Et quod ponamus relationem Creatoris ad creaturam, hoc est solum ex parte defectus nostri intellectus et non [k] ex parte ipsius. — Per hoc patet solutio ad duo prima obiecta.

3. Ad tertium dicendum quod actus sive actio dicitur duobus modis [1]: dicitur enim actio, qua agens agit, et dicitur actio actus vel effectus, quem agens efficit. Secundum primum modum actio Dei idem est cum [l] sua virtute et sua substantia, et secundum hoc semper agens est et semper agit [2]; nec [m] aliquo modo est dicere quod exeat ab otio in actum, quemadmodum sol semper lucet, etsi aliquid non illuminetur a sole. — Secundum modum alium non semper agit, sicut et sol non semper illuminat. Nec ex hoc [n] sequitur mutatio ex parte agentis, sicut non sequitur mutatio ex parte [o] solis, cum non illuminat et post illuminat [p], sed sequitur mutatio ex parte suscipientis [3]. Illa autem propositio: 'exitus ab otio in actum est alteratio quaedam' universaliter tenet in illis quae agunt passibilia entia, sed in aliquibus quae agunt impassibilia entia, hoc est impassibiliter, non sequitur, ut patet in sole.

4. Ad quartum dicendum quod illa est duplex: 'Deus [q] vult nunc esse creaturam, quam prius noluit esse'. Nam haec adverbia 'nunc' et 'prius' possunt determinare haec verba 'noluit' et 'vult' secundum quod respiciunt suppositum: et sic falsa est, quia sensus est: 'nunc vult creaturam esse quam prius noluit', quia ab aeterno quod vult voluit immutabiliter. Vel possunt determinare hoc verbum 'esse' sive haec verba 'vult' et 'noluit' in comparatione ad oppositum: et hoc modo vera est, quia sensus est: 'vult creaturam esse nunc, quam non voluit esse prius'; et tunc hoc quod dico 'nunc' et 'prius' refertur ad esse creaturae, non ad voluntatem divinam; et ideo non sequitur mutatio voluntatis divinae, sed mutatio voliti [4].

5. Ad quintum dicendum quod non est similis ratio argumentandi in relatione personali, qua dicitur Pater ad Filium, et in relatione temporali, qua dicitur Creator ad creaturam. Nam, sicut dicit Ioannes Damascenus [5], « si diceretur quoniam non ens Pater postea factus est Pater, versionem, id est mutationem, hypostasis Patris, id est personae, induceremus ». Non autem sic est [r], si dicatur quoniam 'non ens creator postea factus [s] est creator, ergo est mutatus': et ratio est, quia creatio non est ex Dei substantia, sed de nihilo. Unde versio [t], quae est in creatione, non tangit Dei naturam, sed creaturae. Generatio vero est ex substantia generantis similis [u] in natura productio [6]; et ideo, si esset mutatio ex parte paternitatis, sequeretur mutatio ex parte substantiae. Ex ista ergo parte sequitur quod Deus est mutabilis, ex alia vero parte non.

6. Ad ultimum dicendum quod ratio quare [v] Spiritus Sanctus diceretur mutabilis, si posset esse Filius, non est quia inesset pluralitas notionum,

---

B *cum*. [b] VB *relative*. [c] F add. *ergo*. [d] L (corr. interl.) *ut*, quod F exp. [e] LF *effectus*. [f] F *effectus*. [g] R *ut*. [h] L add. *in*
[i] V om. [k] V add. *est*. [l] L *et*. [m] F *et*. [n] F add. *semper*. [o] R om. *agentis... parte*. [p] LF om. *e. p. i.* [q] PVS add. *noster*.
[r] BR om. [s] BRLF om. [t] L *verbo unde visio* pro *n. U. v.* [u] Ita B, alii *simul*. [v] L *quia*, F *qua*.

1 Cf. Gilb. Porret., *De sex princip.*, cc. 2 et 3 (inter *Aristot. opp. omnia*, ed. Venet. ap. Iuntas 1503, I, 32 sqq.). Hanc ed. Venet. semper citabimus, quia praebet textum Porretani communiter ab antiquis usitatum, dum versio recentior Hermolai Barbari (PL 188, 1257-1270) nimis ab eo discrepat.

2 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, VIII, cc. 26 et 23 (PL 34, 391, 389).

3 Exempla apud Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 5, § 8 (PG 3, 823, PL 122, 1149 sq.); Abael., *Introd.*, III, n. 6 (PL 178, 1105); Maimon., *Dux perplex.*, I, c. 53 (p. 83).

4 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, XII, cc. 14 et 17, n. 2 (PL 41, 362, 367).

5 *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 811), ubi etiam se quentia, saltem quoad sensum.

6 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 448).

sed quia mutaretur ab una in aliam. Sed in Patre non est sic, licet plures sint ibi notiones, quia non fit de generante spirans nec e converso, immo aeternaliter est spirans et generans [1]. — Item, adhuc non est simile de Patre et Spiritu Sancto quantum ad hoc: quia sine omni mutatione potest poni quod una res sit origo plurium, sicut punctus sine sui [a] mutatione est origo duarum linearum [2]; sed non potest poni quod aliquid unum habeat duas origines sine diversitate: et ad diversitatem sequitur mutatio. Et quia pluralitas notionum est in Patre sicut in eo qui est origo plurium, in Spiritu Sancto esset tamquam in eo qui diversas haberet origines: ideo ad pluralitatem notionum sequeretur mutatio in Spiritu Sancto, licet non sequatur [b] in Patre.

29

CAPUT II.

AN CONVENIAT DIVINAE ESSENTIAE ALIQUO MODO QUOD SIT MUTABILIS.

Secundo quaeritur an conveniat divinae essentiae aliquo modo quod sit mutabilis [3].

Et videtur quod sic: 1. Nam divina essentia dicitur simplex et immutabilis et utraque est sua proprietas; sed licet ipsa sit simplex per essentiam, est tamen multiplex in effectu sive in quantum causa; ergo similiter, licet sit immutabilis per essentiam, potest tamen dici mutabilis, in quantum est causa.

2. Item, Sap. 7, 24: *Omnibus* [c] *mobilibus mobilior est sapientia;* sed ipsa sapientia est divina essentia; ergo est omnibus mobilior; sed ad mobile sequitur mutabile; ergo divina essentia est mutabilis aliquo modo.

Respondeo [d]: 1. Dicendum quod quaedam proprietates sunt creaturae ex parte illa qua [e] de nihilo est; quaedam ex parte illa qua a Deo est. Proprietates quae consequuntur esse creaturae, in quantum de nihilo est, non possunt dici de Deo per causam. Talis autem est mutabilitas. Ex hoc enim creatura mutabilis est, quia de nihilo est, quia sicut dicit Damascenus [4]: « Quaecumque a versione incipiunt, versioni subiecta sunt ». Sed proprietates consequentes esse creaturae, in quantum est a Deo ut a principio, possunt dici de Deo [f] per causam. Tales sunt unitas, multiplicitas, simplicitas: emanant enim in esse creaturae secundum quod est a Deo; et ideo potest dici de Deo [g] multiplicitas per causam, sed non formaliter, non autem mutabilitas.

2. Ad secundum dicendum quod 'mobile' potest dicere aptitudinem ad movere vel ad moveri. Secundum quod 'mobile' dicit aptitudinem ad moveri, sic dicit aptitudinem ad pati: et sic non dicitur de Deo. Si autem dicat aptitudinem ad movere, sic dicit aptitudinem ad agere: et sic dicitur de Deo [5]. Et est simile de sensibili, quia sensibile dicitur dupliciter: vel secundum quod dicit aptitudinem ad agendum, scilicet ad sentire: sic dicitur anima sensibilis vel [h] corpus animatum sensibile; vel prout dicit aptitudinem ad sentiri: sic sensibile dicitur res apprehensa a sensu. Ita mobile dupliciter. Sed 'mutabile' semper dicit aptitudinem ad patiendum sive ad passionem quae est 'mutari', et non ad actionem quae est 'mutare'; et ideo non dicitur de Deo.

30

CAPUT III.

AN SIT PROPRIUM DIVINAE ESSENTIAE QUOD SIT INCOMMUTABILIS.

Tertio quaeritur an sit proprium divinae essentiae quod sit incommutabilis ita quod non conveniat creaturae, sed soli Deo [6].

Obicitur ergo sic: *a.* Augustinus, in libro *De natura boni* [7]: « Solus Deus incommutabilis est; quae autem fecit, quia ex nihilo, mutabilia

---

[a] P *sue.* [b] V om. *mutatio... sequatur.* [c] R add. *enim.* [d] RLF *Solutio.* [e] V *que,* om. *est.* [f] V *eo.* [g] V *eo.* [h] BR *ut.*

1 Cf. S. Bonav., *Quaest. disp. de Trinit.,* q. 6, a. 2, *ad 5* (V, 105a).

2 Praesertim apud Neoplatonicos comparatio Dei cum puncto saepe usurpatur. Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.,* c. 2, § 5, c. 5, § 6 (PG 3, 643, 822, PL 122, 1122, 1149); cf. supra, p. 18a, nota 6, defin. 18.

3 Cf. S. Bonav., loc. cit., q. 6, a. 1, *ad 1 et 2* (V, 100a).

4 *De fide orthod.,* l, c. 3 (PG 94, 795).

5 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.,* c. 9, § 9 (PG 3, 915, PL 122, 1162).

6 Cf. S. Bonav., l *Sent.,* d. 8, p. 1, a. 2 (I, 158 sqq).

7 Capp. 1 et 2 (PL 42, 551 sqq.).

sunt: moventur enim spiritus iniquitate, corpora mortalitate ». Ergo soli Deo convenit immutabilitas; ergo est ei proprium.

b. Item, Augustinus, VII *De Trinitate* [1]: « Quod mutatur non servat ipsum esse; et quod mutari potest, etiam si non mutetur, potest quod fuerat non esse ». Si ergo soli divinae essentiae conveniat quod non possit quod fuerat vel est non esse, et non alicui [a] creaturae: ergo proprium est ei esse immutabile.

c. Item, Augustinus, *Contra Maximinum* [2]: « Solus dicitur [3] habere immortalitatem. In omni mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quae facit aliquid non esse in ea quod erat [b] ».

Contra: 1. Omnis mutabilitas aut est secundum esse aut secundum bene esse; sed in creatura rationali, scilicet anima, est immutabilitas quantum ad esse, quia habet esse perpetuum, nec est possibilis ad non esse; similiter in animabus beatis est immutabilitas quantum ad bene esse; ergo alii quam Deo convenit esse incommutabile. — Si dicatur quod immutabilitas quantum ad esse non est in anima per naturam, sed per gratiam, et ita nulli per naturam convenit esse immutabile nisi Deo – contra: quod anima sit imago, est ei a [c] natura; sed eo quod est imago, est immortalis [d], quia, ut dicit Cassiodorus [4], « non esset imago, si mortis termino clauderetur »; eo autem quo immortalis, est immutabilis; ergo est immutabilis quantum ad esse per naturam et non solum per gratiam.

2. Item, triplex est [e] esse, scilicet esse quod incipit et desinit: et hoc est esse temporale; et esse quod non incipit nec desinit: et hoc est esse aeternum; et esse quod incipit et non desinit: et hoc est esse perpetuum. Primum esse, scilicet temporale, est vestigium secundi, quod est aeternum. Tertium, scilicet [f] esse perpetuum, magis est in expressione [g] esse aeterni quam esse [h] temporale, quia non desinit, sicut nec esse aeternum; et propter hoc est imago ipsius esse aeterni, et non primum, quia imago est in maiori expressione. Si ergo hoc quod ponit expressionem aeterni esse ponit immutabilitatem per naturam, quia ponit quod non desinit, nec posset ipsum exprimere si desineret: ergo ipsa anima rationalis, cui convenit esse perpetuum, est immutabilis per naturam [5]; et ita esse immutabile non est proprium Deo.

Solutio: Dicendum [i] quod est duplex mutatio: scilicet mutatio [k] ad esse et mutatio in esse; similiter duplex est immutabilitas: ad esse et in esse. In esse autem divino est immutabilitas ad esse et in esse; sed in omni [l] creatura, eo quod est de nihilo [m] et ita mutatur de non esse ad esse, est mutabilitas ad esse. Unde sicut ens de nihilo a nulla creatura separatur, ita nec ista mutabilitas quae est ad esse. — Mutabilitas autem in esse est [n] duplex: scilicet secundum substantiam et secundum accidens [6]. Mutabilitas in esse secundum substantiam est corruptio [o], cum scilicet mutatur creatura ab esse in non esse. Et immutabilitatem contrariam huic mutabilitati habent creaturae quae primo et immediate exeunt a Deo [7], sicut angeli et animae rationales, et etiam [p] prima materia, prout est de primo creatis, habet eam. Sed in aliis, quae consequenter fiunt ex ipsa, est mutabilitas [q] ista et secundum substantiam et secundum accidens, sicut in elementis et huiusmodi. Mutabilitas autem in esse secundum accidens ista est in creaturis, etiam perpetuis, sicut in anima, cum mutatur ab una affectione in aliam, ut a tristitia in gaudium et ab iniustitia in iustitiam. Solum autem illud simpliciter et vere est immutabile, quod nec habet mutabilitatem [r] ad esse, quae est a non esse in esse, nec mutabilitatem in esse secundum substantiam, nec secundum accidens; talis est divina essentia solum [8]: et ideo proprium est ei esse immutabile vere et simpliciter.

---

[a] R *aliter*, quod B corr. [b] Codd. *esse in ea* [ita S (corr. interl.) LF, alii *eo*] *quod non erat* pro *non... erat*. [c] BRL om., n F add. interl. [d] V *immortalitatis*. [e] V om. [f] F *sed*, LF om. *tertium*. [g] B *ex impressione* pro *i. e.* [h] BRLF om. [i] V add. *est*. [k] F om. *s. m.*, BRL om. *scilicet*. [l] V *et in* pro *i. o.* [m] B add. interl. *est*. [n] V om. [o] S (corr.) RL *corpus*, F corr. [p] L *ipsa*. [q] VS *immutabilitas*, quod P corr. in *non mutabilitas*. [r] L *immutabilitatem* et om. *nec*, quod F corr.

1 Rectius lib. V, c. 2 (PL 42, 912).
2 Lib. II, c. 12, n. 2 (PL 42, 768). Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 8, c. 2 (p. 60).
3 I Tim. 5, 16.
4 *De anima*, c. 1 (PL 70, 1285). Cf. Pseudo-Augustin., *De spiritu et anima*, c. 18 (PL 40, 793), ubi haec verbotenus occurrunt.
5 Cf. infra, p. 74b, *Solutio*.
6 Cf. Aristot., *Phys.*, V, c. 1 et VIII, c. 4 (II, 307, 348); *Metaph.*, X, c. 11 et XI, c. 8 (II, 597, 606).
7 *Glossa ordin. in Gen.*, c. 1 (PL 113, 69), ex Beda, *In Gen.*, c. 1 (PL 91, 191).
8 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 8, c. 2 (p. 60); Augustin., *Confess.*, XII, c. 15, n. 18 (PL 32, 832).

QUAESTIO III.

DE SIMPLICITATE DIVINAE ESSENTIAE.

Consequenter [a] quaerendum est de simplicitate divina; et [quaeruntur] haec tria:
primo, quomodo est simplicitas divinae substantiae;
secundo, quomodo est simplicitas summa;
tertio, quomodo est proprium divinae essentiae simplicitas.

31 CAPUT I.

QUOMODO SIT SIMPLICITAS DIVINAE SUBSTANTIAE [1].

Ad primum arguet aliquis hoc modo: 1. In divino esse est ponere esse distinctum et indistinctum; ergo in eo est differentia; non ergo simplicitas. — Maior patet: quia in Deo est esse essentiale, et istud est indistinctum; et esse personale, et istud est distinctum.

2. Item, in Deo est unitas substantiae et pluralitas personarum; ergo in eo est disparatio; ergo non est in eo omnimoda simplicitas.

3. Item, in Patre sunt duo, quorum unum non est alterum, scilicet innascibilitas et paternitas; ergo in eo est compositio et non omnimoda simplicitas.

4. Item, in Deo [b] est esse communicabile [c], sicut est esse substantiale, et esse incommunicabile [d], sicut esse personale; non ergo omnimoda simplicitas, cum hoc non sit [e] illud.

5. Item, impossibile est quod divina essentia comprehendatur vel tota videatur; sed si aliquod simplex videtur, videtur secundum totum, quia simplex non habet partem et partem [2]: unde si punctus videtur, videtur secundum totum vel totus; ergo divina essentia non est simplex. — Maiorem propositionem supponimus: si enim tota videretur, comprehenderetur; sed hoc est impossibile, sicut supponimus ad praesens.

Solutio: Dicimus quod divina essentia est simplex omnimoda simplicitate, ita quod non est in ea compositio essentialis nec accidentalis. Omne enim compositum potest intelligi non esse, quia potest intelligi resolubile; sed divina essentia non potest intelligi non esse, ideo nec composita esse [3]. — Item, ubi est compositio, est dependentia et indigentia compositi a componentibus, quia omne compositum componentibus indiget, sicut habetur in libro *De regulis fidei* [4]; et ideo repugnat quod Deus sit Creator omnium et compositus.

[Ad obiecta]: Ad rationes ergo in contrarium dicendum, secundum Boethium, in libro *De Trinitate* [5], qui dicit: « Non dici potest praedicationem relativam quidquam rei, de qua dicitur, secundum se addere [f] vel minuere vel mutare, quae tota non in eo quod est esse consistit, sed in eo quod est in comparatione alio modo se habere, nec semper ad aliud, sed aliquotiens ad idem. Age enim [g]: Stet quisquam [h]; ei ergo si accedam dexter, erit ille sinister ad me comparatus, non quod ille sinister sit, sed quod ego dexter accesserim. Rursus ego accedo sinister, item ille fit [i] dexter, non quod ita sit [k] per se dexter, velut albus vel longus, sed quod, me accedente, fit [l] dexter, atque id quod est, a me et ex me est, minime vero ex se. Quare [m] quae secundum rei alicuius, in eo quod ipsa est, proprietatem, non faciunt praedicationem, nihil [n] alternare vel mutare [queunt] nullamque [o] omnino variare essentiam ». Ex quo patet quod relatio nihil addit vel mutat vel minuit. Secundum hoc

---

[a] LF *deinde*. [b] S *eo*. [c] Ita F et corr. interl. in SBL, alii *commutabile*. [d] Ita F et corr. interl. in SBL, alii *incommutabile*, B post *sicut* add. *est*. [e] F (corr.) *fit*, L *et hoc non fit* pro *c. h. n. s.* [f] V *adherere*. [g] PV om. *A. e.*, in S est add. mg. [h] PVS *stet ad me quisquam dexter* pro *S. q.* [i] V *sit*. [k] PLF *fit*. [l] V *sit*. [m] V *contrarie*. [n] Codd. *vel*. [o] Ita LF, alii *nullam*.

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 8, cc. 3-8 (p. 61 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 1, q. 1 (I, 165 sqq.); *Quaest. disput. de Trinitate*, q. 3, a. 1 et 2 (V, 68 sqq.).

[2] Cf. Pseudo-Beda, *Sententiae philos. ex Aristotele collectae* (PL 90, 1007): « Indivisibile seu simplex cum attingitur, totum attingitur aut nihil, pro eo quod non habet partem et partem ». Hae *Sententiae*, ut nunc exstant, absque dubio multo posteriores sunt Alexandro; citantur enim B. Albertus M., S. Thomas, Aegidius, immo Buridanus etc. (PL 90, 1008); sed continent etiam nonnulla, quae certe priora sunt, quia aliquae earum iam apud auctores ante Halensem leguntur. Inter quas etiam nostra numeranda videtur, cum et aliam Alexander verbotenus ut apud Pseudo-Bedam proferat infra, p. 59b, nota 19.

[3] Cf. supra, p. 42, num. 26; Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 1, p. 2, (f. 2b).

[4] Cf. Alan., *Maximae theologiae*, n. 126 (ed. incunabilis s. a. et l.); melius apud Anselm., *Monologion*, c. 17 (PL 158, 166); cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 2b); *Lib. de causis*, § 20 (p. 182).

[5] Cap. 5 (PL 64, 1254).

dicendum [a] quod in divino esse est esse [b] substantiae et esse relationis; et esse substantiae dicitur essentialiter [c], esse vero relationis personaliter. Unde Boethius[1]: « Substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem ». Quamvis ergo in Deo [d] intelligamus unitatem substantiae et multitudinem personarum — quae quidem est secundum relationem, relatio autem non addit ad unitatem nec mutat, et maxime in Deo — non est ulla compositio in ipso, cum nihil addat in eo.

1. Secundum hoc dicendum ad primum quod non secundum idem dicitur esse distinctum et indistinctum in Deo; immo esse indistinctum dicitur secundum substantiam, distinctum secundum relationem, quod solum dicit existentiae modum et nihil addit ad substantiam. — Similiter est dicendum ad illam rationem[2], qua obicitur de esse communicabili et [e] incommunicabili.

2. Ad aliud dicendum quod si pluralitas illa esset in genere unitatis illius, bene sequeretur ratio, sed non est [f] ita. Et est exemplum de puncto, qui est principium et finis respectu linearum diversarum[3]: potest enim esse [g] principium unius lineae et terminus alterius, vel [h] finis et principium alterius; idem dico secundum substantiam[4]; sed constat quod ex iis nihil detrahitur suae simplicitati nec ex hoc est [i] ei aliquid additum. Sic nec perit simplicitas in Deo propter pluralitatem personarum, quia ex hoc nihil est sibi additum; unde cum dicitur in Deo persona et substantia, non est per hoc nomen ' persona ' additio ad divinam substantiam facta. — Similiter posset obici: In persona Patris est natura divina vel essentia et personalitas; ergo hoc et hoc; ergo compositio. Dicendum quod istud sequeretur, si personalitas diceret in Patre aliquid secundum substantiam vel accidens, quod adderet ad esse; sed solum dicit aliquid secundum relationem, quae nihil addit ad esse.

3. Ad tertium quod obicitur ' in Patre sunt duo, quorum unum non est alterum ': dicendum quod hoc est verum notionaliter ' unum non est alterum '; et sic nihil additur ad esse. Unde haec habitudo non est illa, quia innascibilitas dicit quod non est [k] ens ab alio, paternitas dicit quod est ens a quo est alius; unde ibi est numerus habitudinis solum et non substantiae. Sicut punctus habet habitudinem ad hanc lineam et ad illam aliam, et haec habitudo non est illa; manet tamen punctus in simplicitate essentiae suae.

4. Ad quartum solutum est[5].

5. Ad quintum concedendum, secundum Augustinum [l][6], quod divina essentia non comprehenditur, cum [m] tota videtur ab animabus sanctis et angelis. Unde bene sequitur quod, si aliquid est simplex, quod videtur totum; sed ex hoc non sequitur quod comprehendatur. Nam simplex potest videri totum et non secundum totum vel totum et secundum totum. Si videtur totum et secundum totum [n], sequitur quod comprehendatur: et hoc modo non potest videri Deus, ut scilicet videatur totus et secundum totum, tamen totus bene videtur. Et est exemplum hic [o] de puncto: video enim punctum totum, quia non habet partem et partem[7]; sed non secundum totum ipsum video, quia non video ipsum secundum totam suam potentiam et virtutem[8]. Unde ponatur quod ab hoc puncto exeant etiam plures lineae: possum dicere de qualibet illarum linearum quod tangit punctum totum, sed non tangit secundum totum, hoc est secundum totam habitudinem ipsius puncti. Sic dicendum quod Deus totus videbitur, non tamen [p] secundum totum, hoc est secundum omnem modum suae virtutis et infinitatis; nec propter hoc sequitur quod habeat partem et partem, sicut nec de puncto.

CAPUT II. 32

QUOMODO DIVINAE ESSENTIAE SIT SIMPLICITAS SUMMA.

Deinde quaeritur quomodo divinae essentiae sit simplicitas summa[9].

Ad quod sic obicitur: 1. Maior est indifferentia ubi est unitas essentiae et personae quam ubi est unitas in essentia et distinctio in persona vel e converso. Si ergo divina essentia in summo est simplex, et simplicitas sequitur indifferentiam, intelligetur in ea unitas essentiae et personae; sed hoc est falsum, immo solum unitas essentiae et distinctio personae; ergo non est simplex in summo simplicitatis.

---

[a] PVS add. *ad primum.* [b] F om. [c] V *substantialiter.* [d] R om. *i. D.* [e] S add. *esse.* [f] B om. [g] L om. [h] PVS *et.* [i] B om. [k] SL om., in BRF est add. interl. [l] V *sicut Augustinus* pro *s. A.* [m] Ita PV, alii *tamen.* [n] R om. *si... totum,* quod in B est add. mg. [o] Ita PV, alii om. [p] PVS om.

1 Loc. cit.
2 Quae supra, sub n. 4 ponitur.
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 2, a. 1, q. 1, *ad 4* (I, 166b).
4 Cf. supra, p. 48a, nota 2.
5 Cf. supra, *ad 1.*
6 *Epist.* 147, c. 9 (PL 33, 606).
7 Cf. Euclid., *Geom.*, I, in versione Boethii (PL 63, 1307).
8 Hanc distinctionem et explicationem reicit S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1, *ad 3* (I, 69b).
9 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 2, q. 1 (I, 165 sqq.).

2. Item, non est idem dicere 'Pater est Deus' et 'Pater est Pater': non enim quo est Deus, eo est Pater, immo deitate [a] est Deus et paternitate est Pater, et non paternitate est Deus vel deitate Pater; ergo alio est Deus et alio est Pater [b]; ergo in Deo invenitur numerus; non ergo summa simplicitas.

3. Item, quaedam dicuntur de Deo secundum substantiam, ut Deus, omnipotens, iustus et huiusmodi; quaedam secundum relationem, sicut quae dicuntur de Deo personaliter, ut cum dico 'Deus est Pater'. Aut ergo substantia et relatio distinguuntur in Deo secundum rem aut secundum intellectum solum. Si secundum intellectum solum: ergo solus intellectus faceret Trinitatem hanc, scilicet Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, esse tres, si non esset ibi rei distinctio. Si secundum rem distinguuntur: ergo est ibi differentia substantiae et relationis. Ergo non est in Deo accipere terminum simplicitatis.

Contra: *a.* Nos videmus in puncto [1] differentes habitudines; non tamen hoc ponit aliquam compositionem in puncto, immo ex eo quod simplex est, convenit ei quod habeat plures habitudines. Quamvis ergo similiter ponatur in Deo differentia habitudinum personalium, non tamen hoc detrahit simplicitati eius; et ita vere simplex est.

Solutio: Dicendum quod est unitas essentialis et personalis [c]; similiter est differentia essentialis opposita unitati essentiali, et differentia personalis sive multiplicitas opposita unitati personali; sed diversitas essentialis non opponitur personali unitati nec [d] unitas essentialis differentiae personali. Unde Richardus de S. Victore [2]: « Sicut esse substantialiter aliud et aliud non tollit ubique unitatem personae, sic esse personaliter alium et alium non scindit ubique unitatem substantiae ». Exemplum in homine: nec pluralitas substantiarum ibi dividit unitatem personae. Nec pluralitas personarum hic dissolvit unitatem substantiae.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod prima propositio est falsa: nam unitas dicitur maior, quia simplicior [e] et quia virtuosior; posita autem unitate personali cum unitate [f] essentiali, minor erit unitas et simplicitas in virtute, quam si ponatur cum differentia personali, quia simplicissima et maxima unitas est quae habet esse in pluribus non multiplicata, sicut probabitur infra [3]. Quanto enim aliquid est magis unum in simplicitate essentiae, tanto maius est in virtute [4]; et ideo summa unitas vel simplicitas ponit pluralitatem: aliter non esset simplex in summo simplicitatis. Exemplum de puncto sicut supra [g 5].

2. Ad secundam rationem dicendum quod non sequitur: 'non eo quo est Deus, est Pater, ergo alio et alio' [h]. Si enim paternitas non esset deitas vel Pater deitas, bene procederet ratio; sed paternitas est deitas, et Pater est [i] Deus, et Pater est deitas [6]: Pater enim dicit habitudinem illam qua Deus est ens a quo [k] alius per generationem; haec autem habitudo non connumeratur cum [l] essentia, nec etiam aliquid addit essentiae, et ita non est causa compositionis aliquo modo circa essentiam.

3. Ad tertium dicendum [m], supposito quod infra [7] declarabitur, quod divinum esse est unum idem esse habitum [n] secundum rationem ordinis seu originis. Intelligitur enim divinum esse, quod est habitum a Patre non ab alio nec per generationem nec per processionem, a quo idem esse [o] est habitum a Filio per generationem, et illud idem habitum a Spiritu Sancto per processionem ab utroque. Et hoc modo est non solum secundum acceptionem nostri intellectus, sed etiam [p] secundum ipsam rem. Necessario ergo est ibi quod est identitatis substantiae et quod [q] est habitudinis secundum rationem originis seu principii ad id quod est de principio. Ex illa ergo parte, qua intelligitur identitas, sumetur velut praedicamentum substantiae in enuntiatione divinorum; ex illa vero parte, qua est [r] habitudo et pluralitas, praedicamentum [s] relationis. Nec tamen hoc detrahit summae simplicitati, sicut ex praedictis manifestum est et plenius declarabitur [8].

33 CAPUT III.

AN SIMPLICITAS SIT PROPRIUM DIVINAE ESSENTIAE.

Consequenter quaeritur an simplicitas sit proprium divinae essentiae ita quod nulli alii rei conveniat [9].

Ad quod sic obicitur: 1. Omne quod non habet compositionem partium vel accidentium vel formarum est summe et vere simplex, sicut patet

---

[a] PVSB *divinitate.* [b] Ita S (mg.) LF, alii om. *et non... Pater.* [c] P *impersonalis.* [d] R add. *ergo.* [e] Ita S (corr.) B (corr. mg.) LF, alii *multiplicior.* [f] V (corr.) *virtute.* [g] F om. *E. d. p. s. s.* [h] R add. mg. *sed alia habitudine vel suppositione et notat aliud predicamentum, quia paternitas in predicamento relationis, deitas substantie, Bernardus homo.* [i] Ita LF, alii om. [k] BR add. *est,* RLF om. *Deus.* [l] B *in.* [m] B add. *quod,* F *supponendo* pro *supposito.* [n] L *habitu,* R om. [o] R om. [p] L om. [q] V add. *non.* [r] BRLF add. *ibi.* [s] PVS *predicamento.*

1 Cf. supra, p. 48a, nota 2.
2 *De Trinit.,* IV, c. 10 (PL 196, 936); ubi etiam habetur sequens exemplum de homine.
3 Quaest. *De unitate divina,* p. 132, num. 81.
4 Cf. *Lib. de causis,* § 16 (p. 179).
5 Sub *Contra.*
6 Cf. Alan., *Theol. regul.,* reg. 50 (PL 210, 642).
7 Quaest. *De unitate divinà,* p. 132, num. 81.
8 Loc. cit. in nota praecedenti.
9 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 8, p. 2, q. 2 (I, 167 sqq.).

ex dist. 8, I libri *Sententiarum* [1]; sed prima materia non habet compositionem partium nec accidentium nec formarum; ergo prima materia est in simplicitate. Non enim habet compositionem [a] integralium partium: cum abstrahamus ab ipsa quantitatem; nec compositionem essentialium, sicut materiae et formae: quia [b] sic esset materia de materia et ita non esset prima; nec etiam accidentium: quia intelligimus eam spoliatam [c] omnibus accidentibus; nec formarum: quia intelligimus eam nudam ab omni forma. Similiter obicitur de forma.

2. Item, de specie sive forma universali obicitur quia, sicut dicit Philosophus [2], « forma est compositioni contingens, simplici et invariabili essentia consistens ». Ergo, cum sit in simplici et invariabili essentia, relinquitur quod simplicitas vera conveniet ei. — Si vero diceretur quod simplicitas formae universalis est compositioni contingens, simplicitas vero divinae essentiae non, unde non est comparabilis simplicitas simplicitati — contra: divina essentia est unibilis humanae, quae quidem est composita ex anima et corpore; ergo est adveniens compositioni, cum unitur humanae naturae, nec [d] aliquid detrahitur eius simplicitati et invariabilitati [e] essentiae. Relinquitur ergo quod nec ipsi formae universali, quantum ad simplicitatem, detrahetur ex hoc quod est compositioni contingens.

3. Item, Boethius, in libro *De Trinitate* [3]: « In omni eo quod est citra primum, differt 'quod est' et 'quo est' »; sed ipsum 'quod est' aut est aliquid citra primum aut nihil; constans est quod non nihil; ergo aliquid; in [f] eo ergo erit differentia eius 'quod est' et 'quo est', et ita in infinitum; aut erit dicere ipsum 'quod est' et ipsum 'quo est' ita esse simplicia sicut primum.

Respondeo: Vere [g] et summe simplex excludit tria: compositionem, componibilitatem et compositioni contingentiam, ita quod illud vere et proprie est simplex quod non est compositum nec componibile nec compositioni contingens. Nec compositum ex aliis: sicut est in omni creatura per se existenti; nec componibile cum alio: sicut est materia, quae est componibilis formae, et forma componibilis materiae, et ipsum 'quo est' [h] componibile ei 'quod est'; nec compositioni contingens: sicut est forma universalis, quae supponit ante se compositionem ex materia et forma: est enim forma materiae, ut est anima [i] forma corporis; et est forma compositioni contingens, sicut ex ipsa compositione adveniens, sicut forma universalis 'homo' vel 'humanitas', quae advenit constituto ex anima rationali et corpore [4].

[Ad obiecta]: 1-2. Et per hoc patet responsio ad duo prima. — Ad illud vero quod obicitur [k] de divina essentia, quae est unibilis [l] et ita compositioni contingens: dicendum quod non sequitur. Nam hoc quod dico 'contingens compositioni' [m] importat dependentiam ab ipsa compositione, ita quod nec habeat subsistere sine ipsa, sicut humanitas non subsistit nisi manente compositione animae et corporis. Divina autem essentia nullo modo habet dependentiam ab humana, immo sine ipsa consistit; unde hoc ipsum quod unibilis est vel unita divina natura humanae non dicit dependentiam vel dispositionem in ipsa, sed in ipsa humana natura, quae quidem unibilis est et unita.

3. Ad aliud vero quod obicit ultimo, quod dicit Boethius « in eo quod est citra primum » etc.: intelligitur de iis quae secundum se habent esse; 'quod est' autem [n] et 'quo est', prout dicunt principia esse cuiusque, non habent esse ut ens, sed sunt entis: ut distinguamus quod quaedam sunt entia, quaedam vero entium, ut dispositiones [o] vel partes, et ista non sunt entia simpliciter, sed sunt entium. Non tamen sequitur quod sint nihil: 'nihil' enim negat et quod est ens et quod est entis [p]. Praeterea, ea quae sunt entium iam habent dependentiam a se ipsis et componibilia sunt [q] ad invicem et propterea non sunt [r] vere simplicia.

---

[a] B *comparationem.* [b] V *et.* [c] V add. *ab.* [d] LF add. *tamen.* [e] P *invariabilis.* [f] V om. [g] F add. *esse.* [h] R om., PV *sit.* [i] R *alia,* B add. *et.* [k] BRLF *obicit.* [l] B *universalis.* [m] V *componi.* [n] PVS om. [o] BR *diffinitiones.* [p] B om., BR om. *ea.* [q] BRLF om. [r] B add. *substantie.*

1 Cap. 3 (p. 61). Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 1, p. 2 (f. 2b).

2 Id est Gilb. Porret., *De sex principiis,* c. 1 (f. 31c). Etiam S. Bonav., II *Sent.,* d. 17, a. 1, q. 2 (II, 413a) hanc definitionem Philosopho adscribit.

3 Cap. 2 (PL 64, 1250) ad sensum; et in libello *Quomodo substantiae bonae sunt* (PL 64, 1311), qui interdum citatur sub titulo *De hebdomadibus* vel apud antiquos ut *Liber III De Trinitate* (cf. ed. Basileae 1570, pp. 1119, 1181). Cf. Gilb. Porret., *Comment. in Boethii libr. de hebdomadibus* (PL 64, 1321); P. Duhem, *Le système du monde,* V, p. 285, ubi sub titulo « *Digression au sujet d'un axiôme de Boëce: l'*esse, *le* quod est, *le* quo est » praeclare de allato Boethii textu tractat.

4 Cf. Avicenna, *Sufficientia,* I, c. 4 (f. 16b): « Cetera entia [praeter Deum] sunt aliud a natura ipsius esse, quia sunt talia quibus advenit esse et comitatur ea, sicut humanitas in ens et non est ipsum esse ».

TRACTATUS SECUNDUS

DE IMMENSITATE DIVINAE ESSENTIAE

QUAESTIO I.

DE IMMENSITATE DEI QUANTUM AD SE

SEU DE INFINITATE EIUS.

Consequenter quaeritur de immensitate divinae essentiae. Quae immensitas determinatur quantum ad quatuor: I) primo, quantum ad se: et sic determinatur per infinitatem; — II) et quantum ad intellectum: et sic determinatur per incomprehensibilitatem; — III) et quantum ad locum: et sic determinatur per incircumscriptibilitatem; — IV) et quantum ad durationem: et sic determinatur per aeternitatem.

Primo igitur quaeritur de infinitate divinae essentiae;
secundo, de incomprehensibilitate [a] divinae essentiae;
tertio, de incircumscriptibilitate divinae essentiae;
quarto, de eius aeternitate.

Quantum ad primum duo quaeruntur:
primum est, utrum divina essentia sit finita vel infinita;
secundum est, supposito quod [b] infinita, utrum istud sit ei proprium, ita quod non conveniat infinitas creaturae.

34

CAPUT I.

UTRUM DIVINA ESSENTIA SIT FINITA VEL INFINITA [1].

Quantum ad primum sic obicitur: 1. Finitum et infinitum congruunt quantitati; unde semper dicitur finitum et infinitum sub ratione quantitatis [2], simplex autem [c] et compositum sub ratione substantiae vel essentiae. Si ergo quantitatem non dicimus circa divinam essentiam nisi solum [circa] virtutem eius, quae dicitur aliquo modo quanta, secundum quod ponit Augustinus quantitatem virtualem et dimensivam, in libro *De quantitate animae* [3]: ergo non est dicere de essentia divina quod sit finita vel infinita, sed solum de eius virtute vel potentia.

2. Item, finitum et completum idem; sed divina essentia est completissima; ergo est finitissima.

3. Item, sicut se habet potentia ad posse, ita et essentia ad esse; sed potentia dicitur finita, cum potest in tot quod non potest in plura; ergo similiter est in esse; ergo similiter est [d] in essentia quod, cum ita est haec essentia quod non alia essentia, dicetur finita; sed divina essentia ita est haec essentia quod non alia [e]; ergo est finita.

4. Item, inter differentias entis semper nobilior dicitur de Deo. Unde, quia ens actu nobilius est quam ens in potentia, dicitur Deus 'ens actu' et non [f] 'ens potentia' [g]; sed finitum est nobilior conditio quam infinitum; ergo finitum dicetur de divina essentia et non infinitum.

5. Item, finitum magis ducit in Deum quam infinitum, et hoc est quia creatura ducit in Deum secundum rationem qua est finita: quia, in quantum finita, dicitur per ordinem ad finem; infini-

---

[a] F *comprehensibilitate.* [b] V add. *sit,* B om. *istud.* [c] PVS om. [d] V om. [e] PVF om. *essentia, dicetur... alia,* quod L habet in textu, SBR in mg. [f] LF add. *dicitur.* [g] F *possibile.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 43, a. un., q. 2 (I, 768 sqq.); *Quaest. disp. de Trinit.*, q. 4, a. 1 (V, 79 sqq.).

[2] Cf. Aristot. *Phys.*, I, c. 2 (II, 249); Averroes, in h. l. text. 15 (IV, f. 7b).

[3] Cap. 3 (PL 32, 1037).

tum autem privat huiusmodi ordinem; ergo finitum magis dicit similitudinem Dei in esse et eius expressionem quam infinitum. Si ergo exemplari debet attribui quod ipsum magis exprimit, ergo Deo debet attribui finitum, non infinitum.

Contra: *a.* Idem est in Deo potentia et essentia [1]; sed potentia eius est infinita; ergo et eius essentia. — Et confirmatio istius rationis est: quoniam in summe [a] simplici non differunt potentia et essentia, aliter non esset summe simplex; ergo non attingit aliquid potentia quin essentia illud attingat; ergo, cum infinitum dicat extensionem ultra finitum, esset dicere quod potentia extenderetur ultra essentiam, nisi essentia esset [b] infinita.

b. Item, divina essentia potest considerari [c] absolute et in se, et sic est absoluta ab omni respectu. Si ergo finitum et infinitum dicunt intentiones, respectus ergo non sunt in ea absolute, sed in ea prout intelligitur secundum extensionem, secundum quod dicimus quod se extendit divina essentia in omni esse rerum, sicut sua potentia in omni [d] posse; sed hoc modo essentia est infinita. — Probatio quia potentia eius [e] est infinita: quia non est in tot nec potest esse in tot quin adhuc posset esse in plura; ergo, si [f] similiter non est dicere de divina essentia quod ita sit in [g] essentiis rerum nec possit esse quin adhuc possit esse in pluribus, constat quod ipsa est infinita.

c. Item, bonitas illa dicitur infinita a qua est omnis bonitas et qua maior excogitari non potest et similiter illa potentia infinita [h] a qua est omnis potentia et qua maior excogitari non potest [i]; ergo et illud esse dicetur infinitum a quo est omne esse et quo maius [k] excogitari non potest; sed tale est esse divinum; ergo illud est infinitum. Dico autem maxime esse, sicut dicit Anselmus [2], quod maxime distat a non esse, quod scilicet nec habet non esse post esse nec esse post non esse nec potest cogitari non esse.

d. Item, circumscripta per impossibile divina potentia ab essentia, adhuc possum dicere quod Deus est ubique, nec tantum potest cogitari ubi sit quin adhuc possit dici quod ultra sit. Sicut ergo corpus diceretur infinitum quod totum mundum repleret et ultra, si essent mundi infiniti, ita divina essentia debet dici infinita.

e. Item, III Reg. 8, 27: *Si enim caelum et caeli caelorum capere te non possunt,* quasi diceret si multi essent caeli, ipsum capere non possent, sed repleret omnes; ergo ipse Deus secundum essentiam est infinitus.

f. Item, Deus est causa efficiens prima, formalis [3] et finalis; ergo si non est dicere de ipsa, in quantum est causa efficiens prima, quod sit effecta [l], nec in quantum est causa formalis, quod sit formata [4]: ergo non est dicere, cum sit causa finalis, quod sit finita; ergo si secundum essentiam ipse est finis sive finalis causa, constat quod eius essentia est infinita. — Si [m] dicatur quod divina essentia dicitur finita, non quia habeat finem vel terminum ad quem terminetur, sed quia ita est haec essentia quod non est illa: unde iste est unus modus finitatis – sed quod ratione ista non debeat dici finita [n] patet: quia antequam alia essentia crearetur, erat dicere quoniam divina essentia erat, nec tamen erat dicere quod finiretur ad alia, quia res [o] non erant; sed idem est esse eius ante rerum creationem et post; ergo si non dicebatur tunc finita per comparationem ad res, ergo nec modo.

g. Item, si propter hoc diceretur finita essentia, quia ita est haec essentia quod non illa [p], simili ratione eius potentia diceretur finita, cum sit ita haec potentia quod non illa; quod tamen inconveniens est dicere. — Si dicatur ad hoc quod divina potentia est ens et operatur [q], et verum est, in quantum est ens est finita, tamen in quantum operatur [r] est infinita, quia non potest in tot quin adhuc in plura – contra: adhuc videtur quod sit finita in quantum operatur secundum hunc modum, quoniam sicut contingit dicere ' divina potentia est haec et non illa ', ita contingit dicere [s] quod ' divina potentia operatur haec et non illa ' [t]; potentia ergo hac ratione dicetur finita in quantum operatur, si [u] hoc facit finitatem; quod tamen inconveniens est dicere.

h. Item, Damascenus [5]: « Credendum est unum Deum immortalem, aeternum, infinitum, incircumscriptum »; sed cum dico ' unum Deum ', loquor de Deo secundum essentiam; ergo divina essentia est infinita.

---

[a] Ita PV, alii *summo.* [b] Ita P, SBRLF *sit,* V om. [c] BR add. *dupliciter.* [d] B *Dei.* [e] LF om. [f] F *quia ergo* pro e. s. [g] V add. *divinis.* [h] B add. *qua maior,* quod R delevit, in S est add. mg. [i] F om. *et similiter... potest.* [k] B *magis.* [l] F *essentia.* [m] BR *Item si.* [n] PV *infinita,* quod S corr. per abras. [o] S add. mg. *hec,* quod BL exp. [p] BR *alia.* [q] S *comparatur.* [r] S *comparatur.* [s] S om. *divina potentia... dicere.* [t] BRLF *alia.* [u] Ita PL, alii *sed.*

1 Cf. Boeth., *De hebdomad.* (PL 64, 1314): « Idem est in eo esse quod agere ».

2 *Proslog.*, c. 22 et *Liber apolog. contra insipientem*, c. 4 (PL 158, 238, 253).

3 Intellige primam causam omnium exemplarem, ut ex toto contextu patet (cf. infra, p. 57ab, *ad 4* et *5* et num. 46 et 47, pp. 71sqq.); non autem principium rerum formale immanens, ut Amalriciani censuerunt, vel formam universalem in sensu Avencebrolis aliorumque Neoplatonicorum pantheistarum. Cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 13-16 (PL 210, 629).

4 Cf. S. Bernard., *De consider.*, V, c. 7, n. 17 (PL 182, 798): « Non est formatus Deus, forma est ».

5 *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 807).

1. Item, Exod. 33,20: *Non videbit me homo et vivet.* Super hoc reprobat Augustinus[1] opinionem dicentium quod Deus non videbitur in sua essentia, sed in sua luce; et obicit sic: Cum sua lux non sit aliud quam sua essentia, ergo non est aliud videri in sua luce et in sua essentia. Similiter, cum potentia non sit aliud quam sua essentia, non est aliud infinitum in potentia quam in essentia.

Solutio: Dicendum, sicut dicit B. Dionysius[2]: « Universaliter non audendum dicere aliquid de insuperabili et occulta divinitate, quam ea quae nobis divinitus ex sacris Eloquiis claruerint ». Propterea, cum [a] in sacra Scriptura nihil de finitate divinae essentiae inveniatur, non est asserendum ipsam esse finitam simpliciter, sed infinitam. Proprie ergo est dicendum ipsum esse infinitum secundum substantiam et non finitum, nisi dicatur finitum 'completum'. Unde Damascenus[3]: « Deus est incircumscriptus, increatus, infinitus ». Item, in eodem[4]: « Videtur quidem [b] omnibus principalius [c] eorum quae de Deo dicuntur nominibus esse 'qui est'; totum enim [d] in se ipso comprehendens habet esse [e] velut quoddam pelagus substantiae infinitum [f] et indeterminatum ». Ecce, secundum Damascenum, quod est infinitus secundum essentiam.

Sed tamen infinitum dicitur tripliciter: scilicet negative, privative, contrarie sive disparate. Infinitum negative dicitur per abnegationem finis, et sic dicitur infinitum idem quod non finitum, et hoc modo infinitum est quod non est natum finiri. — Infinitum privative est [g] quod est natum finiri, non tamen finitur. — Infinitum contrarie est [h] quod habet contrariam dispositionem sive disparatam ad finiendum.

Primo modo divina essentia est infinita, quia non habet finem, sed est finiens omnia: neque enim [i] est nata finiri. — Similiter si dicatur infinitum disparate, sic [k] adhuc est infinita, quia habet disparatam dispositionem respectu finitatis: dicimus enim aliquid finitum, cum [l] in tot est quod non potest esse in plura. In Deo autem est dispositio disparata respectu huius, quae est quod divina essentia est in omnibus et extra omnia, et adhuc, si essent infinita, impleret illa. Unde hoc quod 'est in omnibus non inclusa et implens illa, immo infinita, si essent', est dispositio disparata respectu finitatis. — Si dicatur infinitum privative, non potest dici infinita, quia non est nata finiri, immo est finiens omnia.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam ergo [m] rationem in contrarium dicendum quod, cum finitum dicatur per positionem finis, infinitum [dicetur] per ablationem finis. Finis autem dicitur tripliciter, et [similiter] finitum et infinitum. Finis enim [n] dicitur terminus: et sic finitum et infinitum, secundum quod a fine accipiuntur, soli quantitati congruunt; ratione enim termini in quantitate sumuntur. Quia enim in continuo non est terminus suae divisionis, dicimus ipsum [o] divisibile in infinitum sive infinitum divisione; similiter, quia in numero non est terminus in addendo, dicimus ipsum esse infinitum additione; similiter iuxta locum dicitur finitum et infinitum circumscriptione, et iuxta tempus finitum et infinitum duratione. — Alio modo finis dicitur idem quod perfectio[5]: et sic dicitur finitum et infinitum in substantia; et sic dicitur materia secundum se infinita, quia caret perfectione[6]. — Tertio modo dicitur finis secundum rationem propriam, qua quidem est id [p] propter quod unumquodque[7]: et sic finitum dicitur a fine per ordinationem [q] ad finem, infinitum vero per deordinationem [r]: et sic malum culpae dicitur infinitum.

Primo ergo modo, secundum quod finitum et infinitum dicuntur in quantitate, est dicere infinitum in Deo. Sed quantitas duplex est, secundum quod dicit Augustinus[8], scilicet quantitas dimensiva et virtualis. Prout finitum et infinitum sunt circa quantitatem dimensivam, neutrum est in Deo, quia talis quantitas non est in eo; sed iuxta quantitatem virtualem, quae in ipso est, dicitur in eo infinitum [s]. Sed quia in Deo omnimoda est indivisio virtutis et essentiae, non potest esse infinitas virtutis quin etiam sit essentiae; ubi autem differunt virtus et essentia, quod est unius non est [t] alterius.

---

[a] P om., in S add. mg., in B add. interl. [b] P *quid*, V *quod*, S *quidam*, PVS add. *in*, R om. *omnibus*. [c] V *principalibus*. [d] S add. *est*. [e] Ita Burgundio (Bibl. Laurent. Florent. S. Crucis, Plut. 13, dext., cod. 8, fol. 5a) ex graeco ἔχει τὸ εἶναι. Pro *habet esse* codd. habent *hunc*. [f] R *finitum*. [g] BRLF add. *est*. [h] V om. [i] BR om. [k] V *si*. [l] F *et*. [m] BR om. [n] S *autem*. [o] B add. *esse*, F om. *in*. [p] V *idem*. [q] Ita PV, alii *ordinem*. [r] F corr. *inordinationem*. [s] F *finitum*, B om. *in eo*. [t] B om.

[1] Videtur esse Gregor. M., qui scribit in *Moral.*, XVIII, c. 54, n. 90 (PL 76, 90): « Fuerunt nonnulli qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici et incommutabili essentiae aliud est claritas et aliud natura, sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est ». Apud Augustinum hoc solum invenimus, illos scilicet non audiendos esse, qui visionem Dei corpori tribuunt, non spiritui, vel Manichaeos Deum confundere cum luce corporali creata; cf. *Epist.* 147, c. 21, n. 49 (PL 33, 619); *Contra Faust. Manich.*, XXII, c. 9 (PL 42, 405).

[2] *De divin. nomin.*, c. 1, § 1 (PG 3, 587, PL 122, 1113).

[3] *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 807).

[4] Ibid., c. 9 (PG 94, 835).

[5] Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 16 (II, 528).

[6] Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 11 (II, 551); Averroes, *In Physic. Aristot.*, III, text. 59 (IV, 53a).

[7] Cf. Aristot., *Ethic. ad Nicomach.*, I, c. 2 (II, 1).

[8] *De quantit. anim.*, c. 3 (PL 32, 1037).

2. Ad secundum dicendum quod completum dicitur duobus modis, scilicet ex se et ex alio. Completum ex se dicitur finis, quia finis est complementum; completum vero ex alio accipitur solum in illis quae sunt ad finem; finis ergo [a] completur non ex alio, sed ex se. Quia ergo finitum dicit quod aliquid finiatur et compleatur ex alio, quia dicitur passive, propter hoc non sequitur: 'est finis, ergo non est infinitus' sive [b] 'ergo est finitus' [c], immo 'ergo est finiens'. Et ideo non sequitur quod, si Deus est completus, cum sit completus in se, quia est finis omnium, quod sit finitus, sed quod sit omnia finiens.

3. Ad tertium dicendum quod aliquid non debet dici finitum, quia sit [d] hoc et non aliud, sed quia terminatur ad aliud vel quia est propter aliud vel quia perficitur ab alio. Et [e] hoc sumitur iuxta triplicem rationem finis, cum finitum dicatur a fine: finis enim terminus est, finis est propter quod unumquodque, et finis est perfectio. Si ergo divinae essentiae non possunt ista convenire — quia non terminatur [f] ad aliud, immo non est aliqua essentia in qua non sit essentialiter, etiam si essent infinitae, immo etiam terminat [g] omnia alia et non e converso; similiter non est propter aliud, immo omnia [h] alia propter ipsam; similiter nec ab alio perficitur, sed perficit alia — constat quod non potest dici finita. Et ratio illa male assumit rationem finiti [i], sicut etiam probatum est in rationibus quae sunt ad veram partem [1].

4. Ad quartum dicendum quod sicut in re quae habet ordinem ad formam, nobilitatis est esse formatum [2], ita in re quae est ad finem, nobilitatis [k] est esse finitum; et quia omnis creatura ordinatur ad finem, ideo in omni creatura nobilitatis est quod sit finita. Similiter in iis quae habent ordinem ad efficiens, nobilitatis est esse effectum, sed in ipso efficiente non est nobilitatis, immo ignobilitatis [l]. Similiter in forma esset ignobilitatis quod esset formata, et similiter in fine quod esset finitus. Et ideo esse effectum, esse formatum, esse finitum, omnia ista [m] sunt nobilitatis in creatura, quia ordinatur ad efficiens, formam et finem; in Deo tamen, qui est efficiens primum et prima forma omnium exemplaris [3], erunt ista ignobilitatis, et ideo contraria istorum sunt [n] nobilitatis in illo.

5. Ad quintum dicendum quod Deus est causa efficiens, formalis exemplaris et finalis [4]. Secundum ergo duas primas causalitates comparantur creaturae ad Deum tamquam ad illud a quo sunt ut a suo principio; in quantum vero est [o] causa finalis, sunt creaturae ad ipsum. Licet ergo finitum magis ducat in Deum, in [p] quantum est finis, non tamen in quantum est efficiens vel exemplar, immo istis modis magis infinitum ducit in [q] ipsum, scilicet in quantum est [r] efficiens et exemplar. Unde prima materia, quae est infinita in potentia passiva, ducit in potentiam Dei infinitam, non in ratione qua ordinatur ad ipsum ut ad finem, sed in ratione qua ordinatur ad ipsum ut ad [s] efficiens et exemplar; et magis ducit in ipsum hoc modo, quam si esset finita in potentia. Similiter creatura rationalis quae habet potentiam infinitam ad cognoscendum, quia non potest tot intelligere quin plura possit intelligere, per hoc magis ducit in suum efficiens et exemplar quam si esset finita. Similiter infinitas durationis in rationali creatura magis ducit in Deum quantum [t] ad aeternitatem sive durationem quam finitas durationis, quia eius est imago, ista non: « non enim esset imago, si [u] mortis termino clauderetur », ut dicit Cassiodorus [5]. Licet ergo finitum aliquo modo magis ducat in Deum quam infinitum, non tamen simpliciter, immo magis e converso secundum alias considerationes.

CAPUT II. 35

UTRUM SIT PROPRIUM DIVINAE ESSENTIAE QUOD SIT INFINITA.

Postea quaeritur, supposito quod infinitas conveniat Deo, utrum sit proprium divinae essentiae quod sit infinita.

Ad quod sic: 1. Ioan. 3, 34: *Non est ei datus spiritus ad mensuram* [6], et loquitur de gratia Christi; ergo gratia Christi est spiritus non ad mensuram; ergo est infinita; ergo alii quam divinae essentiae convenit esse infinitum, et ita non est ei proprium.

Contra: *a. Omnia creata sunt sub numero, pondere et mensura,* Sap. 11, 21; ergo omnia creata sunt finita; ergo, si convenit infinitas alicui, hoc est soli Creatori.

---

[a] BR *vero.* [b] Ita VL, alii *fine,* F om. *ergo.* [c] BR om. *s. e. e. f.* [d] V *si.* [e] B *ex.* [f] S *determinatur.* [g] F *terminant.* [h] PV *omnino.* [i] S *affiniti.* [k] L *voluntatis.* [l] R om. *i. i.* [m] B om. [n] PV om., in S add. mg. [o] PVS add. *ut.* [p] BR om. [q] P om. [r] F om. [s] BR om. [t] PVSB *quam.* [u] PVS *sed.*

1 Quae sub *Contra* ponuntur.

2 Cf. Augustin., *De vera relig.,* c. 18, n. 36 (PL 34, 137): « Bonum est enim esse formatum ».

3 Cf. supra, ad litt. *f.*

4 Cf. ibidem.

5 *De anima,* c. 2 (PL 70, 1285).

6 Vulgata: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.*

Solutio: Ad hoc dicendum quod finitum dicitur multipliciter: scilicet finitum principio et finitum fine, finitum subiecto et finitum virtute. Tot etiam modis dicitur infinitum. Si ergo consideremus finitum et infinitum principio vel fine: sic gratia Christi est finita et non infinita; habet enim terminum a quo est, et hoc est principium, et finem ad quem est. Et hoc modo sola divina essentia est infinita. — Similiter si accipiamus finitum subiecto: sic adhuc gratia Christi est finita, quia anima Christi est suum subiectum, quae est quaedam res finita. — Si autem accipiamus finitum et infinitum virtute: sic gratia aliquo modo est finita, aliquo modo infinita; finita enim secundum quod dicitur [a] 'in Christo est gratia singularis personae'; aliquo tamen modo [b] dicitur gratia Christi infinita: nam praeter gratiam, quae est in Christo [c] ut est homo singularis, est in ipso gratia secundum quam est caput et gratia unionis. Dicitur ergo gratia Christi, secundum quod est caput, aliquo modo infinita quantum ad virtutem influendi, quia potest influere in infinitum in membra corporis Ecclesiae. Similiter gratia unionis aliquo modo dicitur infinita, scilicet potestate satisfaciendi, quia non est ponere tot peccata quin pro pluribus posset satisfacere, nec ita magna quin et pro maioribus, si essent, sicut [d] dicit Anselmus [1]: « Putasne tantum bonum, tam amabile, posse sufficere ad solvendum quod debetur pro peccatis totius mundi? Immo plus potest in infinitum ». Unde si maius esset peccatum totius mundi in infinitum, sufficeret ad illud solvendum [e].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod 'datus est ei [f] spiritus non ad mensuram': dicendum quod hoc intelligitur non absolute, sed facta comparatione ad alios homines, quibus *data est gratia secundum mensuram donationis Christi* [2]; nam, sicut dicitur I Cor. 12, 8: *Aliis datur per Spiritum sermo sapientiae, aliis sermo scientiae secundum eumdem Spiritum* etc. Quia ergo in Christo erat gratia universaliter ad omnia quae dabantur aliis, particulariter dicitur habuisse spiritum *non ad mensuram*, quia non habuit ad mensuram aliorum. Unde super illud Ioan. 3, 35: *Omnia dedit in manu eius*, Glossa Augustini [3]: « Hominibus dat ad mensuram, Filio non ad mensuram, sed sicut totum ex se ipso toto genuit Filium suum, ita incarnato Filio suo totum [g] suum Spiritum [dedit] non particulariter, non per subdivisiones [h], sed generaliter et universaliter ».

QUAESTIO II.

DE IMMENSITATE DEI QUANTUM AD INTELLECTUM

SEU DE INCOMPREHENSIBILITATE EIUS.

Consequenter quaeritur de immensitate divinae substantiae quantum ad incomprehensibilitatem [i]. Et quaeruntur duo:

primum est, utrum divina [k] essentia sit comprehensibilis vel incomprehensibilis;

secundum est de differentia comprehensionis divinae essentiae in patria.

36

CAPUT I.

UTRUM DIVINA ESSENTIA SIT COMPREHENSIBILIS VEL INCOMPREHENSIBILIS [4].

Quantum ad primum sic obicitur: *a.* Ierem. 32, 19: *Magnus consilio, incomprehensibilis cogitatu*, et loquitur de Deo; sed dicendo 'Deum' dico divinam essentiam, quia dico ipsum sine notione personali; et sic loquitur; ergo divina essentia est incomprehensibilis.

b. Item, Damascenus [5]: « Infinitus est Deus et incomprehensibilis ».

---

[a] BRF om., V *ipso* pro *Christo*. [b] L om., B add. interl. *aut* pro *a. t. m.*, quae F om. [c] RLF *ipso*, B *ipse* pro *i. C.* [d] BRLF *prout*. [e] L *satisfaciendum*. [f] F om. [g] P *toto*. [h] L om. *n. p. s.* [i] V *comprehensibilitatem*. [k] P add. *vel*.

[1] *Cur Deus homo*, c. 14 (PL 158, 415). [2] Eph. 4, 7. [3] *Ordinaria*, in h. l. (PL 114, 370), ex Augustino, *In Ioan.*, tr. 14, nn. 10 et 11 (PL 35, 1508 sq.). [4] Cf. supra, p. 17, num. 9. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1 (I, 69); III *Sent.*, d. 14, a. 1, q. 2 (III, 298 sqq.); *Quaest. disp. de scientia Christi*, qq. 6 et 7 (V, 32 sqq.). [5] *De fide orthod.*, I, c. 4 (PG 94, 799). Pro argumentis *b*, *c*, *d* cf. Guil. Aitissiod., *Summa*, I, c. 3 (f. 3 d).

c. Item, Augustinus, in libro *De videndo Deo*[1], ponit auctoritatem Ambrosii[2] dicens: « Plenitudinem divinitatis eius nemo aspexit, nemo mente aut oculis comprehendit ».

d. Item, communis animi conceptio[3] est quod finitum non potest comprehendere infinitum. Ergo, cum [a] intellectus humanus sit finitus, divina essentia infinita, ut visum est[4], est ergo incomprehensibilis ab intellectu humano.

Contra: 1. Multiplex est cognitio de Deo: est enim [b] cognoscere de Deo 'quia est', 'quid est', 'sicut est', 'quantus est'[5]. Cognitio prima, secunda et tertia non ponunt comprehensibilitatem, sed quarta [c], scilicet qua cognoscitur quantus est, ponit comprehensibilitatem; sed creatura potest cognoscere quantus est; ergo potest ipsum comprehendere; ergo est comprehensibilis. — Minor patet, Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei* [d]. Glossa[6]: « Tam pulcra astra condidit, ut ex magnitudine eorum quantus esset posset cognosci [e] ».

2. Item, Philipp. 3, 12: *Sequor* [f], *si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum.* Glossa interlinearis [g][7]: « Si aliquo modo potero perfecte cognoscere Christum [h], qui est summa beatitudo ». Intendebat ergo Apostolus quod posset Christum comprehendere; sed non sequeretur, nisi esset possibile; non esset autem [i] hoc possibile, nisi totam divinitatem comprehenderet; ergo est comprehensibilis. — Item, ibidem super illud: *In quo et comprehensus sum,* Glossa[8]: « Ut scilicet videam eum sicut est, sicut ipse me videt sicut sum »; sed constat quod ipse [k] Christus videbat Apostolum per comprehensionem; ergo Apostolus intendebat ipsum comprehendere.

3. Item, Eph. 3, 18: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum,* scilicet Dei longitudo, scilicet aeternitatis; latitudo, scilicet caritatis; sublimitas, scilicet maiestatis; profundum, scilicet sapientiae Dei[9]. Et sequitur[10]: *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Ergo vult quod [l] sit comprehensibilis.

4. Item, I Cor. 2, 10: *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei,* id est « facit nos scrutari[11] »; sed quod facit nos scrutari [m] cognoscemus in patria; sed si omnia et *etiam profunda Dei* cognoscemus, ergo comprehendemus.

5. Item, Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[12]: « Anima, ad similitudinem totius sapientiae facta, omnium similitudines in se gerit [n] ». Anima autem, quia est similitudo Dei, se utitur ut similitudine ad Deum cognoscendum; sed ipsa est similitudo totius sapientiae divinae, quae est ipse Deus; ergo potest se uti ut similitudine ad cognoscendam totam sapientiam, quae est Deus; ergo potest ipsum comprehendere.

Solutio: Dicendum quod potest appellari comprehensio cognitio intellectus apprehendentis sive adhaerentis veritati[13] [o], vel potest appellari comprehensio cognitio intellectus includentis. Sumendo comprehensionem primo modo, dicendum quod Deus est comprehensibilis, quia intellectus noster adhaeret veritati quae Deus est; unde Sponsa in Canticis[14]: *Tenui eum, non dimittam.* Et haec comprehensio nihil aliud est quam quaedam apprehensio. Hoc modo loquitur Apostolus, cum dicit[15]: *Sequor, si quo modo comprehendam,* id est « si quo modo perfecte [p] potero cognoscere Christum[16] », et istud 'perfecte' attenditur in adhaesione ad Deum. — Si dicatur comprehensio cognitio intellectus includentis: hoc modo facit Augustinus, in libro *De videndo Deo, Ad Paulinam*[17], differentiam inter 'comprehendere' et 'videre', dicens quod 'videre' non ponit nisi praesentiam rei [q], 'comprehendere' vero ponit totum in videndo includere, ita quod de re nihil lateat. Hoc modo impossibile est Deum comprehendi, quia impossibile est quod intellectus includat divinam essentiam; secundum enim Augustinum[18], illud solum comprehendere possumus « cuius fines circumspici possunt »; illud autem impossibile est in Deo.

Sed obicitur: « Omne simplex, cum non habeat partem, cum attingitur, attingitur totum[19] »; cum vero attingitur totum, comprehenditur; cum

---

[a] B add. *omnis.* [b] BRLF om. [c] P *quanta.* [d] BL add. *etc.*, B om. *Glossa.* [e] BRL *agnosci*, BRL om. *eorum*, F om. *Minor... cognosci.* [f] B *sequitur.* [g] F *id est.* [h] V *ipsum.* [i] BRLF *vero.* [k] BLF om. [l] PVS *ut.* [m] F om. *s. q. f. n. s.*, B om. *nos.* [n] V *gerens.* [p] P *veritatis.* [o] PV om., in S est add. mg. [q] PV *Dei*, quod S corr.

1 Cap. 6, n. 18 (PL 33, 604).
2 *Expos. in Luc. Evang.*, I, n. 25 (PL 15, 1544).
3 Cf. Boeth., *De hebdomad.*, (PL 64, 263): « Est enuntiatio quam quisque probat auditam ». Cf. Alan., *Theolog. Reg.*, procem. (PL 210, 622).
4 Cf. quaest. praeced., p. 54 et seqq.
5 Cf. supra, p. 24ab.
6 *Ordinaria,* apud Nic. Lyran., *Biblia sacra,* Venet. 1588, VI, p. 5a; cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 1325), ex Ambrosiastro, in h. l. (PL 17, 56).
7 Et Lombardi, in h. l. (PL 192, 247).
8 Loc. cit.
9 Cf. S. Bernard., *De consider.*, V, c. 13, n. 29 (PL 182, 805).
10 Eph. 3, 19.
11 *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 114, 522), *Interlin.* et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1551), ex Augustino, *Enarrat. in Psalm.* 52, n. 5 (PL 36, 616).
12 Cap. 6 (PL 40, 783).
13 Cf. supra, p. 35b, nota 7.
14 Cap. 3, 4.
15 Philipp. 3, 12.
16 Cf. supra, nota 7.
17 Cap. 9, n. 21 (PL 33, 606). Cf. supra, p. 16a, *ad 3.*
18 Loc. cit.
19 Cf. Pseudo-Beda, *Sent. phil. ex Aristot. coll.* (PL 90, 1007); cf. supra, p. 50, nota 2.

ergo divina essentia intellectu humano attingatur aliquo modo, cum ipsa sit simplex, comprehendetur; ergo, si cognoscetur cognitione visionis, cognoscetur cognitione comprehensionis. — Respondeo quod non sequitur: 'attingitur totum, ergo comprehenditur'. 'Comprehendere' enim est secundum totam substantiam et virtutem et respectum rem comprehensam includere; 'attingere' vero est totum ad totum coniungi, quamvis non secundum totum fiat inclusio[1]. Verbi gratia: linea ducta ad centrum attingit ipsum centrum, nec tamen comprehendit, quia non omnem virtutem et respectum centri respicit; immo infiniti sunt respectus ipsius centri et virtus infinita ad lineas, quae possunt duci ab ipso et ad ipsum praeter respectum huius lineae, sed circumferentia sola ipsum centrum comprehendit. Secundum hunc modum est dicere quod intellectus creatus est velut quaedam linea ducta ad centrum, hoc est simplicitatem divinae substantiae, quae, secundum esse quod habet in creatura, intelligitur velut centrum habens virtualem positionem in creatura [a] et simplicem; sed id quod habet esse in se, habet esse velut in circumferentia infinita, quae non habet principium nec finem, sed in infinitum excedens essendi [b] modum in creatura, sicut circumferentia centrum[2]. Propter quod dicit Trismegistus[3]: « Deus est sphaera intelligibilis, cuius centrum est ubique, circumferentia nusquam ».

[Ad obiecta]: Ad alias rationes respondendum.

1. Ad primum dicendum quod est cognitio de Deo per [c] positionem, sicut cognitio de ipso 'quia est', et cognitio [d] per privationem, sicut cognitio de Deo 'quid non est'[4], sicut dicit Dionysius[5]: « Contingit de Deo cognoscere non [e] quid est, sed quid non est ». Cognitione ergo qua cognoscitur de Deo 'quid est' non potest cognosci [f] quantus est Deus; sed cognitione qua cognoscitur per privationem et abnegationem aliorum bene cognoscitur [g] 'quantus est': bene enim cognoscimus quod maior est [h] quam quaelibet creatura et quam omnes simul, sicut supra dictum est in Quaestione de cognitione Dei, an cognoscatur quantus sit[6].

2. Ad secundum dicendum quod loquitur Apostolus de comprehensione quae est [i] secundum adhaesionem [k] sive quae est idem quod apprehensio, et non de comprehensione quae est intellectus includentis. Et prima [l] appellatur velut comprehensio manu, quia comprehensio manu non includit necessario totam rem; sic [m] loquitur Apostolus: *Ut comprehendam* [n], id est ut apprehendam et adhaeream etc. Secunda appellatur comprehensio visu, quia comprehensio visu non est nisi [o] totam rem includat; unde ipsa est comprehensio per inclusionem, et non prima.

3. Ad tertium dicendum, secundum Augustinum[7], quod illud quod dicit Apostolus non intelligitur quod simus « plenus Deus », sed quod simus « pleni Deo »; et dicimur [p] « pleni Deo », quia intellectus noster secundum suam capacitatem impletur divinitate. Sed si ipsum comprehenderemus totum, aequaremur ei — quod est impossibile [q], quia cum sit infinitus, nihil ipsum comprehendit nisi ipse — ex [r] hoc sequeretur, si ei aequaremur, quod [s] essemus plenus Deus et quod in nos verteretur; quod est impossibile. Et propter hoc dicit Augustinus[8] super illud: « Hanc plenitudinem Dei quidam in iis verbis sic [t] intellexerunt, ut putarent nos hoc idem futuros quod Deus est, dicentes: si aliquid minus quam Deus habebimus et minores erimus, quomodo *implebimur in omnem plenitudinem Dei?* Sed quoniam implebimur, profecto erimus aequales ». Et certe ex hoc sequeretur quod essemus Deus, quia nihil aequale Deo [u] nisi Deus. Et propter hoc dicit[9]: Detestandus est error iste: non enim sic implebuntur, « ut sint plenus Deus, sed ut perfecte [v] sint pleni Deo ».

4. Ad quartum dicendum quod verum est quod Spiritus facit nos scrutari omnia, sed non secundum omnem virtutem; ideo non est comprehensio.

5. Ad quintum dicendum quod anima est ad imaginem [x] totius sapientiae, hoc est perfecte et in genere; unde debet ibi sumi 'totius' pro 'perfecte'. — Ad aliud dicendum quod anima ad cognoscendum Deum utitur se ipsa ut similitudine, sed non sequitur quod comprehendat, quia totalitas similitudinis non attenditur quantum ad aequalitatem, sed quantum ad repraesentationem [y]. Unde Augustinus, in libro *83 Quaestionum*[10]: « Ubi imago et similitudo [z], non continuo est aequa-

[a] R *natura.* [b] PV *essentia,* quod S corr.; F *in esse essendi* pro *essendi modum.* [c] P om. [d] BRLF om. [e] PVS add. *solum.* [f] B *agnosci.* [g] BRLF *cognoscimus.* [h] BRL om., in F add. interl. [i] L om., PV om. *q. e.*, quod in S est add. mg. [k] PV add. *quae est apprehensio,* quod S delevit per *vacat;* P *illa* pro *idem.* [l] B *post.* [m] VB *sicut.* [n] P corr. interl. ex *apprehendam.* [o] L add. *ut.* [p] VF *dicimus.* [q] BRLF om. *q. e. i.* [r] V *et.* [s] V *et.* [t] PV om., R om. *v. s.*; codd. *putaremus* pro *putarent.* [u] PVS *dicitur.* [v] BR *perfecti.* [x] V *similitudinem.* [y] R *reprehensionem.* [z] B om. *e. s.*; BRLF om. *est.*

[1] Cf. Augustin., *Sermo* 117, n. 5 (PL 38, 663).
[2] Cf. supra, p. 48a, nota 2.
[3] Cf. supra, p. 18a, nota 6, defin. 18; Alan., *Theol. regul.*, n. 7 (PL 210, 627); Thom. Eboracens., *Sapientiale*, I, c. 18 (f. 25b-26a).
[4] Cf. supra, p. 17a, *Solutio.*
[5] *De cael. hierarch.*, c., 2, § 3 (PG 3, 141, PL 122, 1041); cf. supra, p. 13a, litt. *a.*
[6] Cf. supra, p. 17b, *ad 1* et 24b.
[7] *Epist.* 147, c. 23, n. 53 (PL 33, 621).
[8] Ibid., c. 15, n. 36 (PL 33, 612).
[9] Ibid., sec. sensum. [10] Quaest. 74 (PL 40, 85).

litas: ut in speculo est imago [hominis], quia de illo [a] expressa est; est etiam necessario similitudo, non tamen aequalitas, quia multa desunt imagini, quae insunt illi rei [b] de qua expressa est ». Vel dicendum quod licet possit uti se ut similitudine ad cognoscendam divinam sapientiam totam, non tamen secundum totum, sicut superius [1] dictum est de puncto et linea.

CAPUT II. 37

DE DIFFERENTIA COMPREHENSIONIS IN PATRIA.

Secundo quaeritur de differentia comprehensionis divinae essentiae in patria [2].

1. Cum enim Deus in gloria sit simplex et impartibilis secundum omnem modum, ergo quilibet videbit ipsum totum, non plus unus quam alius.

2. Item, cum impartibilis sit, ergo una creatura non magis erit in participatione eius quam alia, immo quaelibet totum participabit; ergo nihil est dictu quod unus plus participabit in patria de bonitate divina [c] quam alius.

3. Item, duplex distinguitur Theologia, scilicet mystica et parabolica [3]. Mystica est qua Deus cognoscitur per similitudines rerum spiritualium, sicut dicitur quod Deus est sapiens, benignus. Parabolica est qua Deus cognoscitur per similitudines acceptas a rebus corporalibus. Sed nec mystice nec parabolice videbitur Deus in patria, quia se ipso videbitur, non per similitudinem; sed ex similitudine venit quod plus cognoscit unus quam alius; ergo, cum removeatur similitudo, videbitur in sui [d] praesentia, et ita aequaliter ab [e] omnibus.

Solutio: Dicendum quod diversitas visionis ex triplici causa provenit, scilicet ex parte rei visae et ex parte medii videndi et ex parte videntis. Ex parte rei visae provenit diversitas visionis: sicut dicimus quod aliter videtur lucidum, aliter tenebrosum. Ex parte medii videndi [f] provenit: sicut aliter videtur res mediante vitro rubeo, aliter mediante vitro albo [4]. Ex parte videntis: quia aliter videt [g] oculus acutus quam oculus obtusus.

Dicendum ergo quod diversitas visionis Dei nec hic nec in patria provenit ex prima causa, immo ipse, quantum est de se, ab omnibus videtur aequaliter, quia omnibus aequaliter se offert. Ex secunda vero et tertia provenit hic [h] diversitas, quia aliter videtur Deus hic [i] in via per istas similitudines et aliter per illas; similiter videtur hic aliter ab uno et aliter ab alio. In gloria autem diversitas visionis eius nec erit ex parte rei visae nec ex parte medii videndi — quia [k] non videbitur per similitudines aliquas, sed videbitur per se et [l] in se — sed solum erit ibi diversitas ex parte videntis; sicut enim dicit Boethius [5]: « Omne quod apprehenditur est in apprehendente per modum rei apprehendentis et non per modum rei apprehensae ». Quia ergo in gloria erit differentia intellectuum apprehendentium, erit et differentia apprehensionum. Exemplum autem [m] patet in luce. Luce enim manente eadem, non intensa, unus oculus, secundum quod est [n] perspicacior, plus de ea videt quam alius [o]: sic luce divina manente eadem et in eadem dispositione ad res, quantum est de se, ille intellectus, qui erit perspicacior per gloriam, plus de ipsa percipiet [p] quam alius minus perspicax. Sicut *enim stella differt a stella in claritate* [6], sic corpora glorificata different in claritate [7]; ita etiam animae different in claritate in gloria. Et ita, licet divina essentia sit simplex et impartibilis, tamen est [q] differentia visionum ex parte videntis [r], non ex parte sui [8].

[Ad obiecta]: 2. Ad illud [s] quod obicitur de participatione: dicendum quod non dicitur divina essentia participabilis, quia trahatur in partem, sed participatio ista refertur ad effectum, scilicet [t] illustrationis, secundum quem dicitur differens participatio. Differentia autem istius participationis est ex parte participantium, non ex parte Dei, quia sicut dicit Philosophus, in libro *De causis* [9]: « Causa prima se habet ad res omnes secundum dispositionem unam; non tamen omnes res secundum dispositionem unam ab ipsa recipiunt influentiam ». Sicut idem [u] radius secundum dispositionem unam, quantum est de se, se habet ad materias: non tamen mate-

---

[a] BR *illa*, F corr. *alio*, V *sed* pro *quia*. [b] Ita S add. interl., alii om. *q. i. i. r.* [c] B om. [d] V *sua*. [e] B *in*. [f] PV om., in S est add. mg. [g] R *videtur*, quod BL corr. [h] F *hec*. [i] BRLF om. [k] PVS add. *aliter*. [l] F add. *etiam*. [m] R *enim*. [n] PVS om. [o] R om. *q. a.* [p] F *perspiciet*. [q] B *erit*. [r] BRLF *videntium*. [s] PVS *aliud*, L om. *quod*. [t] F om. [u] F *enim*.

1 Cf. supra, p. 60a.

2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 1, a. un., q. 3 (I, 74); IV *Sent.*, d. 48, p. 1, art. un., q. 6 (IV, 1010).

3 Cf. Pseudo-Dionys., *De myst. theol.*, c. 1, § 1 (PG 3, 998, PL 122, 1171); cf. supra, p. 13ab; Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3 (f. 4 b).

4 Cf. Anselm., *De verit.*, c 6 (PL 158, 474).

5 *De consol. philos.*, pr. 4 et 6 (PL 63, 848, 858).

6 I Cor. 15, 41.

7 Cf. Lombard., IV *Sent.*, d. 49, c. 1 (p. 1027).

8 Et sic patet solutio *ad 1*.

9 § 23 (p. 184).

riae eodem modo se habent ad receptionem radii illius lucis, immo quaedam materia liquescit ex eius receptione et quaedam condensatur, et ita haec diversitas effectuum est ex parte recipientium [1]; sic est in receptione radii divinae lucis. Et sicut aër purior aliter recipit lucem quam aër tenebrosior, sic est hic.

3. Et per hoc patet solutio ad cetera [a].

QUAESTIO III.

DE IMMENSITATE DEI QUANTUM AD LOCUM.

TITULUS I.

DE INCIRCUMSCRIPTIBILITATE DIVINAE ESSENTIAE.

Quaeritur consequenter de immensitate divinae essentiae quantum ad incircumscriptibilitatem [b] et localitatem et quantum ad existentiam eius in rebus.

De incircumscriptibilitate quaeritur:

primo, an sit incircumscriptibilis [c].

secundo, an incircumscriptibilitas sit ei proprium.

38

CAPUT I.

AN DIVINA ESSENTIA SIT INCIRCUMSCRIPTIBILIS [2].

Quantum ad primum obicitur sic: *a.* Damascenus [3]: « Circumscriptibile est quod loco vel tempore vel comprehensione comprehenditur; incircumscriptibile quod nullo horum continetur »; sed Deus nullo horum continetur; ergo est incircumscriptibilis.

Contra: 1. II Cor. 6, 15: *Quae est conventio Christi ad Belial, lucis ad tenebras?* « quasi dicat: nulla [4] »; sed semper est conventio existentis ad illud in quo existit; ergo non existit Deus sive lux divina in daemonibus; sed omne quod est ita in aliquibus quod non [d] in alio, est circumscriptibile [e]; ergo Deus est circumscriptibilis [f]. — Item, iustitia non existit in iniquitate [5]; ergo etc.

2. Item, Sap. 1, 5: *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum.* Ergo Spiritus Sanctus non est in ficto; ergo est quid terminatum, ergo circumscriptibile.

Respondeo [g]: Simpliciter dicendum sine distinctione quod divina essentia est incircumscriptibilis, quia non habet terminum nec essentiae nec virtutis; item, nec loco nec tempore nec comprehensione comprehenditur.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum obiectum dicendum quod quaedam nomina imponuntur a natura et perfectione naturarum rerum; quaedam autem a deformitate et defectu. Quod patet in diabolo [6], qui diabolus et spiritus dicitur: quod spiritus dicatur, hoc ei imponitur a natura et perfectione naturae, in qua conditus est; quod dicatur diabolus, hoc [h] ei imponitur a malitia sua [i] et deformitate. Concedo ergo quod Deus non est in rebus, in quantum nominantur nomine sumpto a sua [k] deformitate vel malitia vel defectu, quia sic videretur quod Deus esset causa defectus vel deformitatis in rebus. In omnibus tamen rebus est, in quantum conditae sunt ab ipso: et hoc essentialiter, praesentialiter, potentialiter [7]; non tamen secundum omnem modum, scilicet in quantum corrumpuntur et sunt deformes per peccatum [l] [8].

2. Per hoc patet solutio de ficto, qui potest considerari in quantum fictus: et sic est Deo dissimilis, et sic *spiritus disciplinae* ipsum *effugiet;* non tamen in quantum est substantia quaedam a Deo condita.

---

[a] PVS *obiecta.* [b] V *circumscriptibilitatem.* [c] Codd. *circumscriptibilis.* [d] BR add. *est.* [e] F *incircumscriptibile.* [f] B *incircumscriptibilis,* quod F corr. [g] BRLF *Solutio.* [h] V add. *enim.* [i] P add. *sed.* [k] PV om., in S est add. mg. [l] P *peccata.*

1 Cf. supra, p. 47b, nota 3.

2 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 37 (p. 236sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 2, a. 1, q. 1 (I, 652).

3 *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 854).

4 *Glossa interl.* et Lombardi, in h. l. (PL 192, 49), ex Augustino, *De Baptismo,* IV, n. 19 (PL 43, 166).

5 Cf. II Cor. 6, 14.

6 Cf. Isidor, *Etymol.*, VIII, n. 18 (PL 82, 316).

7 Cf. infra, p. 71, num. 46; Lombard., I *Sent.*, d. 37, c. 1 (p. 229); Guil. Altissiòd., *Summa,* I, c. 15 (f. 33d et sqq.).

8 Cf. Lombard., loc. cit., c. 4 (p. 234).

CAPUT II. 39

UTRUM INCIRCUMSCRIPTIBILITAS SIT PROPRIUM DIVINAE ESSENTIAE.

Secundo quaeritur utrum incircumscriptibilitas sit proprium divinae essentiae.

Ad quod sic: *a.* Damascenus, in I libro [1]: « Incircumscriptibilis solus Deus est, sine principio et sine fine ens, omnia continens, nulla comprehensione contentus ». Ergo solus Deus est incircumscriptibilis.

b. Item, Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [2]: « Ex eo corporales dicimus intellectuales substantias et naturas, quia loco circumscribuntur »; solus autem Deus est incircumscriptibilis [a].

Contra: 1. Cant. 5, 17: *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima inter mulieres?* Super istud dicit Gregorius [3]: « Cum dicantur angeli locales, circumscribi non possunt: longe minus illa substantia incomprehensibilis », scilicet divina. Si ergo angeli dicuntur locales, non tamen circumscriptibiles, non igitur solus Deus est incircumscriptibilis [b].

2. Item, ultimum locans non locatur, scilicet ultimum caelum [4]; ergo, cum ipsum sit similiter ultimum circumscribens, non circumscribitur; ergo ei convenit incircumscriptibilitas; non ergo soli Deo.

Solutio: Dicendum quod incircumscriptibilitas simpliciter est propria divinae essentiae; secundum quid tamen convenit [c] creaturae.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam autem [d] rationem qua in contrarium obicitur de angelis: dicendum, secundum quod dicit Anselmus, in *Monologion* [5], quasi loquens cum Deo: « Creatus spiritus ad te collatus est circumscriptus, ad corpus vero est incircumscriptus. Omnino circumscriptum est quod, cum alicubi totum est, non potest alibi [e] simul esse: quod de solis corporibus cernitur; incircumscriptum vero, quod simul est ubique totum: quod de te [f] solo intelligitur »; et loquitur hic ad Deum. « Circumscriptum simul et incircumscriptum, quod, cum [g] alicubi sit totum [h], potest simul esse totum alibi, non tamen ubique: quod de creatis spiritibus [i] cognoscitur ». Et ponit rationem huiusmodi: « Si enim anima non esset tota [k] in singulis membris sui corporis, non sentiret tota in singulis ». Sed licet anima sit ubique in suo corpore, non tamen alibi quam in suo corpore est: et sic anima secundum quid est incircumscripta, scilicet [l] respectu corporis, non tamen simpliciter. Similiter in angelis: respectu Dei circumscriptus est angelus; quod autem dicatur incircumscriptus, hoc est secundum quid [6], scilicet respectu corporis. Et secundum hoc loquitur Gregorius [7], quod « angeli circumscribi non possunt »: istud verum est, sicut corpora, et de tali circumscriptione loquitur ibi, quia sicut dicitur ibi, Cant. 5, 17 [8]: « Locale dicitur quod circumscribitur secundum partes loci, supra et infra, ante et retro, dextra, sinistra ». Ex quo patet quod loquitur de circumscriptione corporum secundum quam angeli sunt incircumscriptibiles.

2. Ad secundum dicendum, secundum Ambrosium, quod triplex est circumscriptio, scilicet loco, fine et tempore. Unde dicit, VI *De Trinitate* [9]: « Sicut in aliquo loco non circumscribitur Pater, qui est super omnia, nec Filius suorum operum temporibus concluditur, qui totius est opifex creaturae, neque Spiritus Sanctus aliquibus finibus circumscribitur, qui omnem intelligibilem substantiam inenarrabili plenitudine superat ». Simpliciter ergo incircumscriptibile est quod nec loco nec tempore sive duratione nec fine circumscribitur: quod soli Deo convenit. Licet autem angelus et corpus ultimum [10] non circumscribantur loco nec tempore, fine tamen circumscribuntur, quia habent terminum substantiae et virtutis; et ideo non simpliciter convenit eis incircumscriptibilitas.

---

[a] BRLF *incircumscriptus.* [b] BRL om. *e. i.* [c] PVS add. *divine.* [d] BRL om. [e] S *alicubi.* [f] F *Deo.* [g] B om., in S est add. interl., PV *est.* [h] PV add. *quod*, quod S exp. [i] V *speciebus.* [k] B *creata.* [l] S *sed*, F om.

1 *De fide orthod.*, c. 13 (PG 94, 854).

2 Pseudo-Augustin., c. 18 (PL 40, 793), ex Gennadio, *De eccl. dogmat.*, c. 12 (PL 58, 984).

3 Cf. *Glossa ord.*, in h. l. (PL 113, 1157); Lombard., I *Sent.*, d. 37, c. 1 (p. 230). In utroque loco Gregorius citatur, apud quem tamen non invenimus.

4 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 5 (II, 291): « Caelum non est amplius in alio ».

5 Rectius *Proslog.*, c. 13 (PL 158, 234), ubi cf. seqq.; cf. Lombard., I *Sent.*, d. 37, c. 8 (p. 238).

6 Cf. Gregor. M., *Moral.*, II, c. 3 (PL 75, 557); Lombard., I *Sent.*, d. 37, cc. 7 et 8 (p. 237 sq.).

7 Cf. supra, p. 63a, nota 3.

8 Cf. *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 113, 1157); Lombard., I *Sent.*, d. 37, c. 5 (p. 236); Honor. Augustod., *Expos. in Cant.*, tr. 2, c. 5 (PL 172, 445): « Omne quippe quod loco continetur... supra et infra, dextra et sinistra, ante et retro circumscribitur ».

9 Seu *De Spiritu Sancto*, I, c. 11, n. 118 (PL 16, 732).

10 Id est caelum ultimum. Cf. supra, sub *Contra*, n. 2.

TITULUS II.

DE LOCALITATE DIVINAE ESSENTIAE.

Consequenter quaeritur de localitate divinae essentiae. De qua plura inquiruntur:
1. an Deus sit alicubi vel nusquam vel in se ipso;
2. an Deus sit ubique;
3. quid est Deum esse ubique;
4. utrum ab aeterno conveniat ei esse ubique;
5. an sit ei proprium esse ubique.

40

CAPUT I.

AN DEUS SIT ALICUBI VEL NUSQUAM VEL IN SE IPSO [1].

Quantum ad primum, scilicet [a] an Deus sit alicubi sive in loco, sic obicitur: I. *a.* Cant. 5, 17: *Quo abiit dilectus tuus?* Gregorius [2]: « Notandum quod Deus, qui ubique est, in loco est, sed localis non est »; sed si [b] in loco est, ergo alicubi est [3].

Contra: 1. Boethius, in libro *De Trinitate* [4]: « Omnino in loco esse non potest qui ubique est »; sed Deus ubique est; ergo non potest esse in aliquo loco; ergo nec alicubi.

2. Item, Anselmus, in *Monologion* [5]: « In nullo loco aut tempore est, quia nullum locum aut tempus habet; nec in se recipit locorum distinctionem, ut hic vel ibi vel alicubi, neque temporum, ut nunc vel tunc vel aliquando ». Ergo non est alicubi.

3. Item, non potest inveniri comparatio Dei ad creaturam ut ad locum; ergo non est in aliquo [c] loco. — Maior patet: quia quidquid est in [d] loco est in ipso velut contentum vel ut salvatum vel [e] quietatum in ipso; sed Deus non est in re ut [f] contentum in re, nec ut salvatum a re, nec etiam quietatur in re; ergo non potest esse in aliqua sicut in loco; ergo non est alicubi.

II. Sed tunc iuxta hoc obicitur: quoniam si non est dicere ipsum esse alicubi, ergo nusquam est. — Si dicatur quod esse in loco est dupliciter: vel per definitionem, sicut spiritus sunt in loco, vel per circumscriptionem, sicut corpora [6]: istis modis non est Deus in loco, tamen alio modo est in loco [g] – sed tamen, quidquid dicatur, eo modo quo haec est falsa: 'Deus est alicubi', est haec vera: 'Deus est nusquam', quae est sua contradictoria. — Item, Boethius, in [h] libro *De Trinitate* [7]: « Ideo nusquam esse dicitur, quia ubique est ». Ergo est nusquam.

III. Ulterius quaeritur de hac: 'Deus est in se ipso'.

a. Augustinus, *Ad Dardanum* [8]: « Deus est ubique et in se ipso; ubique, quia nusquam est absens; in se ipso, quia [i] non continetur ubi est praesens, tamquam sine ipsis esse non possit ». Ergo Deus est in se ipso.

Contra: 1. Deus est ubique; sed hoc quod est esse ubique non est [k] esse in se ipso; ergo est alibi quam in se ipso; ergo est extra se; non ergo in se ipso. — Si dicatur quod ly 'ubique' non ponit 'alibi' – contra: constat [l] quod 'ubique' dicit aggregationem locorum; sed constat quod haec aggregatio est in rebus creatis et non in Deo; ergo ponit 'alibi'.

Solutio: Dicendum [m], secundum Boethium, in libro *De Trinitate* [9]: « 'Deus est ubique' ita dici videtur non quod sit in omni loco, sed quod omnis locus ei adsit ad eum capiendum, cum ipse non capiatur in loco ». Est ergo esse in loco multipliciter: ut dicatur 'esse in loco' contineri a loco, vel [n] 'esse in loco' non deesse loco, sed ei esse praesentem et replere locum. Primo modo non

---

[a] BRLF om. [b] S om. [c] L delevit. [d] P om. [e] F repetit. [f] P add. *per.* [g] B om. *tamen... loco.* [h] P add. *primo.* [i] F om. *nusquam... quia.* [k] PVS om. [l] PV om., in S est add. mg. [m] F om. [n] V *quod.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 2, a. 1, q. 1 (I, 652sq.). Pro tota hac quaestione cf. Baeumker, *Ein Traktat gegen die Amalricianer,* Paderborn 1893, c. 1, p. 20sqq.

[2] Cf. *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 113, 1157), ex Gregor. M., *Moral.*, XXVII, c. 18 (PL 76, 419sq.), ad sensum.

[3] Cf. Augustin., *De div. quaest. 83,* q. 20 (PL 40, 15).

[4] Cap. 4 (PL 64, 1252).

[5] Cap. 22 (PL 158, 176).

[6] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 37, cc. 1 et 5 (pp. 229, 235).

[7] Cap. 4 (PL 64, 1252).

[8] *Epist.* 187, c. 6, n. 18 (PL 33, 838).

[9] Cap. 4; cf. Gilb. Porret., in h. l. (PL 64, 1252, 1286).

est Deus in loco; et hoc volunt dicere auctoritates ad istud positae, scilicet quod non [a] sit in loco ut contentus a loco. Secundo modo est in loco [b], non tamen ut dicatur replere locum materialiter, sed virtualiter; secundum quod dicit Augustinus, *Ad Dardanum* [1], quod aliter dicitur [c] sapientia replere sapientem et aqua vas. Eo modo quo sapientia replet sapientes, eo modo divina essentia replet loca: sapientia enim non maior est in maiore nec minor [d] in minore. Sic Deus est in locis virtualiter et consummative, in hoc quod dat locis esse et virtutem qua repleantur.

[Ad obiecta]: I. 1. Ad primam rationem Boethii « omnino esse in loco non potest » etc.: si dicatur esse in loco contentive, verum est; si dicatur esse in loco per praesentiam, falsum est.

2. Ad Anselmi rationem dicendum quod ex illa auctoritate sequitur quod non sit in loco distinctive, ita quod sit in uno loco et non in alio; sed non sequitur ex hoc quod non sit in loco aliquo modo.

3. Ad tertium concedendum quod, secundum praedictas conditiones loci, non est Deus in loco. Sed praeter has est alia proprietas loci, secundum quam quidem habet rationem perfectibilis [e] ab eo quod est in ipso, et secundum hanc Deus est in loco. Dicerentur enim loca vacua et imperfecta, nisi replerentur locato: et propter hoc locus dicit imperfectionem respectu locati; Deus autem perficit locum, dando ei virtutem qua continet et salvat: et sic est in eo, et non quia ab eo contineatur et salvetur; et sic replet repletione virtuali.

II. Ad aliud [f] dicendum quod haec 'Deus est nusquam' non est recipienda [g] sine determinatione: negationes enim universaliores sunt affirmationibus; et propter hoc ex hac non solum videntur tolli a Deo aliae conditiones existendi in loco, immo etiam repletio, secundum quam dicitur esse in loco. Et propter hoc, ut concedatur, oportet addi 'Deus est nusquam circumscriptive vel contentive'. Et in hoc sensu [h] haec est falsa 'Deus est alicubi' et non aliter; et in [i] hoc sensu dicit Boethius [2]: « Nusquam esse dicitur, quia ubique est ».

III. Ad ultimum dicendum quod haec est vera 'Deus est in se ipso', et haec similiter 'Deus est ubique'. Et ex una istarum vult Augustinus ostendere praesentiam Dei ad omnem locum, scilicet ex hac 'Deus est ubique', cum dicit [3]: « Ubique est, quia nusquam est absens »; resolvatur enim haec negatio 'nusquam est absens' [k] in affirmativam, sensus est: 'praesens est omni loco'. Ex hac autem 'Deus est in se ipso' removet omnem dependentiam eius a loco; et propter hoc dicit 'in se ipso', quia non continetur iis quibus est praesens; non enim dependet a loco, sed locus et mundus ab ipso.

1. Ad hoc quod obicitur quod 'est alibi quam in se ipso et ita extra se': dicendum quod [l] alia ratione Deus est ubique et Deus est [m] in se ipso: dicitur enim ens [n] in se ipso [o], quia est per se ens, non indigens alio; unde non notatur hic habitudo eius ad rem aliam. Sed cum dicitur 'Deus est ubique' notatur habitudo eius ad rem aliam, quae est habitudo replentis ad repletum, et non cum dicitur 'Deus est ens [p] in se ipso'. Ad hoc autem quod praedicta ratio procederet, scilicet quod esset alibi, oporteret quod uniformis modus essendi in utrobique notaretur; quod falsum est, et propter hoc nulla est illa ratio.

CAPUT II. 41

AN DIVINA ESSENTIA SIT UBIQUE.

Secundo quaeritur an [q] divina essentia sit ubique [4].

Ad quod sic: *a.* Anselmus [5]: « Omne quod clauditur aliquatenus loco vel tempore minus est quam quod nulla lex loci vel temporis coercet. Quoniam ergo maius te nihil est, nullus locus aut tempus te cohibet, sed ubique et semper es. Quod [r] quia de te solo dici potest, ita [s] solus incircumscriptus es et aeternus ». Et loquitur ad Deum. Deus ergo ubique est.

b. Item, Ioannes Damascenus, in [t] I libro [6]: « Sive secundum bonitatem sive secundum virtutem sive secundum sapientiam sive secundum tempus sive secundum locum deficiat a perfectione, nequaquam erit Deus ». Non ergo deficit a perfectione secundum locum; sed perfectio secundum locum est esse ubique; ergo Deus est ubique.

---

[a] F om. [b] S add. *ut contentus a loco.* [c] L om. [d] R add. *est.* [e] F *perfecti.* [f] P *illud.* [g] P add. *hec.* [h] P om. *e. i. h. s.* [i] R *ita.* [k] F om. *resolvatur... absens.* [l] B add. *ab.* [m] R om. [n] P *inens*, SF om. *d. e. e.*, R om. *enim.* [o] F add. *est.* [p] PV repetit *Deus est ens*, quod S exp. [q] L *utrum.* [r] R *et.* [s] BRLF om., F add. *tu.* [t] BRLF om.

1 Cf. *Epist.* 187, c. 4, n. 11 (PL 33, 836); Guil. Paris., *De universo*, II, p. 2, c. 68 (I, 867sq.).
2 Loc. cit.
3 Cf. supra, p. 64b, nota 8.
4 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 37, c. 9 (p. 238sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 1, a. 1, q. 1 (I, 638).
5 *Proslog.*, c. 13 (PL 158, 234).
6 *De fide orthod.*, c. 5 (PG 94, 802).

c. Item, quod est nobilitatis in esse Deo est tribuendum et quod ignobilitatis removendum; sed in creaturis videmus quod ignobilitatis [a] est in esse singularis quod est hic et non alibi; in esse autem universalis nobilitatis quod [b] ipsum est 'ubique' suorum singularium; ergo esse ubique Deo est attribuendum [c].

Contra: 1. Nobilior est virtus, quae potest conservare rem existens in illa re [d] et absens ab illa, quam quae non potest conservare rem nisi existens in illa; sed quod est nobilitatis in conservante et regente Deo attribuendum [e] est; ergo regit et conservat Deus aliquam creaturam absens et non existens in illa; ergo non est ubique [1].

2. Item, est substantia in Deo et virtus et actio qua agit [2]: sed haec sunt eadem; sed Deus secundum suam actionem se habet ad aliquas creaturas mediate, quia Deus creat immediate naturas, et postea naturae agunt et producunt ex virtutibus sibi datis a divina bonitate [3]; ergo invenitur creatura mediate se habens ad divinam actionem, ita quod non est in ea [f] actio divina nisi mediate; ergo et similiter [g] divina essentia; ergo est [h] non existens in aliqua creatura.

Solutio: Dicendum quod 'ubique' dicit quamdam summam multitudinis omnium 'ubi'; haec autem summa multitudinis potest intelligi secundum distinctionem vel secundum indistinctionem. Si secundum distinctionem: non convenit Deo esse ubique, quia non est partibiliter in loco, sicut lux est [i] in toto aëre per distinctionem, quia pars in parte, non tota in qualibet parte; sic non dicitur Deus ubique. Si vero dicatur secundum indistinctionem: sic dicitur Deus ubique, et tunc idem est dicere 'Deus est ubique' quod 'Deus omni [k] ubi praesens est totus et secundum idem' [l], sumpto 'ubi' communiter, ut infra [4] dicetur. 'Totus et secundum idem' [m], quia sicut dicit Augustinus [5]: « Sicut anima est in qualibet parte corporis sui tota, sic Deus in suo mundo »; et ita 'esse ubique' ponit praesentiam Dei ad omne 'ubi'. Nisi enim esset ista praesentia, sequeretur quod esset coarctatio et finitatio [n] in suo esse.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam rationem in contrarium dicendum quod aliquid nobilitatis est in iis quae sunt a principio, quod esset ignobilitatis in [o] principio. Licet ergo nobilitatis sit in creatura, quae est a principio, quod conservet rem absens, tamen istud esset ignobilitatis in Deo, quia per hoc poneretur quod virtus eius se extenderet ubi non esset sua essentia, et ita quod non esset idem sua virtus et sua essentia; et ita poneretur in ipso compositio. Quia ergo idem est in ipso virtus et essentia, ubicumque est virtus, est essentia: et ita non congruit ei ut conservet rem absens per essentiam.

2. Ad secundum dicendum quod nunquam est processus creaturarum a Deo mediate tantum, immo vel semper immediate, vel mediate et immediate simul [6]. Unde sicut in processione aeterna aliquid procedit a Deo immediate, sicut Filius a Patre, et aliquid mediate et immediate, sicut Spiritus Sanctus, qui procedit immediate in quantum a Patre procedit, mediate, in quantum procedit ex Filio, qui est a Patre, et non est ibi aliquid quod procedat tantum mediate: sic etiam est in processu creaturarum ex creaturis. Eva enim processit ab Adam immediate, Seth [p] processit ab Adam immediate in quantum genitus ab ipso, et mediate, in quantum processit ab Eva, quae erat ab Adam. — Similiter ex parte ista: principia enim rerum a Deo immediate processerunt; res autem quae sunt ex principiis mediate et immediate a Deo procedunt: mediate [q], in quantum ex principiis; in quantum vero a Deo, immediate, quia nunquam aliqua causa tantum operatur in suo effectu quin prima causa magis operetur in eodem, et ita non est aliquid creatum, in quo non sit sua actio immediate et sua essentia.

42 CAPUT III.

QUID SIT DEUM ESSE UBIQUE.

Tertio quaeritur quid est Deum esse ubique, scilicet utrum sit idem quod Deum esse in omnibus locis [7].

I. Ad quod sic: *a.* Deus est in omnibus rebus continentibus et non continentibus, et hoc ponit suum esse ubique; sed locus est solummodo con-

---

[a] L *ignobilitas.* [b] V *quoniam.* [c] BF *tribuendum,* quod L corr. [d] BLF om., S exp. [e] BRLF *tribuendum.* [f] R *eo.* [g] F om. [h] L om. [i] Ita BR, alii om. [k] P *omnem,* VS *omnium.* [l] F *rationem,* S exp. *idem,* pro quo in mg. posuit *rationem,* L in textu habuit *rationem,* quod deletum corr. in *idem.* [m] L delevit *t. e. s. i.* [n] V *infinitatio.* [o] BRLF add. *ipso,* quod in S est add. mg. [p] PV *si.* [q] Ita L, alii add. *tamen,* S om. *in,* quod in P est add. interl.

[1] Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 15 (f. 34a).
[2] Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hierarch.,* c. 11, § 2 (PG 3, 283, PL 122, 1059).
[3] Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* V, cc. 4 et 23 (PL 34, 325, 337).
[4] Cap. seq., sub *Respondeo,* p. 67b.
[5] Pseudo-Augustin., *De spiritu et anima,* c. 18 (PL 40, 793).
[6] Cf. Rich. de S. Vict., *De Trinit.,* V, c. 6 (PL 196, 953); Guil. Altissiod., op. cit., I, c. 2, p. 4 (f. 3c).
[7] Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 37, p. 1, a. 1, q. 2 (I, 640 sq.).

tinens; ergo plus dicit esse ubique quam esse [a] in omni loco.

Ad oppositum: 1. Augustinus [b], in libro *De anima et spiritu* [1]: « Ex eo intellectuales naturas corporeas dicimus, quia loco circumscribuntur »; sed quod in [c] loco circumscribitur, locale est; ergo omnis natura spiritualis localis est, multo fortius et natura corporalis; ergo omnis creatura localis est; ergo per hoc quod [d] ponitur esse in omni re, ponetur esse in omni loco; sed hoc ponitur per hoc quod est Deum esse ubique, scilicet quod sit in omnibus rebus; ergo et quod sit in omnibus locis, et ita [e] idem est dicere 'Deus est ubique' et [f] 'Deus est in omnibus locis'.

II. Item, gratia huius quaeritur utrum idem sit dicere 'Deus est ubique' quod 'Deus est in omni re'.

Quod non, videtur: *a.* Quia cum dico 'Deus est in omni re', dico habitudinem conservantis ad conservatum; sed conservatum magis est in conservante quam e converso, quia conservans continet conservatum ad minus virtualiter; ergo ex hoc quod dicitur 'Deus est in omni re' [g] ponitur quod res sint [h] in Deo, et contineantur [i] ab illo, et non e converso. Sed cum dico 'Deus est ubique', nihil pono esse in Deo, sed pono ipsum replere omnia 'ubi'; ergo non est idem dicere etc.

b. Item, destructo omni loco et manentibus adhuc rebus, adhuc esset dicere 'Deus est in omni re', sed non contingeret dicere 'Deus est ubique', quia 'ubique' [k] ponit aggregationem locorum; ergo aliud est dicere hoc et illud.

Respondeo quod est locus corporalis, de quo Damascenus ait [l 2]: « Locus corporalis est finis eius quod continet secundum id quod continet quod continetur ». — Est etiam locus spiritualis, de quo idem [m] Damascenus [3]: « Est autem intelligibilis locus, ubi intelligitur et est intellectualis et incorporea natura; et non corporaliter continetur, sed intelligibiliter ». — Est autem [n] locus corporalis communis, scilicet primum caelum, quod continet visibilia et invisibilia, de quo Damascenus [4]: « Caelum est continentia visibilium et invisibilium creaturarum; infra enim ipsum intellectuales angelorum virtutes et omnia sensibilia concluduntur et circumterminantur [o] ». — Similiter est locus spiritualis communis [p], scilicet divina virtus sive potentia, de qua [q] dicit Gregorius [5] quod « quolibet mittantur angeli, intra Deum currunt ». — Est iterum locus spiritualis specialis, scilicet limitatio sive terminatio propriae potentiae. Unde Ambrosius, in libro *De Spiritu Sancto* [6]: « Omnis creatura certis naturae suae circumscripta est limitibus ».

Modis propriis loci respondent modi proprii eius quod est 'ubi'. Unde modo proprio loci corporalis respondet modus proprius eius quod est 'ubi' [r] secundum quod describit Philosophus [7] dicens: « 'Ubi' est circumscriptio corporis a loci circumscriptione procedens ». — Similiter modo proprio loci spiritualis respondet 'ubi' de quo Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [8]: « Sicut Deus ubique [s] est in semetipso, sic anima ubique est in semetipsa quodammodo ».

Sumendo igitur 'ubi' communiter, prout respondet loco corporali et spirituali, Deum esse ubique est Deum adesse omni 'ubi' et nulli 'ubi' deesse; et hoc est quod dicit Augustinus [9], quod [t] Deum esse ubique est nusquam Deum abesse. Sic igitur sumpto 'ubi', omnia habent 'ubi': spiritualia, 'ubi' quod respondet loco proprio spirituali; et corporalia, 'ubi' quod respondet loco proprio corporali. — Si [u] obicitur quod primum caelum [v] non habet locum corporalem nec spiritualem: dicendum quod quoad [x] esse partium habet locum proprium corporalem; quoad esse totius habet locum proprium spiritualem, qui est limitatio suae essentiae et potentiae.

Dicendum ergo quod differt Deum esse in omni loco et ubique et in omni re. Cum ergo dicitur 'Deus est ubique', notatur habitudo replentis ad repletum; unde sensus est: 'Deus est ubique', id est 'Deus est praesens omni ubi et replens omne ubi'; et similiter 'Deus est in omni loco', id est 'Deus est praesens [y] omni loco et replens omnem locum'. Unde aliud et aliud dicitur per ista. Cum autem dicitur 'Deus est in omni re', notatur habitudo conservantis ad conservatum per hanc praepositionem 'in'.

---

[a] F om. [b] F om [c] LF om. [d] R om. [e] BR add. *per.* [f] PV om. *D. e. u. e.*, quod in S add. mg. [g] F *tempore.* [h] PVS *sit*, S add. *in loco.* [i] PVS *contineatur.* [k] F om. [l] BRLF om. [m] RLF add. *scilicet.* [n] R *etiam.* [o] F *conterminantur.* [p] PS *continuus*, quod V corr. [q] LF *quo*, F *Damascenus* pro *dicit Gregorius.* [r] F om. *unde modo... ubi.* [s] BR *ubicumque*, B repetit *est.* [t] BR om. [u] Ita PS, alii *sed.* [v] F add. *quod.* [x] V *quo.* [y] B om. *omni ubi... praesens.*

1 Cap. 18 (PL 40, 793); cf. Isaac de Stella, *Epist. de anima* (PL 194, 1883).

2 *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 850); cf. Guil. Altissiod., op. cit., I, c. 15 (f. 33c), ubi et seqq. duo textus Damasceni. Apud Migne clarius: « Locus corporeus est terminus continentis, quo continetur id quod continetur: v. gr. aër continet, corpus continetur ». Cf. Aristot., *Phys.*, IV, cc. 2 et 4 (II, 286, 288).

3 Loc. cit. (PG 94, 851).

4 Loc. cit., II, c. 6 (PG 94, 879).

5 *In Evang.*, II, hom. 34, n. 13 (PL 76, 1255); cf. Guil. Altissiod., op. cit., I, c. 15 (f. 35 a).

6 Lib. I, c. 7, n. 81 (PL 16, 723).

7 Gilb. Porret., *De sex principiis*, c. 5 (f. 33a).

8 Cap. 18 (PL 40, 794).

9 *Epist.* 187, c. 6, n. 18 (PL 33, 838).

[Ad obiecta]: I. Ad hoc quod obicitur quod 'omnis creatura est corporalis': dicendum quod spiritualis creatura non est corporalis simpliciter; dicitur tamen corporalis, habito [a] respectu ad simplicitatem primi [1]. Unde dicit Damascenus [2]: « Omne quod est, comparatum ad Deum, qui solus est incorporalis, grossum et materiale invenitur; solus enim essentialiter immaterialis [b] et incorporeus Deus est ». Unde ex tali modo existendi corporalis non sequitur quod sit localis nisi nomine extenso, eo modo quo locus dicitur limitatio essentiae et potentiae rei.

II. Ad aliud dicendum quod duplex est continens, scilicet virtuale et dimensivum. Virtuale est duplex, scilicet extra et intra: intra [c], sicut anima virtualiter continet corpus; Deus autem est virtuale continens intra et extra: ipse enim « est intra omnia non inclusus et extra omnia non exclusus [3] ». Ea ergo [d] ratione qua ipse est continens intra, sicut anima corpus, dicitur esse in rebus, sicut anima in suo corpore et in singulis membris tota; ea vero ratione qua ipse est [e] continens extra, dicuntur res esse in Deo. Et sic cum dicitur 'Deus est in omni loco', notatur habitudo replentis ad omnem locum; et similiter cum dicitur 'Deus est ubique', notatur [f] habitudo ut replentis et praesentis ad omne 'ubi'; cum dicitur 'Deus est in rebus', notatur habitudo continentis intra ad ea quae continet; cum dicitur 'res sunt in Deo', notatur habitudo continentis extra ad ea quae continet. Et sic patet qualiter Deus est [g] in rebus, et etiam qualiter res sunt in Deo.

43

CAPUT IV.

UTRUM DEO CONVENIAT AB AETERNO ESSE UBIQUE.

Quarto quaeritur utrum Deo conveniat ab aeterno esse ubique [4].

Ad quod sic: *a.* Sicut 'semper' dicit aggregationem omnium temporum, sic 'ubique' omnium 'ubi'; sed est dicere ab aeterno quod Deus est semper, ex hoc scilicet quod est in suo 'nunc' aeterno, quod excedit [h] sua virtute omnia 'nunc' temporis quae transierunt et transeunt; ergo similiter debet dici esse ubique ab aeterno, vel quare non?

b. Item, Augustinus, *Ad Dardanum* [5]: « Ubique [i] dicitur Deus, quia nusquam est absens »; sed istud convenit ei ab aeterno; ergo et esse ubique.

Contra: 1. 'Ubique' dicit aggregationem omnium 'ubi'; haec [k] autem aggregatio est creata; ergo non est ab aeterno; ergo nec Deus est ubique ab aeterno.

Solutio: Dicendum quod cum dicitur 'Deus est semper', in intellectu eius quod est 'semper' sunt duo, scilicet principale et connotatum [6], quia ly 'semper' supponit [l] ipsum 'nunc' vel [m] praesens divinum, et hoc est principale, connotando tamen respectum ad omnia 'nunc' temporis quae fluunt. Et propter hoc sensus est: 'Deus est semper', id est 'Deus est [n] in suo nunc et nunquam deest alicui praesenti, praeterito et futuro'. — Similiter 'ubique' dicit plenitudinem divinae bonitatis, connotando tamen respectum ad omne 'ubi' in creatura. Nam Deus comparatur ad res ut bonitas et ut entitas [o]. Et sicut 'nunc' suae [p] aeternitatis, quod est [q] ex parte esse, comparatur ad omne [r] 'nunc' temporis, quae comparatio designatur, cum dicitur 'Deus est semper': ita plenitudo suae bonitatis ad omnem capacitatem et ad [s] omne 'ubi' replendum in creatura comparatur, quae comparatio designatur cum dicitur 'Deus est ubique'. Hic enim designatur praesentia bonitatis divinae et respectus ad omne 'ubi' replendum. Unde sensus est: 'Deus est praesens omni ubi et replens omne ubi'; et principaliter designatur praesentia et plenitudo bonitatis divinae, cum dicitur 'Deus est praesens', et respectus connotatus, cum dicitur 'Deus est [t] replens omne ubi': huiusmodi autem respectus connotatus temporalis est.

Potest autem dici respectus iste vel secundum actum [u] vel secundum habitum. Si dicatur secun-

---

[a] R (corr.) *in.* [b] LF *essentialis* pro *e. l.* [c] F om. [d] B om. [e] L *dicitur.* [f] BRLF om. [g] L om. [h] BRF *recipit,* quod L corr. [i] B *ubicumque.* [k] LF *hic.* [l] V *proponit.* [m] B *ad.* [n] L om., R add. *semper.* [o] S expuncto *entitas* corr. in mg. *eternitas,* quod habet F, B om. *ut.* [p] PV om., in S add. mg., V *non* pro *nunc.* [q] PV *et,* quod S corr. [r] F om. [s] BRLF om. [t] R om., in V add. mg. [u] P om. *v. s. a.*

1 Cf. Gregor. M., *Moral.,* II, c. 3 (PL 75, 557): « Sicut et ipsi illorum [angelorum] spiritus, comparatione quidem nostrorum corporum, spiritus sunt, sed comparatione summi et incircumscripti spiritus, corpus ». Cf. Scholion ad S. Bonav., II *Sent.,* d. 3, p. 1, a. 1, q. 1 (II, p. 93); cf. supra, p. 63a, nota 3.

2 *De fide orthod.,* II, c. 3 (PG 94, 867).

3 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* VIII, c. 26 (PL 34, 391); « ab hoc enim loco accipitur illud dictum », ut ait B. Albert. M., I *Sent.,* d. 37, a. 21 (XXVI, 256b); *Epist.* 187, c. 4, n. 14 (PL 33, 837); Greg. M., *Moral.,* II, c. 12, n. 20 (PL 75, 565); Isidor., *Sent.,* I, c. 2, n. 2 (PL 83, 541); Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 15 (f. 34b).

4 S. Bonav., I *Sent.,* d. 37, p. 1, a. 2, q. 2 (I, 644).

5 *Epist.* 187, c. 6, n. 18 (PL 33, 838).

6 Cf. Guil. Altissiod., op. cit., I, c. 15 (f. 34a).

dum habitum, sic verum est dicere ' ab aeterno Deus est semper ' quia Deus ab aeterno [a] est in suo ' nunc ', quod est aptum ut non desit alicui tempori; similiter hoc modo ' ab aeterno est ubique ', ut sit sensus: ' bonitas divina apta est replere omne ubi '. Si in utraque dicatur connotatum in actu [b]: sic haec non est vera ' ab aeterno Deus est semper ', quia per hoc notaretur quod tempus esset ab aeterno; similiter haec non est vera: ' ab aeterno Deus est [c] ubique ', quia sic notaretur quod ' ubi ' esset ab aeterno. Unde sicut Deus non dicitur dominator ab aeterno, dicitur tamen Dominus ab aeterno, quia ' dominator ' connotat respectum ad creaturam secundum subiectionem [d] in actu, ' Dominus ' in habitu: sic ex parte ista Deus est ubique, Deus est semper.

CAPUT V. 44

AN ALII QUAM DEO CONVENIAT ESSE UBIQUE.

Quinto quaeritur an alii quam Deo conveniat esse ubique [1].

Et videtur quod sic: 1. Quia universale est quod est ubique [2], et illud est aliud a Deo; ergo etc. — Maior patet: quia hoc universale ' substantia ' ubique est, nec est [e] dicere aliquod ' ubi ' in quo non sit substantia.

2. Item, si aliquid coniungitur alii secundum totalitatem vel alii toti, ubi erit totum, ibi erit illud coniunctum; sed humana natura toti divinae naturae in Christo coniungitur; ergo ubi tota divinitas, et humanitas; sed tota divinitas est ubique; ergo et humanitas; ergo alii quam Deo convenit.

3. Item, ponamus quod nihil sit in mundo nisi unus homo: possum dicere quod anima istius hominis sit in qualibet parte corporis; sed non est ' ubi ' nisi istius corporis; ergo est in omni ' ubi '; ergo ex hypothesi potest ei convenire esse ubique.

4. Item, angelus potest velle esse ubique; sed si istud potest velle, potest esse ibi: quia, cum dicat Augustinus [3] de corpore glorificato, quod ibi erit ubi volet, multo magis istud est verum de angelo; ergo angelo potest convenire esse ubique et non soli Deo.

Solutio: Cum dicitur Deus esse ubique, semper ita intelligitur quod non sit dependentia eius ab [f] ' ubi '. Et ideo dicit Augustinus, *Ad Dardanum* [4]: « In se ipso Deus est et ubique: ubique, quia nusquam est absens; in se ipso, quia non continetur [g] iis quibus est praesens ». Et propter hoc per hanc ' Deus est ubique ' non excluditur [h] haec ' Deus est in se ipso ', immo per ipsam ponitur praesentia Dei praesens omni ' ubi ' sine dependentia eius ab [i] ' ubi '; et quia [k] istud alicui creaturae non convenit nisi secundum quid [l], propter hoc proprie non convenit nisi soli Deo quod sit ubique.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum dicendum quod, quando aliqua res proprie dicitur esse ubique, per hoc ponitur proprie quod sit ens separatum, non dependens, et quod nata sit replere omnem rem; et istud soli Deo convenit et non formae universali. Forma enim universalis non habet esse per se nec separatum, immo [m] dependens a primis: unde, destructis primis, impossibile est aliquid aliorum remanere; et ita secundum actum existendi dependet a singularibus universale [5]. — Item, quaelibet creatura, secundum quod comparatur ad Deum, est nata repleri divina bonitate, aliter enim vacua esset: et ideo omnis res, sive sit substantia sive accidens, quaecumque sit, comparatur ad Deum ut ' ubi ', communi modo loquendi. Sed universale quod est ' substantia ' non comparatur ad omne singulare ut ad suum ' ubi ', sed solum ad sua singularia: unde quod non sit ' ubi ' in quo non sit substantia, hoc est suorum singularium, sed non est in aliis rebus. — Item, etsi non esset nisi substantia et eius singularia, adhuc tamen non esset nata replere omnia [n] aliorum generum, quae possent esse, sicut Deus.

2. Ad aliud dicendum quod licet humanitas [o] coniungatur divinitati [p] toti, id est perfecte, non tamen propter hoc sequitur quod habeat extensionem ubique. Licet enim natura humana sit unita divinae in unitate personae, non tamen natura humana commetitur se immensitati divinae. Quae quidem immensitas, quia circumscribit esse per definitionem et circumscriptionem, requirit esse ubique, natura autem humana huiusmodi im-

---

[a] F om. *Deus est... aeterno.* [b] B om. *t. a.* [c] F om. *semper quia... est.* [d] L *subiectum.* [e] B *etiam.* [f] R *ad.* [g] L add. *in.* [h] PVS *concluditur.* [i] PVS *ad.* [k] PVS *per.* [l] Codd. haec verba *n. s. q.* ponunt infra, post *quod sit ubique;* sed erronee, ut ex toto contextu patet. [m] BR add. *est.* [n] PV *omnium,* quod S corr. [o] Ita LF, alii add. *Dei.* [p] S *deitati.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 1, a. 2, q. 1 (I, 642).
2 Cf. Aristot., *Poster.*, I, 31 (I, 150).
3 *De civit. Dei,* XXII, c. 30, n. 1 (PL 41, 801) et *Sermo* 242, c. 3, n. 5 (PL 38, 1140).
4 *Epist.* 187, c. 6, n. 18 (PL 33, 838).
5 Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 8 et XII, cc. 1-6 (II, 545 sq. et 611 sqq.): « Voluntas... etiam eorum est quae contingere nemini possunt, ut immortalitatis ».

mensitatem non sortitur ex hac unione: propter quod et definiri habet loco et circumscribi [a]. Tamen quoddam mirabile convenit ei ex hac unione, scilicet quod ipsa eadem humanitas potest esse in pluribus altaribus simul; ita tamen est in pluribus quod non est ubique nec potest esse, quia sacramentaliter non posset consecrari ex aliis speciebus quam panis et vini; hae autem species non possunt esse ubique, et propter hoc nec corpus Christi: quia terminata est materia de qua consecratur, sequitur necessario quod non possit esse ubique. Et si poneretur quod nihil aliud esset nisi panis et vinum et esset ubique, adhuc tamen posset intelligi materia de qua non posset consecrari; et ideo proprie non posset dici ubique, licet etiam species illae essent consecratae.

3. Ad tertium dicendum quod licet ille homo esset in omni ' ubi ' quod est, non tamen esset ubique sicut Deus: quia ' ubi ' dictum de Deo notat praesentiam ad omne ' ubi ' quod est [b] et etiam, quod si essent alia ' ubi ', quod divina bonitas repleret ea, et hoc est ' ubique ' proprie. Licet autem anima istius hominis esset in quolibet ' ubi ' sui corporis, non tamen esset in quolibet ' ubi ' quod posset esse.

4. Ad ultimum dicendum quod duplex est potentia: scilicet potentia absoluta, quae dicitur potentia naturae, et potentia ordinata. Loquendo de potentia absoluta, possem ego velle non mori, quia talis voluntas est impossibilium, sed non loquendo de potentia ordinata. Sic angelus de potentia naturae posset velle esse in omni ' ubi ', sed non [c] de potentia ordinata per [d] gratiam: quia cum nihil posset esse ubique simul [e] nisi Deus, si ipse vellet esse ubique simul, vellet [f] esse Deus; quod non potest velle de potentia ordinata, licet possit de potentia naturae, quia, ut dictum est, ipsa est impossibilium [1].

TITULUS III.

DE EXISTENTIA DEI IN REBUS.

MEMBRUM I.

De existentia Dei in rebus generaliter.

Quaesito de immensitate divinae essentiae quantum ad esse in loco, quaerendum est de existentia eius in rebus generaliter:

1. an sit extra res;
2. an sit in rebus essentialiter, praesentialiter, potentialiter;
3. de numero istorum modorum: essentialiter, praesentialiter, potentialiter;
4. quae sit [g] ratio distinguendi istos modos;

[5. utrum praedictis tribus modis existat Deus in rebus aequaliter vel non].

45

CAPUT I.

AN DEUS SIT EXTRA RES [2].

Quantum ad primum: *a.* Sic opponit Anselmus [3]: « Si Deus ubique est essentialiter, ergo et ubi locus est [h] et ubi locus non est: erit itaque extra omnem locum et intra omnem locum; erit [i] supra omnia, infra omnia [k], intra omnia, extra omnia [l] »; ergo est extra res.

b. Item, Anselmus, in *Monologion* [4]: « Quoniam absurdum est, ut scilicet quemadmodum nullatenus aliquid creatum potest exire [m] creantis [et] foventis immensitatem, sic creans et fovens nequaquam valet [n] aliquo modo excedere factorum universitatem, liquet quoniam ipsa est quae cuncta

---

[a] F om. *Licet enim natura... circumscribi.* [b] BR om. *q. e.* [c] F add. *est.* [d] S *ad.* [e] F add. *natura.* [f] V om. *e. u. s. v.* [g] BRLF om. [h] PVSL om. [i] F *et.* [k] S om. *i. o.* [l] V om. *e. o.* [m] S (mg.) F *excedere.* [n] V *vellet.*

1 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 943); Aristot., *Ethic. ad Nicomach.*, III, c. 2 (II, 26).

2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 2, a. 1, q. 3 (I, 655).

3 Rectius Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, II, c. 23 (PL 196, 913).

4 Cap. 14 (PL 158, 161).

alia portat et superat, claudit et penetrat ». Et vult dicere quod, sicut abusivum [a] esset dicere quod res creata se extendit ultra immensitatem creantis, ita quod Creator claudatur in creaturis ita quod eas non excedat; ergo est extra eas [b].

Contra: 1. Nihil est extra omne; ergo nihil est extra res; ergo nec Deus est extra res.

2. Item, bene sequitur: 'si hoc est in hoc, ergo illud in quo [c] est, est' [1], quia in quo est aliquid, ipsum est; si ergo Deus est extra res, ergo aliquid est extra res: quod est falsum; ergo et primum.

Solutio: Dicendum quod Deus est in rebus et extra res; unde « intra est non inclusus, extra non exclusus [2] »; et idem est dicere 'Deus est extra res' et 'Deus est in se'.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam rationem in contrarium dicendum quod [d] hoc signum 'omne' potest distribuere pro universitate creaturarum solum: et sic illa propositio est falsa. Vel potest supponere pro eo qui est supra universitatem creaturarum, et hoc est Deus: et sic est vera, quia nihil est [e] extra Deum. Et primo modo accipitur, cum dicitur Deus esse extra omne.

2. Ad secundum dicendum quod cum dicitur 'in quo est aliquid' etc., si hoc quod dico 'aliquid' supponit rem particularem, vera est illa propositio; sed Deus non est res particularis: propter quod non sequitur quod [f] si Deus est extra res, quod aliquid particulare [g], aliud a Deo, est extra res; immo idem est dicere 'Deus est extra res' quod 'Deus est in se': per hoc enim quod est in se, qui est supra universitatem rerum, sequitur quod [h] sit extra omnia.

CAPUT II. 46

UTRUM DEUS SIT IN REBUS POTENTIALITER PRAESENTIALITER ESSENTIALITER.

Postea quaeritur utrum Deus sit in rebus potentialiter, praesentialiter, essentialiter [3].

I. *a*. Quod potentialiter sit in rebus: Richardus, in libro *De Trinitate* [4]: « Si Deus omnipotens est, consequenter et ubique potest; si ubique potest, potentialiter ubique est ».

b. Item, quod praesentialiter: Anselmus, in *Monologion* [5]: « Simili namque [i] per omnia ratione — qua collectum est omnia esse per unum aliquid: unde ipsum solum est per se ipsum et alia per aliud [k] — simili, inquam, ratione potest probari quod quaecumque vigent, per unum aliquid vigent: unde solum illud viget per se ipsum, et alia per aliud. Quod quoniam aliter esse non potest, nisi ut ea quae facta sunt vigeant per aliud [l], et id a quo facta sunt vigeat per se [m] ipsum: necesse est, ut sicut nihil factum est nisi per creatricem [n] praesentem essentiam, ita nihil vigeat nisi per eiusdem servatricem praesentiam ». Ex qua auctoritate patet quod praesentialiter est in omnibus quae sunt.

c. Item, quod sit ubique essentialiter: Richardus de S. Victore [6]: « Si ubique est potentialiter, ubique est essentialiter, cum non sit aliud et aliud in ipso potentia et essentia »: aliter extenderet se potentia ultra [o] essentiam; quod est inconveniens.

Contra: 1. Omne quod est essentialiter in aliquo est de illo vel principium [p] essentiale illi; sed divina essentia non est de rebus; ergo si essentialiter est in eis, est principium essentiale illis; sed principium essentiale est secundum [q] aliquod genus causarum; Deus autem non est sicut materia; ergo est forma vel finis vel efficiens. Si [r] finis: non est essentialiter in rebus, immo extra res; similiter in quantum efficiens, quia finis [s] et efficiens causae sunt extrinsecae [7]; ergo ponitur necessario in rebus ut forma; sed tunc obicitur: Deus non est forma rei, quae dat esse coniuncto [t] [8], immo est forma exemplaris; sed forma exemplaris est extra res, non intra; ergo Deus aliquo modo non est [u] essentialiter in rebus, cum non sit de re, nec principium essentiale quod sit in rebus [9].

2. Item, illud per quod Deus dicitur esse in rebus, dicitur in Deo per comparationem ad res; sed essentia dicit omnino abstractum; ergo habet

---

[a] LF *absurdum*. [b] PVSR add. *ergo nec Deus est extra res*. [c] BRF om. *i. q.*, quae L habet in mg. [d] R om. [e] BRLF om. [f] F om. [g] BRLF add. *scilicet*. [h] L add. *sic*. [i] F om. [k] PVS *illud*. [l] Codd. *aliquid*. [m] Ita L, alii om. [n] P *creaturam*, quod S corr. [o] L *extra*. [p] F add. *est*. [q] S om., V om. *est*. [r] BR *sed*, LF *sed secundum*. [s] S om. [t] RLF *coniuncta*. [u] P om.

1 Id est, *existit*.

2 Cf. supra, p. 68a, nota 3; cf. Pseudo-Augustin., *Lib. meditat.*, c. 30 (PL 40, 924).

3 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 37, c. 1 (p. 229); S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 1, a. 3, q. 2 (I, 647); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 15 (f. 34d).

4 Lib. II, c. 23 (PL 196, 913).

5 Cap. 13 (PL 158, 161).

6 Loc. cit.

7 Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 5, § 10 (PG 3, 826, PL 122, 1151).

8 Cf. Guil. Altissiod., op. cit., I, c. 15 (f. 34a); Gundisal., *De unitate*, (ed. Correns, p. 3).

9 Cf. infra, p. 73b, II.

intellectum absolutum a comparatione ad res; ergo Deus secundum essentiam non debet dici in rebus; sed ab essentia venit 'essentialiter'; ergo nec essentialiter est in rebus.

II. Quod autem Deus ita essentialiter sit in rebus quod sit de esse rerum, videtur: 1. Augustinus, in libro *De spiritu et anima* [1]: « Deus est rerum universitas, ita quod nullum singulorum; propterea motibus rationis non subiacet, quia ratio non est nisi de re aliqua ». Aut ergo istud dicitur per essentiam aut per causam, quod dicit « Deus est universitas rerum ». Si [a] per causam, non per essentiam: ergo similiter et [b] secundum dicetur per causam, non per essentiam, quod est « quod nullum singulorum » est; quod est inconveniens. Cum ergo hoc abneget esse per essentiam: ergo et primum ponit esse per essentiam; ergo ita est essentialiter in rebus, quod est de illis sive de esse rerum.

2. Item, Augustinus, VIII *De Trinitate* [2]: Est bonum per essentiam, et [c] bonum per participationem; et dicit: « Tolle hoc, tolle illud, et invenies summum bonum », quod est bonum per essentiam; ergo bonum per essentiam, quod est Deus, est essentia aliorum bonorum; sed sicut se habet bonum ad bonum, ita essentia ad essentiam; ergo ita est essentialiter in aliis, quod est de illorum essentia.

III. Item, quaeritur utrum ita sit essentialiter in rebus, quod formaliter:

Ad quod sic: 1. Omne « esse est a forma [3] »; sed forma creata dat esse determinatum et tractum in partem; ergo oportet ponere [d] causam formalem universalem, quae faciat esse simpliciter; sed Deus est huiusmodi forma; ergo est in rebus essentialiter, ita quod formaliter est principium ipsius esse simpliciter, non determinati [e] in creatura. — Maior et minor patent per Boethium, in libro *De Trinitate* [4], dicentem: « Deus est vere forma, quae neque imago est et quae ipsum esse est, ex qua est omne esse: namque esse ex forma est ».

2. Item, sicut est bonum per essentiam et per participationem, ita est [f] esse per essentiam et per participationem. Si ergo creaturae dicuntur bonae per participationem divinae bonitatis, ergo sunt entes per participationem divinae essentiae; si ergo eo sunt quo participant divinam [g] essentiam, ergo est in illis formaliter, quia quo res est, illud formale est.

3. Item, divina essentia simplex est; ergo non potest trahi in partem; ergo nec participari a creaturis hoc modo; ergo si ab eis participatur, hoc est sicut nos dicimus « participatione speciei plures homines sunt unus homo [5] »; sed in hac participatione illud quod participatur, essentialiter et formaliter est in participatis; ergo divina essentia essentialiter et formaliter est in omnibus rebus.

Solutio: Dicendum quod divina essentia est in omnibus rebus secundum tres praedictos modos generales, scilicet essentialiter, potentialiter, praesentialiter. Et hoc patet per auctoritatem Gregorii [6] super illud Cant. 5, 17: *Quo* [h] *abiit dilectus tuus?* dicentis [6]: « Deus communi [i] modo omnibus inest essentia, praesentia, potentia ». Et istos etiam tres modos tangit David propheta in Psalmo dicens [7]: *Si ascendero in caelum, tu illic es,* per hoc tangens modum existendi Deum essentialiter; per hoc autem: *Si descendero ad infernum, ades,* tangit modum existendi praesentialiter, quia 'adesse' dicit praesentiam; per hoc autem quod dicit: *Et habitavero in extremis maris, etenim illuc* [k] *manus tua deducet me,* id est potentia, tangit modum existendi potentialiter. Nec est intelligendum quod ita reddantur singula singulis quin illis tribus modis sit in caelo et etiam ubique, sed sic appropriando tangit triplicem modum existendi in omnibus rebus.

Et ad [l] habendam distinctionem istorum modorum generalium, notandum quod in Deo sunt tria, scilicet essentia, virtus et operatio [8] — et dico tria secundum rationem intelligentiae — et distinguuntur illi modi ita: quod per essentiam est in rebus [m] essentialiter, per virtutem est in rebus potentialiter, per operationem vero praesentialiter: nam per operationem innotescit rebus divina essentia et potentia, Rom. 1, 20: *Invisibilia* [n] *Dei* etc., et Sap. 13, 5: *A* [o] *magnitudine speciei creaturae poterat cognoscibiliter Creator eorum videri.* Quia igitur sua essentia attingit omnem rem, propter hoc dicitur esse in rebus omnibus essentialiter; quia vero sua potentia vel virtus et sua [p] operatio, per quam ipse [q] est praesens, attingunt omnem

---

[a] PS *sed.* [b] P *etsi.* [c] BRL add. *est.* [d] PV om., in S est add. mg. [e] S *determinari.* [f] B om. [g] BRLF om. [h] V om. [i] F *omni.* [k] Ita VL, alii *illic.* [l] V om. [m] B om. *i. r.* [n] B (corr.) L *visibilia.* [o] P om. [p] F om. [q] PF *ipsa.*

1 Cap. 12 (PL 40, 788).
2 Cap. 3, n. 4 (PL 42, 949).
3 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 2 et Gilb. Porret., *Comment.*, in h. l. (PL 64, 1250, 1269).
4 Loc. cit.
5 Cf. Porphyr., *Introductio*, cap. 3, *De specie* (inter *opp. Aristot.*, ed. Iuntas 1503, I, 3a).
6 Cf. *Glossa ordinar.*, apud Lyran., *Bibl. sacra*, III, p. 364. Hic textus a Lombardo et aliis adscribitur Gregorio M. Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 37, c. 1 (p. 230, nota 1).
7 Psalm. 138, 8 et sq. ubi et sequentes textus.
8 Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hierarch.*, c. 11, § 2 (PG 3, 283, PL 122, 1059).

rem, propter hoc in omnibus rebus est potentialiter, praesentialiter. — Alii [a] voluerunt distinguere dicentes [b] quod primum quod cadit in [c] intellectu est ens; et post, ens potentia; et post, ens [d] actu. Connotatur ergo divinum esse respectu entis simpliciter, cum dicitur essentialiter esse; respectu entis potentia, cum dicitur potentialiter esse; respectu vero entis actu, cum dicitur praesentialiter esse. Ut ostendatur ergo quod divinum esse nusquam deest, quoquo modo accipiatur ens, dicitur esse his tribus modis in rebus.

[Ad obiecta]: I. 1. Ad primam rationem in contrarium dicendum quod Deus non est essentialiter in rebus ut principium quod sit de esse, sed ut principium essentiale [e]. Sed distinguendum: est principium [essentiale] partis esse, et est principium essentiale totius esse. Primo modo, anima est principium essentiale corpori; non enim est ei [f] principium totius esse, sed partis: non [g] est principium corporis quia corpus, sed corporis quia vivens in [h] actu; et sic est ei principium partis esse. Sed Deus dicitur principium essentiale, quia est principium totius esse; unde est principium corporis et quia corpus et quia vivens, quia sicut dicit Anselmus, in auctoritate praedicta, in *Monologion* [1]: « Quaecumque vigent, per ipsum vigent: et ipse solus per se ipsum viget »; sine isto ergo principio essentiali non possunt res esse. — Et quod obicitur quod principium essentiale, quod est in re, accipitur secundum causam formalem intra: dicendum quod hoc est verum de principio essentiali partis esse, sicut est anima.

2. Ad secundum dicendum quod divina essentia est abstracta a rebus per impermixtionem [i] [2], quia omnino non est ipsae res nec dependet ab eis; sed non est abstracta per causalitatem quin res dependeant et teneantur ab ipsa nec esse possent sine ipsa [3]: unde creatura ab ipso non potest abstrahi. Unde sicut lucere solis est substantificum [k] claritatis et illuminationis quae ab ipso est in aëre, ita quod non potest esse sine illo: sic claritas esse creaturae non potest esse sine claritate lucis aeternae quin semper irradiet et influat in ipsam [4].

II. 1. Ad aliud quod quaeritur utrum Deus sit ita essentialiter in rebus, quod sit de esse rerum [5]: dicendum [l], sicut habetur I Cor. 15, 28: *Ut sit Deus omnia in omnibus;* Glossa [6]: « Quia Deus erit vita et victus et copia et gloria et salus et honor et pax et finis desideriorum et omnia bona, et hoc erit in omnibus ». Sic potest dici quod ' Deus est universitas rerum ': aut quia est universae res, aut quia est entitas, veritas, bonitas, a quo universae res pendent. Primo modo non intendit Augustinus quod Deus [m] sit universitas rerum, sed secundo modo. Et quod dicit post « et [n] nullum singulorum », per hoc notat quod ipse sit plenum ens a quo omnia alia, non tractum in partem.

2. [Per hoc patet solutio] ad aliam rationem Augustini, « tolle hoc, tolle illud » etc. [o].

III. 1. [Ad aliud quod quaeritur] dicendum quod si dicatur forma quae est secundo [p] perficiens et secundum [q] esse coniuncta: sic [r] non potest Deus dici forma rerum; sed si dicatur forma perfectio separata secundum esse, tenens et complens omnia in esse: sic ipse Deus est vere forma. Et hoc modo vult Boethius quod ipse sit « vere forma » et omnis alia forma imago, quia tenet omnes [s] formas in sua materia et est perfectio perfectionum; sed propter hoc [t] non sequitur quod sit de rebus.

2. Per hoc patet solutio ad aliam rationem.

3. Ad tertium dicendum quod Augustinus, *Ad Dardanum* [7], ponit exemplum de participatione divinae bonitatis in creatura. Et ponit exemplum in auditu: « In iis qui audiunt, cum pariter ei appropinquant, tanto magis alius alio capit, quanto est acutioris auditus; tanto autem minus, quanto est obtusioris: cum ille non magis minusve insonet, sed in eo loco, in quo sunt, omnibus aequaliter praesto sit [u]. Quanto excellentius Deus, natura incorporea et immutabiliter [v] una, totus adesse rebus omnibus potest et singulis totus, quamvis in quibus habitat habeant eum pro suae capacitatis diversitate, alii plus, alii minus »! Participatio ergo ista non est quia trahatur in partem, immo quantum ad effectum, secundum scilicet quod aliquid efficitur plus vel minus in confor-

---

[a] Ita P (corr.), ceteri *alii*. [b] S om. [c] R om. [d] S *entis*. [e] R om. *s. u. p. e.*, quod in B est add. mg. [f] S om. [g] BRLF add. *enim*. [h] BRF om. [i] Ita RL, alii *immixtionem*. [k] F *substantivam*, L prius *substractivum*, sed corr. in *substantificum*; S corr. *substantificum* in *substantivum* et om. *est*. [l] V add. *quod*. [m] BRF om., quod in L add. interl. [n] R *quod*. [o] Praeter codd. adhibitos in hac editione, etiam alii 15 codd. a nobis examinati et omnes editiones sic legunt: « *Ad aliam rationem Augustini tolle hoc, tolle illud etc. dicendum quod si dicatur forma* » etc. Cuique inspicienti patet in sequentibus nullatenus responderi ad allatam ex Augustino obiectionem, sed ad illud quod obicitur infra: « *Omne esse a forma* » (III, 1). In praecedenti vero solutione « *ad aliud* » (II, 1) revera inveniri potest responsio ad hanc aliam Augustini rationem. [p] V add. *modo*. [q] BLF om. [r] P *si*. [s] V add. *alias*. [t] P om. *p. h.* [u] P *sic*. [v] PVS *immutabilis*, B *vina* pro *una*.

1 Cap. 13 (PL 158, 161).

2 Cf. *Lib. de causis*, § 19 (p. 181): « Causa prima regit res creatas omnes praeter quod commisceatur cum eis ».

3 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, IV, c. 12 (PL 34, 304); Gregor. M., *Moral.*, XVI, c. 37 (PL 75, 1143).

4 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 1, a. 1, q. 1, ad 1 (I, 639); *Lib. de causis*, § 5 (p. 168): « Causa prima non cessat inluminare causatum suum ».

5 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 5, § 4 (PG 3, 817, PL 122, 1148).

6 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1681), ex Augustino, *De civit. Dei*, XXII, c. 30 (PL 41, 801).

7 *Epist.* 187, c. 6, n. 19 (PL 33, 839).

mitatem divini esse et secundum quod aliquis plus aptus est, tanto plus participat isto modo [1]. — Quod ergo obicitur, utrum participetur, sicut dicimus speciem participari a singularibus: dicendum quod non, quia essentia universalis una est, sed tamen multiplicatur in participantibus, ita quod partitur in hoc et in illo, et ita participatio [a] ista est in una forma multiplicata, sed divina essentia non participatur multiplicata. — Item, universale est de esse eorum quae participant ipsum; divina autem essentia est in rebus participantibus ipsam, sed non est de illis.

47

CAPUT III.

DE NUMERO MODORUM EXISTENDI DEUM IN REBUS.

Tertio quaeritur de numero modorum existendi Deum in rebus.

Ad quod sic: 1. Augustinus [2]: « Deus dicitur esse in mundo ut creator et rector »; sed [b] ut creator dicitur esse potentialiter, ut rector praesentialiter; ergo solum iis duobus modis est in rebus.

2. Item, Deus essentialiter in rebus est, quia eius essentia non deest alicui creaturae; sed non deesse est esse praesentialiter; ergo idem est Deum esse essentialiter et praesentialiter in rebus.

3. Item, Deus se habet ad res ut *alpha et omega* [3], et isti modi non sunt aliqui praedictorum; ergo aliis modis quam tribus praedictis est Deus in rebus.

4. Item, quaeritur si est in omnibus per voluntatem, sicut [c] aliis modis. — Et videtur quod non: cum dicat Dominus per Prophetam: *Non est voluntas mea in vobis,* Malach. 1, 10. — Sed contra: Potentia non exit in esse nisi per voluntatem; ergo magis se habet ad res per voluntatem quam per potentiam; ergo si [d] est in omnibus per potentiam, constat quod est in omnibus per voluntatem.

5. Item, in Deo est esse [e] personale et essentiale, et ipsa persona est immensa sicut essentia; ergo est ubique personaliter sicut essentialiter; ergo pluribus modis quam tribus praedictis est in rebus.

Solutio: Dicendum quod isti tres modi generales sunt existendi Deum in creaturis et decurrunt per alios.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum dicendum quod est loqui de rebus quantum ad esse vel quantum ad fieri. Loquendo de rebus quantum ad fieri: sic in illis est [f] Deus ut creator, et etiam [g] est in illis praedictis tribus modis. Loquendo autem de ipsis prout sunt: sic est in illis ut rector, et in quantum est in ipsis, hoc modo est in ipsis praedictis tribus modis. Unde modi isti non excludunt illos [h], immo ponunt illos, nec faciunt numerum cum illis.

2. Ad secundum dicendum quod esse praesentialiter est dupliciter: uno modo dicitur praesentialiter esse adesse rei et [i] non deesse; alio modo dicitur esse praesentialiter quasi ' prae sensu [k] esse ', ut scilicet habeat in re esse cognoscibiliter, Sap. 13, 5: *A magnitudine speciei et creaturae poterat Creator horum cognoscibiliter videri.* Primo modo idem est esse praesentialiter quod essentialiter; secundo modo non. Et sic procedit illa ratio ex parte qua non faciunt differentiam [l].

3. Ad tertium dicendum quod esse ut *alpha et omega* non dicunt habitudinem secundum quam Deus est in rebus, sed in quantum est extra, ut principium et finis rerum [4]: et ideo non faciunt modum differentem ab illis existendi Deum in creaturis.

4. Ad aliud dicendum quod voluntas in Deo respicit bonum volitum; sed bonum duplex, scilicet [m] naturae et ordinis. Si respicit bonum ordinis: sic non est Deus ubique per voluntatem, quia sic non est in malis [5], in quibus non est bonitas ordinis. Si respiciat bonum naturae: sic est in [n] omni re per voluntatem; sed tunc idem est dicere Deum esse [o] in creatura per voluntatem et per [p] operationem; et ideo non ponit modum differentem in [q] illis. — Item, voluntas proprie est ad res, non in rebus; et propter hoc non facit quemdam modum essendi Deum in rebus.

5. Ad quintum dicendum quod esse personale duo ponit, scilicet esse [r] secundum tres personas vel esse secundum distinctionem. Primo modo dicitur Deus personaliter in omnibus rebus, sed hoc secundum tres modos praedictos gene-

---

[a] R add. *est.* [b] SF om. [c] R add. *est.* [d] L *cum.* [e] F om. [f] R om. [g] F om. [h] F om. [i] P *vel.* [k] Ita RL, alii *presens* pro *p. s.* [l] Ita S (add. mg.) B (add. mg.) R (add. interl.) L, alii om. *q. n. f. d.* [m] R *est,* B *est scilicet.* [n] S *de.* [o] BRLF om. [p] SL om. [q] BRLF *ab.* [r] F om.

1 Cf. supra, p. 61b, *ad 2.*
2 Cf. *Confess.,* IX, c. 12, n. 32 (PL 32, 777).
3 Cf. Apoc. 22, 13.
4 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.,* c. 5, § 10 (PG 3, 826, PL 122, 1151).
5 Cf. Lombard., I *Sent.,* d. 37, c. 2 (p. 231).

rales, nec illud ponit alium modum existendi ab istis. Si dicatur esse personaliter, id est esse [a] per distinctionem: sic istud non potest facere generalem modum essendi Deum in creaturis, quia modus quo dicitur esse in omnibus rebus est per indistinctionem [b]; et propter hoc isto modo non habet respectum ad res, et ideo non facit modum existendi alium a praedictis. Et sic patet solutio.

CAPUT IV. 48

DE MODIS ASSIGNANDI DISTINCTIONEM ISTORUM MODORUM.

Quarto quaeritur de modis [c] assignandi distinctionem istorum modorum.

I. Primus modus assignandi distinctionem talis est: Deus comparatur ad res ut dans esse rebus, ut regens res et ut cognoscens. In quantum comparatur ad res ut cognoscens, praesentialiter dicitur esse in rebus; in quantum dans esse, potentialiter; in quantum regens, essentialiter.

Sed contra istam distinctionem sic [d] obicitur: In hoc quod Deus cognoscit res, magis dicuntur res esse in ipso quam e converso secundum istum modum assignandi; ergo nullus est modus distinguendi modos istos.

Secundus modus distinguendi est secundum quod dicit Dionysius [1], quod tribus modis exeunt res a Deo, scilicet per [e] processionem essentialem, vitalem, cognoscibilem. Et iterum [2]: « Quae exeunt per processionem cognoscibilem, exeunt tribus modis, scilicet per processionem sensualem [f], rationalem et intelligibilem ». In quantum exeunt res ab ipso per processionem essentialem, dicitur esse essentialiter; in quantum vero per processionem vitalem, cum vita sit motus perfectus [3], dicitur esse in rebus potentialiter; in quantum vero res exeunt ab ipso per processionem cognoscibilem, sic facit se praesentem in rebus et sic dicitur esse in rebus praesentialiter.

Sed [g] **contra:** Si sic esset, ergo Deus in rebus entibus tantum, quae non vivunt nec cognoscunt, non esset illis tribus modis, sed solum uno modo, scilicet essentialiter; quod est falsum, cum in omnibus rebus sit illis tribus modis praedictis; et ita nulla est assignatio ista.

Tertius modus distinguendi talis est: Nos videmus in rebus creatis quod alicubi est res per potentiam, ubi non est per praesentiam vel per essentiam, sicut rex in toto regno [4]. Item, alicubi est res per praesentiam, ubi non est per potentiam, sicut rex extra regnum suum. Item, alicubi est per essentiam, ubi non est per potentiam [h]. Ut ergo ostendatur in Deo perfectus modus essendi respectu creaturarum, dicitur Deus esse in omnibus rebus istis tribus modis.

Sed contra: Iste modus distinguendi non distinguit praesentiam ab essentia, quia ubicumque est praesentialiter, est [i] essentialiter; ergo secundum istum modum idem est ' praesentialiter ' et ' essentialiter '; quod est inconveniens.

Quartus modus distinguendi est quod haec tria respiciunt essentiam, virtutem et operationem: secundum quae tria est vestigium Trinitatis in creaturis, ut dicatur quod essentialiter est in essentia, potentialiter in virtute, praesentialiter in operatione.

Contra: Constat quod praesentia [k] Dei non abest essentiae rei, nec potentia, similiter nec essentia [l]; ergo in essentia rei [m] est potentialiter, praesentialiter, essentialiter.

[Solutio]: Quod concedendum est. Et dicendum, sicut prius [5], quod isti modi respiciunt essentiam, virtutem et operationem Creatoris, quae quamvis in Deo non differant re, differunt tamen in ratione intelligentiae, sicut supra dictum est [6].

II. Iuxta hoc quaeritur: Cum Deus sit in rebus essentialiter, praesentialiter, potentialiter, utrum e converso creaturae sint in Deo essentialiter, praesentialiter, potentialiter.

Respondeo: Res sunt in Deo praesentialiter, quia in eius cognitione; potentialiter, quia in eo sicut in causa; sed essentialiter non sunt in ipso, quia secundum hoc intelligeretur divina essentia dependere ab essentia creaturae; quod non est verum: causa enim non dependet a causato ut sit, sed e converso. Unde esse creaturae ponit esse causae necessarium ad suum esse, sed non e converso. Unde essentialiter est Deus in rebus, quia eius esse necessarium est ad esse rerum, sed non e converso sunt [n] res in Deo essentialiter, quia essentia rerum [o] non est necessaria Deo ad hoc ut sit.

---

[a] LF *inesse.* [b] V *distinctionem.* [c] L *modo.* [d] LF om. [e] F *secundum.* [f] S *sensibilem.* [g] R om. [h] R om. *sicut rex extra... potentiam.* [i] R *et.* [k] B *essentia.* [l] B (corr. mg.) LF *presentia.* [m] L *re*, F *res.* [n] BRF om., in L est add. interl. [o] BR *earum*, F *entium.*

1 Cf. *De cael. hierarch.*, c. 4, § 1; *De divin. nomin.*, c. 5, § 3 sqq. (PG 3, 178, 818 sqq., PL 122, 1046, 1147 sq.); *Lib. de causis*, § 17 (p. 179).

2 *De divin. nomin.*, c. 6, § 3, c. 8, § 3, c. 9, § 10 (PG 3, 858, 891, 918, PL 122, 1152, 1157, 1163).

3 Cf. *Lib. de causis*, § 17 (p. 179): « Vita est processio ex ente primo... et motus primus ».

4 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 15 (f. 33 d).

5 Cf. supra, p. 72b, *Solutio.*

6 Cf. supra, p. 72b, *Solutio.*

49

CAPUT V.

UTRUM PRAEDICTIS TRIBUS MODIS EXISTAT DEUS IN REBUS AEQUALITER.

Quinto quaeritur utrum praedictis tribus modis existat Deus in rebus aequaliter sive uniformiter vel non [1].

Ad quod sic: 1. Augustinus, in libro *De praesentia Dei, Ad Dardanum* [2], insinuat duplicem modum existendi Deum in creaturis, scilicet generalem, qui est secundum praedictos modos, et specialem, qui est per inhabitantem gratiam. Unde dicit: « Deus, natura incorporea et immutabiliter una, totus adesse omnibus rebus potest et [a] singulis totus, quamvis illi [b], in quibus habitat, habeant eum pro suae capacitatis diversitate, alii amplius [c], alii minus ». Si ergo isti modi referuntur ad modum generalem, ergo secundum illos est aequaliter in omnibus rebus.

2. Item, esse non recipit magis et minus [3]; ergo si in rebus est, quantum ad esse secundum istos modos non est magis et minus.

3. Item, Philosophus, in libro *De causis* [4]: « Causa prima est in omnibus rebus secundum dispositionem unam [d] ». Ergo nec plus nec minus.

Contra: *a.* Augustinus, in libro *De natura boni* [5], distinguens modum, speciem et ordinem, dicit: « Ubi haec magna sunt, magnum bonum est, et ubi maiora, maius bonum est, et ubi nulla, nullum bonum est »; sed secundum ista participatur divina bonitas; ergo magis et minus participatur; ergo secundum [e] magis et minus participatur in creaturis secundum illos modos.

b. Item, quaedam res magis conservantur a Deo, quaedam minus, sicut res incorruptibiles magis conservantur quam corruptibiles; ergo magis est in quibusdam rebus praesentialiter quam in aliis, cum in rebus dicatur esse praesentialiter quantum ad conservationem [6].

Solutio: Dicendum quod contingit loqui de divina essentia dupliciter: in se, et sic semper se habet aequaliter et secundum dispositionem unam; vel secundum quod participari dicitur a creaturis, et sic non dicitur se habere secundum dispositionem unam, sed secundum magis et minus. Nam creaturae quaedam sunt in participatione essentiae; quaedam [f] in participatione essentiae et vitae; quaedam in participatione essentiae et vitae et cognitionis [7]. Sed haec inaequalitas non est ex parte ipsius, sed ex parte creaturarum participantium ipsam.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum obiectum dicendum [g] quod differt dicere 'divina essentia est in rebus' et 'divina essentia habetur': quia non possum dicere quod habeatur, nisi [h] ubi est per inhabitantem gratiam, quia gratia habitus est per quam efficitur anima deiformis; quod autem est deiforme dicitur habere divinam formam et sic per consequens Deum. Et propter hoc secundum istos modos generales non 'habetur' a rebus, sed secundum ipsos 'est' in rebus et ab ipsis participatur. Licet ergo secundum istos modos non habeatur secundum magis et minus, tamen secundum ipsos participatur plus vel minus.

2. Ad secundum dicendum quod est esse duplex, scilicet esse [i] naturae et esse ordinis. Primum ergo esse non recipit magis [k] et minus, sed secundum: et a parte illius esse participatur divina bonitas a creaturis secundum [l] magis et minus.

3. Et per hoc solvitur tertia ratio. Et ratione huius dicit Hugo [8]: « Quantum ad esse semper est uniformis, tamen quantum ad esse in aliis et in aliis, magis et minus [m] ».

---

[a] L add. interl. *in.* [b] BRLF om. [c] V *autem plus.* [d] B *una.* [e] S om. [f] B om. *i. p. e. q.*; R add. *sunt.* [g] S om. [h] S add. *quod.* [i] BL om. [k] P *maius*, V *respicit* pro *recipit.* [l] F om. [m] Codd. nostri et omnes alii quos inspeximus hanc tautologiam addunt: *quia secundum esse semper est uniformis, secundum vero esse in aliis et in aliis est* [PVS om.] *magis et minus.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 27, p. 1, a. 3, q. 1 (I, 646).

[2] *Epist.* 187, c. 6, n. 19 (PL 33, 839); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 37, c. 1 (p. 230).

[3] Cf. Aristot., *De categ.*, c. 3 (I, 5); Boeth., *In categ. Aristot.*, I (PL 64, 197).

[4] § 23 (p. 184).

[5] Cap. 2 (PL 42, 553).

[6] Cf. supra, p. 71a, litt. *b*.

[7] Cf. Gregor. M., *In Ezech.*, I, hom. 8, n. 16 (PL 76, 860): « Quaedam enim tangit [Deus] ut sint, nec tamen ut vivant et sentiant, sicut sunt cuncta insensibilia. Quaedam tangit ut sint, vivant et sentiant, nec tamen ut discernant, sicut sunt bruta animalia. Quaedam tangit ut sint, vivant et sentiant et discernant, sicut est humana et angelica natura ». Ibidem, II, hom. 5, n. 10 (PL 76, 990); Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 5, § 3 (PG 3, 818, PL 122, 1147).

[8] Rectius Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, II, c. 23 (PL 196, 914) ad sensum: « Quantum ad se semper est uniformis, in aliis et aliis invenitur multiformis ».

MEMBRUM II.

De existentia Dei in rebus per inhabitantem gratiam.

Postquam inquisitum est de generali modo existendi Deum in creaturis, inquirendum est consequenter de modo speciali existendi Deum in creaturis, qui est per inhabitantem gratiam. Circa quod inquiruntur ista:

1. Primo, quid est esse per gratiam, an ponat aliquid in creatura;

2. secundo, in quibus: utrum scilicet in sacramentis sit per inhabitantem gratiam;

3. utrum in carne ante infusionem animae possit esse [a] per inhabitantem gratiam;

4. utrum in homine ante nativitatem possit esse per gratiam inhabitantem;

5. utrum sit in parvulis per gratiam inhabitantem [b];

6. utrum possit dici inhabitare vel esse in homine per gratiam gratis datam.

CAPUT I. 50

UTRUM DEUM ESSE PER GRATIAM IN ALIQUO PONAT ALIQUID IN ISTO [1].

Quantum ad primum obicitur sic: *a.* Ex hoc quod [c] Deus est in aliquo per gratiam, dicitur ille gratus Deo; sed haec denominatio [d] non est eius nisi ab aliqua qualitate creata, quia modo est gratus et prius non erat; ergo per hoc ponitur aliqua qualitas creata in illo.

Contra: 1. Cum dicitur Deus esse in rebus per essentiam, praesentiam, potentiam, non ponitur aliqua qualitas creata in creatura, immo per essentiam et potentiam increatam est in creatura; ergo eadem ratione per gratiam increatam; ergo ex hoc non ponitur gratia nisi increata.

Solutio: Dicendum [e] quod 'Deum esse per gratiam' ponit necessario gratiam creatam in creatura, quae quidem gratia est similitudo, qua anima est imago actu, id est in imitatione actuali; et cum se habet anima per conformitatem ad Deum in similitudine expressa, dicitur Deus inhabitare in ipsa per gratiam. Unde Augustinus, in libro *De praesentia Dei, Ad Dardanum* [2]: « Ii ab eo longe esse dicuntur, qui peccando dissimillimi [f] facti sunt; et ei propinquare, qui eius similitudinem pie vivendo recipiunt. Sicut recte dicuntur oculi ab hac luce tanto longius esse quanto fuerint caeciores [g], quamvis lux praesto sit atque oculos perfundat extinctos; propinquare autem luci oculi merito perhibentur qui sanitatis accessu aciem recipiendo proficiunt ». Ex hoc patet quod gratia creata [h] est similitudo qua anima est imago in actu; unde esse per gratiam ponit in anima habitum assimilantem Deo.

[Ad obiecta]: 1. Ad rationem in contrarium dicendum quod necessario ponitur gratia creata in [i] anima ad susceptionem gratiae increatae, id est ad hoc ut uniatur aliquis Deo propinqua similitudine. Unde Augustinus [3]: « Propinquare ei dicuntur qui eius similitudinem pie vivendo [k] recipiunt ». Unde sicut acumen necessario est in oculo ad susceptionem lucis, sic gratia creata necessario [l] est dispositio in anima ad susceptionem gratiae increatae, sicut lucis divinae. — Et ad illud [m] quod obicit: dicendum quod sicut Deum esse essentialiter, praesentialiter, potentialiter ponunt esse creaturae [n] secundum quod est esse naturae: sic Deum inhabitare in [o] anima ponit bene esse, quod est esse gratiae; unde uterque modus ponit aliquid creatum in re. Unde licet modi generales non ponant aliquam qualitatem creatam, ponunt tamen aliquid creatum, sicut modus specialis, qui est inhabitare per gratiam.

---

[a] R om. [b] R om. *utrum sit in... habitantem,* quod in V est add. mg. [c] R *quo* pro *h. q.* [d] Ita S (corr. interl.) BRL (corr. mg.) F, alii *determinatio;* BRLF om. *eius.* [e] S add. *est.* [f] V *dissimili,* L *dissimiles.* [g] F *deteriores.* [h] L exp. [i] V om. [k] PVS add. *pie.* [l] L exp., BR *necessaria.* [m] R *aliud.* [n] V *creatorem;* BRF om. *secundum,* quod in L est add. interl. [o] V om.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 26, a. 1, qq. 1 et 2 (II, 630 sqq.).

2 *Epist.* 187, c. 5, n. 17 (PL 33, 838).

3 Loc. cit.

51

CAPUT II.

UTRUM DEUS SIT IN SACRAMENTIS PER INHABITANTEM GRATIAM.

Secundo quaeritur utrum Deus sit in sacramentis per gratiam inhabitantem [1].

Ad quod sic: 1. Cant. 5,17: *Quo abiit dilectus tuus?* Gregorius [2]: « Cum Deus universaliter in omnibus rebus sit substantia, praesentia, potentia, tamen familiariori [a] quodam modo est per gratiam »; sed constat quod Deus familiari modo est in sacramentis, et in [b] aliis rebus sanctificatis; ergo est in illis per gratiam inhabitantem.

2. Item, Hugo de S. Victore [3]: « Sacramentum est elementum corporale, ex similitudine repraesentans, ex institutione significans, ex sanctificatione invisibilem gratiam continens ». Ergo Deus habitat in sacramentis per gratiam.

3. Item, Augustinus [4]: « Unde est tanta [c] virtus aquae ut corpus tingat et cor abluat »? sed quod abluit cor, illud non potest facere sine gratia; ergo Deus est in sacramentis per gratiam.

Contra: 1. Inter datorem gratiae et suscipientem nihil est medium, quia sicut per se et sine medio creat, ita per se et sine medio [d] recreat; ergo non dat animae gratiam mediante sacramento; ergo in sacramento non continetur gratia.

2. Item, omnis forma, quae est in aliquo tamquam in continente, ponitur in ea sicut in subiecto; sed gratia non potest esse in sacramento sicut in subiecto, quia sacramentum est corporale, gratia vero est quid spirituale; ergo gratia non continetur in sacramento; non ergo est Deus in sacramentis per gratiam. — Si dicatur secundum Augustinum, supra [5], quod ibi non est gratia, sed « virtus » gratiae, – contra: haec virtus est dispositio vel forma; ergo est in aliquo sicut in subiecto; sed non potest esse in sacramento ut in subiecto ratione praedicta, et ita redit [e] idem quod prius.

Solutio: Dicendum [f] sine praeiudicio quod Deus est in sacramento per gratiam, non tamen per inhabitantem gratiam est in sacramento. Nomen enim inhabitationis dicit terminum motus; unde nec in iis quae pertinent ad viam nec in via nec in iis quae sunt ad finem proprie est inhabitatio. Quia igitur motus infusionis gratiae gratificantis non terminatur nisi in anima vel in [g] substantia spirituali, sacramentum vero est quoddam adminiculum velut via ad gratiam, dicitur Deus velut in sacramento esse per gratiam, sed non inhabitare per gratiam, quia est via ad gratiam et disponens ad hoc ut gratiam suscipiat.

Et bene concedo [6] quod 'quodam modo familiari' est Deus in sacramentis [7]: et hic est modus, quia gratia, quae est opus solius Dei, ipsa est in sacramento sicut in causa disponente suscipientem ad susceptionem gratiae; et hic [h] est ille modus familiaris secundum quem Deus est in sacramentis. — Et in hoc sensu intelligitur illud quod [i] sacramentum 'continet gratiam et virtutem gratiae' [8], quia in eo est virtus qua disponitur suscipiens ad gratiam. — Nec est dicendum quod in sacramento sit gratia formaliter sicut in subiecto [9], sed sicut in causa disponente.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum [10] dicendum quod ex parte dantis gratiam nihil est medium, sed ex parte suscipientis, quia oportet quod anima disponatur ad hoc quod gratiam suscipiat [k]; ipsa autem virtus sacramentalis est quae disponit ipsum ad gratiam; Deus ergo de se operatur et immediate dat gratiam, anima autem mediante sacramento recipit eam.

2. Ad illud [l] vero quod quaeritur 'in quo sit virtus ista sacramentalis': dicendum quod sicut sermo significativus [m] duplex habet esse [11] — unum naturae, secundum quod est vox vel sonus ab ore [n] prolatus, aliud secundum quod esse habet ex institutione, secundum quod est signum designativum alicuius rei ad movendum intellectum — sic virtus in voce potest esse dupliciter [o]: ut habet esse naturae et ut habet esse institutionis et significantiae. Similiter dicendum [p], cum sacramentum sit invisibilem gratiam conferens, quod duplex est esse sacramenti: unum naturae, in quan-

---

[a] V *familiarius*, B *familiori*, RLF *familiari*. [b] BRLF om. [c] Ita B, alii *creata*. [d] S om. *creat... medio*. [e] B add. *in*. [f] BRL add *est*. [g] BRF om. [h] F *sic*. [i] S om. [k] PVS add. *in*. [l] V *aliud*. [m] P *significatus*. [n] PVS add. *animalis*. [o] R *duplex*. [p] F add. *est*.

[1] Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 40, dub. 3 (III, 893sqq.); IV *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, q. 4 (IV, 19sqq.).

[2] Non Gregor., sed *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 113, 1157); cf. supra, p. 72b, n. 3; Lombard., I *Sent.*, d. 37, c. 1 (p. 230).

[3] *De sacram. christ. fid.*, I, p. 9, c. 2 (PL 176, 317).

[4] *In Ioan.*, tr. 80, n. 3 (PL 35, 1840).

[5] Cf. nota 4.

[6] Hic exponit ea quae sub *Ad quod sic* ponuntur.

[7] Cf. n. 1.

[8] Cf. n. 2.

[9] Cf. p. 78a, *Contra*, n. 2.

[10] Respondet ad ea quae sub *Contra* adducuntur.

[11] Cf. Boeth., *Introd. ad syll. categ.* (PL 64, 766).

tum est [a] elementum corporale, aliud ex divina institutione ex qua ordinatur ad significandum et sanctificandum; unde est ei virtus ad instruendum [b] intellectum, in quantum est ad significandum institutum, et virtus ad sanctificandum, eo modo quo dictum est [1], in quantum ad hoc ex divina ordinatione et ministri executione ordinatum est.

CAPUT III. 52

AN IN CARNE ANTE INFUSIONEM ANIMAE POSSIT ESSE DEUS PER INHABITANTEM GRATIAM.

Tertio quaeritur an in carne ante infusionem animae possit esse Deus [c] per gratiam inhabitantem [2].

Ad quod sic opponitur: 1. Luc. [d] 1,41: *Exultavit infans.* Glossa [3]: « Nondum erat in ipso spiritus vitae et iam inerat [e] spiritus gratiae »; sed in quibus est spiritus gratiae, inhabitat Deus [f] per gratiam; ergo ante infusionem animae erat in Ioanne [g] per inhabitantem gratiam.

2. Item, Ierem. 1,5: *Priusquam te formarem in utero novi te;* sed duplex est [h] notitia Dei [4]: prima est simplex qua cognoscit omnia, secunda est notitia approbationis, de qua Matth. 25,12: *Non novi vos;* sed non loquitur ad Ieremiam de prima, quia illa est communis omnibus et ita non esset commendatio [i] Ieremiae; ergo de secunda; ergo iam ante formationem approbabat; sed non dicitur approbare nisi illos in quibus est per inhabitantem gratiam [k]; ergo ante informationem [l] corporis fuit in Ieremia per inhabitantem gratiam.

3. Item, constans est quod caro illa, cum qua unitur anima rationalis, est susceptibilis peccati, quia est causa peccati in anima quae infunditur illi; sed cuicumque potest inesse peccatum, potest inesse gratia; sed peccatum inest carni ut causae, quia ab illa contrahit anima peccatum; ergo potest inesse gratia a qua sanctificationem contrahat anima; ergo Deus potest esse in carne ante infusionem animae per inhabitantem gratiam.

4. Item, I Cor. 6,19: *Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* sed Spiritus Sanctus non dicitur inhabitare nisi per gratiam; ergo Spiritus Sanctus est in membris per gratiam inhabitantem.

Contra: *a.* Differt esse et bene esse [5]; sed [m] prius est esse quam bene esse; ergo prius est perfici in esse quam in bene esse [n]; sed anima quantum ad esse perficit corpus, gratia vero quantum ad bene esse; ergo necesse est prius animari carnem quam sit gratiae susceptiva; ergo Deus non potest inhabitare in carne per gratiam ante infusionem animae.

b. Item, ordinatae [o] sunt gratia et natura; sicut ergo se habet gratia ad naturam, ita se habet vita gratiae ad vitam naturae; sed impossibile est quod gratia sit, nisi praeexistat natura; ergo nec vita gratiae poterit existere, nisi praeexistat vita naturae; ergo caro sine anima non [p] est susceptiva gratiae; ergo non est inhabitabilis a Deo per gratiam ante infusionem animae.

c. Item, nihil pertinet ad gratiam quod non pertineat ad gloriam, quia gratia est ordinata ad gloriam; sed Augustinus quaerit de abortivis sine anima an pertineant ad gloriam resurrectionis, in libro *De civitate Dei* [6], et respondet quod non, quia non ceciderunt per mortem. Unde arguitur sic: nihil pertinet ad gloriam quod non pertineat ad gratiam; ergo cum ante infusionem animae caro non pertineat ad gloriam, non pertinebit ad gratiam; et ita non est inhabitabilis a Deo per gratiam.

d. Item, [q] Exod. 21,22: *Si quis percusserit mulierem praegnantem* etc. Distinguit ibi de abortivis ante animationem et post, et quasi ibi non computat de inanimatis [7]; ergo non sunt receptiva gratiae ante animationem, quia si essent, computabilia essent; nec etiam fit aliquis propter hoc irregularis; et ita idem quod prius.

Solutio: Concedimus [r] quod caro ante infusionem animae non est inhabitabilis a Deo per gra-

---

[a] BRLF om. [b] PVS *instituendum.* [c] BRLF om. [d] LF *Ioannes.* [e] P *erat,* S *ibi erat.* [f] R om. [g] F *homine,* R om. *animae,* quod in B est add. interl. [h] R om. [i] BRLF add. *ipsius.* [k] L add. *vel.* [l] BRLF *formationem.* [m] BRLF *et,* L *primus* pro *prius.* [n] L om. *i. b. e.* [o] BRLF *ordinata,* L *anima* pro *gratia.* [p] V om. [q] L *in,* F *Item in.* [r] PVS add. *dicendum.*

1 Cf. p. 78a, *Solutio.*

2 De hac et sequenti quaestione fusius, iisdem argumentis et saepius etiam iisdem verbis, agetur in libro III huius *Summae,* ubi tractabitur de sanctificatione B. Virginis Mariae. Cf. S. Bonav., III *Sent.,* d. 3, p. 1, a. 1, qq. 1 et 3 (III, 61, 70sqq.).

3 Ambros., *Exposit. in Luc. Evang.,* I, n. 33 (PL 15, 1547).

4 Cf. Lombard., I *Sent.,* d. 36, cc. 1 et 2 (p. 224sqq.).

5 Cf. Anselm., *Proslog.,* prol. (PL 158, 223).

6 Lib. XXII, c. 13 (PL 41, 776); cf. *Enchirid.,* c. 85 (PL 40, 272).

7 Cf. *Glossa ordin.,* in h. l. (PL 113, 258); Gratian., *Decret.,* C. 32, q. 2, cc. 8 et 9 (PL 187, 1471sq.); Lombard., IV *Sent.,* d. 31, c. 4 (p. 938); S. Bonav., IV *Sent.,* d. 31, dub. 4 (IV, 727).

tiam, quia non est susceptiva gratiae, cum non sit ordinata ad gloriam. Caro enim de se non habet possibilitatem ad perpetuitatem sive ad incorruptionem, sed propter unionem quam habet cum forma perpetua et incorruptibili [a], scilicet anima rationali; unde etiam per illam accipit ordinationem ad gratiam, si habet aliquam ordinationem ad gratiam. Caro ergo, quae [b] non habet ordinationem ad animam, non habet ordinationem ad gratiam vel gloriam, sicut est [c] caro ante animationem.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo [d] quod obicitur « nondum erat in illo spiritus vitae » etc. satis potest solutio perpendi, quia sicut dicitur in textu [1]: *Iam erat sextus mensis;* ergo iam erat [e] corpus animatum. Dicendum ergo quod aliquando dicitur res tunc primo esse, cum primo innotescit [2], non esse, quando non innotescit; unde Christus dicitur proficere *in sapientia,* Luc. 2,52, quando innotuit eius profectus. Dicitur ergo non esse [f] spiritus vitae secundum motum et manifestationem, quamvis secundum veritatem intus viveret.

2. Ad aliud dicendum quod notitia approbationis dicitur dupliciter: secundum praedestinationem, et sic nihil boni ponit actu; vel secundum praesentem iustitiam, cum aliquis cognoscitur per gratiam praesentis iustitiae. Primo modo accipitur notitia Ieremiae. Unde [g] Bernardus [3]: « Pulcre inter figurationem in utero et parturitionem ex utero divinum distinxit oraculum, ut illam tantum praecognitam, istam sanctitatis munere formatam ostenderet ». Sed de notitia approbationis secundo modo accipitur illud quod sequitur in auctoritate Ierem. [4]: *Et antequam exires de ventre sanctificavi te.* Unde subdit Bernardus [5]: « Ne quis praerogativam Prophetae putaverit de sola praescientia aestimandam ».

3. Ad aliud quod obicitur quod 'caro erat susceptibilis peccati, ergo gratiae': dicendum quod peccatum non dicitur esse in carne formaliter, sed causaliter, quia in carne est unde postea contrahit anima peccatum. Sed tamen aliter se habet anima ad contrahendum peccatum, aliter ad sanctificationem [h] sive ad suscipiendam gratiam. Potest enim corrumpi caro dupliciter: vel corruptione naturae vel personae. Verbi gratia, caro Adae statim ex peccato corrupta fuit; unde fecit *sibi perizomata* [6]. Persona autem, secundum quod dicit Anselmus [7], corrupit naturam, quia caro illa in potentia erat caro omnium hominum, et sua propria caro erat ibi [i] persona; ergo primo corrupit naturam, natura corrupta postea corrupit personam, scilicet filiorum. Nos autem habemus duplicem corruptionem, scilicet ex Adam et ex actuali peccato; unde duobus modis inficitur caro a peccato. Sed uno modo habet sanctificari a gratia [k], scilicet solum ratione personae; unde in persona solum potest fieri sanctificatio et hoc illo ordine quo se habet ad personam [l]. Gratia autem nunquam transfunditur per naturam, quia non habet ordinem ad illam, sed solum ad personam; unde [m] ante animationem non potest esse sanctificatio.

4. Unde secundum hoc Apostolus [8] proprie loquitur: *Nescitis quoniam membra vestra* etc., quia ex hoc quod corpus habet animam, ex hoc habet Spiritum Sanctum inhabitantem per gratiam [n].

53

CAPUT IV.

UTRUM DEUS SIT IN HOMINE PER INHABITANTEM GRATIAM ET HOC ANTE NATIVITATEM.

Quarto loco quaeritur utrum Deus sit in homine per inhabitantem gratiam, et hoc ante nativitatem [9].

Circa quod sic [o] **obicitur**: 1. Augustinus, *Ad Dardanum* [10]: « Non video quomodo aedificantur homines in domum [p] Dei ad habendum in se inhabitantem Deum [11], nisi cum fuerint renati [q], quod non possunt esse antequam nati ». Ergo nullus potest habere Deum inhabitantem per [r] gratiam, nisi prius fuerit natus, quia si natus non esset, non posset esse renatus.

2. Item, idem Augustinus [12]: « Illa sanctificatio, qua efficimur singuli templa Dei, non est

---

[a] LF *incorporali.* [b] BRF *corpus vel caro ergo quod,* L *corpus ergo quod* pro *c. e. q.* [c] L om. [d] R om. [e] LF om. *sextus... erat.* [f] BRLF *inesse,* L om. *non.* [g] B add. *dicitur.* [h] L *sanctificandam.* [i] S *sibi.* [k] F om. *a. g.* [l] S *gratiam.* [m] BRLF *et ideo.* [n] B *scilicet inhabitantem gratiam* pro *S. i. p. g.* [o] L om. [p] PVS *domo.* [q] B *cenati,* F om. *cum.* [r] B *per inhabitantem* pro *i. p.*

1 Luc. 1, 36.
2 Hugo de S. Vict., *In Ep. ad Philipp.*, q. 9 (PL 175, 578).
3 *Epist.* 174, n. 3 (PL 182, 333).
4 Cap. 1, 5.
5 Loc. cit.
6 Cf. Gen. 3, 7; Augustin., *Contra duas epist. Pelagian.*, I, c. 16; *Contra Iulian.*, V, c. 2, n. 5 (PL 44, 564 sq., 784).
7 *De concept. virg.*, c. 23 (PL 158, 456).
8 I Cor. 6, 19.
9 Cf. Lombard., IV *Sent.*, d. 6, c. 3 (p. 779).
10 *Epist.* 187, c. 9, n. 31 (PL 33, 844).
11 Cf. Eph. 2, 22.
12 Loc. cit., c. 10, n. 32 (PL 33, 844).

nisi renatorum, quod nondum nati homines esse non [a] possunt ». Ergo idem [b] quod prius.

3. Item, Augustinus, ibidem [1]: « Quamlibet igitur sententiam de parvulis intra materna viscera constitutis habeamus, utrum existimemus eos donari aliquo sanctificationis modo, vel propter Ioannem et Ieremiam, tamen sanctificatio, qua efficimur templa Dei, non est nisi renatorum, quod nondum nati homines esse non [c] possunt ». Ergo non est Deus in aliquo per inhabitantem gratiam ante nativitatem, quia secundum inhabitantem gratiam est homo templum Dei.

4. Si dicatur quod duplex est nativitas, in utero et ex utero: nullus ergo potest sanctificari sive inhabitari [d] per gratiam a Deo ante nativitatem in utero, sed bene potest ante nativitatem ex utero — contra: Augustinus, ibidem [2]: « Huic nativitati accedit secunda nativitas; ergo iam non erit secunda, sed tertia [e] »; sed ita non potest intelligi: « Dominus autem, cum loqueretur de spirituali nativitate, inquit [3]: *Nisi quis renatus* [f] *fuerit denuo,* primam scilicet computans quae fit matre pariente, non concipiente, quae fit ex ea, non quae fit in ea ». Nasci ergo denuo dicitur respectu nativitatis [g] ex utero; ergo nullus potest renasci secundum gratiam sanctificationis in utero.

5. Item, idem [4]: « Si homo regenerari in utero per gratiam Spiritus potest, quoniam restat adhuc illi nasci, renascitur antequam nascatur; quod fieri nullo modo potest ». Ergo nec ut inhabitetur a Deo per gratiam.

6. Item, Augustinus [5], exponens illud [6]: *Antequam exires* etc., loquens de sanctificatione Ieremiae et Ioannis Baptistae, [dicit] quod illa sanctificatio « potest secundum praedestinationem intelligi, sicut filios Dei appellat Evangelium nondum regeneratos [h], cum dicitur, Ioan. 11,51-52, *quod Iesus moriturus* [i] *erat pro gente, ut filios Dei congregaret* ». Ecce filios appellat eos [k] qui futuri erant filii; ergo, si [l] sanctificatio illa nihil aliud est quam praedestinatio, nullus, nec Ieremias nec alius, fuit sanctificatus ante nativitatem: ergo nec [m] inhabitatus a Deo per gratiam.

Contra: *a.* Bernardus, *Ad Lugdunenses* [7]: « Lego de Ieremia quod priusquam ex utero exiret sanctificatus sit, et de Ioanne Baptista non secus sentio ».

b. Item, Ierem. 1,5: *Priusquam* [n] *exires de ventre sanctificavi te.* Glossa [8]: « Ioannes etiam »; ergo uterque sanctificatus.

c. Item, Luc. 1,41: *Exultavit infans* etc. Ambrosius [9]: « Non prius repleta est mater quam filius, sed filius repletus replet et matrem ». Et apparet quod angelus dixerat quod *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae* [10]. Ergo Spiritus Sanctus inhabitavit [o] in ipso Ioanne per gratiam ante nativitatem.

d. Item, Bernardus [11], loquens de sanctificatione B. Virginis: « Fuit procul dubio mater Domini ante sancta quam nata ». Ergo ante nativitatem inhabitavit [p] in ipsa Spiritus Sanctus per gratiam.

e. Item, Bernardus [12]: « Non fallitur omnino Ecclesia celebrans eius nativitatis diem »; sed statui [q] in peccato non debetur gaudium, sed luctus; ergo non fuit nata in peccato; ergo ante nativitatem habuit gratiam et ita redit idem quod prius.

Respondeo quod Deus est in homine per inhabitantem gratiam dupliciter: per gratiam sacramenti secundum legem communem; et hoc modo non inhabitat [r] Deus in homine ante nativitatem, quia per gratiam sacramenti nemo regeneratur antequam nascatur. Alio modo dicitur Deus inhabitare in homine per gratiam Spiritus quae est secundum legem privatam, de qua dicit Augustinus [13] quod « Deus non alligavit potentiam suam sacramentis », quia sine omni sacramento potest sanctificare: et hoc modo inhabitavit Deus per gratiam in quibusdam ante nativitatem, qui habuerunt privilegium sanctificationis in utero.

[Ad obiecta]: 1-6. Dicendum ergo quod Augustinus, in *Epistola ad Dardanum,* loquitur de illa inhabitatione quae est secundum legem communem, non secundum legem privatam. Et hoc patet ex verbis eius; unde dicit: « Illa sanctificatio qua efficimur singuli templa Dei etc. » Per hoc quod dicit [s] 'singuli', patet quod loquitur de illa inhabitatione quae pertinet ad omnes. Est ergo inhabitatio pertinens ad omnes, quae est per gratiam

---

[a] BR om., in F est add. interl. [b] LF add. *est.* [c] PVS om., B exp. [d] PVS *habitari.* [e] PV om. *ergo... tertia,* quod in S est add. mg. [f] BRLF *natus.* [g] B *nativitas* pro *r n.* [h] PVS *renatos,* B *etc.* pro *dicitur.* [i] P *mortuus.* [k] BRLF om. [l] B om. [m] F om. [n] PVS *antequam.* [o] S *habitavit.* [p] PVS *habitavit.* [q] V *statim.* [r] LF *habitat.* [s] B *dico.*

1 Loc. cit.
2 Loc. cit., n. 33 (PL 33, 844).
3 Ioan. 3, 3.
4 Augustin., loc. cit., n. 33 (PL 33, 845).
5 Loc. cit., n. 37 (PL 33, 846).
6 Ierem. 1, 5.
7 *Epist.* 174, n. 3 (PL 182, 333).
8 *Interlin.* ap. Lyran., ex Hieron., in h. l. (PL 24, 683).
9 *Exposit. in Luc. Evang.,* II, n. 23 (PL 15, 1561); cf. Beda, in h. l. (PL 92, 320).
10 Luc. 1, 15.
11 *Epist.* 174, n. 5 (PL 182, 334).
12 Loc. cit.
13 Verbotenus apud Lombard., IV *Sent.,* d. 1, c. 5 (p. 748), ex doctrina Augustini, *De Baptismo,* IV, c. 25, n. 32 (PL 43, 176), *Quaest. in Heptat.,* III, q. 84 (PL 34, 713); cf. Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.,* I, p. 9, c. 5 (PL 176, 324).

sacramentorum, quam nullus habet antequam natus; et est[a] inhabitatio pertinens ad paucos, quae potest esse in existenti in utero. Nec illud vult negare ibidem Augustinus; unde dicit: « Quamlibet igitur sententiam habeamus, vel[b] propter Ioannem » etc.; ponit etiam auctoritatem de regeneratione per sacramentum: *Nisi quis renatus fuerit* etc. Sic[c] patet solutio ad obiecta.

54

CAPUT V.

UTRUM DEUS SIT IN PARVULIS PER INHABITANTEM GRATIAM.

Quinto quaeritur utrum Deus sit in parvulis per[d] inhabitantem gratiam [1].

Ad quod sic opponitur: 1. Bernardus, in libro *De libero arbitrio* [2]: « Deus auctor salutis est, liberum autem[e] arbitrium capax; nec dare valet eam nisi Deus, nec capere nisi liberum arbitrium ». Si ergo in parvulis non est liberum arbitrium secundum actum, quia in eis non est usus liberi arbitrii, relinquitur quod parvuli non sunt capaces gratiae et ita Deus non est in eis per inhabitantem gratiam.

2. Si dicatur quod liberum arbitrium est in parvulis secundum[f] potentiam et hoc sufficit ad susceptionem gratiae inhabitantis – contra: Bernardus, ibidem: « Tam absque consensu esse non potest recipientis quam absque gratia dantis »; sed impossibile est quod gratia salutis detur absque gratia dantis; ergo impossibile est quod detur absque consensu recipientis; cum ergo in parvulis non sit consensus, non est in eis potentia ad susceptionem gratiae inhabitantis.

3. Item, dicit Augustinus, in libro *Retractationum* [3]: « Non miseretur Deus, nisi voluntas praecesserit »; sed Dei miseratio est suae gratiae donatio; ergo non dat gratiam, nisi praecedat voluntas; cum ergo in parvulis non possit esse voluntas vel motus voluntarius, non erunt susceptibiles gratiae inhabitantis; ergo Deus non habitat per gratiam in parvulis.

Contra[g]: *a.* Rom. 5,20-21: *Ubi abundavit*[h] *delictum, superabundavit et gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam per Iesum Christum;* sed peccatum regnavit usque ad mortem in parvulis et adultis; ergo gratia, quae est per Iesum Christum, attinget non solum adultos, sed parvulos; ergo in ipsis est Deus per inhabitantem gratiam.

b. Item, Rom. 5,15: *Non sicut delictum, ita et donum,* quia *gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Si ergo gratia Iesu Christi in plures abundat[i] quam peccatum originale, et peccatum originale attingit parvulos: ergo gratia Iesu Christi attinget parvulos; ergo in ipsis est Deus per inhabitantem gratiam.

c. Item, I Cor. 15,22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Si ergo in Adam moriuntur non solum adulti, sed parvuli, et vivificatio illa est per susceptionem gratiae: ergo in parvulis est potentia[k] ad suscipiendam gratiam [4]; et ita[l] redit idem quod prius.

Solutio: Dicendum quod[m] in parvulis per virtutem Baptismi est Deus per inhabitantem gratiam. Sed notandum quod duplex est iniustitia: est enim iniustitia[n] quam sibi homo facit, et est iniustitia quae homini fit. Iniustitia prima est culpa actualis, quam homo facit per suum liberum arbitrium; iniustitia secunda est culpa originalis, quae contrahitur ex culpa Adae et non ex libero arbitrio eius qui contrahit. Similiter cum iustificatio nihil aliud sit quam reditus de iniustitia ad iustitiam, est[o] iustificatio duplex: una ad[p] quam homo facit, alia ad quam[q] non facit, sed ei fit. Et debet esse quod iniustitia, quae homini fit, removeatur per iustificationem, quae homini fit; iniustitia vero, quam facit, removeatur per iustitiam ad quam faciat aliquid. De qua iustificatione dicit Augustinus [5]: « Qui[r] te creavit sine te, non te iustificat sine te ». Prima est in parvulo, secunda in adulto. Ex hoc patet quod non requiritur consensus in iustificatione prima, quae est parvuli, cum parvulus nihil debeat ibi[s] facere, sed totum ei fieri; sed in secunda requi-

---

[a] BR om. [b] V *et.* [c] BRLF *per hoc.* [d] P om. [e] BRLF om. [f] LF *per.* [g] P *extra.* [h] PVS *superabundavit.* [i] PVS *abundavit.* [k] V *gratia.* [l] BRLF om. [m] V om. [n] F om. [o] PVS *et.* [p] PV om., in S est add. interl. [q] PV om. *f. a. a. q.* [r] BR *quis.* [s] F om.

[1] Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 4, p. 2, a. 2, q. 1 (IV, 112sq.).
[2] *De gratia et lib. arbit.*, c. 1, n. 2 (PL 182, 1002).
[3] Lib. I, c. 26 (PL 32, 628); cf. *De div. quaest. 83*, q. 68, n. 5 (PL 40, 73).
[4] Cf. Augustin., *Contra Iulian., op. imperf.*, II, c. 68 (PL 45, 1171): « Ipse est Adam, in quo si parvuli non moriuntur, profecto nec in Christo vivificabuntur ».
[5] *Sermo* 169, c. 11, n. 13 (PL 38, 923).

ritur consensus, quia oportet quod faciat aliquid quod in se est [a] ad iustificationem, sicut fecit aliquid quod erat in se ad iniustitiam.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc patet quod sufficit potentia liberi arbitrii in parvulo, licet non sit usus, ad susceptionem gratiae iustificantis, licet non sufficiat in adulto.

2-3. Ad aliud [b] quod obicitur de consensu: dicendum quod est consensus in potentia et in habitu [c] et in actu. Consensus in potentia est in parvulo; consensus in habitu est in dormiente adulto, qui firmo proposito, dum vigilaret, consensit ut converteretur [d] ad Deum et petiit gratiam; consensus in actu est in vigilante, qui firmum habet propositum ut ad Deum convertatur. Si ergo generaliter intelligatur illa auctoritas, debet intelligi secundum quod consensus generaliter dicatur istis tribus modis: et sic verum est quod non potest esse [potentia] susceptiva gratiae in qua non est consensus sic vel sic. Consimili autem distinctione voluntatis respondendum est ad obiectum sequens. — Si tamen intelligeremus illud quod sequitur, loquitur illa auctoritas de adultis; unde dicit [1]: « Gratiae operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium ». Sed liberum arbitrium non cooperatur nisi adulto, cum [e] in ipso solo sit usus liberi arbitrii; et propter hoc intelligitur de adulto.

CAPUT VI. 55

UTRUM DEUS DICITUR INHABITARE IN HABENTIBUS GRATIAM GRATIS DATAM.

Sexto quaeritur utrum Deus dicitur inhabitare in hominibus habentibus gratiam gratis datam, ut in Balaam [2] et [f] Caipha [3] et [g] aliis peccatoribus habentibus fidem informem et timorem servilem.

Et videtur quod sic: 1. Quoniam gratia gratis data est donum Dei; ubi ergo est gratia ista, ibi est Deus; ergo per ipsam inhabitat.

Contra: *a*. Tales sunt templum diaboli per peccatum; ergo Deus non inhabitat in illis per gratiam gratis datam.

Solutio: Dicendum quod Deus non dicitur inhabitare nisi per gratiam gratum facientem et non per gratiam gratis datam. — Quid ergo valet gratia gratis data in homine? Dicendum quod sicut videmus in natura quod primo est possibilitas in materia ad suscipiendum formam, postea sunt dispositiones quae disponunt materiam ad susceptionem illius formae, sed ultimo [h] advenit dispositio quae est necessitas, ad quam necessario sequitur positio illius formae in materia: sic dico quod in natura rationali est possibilitas ad hoc ut sit templum; gratia vero gratis data sive dona gratis data [i] sunt sicut dispositiones quae animam ad hoc disponunt, sicut [k] est prophetia, scientia et huiusmodi, nec tamen anima [l] adhuc est templum Dei; sed ultimo sequitur dispositio, quae est necessitas ad quam necessario sequitur quod anima sit templum in quo habitat Deus: et haec dispositio est gratia gratum faciens quae perficit templum; unde ipsa est sicut [m] necessitas uniendi animam veritati [n] summae et bonitati. Quia ergo haec gratia unit et coniungit Deo, alia non: propter hoc inhabitare dicitur Deus secundum [o] gratiam gratum facientem, sed non secundum gratiam gratis datam.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc ergo [p] quod obicitur quod 'ubi est gratia ista, ibi [q] est Deus': dicendum quod verum est; nec tamen sequitur: 'ergo [per] ipsam inhabitat', ut patet ex praedictis.

---

[a] S om. [b] BRF *illud*. [c] S om. *e. i. h.* [d] F *verteretur*. [e] PV *tamen*, quod S corr. in mg. [f] VBR add. *in*. [g] R add. *in*. [h] BR *ultima*. [i] R om. *s. d. g. d.* [k] L *sic*. [l] R om. [m] L *sic*. [n] LF *unitati*. [o] L *per*. [p] B om. [q] BRLF om.

1 S. Bernard., loc. cit., c. 1 n. 2 (PL 182, 1002).
2 Cf. Num. 22.
3 Cf. Matth. 26 et Ioan. 11, 49-52 ac 18, 14; cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 6, c. 2, q. 1 (f. 54ab).

QUAESTIO IV.

DE IMMENSITATE DEI QUANTUM AD DURATIONEM

SEU DE AETERNITATE EIUS.

Consequens [a] est inquirere de immensitate divinae essentiae quantum ad aeternitatem. Et multiplicantur quaestiones in hac parte per hunc modum:

Primo [b] quaeritur quid sit aeternitas secundum nomen;

secundo, quid sit [c] secundum rem;

tertio, quid [d] secundum definitionem;

quarto, quomodo probetur aeternitas de divina essentia [e];

quinto, de immensitate aeternitatis;

sexto, de invariabilitate aeternitatis;

septimo, de unitate aeternitatis;

octavo, de incommunicabilitate [f] aeternitatis;

nono, de comparatione aeternitatis ad aevum;

decimo, de comparatione aeternitatis ad tempus.

MEMBRUM I.

Quid sit aeternitas et quomodo de Deo probetur.

CAPUT I.

QUID SIT AETERNITAS SECUNDUM NOMEN.

Quantum ad primum quaeruntur duo:

Unum est si eadem est intentio nominis aeternitatis et sempiternitatis;

secundum, cum aeternum dicatur de Creatore et creaturis, an [g] univoce vel aequivoce dicatur.

56

ARTICULUS I.

Utrum eadem est intentio nominis aeternitatis et sempiternitatis.

Ad primum obicitur sic: *a.* Boethius, in libro *De Trinitate* [1]: « Tantum interest inter nostrum praesens, quod est [h] ' nunc ', et divinum [i], quod nostrum ' nunc ', quasi currens tempus, facit sempiternitatem; divinum vero ' nunc ', permanens nec movens sese atque consistens [k], aeternitatem facit ». Ex hoc ergo relinquitur quod diversa est intentio sempiternitatis et aeternitatis, quia [l] sempiternitas constituitur ex nostro ' nunc ', aeternitas vero ex divino ' nunc '.

b. Item, quidquid est semper est sempiternum; sed quidquid est [m] omni tempore est semper; ergo quidquid est [n] omni tempore est sempiternum; cum ergo angeli sint omni tempore et semper, sunt sempiterni: Augustinus, XII *De civitate Dei* [2]: « Angeli semper », id est « omni tempore, fuerunt ». Sed constat quod de ipsis angelis proprie [o] dicitur quod non sint aeterni; de aliquo ergo est dicere ' sempiternum ' [p], de quo non est dicere ' aeternum ' [q]; ergo non est idem [r] aeternitas et sempiternitas [3].

Contra: 1. Augustinus, in XI *Confessionum* [4]: « Praeteritum iam non est, futurum nondum est, praesens [s] autem, si semper esset praesens, iam

---

[a] SRL *consequenter.* [b] BRLF add. *enim.* [c] LF om. [d] S add. *sit.* [e] R om. *d. d. e.* [f] Ita F, alii *incommutabilitate.* [g] S om. [h] PV om., in S est add. mg. [i] V *diurnum.* [k] PVS *existens.* [l] B *id est.* [m] BR add. *in.* [n] BR add. *in.* [o] PV om., in S est add. mg. [p] F add. *eternum.* [q] F add. *sempiternum.* [r] V add. *dicere.* [s] P repetit.

1 Cap. 4 (PL 64, 1253).
2 Cap. 15, n. 2 (PL 41, 364).
3 Cf. Alan., *Dist. dict. theol.* (PL 210, 695).
4 Cap. 14 (PL 32, 816).

non esset tempus, sed aeternitas ». Ad semper ergo esse praesens sequitur aeternum; sempiternitas ergo, quae habet intentionem ex 'semper esse', erit aeternitas.

2. Item, Boethius, in libro *De Trinitate*[1]: « Divino 'nunc' si adicias 'semper', facies eius quod est 'nunc' vigere perpetuum cursum, quod est sempiternitas ». Ex quo relinquitur primum.

Respondeo: Sicut 'semper esse' dicitur duobus modis, ita et sempiternitas: semper enim esse uno modo dicitur [a] omni tempore esse; alio modo 'semper esse' dicitur nunquam non esse, sed sine principio esse et sine fine[2]. Unde Augustinus, XII *De civitate Dei*[3]: « Angeli semper fuerunt, quia [b] omni tempore fuerunt; nec tamen coaeterni Deo sunt, quia ille semper fuit aeternitate ». Primo ergo modo differt sempiternitas et re et nominis intentione ab aeternitate; secundo modo non differt re, sed sola nominis ratione. Unde Richardus de S. Victore, in libro *De Trinitate*[4]: « Aliud videtur sonare aeternum, aliud sempiternum. Sempiternum namque esse videtur quod caret initio et fine; aeternum vero quod caret principio et fine et omni [c] mutabilitate et, quamvis forsitan neutrum sine [d] altero inveniatur, recte tamen inter nominum significationes distinguitur [e] ».

[Ad obiecta]: Ex hoc ergo patet responsio ad obiecta et relinquitur quid sit aeternitas secundum nominis rationem. Unde Richardus[5]: « Quid est aeternitas? nisi diuturnitas sine initio, sine fine, carens omni mutabilitate ».

ARTICULUS II. 57

An aeternum dicatur univoce vel aequivoce de Deo et de creaturis.

Deinde quaeritur, cum aeternum dicatur de creaturis — ut de angelis, in Psalmo[6]: *Elevamini portae aeternales;* et de corporibus caelestibus, in Psalmo[7]: *Statuit ea in aeternum;* et de suppliciis malorum, in Ioan.[8]: *Ibunt hi in supplicium aeternum;* et de tempore, Rom. ultimo, 25: *Secundum revelationem mysterii a [f] temporibus aeternis* — et aeternum dicatur de Deo, utrum dicatur univoce, secundum quod dicitur [g] de Deo et de [h] creaturis, vel aequivoce.

Et, cum non videatur aliquid commune convenire secundum rationem substantiae tempori, aevo et aeternitati, ergo aeternum aequivoce dicetur et aeternitas, secundum [i] quod de temporali dicitur et aeviterno [k] et aeterno.

Contra: *a.* Augustinus, in [l] *83 Quaestion.*, quaestione 23[9]: « Anima aeternitatem creditur consequi, sed haec aeterna aeternitatis participatione fit »; quae autem [m] dicuntur de Deo per essentiam, de creaturis per participationem, non dicuntur aequivoce, sed magis analogice: quemadmodum bonum et iustum, sapientia et vita. Cum ergo aeternum sive aeternitas de Deo dicatur per essentiam, de creatura vero per participationem, cum [n] dicitur 'Deus aeternus' [o], dico aeternitatem per essentiam, quia sua essentia est sua aeternitas; et cum dicitur 'angelus aeternus', non dico aeternitatem per essentiam, cum essentia non sit aeternitas, sed dico per participationem, eo quod sit [p] in participatione divinae aeternitatis. Relinquitur ergo quod non dicitur [q] aequivoce; erit igitur communis aliqua ratio, et si non omni modo, tamen secundum prius et posterius accepta.

[Solutio]: Quod concedendum est. Dicendum ergo quod aeternitas, dicta de Deo, de angelo, de poena aeterna et de [r] tempore, dicitur analogice, scilicet [s] secundum prius et posterius. Et in hac ratione, secundum quod aeternitas dicitur diuturnitas non habens finem, per prius ergo dicitur de diuturnitate divina, quae est diuturnitas non habens finem nec principium nec mutabilitatem ex se nec ex alio; per consequens vero dicitur de diuturnitate substantiae aeviterni, ut angeli, quae est diuturnitas non habens finem, nec ex se nec ex alio nec mutabilitatem, tamen habens principium; per posterius vero dicitur de diuturnitate poenae reproborum, quae est diuturnitas non habens finem nec ex se nec ex alio, tamen habens mutabilitatem et principium. Postremo vero dicitur de diuturnitate temporis, quae est diuturnitas non habens finem ex se, sed ex alio, et habet mutabilitatem et principium. Tempus enim non habet aliquam [t] rationem defectus in se — nisi in illa ratione qua dicitur esse de nihilo, quemad-

---

[a] R add. *esse.* [b] S add. *in.* [c] B *eum.* [d] L *sub.* [e] S *distinguuntur.* [f] BRLF om. [g] BRF om., L om. *s. q. d.* [h] BRL om. [i] PVS add. *id.* [k] S exp., F om. *e. a.*, quod in L est add. mg. [l] PVF om. [m] PVS *igitur que* pro *q. a.* [n] F add. *ergo.* [o] PVS *eternitas.* [p] S *habet*, V *per* pro *in.* [q] L *dicentur* [r] BRLF om. [s] B om. [t] B om

[1] Cap. 4 (PL 64, 1253): « Cui nomini si adiicias 'semper', facies eius, quod est 'nunc', iugem indefessumque ac per hoc perpetuum cursum, quod est sempiternitas ».

[2] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 36, p. 1, a. 2, q. 1, *ad 4* (I, 643b).

[3] Cap. 15, n. 2 (PL 41, 364)

[4] Lib. II, c. 4 (PL 196, 903).

[5] Loc. cit.

[6] Psalm. 23, 7.

[7] Psalm. 148, 6.

[8] Rectius Matth. 25, 46.

[9] PL 40, 16. Etiam sequentia, partim secundum sensum, ibidem invenire est.

modum et quaelibet creatura — quia motus primi mobilis [1] non habet aliquam rationem deficiendi, quantum est de se; nec ex parte mobilis: quamvis et tempus et motus primi mobilis rationem habeant deficiendi ex alio, scilicet ex voluntate Creatoris velut causae agentis, et ex parte hominis, ad cuius multiplicationem ordinatur motus et tempus. Unde multiplicato numero electorum [a] hominum praeordinato a Deo, cessare debet motus et tempus [2]. Ex fine ergo et efficiente primo habet rationem deficiendi tempus, quamvis non habeat ex parte subiecti, sicut primi mobilis, nec etiam ex sui forma, quae intelligitur ut circulus, quemadmodum et motus primus. Unde Boethius hac ratione dicit, ultimo *De consolatione* [3], quod aeternitatem « infinitus temporalium motus imitatur, sed quoniam manere [b] non potuit in infinitum temporis iter arripuit; sicque factum est ut continuaret eundo vitam », hoc est esse, « cuius plenitudinem complecti non valuit permanendo ».

Ad illud [c] vero quod dicitur in Psalmo de corporibus caelestibus: *Statuit ea in aeternum*, intelligendum [d] quod illud refertur ad substantiam corporum, non ad motum; et ibi 'aeternum' accipitur pro perpetuo: manebunt enim perpetuo quantum ad substantiam.

Ad illud etiam quod dicitur Rom. ultimo, 25: *temporibus aeternis*, dicendum quod intelligitur uno modo, ut dicit Augustinus, ut tempus accipiatur pro aevo, in libro *83 Quaestionum*, 72 quaestione [e 4]. — Alio modo exponitur in Glossa [5]: « Aeterna tempora dicit quae praecesserunt mundi exordium ». Quod intelligendum est ut « mundi exordium » intelligatur constitutio [f] mundi completi in generibus et speciebus, ante quam constitutionem praeintelligitur conditio et distinctio et dispositio rerum secundum opera sex dierum, secundum quas mutationes [g] per quamdam improprietatem dicuntur tempora aeterna; et hoc modo exponunt quidam [6]. Vel 'tempora aeterna' dicit tempora in divina dispositione, non in sui natura; et tunc determinatio 'aeterni' trahit tempus extra suam rationem ut non supponantur [h] per 'aeterna tempora' tempora in rerum natura, sed rationes temporum, quae sunt in divina dispositione.

58 CAPUT II.

QUID SIT AETERNITAS SECUNDUM REM.

Deinde quaeritur de aeternitate, quid sit secundum rem.

Ad quod sic: *a.* « Quidquid est in Deo est Deus [7] »; sed aeternitas est in Deo; ergo est Deus.

b. Item, Anselmus [8]: « Aeternitas huius [i] rei est, quae nihil aliud est quam ipsa, immutabilis ens et sine partibus ».

c. Item, si aeternitas non est Deus et est ab aeterno, erunt ergo diversa ab aeterno.

Contra: 1. Augustinus, in libro *83 Quaestionum*, 23 quaestione [9]: « Anima fit aeterna aeternitatis participatione: non [k] ita aeternus Deus, sed quia ipsius aeternitatis est auctor ». Si ergo semper differunt in substantia auctor et eius effectus, non erit igitur Deus aeternitas, cum sit auctor aeternitatis.

2. Item, Philosophus, in libro *De causis* [10]: « Omne quod est: aut est ante aeternitatem », ut Deus, « aut cum aeternitate », ut angelus et anima, « aut post aeternitatem », ut tempus et temporalia. Si ergo Deus est ante aeternitatem et nihil est ante se, non erit aeternitas Deus.

Respondeo: Aeternitas dicitur proprie diuturnitas sine principio et sine fine et sine mutabilitate: et secundum hoc convenit aeternitas soli divinae naturae. Sic [l] cum dicitur 'aeternitas', significatur divina essentia ut diuturnitas immensa, quemadmodum cum dicitur 'incircumscriptibili-

---

[a] L *elementorum.* [b] S *quando immanere* pro *q. m.* [c] V *aliud.* [d] P *intelligitur*, B add. *est.* [e] PV om. *72 Q.*, F om. *Q.* [f] L *institutio*, R om. *in.* [g] B *imitationes.* [h] Ita B, alii *supponatur.* [i] BRL (corr.) F *eius.* [k] V *et.* [l] Codd. *sed.*

[1] Primum mobile apud antiquos intelligitur caelum, quod habet motum circularem ac proinde continuum et indefinitum, quippe qui ex natura sua est sine principio, sine medio et sine fine. Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, cc. 8 et 9 (II 359-364).

[2] Cf. Apoc. 10, 6: *Tempus non erit amplius.*

[3] Lib. V, pr. 6 (PL 63, 859 sq.).

[4] PL 40, 84.

[5] Lombardi, *in Rom.* 16, 25 (PL 191, 1531), verbotenus ex Haymone, in h. l (PL 117, 507).

[6] Cf. Hieronym., *In Epist. ad Tit.*, c. 1, 2 (PL 26, 559), ex quo verbotenus desumpsit Rabanus, *Enarr. in Epist. Pauli*, XXV, c. 1 (PL 112, 657); Alcuin., *Expos. in Epist. ad Tit.*, c. 1 (PL 100, 1011) et Hervaeus, *Comment. in Epist. ad Tit.*, c. 1 (PL 181, 1479); cf. Pseudo-Hugo de S. Vict., *Quaest. in Epist. Pauli*, q. 331 (PL 175, 512); Anonym., *Quaest. theol.*, Bibl. Paris. Nat. cod. lat. 16406 (f. 2c) et cod. lat. 15272 (f. 145c).

[7] Alan., *Theol. regul.*, reg. 9 (PL 210, 628).

[8] *Monol.*, c. 24 (PL 158, 177): « Eamdem quoque summam substantiam constat sine principio et sine fine esse... quoniam aetas sive aeternitas eius, quae nihil aliud est quam ipsa, immutabilis et sine partibus est ».

[9] PL 40, 16.

[10] § 2 (p. 165), quibusdam mutatis.

tas', significatur ut[a] extensio immensa. Item aeternitas dicitur communiter duratio non habens finem: et secundum hoc nomen aeternitatis extenditur ad creaturas perpetuas.

[Ad obiecta]: 1-2. Et in hoc sensu intelliguntur auctoritates Augustini et Philosophi, secundum quod dicit B. Dionysius, in libro *De divinis nominibus*[1]: « Absolute ingenita », id est sine principio, « et vere perpetua dicuntur aeterna » sicut divina. Item[2]: « Incorrupta et immortalia[b] dicuntur aeterna », ut cum dicitur[3]: *Et elevamini portae aeternales,* et similia.

CAPUT III. 59

QUID SIT AETERNITAS SECUNDUM DEFINITIONEM.

Postea quaeritur quid sit aeternitas secundum definitionem.

Ad quod: *a.* Boethius, in fine *De consolatione*[4]: « Aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio ». Hanc definitionem exponit Boethius sic[5]: « Quidquid vivit in tempore, id[c] praesens a praeteritis in futura procedit: nihil enim est in tempore constitutum quod totum vitae suae spatium possit amplecti, sed crastinum quidem[d] nondum apprehendit, hesternum vero iam perdidit. Quod igitur interminabilis vitae plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet, cui nec futuri aliquid absit nec aliquid praeteriti fluxerit, id aeternum iure perhibetur ».

Sed obicitur contra singulas partes: 1. Primo, quia videtur haec definitio convenire perpetuitati, quae est in animabus et angelis beatis: eorum enim perpetuitas est « interminabilis vitae » interminabilis « possessio tota simul ».

2. Item, cum aeternitas sit diuturnitas durationis, duratio autem respicit esse: ergo magis debet dici 'interminabilis esse possessio' quam « interminabilis vitae ».

3. Item, cum 'totum' dicat constitutum ex partibus, qualiter dicitur « tota »? cum aeternitas non habeat partes.

4. Item, qualiter dicitur ibi « simul »? cum 'simul'[e] dicat pluralitatem differentium secundum substantiam.

5. Item, qualiter dicitur « possessio »? cum possessio ponat prius et posterius, quasi 'sessio post', in aeternitate autem nullo modo accipitur prius et posterius. — Praeterea, videtur repugnare ei quod est « simul ».

6. Item, quare aggregantur tot conditiones in definitione aeternitatis?

7. Item, estne haec definitio conveniens aeternitati creatae et increatae?

Respondeo: 7. Definitio ista Boethii convenit aeternitati increatae et, sicut quibusdam[6] visum est, tanguntur tres conditiones quae sunt inseparabiles ab aeternitate increata, quae sunt: interminabilitas, invariabilitas, simplicitas. Est enim quiddam quod est terminabile et ex parte ante et ex parte post, ut generabilia et corruptibilia: ad quorum differentiam dicitur aeternitas « interminabilis vitae possessio ». — Item, sunt interminabilia ex parte post[f], sicut perpetua, et tamen sunt mutabilia seu variabilia: ad quorum differentiam additur « tota simul »; nihil enim variabile est totum simul, immo[g] quiddam habet actu, quiddam nondum habet. — Item, quoddam est esse et interminabile et invariabile, sed tamen compositum, sicut est esse angelicum, quod habet compositionem, sicut[h] dicit Boethius[7], ex eo 'quod est' et 'quo est': ad cuius[i] differentiam additur « perfecta »; illud enim[k] summe perfectum est, cui non est possibilis aliqua additio et ubi non est aliqua pars possibilis respectu totius: et simplicitate ista solus Deus perfectus est, quia quidquid est in eo ipse est[8]. Per primum ergo separatur esse aeternitatis ab omni corruptibili; per secundum ab omni variabili; per tertium ab omni composito, sive sit compositum ex materia et forma sive ex eo 'quod est' et 'quo est' sive ex differentiis.

[Ad obiecta]: Et per hoc fere patet responsio ad obiecta.

1. Ad primum quod 'videtur convenire perpetuitati angelorum' iam patet responsio, quia etsi possit dici « interminabilis vitae possessio tota simul », non tamen « perfecta », ut dictum est. — Praeterea, cum hoc quod dico

---

[a] L om. [b] L *immobilia*, S *corrupta* pro *incorrupta*. [c] F add. *est*. [d] PVS *quod*, codd. *non* pro *nondum*. [e] V om., P om. *c. s.*, quod in S est add. mg. [f] BRLF om. *e. p. p.*, V om. *tamen*. [g] PVS *unde*. [h] BRLF *secundum quod*. [i] PVS *quorum*. [k] V om.

1 Cap. 10, § 3 (PG 3, 938, PL 122, 1164).
2 Ibidem.
3 Psalm. 23, 7.
4 Lib. V, pr. 6 (PL 63, 858).
5 Ibidem.
6 Cf. Anonym., *Quaest. theol.*, Bibl. Paris. Nat. cod. lat. 16406 (f. 2d) et cod. lat. 15272 (f. 145b).
7 *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).
8 Cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 9 (PL 210, 628).

'interminabile' dicatur per abnegationem termini — est autem terminus initialis et finalis — interminabilitas simpliciter dicetur per abnegationem utriusque termini, scilicet principii et finis: et hoc modo « interminabilis vitae possessio » convenit soli aeternitati, et non perpetuitati angelorum, quamvis eis conveniat interminabilitas secundum quod est abnegatio termini finalis tantum.

2. Ad secundum quod obicit quod 'male ponitur « interminabilis vitae », sed magis [debet dici] interminabilis esse': respondendum quod 'vita' hic dicitur communissime, extenso nomine pro actualitate existendi [a]; secundum quem modum dicit Augustinus, *Contra Maximinum* [1]: « Solus Deus habere immortalitatem dicitur. In omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia [b] facit aliquid in ea non esse, quod prius [c] erat ». In hoc sensu accipit Boethius; unde de expositione definitionis loquens, de serie motus rerum mutabilium dicit sic [2]: « Factum est [d] ut motus temporalium eundo continuaret vitam, cuius plenitudinem complecti [e] non valuit permanendo ».

3. Ad tertium dicendum quod 'totum' dicitur secundum positionem [f] constitutum ex partibus: et hoc modo non accipitur 'totum'; alio modo 'totum' dicitur per abnegationem diminutionis, ut 'totum' dicat non-diminutum vel cui nihil est [g] extra: et hoc modo accipitur 'totum'.

4. Ad quartum dicendum simili modo quod 'simul' aliquando dicitur per positionem, et tunc dicit convenientiam aliquorum secundum situm vel locum vel tempus: et hoc modo non accipitur hic 'simul'; aliquando vero dicitur per privationem successionis: et hoc modo accipitur ad distinctionem aeternitatis a tempore et temporali; unde per hoc quod dicitur « simul » ostenditur quod non sit ibi [h] successio.

5. Ad quintum est responsio quod, quantum ad nominis interpretationem, 'possessio' dicitur quasi 'post sessio' et habet intentionem prioris et posterioris; quantum vero ad naturam rei, 'possessio' dicitur rei quae habetur ad libitum: unde per hoc ponitur intellectus beatitudinis vel felicitatis in aeternitate divina.

6. Ad aliud dici potest quod in [i] ratione aeternitatis aggregantur eae differentiae hac ratione: in quibusdam enim rebus est terminabilitas simpliciter: ad quarum [k] differentiam ponitur « interminabilis ». — In quibusdam vero est interminabilitas essentiae, sed non vitae, ut in corporibus caelestibus: ad quorum differentiam additur « vitae ». — Item, in quibusdam est interminabilitas vitae, sed tamen cum miseria et infelicitate, ut in daemonibus et damnatis: ad quorum differentiam additur « possessio », in cuius intellectu est iucunditas felicitatis. — Item, in quibusdam est interminabilis [l] vitae possessio, sed tamen non tota, ut in hominibus beatis ante iudicium, quorum est beatitudo secundum partem animae, non corporis: ad quorum differentiam dicitur 'totum'. — Item, in quibusdam est « interminabilis vitae possessio tota », ut in angelis beatis ante iudicium, quia secundum totam sui substantiam habent felicem et interminabilem vitam, sed tamen non « simul », cum aliqua sit in eis successio revelationum et gaudiorum [m]. — Item, in quibusdam est « interminabilis vitae possessio et tota simul », sed tamen non « perfecta », eo modo quo nos dicimus 'perfectum' nullo indigens, secundum quem modum est in angelis et in [n] hominibus beatis post [o] iudicium: ad quorum differentiam [p] additur in definitione aeternitatis 'perfectum' nullo [q] indigens ad suum beatum esse.

60

CAPUT IV.

QUALITER PROBETUR DE DIVINA ESSENTIA AETERNITAS.

Sequitur qualiter probetur de divina essentia aeternitas [r].

Arguit autem hoc modo *a*. Richardus de S. Victore [3]: « Nihil omnino potest esse a semetipso quod non sit ab aeterno: quidquid enim ex tempore esse [s] coepit, fuit [4] quando non fuit; sed quamdiu nihil fuit, omnino nihil habuit et omnino [t] nihil potuit; nec sibi ergo [u] nec alteri esse dedit ». Relinquitur igitur quod, sicut supra dictum est [5], quod si aliquid est non ex tempore, quod sit aeternum.

b. Item, omne quod non est aeternum habet esse post non esse, et omne tale exivit de non esse

[a] BRLF *essendi*. [b] V *que*. [c] BRLF om. [d] V om. [e] PV *compleri*, quod S corr. in mg. [f] L *compositionem*. [g] V om. [h] BR om. [i] PVS om. [k] BRLF *quorum*. [l] V *interminabilitas*. [m] LF om. totum hoc argumentum: *Item... gaudiorum* [n] F om. [o] PV *ante*, quod S corr. in mg. [p] R om. [q] V *cui multo*, L add. *modo*. [r] V om. [s] PVS om. [t] PV *ideo*, quod S corr. [u] Fom.

1 Lib. II, c. 12, n. 2 (PL 42, 768); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 8, c. 2 (p. 60).
2 *De consol. philos.*, V, pr. 6 (PL 63, 860).
3 *De Trinit.*, I, c. 6 (PL 196, 894).
4 Supple *tempus*.
5 Cf. supra, p. 40a.

in esse; cum ergo nullum increatum habeat esse post non esse, quia sequeretur quod haberet esse per alium per quem educeretur in esse: relinquitur ergo quod omne quod non est aeternum est creatum; a destructione ergo consequentis [1], omne increatum est aeternum.

Sed obicitur 1. de ratione consequentiae qua arguit Richardus [2]: « Si aliquid est [a] a semetipso, non ab alio, est ab aeterno ». Ad privationem ergo principii, posito ente [b] aliquo tali, sequitur aeternitas; cum [c] ergo de intentione aeternitatis sit non solum privatio principii substantialis, sed etiam privatio finis, quare non sequitur: 'aliquid est non habens finem, ergo est aeternum', sicut [d] 'aliquid est non habens principium, ergo est [e] aeternum'?

2. Item, quaedam sunt quae non habent principium nec finem, sicut Deus; quaedam quae habent principium et finem, ut temporalia; quaedam quae habent principium et non finem [3], ut perpetua, ut substantiae spirituales. Videtur ergo ad complementum universi quod sit quarta differentia: eorum quae habent finem, sed non principium.

Respondeo: 1. Ad primum, quoniam omne quod non habet principium, nihil habet de non esse in suo esse admixtum; et quia nihil habet de non esse in suo esse admixtum, non est vertibile in non esse et ideo non potest habere finem; et ideo sequitur: si non habet principium, quod non habet finem, et ita quod est aeternum. Ratio igitur consequentiae necessaria est: « si aliquid est a semetipso, quod est ab aeterno ». Ex parte autem alia, cum omne quod habet principium differens in substantia, habeat esse post non esse, vertibile est in non esse et convenit ei non fuisse; et ideo non poterit esse aeternum, quamvis statuatur immutabile ad non esse ex voluntate Creatoris.

2. Ad secundum dicendum [f] quod quarta differentia, scilicet 'non habere principium, sed habere finem', est impossibilis, quia aut poneretur creatum aut non creatum. Si ponitur creatum: iam est habens principium et ideo non est aeternum. Si ponitur non creatum: iam, sicut patet ex dictis [4], cum nihil habeat admixtum de non esse, ergo erit aeternum. Nullo ergo modo poterit poni [g] illa quarta differentia.

MEMBRUM II.

De proprietatibus aeternitatis.

CAPUT I. 61

DE IMMENSITATE AETERNITATIS.

Consequenter [h] quaeritur de immensitate aeternitatis. Quaeritur ergo an [i] aliquid possit intelligi [k] commensurabile aeternitati.

Ad quod sic obicitur: 1. Omnis pars aliquotiens sumpta reddit totum; sed « tempus est pars aeternitatis », sicut dicit Tullius [5]; ergo tempus aliquotiens sumptum erit aequale [l] aeternitati.

2. Item, quae non habent finem, sicut perpetua, non exceduntur in duratione a parte post ab aeternitate; ergo ex [m] parte post sunt aequalia aeternitati.

3. Item, Augustinus [n], XI *Confessionum* [6]: « Praesens tempus, si semper esset praesens, iam non esset tempus, sed aeternitas »; sed praesens tempus potest intelligi semper esse praesens; ergo potest intelligi esse aeternitas; ergo multo magis aequale aeternitati.

4. Item, Anselmus, in *Proslogion* [7], loquens ad Dominum dicit: « Tu imples et complecteris omnia; tu es ante et ultra omnia. Et quidem ante omnia es, quia antequam fierent, tu es. Ultra vero omnia quomodo es? qualiter enim es ultra omnia quae finem non habebunt »?

---

[a] V repetit. [b] R *ante*, quod expunctum S corr. in mg. [c] V om., L om. *ergo*. [d] S *si*. [e] B om. [f] L om. [g] L om. [h] PVS add. *ergo*. [i] L *utrum*. [k] PVS *poni*. [l] Ita V, alii *equabile*. [m] F *a*. [n] BRLF add. *in*.

1 Cf. supra, p. 40, nota 4.

2 Loc. cit., cc. 6, 8, 11 (PL 196, 894sqq.), ex variis capitibus contractum. Cf. supra, p. 40, num. 25, I.

3 Cf. Gundisal., *De unitate* (p. 5).

4 Cf. *ad 1.*

5 Cicero, *Rhetoricor.*, I, c. 26: « Tempus est id quo nunc utimur (nam ipsum quidem generaliter definire difficile est), pars quaedam aeternitatis, cum alicuius annui, mensurni, diurni, nocturnive spatii certa significatione ». De hac aeternitatis definitione seu, ut ipse dicit, « descriptione Philosophi » agit etiam Praepositin., *Summa*, I (f. 88b). Philip. Grevius, *Summa*, II (f. 14b) eam tribuit Platoni: « Item, Plato: Est tempus pars aeternitatis ».

6 Cap. 14 (PL 32, 816).

7 Cap. 20 (PL 158, 237).

Contra: *a.* Richardus, in libro *De Trinitate* [a] [1]: « Constat quod qui aeternitatem habet immensitatem utique non habere non [b] valet ». « Immensum vero dicitur quod nulla mensura comprehenditur; immensum vero dicitur [c] quod nulli mensurae aequale vel mensurabile invenitur [2] ». Si ergo impossibile est aliquid aequari immensitati, impossibile erit aequari aeternitati.

Respondeo: Dicendum quod nihil est aequabile [d] aeternitati divinae.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod dicitur primo: « tempus est pars aeternitatis »: dicendum quod [e] per similitudinem dictum est. Non enim dicitur « pars aeternitatis » eo quod integretur aeternitas ex tempore sicut sua parte, sed istud dicitur ratione durationis aeternitatis excedentis tempus. Pars enim et totum dupliciter comparantur: uno modo est comparatio substantialis, quia totum componitur ex partibus: et hoc modo non [f] est tempus pars aeternitatis; alio modo est comparatio habitudinalis, secundum quod excedit omne totum suam partem: hac [g] igitur similitudine dicitur tempus « pars aeternitatis », quia exceditur ab aeternitate, quia ante tempus est aeternitas et cum tempore et post tempus.

2. Ad secundum respondet Anselmus, in *Proslogion* [3], assignans tres rationes quare perpetua non possunt aequari aeternitati etiam ex parte post. Quarum prima est, quia « perpetua sine Deo nullatenus [h] esse possunt; Deus autem nullo modo minus est si illa redeant in nihilum: et sic quodam modo est ultra illa ». — Secunda ratio est, quia « illa possunt cogitari habere finem, Deus vero nequaquam: et hoc modo perpetua habent finem quodam modo, Deus autem nullo modo; et certe quod nullo modo habet finem, ultra illud est quod aliquo modo finitur ». — Tertia ratio est, quia « aeternitas Dei et perpetuorum tota Deo praesens est, cum illa nondum habeant de sua aeternitate quod venturum est, sicut iam non habent quod praeteritum est: et sic Deus est ultra perpetua, cum semper ipsis et sibi sit praesens, seu cum illud semper sit ei praesens ad quod illa nondum pervenerunt ».

3. Ad tertium dicendum, cum ponitur per impossibile praesens semper esse praesens, iam ponitur extra rationem temporis, cuius esse est [i] in successione et fluxu [k] praesentis ac de praeterito in futurum; et ideo non sequitur quod si praesens possit intelligi esse aeternitas, quod propter hoc tempus. Immo, posito adhuc quod tempus, secundum quod videtur [4] posuisse Aristoteles [l] [5], non habuisset initium nec finem, adhuc tamen non esset coaeternum Deo, sicut ostendit Boethius, in libro *De consolatione* [m] [6]: « Vitae immobilis praesentarium [n] statum, id est aeternitatem, infinitus ille temporalium rerum motus imitatur, cumque eum effingere atque aequare non possit, ex immobilitate deficit in motum, ex simplicitate praesentiae decrescit in infinitam [o] futuri ac praeteriti quantitatem; et cum totam pariter vitae suae plenitudinem tempus [p] nequeat possidere, hoc ipso quod aliquo modo nunquam desinit esse illud quod explere atque exprimere non potest, aliquatenus videtur aemulari, scilicet aeternitatem, alligans se ad qualemcumque praesentiam illius exigui momenti; et quoniam manere non potuit, in infinitum temporis iter arripuit ».

Per hoc ergo patet responsio ad omnia [q] obiecta [7].

62 CAPUT II.

DE INVARIABILITATE AETERNITATIS.

Postea quaeritur de invariabilitate aeternitatis.

Ad quod sic arguitur: *a.* Anselmus, in *Monologion* [8]: « Summam substantiam constat sine principio et sine fine esse nec [r] habere praeteritum aut futurum nec temporale hoc labile praesens quo nos utimur, quoniam aetas sive aeternitas eius nihil aliud est quam ipsa immutabilitas, et sine partibus est ». Sic ergo aeternitas est invariabilis.

b. Item, in eodem [9]: « Sicut summa essentia semper sibi omni modo [s] est eadem substantialiter, ita nunquam est a se diversa ullo modo vel accidentaliter ». De summa ergo incommuta-

---

[a] B *eternitate.* [b] B om. [c] F om. *quod nulla... dicitur.* [d] V *equale.* [e] BRLF om. *d. q.*, S exp. *dicendum*, B *secundum* pro *per.* [f] V om. [g] PV *hic*, quod S corr. per exp., V om. *partem.* [h] R *non.* [i] BR om. [k] P *fluxi.* [l] F om., V deleto *Richardus*, corr. interl. *Aristoteles*, quod L habet in mg., S (mg.) L add. *quod.* [m] R add. interl. *Hunc enim*, BRLF *vita* pro *vitae.* [n] PVSBR *presentiarum*, L *presentiarum*, F *presentialium.* [o] P *infinitum*, VBR om. *in.* [p] BR *temporis.* [q] V om. [r] B om. [s] S exp. *o. m.* et corr. mg. *omni materia*, F *manet* pro *omni modo est.*

1 Lib. II, c. 7 (PL 196, 905).
2 Ibid., c. 6 (PL 196, 904).
3 Cap. 20 (PL 158, 237), ubi verba *est* etc. in secunda persona *es* ponuntur.
4 Cf. infra, p. 94, nota 8.
5 *Phys.*, IV, c. 11 in fine (II, 302).
6 Lib. V, pr. 6 (PL 63, 859).
7 *Ad 4* responsum est in solutione *ad 2.*
8 Cap. 24 (PL 158, 177).
9 Cap. 25 (PL 158, 179).

bili natura nihil potest dici unde mutabilis possit intelligi; non ergo potest poni in aeternitate variabilitas, quia per hoc sequeretur quod in esse divinae essentiae poneretur mutabilitas.

Contra: 1. Anselmus, in *Proslogion*[1], loquens ad Deum, sic obicit: « Si per aeternitatem tuam, Deus, fuisti et es et eris, et esse non est fuisse vel futurum esse »: ergo in tua aeternitate est variatio et diversitas praesentis, praeteriti [a] et futuri.

2. Item, si responderetur, sicut ipse respondet ibidem[2], quod « de aeternitate Dei nihil praeterit ut iam non sit, nec aliquid futurum est quasi nondum sit [b]: non ergo fuit heri aut erit cras, sed heri et hodie et cras est; immo nec heri nec hodie nec cras est, sed simpliciter est extra omne tempus » – contra: Si divina essentia nunquam fuit heri aut erit cras, ergo quaecumque enuntiantur de divina essentia praeterite vel future, falso enuntiantur; ergo ista 'Deus fuit' vel haec 'Deus erit' simili ratione et haec erit falsa 'Deus est', cum, sicut ipse dicit, in *Monologion*[3], « summa substantia non habet hoc temporale labile praesens quo nos utimur ».

3. Item, arguit Anselmus, in *Monologion*[4], sic: « Nullo modo creatrix essentia aut aetas aut aeternitas eius recipit praeteritum vel futurum; praesens enim quomodo non habet, si vere est? sed 'fuit' significat praeteritum, et 'erit' futurum; nunquam ergo illa fuit vel erit ».

Respondeo, secundum Anselmum, in *Monologion*[5]: « Quamvis de localibus sive [c] temporalibus naturis una sit prolatio propter loquendi consuetudinem, diversus tamen est intellectus propter rerum dissimilitudinem. In illis namque duo quaedam eadem prolatio significat », scilicet cum dicuntur res esse in loco vel tempore: unus intellectus est « quia et praesentia sunt locis et temporibus, in quibus esse dicuntur »; alius est « quia continentur ab ipsis. In summa vero essentia unum tantum percipitur, scilicet quia praesens est [d], non quia continetur. Unde si usus loquendi admitteret [e], convenientius videretur esse cum loco et tempore [f] quam in loco et tempore [g] ».

Ad illud ergo [h] quod 'non fuisse heri vel fore cras': intelligitur 'non fuisse' in praeterito contentive, vel 'fore' in futuro contentive, vel 'esse' in tempore contentive, sicut temporalia. Et in hoc sensu intelligit Anselmus, in *Proslogion*[6]: « Nihil aliud est heri et hodie [i] et cras quam in tempore: tu autem non es in loco vel tempore, sed omnia sunt in te; nihil enim continet te, sed tu contines omnia ».

Cum vero dicitur 'fuisse' vel 'fore' vel 'esse', intelligitur praesentia eius omni praeterito, omni futuro, omni praesenti. Unde Augustinus, *Super Ioannem*[7]: « Cum de sempiterna re proprie dicatur 'est', secundum nos proprie dicitur 'fuit' et 'erit': 'fuit', quia nunquam defuit [k]; 'erit', quia nunquam deerit; 'est', quia semper est ». De eo ergo dicuntur verba cuiuslibet temporis, quia nunquam defuit vel deest vel deerit.

CAPUT III. 63

DE UNITATE AETERNITATIS.

Deinde quaeritur de unitate sive simplicitate aeternitatis.

Ad quod arguit *a.* Anselmus, in *Proslogion*[8], sic [l]: « Quidquid partibus est iunctum non est omnino unum, sed quodam modo plura, et diversum a se ipso, et vel actu vel intellectu potest dissolvi: quae aliena sunt a te, quo nihil melius cogitari potest[9]. Nullae ergo partes sunt in te, Domine, nec es plura, sed sic unum et idem tibi ipsi ut in nullo tibi ipsi [m] sis dissimilis; immo tu es unitas, nullo intellectu divisibilis. Quoniam ergo tu es tua aeternitas, nunquam aeternitas est pars tua aut est pars aeternitatis tuae ». Ex hoc ergo aperte relinquitur quod nullo modo potest intelligi nisi unitas in aeternitate et simplicitas.

Contra: 1. Dan. 12,3: *Qui ad iustitiam eruditi sunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates;* sed hoc nihil esset dictum, nisi aeternitas aliquo modo reciperet multiplicationem.

2. Item, in Psalmo[10]: *Annos aeternos in mente habui.* Ex quo videtur quod in aeternitate contingat intelligere partem et partem secundum rationem annorum et dierum.

---

[a] S exp., F om., in L est add. mg. [b] R *quod nondum fit* pro *q. n. s.* [c] F add. *de.* [d] F om. [e] V *dimitteret.* [f] P om. *c. l. e. t.* [g] F om. *q. t. l. e. t.* [h] L *vero.* [i] S repetit *e. h.* [k] BR *desinit*, L add. mg. *vel desinit.* [l] BRLF om. [m] V om. *u. i. n. t. i.*

1 Cap. 19 (PL 158, 237); sequentia, ad sensum contracta, ex eodem afferuntur.
2 Loc. cit.
3 Cap. 24 (PL 158, 177).
4 Cap. 21 (PL 158, 173).
5 Cap. 22 (PL 158, 175 sq.).
6 Cap. 19 (PL 158, 237).
7 Tract. 99, n. 5 (PL 35, 1888), ad sensum; sed fere verbotenus apud Lombard., I *Sent.*, d. 8, c. 1 (p. 58).
8 Cap. 18 (PL 158, 237).
9 Cf. supra, p. 18a, nota 6, defin. 5.
10 Psalm. 76, 6.

3. Item, plures dicuntur ideae ab aeterno sive rationes rerum; pluralitas ergo aliqua est ab aeterno, cum dicat Augustinus quod « ideae sunt rationes rerum [a] stabiles, quae divina intelligentia continentur », in *83 Quaestion.* [1].

4. Item, cum divina intelligentia non sit aliud quam divina aeternitas, si pluralitas aliqua ponitur in divina intelligentia, scilicet idearum, ergo et pluralitas aliqua ponetur in aeternitate.

5. Item, Mich. 5, 2 loquens de generatione Filii: *Egressus eius sicut a principio a diebus aeternitatis.* Ergo in aeternitate sunt dies et dies; aeternitas [b] igitur plurificatur. — Si vero diceretur quod dicantur plures dies propter plures respectus ad creaturas, quemadmodum responderi posset de pluralitate idearum – contra: loquitur de generatione Filii, quae [c] nullum ponit respectum ad creaturam; non ergo dicentur plures dies propter plures respectus ad creaturas, sicut dicuntur plures ideae propter plures respectus rerum quarum sunt ideae.

Respondeo, secundum Anselmum, in *Proslogion* [2]: « Sicut saeculum temporum continet omnia temporalia, sic tua aeternitas continet ipsa saecula temporum, quae [d] 'saeculum' est propter indivisibilem unitatem [e], 'saecula' vero propter interminabilem immensitatem ». Vult ergo dicere quia sicut saeculum praesens, quod est in serie temporis, continet omnia temporalia, sic ipsa aeternitas divina virtualiter excedit et continet ipsa saecula, quia ante ipsa est et ultra ipsa est et cum ipsis est eo [f] modo quo supra dictum est [3]. Secundum hoc ergo dicendum quod aeternitas est unitas secundum rem nullo modo divisibilis; tamen pluraliter dicitur propter virtutem infinitam continendi omnia durabilia.

[**Ad obiecta**]: 1. Ad illud ergo quod primo obicit dicendum quod *aeternitates* [g] dicitur pluraliter, non quia ipsa aeternitas plurificetur in se, sed propter diversas participationes aeternitatis ex parte creaturae vel propter virtutem continendi multiplicem in effectu, prout dictum est [4].

2. Et hoc modo patet responsio ad secundum, nam in hac ratione dicuntur 'anni aeterni'.

3. Ad illud vero quod obicit de pluralitate idearum, intelligendum [h] quod dicuntur [i] plures ideae et una, et plures rationes et una ratio. Respiciendo enim ad principale significatum, quod est divina essentia, una est idea et ratio [k], et una dicitur; respiciendo vero ad connotatum respectum ad creaturam, una est idea et ratio, sed tamen pluraliter [l] dicitur, non quia plura sit vel intelligatur in rectitudine, sed plurium vel ad plura in obliquitate.

4. Ad illud vero quod obicit consequenter quod 'si [m] pluralitas est in divina intelligentia, et in aeternitate': dicendum quod non sequitur; nam etsi idem sit utrobique significatum, non tamen idem modus significandi est, cum dicitur divina intelligentia, essentia et aeternitas. Cum enim dicitur 'intelligentia', modus significandi non excludit respectum pluralitatis, sed [n] cum dicitur 'aeternitas', sicut dicit Anselmus [5], « nihil aliud est quam eius essentia immutabilis et sine partibus »; quod repugnat pluralitati diversitatis.

5. Ad ultimum dicendum quod cum dicitur: *Egressus* Filii *a diebus aeternitatis* [o], per 'dies aeternitatis' supponitur Pater, cui appropriatur aeternitas, quae virtualiter continet plures dies, ut sit sensus: 'et egreditur ab illo cui appropriatur aeternitas, habens virtutem plurium dierum'; aeternitas enim appropriatur Patri, sicut sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto [6]. — Ad illud quod obicitur [p] quod 'videtur plurificari aeternitas [q], quia plures dies': dicendum quod, licet idem sit 'dies aeternitatis' quod 'aeternitas' secundum rem, differt tamen secundum rationem, quia 'dies' secundum suam rationem non dicit totum cui non sit possibilis additio, similiter nec 'annus'; sed 'aeternitas' dicit totum et perfectum cui non est possibilis additio; et ideo non sequitur: si plures dies vel anni, quod plures aeternitates.

64 CAPUT IV.

DE INCOMMUNICABILITATE AETERNITATIS.

Consequenter quaerendum est de incommunicabilitate [r] aeternitatis. Circa quod disputandum est contra ponentes aeternitatem mundi et temporis [7]. Quaeritur ergo an soli divinae essentiae conveniat esse aeternum sive esse sine principio et fine.

---

[a] R om. *pluralitas... rerum.* [b] F om. [c] RF *qui.* [d] F *quod.* [e] V add. *in.* [f] PV *eodem,* quod S corr. [g] L *eternitas.* [h] L add. *est,* F *dicendum.* [i] F *intelliguntur.* [k] P exp., F om. *et.* [l] PVS *multipliciter* pro *t. p.* [m] PS *sic,* V *sicut.* [n] F om. [o] L *eternis.* [p] BRLF *vero quod obicit* pro *q. o.* [q] P *pluralitas.* [r] PVL *incommutabilitate,* S *immutabilitate.*

1 Quaest. 46, n. 2 (PL 40, 30).
2 Cap. 21 (PL 158, 238).
3 Num. **61**, p. 89.
4 In *Respondeo* huius cap. et supra, num. **57**, *Solutio.*
5 *Monolog.*, c. 24 (PL 158, 177).
6 Cf. Augustin., *De Trinit.*, VI, c. 10 (PL 42, 931), qui citat Hilar., *De Trinit.*, II, n. 1 (PL 10, 51).
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, q. 2 (II, 19sqq.); *In Hexaem.*, coll. 6, (V, 361); Phil. Grevius, *Summa,* II (f. 13bsqq.); Guil. Paris., *De univ.*, I, p. 3, cc. 1-12 (I, 683sqq.). Ex serie totius quaestionis patet Alexandrum hic impugnare non solum aeternitatem mundi, sed et possibilitatem talis aeternitatis.

Ad quod obicit *a*. Richardus de S. Victore[a], in libro *De Trinitate*[1]: « Immensum dicitur quod nulli mensurae aequale vel comparabile invenitur. Si ergo plures immensos dicimus, erit quilibet eorum cuilibet inaequalis et incomparabilis; unius ergo mensura necessario supergredietur alterius mensuram »; ex quo sequitur quod « erit unaquaeque qualibet altera maior; quod est impossibile ». Ex quo relinquitur quod « impossibile est plures immensos esse ». Ex quo ulterius arguit, sumpta propositione nota per se[2]: « 'Si immensitate carere non potuit qui aeternus est', si non possunt esse plures immensi, nec plures aeterni ».

b. Item, Anselmus, in *Monologion*[3]: « Hoc solo aperte percipitur veram[b] aeternitatem illi soli inesse substantiae, quae sola non facta, sed factrix inventa est, quoniam vera aeternitas principii finisque meta carere intelligitur: quod nulli rerum creatarum convenire[c], eo ipso quod de nihilo factae sunt, convincitur ».

c. Item, omne quod est a principio: aut procedit a Deo in identitate substantiae, et tunc, cum ipsa substantia sit aeterna, res sic procedens erit Deo coaeterna, quemadmodum Filius procedit a Patre in identitate substantiae et Spiritus Sanctus a Filio et[d] Patre; aut procedit a principio Deo in diversitate substantiae, quemadmodum mundus a Deo. Primo modo quod[e] procedit est Deus; secundo modo non, sed aliud in substantia a Deo. Hoc ergo quod sic est a Deo: aut est a Deo de nihilo aut de aliquo. Si est a Deo de nihilo: ergo habet esse post non esse et ita necessario habet initium suae durationis. Si vero est a Deo de aliquo: aut igitur de aliquo quod est Deus, aut de aliquo quod non est Deus. Non de aliquo quod est Deus, quia non procedit in identitate substantiae, sed diversitate; ergo de aliquo quod non est Deus; sed quidquid non est Deus est creatum a Deo, sicut[f] principio; erit ergo iterum quaerere sicut prius: aut de aliquo aut de nihilo, et sic aut erit procedere in infinitum, quod non capit intellectus, aut erit concedere quod quidquid primo procedit a Deo in diversitate substantiae est a Deo de nihilo, et per consequens quod habet initium suae durationis et non est aeternum. Soli ergo Deo et rei, quae est in identitate substantiae cum Deo, convenit aeternitas.

d. Item, impossibile est effectum aequari suae causae, a qua differt in substantia; sed si mundus poneretur aeternus, poneretur aequari creatura Creatori, qui[g] est eius causa differens in substantia, et hoc quantum ad extensionem durationis[4]; relinquitur ergo quod impossibile est ponere creaturam aeternam.

Contra: 1. Aliquid procedit a Deo ab aeterno quod est consubstantiale illi et aeternum, sicut Filius et Spiritus Sanctus a Patre; item, aliquid procedit ex tempore quod est diversum in substantia et non est aeternum. Si ergo haec duo extrema sunt in universo et in ordine universi nihil est incompletum, oportebit ponere medium, videlicet unum quod procedat ab aeterno consubstantiale, quod non sit aeternum. Vel si dicatur quod huiusmodi non potuit esse, saltem erit quartum membrum, videlicet quod procedit ab aeterno differens in substantia ab aeterno; sed tale non est nisi[h] mundus; ergo mundus vel aliqua creatura de mundo procedit ab aeterno; et ita alii quam Deo convenit aeternitas.

2. Si dicatur quod hoc non potest esse quod[i] aliquid procedat a Deo ab aeterno, non consubstantiale illi, quod sit aeternum – contra: quam cito pes est in pulvere, relinquitur vestigium pedis in pulvere, ut dicit Augustinus[5], X *De civitate Dei*[5]; et si ab aeterno esset pes in pulvere, videtur tunc quod ab aeterno esset vestigium pedis. Ponamus ergo quod mundus archetypus sit sicut pes: tunc mundus sensibilis est eius vestigium; ergo cum[l] ad illum pedem nihil requiratur ad modum pulveris, cum eius actio nullo extrinseco indigeat, videtur quod si est ab aeterno, quod eius vestigium sit ab aeterno, quemadmodum vestigium pedis materialis esset ab aeterno, ipso pede existente ab aeterno, si nullo pulvere indigeret ad vestigium faciendum.

3. Item, in Deo est summa potentia, summa voluntas, summa scientia; ergo si haec tria sufficientia sunt ad producendum quemlibet effectum respectu cuius[m] sunt: si in Deo fuerunt ab aeterno respectu mundi faciendi, videtur quod debuit mundus esse ab aeterno. Non enim potest dici quod non ab aeterno potuerit, neque quod ab aeterno non sciverit: hoc enim esset inconveniens. — Sed dicetur fortasse quod non ab aeterno voluit – sed contra: si non ab aeterno voluit et postmodum voluit, ergo[n] incepit velle et factus est de nolente volens; ergo erit mutatio in eius voluntate, sicut obicit Augustinus, in libro *Confessionum*[6].

---

[a] BRLF om. . *S. V.* [b] V *non autem*, quod expunctum B corr. in mg. [c] S om. [d] B *a*. [e] S *quo*. [f] S add. *a*. [g] Codd. *que*. [h] F om., R *ubi*. [i] F add. *si*. [k] F om. *u. d. A.* [l] B om. [m] V *eius*. [n] PV om., in S est add. marg.

1 Lib. II, c. 6 (PL 196, 904).
2 Loc. cit., c. 7 (PL 196, 905).
3 Cap. 24 (PL 158, 178).
4 Cf. supra, p. 89, num. 61.
5 Cap. 31 (PL 41, 311); Augustinus haec refert ex Platonicis et illico refutat.
6 Lib. XI, c. 10, n. 12; cf. XII, c. 15, n. 18 (PL 32, 814, 832).

4. Item, non est influentia activa sine passiva; aut ergo summa bonitas semper influit aut non. Si non semper, sed [a] aliquando influxit: ergo et aliquando innovatio ibi facta est; unde et Philosophus [1] dixit, in isto casu, scilicet si non semper influxit, necesse est quod in eo mutetur voluntas vel renovetur [b] appetitus. Oportet ergo ponere quod continue influat; ergo per propositionem illam oportet quod fuerit aliquid recipiens influentiam illam; sed non fuit nisi mundus vel creatura aliqua; èrgo oportet aliquam creaturam fuisse ab aeterno.

5. Item, divina bonitas manifestativa fuit sui in summo ab aeterno: hoc enim est de natura boni ut manifestet se, et boni [c] summi ut summe se manifestet, et iterum summi boni et aeterni [d] ut summe se ab aeterno manifestet. Si ergo multitudo creaturarum facit ad eius bonitatis manifestationem, videtur quod debuit esse multitudo creaturarum ab aeterno.

6. Item, Anselmus, in *Monologion* [2]: « Intelligere Dei est suum dicere »; sed suum dicere est facere creaturas [3]: *dixit* enim *et facta sunt* [4], sicut dicit Augustinus, in libro *Confessionum* [5]; ergo [e] suum intelligere est facere creaturas; sed ab aeterno intelligit; ergo ab aeterno facit creaturas.

7. Item, nihil est sua mutatio. Ponatur ergo quod aliqua creatura educatur in esse: ipsa non est sua mutatio. Dicatur ergo creatura A, mutatio eius B. Tunc quaeritur de B: B est et creatura est, non enim est ab aeterno; ergo non est sua mutatio per quam exivit [f] in esse. Dicatur illa C: similiter quaero de illa; et ita videtur quod contingat abire in infinitum. Non enim potest ibi assignari reflexio, ut dicatur quod etsi idem non sit mutatio sui ipsius, tamen unum est mutatio alterius et e converso.

8. Item, creatio-actio non fuit ab aeterno; sed omne aeternum fuit ab aeterno [g]; ergo creatio-actio non est aeternum; ergo non est Deus. — Contra: Creatio-actio et creatio-passio sunt correlativa; sed correlativa non sunt in eodem; ergo si creatio-passio est in creatura, creatio-actio non erit in creatura; sed est in creatura vel in Deo; ergo in Deo et [h] idem est quod Deus. Item, creatio-actio actio est nonnisi Dei; sed actio Dei et [i] in Deo est et idem quod Deus; ergo creatio-actio et in Deo est et idem quod Deus.

9. Sunt etiam rationes philosophorum quibus probatur creaturas esse ab aeterno. Quarum unam ponit Augustinus, in XII *De civitate Dei* [6], ita dicens: Arguunt philosophi [k] quod « bonitas Dei nunquam vacua fuisse credenda est, ut sic inciperet operari quasi poenituerit eum prioris vacationis; et ideo necesse est, inquiunt [l], eadem semper repeti ».

10. Item, luci temporali aliquid est contemporaneum quod non est idem cum illa; ergo similiter luci aeternae erit aliquid coaeternum quod non erit idem cum illa, aut quare non?

11. Item, Augustinus, XI *Confessionum* [7]: « Si exortum est aliquid in Dei substantia quod prius non erat, non veraciter dicitur aeterna illa substantia. Si autem voluntas Dei sempiterna erat ut esset creatura, cur non sempiterna est creatura »?

12. Item, obiciunt philosophi [8], sumentes ra-

---

[a] Codd. *et.* [b] S *removetur.* [c] PVS add. *et.* [d] BRLF om. *e. a.* [e] L add. *si.* [f] P *exeunt.* [g] F om. *sed... aeterno.* [h] P om., S add. *quod.* [i] S *sed.* [k] F *arguit Philosophus* pro *a. p.* [l] F *in quantum.*

[1] *Phys.*, VIII, c. 1 (II, 343), secundum sensum; cf. Averroes, in h. l. (IV, f. 159c).

[2] Cap. 32 (PL 158, 186), ad sensum.

[3] Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 2 (PG 94, 866).

[4] Psalm. 32, 9.

[5] Lib. XI, c. 5 (PL 32, 812).

[6] Cap. 17, n. 1 (PL 41, 366).

[7] Cap. 10 (PL 32, 814).

[8] De septem viis quibus aeternitatem mundi probare nituntur philosophi, Aristoteles (ut videtur) eiusque Commentatores, cf. Maimon., *Doctor perplexor.*, II, cc. 14-22 (pp. 220sqq.). De argumento hic allato notat B. Albert. M., *Summa Theol.*, II, tr. 1, q. 4 (XXXII, 101b): « Quarta via est, quae in veritate Aristotelis non est, nec ex verbis eius accipitur, sed Commentatoris et Graecorum scilicet quorumdam, ut Alexandri et Themistii, et quorumdam Arabum, ut Averrois et Abubaker et Alpharabii et aliorum ». Phil. Grevius, *Summa*, II (f. 13c): « Rationes, quas ponit Aristoteles, non sunt nisi ad probandum mundum esse perpetuum et non aeternum. Illud autem dico 'perpetuum', et non 'aeternum', quod commetitur se tempori et mobili; haec enim est intentio, secundum proprietatem illius philosophiae, ut ostendatur mobile et motum et tempus esse coaequaeva; neque in amplius possunt rationes, quae ibi sumuntur ex principiis illius philosophiae, quod si ipsum mobile esset aeternum, motus esset aeternus et tempus. Non fuit de proprietate autem illius philosophiae investigare exitum primi mobilis in esse et sic separare mobile ab immobili, ut in planetis, sed quod motus sit ab immobili nec determinat quod motor ille sit prima causa ». — S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, q. 2 (II, 22bsq.): « Quidam moderni dicunt Philosophum nequaquam illud sensisse nec intendisse probare quod mundus omnino non coeperit, sed quod non coeperit naturali motu. Quod horum magis verum sit, ego nescio ». — Roger. Baco, *Comment. secundus in Physic. Aristot.* (Cod. Ambianens. 406, f. 69ab), ad quaestionem: « Utrum Aristoteles consentiat in hoc quod motus sit aeternus » respondet: « Dicendum quod Aristoteles ponit primam causam ab aeterno solum: unde error est in philosophia ponere mundum non habuisse principium; unde Aristoteles non ponit motum aeternum a parte ante nisi per naturam temporis: loquitur enim contra philosophos qui posuerunt omnia quiescere in tempore infinito antequam fieret motus, et contra hos facit rationes suas. Et ideo, licet non bene concludant non habuisse principium simpliciter et absolute loquendo, tamen bene concludunt secundum quod intendit, scilicet quod in tempore non

onem ex natura motus [1]. Nam motus caeli aut est eternus aut non. Si non: fuit ergo factus; fuit rgo possibilis moveri et postea motus; ergo fuit ductio de potentia in actum; sed huiusmodi ductio est motus; fuit ergo motus ante illum notum. De illo alio [a] similiter potest quaeri trum fuit aeternus aut factus, et sic aut erit abire n infinitum aut stabitur alicubi ad unum motum [b] qui sit aeternus; sed qua ratione potest tari [c] in alio, et in motu caeli; ex quo videtur quod motus caeli sit aeternus.

13. Item, est alia ratio ex parte materiae generabilium et corruptibilium [2]. Aut enim ipsa est ngenerabilis et incorruptibilis aut generabilis et corruptibilis. Si fuit generata: ergo ex materia praeiacente sive [d] praecedente; ergo fuit materia ante illam. Similiter potest quaeri de illa; aut ergo erit ire in infinitum aut erit ponere aliquam materiam ingenerabilem; sed sicut potest poni alia, sic et prima; sic ergo illa semper est.

14. Item, alia ratio est [e] ex parte motivi [3]. Oporet enim dicere quod semper fuit, et ita, « si idem, ad idem similiter se habens, semper natum est idem facere [4] », semper fuit motus circa [f] materiam, et ita semper mundus.

15. Item, a parte temporis [5] sic obicitur: aut tempus aliquando incepit aut non. Si non incepit: ergo est aeternum. Si incepit: ergo cum [g] non esset prius, aliquando incepit; istud 'aliquando' et illud 'incepit' rationem temporis dicunt; ergo si tempus, quod incepit, nondum erat, fuit ergo tempus ante tempus; non ergo fuit cogitare quando non fuit tempus nec similiter quando desinat; est ergo aeternum; et si tempus, et motus; et si motus, et res inferiores.

16. Item, a parte motoris [6] obicitur sic: motor est infinitae potentiae et simplicis et invariabilis essentiae et voluntatis; talis autem potentiae infinitus est actus; ergo erit actus illius infinitus. Detur ergo [h] quod aliquando moverit: non semper movit aut movebit; tunc si motor voluntarius, qui prius non movebat, postmodum movit, indiguit aliquo expergefaciente vel prius habuit aliquod impedimentum vel prohibens vel retardans: videtur quod in Deo sit aliquod istorum ponere [i] vel quod motus sit aeternus.

Respondeo: Mundum esse ab aeterno, sive sine principio, est impossibile, quia esse aeternum, sive esse sine principio durationis, repugnat et creaturae et intentioni creaturae, sive eius quod est esse a Deo in diversitate substantiae. In intentione enim creaturae [k], in quantum huiusmodi, est esse ab alio de nihilo: et sic de intentione creaturae est [l] habere esse post non esse et ita habere principium suae durationis. Similiter in intentione eius quod est esse a Deo in diversitate substantiae, sicut supra probabatur [7], intelligitur esse a Deo de nihilo et ita habere principium suae durationis. Cum ergo constet mundum et creata esse creaturas vel entia a Deo in diversitate substantiae, impossibile erit mundum et creata esse aeterna vel non habere principium suae durationis. Est igitur [m] hic ordo rerum: est enim aliquid quod [n] procedit ab alio in identitate substantiae et est coaeternum illi, sed non eiusdem personalitatis: sicut Filius vel Spiritus Sanctus est coaeternus Patri; et est aliquid quod procedit non consubstantiale et non est [o] eiusdem personalitatis cum illo a quo procedit nec est coaeternum illi: talis est omnis creatura respectu Dei. Prima ergo processio facit unam distinctionem tantum, scilicet [p] in personalitate; secunda vero duplicem, scilicet in personalitate et duratione.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo quod obicitur respondendum: cum aeternitas dicatur essentialiter de aeternis, necesse est ut quod procedit ab aeterno, consubstantiale illi, sit aeternum, quia 'quod essentiale est' dicitur de iis quorum est eadem essentia; aeternitas autem essentialiter dicitur, et ideo de utroque diceretur. Propter hoc non potest poni membrum illud praedictae divisionis, quod 'aliquid sit procedens ab aeterno consubstantiale, non aeternum'. Similiter aliud mem-

---

[a] L add. *autem*. [b] PV *motus*, quod S corr. [c] Codd. *stare*. [d] PVS *vel*. [e] Ita VF, alii om. [f] F *contra*. [g] S *si*. [h] BRLF *enim*. [i] R *posse*. [k] S om. [l] R om. [m] P om., VS *hic*. [n] PVS *aliquis qui* pro *a. q.* [o] F exp. *est*, ac om. *et*, quod in L est add. interl. [p] B om.

exivit in esse, cum motus sit prius tempore ». Deinde pergit: « Habito quod error sit ponere mundum vel motum non habere principium et quod Aristoteles non consentiat in hoc, immo bene ponat motum habere principium, non tamen in tempore » etc. Item, in *Metaphysica* sua (ed. R. Steele, p. 11) haec dicit: « Communis animi enim concepcio est, quam quilibet probat auditam, quod omne preteritum est finitum, vetule enim non possunt hoc ignorare postquam terminos cognoverunt. Et ideo Aristoteles, summus philosophorum, non potuit hanc concepcionem ignorare, ex qua directe sequitur quod motus incepit et tempus similiter; unde in fine *De generatione* ostendit quod motus a parte ante non fuerunt infiniti per hoc quod non contingit infinita pertransire. Quomodo ergo contradiceret sibi ipsi, hoc nullo modo potest aliquis homo sane mentis dicere ».

1 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 1 sqq. (II, 342 sqq.); *Metaph.*, XI, c. 6 (II, 605); Maimon., loc. cit.

2 Cf. Aristot., *Phys.*, I, cc. 7 et 9 (II, 257, 260); Maimon., loc. cit. (p. 221).

3 Cf. Aristot., *Metaph.*, XI, c. 6 (II, 604); Maimon., loc. cit.

4 Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 465); cf. Phil. Grevius, *Summa*, II (f. 13b).

5 Cf. Aristot., *Metaph.*, XI, c. 7 (II, 606); Maimon., loc. cit. (p. 220 sq.).

6 Cf. Aristot., *Metaph.*, XI, cc. 6, 8, 9 (II, 603 sqq.); Maimon., loc. cit. (p. 222).

7 Cf. litt. *c*.

brum [a] non potest poni, scilicet quod 'aliquid procedat ab aeterno differens in substantia et aeternum'; si enim differens est in substantia a Creatore, oportet ut sit creatura, et ita quod [b] habeat esse post non esse et principium suae durationis.

2. Ad secundum quod obicitur de pede et vestigio in pulvere: dicendum quod non est simile comparatione mundi archetypi et sensibilis secundum ordinem prioritatis. Cum enim dicat Augustinus, XII *Confessionum* [1], quod aliquid dicitur prius alio quatuor modis — primo modo dicitur prius « origine, ut sonus cantu »; secundo modo dicitur prius « tempore, ut flos prior fructu »; tertio modo [c] dignitate, « ut fructus flore »; quarto modo prius « aeternitate sive immensitate, ut Deus ante omnia » — pes autem in pulvere sola origine vel natura praecedit vestigium, et ideo nihil prohibet illa esse simul duratione. Mundus autem archetypus praecedit mundum sensibilem [d] et natura sive origine et aeternitate, hoc est durationis immensitate: et ideo impossibile est mundum sensibilem coaequari mundo archetypo in duratione, quia immenso nihil comparabile aut aequale invenitur [2]. Unde Augustinus, in XI *De civitate Dei* [3]: « Illud temporis spatium, quod ab aliquo initio progreditur et aliquo termino coercetur, magnitudine quacumque tendatur, comparatum illi quod initium non habet, nescio utrum pro minimo aut pro nullo reputandum est ».

3. Ad tertium respondendum [e] quod potentia [f], scientia et voluntas faciendi mundum fuerunt in Deo ab aeterno, secundum Augustinum, in libro *Confessionum* [4]; tamen [g], quamvis in eo esset ab aeterno [h] voluntas ut mundus fieret, non tamen erat voluntas ut fieret [i] ab aeterno, sed tunc quando factus est. Non ergo mutata fuit eius voluntas, quia semper fuit ut fieret quando factus est.

4. Ad quartum dicendum quod sicut in sole est influentia lucis, scilicet [k] intrinseca qua dicitur semper lucere, etiam si nihil esset quod reciperet lucem a sole; et est [l] influentia extrinseca qua dicitur sol illuminare, cum scilicet ponitur aliquod receptivum [m] lucis a sole — de influentia intrinseca [n] si poneretur nunc [o] esse in sole et aliquando non fuisse, poneretur mutatio aliqua facta in sole, sicut si diceretur: 'sol lucet et prius non lucebat, ergo mutatus est'; de influentia vero extrinseca [p] non sequitur mutatio in sole, unde non sequitur: 'sol illuminat et prius non illuminabat, ergo mutatus est' — similiter ex parte divinae bonitatis est influentia bonitatis intrinseca in emanatione aeterna Filii a Patre et Spiritus Sancti a Patre et Filio, ad quam, si poneretur nunc [q] esse et prius non fuisse, sequeretur mutatio ex parte bonitatis sive voluntatis divinae; et est influentia extrinseca, ut in emanatione creaturarum a Creatore, quae sunt in diversitate substantiae, et ad hanc influentiam, si ponatur non fuisse et postea esse, non sequitur mutatio ex parte bonitatis. – Quod vero dicit Philosophus quod 'necesse est quod mutetur in eo voluntas vel renovetur [r] appetitus': dicendum quod locutus est de Deo ad modum hominis, et ideo deceptus est. Voluntas enim hominis si facit aliquid [s] quod prius non fecit, facit hoc ex mutatione voluntatis; Deus vero si facit aliquid quod prius non fecit, nulla est in eo seu in voluntate eius mutatio, cum voluntas eius nullo modo moveatur ab extra nec dependeat.

5. Ad quintum dicendum quod manifestatio bonitatis divinae in summo potest esse dupliciter: quoad magnitudinem potentiae aut quoad multiplicationem. Quoad magnitudinem manifestavit se summa bonitas in generatione Filii a Patre et processione Spiritus Sancti ab utroque [t] ab aeterno. Nulla autem maior potest cogitari potentia quam ut ex Patre generetur Filius per omnia aequalis et consubstantialis. Quantum vero ad multiplicationem potentiae ostendendae in creaturis multis, non potuit esse manifestatio ab aeterno; et causa supra dicta est [5]: quia creatura non potuit esse ab aeterno.

Si autem iuxta hoc quaereret aliquis: propter quid divina bonitas non manifestavit suam potentiam per multitudinem creaturarum faciendo omnes simul et secundum speciem et secundum numerum? ad hoc assignatur duplex causa. Una est ex parte defectus materiae creaturarum, quae non potest simul sustinere impressiones agentium, qui non possunt agere nisi successive. Unde, in Apocryphis Esdrae [6], interrogavit Esdras: *Non poteras facere eos qui facti sunt et qui sunt et qui futuri sunt, in unum, ut citius iudicium tuum ostenderes* [u]? *Et respondit ad me et dixit: non potest festinare creatura super Creatorem, nec sustinere saeculum, qui in eo creati sunt:* et nomine saeculi appellatur variatio quae est materiae. — Alia vero causa assignatur ratione defectus creaturae ex parte agentis potentiae: potentia enim di-

[a] PV om., in S est add. mg. [b] L om. [c] V om. [d] LF *sensibile*, BRLF om. *mundum*. [e] B *dicendum*. [f] F *ipsa*. [g] F om. [h] S om. *secundum... aeterno*. [i] F om. *non tamen... fieret*. [k] S (mg.) RL add. *dupliciter*. [l] L om. [m] LF *acceptivum*. [n] F *extrinseca*, quod L corr. [o] PVS *non*. [p] P *intrinseca*, quod V corr. [q] V *non*. [r] F (corr.) *removetur*. [s] R *aliquis*. [t] B om. *a. u.* [u] PVS *ostendas*.

1 Cap. 29 (PL 32, 842).
2 Cf. supra, p. 93, litt. *a*.
3 Rectius lib. XII, c. 12 (PL 41, 360).
4 Lib. XI, c. 10, et XII, c. 15 (PL 32, 814, 832).
5 Cf. supra, p. 95, sub *Respondeo*.
6 IV Esdr. 5, 43-44.

vinae bonitatis non solum ostenditur in numero et multitudine creaturarum, sed faciendo illas potentes ad operandum et ad [a] producendum alias ex se; si autem fecisset omnes creaturas simul, esset manifestatio potentiae quoad numerum factorum, sed non quoad potentiam [b] factorum, qua potest una creatura in aliam producendam: creatura autem non potest statim facere quod facit, sed successive; Deus autem in instanti facit quod facit.

6. Ad sextum dicendum quod divinum 'dicere' est aeternum sicut et 'intelligere': et 'dicere' Dei est facere. Facere vero dicitur duobus modis, sicut factio sive actio: est enim actio qua agens agit et est actio qua [c] agens efficit. Primo modo divina actio est eadem quod sua virtus et sua essentia, et divinum agere idem est quod esse sive intelligere. Secundo [d] modo sua actio est suus effectus, et suum agere est [e] suum effici: et hoc modo actio non est aeterna nec facere aeternum. Exemplum huius est in sole: 'facere' eius est lucere et illuminare, et unum [f] coaevum soli, aliud [g] non. Et nota ad hoc auctoritatem Augustini, XI *Confessionum* [1]: « Verbo tuo coaeterno simul et sempiterne [h] dicis omnia quae dicis, et fit [i] quidquid dicis ut fiat; nec aliter quam dicendo facis, nec tamen simul et sempiterna sunt omnia quae dicendo facis. Sed quomodo id eloquar nescio, nisi quod omne, quod esse incipit et esse desinit, tunc esse incipit et tunc [k] desinit, quando debuisse incipere vel desinere in aeterna ratione cognoscitur, ubi nec incipit aliquid nec desinit. Ipsum est Verbum tuum, quod est *principium*, quia [l] alloquitur nobis [2] ».

7. Ad septimum respondetur quod quaedam sunt absoluti esse, sicut entia per se: et haec sunt terminus creationis, quae est prima mutatio; de istis universaliter verum est quod nullum tale est sua mutatio. Quaedam vero sunt quae non sunt esse absoluti, et haec sunt entia [m] in aliis seu cum aliis: et haec non sunt per se terminus creationis; et sicut primis convenit creari, ita et istis concreari. — Item, haec quae [n] concreata sunt, adhuc sunt dupliciter: sunt enim quaedam quae concreantur, quae insunt rei et permanent cum illa, ut albedo, si concreetur cum cycno, et risus homini: et de istis adhuc verum est quod non sunt suae mutationes. Quaedam vero sunt concreata quantum ad fieri ipsius rei, non quantum ad factum esse, sicut mutationes rerum: et haec non insunt rei iam factae nec permanent cum ipsa, quia non concreantur ut inentes et permanentes cum re, sed ut [o] transeuntes, ut per ipsas educatur res in esse solum. Si ergo tale concreatum dicatur aliquid, tunc non est verum quod nihil est sua mutatio: mutationis enim non est mutatio [3], maxime primae [p], per quam educatur, sed ipsa educitur.

8. Ad octavum dicendum quod creatio vel creare duo dicit: unum sicut principaliter significatum, et hoc est divina actio; et aliud sicut connotatum, et hoc est fieri aliquid ex nihilo: creare enim est facere aliquid ex nihilo. Quantum ergo ad principale significatum, quod est divinum agere sive divina actio, quae non est aliud quam divinum esse vel essentia, eo modo quo supra dictum est [4], significatur aeternum; quantum vero [q] ad connotatum, quod est creatum, designatur temporaneum. Non ergo sequitur: 'creatio sive creare est divina actio, ergo est aeterna', quia [r] per hoc quod dico 'creare' ponitur et divina actio et creatura de nihilo; et ideo si diceretur aeterna, diceretur non solum aeternitas actionis divinae, sed etiam creaturae: quod non potest esse.

9. Ad nonum respondet Augustinus, XII *De civitate Dei* [5], dicens: Non intelligunt philosophi Deum animo aliter affici cum vacat [s] quam cum operatur, quia nec affici dicendus [t] est; voluit etiam Deus in hoc ostendere quod rebus non eguerit, « sed gratuita bonitate condiderit, cum sine illis in aeternitate non in minori beatitudine permansit ». Ad obiectum ipsorum patet solutio ex dictis.

10. Ad decimum dicendum quod non est simile de luce creata et increata: lux enim creata finita est [u] nec habet immensitatem durationis; et ideo non est inconveniens si habeat contemporaneum et coaequatum sibi in durationе, in substantia differens; sed lux increata [v] infinita est quantum ad omnia et [x] ideo habet immensitatem durationis, et ideo impossibile est aliquid ei esse coaequale in durationе quod sit differens in substantia, sive coaeternum.

11. Ad undecimum dicendum quod [y] voluntatem Dei sempiternam [z] ad hoc quod creatura sit vel fiat, cum ordinate est a Deo esse vel fieri, facit immutabilitas divinae essentialitatis; crea-

---

[a] Ita LF, alii om. [b] RL *numerum*, B *naturam*; F om. *sed... factorum*, quod in L est add. mg. [c] BL *quam*. [d] L add. marg. *autem*. [e] V *et*. [f] F add. interl. *est*. [g] BRLF add. *autem*. [h] Codd. *sempiterno*. [i] PVS *ut fiant sed* pro *e. f.* [k] V add. *esse*. [l] V *et*. [m] LF *essentia*, P om. *in*. [n] BRLF *ut*. [o] S *nec*. [p] PV *in genere potentie* pro *m. p.*, quae S habet in mg., exp. *in genere*. [q] F om. [r] B om. [s] F *vocat*, quod L corr. [t] V *afficiendus* pro *a. d.* [u] PV (mg.) R add. *que*. [v] PVS *creata*. [x] Ita P, alii om. [y] F add. *si*. [z] SL *voluntate Dei sempiterna* pro *v. D. s.*

1 Capp. 7 et 8 (PL 32, 813).
2 Cf. Ioan. 8, 25: *Principium, qui et loquor vobis.*
3 Cf. Aristot., *Metaph.*, X, c. 12 (II, 598): « Quum non sit motionis motus, nec generationis generatio, nec denique mutationis mutatio ».
4 Cf. supra, *ad 6.*
5 Cap. 17 (PL 41, 367), partim ad sensum.

turam vero esse sempiternam necessario prohibet natura causabilitatis, sicut praeostensum est [1].

12. Ad duodecimum dicendum quod [a] respicientes philosophi [2] ad causas inferiores motus caeli, dixerunt motum caeli [b] non habere principium nec finem suae durationis. Ex parte enim motoris, qui [c] similiter se habens est semper nec magis se habet quod ab ipso sit motus nunc quam prius, istud posuerunt. Similiter ex parte mobilis, quod est corpus uniforme, non magis se habens ad motum nunc quam prius; cum enim sit corpus sphaericum non habens contrarium, semper est ordinatum in motum circularem. Similiter ex parte materiae, quae est indeficiens et subiectum generationis et corruptionis, posuerunt motum et mundum perpetuum [d]: quia eodem modo semper se habente motore et mobili, quod est caelum, erit semper eodem modo se habens motus; et eodem modo se [e] habente motu caeli, qui est causa generationis et corruptionis, et eodem modo se habente materia subiecta semper, erit semper generatio et corruptio, et ita mundus. Secundum causas ergo inferiores erat [f] positio philosophorum de aeternitate motus et mundi. — Secundum vero causas superiores patet cuilibet recte consideranti initium temporis et motus et mundi, secundum quod mundus dicitur fluxus rerum secundum mutationem et generationem [g] et corruptionem. Causae autem superiores sunt divina potentia, divina sapientia, divina bonitas. Ex parte divinae potentiae patet mundi exordium et materiae; nam divina potentia est summa et ideo non indiget materia subiecta ad operandum aliquid: est igitur operans de nihilo, quia est tota causa sui operis, ut non requiratur aliqua possibilitas ex parte subiectae materiae; ideo mutatio prima circa operationem divinam non habet ante se mutationem aliam. — Ideo ad illud quod quaerit: mundus est factus vel aeternus? dico quod factus est. Et quod ulterius arguit: 'igitur prius possibile fuit moveri': si tu dicis 'possibile materiae', falsum est, quia motus primus factus est non per motum qui fit circa [h] subiectam materiam, sed per creationem, quae est mutatio [i] de nihilo; si vero tu dicis 'possibile potentia agentis': hoc modo potest concedi possibile moveri, sed eductio huius possibilitatis in actum non est per aliam mutationem, sicut supra dictum est [3].

13. Similiter per hoc patet solutio ad tertiumdecimum quod dicit quod 'materia est ingenerabilis'. Si enim generatio dicat actionem ex praeiacenti materia: hoc modo verum est, et sic est generatio mutatio naturalis. Si vero generatio dicat solum idem quod factio, sive ex materia sive non: hoc modo materia non est ingenerabilis, quia est facta, quamvis non per mutationem naturalem, sed per mutationem ante naturam, quae est creatio.

14. Ad quartumdecimum quod obicit quod 'motivum et mobile se habent eodem modo': dicendum quod respiciendo motivum primum, quod est divina dispositio sive voluntas divinae [k] sapientiae disponentis et ordinantis ipsum motum caeli, non tenet illa propositio: «idem similiter se habens natum est semper [l] facere idem». Non enim plena est illa propositio in causa voluntaria, et maxime in illa quae nullo modo alligatur vel dependet ab opere vel numeratur cum opere, sicut est divina; immo, cum secundum idem ordinetur motus ad terminum, qui est multiplicatio hominum secundum numerum divinae praeordinationis, multiplicato numero ratione motivi [m] primi, debet cessare motus et generatio. — Item, respiciendo mobile non secundum se, sed secundum ordinem quem habet ad finem motus, qui scilicet est numerus electorum seu multiplicatio hominum, ut dictum est [4], ex parte ipsius mobilis, in quantum huiusmodi sic considerati, est ratio desitionis [n] motus. Et hoc habetur in Apocryphis Esdrae, ubi quaerit Esdras ab angelo [5]: *Usquequo spero sic, et quando veniet fructus areae mercedis nostrae? Et respondit Uriel archangelus: quando impletus fuerit numerus seminum in vobis, quoniam in statera ponderavit saeculum et mensura numeravit tempora; et non commovebit nec excitabit, donec impleatur mensura praedicta.* Et tangit illud quod habetur Iob 14, 12: *Donec atteratur caelum, homo non resurget.* — Patet igitur quod respiciendo ad [o] causas superiores dispositionis divinae, sapientiae et voluntatis, quod cessare debet motus; similiter respiciendo ad causam superiorem, quae est bonitas, quae [p] secundum iustitiam non frustrabitur quin reddat unicuique secundum meritum: quod esse non posset, nisi cessaret generatio et esset futura resurrectio; ad quod consequitur cessatio motus et per consequens cessatio temporis.

15. Ad quintumdecimum dicendum quod tempus incepit et tempus deficiet. Sed dico quod non incepit in tempore, sed in 'nunc' [q], quod est tantum [r] principium ipsius; similiter desinet in 'nunc', quod tantum est finis ipsius, sicut 'nunc' [s],

---

[a] F om. [b] BRLF om. [c] BRLF om. [d] BR *eternum.* [e] R om. [f] Ita B, alii *erit.* [g] V om. *e. g.* [h] L *contra,* R *per.* [i] F om., L *initio.* [k] F *divina.* [l] RLF om. [m] V *motui,* LF *motus.* [n] L *desiderationis,* quod F corr. [o] PVS add. *omnes.* [p] B om. [q] B *numero.* [r] L *communi,* quod F corr.; S expuncto *tantum* corr. in marg. *commune.* [s] BL *vero,* quod F corr., R add. *vero,* BR om. *sicut.*

1 Cf. supra, p. 95b, sub *Respondeo.*
2 Cf. Maimon., *Doctor perplexor.*, cc. 17-18 (pp. 227sqq.).
3 Cf. supra, *ad 7.*
4 Hic, immediate supra.
5 IV Esdr., 4, 35-37.

quod est continuans, in quo salvatur essentia temporis, est sicut finis praeteriti et initium futuri. Ex hoc ergo non sequitur quod sit tempus ante tempus vel tempus post tempus, sed solum 'nunc'.

16. Ad ultimum dicendum quod non est ratio consimilis in motore increato et creato. In motore enim creato voluntario, cum movet quod [a] prius non movebat, advenit expergefaciens. Et ratio est, quia voluntarius motor creatus, ut homo, finem habet suae motionis et actionis extra se, et ideo excitatur ab extrinseco; Deus vero nunquam [b] habet finem extra se, sed intra, Prov. 16,4: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* — Item, in motore naturali, sicut in corporibus inferioribus, quia non sunt possibilia totaliter ad suum motum complendum, accidit prohibens; in Deo autem nulla est impotentia et ideo non potest esse impedimentum prohibens suum actum. — Item, in motore naturali, sicut in corporibus superioribus, quae sunt potentia entia [c] ad suum motum complendum quantum est de se, accidit retardatio ex coniunctione alicuius dispositionis contrariae, sicut in sole et luna, etsi non prohibeatur; divinae autem [d] actioni nulla dispositio est contraria nec aliquid aliud. In motore ergo primo non est excitans [e], sicut in homine, nec potest cadere impedimentum prohibens, sicut in corpore inferiori, nec impedimentum retardans, sicut in corpore caelesti. — Si ergo quaeritur: quare non movit aeternaliter? ad hoc est responsio: quia non est defectus ex parte ipsius, sed ex parte creaturae, quae non est susceptibilis immensitatis durationis ex parte ante, sicut dictum est [1].

MEMBRUM III.

De comparatione aeternitatis ad aevum.

Consequenter quaeritur de comparatione aeternitatis ad aevum. Ad quod intelligendum inquirenda sunt haec de aevo:

Prima quaestio est de eius essentia [f];
secunda de eius unitate;
tertia de eius simplicitate;
quarta de comparatione eius ad tempus.

Ex [g] iis omnibus erit manifesta comparatio eius [h] ad aeternitatem.

CAPUT I. 65

DE ESSENTIA AEVI [2].

Quantum ad primum obicitur sic: 1. Omnis duratio, sive sit esse creati sive increati, reducitur ad aliquod 'nunc' vel praesens. Si ergo non est ponere nisi 'nunc' durationis temporalis et durationis aeternae, ergo non erit nisi duplex duratio: aeterna et temporalis; ergo non est nisi aut duratio quae est tempus, aut duratio quae est aeternitas; aevum igitur non est aliqua duratio separata a tempore et aeternitate. — Quod autem 'nunc' non sit nisi duplex, patet per Boethium, in libro *De Trinitate* [3], ubi dicit: « Nostrum 'nunc', quasi [i] currens tempus, facit sempiternitatem; divinum 'nunc' permanens aeternitatem ».

2. Item, Augustinus, XI *Confessionum* [4]: « Praesens, si semper est praesens, iam non est tempus, sed aeternitas »; sed praesens in esse perpetuorum semper est praesens; ergo est aeternitas; si ergo ponitur mensura esse perpetui, in quantum huiusmodi, aevum non erit aliud quam aeternitas.

3. Item, quasi [k] ex opposito obicitur: diversitas materiae non diversificat rationem formae, maxime in formis accidentalibus; unde dicit Philosophus [5] quod eodem denario mensurantur [l] decem homines et decem equi, non tamen sunt eadem decem. Similiter eadem mensura durationis mensurabitur temporale et aeternum; licet non sit idem temporale et aeternum, tamen una erit mensura, quae proportionabitur cuilibet mensuratorum secundum quod ei conveniet. Erit igitur quod nos dicimus 'aevum' [m] non separata duratio secundum speciem a tempore.

4. Item, si aevum est separata duratio ab aeternitate et tempore, quaeritur utrum sit substan-

---

[a] BR *cum*, PVS om. *non*. [b] L *non*. [c] LF om. [d] R om., in B est add. interl. [e] P *excitatus*. [f] BRLF *esse*; S per expunctionem corr. *essentia* in *esse*. [g] BRLF *Et ex*. [h] R *evi*. [i] L *quod*, F *quod est*; LF *nunc* pro *tempus*. [k] LF *quod*. [l] B *commensurantur*. [m] V om.

1 Cf. supra, p. 95b, *Respondeo*.
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 55sq.).
3 Cap. 4 (PL 64, 1253).
4 Cap. 14 (PL 32, 816).
5 *Phys.*, IV, c. 14 (II, 306).

tia vel accidens. Non potest poni substantia: quia, cum aevum ponatur duratio creaturae perpetuae, si esset substantia, non esset nisi substantia cuius est mensura, et ita esset in perpetuis substantiis creatis idem [a] essentia et sua duratio; quod nullo modo est, nisi in sola increata essentia: ipsa enim increata substantia est sua duratio et sua aeternitas; quod nullo modo contingit in aliis. — Item, si ponatur accidens, non ponetur nisi quantitas cuius proprium est mensurare: aut ergo ponetur continua aut discreta. Non ponetur discreta: quia sic [b] esset in divisione, ut numerus et oratio. Si vero ponatur continua: aut ergo ponetur permanens aut successiva. Si permanens: ergo esset aut [c] linea aut superficies aut corpus; quod nullo modo potest poni. Ponetur ergo quantitas continua successiva: ergo erit tempus. Quocumque ergo modo dicatur aevum [d], non ponetur separata duratio ab aeternitate et tempore.

5. Item, Eccli. 43,6: *Luna ostensio temporis et signum aevi.* Et exponit Rabanus [1] quod Iudaei intelligebant tempora penes cursum lunae. Secundum hoc ergo luna est ostensio temporis, id est differentiarum et partium temporis, et etiam signum aevi, id est [e] durationis totius temporis, quae per aevum poterit mensurari.

Contra: *a.* Eccli. 1,1: *Omnis sapientia a Domino Deo est et cum illo fuit semper et est ante aevum.* Igitur cuius duratio est aeternitas, praecedit aevum; ergo est duratio sequens aeternitatem; ergo alia ab aeternitate.

b. Item, Boethius [2]: « Tempus ab aevo ire iubes »; sed quod exit ab aliquo non est idem illi; ergo aevum est duratio differens a tempore.

c. Item, Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [3]: « Proprietas aevi est antiquum, inalteratum, secundum totum esse mensurans; tempus vero est quod est in generatione et corruptione aliter se habens ».

d. Item, Augustinus, in [f] *83 Quaestion.* [4]: « In hoc distat tempus ab aevo, quia istud stabile, illud autem mutabile ». Ergo non est idem tempori [g].

e. Item, est esse sine principio et sine fine, non incipiens a non esse nec vertibile in non esse, ut aeternum; et est esse cum principio et fine, incipiens a non esse et vertibile in non esse [h], ut temporale; et est esse habens principium et incipiens a non esse, sed non habens finem nec est vertibile in non esse, ut perpetuum. Si ergo durationes differunt secundum differentem extensionem esse, cum triplex sit extensio esse, ut dictum est [5], seu quasi extensio sive protensio, erunt tres durationes; ergo cum duratio primi sit aeternitas, duratio secundi [i] tempus, duratio tertii erit aevum.

Solutio: Quod concedendum est. Notandum autem quod [k] nomen aevi dicitur multipliciter. Aliquando enim aevum accipitur pro omni duratione quae non est tempus, secundum quod dicit Dionysius [6]: « Proprietas aevi antiquum » etc. Aliquando vero pro tota duratione temporis, secundum quod dicit Dionysius, in libro *De divinis nominibus:* « Aliquando totam durationem temporis, quae [l] apud nos est, aevum appellat »; et hoc modo accipitur Eccli. 43,6: *Luna ostensio temporis et signum aevi.* Aliquando vero pro antiquitate temporis; unde Dionysius: « Saepe antiquissima aevi cognominatione [m] fingunt ». Aliquando pro magna parte temporis: ab Adam usque ad Noe, unum aevum. Aliquando vero pro periodo sive duratione rei alicuius, secundum quod tota vita alicuius hominis appellatur suum aevum. Aliquando vero accipitur secundum proprium modum, secundum quod aevum est duratio rei habentis esse post non esse, sed non vertibilis in non esse, ut in perpetuis.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod Boethius non negavit 'nunc' aevi, sed stabilitatem 'nunc' sive praesentis aeternitatis declaravit per comparationem ad 'nunc' temporis, quod nobis magis manifestum est. Triplex tamen est 'nunc'. Est enim 'nunc', quod non incepit esse et quod immutabiliter manet in esse: et est 'nunc' aeternitatis; et 'nunc', quod incipit esse, sed non mutatur nec fluit in [n] esse: et tale est 'nunc' aevi, et dicitur hic fluxus successionis variabilis et non continuationis esse sive durationis; et est 'nunc' quod incipit esse et mutatur et fluit in esse: et tale est 'nunc' temporis. Praesens enim aeternitatis semper fuit et est et erit; uno modo ens praesens perpetui non semper fuit, sed semper et est et erit; uno modo ens praesens temporis mutatur et fluit a futuro in praesens, a praesenti in praeteritum.

2. Ad secundum dicendum quod 'semper' uno modo accipitur pro toto tempore, alio modo pro tota aeternitate, quae non habet totalitatem partibilitatis, sed perfectionis. Intelligitur ergo

---

[a] F *sicut.* [b] R *si.* [c] PVS *ut.* [d] B om. [e] R *et* pro *i. e.* [f] B om. [g] L *tempore*, F *cum tempore.* [h] B om. *ut aeternum... esse.* [i] LF add. *esse est*; S add. marg. *esse.* [k] V add. *hoc*; BRLF *tamen* pro *autem.* [l] P *qui.* [m] L *cogitatione*, LF *surgunt* pro *fingunt.* [n] V add. *non.*

1 In h. l. (PL 109, 1072).
2 *De consol. philos.*, III, metr. 9 (PL 63, 758).
3 Cap. 10, § 3 (PG 3, 938, PL 122, 1164).
4 Quaest. 72 (PL 40, 84).
5 Cf. paulum supra, in hoc argumento.
6 Loc. cit., ad litt. *c*, ubi etiam sequentes textus.

'semper', cum dicitur « praesens, si semper est praesens » etc., de totalitate aeternitatis in duratione quae non incipit nec desinit, si accipiatur aeternitas proprie, et non de totalitate temporis: praesens enim perpetui praesens est toti tempori.

3. Ad tertium dicendum quod quantitas est duobus modis, sicut dicit B.[a] Augustinus, in libro *De quantitate animae*[1]: est enim quantum virtute, quantum dimensione. Dicendum ergo quod aevum accidens est rei aeviternae, id est perpetuae, et reducetur ad genus quantitatis secundum quod extenditur quantitas ad extensionem virtualem; secundum vero quod coarctatur intentio quantitatis ad quantitatem dimensionis, procedebat obiectio.

4. Ad quartum dicendum quod est accidens proprium et est[b] accidens commune. Accidens proprium, ut risibile homini, quod[c] per se et omni inest et soli, diversificatur secundum differentiam speciei[d] subiecti. Accidens vero commune, ut albedo et numerus homini[e], non diversificatur secundum speciem, sed solum secundum numerum. Ex[f] accidentibus autem propriis est aevum aeviternis et tempus temporalibus; et ideo differunt specie tempus et aevum[2].

CAPUT II. 66

DE UNITATE AEVI.

Consequenter quaeritur de unitate aevi[3].

Et obicitur: 1. Primo, cum nos videamus in aeviternis quod quaedam prius[g] recipiunt perpetuitatem, quaedam consequenter — ut angeli qui a principio receperunt esse perpetuum, consequenter autem rationales animae — et in ipsis etiam consequitur inchoatio esse unius ad esse alterius, non erit aliquo modo una perpetuitas[h] omnium aeviternorum nec similis protensio durationis, cum una excedat aliam ex parte ante.

2. Item, perpetua, ut animae, angeli et materia, habent omnino absolutum modum essendi et non dependent ab invicem; ergo habent omnino disparatam durationem; sed duratio cuiuslibet est aevum; est igitur aevum disparatum et diversum, non unum.

3. Item, tempus primo est mensura motus primi mobilis et per hoc est tempus mensura una omnium inferiorum; unde si aeque principaliter et primo, et non per aliquod unum prius vel causam, esset tempus mensura omnium temporalium, non posset esse iam unum tempus. Si ergo ex parte aevi non est aliquod aeviternum sustinens[i] primo aevum, quod aeviternum[k] sit causa[l] omnium aliorum, immo aevum est aeque primo mensura omnium aeviternorum, non per aliquod: videtur quod quot sunt aeviterna, tot debeant esse aeva, ut ita dicatur.

4. Item, in Apocryphis Esdrae[4]: *Maiestas et potestas aevorum est apud te, Domine.*

5. Item, Dionysius[5]: « Ipse est aevum aevorum »; loquitur de Deo.

Contra: *a.* Maior est unitas ex parte esse perfectioris. Si ergo esse perpetuum est perfectius temporali, maior erit unitas ex parte esse perpetui quam temporalis; ergo duratio mensurans esse perpetuum magis erit una quam quae mensurat esse[m] temporale; ergo aevum est[n] magis unum tempore. Cum ergo « tempus sit unum omnium temporalium », ut dicit Anselmus, in libro *De veritate*[6]: « Dicitur tempus huius rei et illius, cum unum et idem[o] sit tempus omnium quae in eodem tempore simul sunt, et si non esset haec res vel illa, non minus esset idem tempus ». Ergo multo magis erit unum aevum.

b. Item, Eccli. 1,1: *Omnis sapientia a Domino Deo est et cum illo fuit semper et est ante aevum.*

Item, 42,19: *Respexit Dominus in signum aevi.* In omnibus iis auctoritatibus nominatur in singulari, non in plurali, et tamen nominatur per totam durationem suam; ex quo videtur quod non habeat pluralitatem.

c. Item, ratione potest ostendi sic: Si plura ponuntur aeva, aut ergo unum iterum[p] ponetur praecessisse aliud aut sequi aut simul esse cum illo. Non praecessit aliud: quia ante hoc non fuit nisi aeternitas; item[q] post hoc[r] non erit aliud: quia illud quod modo est, nunquam deficiet; si ergo plura sunt, aliud erit simul cum isto. Cum ergo in quantitatibus non habentibus positionem, quod potest mensurare una, potest mensurare[s]

---

[a] SB om. [b] LF om. [c] F om. [d] L *specie*, F *diversificatur specie secundum differentiam* pro *d. s. d. s.* [e] PVS *hominis*. [f] S *quod*. [g] B om. [h] B *proprietas*, L om. *una*. [i] BR *sufficiens*. [k] R exp. *p. a. q. a.* [l] F add. *sustinens*. [m] R *rem*. [n] BRF om. [o] R add. *cum ergo*. [p] V *rerum*. [q] R *ergo*, quod B corr. [r] BR add. *et cum ipso*. [s] V om. *u. p. m.*

1 Cap. 3 (PL 32, 1037).
2 *Ad 5* responsum est in *Solutione*.
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 1, a. 1, q. 2 (II, 58 sqq.).
4 III Esdr. 4, 40.
5 *De divin. nomin.*, c. 5, § 4 (PG 3, 818, PL 122, 1148).
6 Cap. 13 (PL 158, 486).

reliqua eiusdem generis, ut explanabitur infra [1]: et ideo non possunt plures partes temporis esse simul, quia semper [a] altera superflueret; et similiter videtur quod non possunt esse plura aeva simul, quoniam semper alterum superflueret.

Ad solutionem huius quaestionis nota primo opinionem quorumdam quod [b], sicut dicit Boethius, in libro *De consolatione* [2]: « Sic se habet fatum ad providentiam divinam, ut tempus ad aeternitatem »; « providentia vero est ratio divina quae cuncta disponit, fatum vero inhaerens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quaeque [c] nectit ordinibus [3] ». Quamvis autem dicantur plura fata, quia quaelibet res per providentiam habet assignatum ordinem, hoc non est nisi quia fatum est huius rei [d] et illius; fatum autem est unum, quia, sicut dicit Boethius, in eodem [4]: « Ordo quidam [e] cuncta complectitur, ut si quis ab assignato ordine recesserit, in alium ordinem relabatur ». Ab unitate ergo huius ordinis cuncta complectentis erit fatum unum, non ab unitate illorum quorum est fatum. Si ergo simili modo se habet tempus ad aeternitatem, erit tempus unum, non ab unitate temporalium, quae mensurantur [f] tempore, sicut patet ex praedicta sententia Anselmi, in libro *De veritate* [5], sed ab unitate causae, quae est influentia seu virtus durationis ab aeternitate, secundum quod res sunt in participatione aeternitatis; simili modo unitas aevi, in quo est primo et principaliter [g] influentia virtutis [h] durationis ab aeternitate. Et secundum hanc rationem B. Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [6], dicit: « Oportet divinum [i] tamquam aevum et tamquam tempus hymnire », id est laudare, « ut omnis temporis et aevi causam ».

[Ad obiecta]: 1. Secundum hoc respondendum ad primum et dicendum unum esse aevum aeviternorum, sicut unum tempus omnium temporalium, quemadmodum dicit Anselmus [7]: « Tempus unum et idem est omnium eorum quae in eodem tempore simul sunt; et si [k] non esset haec res vel illa, nihilominus est tempus unum [l] ». Ita dicendum [m] unum et idem aevum omnium quae in aevo sunt; et licet haec anima vel illa incipiat esse in aevo post illam, nihilominus aevum, quod ingrediuntur, unum est ab unitate unius influentiae virtutis durationis sine fine ab aeternitate, quae una est, quamvis differentia [n] sint receptiva ipsius influentiae [8]. Quemadmodum una est influentia lucis a sole et tamen differentia receptiva influentiae [o] lucis et receptio multiplicatur, non infusio vel influentia: sic receptio virtutis durationis sine fine, quae est perpetuitas, potest multiplicari, cum recipitur ab angelo et ab anima, et non simul: non [p] tamen ipsa perpetuitas, sicut nec ipsa influentia, multiplicatur.

2. Ad secundum dicendum sine praeiudicio quod quamvis duratio materiae, animae et angeli et aliorum aeviternorum habeat disparationem, non dependentiam ab [q] invicem secundum causalitatem, dico tamen quod proportionaliter se habent secundum virtutem durationis, ut dictum est [9], in [r] quantum sunt in participatione divinae aeternitatis. Quamvis enim secundum actum durationis, nec esse angeli nec esse animae nec esse materiae se excedant [s], ut nec esse angeli esse animae nec esse animae esse materiae, virtute tamen durationis et continuationis 'esse' nihil prohibebit esse animae excedere esse materiae et esse angeli esse animae, ita quod, posito quod relinquerentur propriae naturae et essent vertibilia in non esse, citius deficeret materia quae in essendo est ignobilior anima et forsitan anima angelo per naturam. Et sic, quamvis non excedant se [t] secundum actum durationis nec dependeant ab invicem secundum rationem causalitatis, nihil videtur prohibere quin dependeant et ordinentur secundum virtutem durationis et quin virtus durationis nobilior possit se habere virtualiter ut mensura durationis ignobilioris, etsi non ut causa: ut secundum ordinem virtutis durationis ascendendo ad aeternitatem, a virtute minori ad maiorem, perveniatur ad unam aeternitati proximam, in qua primo appareat unitas aevi, quemadmodum in motu caeli apparet unitas temporis secundum praesentem statum. Hoc autem cogitur [u], quoniam sicut dicit B. Dionysius [10]: « Omnia exeunt [v] a primo secundum ordinem »; item, propter hoc quod dicit B. Augustinus [11]: « Omnia sunt inaequalia [x], ad hoc inaequalia ut essent omnia ». Erit ergo ponere gradum in virtute durationis in aeviternis, sicut in temporalibus ponitur secundum actum durationis. Hoc tamen absque [y] praeiudicio melioris sententiae dictum est.

---

[a] L *tamen*. [b] LF om. [c] V *quecumque*. [d] L *res*. [e] V *quidem*. [f] BRLF *mensuratur*. [g] BRLF *principalis*. [h] BR *unitatis*. [i] PVS add. *et*. [k] S add. *enim*. [l] S add. *et idem est omnium eorum que in eodem tempore*. [m] B add. *tempus*. [n] V (corr. mg.) *distantia*. [o] BRF *influentiam*, L *influentia*. [p] S exp. [q] PVS *ad*. [r] L *tamen*. [s] PS add. *se*. [t] P om. [u] B *Huius autem cognitio est* pro *H. a. c.* [v] L *excedunt*. [x] F exp. [y] R *sine*.

1 Sub num. 67.
2 Cf. lib. IV, pr. 6 (PL 63, 817).
3 Loc. cit. (PL 63, 814sq.).
4 Loc. cit. (PL 63, 820).
5 Cf. supra, ad litt. *a*.
6 Cap. 10, § 3 (PG 3, 939, PL 122, 1164).
7 *De veritate*, c. 13 (PL 158, 486).
8 Cf. *Lib. de causis*, §§ 19 et 23 (p. 181, 184).
9 Cf. supra, *ad 1*.
10 Cf. *De cael. hierarch.*, c. 4, § 3 (PG 3, 182, PL 122, 1047).
11 *De div. quaest. 83*, q. 41 (PL 40, 27), ad sensum; *Contra advers. Legis et Proph.*, c. 4 (PL 42, 606).

3-5. Ad reliqua obiecta patet solutio ex praedictis [a]. Nam plura aeva dicuntur materialiter sicut plura tempora, non formaliter, sive quia plura sunt in aevo vel plura in tempore, dicuntur plura tempora vel aeva, cum tamen aevum et tempus unum; vel dicuntur plura aeva in alia significatione quam in propria.

Aliter potest dici quod sunt plura aeva, scilicet [b] secundum pluralitatem aeviternorum, nec habent unitatem essentiae nec ab hac unitate unum dicitur aevum. Potest tamen dici unum ab unitate conformitatis, quia omnia aeva, distincta secundum distinctionem aeviternorum, conformitatem habent in imitatione aeternitatis et temporis: aeternitatis, quantum ad infinitatem ex parte finis et carentiam prioris et posterioris; temporis, quantum ad habere principium. Nec oportet quod aevum omnium aeviternorum sit unum sicut unum tempus omnium temporalium: aeviterna enim omnia immediate exeunt a primo; propter quod non intercipitur aliquod medium a quo dependeant secundum essentiam vel actum: sicut omnia temporalia, quantum ad esse et operationem, in quantum huiusmodi, dependent a primo [c] motu; propter quod et [d] eorum motuum est regula tempus unum, scilicet illud quod est numerus primi motus.

Si autem obicitur quod dicit Philosophus [1] quod si essent plures caeli, nihilominus esset tempus unum, similiter etsi sint plura aeviterna, nihilominus erit aevum unum: potest dici quod, ut ponunt in Philosophia Naturali edocti, proprium subiectum et primum motus est materia prima [2], quae est subiectum totius transmutationis, cuius mensura propria est tempus. Secundum etiam horum opinionem non est ponere tempus esse in primo caelo mobili ut in subiecto, sed in prima materia; iuxta quorum positionem non est inconveniens ponere tempus unum ab unitate motus et subiecti materiae primae, etsi sint plures caeli. Iuxta positionem eorum qui dicunt tempus esse in primo caelo mobili sicut in subiecto, dicendum quod, si essent plures caeli, non esset unum tempus per essentiam, posset tamen esse unum per conformitatem sive indifferentiam participationis aevi et aeternitatis. Quotquot enim essent motus huiusmodi, eorum mensurae consimiliter et conformiter se haberent ad aevum et aeternitatem.

Ad hoc quod primo [3] obicitur dicendum quod aevum, quantum ad esse proprium quod non numeratur per prius et posterius, maioris est unitatis quam tempus quod numeratur; unde proximius se conformat aeternitati et magis naturam illius participat quam tempus.

CAPUT III. 67

DE SIMPLICITATE AEVI.

Quaeritur consequenter de simplicitate aevi. Quaeritur ergo utrum aevum habeat partes vel non [4].

Ad quod sic obicitur: 1. Omne, quod deficit a differentia aliqua, cadit in conditionem sibi oppositam vel differentiam [5]: sicut si moveri et quiescere sunt conditiones oppositae, quod deficit a quiete cadit in motum. Ergo si simplex et compositum [e] sunt conditiones oppositae, cum a simplicitate aeternitatis deficiat aevum, sicut ostensum est [6], necesse est cadere in differentiam simplicitati [f] oppositam; sed haec est compositio; ergo oportet aevum habere compositionem.

2. Item, ad idem Anselmus, in *Proslogion* [7], quaerit quomodo Deus est ultra aeterna, et appellat 'aeterna' aeviterna, exponens illud [8]: *Dominus regnabit in aeternum et ultra;* unde dicit: « An hoc quoque [g] modo transis aeterna, quia illorum aeternitas tota tibi praesens est, cum [h] illa nondum habeant de sua aeternitate quod venturum est, sicut [i] iam non habent quod praeteritum est »? Ex hoc [l] videtur quod in aevo sint partes etiam [k] successivae et prius et posterius.

3. Item, si mensuratum est partibile, et mensura, quia necesse est mensuram et mensuratum esse proportionalia; sed aliquod aeviternum contingit esse partibile; ergo et aevum. — Probatio mediae: Contingit [m] quod angelus contempletur Deum et contemplando magis ac magis accendatur [n]; si ergo potest ibi esse magis et magis, ergo pars et pars; ergo est [o] divisibile;

---

[a] F *dictis*. [b] S om. [c] SL expuncto *primo*, habent in marg. *primi mobilis*; F post *motu* add. *primi mobilis*. [d] V *in*, SLF exp. *p. q. e.* [e] RLF *divisibile*, B *indivisibile*. [f] B *simplicitatis*. [g] VBRLF *quocumque*. [h] BR *et*, F *et cum*. [i] Ita BRF, alii *sic*. [l] V *quo*, S om. *est*. [k] F om. [m] LF *contingat*. [n] PVS *accenditur*. [o] F om.

1 *Metaph.*, XII, c. 9 et *Phys.*, IV, c. 10 (II, 608, 299).
2 Cf. Aristot., *Metaph.*, VII, c. 1 et XI, c. 2 (II, 558, 600); *Phys.*, I, c. 9; *De gener. et corrupt.*, I, c. 4 (II, 260, 440); Gundisal., *De unitate* (p. 5 sqq.).
3 Cf. supra, ad litt. *a*.
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 1, a. 1, q. 3 (II, 61 sqq.).
5 Aristot., *Categor.*, c. 8 (I, 17 sqq.).
6 Cf. supra, p. 99 sqq. num. 65.
7 Cap. 20 (PL 158, 238).
8 Exod. 15, 18.

sed istud est mensurabile ab aevo. Et hoc patet, cum sit actio debita aeviterno, non per relationem ad creaturam; et ideo non mensuratur tempore. — Item, possibile est tempus non esse et huiusmodi actionem esse; ergo non est eius mensura tempus; ergo aevum; et ita aevum erit partibile.

Contra: *a*. Si habet partes: aut ergo permanentes aut successivas. Si permanentes: ergo duae erunt simul; et si hoc: quidquid mensurat una, et altera. In quantitatibus enim permanentibus plures partes sunt simul, non tamen quod mensurat una, mensurat altera: et hoc est quia sunt quantitates habentes positionem secundum suas partes respectu mensurati; et propter hoc, cum una pars mensurat unam partem, mensurat et alia aliam. Sed partes durationis non sunt habentes positionem; ergo, si sunt plures partes simul, quod mensurat una, et altera [a]; et si sic, altera superflueret: quod non debet esse. — Si successivae: ergo, cum partes temporis sint successivae, iam non differret aevum et tempus.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod sicut mensuratum caret fine, sed non principio, et ex se non habet extensionem, sic nec ipsum aevum secundum rem habet extensionem.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [b] quod obicitur quod 'illud quod ab aliqua differentia deficit, cadit in differentiam oppositam': respondeo quod aeternitas increata simplex est omnino, et ideo in ipsa est carentia omnis compositionis. Est enim carens compositione quae est ex pluribus, sicut est integrale; et compositione qua aliquid dicitur componi, sicut accidens subiecto; et compositione qua aliquid potest esse tale ut aliud componatur illi, sicut materiae forma. Quia ergo simplicitas aeternitatis quamlibet istarum compositionum excludit, quocumque modo sit aliquid componibile, deficit a simplicitate aeternitatis et est in differentia opposita [c]; et ideo non sequitur quod si deficit a simplicitate aeternitatis, quod sit compositum ex pluribus, sed quod sit componibile ex pluribus vel componibile alii vel aliud isti. De aevo autem potest videri quia alteram compositionum [d] habet, ad minus quia est componibile alii quod non est ipsum, scilicet suo aeviterno.

2. Ad secundum dicendum quod in aeviternis est considerare substantiam et actionem. Nomen ergo aevi potest accipi communiter et proprie: « Proprie enim est aevum, secundum B. Dionysium [1], inalteratum et secundum totum esse mensurans ». Et secundum hoc aevum est mensura aeviterni, in quantum habet esse extra motum omnem et mutationem; hoc autem est secundum substantiam et secundum actionem connaturalem substantiae, cuiusmodi actio est in sole lucere et in angelo intelligere. In quantum vero habet esse in mutatione et motu, mensura ipsius est tempus vel aliquid ad modum temporis se habens, secundum quod dicit Philosophus, in libro *De causis* [2]: « Inter rem cuius substantia est in momento aeternitatis, et rem cuius substantia et actio est in momento temporis, est media: cuius substantia est in momento aeternitatis et operatio in momento temporis ». Et tempus dicitur ibi communiter, sicut post patebit [3]. — Communiter vero aevum sive aeternitas creata dicitur complecti [e] metiendo et substantiam quae est extra omnem [f] mutationem, et ipsam actionem quae est rei aeviternae, quae tamen est [g] in mutatione: quia quidquid mensurat superius, mensurat inferius. Secundum hoc, aevum substantiam aeviterni et actionem connaturalem, quae uno modo semper est, mensurat ut mensura propria secundum totum; actionem vero, quae in motu est, secundum totum mensurat ut [h] mensura communis. Quemadmodum aeternitas mensurat divina ut mensura propria et coaequata, aeviterna et temporalia ut mensura communis: similiter aevum invariabilia habentia principium ut mensura [i] propria, variabilia ut mensura communis; et ex hoc non sequitur quod aevum partibile sit. Anselmus autem [k] aeternitati angelorum concreavit operationem, secundum quam aliquid eis advenit, aliquid praeteriit. Quae autem sit mensura propria huius operationis, infra dicetur [4].

3. Ad tertium dicendum quod actionis angeli, scilicet contemplationis et amoris intensi et remissi, posito quod intenderetur vel remitteretur, non mensura ponetur tempus proprie nec aevum proprie, sed duratio quae est quasi [l] tempus quantum ad aliquid et aevum quantum ad aliquid [m]: quasi tempus, quia [n] ibi est quaedam variatio in modo contemplationis et amoris; quasi aevum, quia in actu contemplationis et amoris non est secundum essentiam variatio, immo angelus semper videt facie ad faciem [5] per contemplationem. Manet ergo in angelo non

---

[a] PVS *alia*. [b] V *aliud*. [c] V *composita*, PVS om. *in*. [d] LF *compositionem*. [e] V *completi*. [f] V *extractionem* pro *e. o.* [g] V om. [h] B *et*. [i] F om. *communis... mensura*. [k] PS *ante*, V *quando*. [l] RLF om. [m] S om. *et... aliquid*, quod in V est add. mg. [n] V *quod*.

1 *De divin. nomin.*, c. 10, § 3 (PG 3, 938, PL 112, 1164).
2 § 30 (p. 190).
3 Cf. infra p. 105b, sub *Respondeo*.
4 Hic *ad 3* et infra, p. 107b, *ad 2-3*.
5 Cf. Matth. 18, 10.

mutata essentia actus, quamvis varietur circumstantia actus. Et[a] hanc durationem voluerunt quidam[1] appellare 'saeculum'[b], quod dicitur a sequendo[2], et, sicut dicit Damascenus[3], « protenditur cum aeternis velut temporalis motus et spatium ».

CAPUT IV.

DE COMPARATIONE AEVI AD TEMPUS.

Consequenter quaeritur de comparatione aevi ad tempus. Quaeruntur ergo tria:

Primum est[c] quomodo se habeant secundum extensionem durationis;

secundum, an sit ponere aliquam durationem mediam inter aevum et tempus;

tertium de comparatione 'nunc' temporis, aevi et[d] aeternitatis.

ARTICULUS I. 68

Quomodo se habeant aevum et tempus secundum extensionem durationis[4].

Quantum ad primum obicitur sic[e]: 1. Omnis mutationis est tempus mensura; sed mutatio praecedit aevum, quia aevum per mutationem, quae est creatio, exit in esse; ergo tempus naturaliter praecedit aevum.

2. Item, omne[f] quod coepit, sicut dicit Richardus de S. Victore[5], « coepit esse ex tempore ». Cum ergo aevum coeperit, coepit ex tempore; ergo primum.

3. Item, « simul coepit esse[g] tempus et angelus et materia prima[6] »; sed aevum est duratio angelicae[h] naturae; ergo simul exiit in esse tempus et aevum; ergo aevum non praecedit tempus.

Contra: *a.* Boethius[7]: « Tempus ab aevo ire iubes »; sive igitur sit sensus: ab aevo sicut a causa, vel ab aevo, id est[i] post aevum, semper originaliter aevum erit ante tempus.

b. Item, omnis mutatio et motus radicatur in aliquo immobili, ut mutationes generabilium in materia, quae est immobilis, et mutationes caelorum in materia caelorum, quae est immutabilis[k], et mutationes animarum et angelorum in eorum[l] substantia, quae est immutabilis. Si ergo sic se habet duratio mensurans[m] essentiam materiae vel substantiam caelorum vel animarum vel angelorum ad durationem mensurantem motus et mutationes eorum[n] sicut se habet esse mutationum ad esse substantiarum, quae sunt radix mutationum: si mutationes procedunt a substantiis, ergo substantia praecedit mutationem originaliter; ergo et duratio durationem originaliter; ergo tempus ab aevo, sive[o] tempus mensura mutationis durationum, aevum substantiarum.

c. Item, si tempus dicitur radicari in motu primi mobilis, si motum primi mobilis praecedit substantia mobilis et substantia motoris causaliter, quae mensurantur aevo: ergo aevum praecedit tempus causaliter.

Respondeo: Tempus dicitur communiter et improprie[p], communiter sed minus proprie, et proprie. Communiter et improprie dicitur tempus unum 'nunc' primo; communiter minus proprie, 'nunc' post 'nunc'; proprie vero tempus extensio continua secundum praesens a praeterito in futurum. Primo modo tempus non est tempus, sed temporis initium; secundo modo tempus est numerus secundum prius et posterius; tertio modo tempus est continuum secundum continuitatem motus secundum[q] prius et posterius et medium, quod est terminus praeteriti prioris et futuri posterioris. Primo modo secundum improprietatem tempus, immo 'nunc' quod est principium temporis, respicit primam mutationem a non esse in esse, quae est creatio passiva, in qua non ponitur nisi 'nunc'[r] primo esse post non esse; secundo modo respicit mutationem quae est de uno esse in aliud[s] sine continuo; tertio modo respicit mutationem quae determinatur secundum magnitudinem primi mobilis et spatii, secundum quam est motus, quae[t] est de uno in aliud continue et successive.

---

[a] V *secundum.* [b] VS *secundum.* [c] BRLF om. [d] BRLF add. *etiam.* [e] BRLF om. [f] BRLF om. [g] BRLF om. [h] L *evangelice.* [i] R om. *i. e.* [k] F om. *et mutationes... immutabilis.* [l] Ita L, alii *earum.* [m] V *mensuram.* [n] P *earum.* [o] V *sic,* quod B corr. [p] PVSB *proprie,* PVS om. sequens *communiter.* [q] L *sed.* [r] PVS *cum.* [s] BRLF add. *esse.* [t] L *qui.*

[1] Cf. Isidor., *Etymol.*, V, n. 4 (PL 82, 223).

[2] Cf. Pseudo-Hugo, *Allegoriae in Nov. Testam.*, VI (PL 175, 897); Isidor, loc. cit.; Haymo, *In Epist. ad Gal.* et *In Epist. ad Hebr.*, c. 11 (PL 117, 902, 670), citans Ovidium.

[3] *De fide orthod.*, II, c. 1 (PG 94, 862).

[4] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 64 sq.).

[5] *De Trinit.*, I, c. 6 et II, c. 9 (PL 196, 893, 906); cf. Augustin., *De civit. Dei*, XI, c. 6 (PL 41, 322).

[6] Cf. Hugo de S. Vict., *Elucid. in Genes.*, c. 5 (PL 175, 34).

[7] *De consol. philos.*, III, met. 9 (PL 63, 758).

Primus sensus habetur ex Gen. 1,1: *In principio creavit Deus* etc. Glossa[1]: « In principio temporis ». Secundus et tertius habentur ab Augustino, in XII *De civitate Dei*[2]: « Usque adeo angeli omni tempore fuerunt, ut etiam ante omnia tempora facti sint. Si a caelo incepta sunt tempora, et illi iam erant ante caelum; at si tempus non a caelo, sed ante caelum fuit: non in horis et mensibus, diebus et annis, sed in aliquo mutabili motu, cuius aliud prius, aliud posterius, eo quod simul esse non possunt. Si igitur in angelicis motibus tale aliquid fuit, necesse est quod angeli, ex quo facti sunt, temporaliter movebantur; quare [a] cum illis tempus fuit ». Et hoc modo dicit, *Super Genesim ad litteram*[3], quod « Deus creaturam spiritualem movet per tempus ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo [b] quod obicit quod 'omnis mutationis mensura est tempus', patet distinctio: nam primae mutationis non est mensura tempus, sed 'nunc'. Est enim 'nunc' aevi, quod est stans post non [c] esse; et est 'nunc' temporis, quod est fluens a praeterito in futurum. Dico ergo quod 'nunc' aevi concreatur cum aeviterno in [d] habente esse manens; 'nunc' vero temporis concreatur cum motu. Nec est inconveniens simul esse duo 'nunc' alterius generis: nam sicut 'nunc' aeternitatis continet 'nunc' aevi, sic 'nunc' aevi 'nunc' temporis. Tamen non est concedendum quod 'nunc', quod est initium temporis, sit mensura creationis aeviterni, sed ipsum 'nunc' aevi; sed 'nunc' aevi [e] cum 'nunc' temporis coepit.

2. Ad secundum dicendum quod 'coepisse ex tempore' duobus modis intelligitur. Uno modo 'coepisse [f] ex tempore' intelligitur 'coepisse in tempore': et hoc modo non est verum aevum coepisse ex tempore; vel 'coepisse ex tempore', id est cum tempore: et hoc modo verum est. Unde Augustinus, *De civitate Dei*[4]: « Mundus non coepit in [g] tempore, sed cum tempore ». Coepisse autem dicitur tempus cum primo 'nunc' variationis cuiuslibet rei, secundum quod tempus dicitur communiter et minus proprie, ut dictum est[5].

3. Ad tertium dicendum quod, quamvis ab esse divinae aeternitatis exiverit per creationem simul esse manens immotum, ut est esse aeviternorum, et esse fluens in motu, ut est esse temporalium, ordine tamen naturae hoc est prius isto, et esse motum radicatur [h] in esse manenti, sicut ostendebatur[6]; et hoc modo « tempus ab aevo ire iubet ».

69

ARTICULUS II.

Utrum sit aliqua mensura durationis media inter aevum et tempus.

Postea quaeritur utrum sit aliqua mensura durationis media inter aevum et tempus[7].

Ad quod sic: 1. Dionysius, in libro *De divinis nominibus*[8]: « Oportet aeterna et temporalia secundum modos agnitos subaudire », et aeterna ibi dicit aeviterna. « Aevi autem proprietatem » dixit « esse sine alteratione et secundum totum metiri; temporis [i] vero quod in alteratione est et alias aliter se habens; media vero entium quae hic quidem aevo, illic tempore participant ». Ex quo vult dicere quod inter temporalia et aeterna sint media, quae quantum ad aliquid participant aevo, quantum ad aliquid tempore durationis. Igitur huiusmodi mensura erit media inter aevum et tempus.

2. Item, cum angelus in contemplatione intendatur magis quam prius, similiter et in [k] affectione, variatio aliqua est in contemplatione angeli et affectione; sed constans est [l] quod huiusmodi variationis non est mensura aevum, cum dicat Augustinus, in [m] *83 Quaestion.*[9], assignans differentiam temporis et aevi, quod tempus est variabile, aevum vero [n] invariabile. Similiter nec huius [o] durationis mensura potest esse tempus, cum haec variatio, quae est secundum intentionem contemplationis vel amoris, sit ad complementum salutis ipsorum; tempus vero est causa corruptionis per se, generationis autem per accidens[10]. Relinquitur ergo quod mensura huius variationis erit media inter aevum et tempus.

---

[a] F *quia*. [b] V add. *dicendum*. [c] PV *nunc*, quod S corr. [d] BRLF *et*. [e] V om. *s. n. a.* [f] V add. *autem*. [g] L om., in PF est add. interl. [h] PVS *est motum radicatum* pro *e. m. r.* [i] VLF *tempus*. [k] P om., V om. *et*. [l] BRLF *constat*, pro *c. e.* [m] F om. [n] PVS om. [o] BF *huiusmodi*.

1 *Ordin.* (PL 113, 68) et *Interlin.*, ex Ambrosio, *In Hexaem.*, I, c. 6, n. 20 (PL 14, 132).
2 Cap. 15, n. 1 (PL 41, 363).
3 Lib. VIII, c. 22 (PL 34, 389).
4 Lib. XI, c. 6 (PL 41, 322).
5 Cf. supra, *Respondeo*.
6 Cf. supra, ad litt. *b*.
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 1, a. 2, q. 2 (II, 65 sqq.).
8 Cap. 10, § 3 (PG 3, 939, PL 122, 1164).
9 Quaest. 72 (PL 40, 84).
10 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 13 (II, 305).

3. Item, contingit angelum in Deo cognoscere aliquid esse quod cito desinit esse [a], et ita per consequens desinit illud cognoscere. Constans est [b] quod huiusmodi cognitionis mensura non erit aevum, cum esse desinat; nec tempus, cum huiusmodi cognitio nullo modo infra tempus sit, sed supra. Relinquitur ergo quod mensura huiusmodi cognitionis erit media inter aevum et tempus.

4. Item, supposito, secundum sanctos [1], quod non omnia creata sint simul, sed per successiones sex dierum, constans est quod primo, scilicet cum caelo et terra, coepit aevum, quarta autem die [2] coeperunt moveri corpora caelestia, simul autem cum motu coepit et tempus: constans est quod in diebus antecedentibus aliqua eductio facta est et aliqua variatio in materia. Huius autem variationis non potest poni mensura aevum, tum [c] ratione variabilitatis, tum [d] etiam ratione [e] desitionis; nec tempus, cum adhuc non coepisset [f]. Relinquitur ergo quod huiusmodi variationum et eductionum mensura est media inter aevum et tempus.

5. Item, poena inferni habet variabilitatem, quia [g] sicut dicitur Iob 24,19: *Transibunt ab aquis nivium* [h] *ad calorem nimium;* ex quo relinquitur quod mensura ipsius non erit aevum. Habet etiam perpetuitatem et etiam [i] esse, cessante motu caeli, quem non [k] excedit tempus duratione. Mensura igitur durationis poenarum non erit tempus nec aevum; erit igitur aliqua mensura media.

Contra: *a.* Inter durationem 'esse', quod non incipit [l] a non esse nec vertitur in non esse, et durationem 'esse', quod incipit a non esse et vertitur in non esse, nullo modo potest poni media [m] duratio, nisi duratio 'esse' quod incipit a non esse, sed non vertitur [n] in non esse [o], vel duratio 'esse' quod non [p] incipit a non esse, sed [q] vertitur in non esse; sed istud [r] quartum nullo modo potest esse, sicut supra ostensum est in Quaestione de incommunicabilitate [s] aeternitatis [3]; relinquitur ergo quod non ponetur nisi triplex duratio. Si ergo primae durationis mensura est aeternitas, secundae tempus, tertiae aevum, non poterit poni mensura quarta media inter aevum et tempus.

b. Item, Philosophus, in libro *De causis* [4]: « Inter rem, cuius substantia et operatio est in momento aeternitatis, et rem, cuius substantia et operatio est in momento temporis, est media: cuius substantia est in momento aeternitatis et operatio in momento temporis », et aeternitatem appellat aevum. Quamvis ergo angelus operetur in tempore, sicut ministrando nobis, vel contempletur cum intensione maiori vel [t] minori, non erit ponere medium inter aevum et tempus, quia secundum substantiam et operationem suam invariabilem mensuratur aevo, secundum vero operationem variabilem tempore.

c. Item, in Psalmo [5], loquendo de poena reproborum, dicit: *Et erit tempus eorum in saecula.* Ex quo relinquitur quod tempus etiam [u] est mensura poenarum inferni; non erit ergo necesse ponere mensuram mediam.

[Solutio]: Propterea respondendum videtur quod non est aliqua mensura media inter aevum et tempus secundum rem, sed solum secundum rationem. Sed distinguendum, sicut prius [6], rationem temporis duplicem. Una est, ut tempus sit numerus secundum prius et posterius [7], non interveniente continuo, secundum quem modum tempus dicitur mensura variationum spiritualium et excedentium motum caeli: et hoc modo in ratione temporis [v] ponitur 'nunc' post 'nunc'; unde 'nunc' hoc modo habet rationem initiantis et terminantis, sed non habet rationem continuantis. Alio modo, ut tempus sit mensura secundum continuitatem motus succedentis secundum prius et posterius: et hoc modo tempus est mensura variationum corporalium et dependentium a corpore, secundum variationem motus caeli; et hoc modo est continuitas temporis secundum continuitatem motus, et continuitas motus secundum continuitatem magnitudinis mobilis; et secundum hoc in esse temporis est 'nunc' sicut principium et sicut [x] finis et sicut continuans medium, ut sit finis praeteriti et initium futuri.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod obicit primo de B. Dionysio: dicendum quod ex hoc non sequitur quod ponenda sit media mensura secundum rem, sed ad hoc sequitur quod habeant mensuram duplicem, scilicet aevum et tempus; et quantum ad illud in quo non mutantur, mensurantur aevo; quantum ad illud [y] in quo mutantur, mensurantur tempore.

2-3. Ad illud vero quod obicit de angelo simili modo respondebitur: quia secundum substantiam et secundum [z] operationem ipsius, quae non mutatur, sicut est intelligere et videre Deum, mensuratur aevo; quantum vero ad operationem in

---

[a] S om. [b] RLF *constat*, pro *c. e.* [c] PVF *tamen*. [d] PSR *tamen*. [e] BRLF om. [f] BRLF *incepisset*. [g] P om. [h] SL *nimium;* LF *in* pro *ad*. [i] PV *in*. [k] VL *quomodo non* pro *q. n.*, sed L ea exp. et corr. in *quo*. [l] Ita L (corr.) F, alii *incepit*, idem subinde. [m] PV *medium*, quod S corr. [n] BR *convertitur*. [o] L om. *sed... esse*. [p] F om., V *cepit* pro *incepit*. [q] L add. *non*. [r] L om. [s] Codd. *incommutabilitate*. [t] BRLF *et*. [u] P om. [v] L om. [x] S om. [y] B om. *in quo... illud*. [z] B om.

1 Praesertim Augustin., *De Gen. ad litt., lib. imperf.*, c. 7 (PL 34, 231); *De Gen. ad litt.*, IV, c. 33; ibid., c. 24 sqq.; ibid., V, c. 3 (PL 34, 317, 313, 322).
2 Cf. Gen. 1, 14.
3 Cf supra, p. 95b, *ad 1*.
4 § 30 (p. 190).
5 Psalm. 80, 16.
6 Cf. supra, p. 105b, sub *Respondeo*.
7 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 11, (II, 300).

qua mutatur, sicut est operatio[a] qua ministrat nobis, mensuratur tempore; secundum quem modum dicit Augustinus, *Super Genesim*[1], quod « Deus creaturam spiritualem movet per tempus, non per loca ». Quantum vero ad operationem contemplationis intensae vel remissae vel contemplationis huius rei desinentis esse, si respiciatur essentia actus qui non mutatur, mensurabitur aevo; si respiciatur circumstantia sive materia actus, mensurabitur tempore; secundum modum illum quo nos distinximus tempus[2].

4. Ad illud vero quod quarto obicit: dicendum quod tempus dicitur communiter mensura cuiuslibet variationis: et hoc modo tempus dicitur coepisse simul cum aevo. Alio modo dicitur tempus mensura secundum determinationem motus caeli: et hoc modo tempus coepit quarta die. Erit igitur tempus mensura illarum durationum quae fuerunt ante quartam diem, secundum quod dicitur primo modo.

5. Ad illud quod obicitur de poenis inferni: dicendum quod quantum ad perpetuitatem mensurabuntur aevo, quantum vero ad variationem[b] tempore; quod significat illa auctoritas Psalmi[3]: *Erit tempus illorum in saecula.* — Et quod obicitur quod, cessante motu caeli, cessabit tempus, quod etiam videtur accipi[c] ex Apoc. 10,6: *Iuravit angelus per viventem in saecula saeculorum, quod tempus non erit amplius:* dicendum quod tempus duplicem habet radicationem, et secundum hoc duplex esse, prout tempus dicitur mensura variationis corporalis. Una est in variatione materiae: et secundum hoc tempus est mensura indeterminata; alia vero radicatio[d] est in motu caeli: et secundum hoc est determinata mensura secundum momentum, diem, annum et huiusmodi. Primo modo tempus, secundum theologos[4], coepit ante motum caeli, sicut et[e] variatio, quae facta est ante quartam diem in materia, et erit cessante motu caeli, quemadmodum ipsa variabilitas quae contingit ex imperfectione materialitatis, quae remanebit in reprobis, sicut dicit Augustinus[5]. Secundum autem modum alium tempus incipit cum motu caeli et desinit. Cum motu ergo caeli protenditur tempus secundum quod est determinata mensura; secundum vero[f] quod est indeterminata antecedit et sequitur.

Aliquibus[6] autem aliter visum est quod esset ponenda mensura inter aevum et tempus media[g], quae diceretur 'saeculum' a sequendo, eo quod haberet 'nunc' sequens ad 'nunc' sine[h] continuitate motus media, sicut tempus habet 'nunc' sequens ad 'nunc' tamen cum continuitate motus media[i]. Et secundum hoc ponunt quod post aeternitatem est 'nunc' sive praesens manens, non succedens nec continuans: et secundum hoc est 'nunc' aevi; et est 'nunc' fluens, succedens et continuans: et hoc modo est 'nunc' temporis, quemadmodum punctus lineae inchoans lineam et terminans lineam et etiam punctus continuans lineam; et iterum est 'nunc' succedens ad 'nunc' non[k] continuans: et hoc modo est 'nunc' in mensura, quae dicitur saeculum; sequitur enim 'nunc'[l] ad 'nunc', quamvis non sit continuitas secundum dimensionem media[m]. Et secundum hoc dicunt talem ordinem esse durationis post aeternitatem: est primo duratio uno modo se habens, in qua nihil sequitur[n], et haec est 'aevum'; consequenter est duratio, in qua aliquid consequitur, sed tamen sine continuatione, et hanc dicunt 'saeculum'; et est iterum[o] duratio, in qua aliquid antecedit et sequitur secundum continuitatem motus, et haec est 'tempus'.

Et rationem huius positionis confirmant per auctoritatem Haymonis[7] dicentis: « Saecula computantur ex quo materies informis per species est distincta ». — Item[p], idem, super illud II Tim. 1,9[q]: *Tempora saecularia,* dicit sic[8]: « *Tempora saecularia* dicimus quae ex eo[r] coeperunt ex quo mundus factus est »; ibi autem appellat *tempora saecularia* idem quod 'saeculum'[s].

Item, Damascenus[9]: « Saeculi nomen plura significat. Saeculum enim dicitur uniuscuiusque eorum quae sunt vita; dicitur rursus[t] saeculum et[t] mille annorum tempus; rursus dicitur saeculum universa praesens vita, et saeculum futura vita[u], quae est post resurrectionem, quae infinita est; dicitur rursus saeculum, non tempus neque temporis aliqua pars, a solis motu et cursu[v] mensu-

[a] PVS add. *in.* [b] PVS *varietatem* et om. *vero.* [c] F om. [d] Ita S (corr. marg.) LF, alii *radicata.* [e] LF *est.* [f] V *dicendum.* [g] B om. [h] PVS *cum,* B add. *tamen.* [i] PV om. *sicut tempus... media,* quod in SR est add. mg. [k] B om. [l] B om. [m] L *mediam.* [n] PV *est,* quod S corr. in marg. [o] BRLF *ulterius.* [p] PVSF om. [q] B add. *licet ante.* [r] L (corr.) *quo.* [s] V *cursus.* [t] PV *est,* S *est et.* [u] L om., V om. *e. s. f. v.* [v] S add. *tempus.*

[1] *De Gen. ad litt.,* VIII, c. 20 (PL 34, 388).
[2] Cf. supra, p. 107b et p. 105b, sub *Respondeo.*
[3] Psalm. 80, 16.
[4] Cf. Beda, *In Hexaem.,* I (PL 91, 221); Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa,* tr. 3, c. 1; Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.,* I, p. 1, c. 9 (PL 176, 89, 194); Lombard., II *Sent.,* d. 14, c. 10 (p. 373); Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 7, c. 2, q. 1 (f. 58b et 60a).
[5] Cf. *De civit. Dei,* XX, c. 21, n. 4; XXI, cc. 1-4; XXII, c. 30 (PL 41, 693, 709-714, 801).
[6] Cf. supra, p. 106, num. 69. S. Bonav., II *Sent.,* d. 2, p. 1, a. 1, q. 3 (II, 62b), ubi etiam duae opiniones de hac re afferuntur.
[7] *In Epist. ad Titum,* c. 1 (PL 117, 812).
[8] Haymo, in h. l. (PL 117, 800).
[9] *De fide orthod.,* II, c. 1 (PG 94, 862).

ratum, scilicet per dies et noctes consistens, sed quod simul protenditur cum aeternis, velut quidam temporalis motus et spatium: quod enim est iis quae sunt sub[a] tempore tempus, hoc est aeternis saeculum. Dicuntur igitur quidem septem saecula mundi huius[1], scilicet a caeli et terrae creatione usque ad omnium hominum consummationem et resurrectionem — erit autem communis et omnimoda consummatio, cum omnium fiet resurrectio — octavum vero saeculum, quod futurum est. Ante vero mundi constitutionem, cum neque sol erat dividens diem a nocte, non erat saeculum mensurabile, sed quod simul protenditur cum aeternis, velut temporalis motus et spatium ».

ARTICULUS III. 70

Utrum idem sit nunc temporis, aevi et aeternitatis.

Restat quaerendum utrum idem sit[b] 'nunc' temporis et aevi et aeternitatis.

Ad quod sic: *a.* 'Nunc' temporis est principium futuri, finis praeteriti, 'nunc' aevi vel[c] aeternitatis non[d]; ergo non est idem 'nunc'.

b. Item, 'nunc'[e] aevi est quod habet ante se non esse, 'nunc'[f] aeternitatis non; ergo non est idem 'nunc' aevi et aeternitatis.

c. Item, 'nunc' temporis fluit cum motu, 'nunc' aevi et aeternitatis stat et manet; ergo etc.

d. Item, praesens aevi non est praesens aeternitatis nec praesens temporis; ergo non est idem 'nunc' temporis etc.

Contra: 1. Quando motus est, angelus est et Deus est. Si ergo per 'quando' notatur simul esse in aliquo 'nunc': ergo motus et angelus et Deus sunt in eodem 'nunc'. Sed 'nunc', in quo est motus, est 'nunc' temporis; 'nunc', in quo est angelus, est 'nunc' aevi; 'nunc', in quo est Deus, est 'nunc' aeternitatis. Ergo idem est 'nunc' aevi et[g] temporis et aeternitatis.

Respondeo: 'Nunc' aliquando accipitur nominaliter: et tunc nulli fuit dubitatio an idem esset 'nunc' temporis, aevi et aeternitatis; constat enim quod est diversum. Accipitur etiam[h] 'nunc' adverbialiter: et hoc modo est dubitatio an dicatur idem 'nunc', cum dicitur: 'Deus est nunc et angelus est nunc, motus est nunc'.

Ad hoc dixerunt[i] quidam quod, sicut est accipere in mutabili substantia motum et quod movetur et quod est, ita 'nunc' tripliciter. Est enim 'nunc' quod multiplicatur in tempore[k], sicut ipsa successio motus: et hoc modo habet rationem instantis et dicitur instans, eo quod stare non potest, et multiplicatur in tempore, habens[l] rationem continuantis, in quantum est terminus praeteriti et principium futuri, et rationem dividentis, in quantum accipitur ut principium tantum[m] vel ut terminus tantum. Item, est 'nunc' quod est idem in tempore nec multiplicatur nisi secundum accidens: quemadmodum enim quod movetur est unum in motu et fertur in motu unum, ita 'nunc' unum quod fluit et fertur in tempore. Item, est 'nunc' quod non fluit, quemadmodum id quod est, in quantum huiusmodi, intelligitur manens. Primo modo et secundo non est idem 'nunc' aevi et aeternitatis; tertio modo voluerunt dicere quoniam idem est 'nunc', quoniam in eo quod est creatum, intelligitur increatum, ita 'nunc' aeternum in aevo et tempore. Quemadmodum ergo si diceretur: 'Deus [est] in se, Deus [est] in creatura perpetua, Deus est in motu', non numeratur in omnibus istis, ita idem 'nunc' temporis et aevi et aeternitatis.

Sed obicitur: Secundum hanc rationem dicitur idem 'nunc', quia aeternitas est in aevo et tempore; sed cum dicitur 'motus est nunc', non dicitur 'nunc' aeternitatis[n] nisi ex consequenti; si ergo refertur ad idem 'nunc', cum dicitur: 'quando est motus, angelus est et Deus', ergo non dicitur 'nunc' aeternitatis.

Propterea dicendum quod in eodem 'nunc' dicitur esse motus et angelus et Deus; non tamen ex hoc sequitur idem esse 'nunc' temporis et aevi et aeternitatis. Et in 'nunc' temporis dicitur esse motus et angelus et Deus, sed tamen differenter, quia in 'nunc' temporis est motus sicut in mensurante, et ideo in illo proprie; angelus vero et Deus sicut in concomitante: unde angelus et Deus est in 'nunc' temporis, id est cum 'nunc' temporis. Item, in 'nunc' aevi est motus et angelus et Deus, sed differenter: quia motus [est] in 'nunc' aevi sicut in mensura communi, quae non coaequatur mensurato; angelus sicut in mensura propria; Deus vero non sicut in mensurante, sed sicut in concomitante, id est quando 'nunc'

---

[a] LF *suo.* [b] BR om. [c] L *ultra,* F *et nunc.* [d] PSL *nunc.* [e] V *non.* [f] V *non nunc esse non* pro *n. e. n.* [g] F add. *nunc.* [h] BRLF om. [i] S (corr. interl.) BRLF *distinxerunt.* [k] S add. *habens rationem continuantis.* [l] F (corr.) *et habet.* [m] PV *evi,* quod S corr. [n] V *eternitas.*

[1] Cf. Augustin., *De Gen. contra Manich.,* I, c. 23 (PL 34, 190 sqq.); *De civit. Dei,* XXII, c. 30, n. 5 (PL 41, 804); *De div. quaest. 83,* q. 58 (PL 40, 43); Beda, *Epist.* 3, (PL 94, 670) et *De temporib.,* c. 16 (PL 90, 288); Isidor., *Etymol.,* V, c. 38, n. 5 (PL 82, 223); Rabanus, *De universo,* X, c. 14 (PL 111, 306).

aevi est, Deus est. Item, in 'nunc' aeternitatis, sicut in mensura communi [a] excedente est motus et angelus; Deus vero [b] quasi in mensura propria, quia non differt a Deo. Secundum [c] hoc variantur sermones, cum [d] dicuntur esse in eodem 'nunc'. Cum enim dicitur: 'quando motus est, angelus est et Deus' [e], significantur esse in eodem [f] 'nunc' temporis; cum dicitur: 'quando angelus est, motus est et Deus', est 'nunc' aevi; cum vero dicitur: 'quando Deus est, motus est et angelus', est 'nunc' aeternitatis, sed cum differentia dicta intelligendum est.

MEMBRUM IV.

De comparatione aeternitatis ad tempus.

71

CAPUT UNICUM.

UTRUM DIVINA NATURA TOTA SIT IN OMNI TEMPORE ET SEMPER.

Consequenter restat quaerendum per comparationem aeternitatis ad tempus, utrum divina natura tota sit in omni tempore et semper.

1. **Ad quod** [g] **obicit** Anselmus, in *Monologion* [1]: « Si [h] summa natura tota est semper et in singulis temporibus: aut ergo simul aut distincte per diversa tempora. Si simul: sed cum ipsa tempora non sint simul, nihil [i] poterit totum simul esse in diversis temporibus: ergo nec summa essentia. Si distincte, quemadmodum aliquis homo totus est heri [k], hodie et cras: proprie dicetur quod fuit, est et erit; ergo eius aetas, quae nihil aliud est quam eius aeternitas, non est tota simul, sed est partibus extensa per temporum partes. Cum ergo in Deo nihil aliud sit aeternitas quam sua essentia, sequeretur quod eius essentia esset divisa [l] per partes secundum temporum distinctiones »: quod est impossibile. Relinquitur ergo quod non est tota in singulis temporibus sive semper, cum 'semper' distribuat pro singulis temporibus.

2. Item, idem, in eodem [2]: « Quod totum est in aliquo loco, nihil eius est quod non sit in eodem loco [m] ». — Item [3]: « De quo nihil est quod non sit in aliquo loco, nihil de eo est quod sit [n] eodem tempore extra eumdem locum; quod igitur totum est in aliquo [o] loco, nihil eius est quod eodem tempore sit extra ipsum locum ». Impossibile est [p] igitur quod unum totum simul sit in diversis locis, quia si totum est in uno [q] loco, nihil eius erit extra in alio [r] loco eodem tempore; relinquitur ergo quod divina essentia non est tota in omnibus locis et ubique. Ergo pari ratione nec in omni tempore et semper, quia si tota est in aliquo tempore, nihil eius erit extra illud tempus in alio [s] tempore: relinquitur semper quod impossibile est quod tota sit simul in omni tempore et semper.

Contra: *a.* Anselmus [4]: « Irrefragabiliter constat quia sine divina essentia nec aliquid usquam nec unquam [est], quia sine ea nihil est; necesse est igitur eam esse ubique et semper et in omnibus locis et in omnibus temporibus; et quia simplex est, tota erit ubique, tota erit semper ».

b. Item, Richardus, in libro *De Trinitate* [5]: « Si omnipotens est, consequenter et ubique potest; si ubique potest, potentialiter ubique est; si ubique potentialiter, ubique essentialiter [t]: quia non est aliud eius potentia et aliud eius essentia; si autem ubique essentialiter est, ergo et ubi locus est et ubi locus non est: erit itaque [u] intra omnem locum, erit et extra omnem locum, erit supra omnia, erit infra [v] omnia, intra omnia et extra omnia ».

c. Item [6]: « Quoniam simplicis naturae est Deus, non erit hic et ibi divisus per partes, sed ubique totus; erit igitur [x] in quantulacumque cuiuslibet totius parte totus et in toto totus [y] et extra totum totus ».

d. Item, idem, in eodem [7]: « Sicut eorum, quae nondum sunt, nihil est ei futurum, sic omnium eorum, quae iam non sunt, nihil est ei praeteritum et omnium eorum, quae iam praesentialiter

---

[a] LF add. *et*. [b] P *etiam*, V *enim*. [c] P *et*, S *ex*. [d] BR *et*. [e] V add. *est*. [f] V *Deo*. [g] BR add. *sic*. [h] V *in*. [i] PVB *non*, quod SR corr. [k] BRLF add. *et*. [l] B *diversa*. [m] f R om. [n] V add. *in*, L *non sit in*. [o] L *eodem*, S *igitur* pro *est*. [p] BR om. [q] PVS *eodem*. [r] F *aliquo*. [s] PLF *aliquo*. [t] V *eternaliter*, F *nihil* pro *non*. [u] PVS *utique*. [v] F *intra*, PVS om. *erit*, PVSF om. *intra omnia*. [x] BRLF *itaque*. [y] Codd. hic et infra *totum*.

1 Cap. 21 (PL 158, 172), secundum sensum.
2 Loc. cit. 3 Loc. cit.
4 Loc. cit. (PL 158, 173), secundum sensum.
5 Lib. II, c. 23 (PL 196, 913).
6 Richard. de S. Vict., loc. cit. (PL 196, 913 sq.).
7 Loc. cit. (PL 196, 914).

sunt, nihil est ei transitorium ». — Quod concedendum est[a].

Et ad obiecta secundum Anselmum respondendum quod in illis quae[b] lege loci aut temporis coarctantur, sicut ea quae sic sunt in loco vel tempore ut loci spatium vel diuturnitatem temporis non excedant, tenet illud quod dicitur: 'unum et idem totum non posse simul esse in diversis locis et temporibus'; in iis vero, quae huiusmodi non sunt, hoc ipsum nulla necessitate concluditur[c], quale est divina natura. Quod sic probat Anselmus[1]: « Cuius amplitudini aut diuturnitati nulla meta vel a loco vel a tempore opponitur, illi[d] nullum esse locum vel tempus vere proponitur, quia locus non facit ei quod locus, nec tempus quod tempus ». Ex quo sequitur quod « nullatenus loci aut temporis continentia cingitur, nulla eorum lege constringitur. Quoniam ergo summam essentiam totam[e] necessitas exigit nulli loco aut tempori deesse, et nulla ratio loci aut temporis prohibet omni loco aut tempori simul totam adesse[f], necesse est eam simul totam omnibus locis et temporibus praesentem esse ».

1. Ad illud ergo quod primo obicit iam patet responsio. Nam in omnibus temporibus dicitur tota simul, quamvis ipsa tempora non sint simul, quia etsi ipsa tempora succedant et transeant, aeternitati tamen eius non transeunt, sicut probat Richardus[2].

2. Ad secundum iam patet responsio, quod cum 'totum' dicatur multipliciter — uno modo totum ex partibus constitutum; alio modo quod sic est ut nihil eius sit extra; tertio modo, quod est perfectum et completum[3] — hoc ultimo modo dicitur divina natura tota in omnibus locis et temporibus et ubique et semper, quia perfecta et completa. Unde nota[g] quod, secundum Anselmum[4], « in omni loco et tempore est, quia nulli abest; in nullo vero est, quia nullum locum aut tempus [habet] nec in se recipit distinctiones locorum aut temporum, ut hic vel illic vel alicubi aut nunc aut tunc vel aliquando, quoniam haec circumscriptorum et mutabilium propria sunt; et tamen haec de ea quodammodo dici possunt, quoniam sic est praesens omnibus circumscriptis et mutabilibus acsi illa eisdem circumscribatur locis et mutetur temporibus ».

Si autem quaeritur quae sit intentio eius quod est 'semper', cum dicitur: 'Deus est[h] semper', respondendum uno modo, secundum Augustinum[5], quod 'semper' supponit universum tempus. Unde sensus est: 'Deus est semper', id est 'Deus est in omni praeterito, in omni praesenti, in omni futuro, nec deest alicui praeterito vel alicui praesenti vel alicui futuro'. Secundum vero Anselmum, in *Monologion*[6], « multo verius intelligitur significare aeternitatem, quae sibi ipsi nunquam est dissimilis, quam temporum varietatem, quae sibi semper in aliquo est non similis. Cum ergo dicitur: 'semper esse' et 'idem est illi esse et vivere', nihil melius intelligitur quam aeterne esse et vivere, id est interminabilem vitam perfecte simul totam obtinere ».

In hunc ergo modum terminantur inquisitiones circa divinam immensitatem quantum ad infinitatem, incomprehensibilitatem, incircumscriptibilitatem, aeternitatem.

---

[a] BRF om. [b] PVS add. *in*. [c] PVS et L (corr.) *excluditur*. [d] Codd. *in iis*. [e] F *tota*. [f] L *aut esse*. [g] L *tota*, BRLF om. *quod*. [h] PVSR om.

1 *Monol.*, c. 22 (PL 158, 174), ubi etiam sequens.
2 Cf. supra, ad litt. *b, c, d*.
3 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 6 (II, 282): « Totum vero et perfectum aut omnino idem sunt, aut natura inter se affinia ».
4 Loc. cit. (PL 158, 176).
5 Rectius Boeth., *De Trinit.*, c. 4 (PL 64, 1253); cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 15 (f. 35b).
6 Cap. 24 (PL 158, 177).

TRACTATUS TERTIUS

DE DIVINA UNITATE VERITATE ET BONITATE

QUAESTIO I.

DE UNITATE DIVINAE NATURAE.

Adiuvante Dei gratia, ordine consequenti inquirendum est de unitate, veritate, bonitate [a] divinae naturae: quia hae tres intentiones sunt unius coordinationis. Et quantum ad primum, ut clarius fiat quod quaerendum est circa divinam unitatem, in primis inquirenda [b] sunt ista quantum ad intentionem unius et unitatis:

Primo, quid 'unum';

secundo, quomodo se habeat 'unum' ad intentionem entis [c], veri et boni;

tertio, unde causetur 'unum' in rebus;

quarto, quae differentiae 'unius';

quinto, quae est [d] oppositio 'unius' ad 'multa': nam ista faciunt ambiguitatem circa inquisitionem sequentium.

Consequenter vero, quod est principalis propositi, de divina unitate quaerenda sunt haec:

1. An divina unitas secum [e] compatiatur pluralitatem;
2. habito quod sic, an compatiatur secum pluralitatem naturarum;
3. habito quod non, an compatiatur secum pluralitatem principiorum;
4. probato quod non, an compatiatur secum pluralitatem idearum;
5. dato quod sic, an compatiatur secum pluralitatem personarum;
6. ultimo, de conformitate aliarum unitatum ad divinam [f].

MEMBRUM I.

De unitate in genere.

72

CAPUT I.

QUID SIT UNUM.

Quantum ad primum quaeritur **I.** de ratione 'unius' quae ponitur a Philosopho [1]: 'Unum' est ens indivisum in se, divisum autem ab aliis, et unitas est indivisio entis.

Sed [g] **obicitur:** 1. Cum omnis definitio debeat dari per priora et notiora [2], haec autem data sit per posterius et minus notum — quia est data per indivisionem, quae est privatio divisionis, di-

---

[a] PVS *bonitatis*; R *essentie* pro *naturae*. [b] BRLF *querenda*. [c] L om. [d] BRLF om. [e] V *se*. [f] BR add. *virtutem*. [g] BRLF *et*, V *quod* pro *cum*.

1 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 7; *Metaph.*, IX, c. 3 (II, 283, 576); Avicenna, *Metaph.*, III, cc. 2 et 36 (f. 78d sqq.).

2 Cf. Aristot., *Topic.*, VI, c. 4 (I, 238): « Manifestum est, eum qui non ex his definierit, non definiisse ».

visio autem posterior est unitate [1] et minus nota, cum per unitatem notificetur: simili ergo ratione, indivisio minus est nota quam unitas — ergo praedicta definitio est male assignata.

II. Item, quaeritur [a] an 'unum', quod est de primis intentionibus, possit notificari per aliquod prius.

Et arguitur sic [b]: 1. Cum 'unum' ponat ens in [c] intellectu et superaddat rationem aliquam, quae positione aliqua determinatur: ergo 'unum' poterit notificari per ens [d] et illam rationem superadditam sicut per priora; ens enim intelligitur [e] prius, similiter et illa ratio, quae additur ad ens, intelligitur prior 'uno' [f].

2. Item, 'bonum' dicit ens in comparatione ad causam finalem, et 'verum' dicit ens in quodam respectu ad causam formalem, 'unum' vero [g] dicit ens in quodam respectu ad efficiens; ergo ista poterunt notificari per 'ens' et illas rationes sicut per [h] priora.

Contra: *a*. Si per rationem additam ad 'ens' ista, quae sunt primae intentiones [i], possint notificari, cum in illis rationibus intelligatur 'ens' et praeter hoc aliquid [k] superadditum, erit adhuc definibilis per 'ens' et illam rationem superadditam; et iterum erit quaerere de illa ratione, et sic in infinitum, aut erit stare in primo; primae ergo intentiones non erunt definibiles per priora.

Respondeo: II. Dicendum quod cum sit 'ens' primum intelligibile, eius intentio apud intellectum est nota [2]; primae [l] ergo determinationes [m] entis sunt primae impressiones apud intellectum: eae sunt unum, verum, bonum, sicut patebit [3]; non poterunt ergo habere aliqua priora specialiter ad sui notificationem. Si ergo notificatio fiat eorum, hoc non erit nisi per posteriora, ut per abnegationem vel effectum consequentem. Hinc est quod in notificatione 'unius' est una notio per abnegationem, alia vero per effectum consequentem: per abnegationem oppositae intentionis, quae est divisio vel multitudo, cum dicitur 'ens indivisum'; per effectum consequentem, qui est distinguere ab aliis: unitas enim distinguit 'unum' ab alio et ideo dicitur 'divisum ab aliis'.

[Ad obiecta]: I. 1. Ad illud quod obicitur quod 'definitio debet esse per priora et notiora': respondendum quod [n] sunt priora et notiora [o] simpliciter et sunt priora et notiora quoad nos; primae autem impressiones intellectus, cum non habeant prius et notius simpliciter, non possunt notificari per priora simpliciter [p], sed notificantur per priora et notiora quoad nos [4]. Notius autem quoad nos est quod primo occurrit secundum sensum: sensui autem primo occurrit partitio et distinctio; multitudo autem sive divisio opposita est unitati, distinctio consequens effectus.

II. 1. Ad illud quod obicitur quod 'ex ratione addita enti posset esse notificatio, quae quidem est prior' [q]: dicendum quod ratio quae additur enti non est aliud ab unitate, cum unitas sit prima entis determinatio, et ideo per illam notificare nihil aliud est quam idem notificare per se. Si ergo notificetur, hoc non poterit esse nisi per posteriora [r], hoc est per abnegationem oppositae intentionis et per positionem effectus consequentis.

2. Per hoc patet responsio ad cetera.

CAPUT II. 73

DE COMPARATIONE UNIUS AD ENS ET VERUM ET BONUM.

Secundo quaeritur de comparatione 'unius' ad ens et verum et bonum.

I. Et obicitur primo de comparatione 'unius' ad 'ens' secundum differentiam.

1. Quia [s], cum 'unum' convertatur cum ente — sicut dicit B. Dionysius [5]: « Nihil est entium expers unius » — non videbitur addere intentio 'unius' ad ens; quia si addit, illa determinatio addita contrahet intentionem entis et restringet ad [t] pauciora supposita quam sit intentio entis [u] absoluta; ergo iam non convertetur cum ente simpliciter; quod est [v] falsum. Relinquitur ergo quod non addit.

2. Item, cum assignantur vestigia Trinitatis in creatura secundum intentionem unitatis, veritatis et [x] bonitatis, alternatim ponitur intentio 'unius' et entis, et ponuntur pro eodem, quod attribuitur Patri, sicut veritas Filio, bonitas Spiritui Sancto; ergo non separantur intentiones 'unius' et [y] entis nisi sicut additiones 'unius' ad ens.

Hoc autem manifestum est sic. Augustinus, in *83 Quaestion.* [6]: In omni « quod est, aliud est

---

[a] BRLF *querunt*. [b] BRLF *arguunt* pro *a. s.* [c] PVS om. [d] PV *se*, quod S corr. [e] R add. *per*. [f] Ita S (corr. interl.) BR, alii *una*. [g] PVS *ergo*. [h] V om. [i] V *intentionis*. [k] PV *quid*. [l] V *primo*. [m] F corr. interl. *intentiones*. [n] BRLF *respondeo* pro *r. q.* [o] S om. *respondendum... notiora*. [p] BRLF om. [q] PVS *priorum*. [r] BR *posterius*. [s] V *quo*. [t] B *per*. [u] F *eius*. [v] PS *quoad falsum* pro *q. e.*, quod V corr.; L om. *q. e. f.* [x] PVSF om. [y] F om.

1 Cf. Boeth., *In Porphyr.*, III (PL 64, 111).
2 Cf. Avicenna, *Metaph.*, I, c. 6 (f. 72ab).
3 Capite sequenti.
4 Cf. Aristot., *Phys.*, I, c. 1 (II, 248).
5 *De divin. nomin.*, c. 12, § 2 (PG 3, 978, PL 122, 1168).
6 Quaest. 18 (PL 40, 15).

quo [a] constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit »: « quo constat » est entitas; « quo discernitur », veritas; « quo congruit », bonitas. Item, in [b] libro *De Trinitate* [1], ponit alium modum Trinitatis dicens: « Omnia, quae arte divina facta sunt, et unitatem quamdam ostendunt et speciem et ordinem ». Si ergo [c] comparemus: ordo est [d] quo res congruit, ut bonitas; species, quo discernitur, ut veritas; unitas erit quo res constat, sive rei entitas. — Item, in libro *De civitate Dei* [2]: « In iis rebus, quae infra nos sunt, vestigia Trinitatis colligamus per hoc quod sunt et specie aliqua continentur et ordinem appetunt aut tenent ». Ecce quod ens assignatur vestigium Patris, sicut species Filii et ordo Spiritus Sancti. — Sed iterum, Augustinus, *De vera religione* [3]: « Omnis vel substantia vel essentia vel natura vel si aliquo verbo melius enuntiatur, habet haec tria: ut unum aliquid sit, propria specie discernatur, rerum ordinem non excedat ». Ecce quod 'unum' assignatur vestigium Patris; eadem ergo erit intentio 'unius' et entis non addens ad ens.

Contra: *a.* Enti non opponuntur multa, cum multa comprehendantur [e] sub ente; sed unitati opponuntur multa; ergo aliqua est additio 'unius' ad ens.

II. Item, contra [f] distinctionem 'unius' et 'veri' obicitur:

1. Nam 'verum' dicit illud quod est principium distinguendi rem a re. — Quod patet: nam veritas rei accipitur secundum speciem; secundum speciem autem fit rei distinctio, ut dicitur in libro *De vera religione* [4]. Cum ergo intentionis unitatis similiter sit per se distinguere — quod patet ex ratione 'unius': 'indivisum in se, divisum autem [g] ab aliis' — ergo indifferens erit intentio unitatis et veritatis.

2. Item, sicut quidam [5] posuerunt iuxta philosophos: veritas est indivisio esse et eius quod est; sed indivisio entis est unitas; ergo per eamdem rationem erit unitas et [h] veritas.

Contra: *a.* Multitudo et falsitas non sunt idem, immo multitudo continet veritatem, ut in multis veris; ergo nec secundum rationem erit unitas veritas.

III. Item, de comparatione 'unius' ad 'bonum' obicitur:

1. Boethius [i], in libro *De consolatione* [6]: « Omne, quod subsistere aut permanere appetit, id 'unum' esse desiderat; omnia igitur 'unum' desiderant ». Si ergo ratio boni ab eodem [k] est 'quod omnia appetunt', relinquitur quod eadem est intentio 'unius' et 'boni'.

Contra: *a.* Non intellecto bono, intelligitur 'unum', immo praedicatur de malo, cum dicitur: 'malum est unum'; ergo non est eadem intentio 'boni' et 'unius'.

Et haec quaeruntur de comparatione quae est secundum differentiam.

IV. Item, quaeritur de comparatione [l] quae est secundum ordinem:

1. Nam cum omnis creatura componatur [m] ex hoc et hoc, sicut dicit Boethius, in libro *De Trinitate* [7]: « In omni eo quod est citra [n] primum, est hoc et hoc »; ergo ad hoc quod res sit, oportet sicut causam praecedere unionem eorum ex quibus est; ergo unitas erit causa entitatis; ergo 'unum' prius ente. Simili ratione causa erit veritatis, quia unionem illam consequitur veritas.

2. Item, Boethius, in libro [o] *De consolatione* [8]: « Sublato 'uno', nec esse quibusquam permanebit », similiter nec verum esse. Ergo unitas causa est entitatis et veritatis [p].

3. Item, Boethius, *De consolatione* [9]: « Quae discrepant, bona minime sunt; cum vero [q] 'unum' esse coeperint [r], bona fiunt; ut ergo bona sint, unitatis [s] adeptione contingit ». Ergo unitas causa est bonitatis.

Respondeo: Dicendum quod ens est primum intelligibile; primae autem entis determinationes sunt 'unum' et 'verum' et 'bonum': determinant enim ens secundum quod consideratur esse rerum in proprio genere, et etiam secundum relationem [t] esse earum ad divinam causam, et secundum relationem rerum ad animam, quae est imago divinae essentiae.

Secundum autem quod esse rerum consideratur in proprio genere, triplicatur entis determinatio. Aut enim consideratur absolutum aut comparatum; et comparatum: aut secundum differentiam aut secundum convenientiam. Secundum quod ens

---

[a] PS *quod*, quod V corr. [b] V om. [c] L om. [d] PVS add. *in*. [e] LF *apprehendantur*, PVS *ab* pro *sub*. [f] BRLF *circa*. [g] F om. [h] PVS om. [i] PVF om. [k] V *eadem*. [l] BRLF *circa comparationem* pro *d. c.* [m] S *opponatur*. [n] P *circa*. [o] BLF om. *l. l.* [p] R om. *Item Boethius... veritatis*. [q] L *ergo*. [r] PVSL *ceperit*. [s] VF *unitas*. [t] V *in relatione* pro *s. r.*, PVSBR *eorum* pro *earum*.

1 Lib. VI, c. 10, n. 12 (PL 42, 932).
2 Lib XI, c. 28 (PL 41, 342).
3 Cap. 7 (PL 34, 129).
4 Cap. 31 (PL 34, 147).
5 Cf. Boeth., *De hebdomad.* et Gilb. Porret., *Comment.*, in h. l. (PL 64, 1311 et 1318). Cf. infra, p. 112, nota 1.
6 Lib. III, pr. 11 (PL 63, 774); cf. Gundisal., *De unitate*, (p. 10).
7 Cap. 2 (PL 64, 1250); cf. Boeth., *De hebdomad.* et Gilb. Porret., in h. l. (PL 64, 1311 et 1321).
8 Lib. III, pr. 11 (PL 63, 774).
9 Loc. cit. (PL 63, 772).

aliquod consideratur [a] absolutum, ut divisum ab aliis et in se indivisum [b], determinatur per 'unum'. Secundum vero quod consideratur aliquod ens comparatum ad aliud secundum distinctionem, determinatur per 'verum': 'verum' enim est quo res habet discerni [1]. Secundum vero quod consideratur comparatum ad aliud secundum [c] convenientiam sive ordinem, determinatur per 'bonum': 'bonum' enim est ex quo res habet ordinari.

Item, secundum quod esse rerum comparatur in relatione ad causam divinam, simili modo triplicatur determinatio. Causa enim divina est causa in triplici genere causae: efficiens, formalis ut exemplar, finalis. Quae quidem causalitas, cum sit communis toti Trinitati, appropriatur ut causa efficiens Patri, exemplaris Filio, finalis Spiritui Sancto. Secundum hoc, esse in creatura, quod fluit a causa, triplicem sortitur impressionem, ut in conformatione [d] ad causam. Impressio ergo dispositionis in esse creaturae, secundum quam fit in conformitate ad efficientem causam, est unitas: ut sicut efficiens causa est una, indivisa, multiplicata [e] in qualibet creatura, sic fit [f], ut sibi possibile est, esse indivisum. Item, impressio dispositionis, secundum quam fit in conformitate ad causam formalem exemplarem, est veritas: ut sicut causa exemplaris est ars prima veritatis, sic creatura, secundum quod sibi [g] possibile est, fit in imitatione [h] artis: et hoc est habere veritatem. Praeterea, impressio secundum quam fit in conformitate ad causam finalem est bonum: ut sicut causa finalis est summa bonitas, sic cuilibet creaturae sit inclinatio et conformitas ad summam bonitatem: et haec est creaturae bonitas. Unitas esse creaturae monstrat unitatem efficientis, veritas veritatem exemplaris, bonitas bonitatem finis.

Item, per comparationem ad animam triplicatur eadem determinatio. Nam esse rerum [i] tripliciter comparatur ad animam: videlicet ut res ordinentur in memoria, percipiantur intelligentia, diligantur voluntate. Est igitur in ente quolibet a causa efficiente unitas, per quam ordinetur in memoria et servetur: memoria enim ea quae retinet secundum aliquam coordinationem relationis ad 'unum' et discretionem componit. Item, a causa exemplari est veritas in quolibet ente, per quam percipiatur [k] ab intelligentia. Item, a causa finali est bonitas, per quam diligatur vel approbetur voluntate.

I. Ad primo quaesitum, an 'unum' secundum differentiam addat ad ens: dico quod sic; et haec additio est determinatio esse rei ut se habet absolute et ut in conformitate ad primum efficiens et ordinabile in memoria: quod non importatur per intentionem entis, sed exprimitur per intentionem 'unius'.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo [l] obicitur quod 'illa determinatio coarctabit ens': dicendum quod est coarctatio dupliciter: quantum ad rationem intelligendi et quantum ad ambitum suppositorum, qui consequitur actum existendi. Dicendum ergo quod addita determinatio unitatis ad ens coarctat ipsum quantum ad rationem intelligendi; cum enim dico 'unum', non intelligitur ens [m] sub quacumque ratione, sed sub determinata tali, quae est ratio indivisionis. Quantum vero ad ambitum suppositorum non coarctat, quia non existit aliquod ens quod non participet unitatem, sicut dicit [n] Dionysius [2]: « Sicut omnis numerus unitatem participat, et unus binarius et denarius dicitur, et dimidium unum et decimum unum, sic omnia et omnium omnis particula uno participat et in [o] esse 'unum' sunt omnia entia ». — Et si obicitur: ergo sub intentione 'unius' continentur 'multa' – dicendum quod [p] verum est, secundum quod 'unum' communiter accipitur et 'multa' ponunt actum existendi: actum enim existendi habent ex relatione ad 'unum'; secundum autem quod intentio 'unius' coarctatur ad 'unum' simpliciter, sic est in differentia opposita ad multa.

2. Ad secundum quod obicitur quod 'pro eodem accipiuntur unum et ens in vestigio Trinitatis': concedendum. Non tamen ex hoc sequitur quod non differat intentio unius ab intentione alterius. Nam [q] quia ens aliquod non accipitur a nostro [r] intellectu nisi cointellecta [s] indivisione, inde est quod pro eodem accipiuntur, cum tamen indistinctio non importetur per ens, sed per 'unum'. Non sic autem est de intentione veri et boni: noster enim intellectus accipit ens, non cointellecto bono; similiter quantum est ex parte rei — nisi illud prohiberet ratio intelligendi, qua non potest intelligi nisi verum — acciperet ens, non cointellecto vero.

II. Ad illud quod quaerit circa differentiam 'unius' ad 'verum' patet ex dictis [t] differentia.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicit quod 'per se tam unum quam verum distinguunt': dicendum quod est discretio secundum quam separatur res a re in esse, et est discretio secundum

---

[a] PVS add. *ut*, PVSF *a Deo* pro *aliquod*. [b] B *divisum*. [c] B add. mg. *differentiam et*, LF exp. *differentiam*. [d] L *formationem*. [e] S (corr. interl.) L *multitudo*, quod F delevit; P om. *in*. [f] BRLF om. [g] V *ibi*. [h] LF *mutatione*, quod B corr. [i] S *verum*. [k] V *participatur*, S om. *ab*. [l] PVS om. [m] B om. [n] BRLF add. *beatus*. [o] L *inde*, quod F corr. [p] V om., BRLF om. *d. q.* [q] PVS om. [r] BRLF *meo*. [s] L *cum intellecta*. [t] L *predictis*.

[1] Cf. supra, p. 114a.

[2] *De divin. nomin.*, c. 13, § 2 (PG 3, 978, PL 122, 1169).

quam separatur res a re ut habet esse cognoscibile; discernitur enim res a re in quantum est et in quantum cognoscibilis est. Primam discretionem efficit per se unitas, secundam vero veritas.

2. Ad aliud [a] vero dicendum, secundum quod posuerunt plures: indivisio cadit in ratione 'unius' et 'veri' et 'boni'; sed indivisio in ratione [b] 'unius' est indivisio entis: unde 'unum' est ens indivisum; in ratione 'veri' [c] indivisio esse, quia veritas [d] est indivisio esse et eius quod est; in ratione 'boni' indivisio complementi a potentia, quae est nata compleri, cum attingit [e] suo fini; unde bonitas est indivisio actus a potentia, et actus dicitur perfectio sive complementum. Est enim indivisio principiorum ut constituunt rem in esse simpliciter: et ab illa est unitas in rebus; et est [f] indivisio secundum quod constituunt illam in esse cognoscibili: et ab hac est veritas; et est indivisio principiorum secundum quod constituunt rem [g] in ordine ad suum finem: et [h] ab illa est bonitas.

III. Ad tertio quaesitum circa comparationem 'unius' ad 'bonum': dicendum quod istae intentiones, 'unum, verum, bonum', se circumincedunt [i], et inde est quod aliae rationes induunt rationem causae finalis et ita rationem [k] boni: unde 'verum' [l] non appetitur nisi quia bonum; 'unum' [m] similiter non appetitur nisi quia bonum; nec 'bonum' [n] nisi in quantum bonum. Similiter in quantum apprehenduntur intellectu, induunt rationem veri: non enim intelligitur 'bonum' nisi in quantum verum; nec 'unum' nisi in quantum verum [o]; nec 'verum' nisi in quantum verum [p]. Similiter in quantum ordinantur in memoria induunt rationem 'unius': non enim ordinatur bonum in memoria nisi ut 'unum', nec verum nisi ut 'unum', nec unum nisi ut 'unum'. Dicendum ergo secundum hoc quod desideratur non ratione propria principaliter, sed ratione boni quam induit: nihil enim desideratur nisi ut bonum.

IV. Ad quarto quaesitum de ordine: dicendum quod intentio 'entis' naturaliter praecedit intentionem 'unius' et intentio 'unius' intentionem 'veri' et 'boni': absolutior enim est intentio 'entis' intentione 'unius', sicut ostensum est [1]; et absolutior intentio 'unius', quae est entis in quantum consideratur absolutum, quam intentio veri, et boni, quae sunt entis comparati. Item, intentio veri absolutior est intentione boni, sicut esse rei consideratum sine sua utilitate vel ordine, et esse rei cum sua utilitate et ordine [q].

[Ad obiecta]: 1-3. Ad illud quod obicit quod 'unitas est causa entitatis': dicendum quod faciendo comparationem ad idem, semper entitas praecedit unitatem; sed faciendo comparationem ad [r] diversa, contingit quod unitas praecedit entitatem: ut unitas in principiis, ex quibus est res, praecedit entitatem compositi; referendo vero ad idem, entitas in principiis praecedit unitatem [s] in principiis, entitas in composito unitatem in composito.

74 CAPUT III.

DE DIFFERENTIIS UNIUS ET UNITATIS.

Consequenter quaerendum esset unde causetur unitas et multitudo in rebus, sed istud reservabimus [t] inquirendum cum quaeretur de conditione rerum [2]. Nunc autem quaerendum est de differentiis unitatis et unius.

Assignantur autem multis modis differentiae unius: I. Secundum B. Dionysium, in libro *De divinis nominibus* [3], hoc modo [u]; dicit enim: « Causa omnium non est unum ut unum multorum, sed ante omne unum et multitudinem et omnis unius et multitudinis terminativum. Non enim est multitudo quae non participet alicubi unum, sed [v] quod est multa partibus, unum est toto; quod est multa accidentibus, unum est subiecto; quod est multa numero, unum [x] specie; quod est multa speciebus, unum [y] genere; quod est multa processibus, unum principio ». Ecce quod ponit sex differentias 'unius': 'unum' sicut est in causa, quod est Deus, et hoc est 'unum non in multis'; et 'unum' quod est in creatura, quod est 'unum [z] multitudine'; et hoc quinque modis: unum toto, unum subiecto, unum specie, unum genere, unum principio.

II. Item, alio modo B. Bernardus, in V libro *De consideratione, Ad Eugenium* [4]: « Est uni-

---

[a] L *illud* [b] F *commune.* [c] F *vero.* [d] BRLF *verum* et om. *eius*, quod S exp. [e] PVS *attingitur*, F *item* pro *unde.* [f] B om. [g] F *illam.* [h] S (mg.) LF add. *sic*, PV *illo* pro *illa*, quod S corr. [i] V *circumcindunt.* [k] B *rationes.* [l] PS *bonum*, V add. interl. *unum.* [m] BRLF add. *vero*, V add. *bonum* et om. *similiter.* [n] V add. interl. *verum.* [o] B om. [p] F om. *nec unum... verum.* [q] R om. *cum... ordine.* [r] LF *in.* [s] PV *entitatem*, quod S corr., idem subinde; P *verum* pro *vero.* [t] L *reservabitur.* [u] F *sic* pro *h. m.* [v] V exp. [x] PVS add. *est.* [y] PVS add. *est.* [z] BRL add. *in*, BR post *hoc* add. *est.*

1 Cf. supra, p. 114b, sub *Respondeo.*
2 In libro II huius *Summae.*
3 Cap. 13, § 2 (PG 3, 978, PL 122, 1169).
4 Cap. 8 (PL 182, 799).

tas collectiva, ut multi lapides faciunt unum acervum; et est unitas constitutiva, ut multa membra [a] corpus unum vel multae partes unumquodque totum [b] constituunt; et est unitas coniugativa, qua fit ut duo iam non sint duo, sed una caro [1]; et est unitas nativa, qua anima et caro [c] unus nascitur homo; et est unitas potestativa, qua homo virtutis [d] non instabilis, non dissimilis, sed unus sibimet semper nititur inveniri; et est unitas consentanea, cum per caritatem multorum hominum est *cor unum et anima una*, Act. 4,32; et est unitas votiva, cum anima, votis omnibus adhaerens Deo, *unus spiritus est*, I Cor. 6,17; et est unitas dignativa, qua limus noster a Dei Verbo in unam assumptus est personam; et est [e] unitas substantifica [f], quae est unitas Trinitatis, qua tres personae sunt una substantia ».

III. Item, philosophi alio modo assignant differentias unitatis. Avicenna, in *Metaphysica* sua [2]: « 'Unum' dicitur ambigue de rebus, quae in hoc conveniunt quod in eis non est divisio in effectu, in quantum unumquodque eorum est id quod est; haec autem intentio est in eis secundum prius et posterius ». Dicitur ergo 'unum' secundum accidens et secundum essentiam. 'Unum secundum accidens' dicitur tribus modis: uno modo, quia unum accidit alicui, ut album Sorti; alio modo, quia duo accidunt uni, ut grammaticum et musicum Platoni; tertio, quia duobus accidit unum, sicut albedo [g] Sorti et Platoni. — Item, 'unum per essentiam' dicitur multis modis: unum genere, unum specie, unum comparatione, unum subiecto, unum numero.

Et postmodum subdividit [3] 'unum genere': aliquando in genere propinquo, ut homo [et] asinus 'unum' in animali; aliquando in genere remoto, ut homo et asinus 'unum' in substantia.

Item, 'unum in specie' dupliciter: aliquando in propinqua specie, ut Sortes et Plato 'unum' in homine; aliquando [h] in specie remota, ut Sortes et Plato 'unum' in animali.

Item, 'unum secundum comparationem' declaratur ab eo [i] [4] sic: « 'Unum enim comparatione' est [k] inter quae est [l] aliqua comparatio una, ut comparatio navis ad rectorem et civitatis ad regem una est: eae enim duae comparationes consimiles [m] sunt nec est earum unitio per accidens ».

Item, 'unum subiecto' [5], cuius partes secundum naturam suam, etsi dividantur, habent « uniri in unum [n] subiectum », et divisae retinent naturam speciei: ut multae aquae dicuntur 'unum in subiecto', quia natura suorum subiectorum est ut possint uniri et fieri 'unum subiecto', ut multae aquae una aqua. Et inde est quod « aggregatio multitudinis non est unum subiecto ». Item, natura partium est 'unum specie': sunt enim eaedem specie cum suo toto [o], sicut partes aquae [p] sunt aqua; non autem sic est in partibus unius hominis.

Item, 'unum numero' subdividitur: aliquando est 'unum numero' continuatione, aliquando perfectione, aliquando per speciem suam, aliquando per suam essentiam.

Item, 'unum [q] continuatione' multipliciter: aut quod sentitur secundum unum modum, « ut in lineis illa in qua non est angulus, et in superficiebus illa quae est planissima, et in corporibus illud quod circumdat superficies, in qua non est curvatura [r] secundum angulum [6] » ut sphaericum. Aut sentitur secundum dispositionem differentem, licet « duo extrema copulentur ad communem terminum, sicut totalitas duarum linearum continentium angulum ». Aut sentitur secundum differentem naturam, licet habeant unam cohaerentiam, « ut [s] membra, quae sunt composita ex aliis [t] membris », et hoc vel [u] naturaliter vel artificialiter: naturaliter ut in corpore hominis, artificialiter ut in arca. Prima unitas maior est secunda, et secunda tertia. — Item, nota quod 'unum continuatione' dicitur [v] duobus modis: quantitate et natura aut quantitate tantum. Quantitate et natura, cuius quantitas nec [x] natura dividitur: et haec sunt 'unum subiecto', ut haec aqua vel ille aër; 'unum' vero quantitate tantum, cuius quantitas non multiplicatur licet natura, ut unitas manus. Haec ergo dicuntur 'unum numero per continuationem'.

Item, 'unum numero secundum perfectionem' est [y] cuius partes non multiplicantur secundum naturam suae speciei: quemadmodum « unus homo numero non multiplicatur secundum naturam suam, scilicet secundum quod est homo, cum dividitur; multiplicatur autem alio modo, cum dividitur [z] corpus et anima, quorum neutrum est homo [7] »: et hoc modo est 'unum numero perfectione' sive totalitate. Non autem sic est in eo quod est 'unum numero' et potest multiplicari secundum naturam speciei in partes: sicut una aqua in plures aquas quae etiam conveniunt in specie aquae. Individua ergo aqua est 'una numero continuatione', individuus homo 'unum numero perfectione'. Simili

---

[a] S add. *constituunt*, V exp. *multa*. [b] S add. *corpus*. [c] R om. *et est...caro*. [d] LF *unitatis*, S expuncto *virtutis* corr. marg. *unitatis*, quod iterum exp. [e] R add. *etiam*. [f] RF *sustentifica*, L *sustantifica*. [g] S om. [h] BRLF add. *etiam*. [i] L om. *a. e.* [k] S om. [l] PVS om. [m] S *similes*. [n] F *suum*. [o] BLRF *partium sunt eedem in specie cum toto* pro *partium... toto*. [p] V *que*. [q] B *una*. [r] SR *curvatum*. [s] BRLF *sicut*. [t] BR *hiis*. [u] P om. [v] BRLF *est*. [x] RF om. [y] B om. [z] F om. *multiplicatur autem... dividitur*.

1 Cf. Gen. 2, 24.
2 Lib. III, c. 2 (f. 78b), ubi etiam sequentia ad sensum.
3 Scil. Avicenna, loc. cit.
4 Avicenna, loc. cit. (f. 78d).
5 Ibidem (f. 78c).
6 Ibidem (f. 78b), ubi et sequentia.
7 Ibidem (f. 78c).

modo angularis figura erit[a] ‘una numero continuatione’, circularis vero erit ‘una numero perfectione’: si enim sit partita, non perfecta, non poterit dici unus circulus numero [1].

Item, ‘unum numero secundum suam speciem’ est quod non est divisibile aliquo modo nec ex sua natura, tamen habet additam aliquam naturam praeter unitatem, sicut punctus, qui praeter[b] unitatem habet naturam situs et non est[c] divisibile aliquo modo: unitas enim puncti est unitas habens positionem [2].

Item, ‘unum numero per suam essentiam’ est quod non est aliquo modo divisibile «et in quo non[d] est natura alia: sicut ipsamet unitas, quae est principium numeri, cui si adiungitur aliqua alia unitas, iam earum coniunctio[e] erit numerus [3]»; et hoc modo ‘unum’ est quod non est divisibile nec re nec intellectu.

IV. Item, secundum Aristotelem, in V *Metaphysicae* [4], assignantur differentiae ‘unius’ hoc modo: unum per se et[f] unum per accidens. Et unum per accidens secundum tres modos, sicut prius ab Avicenna.

Item, ‘unum per se’ multipliciter: «‘unum continuatione’, sicut linea vel lignum glutinatum vel membrum, vel sicut motus, qui non dividitur secundum tempus; et ‘unum’ quorum subiectum non dividitur secundum formam», quod ab Avicenna dicebatur ‘unum subiecto’, quemadmodum ‘unum’ dicitur vinum et aqua et oleum; et[g] ‘unum genere’, «quorum genus est unum et differunt per differentias subiectivas: sicut homo et equus»; et ‘unum’ secundum illud quod intrat[h] utriusque rei definitionem, «ut augmentabile et diminuibile sunt unum», quia definitio sui generis est ‘unum’; et ‘unum modo simplici’, ut quod indivisibile est omnino, ut punctus; et[i] ‘unum modo universali’, quod scilicet non dividitur «secundum speciem suam, ut unum os et unus homo», et haec dicuntur ‘unum in forma’: «unum autem in forma sunt quorum totalitas est una», secundum quem modum dicitur linea circuli una magis quam aliae lineae; et ‘unum numero’, quorum materia est una; et «unum secundum aequalitatem, quorum proportio est una[k]».

V. Item[l], Algazel, in sua *Metaphysica* [5], alio modo distinguit: «Est enim ‘unum simpliciter’ et ‘unum secundum quid’. ‘Unum simpliciter’ tribus modis: est enim ‘unum’, in quo non est multitudo nec potentia nec actu: ut punctus[m] unus, Deus unus; alio modo ‘unum’, in quo non est multitudo in actu, sed in potentia: ut quod est homogeneum, sicut[n] una aqua, unus aër; tertio modo est ‘unum’, in quo est potentia et actu multitudo: ut lectus unus et membrum unum per compositionem partium. ‘Unum vero secundum quid’ multipliciter: genere, specie, accidente, subiecto, proportione».

VI. Item, alio modo assignantur differentiae ‘unius’ in libro *De unitate et uno* [6], hoc modo: «‘Unum’ aliud essentiae simplicitate unum, ut Deus. Aliud simplicium coniunctione unum, ut angelus et anima, quorum unumquodque est [unum] coniunctione materiae et formae»; et hoc ibi dicitur[o] secundum opinionem, tamen ibi sunt componentia[p] quasi materiae et formae. «Aliud continuitate, ut arbor et petra. Aliud compositione, ut ex multis tabulis una arca. Aliud aggregatione, ut unus populus, unus grex et acervus tritici. Alia dicuntur ‘unum proportiône’, ut rector navis et gubernator civitatis ‘unum’ similitudine officii. Alia ‘unum accidente’, sicut cycnus et nix ‘unum’ albedine. Alia vero dicuntur ‘unum numero’, ut diversa accidentia, quae uni subiecto insunt, dicuntur ‘unum numero’, id est numerando, ut hoc[q] dulce et hoc idem caeruleum. Alia vero dicuntur ‘unum ratione’, sed hoc duobus modis: vel ratione consortii, ut intellectus et vocabulum et res unum sunt genus; vel ratione unius sacramenti, ut *spiritus, aqua et sanguis* [7] dicuntur ‘unum’. Alia vero dicuntur ‘unum[r] participatione speciei’, ut plures homines sunt ‘unum’. Alia vero ‘unum lingua vel[s] natione’, ut multi homines una gens et una tribus. Alia vero dicuntur ‘unum more’, et hoc duobus modis: quia aut secundum consensum virtutum et dilectionis, ut *multitudinis*[t] *credentium cor unum* [8], aut secundum consensum vitii, ut *qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur* cum ea [9]».

Quaeritur ergo ratio diversarum assignationum.

Respondeo: Dicendum quod consideratio unitatis diversificatur tribus modis: uno modo, secundum quod consideratur unitas in rebus secundum fluxum rerum a causa Deo; alio modo, secundum reductionem unitatis in rebus ad unitatem in Deo; tertio modo, discernendo unitates rerum, secundum quod habent esse res in natura

---

[a] PVS *est*. [b] S *habet*. [c] R om. [d] B om. [e] PV *continuatio*, quod S corr. [f] PVS om. [g] L *item*. [h] P add. *in*. [i] V *est*. [k] F om. *et unum secundum... una*. [l] R om. [m] PVS add. *est*. [n] F add. *est*. [o] L om. [p] L *composita*, quod F corr. in *compositiva*. [q] L om. [r] PV om. *a. v. d. u.* [s] LF om. [t] RLF *multitudini*, P *et* pro *ut*.

[1] Cf. Ibidem (f. 78d).
[2] Cf. Ibidem (f. 78c).
[3] Ibidem; sequentia ad sensum.
[4] In ed. Didot, lib. IV, c. 6 (II, 518sqq.); in editione Venet. apud Iuntas, 1503, lib. V, c. 6 (VIII, f. 52b), ubi etiam sequentia vel verbotenus, licet contractim, vel ad sensum occurrunt.
[5] Lib. I, tr. 1, c. 8.
[6] Gundisal., *De unitate* (p. 9sq.).
[7] Cf. I Ioan. 5, 8.
[8] Act. 4, 32.
[9] I Cor. 6, 76.

sive in esse proprio [a]. Secundum primum modum assignat differentias B. Dionysius, secundum secundum modum [b] B. Bernardus, secundum tertium philosophi.

I. Secundum ergo B. Dionysium intentio est haec. Aut enim consideratur unitas in causa, et secundum hoc est unitas non in multitudine, et iste est primus modus, aut consideratur unitas in creatura. Aut ergo consideratur unitas in creatura [c] secundum unitatem causae, et secundum hoc creaturae quae habent diversos progressus essendi dicuntur 'unum principio', et ab hac unitate [d] dicitur universitas una; aut secundum unitatem formae, et istud variatur: nam est forma generalis, secundum quam dicuntur multae species 'unum in genere'; aut est forma specialis [e], secundum quam dicuntur multa singularia 'unum specie'; aut est forma singularis, secundum quam dicitur 'unum numero' duobus modis: unum toto, unum subiecto; 'unum toto', referendo ad fieri et ad partes ex quibus fit; 'unum subiecto', referendo ad factum esse et ad dispositiones quae accidunt rei postquam est. Haec igitur assignatio est secundum B. [f] Dionysium.

II. Secundum autem B. [g] Bernardum, cuius est intentio referre omnes unitates ad unitatem primam secundum propinquius, intentio est haec. Primo enim confert unitates secundum quod inveniuntur in corpore; secundo vero confert unitates secundum quod inveniuntur in homine; tertio [h] secundum quod inveniuntur in Deo. Secundum quod inveniuntur in corpore, « est unitas collectiva », quae est unitas secundum quid; et « constitutiva », quae est unitas simpliciter. Item, secundum quod invenitur in homine, ponit unitatem [i] tribus modis: iure, natura, voluntate. 'Unitatem iure' vocat unitatem « coniugativam »: coniuges enim unitate iuris sunt « una caro », quia iure coniugali caro unius cedit in iure [k] alterius. Item [l], 'unitatem natura' ponit duplicem: quantum ad esse, quae vocatur « nativa », qua scilicet « caro et anima nascitur unus homo »; et quantum ad bene esse, quae vocatur « potestativa, qua homo virtutis non instabilis, sed unus semper nititur inveniri ». Item, 'unitatem voluntatum' ponit duplicem: per relationem ad proximum, quam vocat « consentaneam, cum per caritatem multorum hominum est anima una »; per [m] relationem ad Deum, quam vocat « votivam, cum anima Deo adhaerens, *unus spiritus est* ». Item, unitatem in Deo considerat dupliciter: personalem et substantialem. In personali considerat tres naturas et ex tempore, ut in Christo tres naturae [1] in una persona: corpus, anima et divina natura. In substantiali considerat tres personas ab aeterno in una natura et substantia.

III. Secundum autem Avicennam, qui sequitur Aristotelem, differentiae 'unius' [a] assignantur hoc modo. Nam non accipitur 'unum' [b] in rerum natura nisi aut per se aut per accidens. Si 'per accidens', non potest esse nisi tribus modis: aut [c] quia duo accidunt uni aut unum accidit duobus [d] aut unum accidit uni; et haec est sua intentio. Item, si est 'unum per se': aut est unum numero aut multa numero. Si est [e] 'unum numero': aut est [f] divisibile aut indivisibile. Si divisibile: aut homogeneum, hoc est unius naturae in toto et in parte, et tunc erit 'unum numero continuatione', ut [g] una aqua; aut heterogeneum, hoc est [h] diversarum naturarum, et tunc est 'unum numero perfectione', ut una manus et quodlibet membrum divisibilium [i] partium. Item, si [k] indivisibile: aut ergo est absolutum ab omni alia natura addita unitati, et sic est unitas 'secundum' essentiam, quae est principium numeri, secundum quem modum [l] dicitur unitas in Deo; aut est habens aliam naturam additam unitati: secundum quem modum dicitur punctus unus, quia unitati puncti additur natura situs et positionis; aut non est habens [m] aliam naturam additam unitati: secundum quem modum diceretur unitas in anima et in [n] angelo, et [o] hoc modo diceretur 'unum numero secundum suam speciem'. Est igitur 'unum numero' quatuor modis: continuitate, perfectione, secundum essentiam, secundum speciem. Item, si sit 'unum per se' et 'multa numero', hoc non est nisi propter convenientiam quam habent in intentione aliqua. Convenientia autem non est nisi tribus modis: aut enim est convenientia comparationis, quo modo dicitur 'unum comparatione'; aut est [p] convenientia in subiecto [q], quo modo dicitur 'unum subiecto'; aut est convenientia in praedicato: praedicatum autem, quod est per se, aut est genus aut est species, et secundum hoc est 'unum genere', 'unum specie'.

Haec igitur est ratio assignationis differentiarum unitatis secundum Avicennam, secundum differentias eius quod est 'per se' et eius quod est 'per [r] accidens'.

---

[a] P *proprie.* [b] S om. [c] S om. *aut ergo... creatura.* [d] V *in hac intentione* pro *a. h. u.* [e] Ita S add. marg., alii om, [f] BR om. [g] P om. [h] Ita LF, alii add. *modo.* [i] F *ponitur unitas* pro *p. u.* [k] B *carnem.* [l] LF add. *inde.* [m] BRLF add. *et per.* [a] R *huius.* [b] B om. [c] PVS add. *enim.* [d] S om. *a. u. a. d.* [e] R om. [f] BRLF om. [g] S *et.* [h] V om. [i] V om., S (corr. mg.) LF *dissimilium.* [k] L om., in F est add. interl. [l] V *quemadmodum* pro *q. m*, idem infra. [m] PVS *addens.* [n] L om. [o] R add. *in.* [p] F add. *unum.* [q] L om *t. s* [r] PVS *secundum*, P om. *est.*

1 Haec intelligenda sunt eo sensu quo dicit Avicenna, (cf. supra, p. 116b, nota 7) quod homo « multiplicatur cum dividitur corpus et anima, quorum neutrum est homo ». Cf. Lombard., III *Sent.*, d. 6, c. 3 (p. 576).

IV. Secundum quem etiam [a] modum assignantur differentiae primae in assignatione Aristotelis, consequentes [b] vero variantur, sicut patet diligenter consideranti.

V. Differentiae vero Algazel assignantur secundum differentias eius quod est 'simpliciter' et [c] eius quod est 'secundum quid', sicut patet diligenter intuenti.

75

CAPUT IV.

QUAE SIT OPPOSITIO UNIUS AD MULTA.

Restat quaerere, quantum ad intelligentiam plenam 'unius', de oppositione 'unius' ad 'multa'.

a. Et cum omnis multitudo constet [d] ex unitatibus [1], non erit oppositio inter 'unum' et 'multa', cum esse multitudinis sit ex unitatibus.

b. Item, non potest poni oppositio contrarietatis, cum natura contrariorum sit, « ut cum unum venit in subiectum, destruit alterum [2] »; 'unum' autem non destruit 'multum', cum ponitur in subiecto quod erat multitudinis.

c. Item, « ad conditionem [e] contrariorum non sufficit quod [f] sit unum subiectum et quod sibi succedant, sed [g] oportet quod naturae sint [h] refugientes a se et multum distantes [3] »; non sic autem est inter 'unum' et 'multa', cum sint naturae convenientes.

d. Item, non potest poni quod sit oppositio sicut privationis et habitus: nam « unitas est in multitudine ut constituens eam [4] ». Si ergo ponatur multitudo privatio unitatis, sicut habitus, erit « privatio composita ex habitibus »; quod nunquam [i] contingit. Similiter, si poneretur habitus multitudo et unitas privatio, « erit privatio composita ex suis habitibus »; quod est inconvenientissimum.

e. Item, nec potest poni oppositio relativa: nam si multitudo esset correlativum unitatis, sequeretur « quod sicut quidditas multitudinis dicitur respectu unitatis, sic quidditas unitatis, in quantum est unitas, diceretur respectu multitudinis secundum conditionem conversionis relativorum et [k] essent coaequaeva in esse, in quantum scilicet haec est unitas et illa multitudo [5] »; impossibile ergo esset unitatem intelligi et esse sine multitudine. Relinquitur ergo quod non est oppositio relativa. Nec constat contradictoria, et haec [l] est secundum affirmationem et negationem. Ergo nullo genere oppositionis.

f. Item, 'multum' opponitur ei quod est 'paucum'; sed 'paucum' non dicitur 'unum', sed [m] quod est in numero parvo [n]; relinquitur ergo quod 'multum' non opponitur ei quod est 'unum' [6].

Contra: 1. Prima entis divisio est in [o] 'unum' et 'multa' [p]; omnis autem divisio est secundum oppositas differentias.

Respondeo: Multitudo dicitur duobus modis. Est enim multitudo absoluta, quae ponit pluralitatem [q], sed non excessum: et hoc modo multitudo est opposita unitati, non oppositione quae sit aliqua illarum quatuor, sed oppositione disparationis qua aliquid, quod est de principio, opponitur suis principiis ex quibus perficitur. Et hoc dicit B. Dionysius [7] quod « non est multitudo, quae non participet uno ». Alio modo dicit multitudo pluralitatem excedentem: et secundum hoc multitudo opponitur paucitati oppositione relationis; sed paucitas dicitur respectu parvi numeri et multitudo respectu magni sive excedentis.

[r] Haec ergo praeter intentionem principalem inquisita sunt ad intelligentiam [r] sequentium.

MEMBRUM II.

De unitate divina in specie.

76

CAPUT I.

AN DIVINA UNITAS SECUM COMPATIATUR PLURALITATEM.

Consequenter quaeritur de unitate divinae essentiae an compatiatur secum pluralitatem [8].

Ad quod sic: 1. Divina bonitas est qua maior cogitari non potest [9]; ergo et tanta est divina uni-

---

[a] F om. [b] L *consequenter.* [c] P *ut.* [d] S om. [e] Codd. *cognitionem.* [f] BRLF *ut.* [g] PVS *et.* [h] Ita F add. interl., alii om. [i] PVS *non.* [k] B *ut.* [l] L *hoc.* [m] R add. *est*, B *hoc est* pro *s q.* [n] Ita LF, BR *pauco*, PVS *plura.* [o] PVS om. [p] L *nulla*, quod F corr. [q] LF *pluraliter.* [r] PVS *intellectum.*

1 Avicenna, *Metaph.*, tr. 3, c. 6 (f. 79d).
2 Ibidem.
3 Ibidem (f. 81a)
4 Ibidem.
5 Ibidem (f. 81b).
6 Cf. Ibidem, (f 81c).
7 *De divin. nomin.*, c. 13, § 2 (PG 3, 979, PL 112, 1169).
8 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 2, a. un., q. 2 et d. 8, p. 2, a. un., q. 1 (I, 53 et 165 sqq.).
9 Cf. Anselm., *Proslog.*, c. 3 (PL 158, 228).

tas qua maior cogitari non potest[a]; ergo ipsa est unitas in termino unitatis; sed unitas, quae est maior et[b] in termino unitatis, absolvitur ab omni pluralitate; ergo divina unitas absolvitur ab omni pluralitate; ergo secum non compatitur aliquam pluralitatem. — Item, super illud Eph. 3, 18: *Ut possitis comprehendere* etc. dicit Bernardus[1]: « Cum videbimus Deum facie ad faciem, non dissiliet anima in suam pluralitatem, sed congregabit se in suam unitatem ». Si ergo ad hoc quod anima congregetur in Deum, oportet quod congregetur in suam unitatem, multo magis divina essentia abstrahetur ab omni pluralitate et erit in[c] omnimoda unitate; et ita divinum esse non compatitur secum pluralitatem.

2. Item, communis est[d] animi conceptio quod in unitate est[e] perfectio, in multitudine imperfectio[2]. Unde nos videmus in corporibus quod nobiliora sunt corpora quorum species in uno solo salvatur, sicut corpora caelestia, et inde est quod sunt incorruptibilia, sed non alia, quorum species plura requirit in quibus habeat perfectionem. Sed quod nobilius est Deo tribuendum[f] est, et etiam species divina maxime perfecta est; ergo ipsa est in uno solo singulari sive[g] una sola persona absque omni pluralitate.

3. Item, vanum est ponere multitudinem ubi natura perfectam habet unitatem; sed, posita unitate divina, in uno idem habetur, scilicet summa potentia, summa felicitas etc.; ergo unitas divini esse est solum in uno.

4. Item, omnis multitudo et pluralitas reducibilis est ad aliquam unitatem[3]; sed si ponitur in divino esse pluralitas, non est reducibilis ad aliquam unitatem, quia nec ad unitatem naturae nec ad unitatem personae; ergo in divino esse nullo modo potest esse pluralitas. — Minor patet: Constat quod illa pluralitas, si esset in Deo, non esset pluralitas naturae; sed ad unitatem naturae non reducitur nisi pluralitas naturae; ergo illa pluralitas non reducitur ad unitatem naturae. Similiter nec ad unitatem personae, quia unitas personae nulla communis est illis pluribus.

5. Item, unitas et pluralitas ex opposito condividunt ens[4]. Si ergo unitati per se, in quantum huiusmodi, attribuitur permanentia et consistentia ipsius esse: ergo multitudini[h] et pluralitati attribuitur oppositum, videlicet corruptio et desitio ipsius esse. — Quod autem unitati attribuatur permanentia et consistentia ipsius esse, patet per Boethium, in libro *De consolatione*[5]: « Omne quod est tamdiu manet atque consistit quamdiu unum est, sed necesse est interire atque dissolvi, cum unum esse desierit ». Si[i] ergo a divino esse relegata est omnino desitio esse, ergo et omnis pluralitas relegata est ab ipso.

Contra: *a*. Virtuosior est unitas quae potest esse eadem in pluribus non multiplicata quam illa quae non potest esse nisi in[k] uno solo[6], quia ista coarctatur, illa non; sed unitas divini esse est cui nihil deest de virtute; ergo ipsa est unitas in pluribus non multiplicata; ergo est in pluribus ipsam habentibus, scilicet in Patre et Filio et Spiritu Sancto.

b. Item, supposita hac propositione per se nota, quod esse divinum est summum[l] et perfectum bonum[7]; item, supposito quod perfectio boni consistit in communione, tertia suppositio est quod communio non est eiusdem ad se, sed unius ad alterum. Ex iis[m] necessario relinquitur quod ponenda est pluralitas in[n] esse divino: quia ubicumque est ponere communionem boni unius ad alterum, necesse est ponere pluralitatem, quia ibi est ponere alterum et alterum vel alium et alium; sed in Deo est ponere summum bonum, sicut patet per primam propositionem, et communionem boni, sicut patet per secundam, quia aliter non esset bonum perfectum, et unius ad alterum, sicut patet per tertiam; ergo in esse divino est ponere pluralitatem.

c. Tertia est ratio Richardi[8] per rationem caritatis, suppositis tribus propositionibus per se notis: prima est quod « ubi est summa bonitas, non potest deesse summa caritas; secunda est quod summa caritas non est amor privatus, sed communis, quia sic esset diminutus[o]; tertia est quod amor communis, non privatus, est amor currens in alterum ». Iuxta quod dicit Richardus, in libro *De Trinitate*[9], quia « oportet ut amor in alterum tendat ut caritas esse queat: nullus enim pro privato et proprio sui ipsius amore dicitur proprie caritatem habere. Ubi autem[p] totius bonitatis plenitudo est[q], vera et summa caritas deesse non potest: nihil enim caritate melius, nihil caritate perfectius ». Ex iis relinquitur quod in divino esse sit pluralitas, quia in Deo est summa bonitas; ergo in ipso non deest summa caritas,

---

[a] R om. *ergo et tanta... potest*, P om. *est*. [b] PVS om. [c] R add. *omni*. [d] BRL om. [e] PVS add. *omnis*. [f] PVS *attribuendum*, BR om. *etiam*. [g] V (corr.) add. *in*, PVS om. *solo*. [h] BRLF *multiplicationi*. [i] PVS *sic*. [k] R om. [l] F *summe*. [m] BRLF add. *igitur*, S add. *enim*. [n] LF *cum*. [o] P *diminutas*, V *diminuta*, quod B corr. [p] B *est*. [q] B om.

1 *De considerat.*, V, c. 13 (PL 182, 804), ad sensum.
2 Cf. Gundisal., *De unitate* (p. 7).
3 Cf. Gundisal., loc. cit. (p. 11).
4 Averroes, *Epitome*, tr. 3 (VIII, f. 179sqq.).
5 Lib. III, pr. 11 (PL 63, 772).
6 Cf. *Lib. de causis*, § 16 (p. 179).
7 Cf. Boeth., *De consol. philos.*, III, pr. 10 (PL 63, 765).
8 *De Trinit.*, III, c. 2 (PL 196, 916).
9 Loc. cit.; cf. Gregor. M., *In Ezech.*, hom. 17, n. 1 (PL 76, 1139).

sicut [a] patet per primam; ergo in ipso [b] est amor communis currens in alterum, sicut [c] patet per secundam et tertiam [d] propositionem; ergo in Deo est alter et alter sive alius et alius. Relinquitur ergo quod in divino esse est pluralitas.

d. Item, ostendit Richardus de S. Victore [1] quod illa caritas vel amor non erit in aliquid extra [e] Deum quod sit creatum, dicens: « Summam caritatem erga personam creatam habere non posset: inordinata enim caritas esset », si summe diligeret quod summe diligendum non esset. « Ut autem [f] caritas summa et summe perfecta sit, oportet ut sit tanta [g] ut maior esse non possit et talis qua non possit esse melior. Quamdiu autem quis nullum alium quam se ipsum diligit, ille, quem erga se habet, privatus amor [h] convincit quoniam summum caritatis gradum nondum apprehendit; sed persona divina profecto [i] non haberet quem ut se ipsam diligeret, si condignam [k] personam omnino non haberet; divinae autem personae condigna [l] non esset persona, quae Deus non esset; ut ergo in illa divinitatis natura plenitudo caritatis possit locum habere, oportet divinam aliquam personam personae condignae caritatem suam communicare, et, eo ipso, consortio [m] non carere ».

e. Item, Richardus, in libro *De Trinitate* [2], arguit istud per rationem beatitudinis, suppositis tribus propositionibus [n] per se notis: prima est quod in Deo sit summa beatitudo; secunda, quod ubi est summa beatitudo, ibi est iucundissima [o] possessio; tertia est quod nullius rei sine consortio iucunda est possessio. Ex iis igitur relinquitur quod [p] in divino esse est ponere consortium plurium: quia in ipso est summa beatitudo, ergo et iucundissima possessio, ergo et iucunditas plurium. Relinquitur ergo quod in ipso est pluralitas et iucundissima beatitudo possidentium.

f. Item, alio modo, supposito quod esse divinum sit esse perfectissimum; sed esse 'in multis, non de multis' est esse perfectissimum; ergo esse divinum est tale esse quod est 'unum in multis, non de multis'. — Manifestatio mediae est: nam est esse universalis et est esse singularis. Esse autem universalis est esse in multis et de multis [3], ut esse hominis est esse in multis singularibus et de illis, quia non est totum esse quod sint illa; 'homo' enim non dicit totum esse istius hominis: in isto enim homine est esse quantitatis et [a] esse qualitatis et [b] huiusmodi, quae [c] non dicit esse hominis: propterea est de esse non [d] totum quod est esse illius; et ideo de illo, non ut illud. Esse vero singularis est e contrario esse non in multis nec [e] de multis, immo esse in uno et esse illud unum, non de illo. Constans autem est [f] quod nobilius est esse in multis quam esse in uno; sed quod est [g] nobilissimum est Deo tribuendum; ergo tale erit esse divinum, scilicet quod habebit esse [h] in multis, non in uno [i] solo. — Item, nobilius et perfectius est esse non de multis quam quod est [k] esse de multis: quia cum [l] dico 'de', dico partem, non totum. Cum ergo quod est perfectissimum Deo sit tribuendum [m], esse divinum est esse tale quod [n] est in multis, non de multis, immo unum et totum esse illorum. Ex hoc ergo patet quod esse divinum non est universale vel singulare, sed habens aliquid de utroque. Ex hoc ergo relinquitur quod in Deo est [o] pluralitas.

g. Item, virtuosius est et nobilius esse quod potest esse in multis [4] quam quod potest esse in uno solo, et hinc est quod nobilius est esse universalis quam singularis. — Item, nobilius est esse unum in multis, non multiplicatum in illis, sed manens omnino idem, quam esse unum in multis [p], multiplicatum in illis, velut est esse universale, quod quidem est esse in multis singularibus, multiplicatum in illis. Nobilius autem et virtuosius esse Deo est tribuendum; ergo divinum esse est 'unum in multis, non multiplicatum in illis'; ergo in divino esse est pluralitas.

Solutio: Concedendum est quod unitas [q] divini esse est unitas in pluribus; et hoc ostendit perfectionem ipsius [r], quod est unitas in pluribus non multiplicata, sed manens eadem, non de illis, sed totum esse illorum.

Quidam tamen [s] in contrarium obiciunt sic: est pluralitas in pluribus et est pluralitas in uno, est autem unitas in pluribus et est unitas in uno [t]; primum imperfectionis maximae est; ergo ultimum, quod maxime distat a primo, summae perfectionis est; sed quod est summae perfectionis est Deo tribuendum; ergo unitas divini esse est unitas in uno. — Ad hoc dicendum, quod [u] unitas et pluralitas possunt comparari in uno genere vel in [v] pluribus. Si comparantur in eodem genere, ut videlicet pluralitas naturae ad unitatem naturae comparetur, sic pluralitas in pluribus imperfectissimum est [x] et unitas in uno perfectissimum. Si in

---

[a] L *sed*, F *quod*. [b] BR *ipsa*. [c] L *sed*. [d] S om. *e. t.* [e] L *iuxta*, B om. *in*. [f] B *est*. [g] PVS *creata*. [h] Ita F add. mg., alii om. [i] P *profecta*, V *perfectio*, quod S corr. [k] V om. [l] R *condigne*. [m] R *condigno*, quod B corr. [n] B *suppositionibus*. [o] L *iucunda*. [p] L *quo*.

[a] L add. *de*. [b] L *in*. [c] BF *quem*, L *quod*. [d] F add. *est*. [e] PV om., in B est add. interl. [f] BR om. [g] BR om. [h] F exp. [i] F om. [k] BR om., in F est add. interl.; L om. *esse*, quod in F est add. mg. [l] BRLF *quod*. [m] PVS *attribuendum*, F *de* pro *Deo*. [n] VSBR *quid*. [o] PVS om. [p] PVS add. *non*. [q] F om. [r] F *unius*. [s] B om. [t] PVS *est unitas in uno et est unitas in pluribus* pro *est autem... uno*. [u] L om. [v] PVS om. [x] BRLF om.

1 Loc. cit.
2 Lib. III, c. 3 (PL 196, 917).
3 Cf. Averroes, *Epitome*, tr. 2 (VIII, f. 174b).
4 Averroes, loc. cit. (f. 185b).

diversis generibus, ut[a] videlicet comparetur pluralitas personalis unitati essentiali, istud non sequitur, immo perfectior est unitas quae est in pluribus personaliter differentibus sive secundum relationem, quam quae est sine, quia pluralitas, quae est personalis sive secundum relationem, demonstrat virtutem et perfectionem ipsius unitatis. Unde non detrahit ipsi unitati, quia summae virtutis et perfectionis est[b] quod sit in pluribus[c] eadem, non multiplicata. Unde 'esse ab alio', 'non esse ab alio', licet in divino esse reperiantur, non tamen detrahunt simplicitati ipsius, quia solum dicunt differentiam secundum relationem: unde, secundum Boethium[d] [1], nihil addunt ad esse. Nec etiam pluralitas in personis, quae ab iis est, unitati divini[e] esse opponitur[f], sed pluralitas[g] in naturis ei opponitur; et de hac procedit ratio, secundum quod divinum esse maxime longe sit[h] a pluralitate naturarum.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam vero rationem superius positam dicendum quod ratio illa bene procederet, si pluralitas quaelibet opponeretur et detraheret simplicitati divini esse; pluralitas autem secundum relationem, quae est in divino esse, non opponitur unitati naturae. Unde Richardus, in libro *De Trinitate* [2]: « Habet homo quomodo legat et discat in se ipso quid per contrarium debeat[i] aestimare de Deo: ibi quidem pluralitas personarum in unitate substantiae, hic autem pluralitas substantiarum in unitate personae; pluralitas autem naturae nunquam opponitur unitati personae in homine; similiter nec pluralitas personae unitati naturae in Deo ».

2. Ad aliud dicendum quod duplex est unitas, scilicet materialis et formalis. Unitas materialis est unitas signata vel singularis; et quia haec unitas signata est, non habet potestatem multiplicandi se, sed est materia multitudinis et etiam subiecta ipsi multiplicationi[k]. Sed unitas formalis est unitas ipsius formae, quae habet virtutem ad multiplicationem[l] ut potens sit esse in multis. Sed hoc potest esse dupliciter: quia haec unitas potest esse in multis multiplicata in illis, vel non multiplicata, sed una et eadem. Quod sit unitas in multis, hoc dicit perfectionem; sed quod sit multiplicata, hoc dicit imperfectionem; et talis est[m] unitas formae universalis, quae multiplicatur in singularibus. — Quod ergo dicitur quod 'nobilitatis[n] est in corporibus caelestibus quod non possunt esse nisi in uno solo': dicendum quod ex parte ipsius singularis istud verum est quod nobilitas ipsius solis est quod manet incorruptibilis, sed ex parte suae speciei nobilitas esset quod esset in pluribus; et quod non possit nisi in uno, istud ignobilitatis[o] est, quia istud ponit coarctationem in ipsa. Constat igitur quod perfectior est et virtuosior unitas quae potest esse in multis quam quae nisi in uno solo, et perfectior, immo[p] perfectissima, est illa quae potest esse in pluribus, non multiplicata. Quia ergo quod nobilitatis et perfectionis est Deo est tribuendum, ideo ponimus unitatem divinae essentiae in pluribus non multiplicatam. Et propter hoc distinguenda est illa propositio quod 'in multitudine est imperfectio', dicendo quod est multitudo in multitudine et multitudo in unitate: et multitudo in multitudine[q] imperfectionis est, quia deest ibi[r] perfectio unitatis; sed multitudo in unitate, immo[s] quae est unitas, perfectionis est, quamvis non congrue dicatur multitudo in Deo, sed pluralitas, et ideo pro pluralitate intelligatur cum dicitur multitudo.

3. Ad tertium dicendum quod 'vanum est ponere multitudinem ubi idem[t] contingit per positam unitatem vel ubi natura habet perfectam unitatem' hoc verum esset, si multitudo et unitas acciperentur in eodem genere. Nos autem non ponimus in divino esse unitatem et multitudinem in eodem genere, immo unitatem essentiae et personarum pluralitatem, et dicimus quod, licet sit[u] summa potentia in Deo, etsi non sit aliqua pluralitas in divino esse, dico tamen quod non idem contingeret, quia per hoc manifestatur summa potentia et ostenditur in Deo quod scilicet sit unum in multis non multiplicatum.

4. Ad quartum[v] dicendum quod multitudo sive pluralitas, quae ponitur in divinis personis, reducibilis est ad unitatem eiusdem generis, scilicet ad unitatem personae. — Et quod obicitur quod 'non est una communis persona', distinguendum est: quod est commune secundum originem et secundum praedicationem. Secundum ergo[x] praedicationem non est una communis persona, sed dicendo commune secundum originem, est una communis, scilicet persona Patris, a qua ceterae habent originem: Filius per generationem, Spiritus Sanctus per processionem.

5. Ad quintum dicendum quod, cum unitas et multitudo ex opposito dividantur, unitati secundum essentiam vel naturam opponitur multitudo secundum essentiam, et unitati modi existendi multitudo modi existendi. Consistentia vero et permanentia ipsius esse attribuitur unitati secundum naturam, non unitati secundum modum

---

[a] P om. [b] R om., in B est add. interl. [c] L *omnibus*. [d] L *Boethius* pro *s. B.* [e] L *divine*. [f] P *opposita*. [g] V *multiplicitas*. [h] S om. [i] PV om., in S est add. marg. [k] Ita SL, alii *multitudini*. [l] B *multitudinem*. [m] BR om. [n] Ita PS, alii *nobilitas*. [o] PVS *nobilitatis*. [p] P *in uno*. [q] BR *multiplicatione*. [r] PV *el*, quod S corr. [s] F *una*. [t] P add. *quod*. [u] PVS om. [v] B add. *vero*. [x] B *vero*.

1 *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1254).

2 Lib. III, c. 9 (PL 196, 921).

existendi; ita etiam e contrario corruptio vel desitio ipsius esse attribuitur multitudini naturae, non pluralitati secundum modum existendi. Manet igitur pluralitas secundum existendi modum cum unitate naturae, non repugnans permanentiae ipsius divini esse.

77

CAPUT II.

AN DIVINA UNITAS SECUM COMPATIATUR PLURALITATEM NATURARUM.

Consequenter quaeritur an divinum esse secum compatiatur [a] pluralitatem naturarum, ita quod [b] dicerentur plures dii [1].

Ad quod sic: *a.* Damascenus [2]: « Si ponerentur plures dii, differentiam oporteret considerare. Si enim nulla differentia est [c] in eis, unus magis est et non multi. Si vero differentia est in eis, ubi ergo est perfectio? sive secundum bonitatem sive secundum sapientiam sive secundum tempus sive secundum locum deficiat a perfectione, nequaquam erit Deus; nulla igitur differentia est in eis; si vero per omnia est identitas: unus magis est [d] et non multi ». Relinquitur ergo unum esse Deum et non multos.

b. Item, secunda ratio Richardi [3]: « Divinitas aut est incommunicabilis aut aliquibus communis. Si est incommunicabilis: consequens est quod non est nisi unus Deus. Si autem aliquibus [e] communis fuerit: communis utique erit et substantia illa, quae non est aliud quam divinitas ipsa; sed substantia una non potest esse communis pluribus substantiis, alioquin una eademque [f] substantia esset [g] plures et plures una. Si vero dicitur esse communis pluribus personis: erit utique et communis eis substantia illa, quae non est aliud quam divinitas ipsa; iuxta hoc utique erunt in divinitate plures personae, sed nonnisi una substantia ». Non est igitur in divino esse pluralitas naturarum.

c. Item, Boethius, in libro *De Trinitate* [4]: « Nulla est in Deo diversitas, nulla [h] ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo: Deus enim a Deo nullo differt, nec accidentalibus [i] nec substantialibus differentiis; ubi vero nulla est differentia, nulla est diversitas, quare nec numerus; igitur unitas tantum ». Nullam autem diversitatem esse in Deo superius probatum est [5] per simplicitatem; nulla igitur est [k] differentia vel diversitas divini esse in natura.

Contra: 1. 'Esse ab alio', 'non esse ab alio' faciunt diversitatem in natura: per hoc enim differt natura creata ab increata; similiter faciunt differentiam in personis, sicut demonstrato Patre, qui est persona ens non ab alio, et demonstrato Filio, qui est persona ens ab alio, 'non esse ab alio' et 'esse ab alio' facient differentiam in diis; et ita [l] in Deo est pluralitas naturarum. Arguitur [m] ergo sic: Filius est Deus ab alio; Pater est Deus non ab alio; ergo duo dii; ergo cum 'dii' dicat pluralitatem divinae naturae, in Deo erit pluralitas naturarum.

2. Item, Augustinus, in libro *De Trinitate* [6]: « Non dicimus Trinitatem descendisse in columbae specie, sed solum Spiritum Sanctum; nec dicimus Trinitatem sonuisse, quando vox audita est: *Hic est Filius meus dilectus* [7]; similiter dicimus solum Filium incarnatum, non Patrem aut Spiritum Sanctum ». In divinis ergo invenitur diversitas operationis, ita quod operatio Patris non est operatio Filii aut Spiritus Sancti [n] et e converso; sed in divinis est idem substantia, virtus et operatio; cum ergo ibi inveniatur diversitas operationis, ergo [o] et virtutis, et ita essentiae vel [p] naturae; plures ergo divinitates et plures dii.

Solutio: Dicimus quod unitas divini esse nullo modo secum compatitur pluralitatem naturae nec divinitatis nec bonitatis, sicut patet per supradictam auctoritatem Boethii, *De Trinitate* [8], quod « nulla est in Deo diversitas » etc. Ex quo patet quod est [q] unitas naturae tantum in divino esse. Hoc etiam praedicta auctoritas Richardi [9] attestatur quod « divinitas aut est communicabilis aut incommunicabilis » etc., ex quo vult arguere quod ibi est tantum unitas substantiae.

---

[a] PVS *patiatur*. [b] BRLF *ut*. [c] F om. [d] BRLF *erit*. [e] L *quis*, F *aliis*. [f] PVS *eadem*. [g] P *et*, V om. *esset plures*. [h] V add. *est*. [i] BRLF *accidentibus*. [k] BRLF om. [l] L *ergo* pro *e. i.* [m] PVS *arguatur*. [n] R om. [o] R om. [p] PVS *et*. [q] R om.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 2, a. un., q. 1 et *Quaest. disput. de Trinit.*, q. 2, a. 1 (I, 50 et V 59sqq.).
2 *De fide orthod.*, I, c. 5 (PG 94, 802).
3 *De Trinit.*, I, c. 17 (PL 196, 898).
4 Capp. 2 et 3 (PL 64, 1250sq.).
5 Num. 31 sqq. et num. 62 (p. 50sqq. et 90 sq.).
6 Lib. II, c. 5, n. 10, item c. 6, n. 11 et c. 7, n. 13 (PL 42, 851 sqq), sec. sensum. Magis consonat *Sermo* 71, c. 16, n. 27 (PL 38, 460); cf. *Sermo* 52, c. 2 (PL 38, 355) et *Contra sermon. Arianorum*, c. 15 (PL 42, 694).
7 Matth. 3, 17 ac 17, 5; Luc. 3, 22; II Petri 1, 17.
8 Cf. ad litt. *c*. 9 Cf. ad litt. *b*.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod primo obicitur quod 'esse ab alio, non esse ab alio faciunt differentiam in natura': dicendum quod istud verum est quando respiciunt[a] formas diversas et suppositа. Verbi gratia: cum dico 'naturam entem ab alio, naturam non entem ab alio', hic respiciunt[b] formas diversas et supposita diversa. Similiter, cum dico 'personam entem ab alio' pro Filio et 'personam non entem ab alio' pro Patre, hic respiciunt proprietates diversas quasi formas et suppositа diversa, quia Filius dicitur esse ab alio ratione filiationis, Pater vero non esse ab alio ratione paternitatis; sed hoc non facit differentiam in natura, sed in personis, et propter hoc Pater et Filius sunt differentes personae, sed non naturae. Sed[c] cum dico 'Deus de Deo', hic dico Deum ab alio et Deum non ab alio et a quo alius, dico tamen formam eamdem ex utraque parte. Unde 'esse ab alio, non esse ab alio' non respiciunt ibi diversam formam, sed differentia suppositа, quia una et eadem est forma sicut una divinitas in Patre et Filio. Et ideo, sicut dicit Boethius[1], sequitur: « Pater est Deus, Filius est Deus, ergo sunt unus Deus »; sed non sequitur: 'Sortes est homo, Plato est homo, ergo sunt unus homo'. Quia[d] ergo in Deo, sive in Patre et Filio[e], non invenitur differens forma, sicut in Sorte et Platone, non habet ibi locum ratio.

2. Ad secundum dicendum quod nunquam differens est actio Patris et Filii et Spiritus Sancti. — Quod ergo obicitur quod 'solus Filius incarnatur': dicendum quod hic dicuntur duo, scilicet ipsa actio et relatio connotata quae venit in proprietatem personae, quia 'incarnari Dei' dicit sibi unire humanitatem vel[f] carnem. Per hoc quod est 'unire', ipsam tango[g] actionem, et hoc convenit toti Trinitati; per hoc quod[h] est 'sibi' tango relationem, quae solum ad Filium refertur: tota enim Trinitas soli Filio unit humanitatem. — Similiter, cum dico[i] 'solus Pater dixit: *Hic est Filius meus*'[k 2] etc., hic tango actionem quae est facere vocem, et hoc convenit toti Trinitati; item, per hanc vocem significatur aliquis habere Filium, et haec est ipsa relatio, et hoc convenit soli Patri, qui[l] solus habet Filium. — Similiter, cum dico quod[m] 'solus Spiritus Sanctus apparuit in columbae specie', hic est ipsa actio et relatio veniens in proprietatem personae; ipsa actio est ipsa demonstratio vel significatio, quod[n] scilicet per hoc significatur Spiritus Sanctus, et hoc facit tota Trinitas. Similiter ibi est relatio ad Spiritum Sanctum, quod solus ibi significetur; Trinitas ergo hoc fecit[o], ut scilicet per hoc significaretur[p] Spiritus Sanctus. Et sic non dicitur hoc ratione[q] actionis, quod sit differens actio vel operatio horum, sed ratione habitudinis actionis. Et sic patet solutio istius rationis[r].

CAPUT III.

AN DIVINA UNITAS SECUM COMPATIATUR PLURALITATEM PRINCIPIORUM.

ARTICULUS I. 78

Utrum sit ponere duo principia summe bona.

Quaeritur postea utrum unitas divini esse secum compatiatur[s] pluralitatem principiorum, ita quod esset ponere duo principia boni, quorum utrumque diceretur summum bonum.

Ad quod sic: *a.* Boethius, in libro *De consolatione*[3]: « Quae[t] discrepant bona, non esse unum[u] quod alterum est liquet: quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterum alteri desit; sed quod perfectum non est, illud non esse summum manifestum est; non ergo summe bona sunt quae sunt diversa ».

b. Item[4], si essent plura principia, qualiter ab illis gubernaretur mundus? Si enim quis parti mundi principatur, quis mundum ordinat et permanentiam eius facit? illud enim magis utroque erit principium, quod scilicet ordinat universum. Et sic relinquitur solum esse unum principium perfectum sive summe[v] bonum.

c. Item[5], quod superlative dicitur uni soli convenit. Si ergo summum bonum est, relinquitur quod unum solum est summe bonum, non habens parem vel superiorem; si enim habet superiorem, iam non est summum; similiter si parem; simi-

---

[a] Ita B (corr.), alii *recipiunt*. [b] PV *hoc respicit* pro *h. r.*, quod S corr. [c] S om. [d] P *similiter*. [e] R *Patre*, B om. *differens*. [f] PVS *et* [g] PV om., in S est add. mg.; L om. *est*. [h] PV om. [i] P add. *Filio*, S om. *solus*, quod in V est add. mg. [k] B add. *dilectus*, L om. *est*. [l] L *quia*. [m] BR om. [n] LF om. [o] PVS *facit*, L om. *ibi*. [p] PVS *significetur*. [q] PV add. *accidentis et*, quod S exp. [r] R *questionis*. [s] V *patiatur*. [t] V *qui*. [u] V *bonum*. [v] BF *summum*.

1 *De Trinit.*, c. 1 (PL 64, 1249).
2 Cf. supra, p. 124, nota 7.
3 Lib. III, pr. 10 (PL 63, 767).
4 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, I, c. 5 (PG 94, 802); Gregor. Naz., *Homil.* 29, n. 2 (PG 36, 75).
5 Cf. Rich. de S. Vict., *De Trinit.*, II, c. 6 (PL 196, 904).

liter [a] si habeat inferiorem, illud inferius non est summe [b] bonum; manebit ergo unum solum summe bonum.

Contra: 1. Boethius, in libro *De consolatione* [1]: « Quae discrepant bona » etc., per [c] hoc volens probare quod [d] non sunt duo principia summe bona, quia unum non esset alterum: et sic utrumque esset imperfectum. — Sed quod haec ratio nulla sit, patet: quia est bonum creatum et increatum, et unum non est alterum, nec e converso. Si ergo non ponit quod aliquid [e] desit summo bono increato, quia scilicet non est ipsum [f] bonum creatum: similiter nec si esset aliud [g] bonum increatum differens ab ipso, hoc non poneret defectum in ipso; possunt ergo esse duo summe bona.

2. Item, unitas et multitudo dividuntur ex opposito [2]; ergo multitudo non est principium unitatis vel [h] e converso; aliud ergo principium est [i] unitatis, in quantum unitas, et aliud multitudinis; ergo duo sunt principia bonorum.

3. Item, « beatitudo creata est status omnium bonorum congregatione perfectus [3] »; sed beatitudo creata non est ipsa beatitudo increata; cum ergo ratio summi boni sit ex aggregatione [k] perfecta totius bonitatis, relinquitur quod erunt duo summe bona.

Solutio: Concedendum secundum rationes praedictas quod non sit ponere duo principia summe bona.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum dicendum quod intentio Boethii est: si poneretur cum summo bono bonum aliud, quod non esset ipsum vel ab ipso differret [l], quia illud ei deesset et ita non esset perfectum, quia perfecto nihil deest; si autem poneretur summe bonum increatum, non [m] esset ipsum nec ab ipso; et propter hoc non possunt stare simul. Sed bonum creatum, licet non sit ipsum bonum increatum, tamen est ab eo, unde non est summum; et propter hoc bonitas creata potest stare cum summo bono increato, licet non sit ipsum.

2. Ad secundum dicendum quod, quamvis secundum rationem unitas et multitudo dividantur ex opposito, tamen secundum rem minime, immo ipsa multitudo substantialiter est multitudo [n] ex unitatibus aggregata [4]. Si vero substantialiter est multitudo ex unitatibus aggregatis [o], quae erit causa ipsarum unitatum, erit et causa multitudinis. Ideo unum erit principium unitatis et multitudinis et unius et multorum.

3. Ad tertiam rationem dicendum quod summum bonum dicitur [p] dupliciter, scilicet simpliciter et secundum quid. Summum bonum [q] simpliciter est bonum increatum; summum bonum secundum quid est beatitudo creata, quia est summum bonum in creatis bonis eo [r] quod est a summo bono increato: propterea non numerantur [s] ut dicantur duo summa; et ita intelligendum de congregatione perfecta bonorum.

79 ARTICULUS II.

Utrum sit ponere duo summa principia, aliud boni et aliud mali.

Deinde quaeritur utrum [t] unitas divini esse compatiatur secum pluralitatem principiorum, ita quod unum dicatur principium boni, reliquum vero principium mali, ut scilicet dicatur summum bonum et summum malum, sicut posuerunt Manichaei [5].

Ad quod sic: *a.* Bonum, verum et ens convertuntur; ergo eorum opposita, scilicet [u] malum, falsum, non-ens; malum ergo, in quantum malum, est non-ens; ergo multo magis summum malum.

b. Item, unumquodque, in quantum est, bonum est, sicut probatur a Boethio [6]; ergo malum, in quantum malum, non est, quia, in quantum malum, non est malum; summum igitur malum omnino non est.

c. Item, si summum bonum habeat oppositum [v] summum malum, ergo sicut [x] summum bonum est bonum per essentiam, ita summum malum erit malum per essentiam; nihil ergo bonitatis erit vel [y] intelligetur in summo malo; ergo nec potentia nec notitia nec etiam esse. Relinquitur ergo quod non erit potens nec etiam ens, ergo nec principium.

d. Item, in summo bono intelligitur summa voluntas boni et summa potentia, ergo summum odium sive detestatio mali et summa potentia ad

---

[a] LF *preterea.* [b] BRLF *summum,* quod saepius infra pro *summe* ponunt. [c] V *et.* [d] B om. [e] L add. *non.* [f] PV *summum,* quod S corr. in marg., expuncto *summum.* [g] P *illud.* [h] F *nec.* [i] BRLF om. [k] BR *congregatione.* [l] F add. interl. *summo.* [m] BRLF *nec.* [n] BRLF om. [o] B *aggregans.* [p] B *est.* [q] BR om. [r] Codd. *et.* [s] BF *numeratur.* [t] L om. [u] PVSF om. [v] BLRF *oppositionem,* F add. interl. *ad.* [x] Ita F (corr.), alii *si.* [y] PVS *ut.*

1 Loc. supra cit.
2 Cf. Aristot., *Metaph.*; IX, c. 3 (II, 576).
3 Boeth., *De consol. philos.*, III, pr. 2 (PL 63, 724).
4 Cf. Gundisal., *De unitate* (p. 10).
5 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 25 sqq.); Augustin., *De vera relig.*, c. 9, n. 16 (PL 34, 129 sq.).
6 *De hebdomad.* (PL 64, 1311).

destruendum malum. Posito ergo summo malo, quaeritur an summe bonum habeat voluntatem destruendi ipsum. Et si non habet: non summe detestatur malum; ergo non est summe [a] bonum. Si habet: aut ergo potest destruere summe malum aut non potest. Si non potest: ergo non est summe potens; ergo non est summum. Si potest et vult et constat quod scit [b]: ergo non est aliquo modo compatiens summum malum in esse.

Contra: I. 1. Si simpliciter ad simpliciter et magis ad magis [c] et maxime ad maxime [1]: ergo si bonum habet oppositum malum et magis bonum magis malum et summum bonum summum malum, ergo summum malum est.

2. Item, in bonis sequitur: 'aliquid est bonum [d] et aliquid [e] melius, ergo aliquid optimum'; ergo similiter in malis: 'aliquid est malum, aliquid [f] peius, ergo aliquid pessimum'; ergo summum malum est.

3. Item, contrariorum contrariae sunt causae; sed in universitate sunt multae contrarietates et multa contraria; ergo et causae contrariae; sed una est causa omnium bonorum, quae nec est causa malorum; ergo necesse est quod sit una causa omnium malorum; sicut ergo illa ponitur summum bonum, ita et ista ponetur summum malum.

4. Item, sequitur: 'si aliquid est bonum participatione, ergo aliquid est bonum per essentiam'; ergo similiter: 'aliquid est malum participatione, ergo aliquid est malum per essentiam' [2].

5. Item, nihil est principium salvativum et corruptivum; cum ergo bonorum et incorruptorum sit principium salvativum: ergo et malorum et corruptibilium erit principium corruptivum [g]. — Si dicatur quod corruptibilium non est ponendum principium, cum corruptio accidat ex defectu et ideo ex non-causa potius quam ex causa — contra: omne corruptivum est activum; omne autem activum habet naturam per quam agit; erit igitur aliqua natura principium corruptivum.

II. Item, per auctoritates [h] voluerunt ostendere Manichaei duo principia hoc modo [3]:

1. Matth. 12,33: *Aut facite arborem bonam et fructum eius bonum: aut facite arborem malam et fructum eius malum.* Glossa Rabani [4]: « Non potest ex bono malum vel ex malo nasci bonum ». Et ibidem [5]: « Nihil medium quin boni auctoris tantum sint bona et mali mala ». Ex quibus colligitur quod boni et mali non est [i] idem principium, sed diversa.

2. Item, I Ioan. 3,8: *Qui facit peccatum, ex diabolo est,* non materialiter, sed [k] effective. Ergo diabolus est principium efficiens mali, et Deus boni.

3. Item, Matth. 15,13: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur.* Ergo aliquid est quod non plantavit Pater caelestis; haec plantatio quid aliud est quam [l] alicuius rei in esse productio? Est igitur aliud principium a Deo producens res in esse.

4. Item, Ioan. 8,44: *Vos ex patre diabolo estis;* et constat quod non est pater nisi [m] creatione.

5. Item, II Cor. 4,3-4: *Si evangelium nostrum opertum est, in iis qui pereunt, est opertum, in quibus deus huius saeculi excaecavit* [n] *mentes infidelium;* non autem intelligendum est de bono Deo [o] quod excaecat mentes infidelium; igitur de malo.

6. Item, Ioan. 14,30: *Venit princeps mundi huius.* Unde innuit quod unus sit princeps mundi huius et alter alterius; et intelligitur [p] de diabolo.

7. Item, Rom. 7,23: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Ergo duae leges sunt in homine; sed lex spiritus est a Deo; ergo contraria est a contrario principio.

8. Item, Ioan. 8,44: Diabolus *homicida fuit ab initio.* Igitur vel essentialiter malus vel a malo principio [q].

9. Item, Ioan. 8,44: Diabolus *est mendax et pater eius.* Si pater [r], igitur efficiens causa [s] et non ab altero [t]; sed causa et principium idem; ergo [u] etc.

10. Item, Gen. 1,31: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat: et erant valde bona.* — Item, Eccle. 1,2: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Non igitur haec a Deo.

Respondeo: Deceptio Manichaeorum fuit quia aestimaverunt privationes causari [v] sicut positiones; quod non est verum: privationes enim [x] non habent causam efficientem, quemadmodum positiones, sed deficientem. Unde Augustinus, XII *De civitate Dei* [6]: « Non est efficiens causa mali, sed deficiens, quia nec mala voluntas est effectio [y], sed defectio. Causam ergo mali velle invenire est acsi aliquis velit videre tenebras vel audire

---

[a] VBRLF *summum.* [b] V *sit.* [c] P om. *a. m.* [d] B om. [e] PVSF add. *est.* [f] PVSF add. *est.* [g] V *corruptibilium.* [h] PVS *auctoritatem.* [i] BRL om., in F est add. interl. [k] BRF *ergo,* L corr. interl. *sed.* [l] L om. [m] F add. *ex.* [n] S *exequavit,* BR om. *huius.* [o] B om., in V est add. mg. [p] PVS *intelligendum.* [q] B om. *igitur... principio.* [r] B om. *s. p.* [s] PV *eum,* quod expunctum S corr. in marg. [t] PV *eterno,* quod expunctum S corr. in marg. [u] PV om., in S est add. marg. [v] Ita LF, alii *creari.* [x] R *vero.* [y] S *affectio.*

1 Cf. Aristot., *Topic.*, II, cc. 10 et 11 (I, 196 sq.).
2 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 7, c. 1 (f. 56c).
3 Cf. Alan., *De fide cathol.*, I, cc. 2-8 (PL 210, 308 sqq.).
4 In h. l. (PL 107, 931).
5 Apud Raban. non occurrit, sed est in *Glossa Ordin.*, in h. l. (PL 114, 127), ex Hieronymo, in h. l. (PL 26, 81); cf. Augustin., *Enchir.*, c. 15 (PL 40, 238).
6 Cap. 7 (PL 41, 355) contractim.

silentium, quae nobis per oculos nota sunt, non specie, sed speciei privatione; talia vero nesciendo sciuntur ut [a] sciendo nesciantur: silentium enim nonnisi non [b] audiendo auditur ».

[Ad obiecta]: Respondendum ergo ad obiecta per [c] ordinem.

I. 1. Ad primum dicendum quod regula ista ' si simpliciter ad [d] simpliciter ' etc. differenter intelligitur in positionibus et privationibus. In positionibus enim est magis et minus per [e] participationem unius formae vel naturae, sicut in coloribus secundum participationem formae albedinis secundum plus et minus dicitur plus et minus album. In privationibus vero aliter est. Nam in privationibus non [f] dicitur magis et minus per [g] participationem unius formae secundum magis et minus, sed [h] per recessum a forma sive habitu respectu cuius dicuntur privationes secundum magis et minus. Propterea non est ponere terminum, et ideo nec summum simpliciter, sicut patet in curvo: dicitur enim curvum per elongationem a recto, curvius per maiorem elongationem, curvissimum per summam [i] elongationem. Sic igitur malum et peius dicuntur per elongationem a bono seu privationem boni secundum magis et minus, et summum malum dicetur per summam elongationem. Si igitur non est possibilis summa elongatio a bono, quia hoc esset summa elongatio ab esse, sicut superius [1] ostensum [k] est, relinquitur quod nullo modo est summum malum. Illa ergo regula ' si simpliciter ad simpliciter ' etc. tenet in illis in quibus est maximum et terminus secundum accessum sive secundum [l] recessum; sed in malo non est terminus [m] recessus, quia malum est infinitum; propterea non erit ponere summum malum.

2. Ad secundum iam patet responsio, quia non est similis comparatio in bono et in malo. Unde non sequitur: si in bono ponitur maximum, quod in malo ponatur; cum enim malum privatio sit, non habet esse subsistens nisi in natura, quae quidem privata est a bono et nata ad bonum. Propterea non potest aliquo modo esse nec etiam intelligi summum malum simpliciter. Distinguendum tamen est quod summum malum potest [n] dici duobus modis: uno modo, quo nihil potest esse peius nec habet aliquid boni, et hoc modo nihil est summum malum; alio modo dicitur summum malum, quo nihil est peius, et hoc modo summum malum est ipsa inordinatio creaturae, qua nil est peius.

3. Ad tertium dicendum quod est causa proxima propria et immediata et est causa prima communis. Causa proxima propria et immediata differens est contrariorum, sed causa principalis et prima est una contrariorum [3]. — Quod patet: contraria sunt unius generis, sicut albedo et nigredo in genere coloris. Una igitur est natura in contrariis, et quae est causa illius est [o] causa contrariorum, sicut quae est causa coloris simpliciter est causa albi et nigri coloris; una igitur erit causa prima [p] albi et nigri coloris, quamvis proxima causa differat. Similiter nota in omni oppositione [q] per se esse aliquid commune ipsis oppositis: vel commune secundum dictionem, sicut est in oppositis secundum affirmationem et negationem, una essentia est communis secundum dictionem; aut commune secundum rem: et hoc vel commune materiale, et hoc modo est commune secundum privationem et habitum; vel commune formale, et hoc absolutum vel respectivum [r]. Commune absolutum est in oppositione contrariorum, quia ibi est una forma generis communis ipsis speciębus; commune formale comparatum est in relativis, quia ibi est communitas habitudinis. Cum ergo in omni oppositione oppositorum inveniatur unum quod est fundamentum ipsius oppositionis, quae erit causa illius unius erit causa ipsis oppositis; una igitur causa erit omnium oppositorum: prima, dico, non proxima.

4. Ad quartum dicendum quod [s] participatione dicitur bonum proprie, quia bonitas una est quae est prima, quae secundum magis et minus communicatur ab omnibus creaturis [t] et illa est bonitas per essentiam; malum vero participatione improprie [u], quia una malitia non est causa malitiae in omnibus, sicut ostendit B. Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [2]: « Bonum est ex una et generali causa, malum autem ex multis et particularibus defectibus [v] ». Quod declarat consequenter [4]: « Non omnibus eadem omnino secundum idem mala: daemoni enim malum est [x] praeter divinum intellectum esse; animae, quod est praeter rationem; corpori, quod est praeter naturam ». Malum ergo [y] participatione non dicitur ex communione alicuius entis, sed ex similitudine defectus et alicuius non-entis; et ideo non sequitur: ' ergo aliquid est malum per essentiam '.

---

[a] PV *non*, quod expunctum S corr. in *et*; V *nascendo* pro *nesciendo*, PVS *nesciuntur* pro *nesciantur*. [b] PVS om. [c] BRLF *secundum*, BR *est* pro *ergo*. [d] L om., in F est add. mg., V *ratio* pro *regula*. [e] VS *vel*. [f] PS *cum*, V om. [g] L om. [h] V om. [i] V *maximam*, quod L corr. [k] L *dictum* [l] PVS om. [m] V add. *sed*. [n] B *debet*. [o] V *et*. [p] F om. [q] R *propositione*. [r] V corr. mg. *respectum*. [s] V add. *in*. [t] LF *creatis*, V om. *est*. [u] B (corr.) *proprie*, V om. *una*. [v] PVS *defectionibus*, B om. [x] PVS om [y] L *enim*.

[1] Cf. supra ad litt. *a*, *b*, *c*.
[2] Cap. 4, § 30 (PG 3, 730, PL 122, 1144).
[3] Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3 (II, 264).
[4] Loc. cit., § 32 (PG 3, 734, PL 122, 1145).

5. Ad quintum dicendum quod corruptivum principium, in quantum agit, activum est ex natura boni quod substantificat malum; in quantum vero corrumpit, defectivum est, et ideo non erit causa efficiens, in quantum huiusmodi, sed deficiens: quare neque principium. Et hoc intendit B. Dionysius [1]. Unde [a] cum dicitur: 'malum agit', hoc dicitur per accidens; sed cum dicitur: 'corrumpit', hoc dicitur per se. Nec tamen ex hoc [b] ponetur principium: agit enim per naturam subsistentis boni, corrumpit autem [c] per defectum et privationem boni. Per hoc quod a bono, agit; per hoc quod de nihilo, corrumpit, ut dicit [d] Augustinus [2]. Exemplum B. [e] Dionysii [3] in morbi actione.

II. Ad auctoritates vero respondendum:

1. Ad primam dicendum quod per arborem significatur voluntas et per bonam bona, per malam mala, per fructum vero opus [4]. Unde sensus est: non potest ex mala voluntate nasci bonum opus, nec ex bona malum, in quantum huiusmodi. Ex libero tamen arbitrio procedit voluntas bona et mala: sed per modum efficientis, in quantum scilicet a Deo est, procedit voluntas bona; per modum vero deficientis, in quantum scilicet [f] vertibile per electionem est et de nihilo, est causa voluntatis malae; et sic, secundum quod declinat in non-causam per aversionem a summa causa, ideo simpliciter non ponetur principium secundum hoc. — Praeterea, esto quod diceretur principium liberum arbitrium mali, non sequeretur quod esset unum, immo tot principia quot essent libera arbitria deficientia [g] in diversis rationalibus [h] creaturis; et hoc vult dicere B. Dionysius [5], quod « malum est ex multis defectibus, non ex una causa ».

2. Ad aliam auctoritatem respondendum quod diabolus non dicitur principium peccati effective seu [i] per efficientiam, sed per suggestionem [6]; et qui facit peccatum non dicitur esse *ex diabolo* secundum rationem efficientiae [k], sed per conformitatem malitiae [7].

3. Ad tertiam [l] auctoritatem qua dicitur *'omnis plantatio'* etc.: dicendum quod plantationem dicit ibi non naturam, sed traditionem seu doctrinam Pharisaeorum contra legem Dei; et hanc dicit [m] eradicandam, id est reprobandam.

4. Ad quartam dicendum, sicut prius, quod Iudaei dicuntur *ex patre diabolo,* non conditione [n], sed malitiae imitatione [8].

5. Ad quintam dicendum quod *'deus huius saeculi'* intelligitur dupliciter: uno modo intelligitur diabolus, secundum quod 'saeculum' dicitur perversi amatores saecularium, quorum dicitur diabolus deus, non causando, sed principando et eos ad mala agendo [o]. Vel *'deus huius saeculi'* dicitur Deus, secundum quod 'saeculum' accipitur pro universitate rerum mundialium: et tunc quod dicitur 'excaecasse mentes infidelium' intelligitur non effective, sed permissive, secundum quod dicitur Rom. 1,28: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum,* id est tradi permisit.

6. Ad sextam patet simili modo responsio. Nam *princeps mundi* dicitur diabolus, non creaturarum mundi, sed amatorum mundi, quorum affectionibus dominatur [9].

7. Ad septimam dicendum quod 'lex carnis' non dicitur nisi defectus rectitudinis debiti ordinis ipsius carnis ad spiritum, contractus ex culpa originali; causa ergo eius non ponetur nisi quae est causa peccati, scilicet deficiens, quae scilicet est [p] prima voluntas inordinata ad Deum; tamen, in quantum est poena afflictiva, potest poni a Deo sive a divina iustitia.

8. Ad octavam dicendum quod *homicida* dicitur *diabolus ab initio,* id est ex quo homo fuit, quem decipiendo interfecit. Vel dicitur *homicida ab initio,* scilicet mundi, id est statim post initium, cum hominem decepit, non ab initio sui esse [10].

9. Ad nonam dicendum quod diabolus dicitur pater mendacii, quia ab ipso et non ab alio mendacium incepit [11], non per modum efficientis causae, sed per modum deficientis a veritate.

10. Ad ultimam dicendum quod cum dicitur: *Vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona,* ostenditur quod creatura duplicem bonitatem habet, scilicet in se et in ordine universi. Unde in conditione creaturarum de qualibet dictum est: *Vidit Deus quod esset bonum,* ad signi-

---

[a] F om. [b] F *hoc ex se* pro *e. h.* [c] LF *enim,* BR om. [d] L add. *beatus,* PVS *unde* pro *ut.* [e] S om. [f] PVS add. *est.* [g] R *deficiendo.* [h] L *rationibus.* [i] PVS *sed.* [k] S *efficientem,* V *rem effective* pro *r. e.* [l] R add. *autem.* [m] S om. [n] P add. *nature.* [o] In P nota mg. Guilelmi de Melitona: *Cum Deus sit nomen nature, non mihi placet quod dyabolus dicatur deus, set princeps malitie, licet in Psalmo: dii gentium demonia etc.* [p] L om., in P est add. interl.

1 Loc. cit., § 23 (PG 3, 723, PL 122, 1142).
2 *Contra advers. Leg. et Proph.,* I, c. 5 (PL 42, 607); *Contra epist. Manich.,* c. 35 (PL 42, 201); *De moribus Ecclesiae,* II, cc. 3-5 (PL 32, 1347 sqq.).
3 Loc. cit., c. 4, § 27 (PG 3, 727, PL 122, 1145).
4 Cf. Matth. 12, 33; Augustin., *Contra Iulian.,* I, c. 8, n. 38 (PL 44, 667).
5 Cf. supra, p. 128b, nota 2.
6 Cf. Beda, *In I Ioan.* 3, 8 (PL 93, 101).
7 *Glossa ordin.,* in h. l. (PL 114, 699), ex Beda, loc. cit.
8 Cf. *Glossa ordin. in Ioan.* 8, 44 (PL 114, 393).
9 Cf. *Glossa interl. in Ioan.* 14, 30, ex Augustino, *In Ioan.,* tr. 79, n. 2 (PL 35, 1838).
10 Cf. *Glossa interl. in Ioan.* 8, 44; *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 393); Beda, in h. l. (PL 92, 753), ex Augustino, *Contra litter. Petiliani,* II, c. 13, n. 30 (PL 43, 267).
11 Cf. *Glossa ordin. in Ioan.* 8, 44 (PL 114, 393), ex Augustino, *In Ioan.,* tr. 42, n. 13 (PL 35, 1704 sq.).

ficandum bonitatem quam habent in proprio genere; sed de universis dictum est: *Erant valde bona,* ad significandum bonitatem quam habent in rerum universitate [a 1]. — Quod vero obicitur '*universa vanitas*', intelligendum quod creaturae, secundum quod referuntur ad principium a quo sunt, bona sunt et in se bona sunt et in [b] universo *valde bona* sunt [2]; secundum vero quod referuntur ad originem de qua sunt, scilicet de nihilo, *vanitas* sunt et vertibiles ad non-esse sunt [c], vel simpliciter vel quodam modo. Per hoc ergo nunquam adstruetur [d] aliud principium.

80

CAPUT IV.

UTRUM UNITAS DIVINA COMPATIATUR SECUM PLURALITATEM IDEARUM.

Ordine consequenti quaeritur utrum unitas divini esse compatiatur secum pluralitatem idearum.

Et ostenditur [e] **quod sic:** *a.* Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [3]: « Sunt namque ideae principales quaedam formae rerum stabiles atque incommutabiles [f], quae ipsae formatae non sunt atque per hoc aeternae ac semper [g] eodem modo se habentes, quae divina intelligentia continentur; et cum ipsae nec oriantur nec intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest ». Si ergo ideae sunt principales et aeternae formae in divino esse — et per hoc quod dico 'ideae' in plurali designo pluralitatem — constat quod sunt plures ideae ab aeterno in divino esse. Sic ergo unitas divini esse secum compatitur pluralitatem idearum.

b. Si dicatur quod licet dicantur pluraliter, non tamen sunt plures – contra: Augustinus, in eodem: « Non est absurdum credere singula creata propriis rationibus; unde est alia ratio, qua homo conditus est et equus »; et rationes illae sunt ideae; ergo plures sunt ideae [h] et sunt cum divino esse ab aeterno. Unde idem Augustinus: « Has autem rationes ubi arbitrandum est esse nisi in mente Creatoris »?

Contra: 1. Ideae sunt rationes aeternae incommutabiles [i 4]; ergo si sunt plures ideae, sunt plura ab aeterno, et ita plures dii; quod falsum est. Restat igitur quod unitas divini esse non compatitur secum pluralitatem idearum.

2. Item, unica est causa materialis prima [k] ad quam reducuntur omnes aliae materiae [5], similiter tantum est una causa efficiens et una causa finalis; ergo similiter tantum una est causa formalis ad quam reducuntur omnes aliae formae; sed idea est causa formalis [l] exemplaris omnium ad quam reducuntur omnes aliae formae; ergo unica tantum est idea; ergo in divino esse non est pluralitas idearum.

3. Item, si plures sunt ideae in Deo, ista pluralitas est a parte rei vel a parte intellectus tantum. Si a parte rei: sed plures ideae sunt in Deo ab aeterno; ergo plures res essent in Deo ab aeterno [m]; ergo plura ab aeterno. Si ex parte intellectus: ergo, circumscripto intellectu, non sunt plures ideae.

4. Item, omnis numerus aut est a subiecto aut a tempore aut a fine [n]. Sed in divino esse non est pluralitas idearum a subiecto, quia non est nisi una substantia ibi [o] omnino simplex, scilicet divina; similiter nec a tempore, quia sic [p] temporale esset causa aeterni, quod est inconveniens; similiter nec a fine, hoc est a creatura ad quam est idea, quia sic sequeretur quod esset dependentia divini esse ab ipsa creatura: quod est inconveniens. Si ergo pluribus modis non possunt poni plures ideae in Deo, relinquitur quod non compatitur secum unitas divini esse pluralitatem idearum.

Solutio: Dicendum, secundum B. Dionysium, in libro *De divinis nominibus,* in cap. *De ente* [6], ubi dicit quod « monade omnis numerus subsistit; in quantum autem a monade provenit, discernitur et multiplicatur: ita in centro omnes lineae circuli secundum unitatem primam constitutae sunt; breviter tamen [q] distantes breviter discernuntur et quae magis, magis [r]. Sic in tota natura omnium », id est Deo, « omnes rationes naturae singulorum sunt convolutae per unam inconfusam unitatem ». Sicut ergo [si] quaereretur de puncto et unitate [s] utrum unum vel multa, diceretur unum in re, multiplex in ratione, ita dicendum est de ideis quod una tantum est in re,

---

[a] R *universalitate.* [b] P om., V om. *valde.* [c] B om. [d] SB *construetur.* [e] V *obicitur,* BRLF *Ad quod* pro *et,* B om. *quod.* [f] BR *immutabiles.* [g] F *atque* pro *a. s.* [h] PV om. *e. p. s. i.,* quod in S est add. marg. [i] V *commutabiles.* [k] R om. [l] R om. *ad quam... formalis.* [m] F om. *a. a.,* SB om. *res.* [n] PVS add. *aliquo.* [o] F *subiecti.* [p] PVS om. [q] BRLF *autem.* [r] V om. *e. q. m. m.* [s] V add. interl. *scilicet.*

1 Cf. Augustin., *De Gen. c. Manich.,* I, c. 21 (PL 34, 188).
2 Cf. *Glossa ordin. in Eccle.* 1, 2 (PL 113, 1117).
3 Quaest. 46, n. 2 (PL 40, 30); ibid. duo sequentes loci.
4 Cf. ad litt. *a.*
5 Cf. Averroes, *Epitome,* tr. 3 (VIII, 180d).
6 Cap. 5, § 6 (PG 3, 819, PL 122, 1149).

multiplex in ratione. Nam ex verbis B. Dionysii patet quod una tantum est divina unitas, in qua convolutae sunt omnes unitates creatae per exemplaritatem. Dicendum ergo quod idea in Deo idem est quod divina essentia, tamen alio modo significat eam. Nam essentia divina significatur absolute: et sic [a] significatur per hoc nomen 'essentia'; item significatur ut causa: et hoc vel efficiens vel finalis vel formalis [b] exemplaris [1]. Idea ergo significat divinam essentiam, prout est causa formalis exemplaris, quia ipsa est omnium rerum exemplar. Et sic per ideam significantur duo, scilicet divina essentia, quod est principale significatum: et quantum ad hoc idea non dicit nisi unum; item, per ideam significatur connotatum et illud connotatum est respectus plurium rerum, quae sunt secundum divinum exemplar: et quantum ad hoc sunt ideae plures, quia plures et diversae sunt rationes secundum quas conditae sunt.

Sed obicitur: quoniam sicut idea dicit [c] exemplar ita et vita, Ioan. 1,3: *Quod factum est, in ipso vita erat* [2]; sed non dicuntur plures vitae aliquo modo in ipso; ergo nec plures ideae, vel quare non dicitur nisi una vita et plures ideae? — Ad istud dicendum quod [d] aliud connotatur per unum quam per alterum. In hoc enim conveniunt secundum divinum exemplar vita, idea et ratio, quod secundum illud formatur et existit creatura, sed tamen differenter. Nam in esse quod formatur, primo accipitur esse, et post esse distinctum, et post esse ordinatum: et hoc modo distinguuntur opera primae conditionis, Gen. 1. Potest ergo divinum exemplar significari connotando respectum ad esse tantum: et sic vita dicit divinum exemplar, quia vivere dicit esse; vel respectum ad esse distinctum: et sic [e] significatur per ideam; vel respectum ad esse ordinatum: et sic significatur per hoc quod est ratio. Quia [f] ergo vita dicit divinum exemplar, prout respicit ens vel esse — dicendo autem ens vel esse non dico aliquid unde accipiatur numerus in creatura, immo omnes conveniunt in ente — propterea non est aliquid [g] connotatum per vitam unde possim [h] ipsam plurificare; et quia a parte connotati venit pluralitas in istis et non a parte principalis significati, quod semper unum est, propter hoc non possunt aliquo modo dici plures vitae, immo [i] omnia sunt una vita in Creatore [k], nec est pluralitas per respectum ad res. Sed in connotando per ideam dico aliquid unde possim plurificare, quia [l] connotatur ibi distinctio rei a re: et secundum hoc est pluralitas ideae. Similiter ratio connotat respectum ad esse ordinatum in creatura; sed esse ordinatum dicit distinctionem in creatura, quia [m] ad aliud ordinatur esse corporale et spirituale et huiusmodi: et ideo quantum ad hoc est [n] pluralitas rationum.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam rationem qua obicitur quia 'sic [o] plura essent ab aeterno, si plures essent ideae': dicendum [p] quod per ideam dicitur aliquid ut [q] principale significatum in rectitudine: et hoc [r] est divina essentia vel exemplar; item per ideam dicitur aliquid connotatum in obliquitate: et hic est [s] respectus ad creaturas. Nihil aliud ergo [t] est dicere ideas plures quam exemplar plurium. Ex parte ergo principalis significati non ponitur pluralitas, sed ex parte connotati. Et propter hoc non sequitur quod plura ab aeterno, immo ex hoc sequitur quod unum sit exemplar omnium ab aeterno.

2. Ad secundum dicendum quod idea una est in quantum est forma exemplaris sive exemplar, quia hoc modo dicit exemplaritatem rerum secundum quod sunt sicut [u] vita, sicut dictum est [3], quia res in esse non differunt; tamen in quantum idea plures est — et loquor [v] secundum connotatum — quia plures sunt rerum distinctiones; in quantum enim idea dicit exemplaritatem esse distincti et plures rationes, quia plures ordines. Et sic [x] concedendum est quod non est nisi unum exemplar vel forma exemplaris, sicut nonnisi [y] unum efficiens.

3. Ad tertium dicendum quod ista pluralitas est a parte [z] rei; sed res dicitur dupliciter, scilicet absolute et respective, ut etiam dicatur res ipsa rei comparatio. Dicendum ergo quod a pluralitate comparationis est pluralitas idearum.

4. Ad quartum dicendum quod huiusmodi numerus est a fine. Sed ex hoc non sequitur quod in Deo sit dependentia vel respectus ad creaturam, immo sequitur quod creatura habet respectum vel dependentiam ad ipsum. Unde cum dico quod 'idea significat divinam essentiam ut formam exemplarem huius et illius', per hoc connotatur respectus et dependentia creaturae ad di-

---

[a] F *ut* pro *e. s.* [b] L add. *vel.* [c] Ita V, R *est*, alii om. [d] LF *quoniam.* [e] L exp. [f] L *quare.* [g] B *aliud.* [h] L corr. interl. *possunt.* [i] LF *ideo*, V om. *vitae*, B *propterea* pro *propter hoc.* [k] Ita VR, alii *creatione*, BRLF *aspectum* pro *respectum.* [l] BR *unde.* [m] L *qua*, S om *ad.* [n] Ita F interl., alii om. [o] L *sicut.* [p] R *eo.* [q] R om. [r] F om. [s] B om. [t] BR om. [u] PVS om. [v] V *loquitur.* [z] F om. [y] BR *non est nisi.* [z] Ita PV, S (corr. post.) BRLF *pluralitate.*

1 Cf. supra, p. 72sqq.

2 Sic legit, inter alios, Augustin., *In Ioan.*, tr. 1, n. 16 (PL 35, 1387); *De Trinit.*, IV, n. 3 (PL 42, 888); *De Gen. ad litt.*, V, c. 14, n. 32 (PL 34, 332); S. Bonav., I *Sent.*, d. 36, a. 2, q. 1, *ad 4* (I, 624). Cf. Sixt. Senens., *Bibl. sanct.*, II, annotat. 173 (ed. Venet. 1574, p. 334); Calmet, *Comment. litt. in Evang. Ioan.*, VII, c. 1, (ed. Venet. 1756, p. 518sq.).

3 Cf. p. 131a.

vinum exemplar et non e converso. Licet tamen secundum modum intelligendi vel significandi significetur respectus Creatoris ad creaturam: hoc enim non est quia Creator dependet a creatura nec quia [a] habet respectum ad ipsam, immo ex defectu intellectus, quia aliter non cognoscimus Deum nisi per creaturas. Et propter hoc significamus ipsum connotare respectus ad ipsas; per hoc tamen significatur magis dependentia creaturarum ab ipso, quia creaturae sunt ab ipso, ad ipsum, per ipsum [1]. Unde Augustinus, in libro *De Trinitate* [2]: « Non ponitur aliqua [b] mutatio in Deo per hoc quod ponitur respectus ipsius ad creaturam, sed ponitur in creatura respectu [c] ipsius ».

81

CAPUT V.

UTRUM UNITAS DIVINA COMPATIATUR SECUM PLURALITATEM PERSONARUM.

Consequenter quaeritur utrum unitas divini esse compatiatur secum pluralitatem personarum [3].

Ad quod sic obicitur: *a.* Supposita propositione per se nota, scilicet quod divinum esse est exemplar omnis esse creati [4]; item, supposita alia propositione per se nota, quod unitas non potest esse causa multitudinis, nisi intelligatur repetita [5]; item, supposita alia, scilicet quod divinum esse est unum in natura [6], ex iis arguitur: in esse creato est differentia unius et multorum; ergo divinum esse est exemplar unius et multorum, quod patet per primam propositionem; sed divinum esse est unitas, quod patet per tertiam propositionem; ergo divinum esse est unitas exemplaris unius et multorum; sed unitas non est exemplar multitudinis, nisi intelligatur repetita, sicut patet per secundam propositionem; relinquitur ergo quod divinum esse est unitas repetita; sed non est repetita in aliquibus pluribus naturis; relinquitur ergo quod est repetita in aliquibus pluribus personis.

b. Item, hoc patet per connexionem perfectionis universi. Est esse naturas plurium personarum, sicut patet, demonstrato homine uno et angelo uno; et est [d] esse plures naturas unius personae, sicut patet in uno homine. Si [e] ergo duo sunt extrema in rerum natura [f], et etiam unum medium est accipere quod similiter necessario intelligitur inter extrema, scilicet unam naturam plurium personarum; sed non invenitur in esse creato; relinquitur ergo quod est in esse divino.

Contra: 1. Richardus de S. Victore [7]: « Ubi nulla differentia, nulla pluralitas esse potest »; ubi autem est summe simplex, nulla potest esse differentia; ergo nulla pluralitas; sed divinum esse est summe simplex; ergo nulla differentia, nulla pluralitas est in illo; non ergo pluralitas personarum est in illo [g].

2. Item, Boethius, in libro *De Trinitate* [8]: « Deus nullas habet differentias; ubi autem differentiae absunt, abest et pluralitas ». Ergo ibi non est pluralitas personarum.

Solutio: Dicendum [h] secundum primas rationes, quod divinum esse est unitas existens in pluralitate personali.

1-2. **Ad rationes in contrarium** dicendum quod triplex est differentia: differentia [i] secundum substantiam, differentia secundum accidens et differentia secundum originem sive secundum relationem. Cum ergo dicit Boethius quod [k] in Deo nulla est differentia, intendit excludere a Deo differentiam secundum substantiam et differentiam secundum accidens, sed non differentiam secundum originem, immo ponit eam in unitate divini esse: et hoc facit differentiam personalem in divino esse. Immo dicit Boethius, in libro *De Trinitate* [9]: Quia « nulla relatio ad se ipsam referri potest, facta est quidem Trinitatis numerositas in eo quod est praedicatio relationis, servata vero unitas in eo quod est indifferentia substantiae et operationis ». Ex quo concludit [10]: « Ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem », quae provenit ex differentia originis. Similiter Richardus, in libro *De Trinitate* [11]: « Tres illae in Trinitate, sive dicantur personae sive subsistentiae sive substantiae, nihil aliud oportet intelligere quam habentes substantiale esse sub discreta et differenti proprietate »: et haec est differentia in persona, ad quam con-

---

[a] P *qui*. [b] Ita V, alii *alia*. [c] L *respectus*, quod V corr. [d] V om. [e] B (corr.) L *sicut*, F *sic*. [f] BL om., L om. *unum*. [g] BRLF om. *e. t. i.*, PV om. *personarum*, quod in S est add. marg. [h] Ita LF, alii add. *quod*. [i] LF om. [k] F om.

1 Cf. Rom. 11, 36.
2 Lib. V, c. 16 (PL 42, 922sq.), sec. sensum.
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 2, a. un., q. 2 et *Quaest. disput. de Trinit.*, q. 2, a. 2 (I, 53sqq. et V, 63sqq.).
4 Cf. supra, p. 130, num. **80.**
5 Cf. supra, p. 120, num. **76.**
6 Cf. supra, p. 124, num. **77.**
7 *De Trinit.*, II, c. 19 (PL 196, 911).
8 Cap. 5 (PL 64, 1254).
9 Cap. 6 (PL 64, 1254).
10 Loc. cit. (PL 64, 1255).
11 Lib. IV, c. 20 (PL 196, 943).

sequitur pluralitas non in essentia, sed in persona. Sic ergo in Deo non est differentia secundum substantiam nec secundum accidens, quia ibi non est accidens, sed solum originis: quia [a] est ibi habens naturam non ab alio, et [b] habens naturam ab alio per generationem, et habens ab alio per processionem. Et sic [c] illa proprietas differens, de qua loquitur Richardus, non est accidentalis [d] neque substantialis, sed est proprietas originis sive habitudinis, quae simplicitati divinae substantiae [e] non derogat. Et sic patet veritas quaestionis.

MEMBRUM III.

De comparatione aliarum unitatum ad divinam.

Consequenter [f] est quaerere de comparatione divinae unitatis.

Et primo, de comparatione unitatis essentiae et personae;

et iterum de comparatione unitatis personae [g] Christi; sed illud ad quaestionem de incarnatione eius reservamus [1];

secundo, de comparatione unitatis divinae ad unitatem intelligibilem;

tertio, de comparatione unitatis divinae ad unitatem realem quantum ad repraesentationem;

quarto, de comparatione quantum ad causalitatem.

CAPUT I. 82

DE COMPARATIONE UNITATIS ESSENTIAE ET PERSONAE.

Quantum ad primum sic obicitur: I. *a.* Eadem est veritas [h] ipsius essentiae et personae et unius personae et alterius; ergo eadem [i] unitas essentiae et personae: nam unitas antecedit veritatem; ergo identitas veritatis supponit et praeintelligit ante se identitatem unitatis.

b. Item, si haec unitas non est illa, in divino esse est hoc et hoc; ergo compositio et non simplicitas.

Contra: 1. Unitas essentiae non multiplicat Trinitatem; secundum autem unitatem personae accipitur Trinitas. Unde Boethius, in libro *De Trinitate* [2]: « Substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem ». Ergo haec unitas non est illa.

II. Similiter quaeritur de unitate notionum et [k] personarum an sit eadem.

Ad quod sic: *a.* Sicut se habet res ad esse, ita se habet ad unitatem; sed idem est esse vel essentia Patris et innascibilitas [l], quae est eius notio; ergo eadem est unitas. — Minor patet: quoniam cum in simplici non differat 'quo est' et 'quod est', bene sequitur quod si Pater est innascibilis, quod sit ipsa innascibilitas, sicut summum bonum est summa bonitas; et sic eadem est unitas notionis et personae.

Contra: 1. Unitas innascibilitatis distinguitur ab unitate paternitatis sive generationis, quia haec notio non est illa; sed unitas personae Patris non distinguitur a paternitate; ergo non est eadem unitas innascibilitatis et personae Patris; non est ergo eadem unitas notionis et personae.

Respondeo: I. Fatendum est divinum esse esse [m] in summa simplicitate et in ordine naturae, sicut dicit B. Augustinus [3]: Cum dicitur Filius a Patre, non ostenditur « inaequalitas substantiae, sed ordo naturae ». Summa ergo simplicitas cogit eamdem esse unitatem essentiae et personae secundum rem. Ordo vero naturae, secundum quem numerantur personae divinae, cogit unitatem essentiae et personae differre ratione tali, scilicet ut proprium sit unitatis essentiae non distingui, unitati vero personae conveniat distingui [n] et esse in distinctione. Non distinguitur ergo re persona ab essentia, quamvis distinguatur persona a persona ordine naturae sive relatione. Quod amplius declarabitur infra [4], cum agetur de Trinitate, et supra [5] declaratum fuit, cum agebatur de simplicitate.

---

[a] Ita BR, alii *quare*. [b] PV om. *quare est... et*, quod in S est add. marg. [c] B add. *est*. [d] S add. *sed*. [e] BR *essentie*. [f] BRLF *consequens*. [g] V om. *Et iterum... personae*. [h] V *unitas* et om. *essentiae*. [i] V add. *est*. [k] V om. [l] BRLF *innascibilitatis*. [m] BR om., F om. *est*. [n] B om. *u. v. p. c. d.*

1 In libro III huius *Summae*.
2 *De Trinit.*, c. 6 (PL 64, 1254).
3 *Contra Maximin.*, II, c. 14, n. 8 (PL 42, 775).
4 Cf. infra, Inquisitione secunda primae Partis libri I huius *Summae*.
5 Cf. p. 50sq., num. 31.

[Ad obiecta]: 1. Ratio ergo in oppositum ducta non ostendit ibi differentiam esse essentialem sive secundum rem, sed solum secundum rationem. Quod enim essentia non multiplicat Trinitatem sicut persona, hoc non facit quod persona non sit essentia, sed [a] quod alia ratione dicitur persona et essentia: persona enim respicit ordinem naturae in divinis, essentia non. Ille autem ordo naturae, qui est ibi secundum rationem principii et eius quod est de principio, ibi facit distinctionem personalem. Et hoc est quod dicit Boethius[1] quod « substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem ».

II. Ad illud quod quaeritur de identitate personarum et notionum dicendum: sicut dictum est[2] ex parte personarum, quod plures personae sunt una essentia, eodem modo plures notiones sunt una [b] persona in re, licet sit differentia [c] ratione; unde omnes notiones [d], quae sunt ex parte Patris, sunt ipsa persona Patris in re. Licet ergo notio a notione distinguatur, hoc non est propter hoc quod utraque notio non sit ipsa persona, sed propter aliam causam; sicut non distinguitur persona a persona, quia utraque non sit [e] essentia, sed propter aliud. Et propter hoc non procedebat ratio illa.

83 CAPUT II.

DE COMPARATIONE UNITATIS DIVINAE AD UNITATEM INTELLIGIBILEM.

Deinde quaeritur de comparatione unitatis divinae ad unitatem intelligibilem. Quaeritur ergo an sit maior unitas quae possit intelligi.

Ad quod sic: *a.* Bernardus, *Ad Eugenium*[3]: « Inter omnia quae recte dicuntur unum, arcem tenet unitas Trinitatis »; sed haec est illa [f] quam ponimus in Deo et quam divinam appellamus; ergo summa est inter omnes unitas divina.

b. Item, in omnibus, in [g] quibus communicat creatura cum Creatore, Creator excedit creaturam in infinitum; unde creatura bona, Creator autem bonus summe et [h] infinitum bonum et sic de aliis; ergo unitas Creatoris summa est et infinita respectu aliarum unitatum.

Contra: 1. Maior est unitas quae est sine omni pluralitate quam unitas quae est cum pluralitate aliqua. Cum igitur in Deo sit unitas cum pluralitate [i] aliqua, scilicet personarum et notionum: ergo in Deo non est summa unitas quae possit esse vel intelligi; aut si est summa inter omnes, videtur quod in Deo non deberet [k] esse pluralitas personarum. — Et iterum ex hoc videtur quod, cum in anima vel in [l] angelo sit unitas essentiae sine pluralitate personarum, quod maior sit aut etiam [m] aequalis.

Solutio: Dicimus quod inter omnes unitates, quae possunt esse vel intelligi, unitas divina maior est et summa quae esse vel intelligi possit; nec est dicendum quod ei repugnat pluralitas personarum et notionum[4].

[Ad obiecta]: 1. Et quod [n] dicitur quod 'maior est unitas sine pluralitate' [o] etc.: dicendum quod hoc [p] verum est referendo ad creaturas; sed in divinis non est hoc [q] verum, immo ibi non contradicit pluralitas personarum summae unitati.

Et ad hoc prima ratio est. Nam nos videmus quod unitatem summae potentiae plus declarat multitudo creaturarum et effectuum quam unitas effectus; multitudo enim creaturarum declarat unitatem summae potentiae et eius infinitatem vel [r] summitatem: unde quanto plures sunt effectus et quanto plures possunt esse, tanto plus est de potentia. Unde per hoc manifestatur divina potentia esse summa. Sic dicimus quod pluralitas personarum plus declarat et manifestat unitatem essentiae divinae [s] quam unitas personae sive notionis. Unde secundum Augustinum[5]: « Sicut verbum declarat illud quod habemus [t] in animo », sic et ista pluralitas personarum virtutem et unitatem essentiae manifestat.

Item, alia est ratio. Nam cum eadem sit essentia et omnino simplex [u] in istis personis, non multiplicata secundum multiplicationem earum, patet quod in ipsa est magna et summa perfectio unitatis. Unde in hoc deficit unitas essentiae universalis ab unitate essentiae primae, quia licet utraque sit in pluribus, tamen essentia universalis ita est in pluribus quod multiplicatur et numeratur per illa; essentia autem divina non multiplicatur per illa, immo eadem est [v] non multiplicata in personis[6]. Unde cum dicitur: 'Deus

---

[a] V add. *secundum*. [b] LF om. [c] V add. *in*. [d] L *rationes*. [e] V om. [f] B om. [g] BRLF om. [h] PVSLF add. *in*. [i] BR *pluralitas* et om. *unitas cum*. [k] PVS *debet*. [l] L om. [m] R add. *est*. [n] L *quia*. [o] PVS *sive pluralitas* pro *s. p.* [p] B om. [q] P om. [r] PVS *et*. [s] V om. [t] PVS *habes*. [u] PV *simpliciter*. [v] R om.

1 Loc. cit.
2 Cf. supra, p. 132, num. 81.
3 *De considerat.*, V, c. 8, n. 19 (PL 182, 799).
4 Cf. supra, p. 132, num. 81 et p. 133, num. 82, II.
5 *De fide et symb.*, c. 3 (PL 40, 183).
6 Cf. supra, p. 120, num. 76 et p. 132, num. 81.

generat Deum' sive 'Pater generat, Filius generatur, Spiritus Sanctus procedit ab utroque', totum refertur ad unitatem essentiae, sicut dicit Anselmus[1].

Item, tertia ratio est: quia quidquid est in divinis ad eius unitatem refertur; unde 'Patrem generare' nihil aliud est quam 'Patrem esse Patrem'; 'Patrem autem esse Patrem' nihil aliud est quam 'Patrem esse'; 'Patrem esse' nihil aliud est quam divina essentia. Unde omnia ista et omnes rationes personales ad unitatem essentiae reducuntur, quae in ipsis non multiplicatur: et sic fecunditas generationis, sicut loquitur B. Dionysius[2], facit declarationem unitatis essentiae.

CAPUT III.

DE COMPARATIONE UNITATIS DIVINAE QUANTUM AD REPRAESENTATIONEM.

Tertio quaeritur de comparatione divinae unitatis ad unitatem realem quantum ad repraesentationem.

Quaeritur ergo:

1. An magis repraesentetur in unitate componentium quam [a] compositi;

2. deinde, an magis in unitate particularis quam universalis.

ARTICULUS I. 84

An unitas divina magis repraesentetur in unitate componentium quam compositi.

Quantum ad primum sic arguitur: *a.* Unitas compositi deficit ab unitate componentium, quia duae unitates componentium uniuntur, ex quibus surgit unitas compositi; ergo posterior est quam unitas componentium; magis ergo elongatur ab unitate prima, et ita magis repraesentatur unitas in [b] unitate componentium quam compositi.

b. Item, unitas prima simplex est; ergo unitas magis simplex in creaturis plus assimilatur unitati primae quam unitas minus [c] simplex; sed simplicior est unitas in componentibus quam in [d] composito, quoniam unitas componentium non resolvitur in aliam unitatem, unitas autem compositi in aliam resolvitur unitatem; ergo unitas componentium plus [e] assimilatur unitati divinae.

Contra: 1. Unitas in componentibus [f] est unitas secundum quid: unde Augustinus, in libro *De natura summi boni*[3], dicit quod materia non habet unitatem nisi secundum quid, sicut nec esse nisi secundum quid; sed unitas simpliciter [g] magis assimilatur primae ac summae unitati, quae verissime ac simpliciter est unitas, quam unitas secundum quid; ergo unitas compositi magis assimilatur unitati primae quam unitas componentium; ergo unitas divina magis in ea repraesentatur.

Solutio: Dicendum quod unitas prima, secundum quod huiusmodi, duo habet: unum est quod ipsa est simplex; item, ipsa est simpliciter [h] unitas et perfecta unitas. Quantum ergo ad hoc quod ipsa est simplex unitas, ex hoc plus habent convenientiam cum ipsa componentia quam ipsum compositum, quia simpliciora sunt; et quantum ad hoc magis participant rationem unitatis primae. Quantum autem ad hoc quod dicitur ipsa unitas prima [i] unitas simpliciter et perfecta, cui [k] nihil deest, dicimus quod compositum plus habet de convenientia cum ipsa [l] quam componentia: unitas enim compositi est unitas simpliciter [m] et perfecta; unitas autem formae non est perfecta sine unitate materiae nec e converso. Sic ergo uno modo plus repraesentatur unitas divina in unitate componentium, alio modo in unitate compositi.

ARTICULUS II. 85

An unitas divina magis repraesentetur in unitate universalis quam particularis.

Deinde quaeritur an magis repraesentetur unitas divina in unitate universalis aut particularis.

Ad quod sic: *a.* Omne quod est 'unum numero' est 'unum specie et genere' et non e converso, se-

---

[a] R add. *in unitate.* [b] L om. [c] SL *unius.* [d] R om. [e] F *ipsius.* [f] V *componentium* pro *i. e.* [g] F *simplex.* [h] VSF *simplex.* [i] F om., PVSF om. *unitas,* PVS *simplex* pro *simpliciter.* [k] F *cum.* [l] B *ipso.* [m] PVS *simplex.*

1 *De fide Trinit.*, c. 9 et *De process. Spir. S.*, c. 29 (PL 158, 284, 324).

2 *De divin. nomin.*, c. 13, § 3 (PG 3, 982, PL 122, 1170).

3 Cf. cap. 18 (PL 42, 556); *Contra adv. Leg. et Proph.*, I, c. 8 (PL 42, 609); *Confess.*, XII, cc. 6-8 (PL 32, 828).

cundum quod huiusmodi. Unde unitas generis non ponit unitatem speciei, nec unitas numeri ponitur, posita unitate speciei, immo e converso [a] unitas numeralis illas ponit; ergo unitas numeralis abundat respectu illarum unitatum; ergo plus habet de natura unitatis quam illae unitates; ergo particulare, quod est unum unitate numerali, magis est unum quam universale, quod est unum reliquis unitatibus; ergo magis in ipso repraesentatur unitas divina.

b. Item, quidquid [b] est unum genere vel specie communicabile est a [c] multis; sed communicari a multitudine hoc recedit a perfectione unitatis, et maxime sicut universale communicatur a multis et [d] numeratur per illa multa: hoc igitur facit elongari a perfectione unitatis; sed universale est unum genere vel specie; ergo magis elongatur a perfectione unitatis quam particulare; et ita particulare magis est unum quam universale.

Contra: 1. Unitas universalis est simplicior, quia unitas particularis addit ad illam. — Item, est indissolubilior, quia unitas universalis est unitas secundum incorruptionem: quia universale perpetuum est [e] et incorruptibile, unitas autem in [f] numero in [g] aliquibus accedit ad corruptionem; ergo unitas in numero plus elongatur ab unitate prima, quae nullo modo vergit ad corruptionem, quam unitas universalis; ergo magis repraesentatur unitas divina in unitate universalis quam particularis.

Solutio: Dicendum quod unitas primi tria habet. Primum enim est 'unum', ita quod essenti primi non est essentia istius vel illius, sed es haec essentia distincta ab aliis rerum essentiis unde unitas prima ita se habet quod est hae unitas distincta ab hac unitate et ab illa et [h] hu iusmodi. Nihilominus tamen ipsa prima unita est in hac unitate et in illa et in alia, secundun quod nos ponimus quod prima essentia est es sentialiter in unoquoque, non tamen essentialite ita quod per praedicationem, sed causaliter [1]. Item divina unitas simplex est. Tres ergo rationes habet unitas prima: scilicet quod est unitas in se distincta per essentiam ab omnibus aliis; item est essentialiter in omnibus aliis tamquam conservans et continens; item, est simplicissima. E hoc totum est dictum [i] quod unitas prima tres habet conditiones secundum rationem intelligentiae. Ipsa enim est virtualis unitas secundum quod dicimus quod est in hac unitate et in [k] illa; et quantum ad hoc magis assimilatur ei unitas universalis. Item [l], ipsa est unitas simplex: et hac iterum ratione plus ei assimilatur unitas universalis. Item, prima unitas est completa unitas, secundum quod nos [m] dicimus quod ipsa est [n] unitas quaedam in se fixa et distincta ab aliis: et quantum ad hoc plus ei assimilatur unitas particularis; et hoc modo plus est unum particulare quam universale, quia unitas universalis deficit a perfectione unitatis particularis.

86

CAPUT IV.

DE COMPARATIONE UNITATIS DIVINAE QUANTUM AD CAUSALITATEM.

Quarto quaeritur de comparatione unitatis divinae quantum ad causalitatem. Et hoc est quaerere an omne unum sit unum ab unitate prima.

Ad quod sic: I. *a.* Augustinus, in libro *De vera religione* [2]: « A primo principio unum est quidquid est »; sed primum principium est prima unitas; ergo a prima unitate est omnis unitas.

b. Item, Dionysius [3]: « Nihil entium est expers 'unius', sed omnia et omnium omnis particula unitate participant et ab unitate derivantur summa ». Nam si dicuntur participare, hoc est respectu unitatis summae; omnis igitur unitas est ab unitate prima.

Contra: 1. I Cor. 6,16: *Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur* cum ea. Constat quod hic notatur quaedam unitas; sed haec unitas non est a Deo, quoniam haec est unitas peccati; ergo non omnis unitas a prima unitate.

2. Item, I Cor. 3,8: *Qui plantat et qui rigat unum sunt;* sed haec unitas non est a Deo; ergo non omnis unitas est a Deo. — Quod non sit a Deo patet: quoniam, sicut dicit Glossa [4] ibi: « Unum sunt ratione ministerii »; sed unitas ministerii [o] non habet similitudinem [p] cum prima unitate in quantum sic, immo unitas dominationis: ergo haec unitas non est per similitudinem primae unitatis; ergo non est ab ipsa.

---

[a] F *contrario*, V add. *immo*. [b] V *quod*. [c] V *in*. [d] BRLF *quia*. [e] Ita L, alii om. [f] BRLF om. [g] L om. [h] V add. *ab*. [i] L *dicere*. [k] BRLF om. [l] BRLF add. *in*. [m] BR om. [n] PVS om. [o] P *mysterii*. [p] V *multitudinem*, item infra.

1 Cf. supra, p. 71, num. 46.
2 Cap. 36 (PL 34, 151).
3 *De divin. nomin.*, c. 13, § 2 (PG 3, 978, PL 122, 1169).
4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1555).

II. Iuxta hoc quaeritur, propter verbum Dionysii, utrum omne quod est sit unum.

a. Nam dicit Dionysius[1]: « Nihil est quod non participet uno ».

Contra: 1. Multitudo non participat uno, quia multitudo ex opposito dividitur contra unitatem; et tamen multitudo est ens; non ergo omne ens participat uno[2].

Solutio: I. Ad primum dicendum quod [a] omnis unitas naturalis, ratione qua est [b] unitas, est ab unitate prima.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum dicendum secundum Glossam[3], quae dicit quod « fornicatio ambos unum corpus facit, ut quomodo in natura sic etiam in macula unum sunt ». Sed nota quod in fornicatione sunt duo: scilicet ipsa actio, quae est copula carnalis; est item ibi deformitas[4]. Ratione ergo actionis est ibi copula carnalis, et sic est ibi dicere unitatem naturalem sive in natura: et hoc modo illa unitas est ab unitate prima. Ratione autem deformitatis est ibi quaedam unitas divisionis a Deo, quia in hoc quod copulantur in hac deformitate, dividuntur a Deo et conveniunt in divisione, et hanc appellat Glossa unitatem « in macula »: et haec non est a Deo sive ab unitate prima, sicut [c] nec deformitas est a Deo.

2. Ad secundum dicendum quod cum dicitur: *Qui plantat et* [d] *qui rigat unum sunt,* haec est unitas ministerii. Ratione ergo eius quod est unitas, habet similitudinem cum prima unitate et est ab illa, ratione vero ministerii habet dissimilitudinem [e]: et ita, in quantum est unitas, a Deo est.

Sed contra hoc obicitur: 1. Augustinus, in libro *De vera religione*[5]: « A primo principio unum est quidquid aliquo modo unum est ». Ergo, cum [f] « unum in macula » sit unum aliquo modo, ergo a primo principio est.

2. Item, obicitur contra hoc quod dicit Glossa[6], quod cum dicitur: *Qui plantat et qui rigat, unum sunt,* ibi est unitas « ratione ministerii », quia videtur ibi esse unitas substantiae. Nam, I Cor. 6, 17, super illud: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est* etc. Glossa Hieronymi[7]: « Diligenter attende quod quando de duabus rebus vel pluribus dicitur 'unus est' vel 'una est' et additur quid unus vel una, et de iis quae sunt diversae et de iis quae sunt unius substantiae dici potest: diversae enim substantiae sunt spiritus Dei et spiritus hominis, et tamen dicitur: *Qui adhaeret Deo* [g] *unus spiritus est;* ubi autem dicitur de duobus aut pluribus 'unum sunt', nec additur quid [h] unum: non diversae, sed unius substantiae esse intelliguntur »; ubi notatur unitas aliquorum et additur quid unum, possunt illa esse diversae substantiae, sed cum nihil additur, intelliguntur esse unius substantiae; sed cum dicitur: *Qui plantat et qui rigat unum sunt,* hic dicitur 'unum' sine additione; ergo unius sunt substantiae *qui plantat et qui rigat.* Quid [i] ergo dicit Glossa[8] quod sunt unum « ministerii ratione »?

Respondeo: 1. Sicut iniustitia non dicitur carentia iustitiae, nisi ubi est possibilitas et debitum iustitiae, ideo si diceretur [k] demonstratis duobus iniustis: 'unum sunt in iniustitia', non solum significaretur carentia iustitiae, quae dicit convenientiam in non-ente, sed significaretur convenientia in potentia sive in debito habendi iustitiam, quae est convenientia in ente sive in aliquo. Ex ista ergo parte, qua [l] invenitur unum debitum sive possibilitas ad iustitiam, est unum editum [m] a primo principio sive a prima unitate [n]; ex alia vero parte, qua significatur carentia iustitiae, non erit per effectum a principio primo, sed per [o] defectum ab unitate illius. Simili modo intelligendum, cum dicitur « unum in macula »: macula enim dicit carentiam spiritualis pulcritudinis cum debito habendi illam. In quantum ergo [p] designatur convenientia in [q] debito pulcritudinis, cum dicuntur « unum in macula », erit unitas haec a prima unitate, sicut ipsum debitum; in quantum vero designatur convenientia in carentia pulcritudinis, non erit causa effectiva illius, sed causa defectiva in recessu ab unitate prima, ut liberum arbitrium inordinatum.

2. Ad aliud dicendum quod verum est quod *qui plantat et qui rigat* possunt esse unius substantiae individuae; tamen Glossa intelligit ibi dicere [r] quod sunt unius substantiae specificae et non individuae; unde dicit: « Sicut [s] unum sunt genere, ita et ministerii ratione ».

---

[a] L om. [b] PVS om. [c] PV *sic.* [d] V *nec.* [e] P *non similitudinem,* V *similitudinem.* [f] P *est.* [g] BRLF *Domino.* [h] V (corr.) *quia.* PVS *quod.* [k] BRLF add. *unum,* PVS *unde* pro *ideo.* [l] BR *quia.* [m] BR *creatum,* LF *tantum.* [n] PVS *ab unitate principii* pro *a. p. u.* V *illa* pro *alta.* [o] LF om. [p] LF om. [q] L om. [r] B *ibidem* pro *i. d.* [s] Ita F, alii om.

1 Loc. cit. (PG 3, 979, PL 122, 1169).

2 Solutio ad hanc quaestionem desideratur, sed iam satis elucet ex praecedentibus.

3 Lombardi, in I Cor. 6, 16 (PL 191, 1582), ex Ambrosio, in h. l. (PL 17, 214).

4 Cf. Anselm., *De concord. praesc. Dei cum lib. arbitr.,* q. 1, c. 7 (PL 158, 518).

5 Cap. 36 (PL 34, 151).

6 Cf. supra, p. 136, nota 4.

7 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1583), potius ex Augustino, *Contra Maximin.,* II, c. 20, n. 1 (PL 42, 788).

8 Cf. supra, p. 136, nota 4.

QUAESTIO II.

DE VERITATE DIVINAE NATURAE.

Adiuvante gratia Iesu [a] Christi, consequens est quaerere de veritate divina. Ad quam quaestionem inquirenda sunt haec:

1. An sit necesse veritatem esse;
2. an intentio veritatis ab intentionibus unitatis, entitatis, bonitatis differens sit aliquo modo [b];
3. quid sit;
4. in quibus sit;
5. an una vel plures sit;
6. an plures veritates sint ab aeterno;
7. an omnis veritas aeterna sit;
8. an mutabilis vel immutabilis sit [c];
9. an veritas prima sit causa omnium;
10. quae causa veritatis proxima et falsitatis in rebus sit;
11. an veritati primae falsitas sit opposita.

MEMBRUM I.

De existentia et natura veritatis.

87

CAPUT I.

AN NECESSE SIT VERITATEM ESSE.

Ad primum arguitur: *a.* Ex *Soliloquiis* Augustini [1]: « Si manebit mundus iste, verum est mundum semper esse mansurum; si non manebit, verum est non esse mansurum; si interiturus est, cum interierit, verum est mundum interiisse: non enim potest esse verum, nisi veritas sit ». Erit igitur veritas, etiam si mundus intereat.

b. Item, Anselmus, in libro *De veritate* [2] et in *Monologion* [3], probat sic necessario veritatem aeternaliter esse ut non possit cogitari non esse. Primo sic ostensive: « Cogitet qui potest quando incepit aut quando non fuit hoc verum, quia scilicet futurum erat aliquid; aut quando desinet et non erit hoc verum, videlicet quia praeteritum erit [d] aliquid. Quod si neutrum horum cogitari potest et utrumque hoc verum sine veritate esse non potest, impossibile est quod veritas finem aut principium habeat ».

c. Item [e], idem Anselmus, ibidem [4]: « Si veritas habuerit principium aut finem habebit, antequam ipsa [f] inciperet, verum erat tunc quia non erat veritas, et postquam finita erit, verum erit tunc quia non erit veritas; erat [g] igitur veritas antequam esset veritas [h], et erit veritas postquam finita erit veritas; quod inconvenientissimum est. Sive [i] igitur dicatur veritas habere sive [k] intelligatur non habere principium vel finem, nullo claudi potest veritas principio vel fine. » Ex hoc ergo relinquitur quod veritatem necesse est aeternaliter esse et quod non possit cogitari non esse.

Contra: 1. Sicut verum convertitur cum ente [5], quia unumquodque sic [l] se habet ad esse sicut ad veritatem [6]: sic bonum, quia unumquodque [m], in quantum est, bonum est [7]. Cum ergo aliquid possit cogitari esse et bonum non esse, sic aliquid poterit cogitari esse et verum non esse; multo ergo fortius et cogitari non esse et verum non esse. Non igitur ad 'aliquid cogitari esse' sequitur 'cogitari verum esse', nec ad 'aliquid non esse', 'verum non esse'.

---

[a] VBRL om. [b] SBLF om. *a. m.*, V om. *modo*. [c] V om. *a. m. v. i. s.* [d] PV *erat*, S (corr.) BRLF *est*. [e] B add. *ad*. [f] S om. [g] BRLF *erit*. [h] LF om. *a. e. v.* [i] L *si*. [k] B add. *non*. [l] B om. [m] V *unum quod est*.

1 Lib. II, c. 2 (PL 32, 886).
2 Cap. 10 (PL 158, 479).
3 Cap. 18 (PL 158, 168).
4 *Monolog.*, loc. cit.
5 Cf. Pseudo-Beda, *Sent. ex Aristot.* (PL 94, 994).
6 Cf. Aristot., *Metaph.*, lectio brevis, I, c. 1 (II, 486); *Anal. Prior.*, I, c. 35 (I, 81).
7 Cf. Boeth., *De hebdomad.* (PL 64, 1313 sq.); Augustin., *De div. quaest. 83*, q. 24 (PL 40, 17).

2. Item, videtur argumentatio secundum quid et simpliciter sophistica: 'aliquid non esse est verum, ut mundum interiisse et huiusmodi, vel mundum futurum esse est verum, ergo aliquid est verum': nam [a] ex vero secundum quid infertur verum simpliciter.

Respondeo, secundum Augustinum, in libro *De vera religione* [1]: « Nullus intelligit falsa: nam verum esse oportet quod intellectu contemplor ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum dicendum quod rei essentia movet animum duobus modis: uno modo secundum dispositionem veritatis movet intellectum; alio modo secundum dispositionem bonitatis movet affectum. Unde sicut essentia rei per suam bonitatem diligitur, sic essentia rei [b] per suam veritatem intelligitur; et sicut impossibile est bonitatem non diligi, cum diligitur rei essentia, sic impossibile est veritatem non intelligi, intellecta rei essentia. Ex quo patet quod veritas non est separabilis in cogitatione ab esse sive [c] entitate.

2. Ad secundum dicendum quoniam [d], cum omne quod dicitur secundum quid, dicitur respectu alicuius simpliciter [2], necessario, si ponitur veritas secundum quid, ponetur veritas simpliciter, quamvis non respectu eiusdem, sed respectu diversorum, quia omne secundum quid reducitur ad simpliciter.

CAPUT II. 88

AN INTENTIO VERITATIS DIFFERAT AB ILLA ENTITATIS UNITATIS ET BONITATIS.

Deinde quaeritur de intentione veritatis, in quo differat ab intentione entitatis, unitatis [e] et bonitatis.

I. 1. Nam definiendo dicit Augustinus, in *Soliloquiis* [3]: « Verum est id quod est ». Ergo veritas definitive est entitas; ergo non differt intentio veritatis et entitatis.

2. Item, Augustinus [f], *De vera religione* [4]: « Vera in tantum vera sunt, in quantum sunt ».

Contra: *a.* Augustinus, *De vera religione* [5]: « Cui manifestum est falsitatem esse qua putatur quod non est [g], intelligat eam esse veritatem qua ostenditur id quod est ». Cum ergo differant intentione id quo [h] res est et quo ostenditur — entitas vel essentia est id quo res [i] est, veritas qua ostenditur — ergo differunt intentione veritas et entitas.

II. 3. Item, Augustinus, in libro [k] *De vera religione* [6], dicit quod veritas prima est secundum quam de inferioribus iudicamus. — Item, in eodem [7]: « Cum aliquis dicit [l] corporibus: 'vos quidem, nisi aliqua unitas contineret, nihil essetis', sed rursus: 'si vos essetis ipsa unitas, corpora non essetis', recte illi dicitur: 'unde nosti istam unitatem, secundum quam iudicas corpora? quam nisi videres [m], iudicare non posses quod eam non impleant' ». Cum ergo secundum unitatem iudicemus inferiora, erit eadem intentio unitatis et veritatis.

Contra: *a.* Non contingit de eodem accipere veritatem et falsitatem secundum idem; sed de corpore accipimus veritatem corporeitatis [n] et falsitatem unitatis — unde Augustinus, *De vera religione* [8]: « Omne corpus verum corpus est, sed falsa unitas » — ergo non est idem veritas corporeitatis et unitas corporeitatis.

b. Item, aliae sunt differentiae veritatis et unitatis: unitatis differentiae sunt quae supra [9] diximus; veritatis differentiae sunt: quia est veritas rei et veritas signi [10], et hoc multipliciter; ergo non sunt intentione idem veritas et unitas.

III. 4. Item, Augustinus, super illud Psalmi [11]: *Quaeritis mendacium,* dicit quod « sola veritas perficit bona, qua omnia vera sunt ». Si ergo bonitas est quae bona perficit, secundum intentionem idem erit veritas et bonitas.

5. Item, Augustinus, in libro *De vera religione* [12]: Verum est lux intelligibilis. Et B. Dio-

---

[a] R *non.* [b] BRLF om., in P est add. interl., V *sicut* pro *sic.* [c] V add. *ab.* [d] B *quod.* [e] L om. [f] R add. *in libro.* [g] B (interl.) LF add. *ut.* [h] V *quod.* [i] R om. [k] F om. *i. l.* [l] L om. [m] F *videns,* quod L corr. [n] V om.

1 Cap. 34 (PL 34, 150).
2 Cf. Aristot., *Ethic. ad Nicomach.,* I, c. 6; *Phys.,* II, c. 6 (II, 4, 269).
3 Lib. II, c. 5 (PL 32, 889); cf. Phil. Grevius, *Summa,* II (f. 7a).
4 Cap. 36, n. 66 (PL 34, 151).
5 Loc. cit.
6 Cap. 31, nn. 57-58 (PL 34, 147).
7 Cap. 32, n. 60 (PL 34, 149).
8 Cap. 34, n. 63 (PL 34, 150).
9 Cf. p. 116 sq., num. 74.
10 Cf. Anselm., *De verit.,* c. 9 (PL 158, 478).
11 Psalm. 4, 3; Augustin., *Enarr. in Psalm.* 4 (PL 36, 79), apud Lombard., in h. l. (PL 191, 85); cf. Phil. Grevius, loc. cit.
12 Cf. cap. 34 (PL 34, 151): « Ubi est verum?... dici potest: Illa lux vera est qua... cognoscis »; *In I Ioan.* tr. 1, n. 6 (PL 35, 1982): « Ipsa veritas lux est ». Etiam B. Albertus M. textum, de quo agitur, bis citat et quidem altera vice ex *De vera religione,* altera vero ex quadam *Glossa super primam canonicam Ioan. II, 4* (*Summa Theol.,* I, tr. 6, q. 25, XXXI, p. 205 et 214). Item Alexander, infra pag. 141a, *ad 5.* Cf. infra, p. 156, nota 2.

nysius[1] dicit quod « lux intelligibilis est bonum, quod est super omnem lucem, ut fontalis radius et emergens lucis effusio omnem supermundanum et mundanum intellectum illustrans ». Ergo eadem est intentio veri et boni, scilicet quod est lux intelligibilis.

6. Item, Augustinus, in [a] *83 Quaestion.*[2]: « Totum malum de speciei privatione repertum est ». Ergo totum bonum ex speciei positione; sed ex positione speciei est [b] in re veritas; ex eodem ergo est in re veritas et bonitas; ergo non differunt secundum intentionem.

Contra: *a.* Verum se extendit ad malum, bonum autem non; ergo non [c] idem secundum intentionem.

b. Item, nihil [d] quod est obiectum unius potentiae est idem secundum intentionem cum obiecto alterius potentiae; cum ergo verum sit obiectum rationis, bonum voluntatis: non erit secundum intentionem idem verum et bonum.

Respondeo: Quamvis secundum rem coincidant in idem verum, unum et bonum, tamen differunt intentiones eorum, sicut supra dictum est in Quaestione de unitate[3]. Ens enim et entitas absolutam habent intelligentiam; 'unum' vero addit ad ens indivisionem: unde unitas est indivisio entis; 'verum' veroaddit ad indivisionem entis indivisionem [e] esse: unde veritas est indivisio esse et eius [f] quod est[4]; 'bonum' vero addit ad indivisionem [g] entis et esse indivisionem secundum bene esse: unde bonum dicitur indivisio actus a potentia[5], et actus dicitur complementum sive perfectio possibilitatis, ad quam res nata est. Item, sicut supra tactum est in Quaestione de unitate[6], differunt intentiones istae secundum relationem ad [h] causam, quae est: 'unum', principium in ratione efficientis, 'veritas' in ratione formalis, 'bonitas' in ratione causae finalis: quae appropriantur Trinitati. Unde Augustinus, *De civitate Dei*[7]: « *Dixit Deus: fiat lux, et facta est lux: vidit lucem quod esset bona* [i]. Ecce dicens et quod dicit et propter quod [k] dicit ». Intentio 'unius' refertur ad dicentem, intentio 'veritatis' ad verbum, intentio 'bonitatis' ad bonum propter quod est. Dicens est Pater, cui appropriatur ratio efficientis; verbum Filius, cui [appropriatur] ratio [l] formalis; bonum Spiritus Sanctus, cui appropriatur ratio finalis.

Istae ergo intentiones non separantur ab essentia rei velut vestigia primae causae, quae est Trinitas unius essentiae. Unde secundum hoc dicit Augustinus, in fine *De vera religione*[8]: « Colere et tenere nos convenit unius substantiae Trinitatem, unum Deum quo auctore conditi sumus, similitudinem eius per quam ad imitationem formamur, et pacem qua unitati adhaeremus; Deum, qui dixit *fiat,* et Verbum eius, per quod factum est quod [m] naturaliter est, et donum benignitatis, quo placuit ut non interiret quidquid per Verbum ab eo factum est; unum Deum, quo creatore vivimus, per quem reformati sapienter vivimus, quem diligentes et quo fruentes beate vivimus ».

[Ad obiecta]: I. 1. Respondeo igitur ad obiecta quod, quamvis 'id quod est' definiat verum, non tamen eadem erit intentio entis et veri. Nam per hoc quod dicitur 'id quod est' intelligitur id quod habet esse; in illo vero quod habet esse intelligitur indivisio esse et eius [n] quod est. Unde eadem est per intellectum illa definitio [o] Augustini[9]: « Verum est id quod est », cum ista: 'Verum est quod habet indivisum esse ab eo quod est', sicut explanatum est prius[10]; hoc autem dicitur per additionem ad ens.

2. Ad secundum dicendum quod cum dicitur: « omnia sunt vera in quantum sunt », quod dico « in quantum », quod est determinatio, potest referri ad conditionem suppositi per hoc quod dico « vera »: et hoc modo verum est « omnia sunt vera in quantum sunt », quia nunquam in aliquo supposito separantur verum et ens, immo sequitur: 'si est, verum est'. Vel potest referri ad conditionem formae sive rationem eius quod dico 'verum': et hoc modo non est verum; ens enim non est ratio veri, sed indivisio esse ab ente, ut dictum est[11].

II. 3. Ad tertium quod obicit de unitate: dicendum quod 'secundum unitatem iudicamus' sicut secundum artem et exemplar de opere, secundum veritatem ut lucem [p]. Unde dicit Augustinus, in libro *De vera religione*[12]: « Ista est lux vera per quam phantasmata non vera esse cognoscis, et ita differenter ». Notandum quod cum dicis quod 'secundum unitatem iudicamus', hoc est in quantum unitas assumit rationem causae formalis, et sic

---

[a] P add. *libro.* [b] V om. [c] F add. interl. *est.* [d] S add. *est.* [e] V *divisionem.* [f] BRLF om. [g] F om. *entis indivisionem... indivisionem.* [h] V *et.* [i] Codd. *bonum.* [k] L *hoc,* PVS *dicitur* pro *dicit.* [l] V om. [m] F om. [n] S (corr.) L *ens,* F corr. *ens* in *eius,* R *ut* pro *et.* [o] R add. *erit,* S om. *illa.* [p] Ita L, alii *luce.*

1 *De divin. nomin.*, c. 4, § 6 (PG 3, 702, PL 122, 1131).
2 Quaest. 6 (PL 40, 13).
3 Pag. 113, num. 78.
4 Cf. infra, p. 142a, V.
5 Cf. Phil. Grevius, *Summa,* II (f. 6c): « Item, alia [definitio boni] extrahitur ab Aristotele et aliis philosophis: Bonum est habens indivisionem actus a potentia simpliciter vel quodam modo ».
6 Pag. 115a.
7 Cf. lib. XI, c. 21 (PL 41, 334), ad sensum; cf. Gen. 1, 3 et 4.
8 Cap. 55, n. 113 (PL 34, 172).
9 Cf. supra, p. 139a, I.
10 Sub *Respondeo.*
11 Sub *Respondeo.*
12 Cap. 34 (PL 34, 151).

in quantum induit rationem veritatis, sicut supra ostendimus in Quaestione de unitate [1].

III. 4. Ad quartum quod obicit: intelligendum quod « veritas perficit bona » in ratione causae formalis, bonitas in ratione causae finalis. Utramque autem perfectionem habent bona [a]: veritas perficit [b] quantum ad esse naturae relatum ad causam exemplarem, bonitas quantum ad esse relatum ad causam finalem.

5. Ad quintum quod obicit circa [c] idem, quod 'veritas est lux intelligibilis et bonitas similiter': dicendum quod verum est, sed differenter, quia verum est lux quantum ad intellectum speculativum, bonum est lux quantum ad practicum. — Praeterea, lux duplicem habet effectum: manifestare et movere. Est enim principium manifestandi se et alia, ut dicit Augustinus, in quadam *Homilia super Ioannem* [2], ex illo verbo Eph. 5,13: *Quae arguuntur, a lumine manifestantur:* omne enim quod manifestatur lumen est; et secundum hunc modum 'verum est lux intelligibilis', quia principium manifestativum. Unde Hilarius [3]: « Verum est declarativum esse ». — Item, est principium motivum. Unde corpora [d] quae non sunt in participatione lucis, ut opaca et terrea, naturaliter sunt immobilia; quae vero in participatione lucis, ut perspicua aqua et aër, sunt mobilia, sed non per se, et magis aër quam aqua, quia magis est in participatione lucis; quorum vero lux est de substantia sunt mobilia per se, ut corpora caelestia et ignis: et hac ratione bonum, quod est principium movendi, est lux intelligibilis. Unde Dionysius [4]: « Bonum est ad [e] quod omnia convertuntur et quod omnia affectant ».

6. Ad ultimum [f] dicendum quod sicut ad privationem vitae, quae est prima perfectio animalis, sequitur privatio sensus, sic ad privationem speciei, secundum quam ponitur veritas, sequitur privatio ordinis, secundum quem [g] accipitur bonitas: et ideo dicitur totum malum ex hoc provenire. Vel species dicitur dupliciter: scilicet perfectio esse et bene esse; et totum malum secundum hoc provenit ex privatione speciei, tamen species secundum hoc se extendit ad bonitatem sicut ad veritatem.

CAPUT III. 89

QUID SIT VERITAS.

Consequenter inquirendum est quid sit veritas [5].

Ponendae ergo sunt diversae a diversis veritatis et veri notificationes. I. Nam in libro *Soliloquiorum* [6] Augustini ponitur haec [h]: « Verum est quod ita ut est [i] videtur »; et colligitur [k] ex suo opposito: « Si enim est falsum quod aliter quam est videtur, ergo verum est quod ita ut est videtur ».

1. Sed haec definitio improbatur sic [l] ab Augustino [7]: Nam ablato eo cui aliquid videtur, non videtur aliquid ut est nec videtur aliquid aliter quam est [m]; ergo « ablato eo cui videtur, neque verum neque falsum est »; quod est manifestum inconveniens: nam secundum hoc « lapides in abditissimo terrae sinu [n] non essent veri lapides, quia non videntur ».

II. Propterea ponitur alia definitio in eodem talis [8]: « Verum est quod ita se habet ut cognitori videtur, si velit et possit cognoscere ».

2. Sed contra hanc obicitur: quia ex hoc sequitur quod « verum non erit quod nemo potest cognoscere ». — Item, « si falsum est [o] quod aliter quam est videtur, ergo si alteri videatur hic lapis esse lapis, alteri lignum, eadem res et [p] falsa et vera erit ».

III. Propterea ponitur alia brevis in eodem [9]: « Verum est id quod est ».

3. Sed obicitur: Cum 'id [q] quod est' sit susceptivum falsi, sicut enuntiatio [r] quae dicitur et vera et falsa: quod autem est verum, non est susceptivum falsi, ergo 'id quod est' non convertitur cum vero; ergo non definit verum. — Item, si diceretur quod intelligitur de veritate rei,

---

[a] F *bonam.* [b] L *perficitur,* R om. [c] LF *contra.* [d] B *opera.* [e] V om. [f] V add. *est.* [g] PVS *quam.* [h] PVS *ponit hoc* pro *p. h.* [i] V *quod ita est et* pro *e. q. i. u. e.* [k] PV *intelligitur,* quod S corr. in marg. [l] V om. [m] V om. *nec... est.* [n] L om. [o] Ita BF, alii om. [p] V *est.* [q] V *idem.* [r] B *in enuntiatione.*

1 Pag. 115a.

2 Cf. supra, p. 139, nota 12.

3 *De Trinit.,* V, n. 3 (PL 10, 131), ad sensum. Apud Phil. Grevium, loc. cit. (f. 7a): « Verum est declarativum aut manifestativum esse ».

4 *De divin. nomin.,* c. 4, § 4 (PG 3, 699, PL 122, 1131).

5 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 8, p. 1, a. 1, q. 1 (I, 150sqq.); Guill. Paris., *De universo,* I, p. 3, c. 26 (I, 794sqq.).

6 Lib. II, c. 4, n. 5 (PL 32, 887), ad sensum.

7 Loc. cit. et c. 5, n. 7 (PL 32, 888).

8 Cap. 5, n. 8 (PL 32, 888), ubi et sequentes textus.

9 Loc. cit. (PL 32, 889).

non de[a] veritate signi – obicitur de homine picto[1], qui est falsus homo; et tamen[b] ei convenit esse quod est.

IV. Item, ponitur alia a quodam philosopho[2]: Veritas est adaequatio rei et intellectus, sicut generaliter adaequatio signi et significati.

4. Sed obicitur: Adaequatio signi ad significatum non est nisi cum significatio est; ergo non esset veritas, si non esset significatio.

V. Item, ponitur alia: Veritas est indivisio esse et eius[c] quod est[3].

5. Sed obicitur: In negationibus non est indivisio esse et eius quod est, immo significatur divisio[d] esse ab eo quod est, ut cum dicitur: 'homo non est asinus', per negationem dividitur esse asini ab eo quod est homo[e]; ergo non esset haec vera: 'homo non est asinus'.

VI. Item, ponitur alia ab Augustino, in libro *De vera religione*[4]: « Veritas est[f] qua ostenditur id quod est »; et colligitur sic: « Si falsitas est[g] qua id putatur quod non est, ea est veritas qua ostenditur[h] id quod est ». Cui similis est notificatio Hilarii[5]: « Verum est declarativum aut manifestativum esse ».

6. Sed obicitur: Si « verum est declarativum aut manifestativum esse[i] » sive eius quod est: ergo verum non erit id[k] quod est aut esse, cum nihil se ipsum clarificet.

VII. Item, ponitur alia ab Augustino[l], in libro *De vera religione*[6]: « Veritas est summa similitudo[m] principii, quae sine ulla dissimilitudine est, unde falsitas oritur ».

7. Sed obicitur: Divina essentia non est similitudo principii, cum sit sine principio; similiter Pater est principium sine principio; ergo nec divina essentia nec Pater est veritas. — Item, cum in creatura non sit summa similitudo principii, ergo in creatura non est veritas.

VIII. Item, ponitur alia definitio ab Anselmo, in libro *De veritate*[7]: « Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis ».

8. Sed obicitur: Intentio rectitudinis, si accipiatur proprie, non invenitur nisi in quantitate dimensiva; ergo non esset veritas nisi in corporalibus.

9. Item, si accipiatur metaphorice, ergo est[n] secundum similitudinem rectitudinis in quantitate[o]; sed ubicumque sic intelligitur rectitudo, erit differentia principii et medii et finis. Cum ergo in[p] indivisibilibus, ut puncto et unitate, et etiam in divisibilibus completis, ut circulo[q], non sit differentia principii, medii et finis: ergo in illis non erit veritas nec in illis intelligibilibus quae intelliguntur ut punctus et circulus, non erit veritas; ergo in Deo non erit veritas, cum, secundum Trismegistum[8], « Deus sit sphaera intelligibilis, cuius centrum est ubique, circumferentia nusquam »; ergo intelligitur per modum puncti et per modum circuli.

10. Item, si accipiatur rectitudo pro iustitia, secundum quod dicitur: 'quod fit iuste, fieri recte', in quem modum dicitur rectitudo ab Anselmo[9], secundum quam est aliquid ut debet vel sic ut debet, tunc non conveniet divinae veritati, quae nulli debet esse rectitudinem.

11. Item, cum iustitia et bonitas sit secundum hoc « sola mente perceptibilis », non different secundum definitionem veritas[r], iustitia et bonitas.

12. Item, cum sint[s] aliqua quae percipiuntur non solum mente, sed sensu, ut corporalia: ergo in corporalibus non erit veritas[t], cum veritas sit « sola mente perceptibilis ».

IX. Item, si[u] tot modis assignatae sunt notificationes veri et veritatis, quomodo assignantur? nam[v] videntur deficere aut superfluere aut male assignatae esse. Quaeritur ergo qualiter accipiantur.

IX. Respondeo[x] ad istud primo quod omnes dictae notificationes assignatae sunt in sua ratione. Nam quaedam notificatio veri est[y] generalis ad veritatem — sive sit creata sive increata: et creata sive sit cogitationis[z] sive voluntatis sive actionis

---

[a] BRL om. [b] L *non.* [c] BRLF om. [d] L *indivisio.* [e] R *ut cum dicitur homo est asinus.* [f] V om. [g] Ita F add. interl., alii om. [h] L add. *veritas.* [i] B om. *sed... esse.* [k] PVS om. [l] PVS *Augustini* pro *a. A.* [m] V *multitudo.* [n] Ita S (interl.) LF, alii om. [o] V om. *i. q.* [p] VBL om. [q] B *circulatio.* [r] F om. [s] F *sunt* et om. *cum.* [t] V om., PV om. *in.* [u] Ita F add. interl., alii om. [v] PVS *non.* [x] P *respondemus.* [y] VS om. [z] L (corr.) *cognitionis.*

[1] Cf. Augustin., *Soliloq.*, II, c. 10 (PL 32, 893).

[2] Magis videtur accedere ad illud Averrois, *Destructio destructionum,* disput. I, dub. 22 (ed. Lugdun. 1529, f. 47v): « Veritas namque, ut declaratum est in sua declaratione, est aequare rem ad intellectum, scilicet quod reperiatur in anima sicut est extra animam ». De hac definitione cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 40, a. 2, q. 1 (I, 707, nota 5). Eam etiam habet Phil. Grevius, *Summa,* II (f. 7a), qui et ipse scribit: « Item a quodam philosopho dicitur: veritas est adaequatio rei et intellectus, ita ut generaliter dicatur signi et signati ». Eamdem definitionem citans B. Albert. M., loc. cit., (p. 207a), ait: « Dicitur communiter ».

[3] Cf. Avicenna, *Metaph.*, tr. 8, c. 6 (f. 100a): « Veritas uniuscuiusque rei est proprietas sui esse quod stabilitum est ei »; Phil. Grevius, loc. cit. (f. 7a): « Definitur etiam ita a metaphysicis: Veritas... » etc.

[4] Cap. 36 (PL 34, 151).

[5] *De Trinit.*, V, n. 3 (PL 10, 131); cf. Phil. Grevius, loc. cit.; vide supra, p. 141, nota. 3.

[6] Cap. 36 (PL 34, 152).

[7] Cap. 11 (PL 158, 480); cf. Phil. Grevius, loc. cit.

[8] Cf. supra, p. 18a, nota 6, defin. 2.

[9] *De verit.*, c. 12 (PL 158, 480), unde etiam sequentia excerpta sunt.

sive significationis [a] — et haec est: « Veritas est rectitudo » etc., sicut ipse innuit, in libro *De veritate* [1], et nomine rectitudinis dividit eam ab omni re quae rectitudo non vocatur. Quod vero « sola mente perceptibilis » dicitur, separat eam ab omni rectitudine visibili.

Speciales vero notificationes differunt. Nam quaedam datae sunt de veritate comprehensionis, ut illae *Soliloquiorum* [b 2] quae coincidunt in idem: « Verum est quod ita ut est videtur », et alia: « Verum est quod ita est ut cognitori videtur, si velit possitque cognoscere ». — Quaedam de veritate signi sive significationis, ut illa [3]: « Veritas est adaequatio signi etc. vel intellectus » etc. [c]. — Quaedam de veritate rei, ut illae duae quae [d] coincidunt in idem [4]: « Verum est id quod est » et iterum [5]: 'Veritas est indivisio esse et eius [e] quod est'. — Quaedam vero de veritate increata principaliter, ut illae duae Augustini, *De vera religione;* sed una de veritate secundum quod accipitur essentialiter, et haec notificatio est per effectum consequentem [6]: « Veritas est [f] qua ostenditur id quod est », quia prima veritas se habet ad intelligibilia sicut lux ad visibilia [g], et huic consonat definitio Hilarii: « Verum est declarativum esse »; alia vero [h] de veritate increata secundum quod accipitur personaliter et appropriatur Filio, sicut unitas Patri et bonitas Spiritui Sancto, quae est [7]: « Veritas est summa similitudo principii » etc. et principium ibi dicit Patrem.

[Ad obiecta]: Respondendum ergo per ordinem ad obiecta:

1. Ad obiectum contra primam [i] definitionem: « Verum est quod ita est ut videtur », iam patet responsio [8]; nam data est de veritate comprehensionis sive cognitionis, non rei; et ideo, ablato cognitore, non est [k] haec veritas secundum actum, quamvis sit secundum habitum, in hoc scilicet [l] quod res nata est cognosci vel videri ut est.

2. Ad obiectum contra secundam, quae determinat primam, similis est responsio, quia quamvis non sit aliquis qui possit cognoscere, ipsa tamen res adhuc est cognoscibilis, et ideo adhuc habitu sive potentia manet veritas comprehensionis. — Ad aliud quod arguit: 'sicut inconveniens est [m] quod eadem res sit vera et falsa' patet responsio, quia ex veritate comprehensionis procedit ad veritatem rei: et ideo quasi commutat [a] praedicamentum et est sophisma figurae dictionis.

3. Ad aliud obiectum contra tertiam: « Veritas est id quod est » et primo ratione enuntiationis [b], quae est vera et falsa: dicendum, sicut distinguit [c] Anselmus, in libro *De veritate* [9]: « Alia est rectitudo et veritas enuntiationis, quia significat ad quod significandum est facta; alia, quia [d] significat quod accepit significare ». Facta est enim ad significandum rem esse dum est, et non esse dum non est; accepit autem significare rem [e] esse indifferenter dum est et dum non est: verbi gratia, sive dies sit sive non sit, haec oratio « dies est » accepit significare [f] diem esse. Primo modo veritas dicta est mutabilis et separabilis in contingentibus; secundo modo, inseparabilis. Primo modo est [g] susceptiva veri et falsi: veritas in hac enim via [h] non attenditur secundum id quod accepit enuntiatio, sed secundum id ad quod est; secundo modo non, quia attenditur id quod accepit. Unde Anselmus dicit quod primam veritatem habet accidentaliter, secundam naturaliter. — Ad illud vero quod obicit de homine picto, dicendum [i] quoniam homo pictus vera est pictura et est id quod est, sed falsus homo, et hoc [k] est id quod non est, quemadmodum dicit Augustinus, *De vera religione* [10]: « Si rerum visibilium pulcritudo, quia continetur unitate et non implet unitatem, nos [l] fallit, intelligamus non ex eo quod est nos falli, sed ex eo quod non est; omne [m] enim corpus verum corpus est, sed falsa unitas ».

4. Ad obiectum contra quartam [n]: « Veritas est adaequatio » etc.: dicendum quoniam definitiones non respiciunt esse [o] actu, sed esse in habitu; unde si nullus homo sit, adhuc est vera definitio: 'homo est animal rationale, mortale' [p], ita cum dicitur « veritas est adaequatio », non copulatur adaequatio in actu, sed in habitu.

5. Ad [obiectum contra] quintam, scilicet « Veritas est indivisio [q] » etc.: dicendum quod veritas negationum fundatur in veritate affirmationum. Unde veritas huius negationis 'homo non est asinus' fundatur in hac affirmatione 'homo est homo'; et si significet divisionem esse asini ab eo quod est homo, hoc non est nisi propter [r] indivisionem esse hominis ab eo quod est

---

[a] BR *generationis.* [b] PV *sole,* quod S exp. et corr. in marg. [c] F om. *v. i. e.* [d] V om. [e] BRLF om. [f] B add. *in.* [g] PS *invisibilia,* V *indivisibilia.* [h] LF add. *est.* [i] R om. [k] L om., B om. *haec.* [l] B *enim.* [m] BRLF om.
[a] BRLF *mutat.* [b] V *notificationis.* [c] RL *dicit.* [d] PV om., in S est add. interl. [e] V add. *est.* [f] PVS *significat* pro *a. s.* [g] V om. [h] F add. interl. *veritas.* [i] F add. *quod.* [k] F om. [l] B *non,* quod F corr., PVS *intelligimus* pro *intelligamus.* [m] BRLF *esse.*
[n] V *quartum* pro *c. q.* [o] P *rem.* [p] BRLF om. [q] R add. *esse.* [r] PV *per,* SRL om. *est,* in F est add. interl.

1 Anselm., loc. cit.; cf. supra, p. 142a, n. VIII.
2 Cf. supra, p. 141ab, sub nn. I, II.
3 Cf. supra, p. 142a, n. IV.
4 Cf. supra, p. 142a, n. III.
5 Cf. supra, p. 142a, n. V.
6 Cf. supra, p. 142a, n. VI; cf. Phil. Grevius, loc. cit. (f. 7c): « secundum proprietatem consequentem ».
7 Cf. supra, p. 142a, n. VII. 8 Cf. sub *Respondeo.*
9 Cap. 2 (PL 158, 470), ubi etiam sequentia.
10 Cap. 34, n. 63 (PL 34, 150).

'homo'. Et ita veritas negationum est indivisio secundum rem [1]; eadem enim est veritas affirmationis 'homo est homo' et 'homo non est asinus', quamvis differens in significandi ratione.

6. Ad obiectum contra sextam definitionem, quae est: « Veritas est qua ostenditur » etc., quae eadem est cum definitione Hilarii: « Verum est declarativum » etc.: dicendum quod sicut lux manifestat se et alia, sic veritas, quae est divina essentia, quia est ipsa lux intelligibilis, sicut dicit Augustinus, *De vera religione* [2].

7. Ad obiectum contra septimam definitionem, scilicet [a] « Veritas est summa similitudo principii »: dicendum, prout dictum est [3], quod haec definitio est primae veritatis, prout accipitur personaliter et per appropriationem, et ideo nihil ad rem quod obicit de essentia vel de Patre et quod obicit de veritate creaturae [b]. Unde illa notificatio ostenditur per proprietatem [c] personae Filii et per distinctionem ab aliis personis et per distinctionem a creaturis. Omne enim quod est, aut est principium aeternum aut a principio. Principium aeternum est unitas Dei Patris. Si a principio, dupliciter: aut a principio qui est in identitate substantiae aut in diversitate substantiae [4]. Si in diversitate: sic est creatura, quae quamvis similis sit, tamen non potest exprimere illam unitatem principii quam imitatur; et ideo in hoc potest oriri falsitas, sicut dicit Augustinus [5]: « Non in quantum imitatur, sed in [d] quantum implere non potest ». Item, si est a principio in identitate substantiae, adhuc dupliciter: aut ergo in identitate substantiae et similitudine seu conformitate notionali aut in identitate essentiae in differentia notionali. Primo modo est a principio Patre Filius, qui est a Patre idem in substantia et conformis in notione, quia sicut Pater [est] persona a quo alius, sic Filius; secundo modo, Spiritus Sanctus, qui est a principio Patre in identitate substantiae, sed non conformis in notione, quia Spiritus Sanctus est persona quae ab alio [e], a qua nulla. Similitudo ergo principii magna est in creatura, in quantum una est, sed [f] tamen in diversitate essentiae; similitudo maior in Spiritu Sancto, qui est a Patre in identitate substantiae, quamvis non conformis in notione; similitudo vero summa Filius, qui est a Patre in identitate [g] essentiae et conformis in notione: ut tamen de Spiritu Sancto non dicatur similitudo minor. Et hic est intellectus positae definitionis: in hoc enim quod dicitur « similitudo principii », distinguitur a Patre; in hoc quod « summa », per modum qui dictus est, a Spiritu Sancto; in hoc quod « nulla dissimilitudo [h], ex qua falsitas oritur », distinguitur a creatura. Falsitas enim est in creatura ex hoc quod imitatur unitatem principii et [i] illud implere non potest; illa est Veritas quae illud implere potuit et esse id quod illud est, quae est ita similis ut omni modo hoc impleat ac sit ipsum: ipsa enim est quae illud, sicut est, ostendit. Unde et Verbum eius et lux eius rectissime dicitur.

8. Ad obiecta contra definitionem ultimam Anselmi respondeo [k]: ad primum, quod rectitudo dicitur per similitudinem duobus modis. In rectitudine autem est debita ordinatio medii ad extrema, quia ipsum medium non declinat ab extremis: ratione debitae ordinationis, quod est debite ordinatum dicitur rectum; ratione vero habitudinis medii ad extrema, ubi invenietur indeclinabilitas medii ab extremis, dicetur rectum, quamvis proprie ibi non sit ratio medii et extremorum. Dicendum ergo quod haec definitio generaliter datur ab Anselmo: « Veritas est rectitudo » etc. Et cum dicatur veritas multipliciter — in signo, ut in sermone, ut [l] Zachar. 8,16: *Loquimini* [m] *veritatem unusquisque cum proximo* [n] etc.; et in cogitatione, Psalmus [6]: *Qui loquitur veritatem in corde* [o] *suo;* et in voluntate [p], Ioan. 8,44 de diabolo: *In veritate non stetit;* et in operatione [q], Ioan. 3,21: *Omnis qui facit veritatem venit ad lucem* — ostendit Anselmus [7] quod in omnibus est rectitudo ex debita ordinatione, per hoc quod sunt vel faciunt quod debent vel ad quod debent. Unde veritas enuntiationis est [r] cum sit quod debet et ad quod debet; similiter et de ceteris. Item, est Veritas prima, Ioan. 14,6: *Ego sum* [s] *via, veritas et vita,* in qua non cadit proprie intentio debiti, nisi sit accipere debitum convenientiae, non necessitatis, sicut dicit Anselmus [8], quia « nulli debet, sed omnia ei debent »; et ideo [t], quia omnia debite ordinantur ad ipsam, ipsa est [u] rectitudo, non quia ipsa debite ordinetur ad res, sed res debite ad ipsam. In omnibus ergo invenitur debita ordinatio et ita rectitudo secundum primum modum. — Item, quia ordo, sicut dicit Augustinus, consistit in tribus, in-

---

[a] BRLF om. [b] PV *creante,* quod S corr. [c] V *appropriationem.* [d] B om. [e] B *alia.* [f] PV *si,* B *vita* pro *una.* [g] V add. *substantie.* [h] F *similitudo,* PVS *a* pro *ex;* codd. *quo* pro *qua.* [i] B *ut.* [k] BRLF *respondendum.* [l] BRLF add. *in.* [m] B add. *ad.* [n] L add. *suo.* [o] L *cum proximo* pro *i. c.* [p] BRLF add. *ut.* [q] BRLF add. *ut in,* F om. *e. i. o.* [r] Ita F (corr.), alii om., L *et* pro *cum,* VS *fit* pro *sit.* [s] F om. [t] F om. [u] PVS om.

[1] Cf. Phil. Grevius, *Summa,* II (f. 7d): « Verbi gratia 'hominem non esse asinum', huius radix est 'hominem esse hominem', et ex hoc est verum illud 'hominem non esse asinum' veritate rei ».

[2] Cf. supra, p. 139, nota. 12.

[3] Cf. supra, p. 143a.

[4] Cf. supra, p. 93a, litt. *c.*

[5] *De vera relig.,* c. 36 (PL 34, 151).

[6] Psalm. 14, 3.

[7] *De verit.* cc. 4 et 5 (PL 158, 471sqq.).

[8] Loc. cit., c. 10 (PL 158, 478).

venitur in omnibus veritas quasi medium non declinans ab extremis. Verbi gratia: In veritate creata esse vel facere quod debent et ad quod debent, est rectitudo quae est[a] veritas: 'quod debet' dicitur per comparationem ad causam a qua est quasi unum extremum; 'ad quod debet' dicit comparationem ad finem ad quem est quasi[b] aliud extremum; 'esse' vero rei vel 'facere' quasi medium. Si ergo res est vel facit quod debet, ut[c] expleat quod a causa sua accepit et propter finem quem debet, recta est; et per hunc modum decurrit intentio rectitudinis et veritatis[d] in creatura, sive sit significationis sive cogitationis sive voluntatis etc., secundum modum secundum. In Creatore autem, prout consideratur in se[e] et ut causa, invenitur intentio rectitudinis hoc modo, sed eminentiori modo. Secundum quod consideratur ut causa, invenitur intentio causae efficientis, quasi unum extremum in ratione intelligentiae, secundum quam accipitur intentio unitatis; item invenitur intentio causae finalis, quasi aliud extremum, secundum quam[f] accipitur intentio bonitatis; invenitur intentio causae formalis, quasi medium inter extrema non declinans, et haec est veritas secundum quam formantur omnia, ut dicit Augustinus[1]. Et[g] hunc ordinem monstrat Augustinus, in fine *De vera religione*[2], ut dictum est[3]. Secundum autem quod consideratur in se, hoc est duobus modis: id est personaliter et essentialiter. Secundum quod personaliter, invenitur sacer ordo Trinitatis: quasi unum extremum Pater, qui est non ab alio; quasi alterum extremum Spiritus Sanctus, a quo nullus alius; quasi medium non declinans Filius, qui ab alio et a quo alius, et ipse est[h] veritas personaliter, secundum quod supra[4] expositum est. Secundum quod essentialiter, in[i] ratione intelligentiae invenitur esse, intelligere, diligere, quia Deus est et intelligit se et diligit se: est ut unitas[k], intelligit se ut veritatem, diligit ut bonitatem; quasi unum extremum est esse, alterum diligere, quasi[l] medium non declinans inter haec est intelligere. Hinc igitur manifestum est qualiter intentio rectitudinis accipitur in definitione veritatis.

9. Ad illud quod obicitur de illis in quibus non invenitur comparatio medii ad extrema, ut in puncto et circulo: dicendum quod, ratione[m] debitae ordinationis ad esse quod debet et propter quod debet, est rectitudo intelligibilis in puncto et circulo, sicut ostensum est[5]. — Ad illud vero quod obicit de Deo, patet[n] responsio quomodo intelligatur rectitudo secundum comparationem medii ad extrema.

10. Ad illud quod obicit quod 'ei non convenit ratio debiti', iam supra[6] responsum[o] est. Et distinguendum quod debita ordinatio intelligitur vel in ipsa re[p] quae debet vel in illa cui debetur: in creatura ergo est debita ordinatio quia debet, sed in Deo ut[q] cui debetur. Vel distinguenda est intentio debiti: est enim debitum necessitatis, quod est creaturae; et est debitum congruitatis vel condecentiae[r], et hoc est in Creatore.

11. Ad illud vero quod obicit de bonitate et iustitia, quia 'ei convenit esse rectitudinem' etc.: dicendum quod verum est[s], maxime secundum intentionem qua dicitur debita ordinatio. Secundum autem aliam intentionem dico quod intentio rectitudinis dicit quasi habitudinem medii ad extrema: quasi unum extremum ponitur unitas, aliud bonitas, intentio medii non declinantis veritas; et ita in hac intentione non convenit bonitati esse rectitudinem, sicut nec unitati. Secundum autem quod intentio dicit debitam ordinationem, distinguendum[t], quod ordo creaturae duplex est secundum comparationem ad causam: creatura enim a causa Deo est ut sit secundum causam[u]; item creatura est a causa Deo ut secundum causam referatur ad causam. Secundum primum esse attenditur ordo creaturae, quae[v] est ab unitate causae, ad veritatem, secundum quam est et in esse servatur; secundum secundum[x] esse ordo creaturae ad bonitatem ad quam est debita. Ergo ordinatio creaturae, quae est a[y] causa ut sit secundum causam, est rectitudo quae est veritas; debita ordinatio a causa ut sit ad causam, est rectitudo quae est[z] bonitas. Prima percipitur intelligentia mentis, secunda vero sentitur affectu voluntatis; et ideo convenienter posset ad differentiam voluntatis poni quod dicitur « mente perceptibilis ».

12. Ad ultimum vero quod obicitur de sensibilibus, dicunt quod non intendit Anselmus[7]

---

[a] V *cum*. [b] F add. *scilicet*. [c] Codd. *hoc autem*. [d] P *unitatis*, quod S corr. [e] PV *re*, quod S corr., PVS *aut* pro *autem*. [f] PVS *quod*. [g] L add. *ut*. [h] B om. [i] B om. [k] PV om. *e. u. u.*, quod in S est add. mg., S *et* pro *est*. [l] PVS om. [m] PVS om. [n] PV *patre*, quod S corr. in marg., PVS *aliud* pro *illud*. [o] PVS *ostensum*. [p] R om. [q] B om. [r] BRLF om. *v. c.* [s] Ita F add. mg., alii om. *d. q. v. e.* [t] P add. *est*. [u] Ita PVBL, quod habet R (corr.), F om. *s. c.*; RLF *creando* pro *causa Deo*, B *extenditur* pro *attenditur*. [v] VS *qui*. [x] SB om., B om. *ordo*. [y] R om. [z] F om. *veritas... est*.

[1] *De vera relig.*, c. 55, n. 113 (PL 34, 172).
[2] Loc. cit.; cf. *De ordine*, I, c. 10, n. 28 et II, c. 1, n. 2 (PL 32, 991, 994).
[3] Cf. supra, p. 140a, *Respondeo*.
[4] Pag. 144a, *ad* 7.
[5] Pag. 144b, *ad* 8.
[6] Pag. 144b, *ad* 8.
[7] *De verit.*, cc. 11 et 12 (PL 158, 480).

nisi de veritate intelligibilium. — Sed contra: Veritas signi non sine sensu percipitur, quia signum est quod se sensui subicit et aliud intelligendum relinquit. Similiter in libro illo [1] ipse inducit veritatem sensuum sive in sensibus. Solutio huius rei in [a] Quaestione sequenti manifestabitur [2].

90 CAPUT IV.

IN QUIBUS SIT VERITAS.

Postea quaeritur de veritate, in quibus sit [3].

a. Et cum unumquodque sic [b] se habeat ad esse sicut ad veritatem, in omni re erit veritas.

Contra: 1. Augustinus, in libro *Soliloquiorum* [4]: « Quidquid est in aliquo non potest manere, si non maneat illud [c] in quo est; rebus autem veris intereuntibus, manet veritas; non igitur est veritas in rebus mortalibus ».

2. Item Augustinus [d], *De vera religione* [5]: « Inter [e] mentem nostram qua Deum intelligimus Patrem, et veritatem, lucem illam interiorem per quam Deum intelligimus, nulla interposita creatura est [f]. Quare ipsam veritatem nulla ex parte dissimiliter in ipso et cum ipso veneremur, quae forma est omnium quae ab uno et [g] ad unum referuntur ». Si ergo veritas est lux interior, ergo est solum in spiritualibus et non [h] in corporalibus.

3. Item, dicit Augustinus, *Super Canonicam Ioannis* [i] [6], quod « veritas est lux intelligibilis ». Sicut ergo lux sensibilis non est nisi in sensibilibus, similiter lux intelligibilis non erit nisi in [k] intelligibilibus; ergo non est veritas in sensibilibus.

Respondeo: 1. Ad primum: veritas in rebus duplex est. Est enim [l] veritas necessitatis et veritas contingentiae, sicut distinxit Anselmus [7] in veritate significationis, quemadmodum et esse necessarium et contingens. Loquitur ergo Augustinus, in *Soliloquiis*, de veritate necessitatis, quae est solum in rebus necessariis. Veritas vero communiter dicta est in omnibus contingentibus et [m] necessariis. — Praeterea, est veritas causae et est [n] veritas causati, et utraque veritate dicuntur res verae, sicut et [o] bonae duplici bonitate, scilicet [p] bonitate causae et bonitate causati. Veritas ergo causae [q] non est in rebus ut dependens ab illis: et ideo, quamvis res verae intereant, non interit veritas; veritas vero causati, quae est indivisio esse rei, interit rebus veris intereuntibus.

2. Ad aliud dicendum quod veritas prima lux interior dicitur propter sui spiritualitatem et simplicitatem, quae prohibet ne [r] possit cognosci nisi ab intellectu, qui est vis animae interior; tamen, quantum ad suam essentiam, attingit omne quod est, sicut ponit Augustinus [8] exemplum de caeco posito in sole, quod praesens est ei lux, ipse tamen absens est ab illa: ita ipsa summa sapientia, quae est prima veritas, omni iniquo [s] praesens est, quamvis ipse absens. Est igitur omni rei praesens per essentiam, per quam omnis res in esse salvatur; unde Ioan. 1, 5-10: *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt; in mundo erat* etc.

3. Ad ultimum dicendum quod « lux intelligibilis » dicitur, non solum quia sit in intelligibilibus, sed solo intellectu percipitur. Unde notandum ad illud quod obiciebatur in praecedenti Quaestione [9], 'quod sensibilium rectitudo sola [t] mente percipitur, ergo non est in eis veritas, cum percipiantur sensu': dicendum quod quamvis intellectu non separentur [u] esse rei et veritas, quia semper cointelliguntur [v], tamen in iudicio sensus separantur, quia esse sensibilis, ut iudicatur et accipitur sensu, semper apprehenditur cum conditionibus materiae; veritas autem eius apprehenditur [x] absque omni conditione materiae et ideo solo intellectu vel mente. Ex hoc autem [y] non sequitur quod in sensibilibus vel in rectitudine visibili non sit veritas, sed quod non percipiatur eorum veritas, in [z] quantum veritas, sensu sive per sensum.

---

[a] BRLF om. [b] BR om. [c] F om., LF *alio* pro *aliquo*. [d] R add. *in libro*. [e] V *item*. [f] PVS om. [g] P add. *non*. [h] PV *in*, quod S corr. [i] PV add. *dicit*, quod S exp. [k] LF om. [l] R om., L om. *e. e.*, PV *dicit* pro *distinxit*, quod S corr. [m] S *ex*. [n] F om. [o] PVS om. [p] PVS om. [q] Ita L corr. mg., expuncto *communiter*, quod habent alii; V *ero* pro *ergo*. [r] SB *ut non*, LF *ut*. [s] BR *in quo est*, F om. *ipsa*. [t] L *solum*, PVS *obicitur* pro *obiciebatur*. [u] PV om. *n. s.*, quod in S est add. mg., VB *participantur* pro *percipiantur*. [v] PB *cointelligitur*, V *intelligitur*. [x] B *comprehenditur*. [y] F om. [z] L om.

1 Loc. cit., c. 6 (PL 158, 473).
2 Cf. infra, cap. 4, *ad 3*.
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 1, q. 1 (I, 150sqq.).
4 Lib. I, c. 15, n. 29 (PL 32, 884).
5 Cap. 55, n. 113 (PL 34, 172).
6 Tract. 1, nn. 4-6 (PL 35, 1980). Cf. p. 139, nota 12.
7 *De verit.*, c. 2 (PL 158, 470).
8 *In Ioan.*, tr. 2, c. 1, n. 19 (PL 35, 1388).
9 Pag. 142b, n. 12.

MEMBRUM II.

De proprietatibus veritatis.

CAPUT I. 91

AN VERITAS SIT UNA.

Consequenter quaerendum est [a] de veritate utrum sit una ita quod non plures.

Ad quod sic: *a*. Secundum Anselmum [1], « sicut se habet color ad corpus coloratum, sic veritas ad rem veram ». Ergo si multiplicantur colores secundum quod multiplicatur coloratum, multiplicabuntur veritates secundum multiplicationem verorum; ergo multae sunt veritates, cum constet multa esse vera.

b. Item, si « veritas non est aliud quam rectitudo; sed alia rectitudo significationis, alia voluntatis, quia haec in voluntate, sed [b] illa in significatione habet suum esse [2] »; ergo alia [c] veritas significationis, alia voluntatis.

c. Item, unumquodque sicut se habet ad esse, sic ad veritatem; si ergo non est esse unum omnium verorum, non erit una veritas omnium verorum.

Contra: 1. Anselmus, *De veritate* [3]: « Si rectitudo non est in rebus illis, quae debent rectitudinem, nisi cum [d] sint secundum quod debent », debent autem esse secundum quod exigit prima rectitudo, quae est prima veritas: ergo « hoc est [e] illis rectas » et veras esse secundum primam rectitudinem et veritatem esse; est igitur una rectitudo et veritas.

2. Item, Anselmus [4]: « Sicut tempus se habet ad temporalia, sic veritas ad vera: veritas enim est mensura omnium verorum, sicut tempus omnium temporalium ». Si ergo « unum tempus omnium temporalium », quamvis [f] diversa temporalia quae tempore mensurantur, ergo una veritas erit omnium verorum, quamvis multa sint quae veritate mensurantur.

3. Item, secundum Augustinum, in libro *Soliloquiorum* [5], et Anselmum, *De veritate* [6], veritas radicatur in permanente, non in non-permanente [g]; sed unum est permanens in omni re [h], sed illud non multiplicatur in hac re vel in illa; ergo veritas non multiplicatur in hac re vel in illa.

Respondeo: Veritas rei dicitur duobus modis [i]. Uno modo, secundum quod dicitur 'indivisio [k] esse et quod est', prout dicitur ab Augustino [7]: « Veritas est id quod est »; et haec veritas fundatur super debita principia essentiae rerum et debitam eorum [l] unionem in creaturis, et haec veritas multiplicatur secundum multiplicationem essentiae verorum. — Alio modo, secundum quod veritas dicitur ab Augustino « lux intelligibilis », eo quod in modum lucis manifestat omnia vera et tenet et conservat in esse, quemadmodum lux est principium conservativum suorum effectuum; prout dicitur ab Anselmo « rectitudo mente perceptibilis » eo quod per ipsam mensurantur omnia vera, sicut per tempus omnia temporalia: hoc modo una est et sola veritas, quae est divina, qua manifestantur omnia vera et conservantur in esse et mensurantur. Primo ergo modo multae sunt veritates secundum multiplicationem essentiae verorum; secundo modo una [m] tantum veritas, quemadmodum lux et [n] rectitudo una.

Si autem quaeritur in hoc secundo sensu veritas huius rei vel illius, distinguendo veritatum differentias — ut veritas significationis, veritas actionis [8] etc. — si nullam ab ipsis rebus accipit veritas [o] diversitatem? Respondeo, secundum Anselmum, *De veritate* [9]: « Improprie huius rei vel illius veritas dicitur esse, quoniam illa non in ipsis [p] rebus aut ex ipsis aut per ipsas, in quibus esse dicitur, habet suum esse: sed cum res [q] secundum illam sunt, quae semper praesto est iis quae sunt sicut debent esse, veritas dicitur huius rei vel illius, ut veritas significationis, veritas voluntatis et huiusmodi: quemadmodum tempus [r] huius rei vel illius [s], cum unum et idem sit tempus omnium quae in eodem tem-

---

[a] R om. [b] SLF *scilicet*. [c] F om. [d] PV om., in S est add. interl. [e] Ita F add. interl., alii om.; codd. *hec* pro *hoc*. [f] V *quam*. [g] B exp. *n. t. p.* et om. *non*. [h] F *tempore*. [i] R om. [k] PVS *in divino*. [l] F om. [m] F add. interl. *est*. [n] V *est*. [o] PVS *veritatis*. [p] F *illis*. [q] PVS add. *que*. [r] L om. [s] S add. *ut veritas significationis*, F *ut* pro *cum*.

1 *De verit.*, c. 13 (PL 158, 484), ad sensum.
2 Anselm., loc. cit.
3 Cap. 13 (PL 158, 486).
4 Loc. cit., ad sensum.
5 Lib. I, c. 15, n. 29 (PL 32, 884).
6 Cap. 13 (PL 158, 485).
7 Cf. supra, p. 141b, III. In eodem cap. iam indicavimus definitiones quae hic iterum afferuntur.
8 Cf. Anselm., *De verit.*, cc. 2-7 et 13 (PL 158, 469 sqq. et 486).
9 Cap. 13 (PL 158, 486).

pore simul sunt. Et si non esset haec res vel illa, nihilominus esset idem tempus; nec enim ideo dicitur tempus [a] huius rei vel illius [b], quia tempus est in ipsis rebus, sed quia ipsae sunt [c] in tempore. Et sicut tempus per se consideratum non dicitur tempus alicuius, sed cum res, quae in illo sunt, consideramus, dicitur huius rei vel illius: ita summa veritas per se subsistens nullius [d] rei est, sed cum aliquid secundum illam est, tunc eius dicitur veritas ».

92 CAPUT II.

AN PLURES VERITATES SINT AB AETERNO.

Consequenter quaeritur an plures veritates sint ab aeterno [1].

a. Et cum esse veritatem sit esse quid, si sunt plures veritates ab aeterno, erunt plura aliqua ab aeterno, quod est error [2].

b. Item, si diceretur quod una est veritas ab aeterno, sed plura vera [e] – contra: cum verum non sit determinatio diminuens vel removens, cum dicitur aliquid verum, quemadmodum homo mortuus, sequitur necessario: 'si plura vera ab aeterno, quod plura aliqua ab aeterno'. Cum ergo hoc [f] sit falsum, relinquitur quod unum solum et veritas una est ab aeterno.

Contra: 1. Cum dico: 'Pater generat, Filius generatur, Spiritus Sanctus procedit', hic sunt plures veritates, sicut plures personae vel proprietates; sed veritates istae sunt [g] aeternae sine principio; ergo plures veritates ab aeterno.

2. Item, Augustinus [3] dicit quod « tres sunt res quibus fruendum est »; sed veritas convertitur cum re; ergo tres sunt [h] veritates respondentes huiusmodi tribus rebus; sed huiusmodi res sunt sine initio, quia huiusmodi vocat personas divinas; ergo et tres huiusmodi veritates sunt sine initio, aut ratione personalitatis non esset ponere veritatem in divinis.

3. Item, Deus ab aeterno scivit omnem creaturam sive hanc sive illam; scivit ergo ab aeterno Antichristum fore et Petrum fore — horum enim veritas fuit ab aeterno in mente divina, quia omne quod scitur, quia verum est scitur — sed Antichristum fore non est Petrum fore; ergo veritas huiusmodi in mente divina non est veritas illius, quia [i] si haec distinguuntur inter se, ergo et veritates eorum [k] distinguentur; sed istae veritates sunt in mente divina ab aeterno et sciuntur a Deo, et pari ratione veritates omnium creaturarum; ergo plures sunt veritates ab aeterno.

Solutio: Dicendum quod « una sola est veritas [4] », cuius proprium est esse sine initio; et haec est veritas prima, quae est principium omnium aliarum veritatum et prior illis causalitate et duratione, quae omnes alias veritates [l] tenet in esse et conservat.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad primum [5] obiectum dicendum quod, cum dicit Augustinus quod « tres sunt res quibus est fruendum »: dicendum quod res aliquando appellatur natura, aliquando res appellatur ipsa res naturae. Augustinus ergo [m] ibi vocat « tres [n] res », tres divinas personas. Unde sunt hic tres res naturae sive tres [o] personae: non tres res, id est tres naturae, immo sunt tres [p] unius naturae et sunt illa natura, scilicet divina essentia. Et ideo cum veritas ad essentiam referatur et super ipsam fundetur, non est dicendum quod sint harum tres veritates distinctae, immo una sola. — Quod tamen obicitur quod 'Patrem generare non est Filium generari': dicimus quod si loquimur de veritate, quae est rei relate ad intellectum, posset esse quod sint tres veritates secundum rationem intelligentiae, una tamen sola est veritas essentiae, non plures; et de hac hic loquimur. Ipsa enim proprietas ad personam reducitur et persona ad essentiam; et propter hoc veritas proprietatis ad veritatem [q] personae reducitur [r] et veritas personae ad veritatem essentiae: et ideo cum sit ibi una sola essentia, relinquitur quod sit ibi una sola veritas. — Quod sic patet: 'Patrem enim generare' nihil aliud est quam 'Pa-

---

[a] R om. [b] S add. *cum unum et item.* [c] LF *ipsa est* pro *i. s.* [d] V *in illius.* [e] V *veri.* [f] BL om. [g] PV add. *ab eterno*, quod S exp. [h] F om. [i] R *sed.* [k] LF *earum.* [l] B *virtutes.* [m] S *vero.* [n] LF om. [o] B om. [p] BRLF *res.* [q] F *proprietatem.* [r] PVSLR repetunt *persona ad essentiam... reducitur.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 46, a. un., q. 4 (I, 827sqq.).

[2] Inter decem errores reprobatos, ut ait S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 3 (II, 547) « ab universitate Magistrorum Parisiensium tempore Episcopi Gulielmi et Odonis Cancellarii et fratris Alexandri de Hales, patris et magistri nostri », « septimus est, quod multae sunt veritates ab aeterno, quae non sunt Deus ». Isti articuli condemnati fuerunt « anno Domini M°CC°XL dominica secunda post octabas Natalis Domini », id est 13 ianuarii 1241. Cf. Denifle-Chatelain, *Chartular. Univers. Paris.*, I, 170sqq.

[3] *De doctrina christ.*, I, c. 5 (PL 34, 21).

[4] In textu allato *Chartular. Paris.*, loc. cit., post articulum septimum condemnatum sequitur: « Hunc errorem reprobamus, firmiter enim credimus quod *una sola veritas sit* ab eterno, que est Deus ».

[5] In ordine obiectorum ponitur secundo loco.

trem esse'; et 'Filium generari' idem quod 'Filium esse'; 'Spiritum Sanctum procedere' idem quod 'Spiritum Sanctum [a] esse'. Sed cum dico: 'Pater est, Filius est, Spiritus Sanctus est', idem dico 'esse' sive eamdem essentiam: hoc enim esse dicitur de Patre, quia Pater est essentia; et de Filio, quia Filius est essentia; et similiter de Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus est essentia. Si ergo haec veritas: 'Pater generat' reducitur ad hanc [b] 'Patrem esse', reducitur ad essentiam, et sic de aliis; et ita cum ad eamdem essentiam reducantur, ratione cuius est veritas, constat quod non sunt ibi [c] tres veritates, sed una sola, et ita non ibi [d] sunt tres veritates sine initio, quia ad unam indivisibilem [e] veritatem reducuntur, ratione cuius dicuntur esse una. — Et per hoc patet solutio ad primum et ad [f] secundum.

3. Ad aliud dicendum quod licet referendo ad res extra [g] una non sit altera, quia 'Petrum fore' in re non est 'Antichristum fore', tamen in mente divina [h] veritates istae indivisae sunt et sunt una veritas. Sunt enim prima veritas sive divina essentia; nam 'mundum fore', antequam mundus sit, non est aliud quam 'Deum fore creaturum [i] mundum'; et similiter 'Petrum fore', et sic [k] de aliis futuris; sed 'Deum fore creaturum mundum' idem est quod 'Deum [l] esse'; et ita veritates istae relate ad divinam essentiam [m] unum sunt, quia sunt divina essentia. Unde hac ratione dicit Anselmus [1] quod creatura in Creatore est creatrix essentia. Unde sicut nos dicimus de ideis quod ideae relate ad ipsa [n] ideata plures sunt, quia creaturae, quarum sunt, plures sunt [o] nec una est alia, et ideo in comparatione ista, una idea non est [p] alia, comparatione tamen ad ipsum primum, prout sunt in mente divina, omnes ideae sunt [q] unum: sic dicimus quod istae veritates plures sunt in re extra, nec una sit alia, sunt tamen una veritas, prout sunt in mente divina, quia [r] sunt idem quod prima veritas, quae est divina essentia; et sunt una veritas, et non plures secundum quod sic, sed contingit dicere quod est veritas plurium rerum.

CAPUT III. 93

AN OMNIS VERITAS AETERNA SIT.

Postea quaeritur de aeternitate veritatis, I. an omnis veritas aeterna sit.

Ad quod sic: 1. Augustinus [2]: « Nihil magis est aeternum quam ratio circuli et duo et tria esse quinque ». Ergo aut dicetur 'Deus est ratio circuli' et similiter 'duo et tria esse quinque' vel quod plura sint ab aeterno; quorum utrumque est inconveniens.

2. Item, quod non incepit est aeternum; sed veritas huius propositionis 'Antichristus nascetur' non incepit: non enim est dicere quando incepit [s]; ergo est aeterna.

Contra: *a*. Quod est aeternum nunquam desinet; sed veritas huius propositionis aliquando desinet [t]: postquam enim natus erit, non erit amplius vera; ergo non est aeterna.

II. Item, circa hoc quaeritur utrum enuntiabilia sint [u] ab aeterno.

Ad quod sic: 1. Ab aeterno fuit verum 'mundum fore': aliter enim praescientia, quae fuit de hoc ab aeterno [v], non esset veri, et ita de aliis; ergo enuntiabilia fuerunt ab aeterno.

2. Item, Augustinus, in libro *Soliloquiorum* [3], dicit quod sequitur: 'si mundus non fuit, mundum non fuisse est verum'. Et per hoc intendit probare quod veritas est aeterna, per hoc quod necesse est alteram partem contradictionis esse veram; et ita 'mundum non esse' fuit verum antequam fieret; ergo enuntiabile ab aeterno.

Contra: *a*. Cum dicitur 'mundum fore' hoc enuntiabile affirmat de mundo quoniam [x] erit; similiter cum dicitur 'mundus non est', antequam mundus esset, haec enuntiatio negat de mundo quoniam est. Si ergo de hoc quod omnino non est, nihil potest affirmari, et si universaliter nihil esset, nihil posset de aliquo negari; cum [y] ergo ab aeterno non fuerit mundus nec aliquod eorum quae sunt in mundo, non erit verum dicere ab aeterno 'mundus erit' et 'mundus non est'.

b. Item, ab aeterno non est enuntians nec res de qua enuntiatur; ergo enuntiabilia non sunt ab aeterno.

---

[a] V om. [b] BRLF add. *que est.* [c] BR om. [d] RLF om. [e] P *divisibilem.* [f] BRLF om. [g] PV add. *quarum,* quod S exp. [h] F *ista.* [i] LF *daturum.* [k] BRLF add. *est.* [l] R om. [m] F add. *in.* [n] PVS om. [o] BL om. *quia... sunt.* [p] S om. [q] BR om. [r] V *que.* [s] F *cepit.* [t] V om. *sed veritas... desinet.* [u] V om. [v] V *ab hoc eterno* pro *d. h. a. a.* [x] V add. *non.* [y] F om.

[1] *Monolog.*, c. 34 (PL 158, 189).

[2] Cf. *De lib. arbit.*, II, c. 8, n. 22 et 23 (PL 32, 1252 sq.), ad sensum.

[3] Lib. II, c. 2 (PL 32, 886). Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 12, q. 3 (f. 29c); Phil. Grevius, *Summa*, II (f. 8a).

Respondeo [a]: I. 1. Ad primum dicendum quod veritas huius propositionis 'Antichristus nascetur' et huius 'duo et tria sunt quinque' et huius 'circulus est figura plana [b]' potest retorqueri vel [c] ad id in quo radicatur veritas illa sicut in subiecto, sicut dicit Augustinus quod brevis definitio veri est «id quod est»: et sic istae veritates non sunt aeternae; et quod [d] dicit Augustinus: «Nihil magis est aeternum» etc. accipitur ibi 'aeternum' pro perpetuo vel pro aeterno temporis. Vel potest retorqueri dictarum propositionum veritas ad primam veritatem: et sic est quaelibet illarum aeterna nec est aliud quam ipse Deus; nec ideo dicetur quod circuli ratio sit Deus, simpliciter loquendo [e], sed circuli ratio prout est in Deo.

2. Eodem modo respondendum [f] est de illa 'Antichristus nascetur': quod si [g] veritas eius retorqueatur ad veritatem primam, hoc modo veritas est aeterna [h]; si retorqueatur ad illud in [i] quo est: sic non est aeterna simpliciter [k], tamen in genere temporis et in aeterno potest dici non habuisse principium. Sequitur tamen, secundum quod dicitur quod [l] praeteritorum non est finis, sed principium in tempore, e contrario futurorum non est principium, sed finis in [m] tempore. Sicut enim, quantum est de ordine temporis, non est assignare tempus in quo ultimo haec sit vera: 'Caesar fuit', sed [n] est assignare in quo primo [o] fuit vera; ita e contrario in ordine temporis non est assignare tempus [p], in quo primo haec fuit vera: 'Antichristus erit', tamen erit assignare tempus in quo ultimo [q] erit vera [1].

II. Ad hoc quod quaeritur de enuntiabilibus, dicendum quod enuntiabile importat aptitudinem unam ex parte enuntiantis et aptitudinem aliam ex parte eius quod enuntiatur. Quantum est de aptitudine ex parte rei enuntiatae, distinguendum quod res enuntiata potest considerari in natura propria: sic [r] non sunt enuntiabilia ab aeterno, quia in enuntiabili est compositio vel divisio; compositio autem et divisio tunc primo venerunt in esse, cum creatura processit in esse, in qua [s] est prima compositio eius 'quod est' et eius 'quo est': et ratione eius 'quod est' accipitur ratio subiciendi, ratione eius 'quo est' ratio praedicandi. Quantum vero est de aptitudine rei enuntiatae secundum quod in causa, possent [a] dici enuntiabilia esse [b] ab aeterno: sed hoc non simpliciter, sed secundum quid, secundum quod [c] esse rerum in causa non est esse simpliciter, sed secundum quid.

1-2. **Ad obiecta** ergo dicendum quod veritas enuntiabilium secundum quemdam modum aeterna est; non tamen sequitur quod enuntiabilia [d] ab aeterno. Unde distinguendum quod est veritas triplex. Est enim veritas rei, secundum quod dicit Augustinus, in libro *Soliloquiorum*: «Verum est id quod est». Est etiam veritas signi, secundum quod dicimus orationem veram esse cum ostendit rem esse sicut est: et secundum hoc veritas est adaequatio signi ad id cuius est signum. Est etiam veritas causae, de qua dicit Anselmus [2] quod una et sola est veritas, licet plura sint vera; et ponit exemplum de tempore: sicut est tempus unum, licet plura temporalia [e] eodem tempore mensurata [f]; et hoc modo dicit Augustinus [3] quod «omne [g] verum est verum prima veritate». Secundum primum modum 'mundum [h] non esse' et 'mundum futurum esse' non fuit verum [i], antequam mundus [k] et res essent: nulla enim res subiacebat affirmationi vel negationi, sicut nunc [l] affirmationi subiacet compositio alicuius rei, et negationi vere subiacet modo propria veritas, quia una res separationem habet ab alia. Secundum modum secundum, secundum quod [m] dicitur veritas signi, cum veritas signi [n] dependeat a veritate rei, non erit dicere secundum statum illum: 'mundum fore' vel 'mundum non esse'. Secundum autem ultimum modum, prout dicitur veritas causae, subest veritas ei quod est 'mundum fore' 'mundum non esse', antequam mundus esset, et huic affirmationi 'mundum fore' sufficit veritas ideae sive ratio mundi in veritate sive arte divina, quae est respectu mundi futuri [o]. Huic autem negationi 'mundum non esse' subest veritas ipsius esse divini, quod est vere esse, ratione cuius veri esse removetur a mundo et ab unaquaque creatura quae tunc non erat. Nec ex hoc sequitur quod mundus sit vel alia creatura, quamvis aliquid affirmetur vel negetur de [p] mundo: sicut non sequitur: 'si hircocervus est in opinione', quod [q] 'hircocervus' habeat esse, sed quod 'opinio de hircocervo' [r] habeat esse [4].

---

[a] BRLF om. [b] R *plena*, quod B corr. [c] V om. [d] PV add. *sicut*, quod S exp. [e] L om. [f] R om. [g] L om. [h] BR add. *simpliciter*. [i] F om. [k] B om. [l] F om. [m] LF om. [n] F add. interl. *hec*, V *fore* pro *fuit*. [o] V om. [p] PV om., in S est add. mg., V *post* pro *primo*. [q] V add. *hec*, F add. mg. *non*. [r] L om. [s] BRLF *quo*.

[a] V *posset*, LF *possunt*. [b] V *dici*. [c] PV *quia* pro *s. q.* [d] LF *convertibilia*. [e] V *tempora*. [f] BR *mensurantur*. [g] V om. [h] F om. [i] P *esse*. [k] VS add. *esset*. [l] B *non*. [m] BF *quem*, R *que*, BRLF om. *secundum*. [n] F om. *c. v. s.* [o] BRLF *futura*. [p] B *a*. [q] V *et*. [r] B *hirco*.

1 Cf. Phil. Grevius, *Summa*, II (f. 8a).

2 *De verit.*, c. 13 (PL 158, 486).

3 *De div. quaest. 83*, q. 1 (PL 40, 11): «Omne verum a veritate verum est... Est autem veritas Deus»; cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 13, q. 3 (f. 29c).

4 Cf. Phil. Grevius, *Summa*, II, (f. 7d).

CAPUT IV. 94

AN VERITAS SIT MUTABILIS.

Consequenter quaeritur an veritas sit mutabilis vel immutabilis.

Ad quod sic: *a.* Anselmus[1]: « Omnino video ipsam rectitudinem immutabilem permanere »; sed veritas est rectitudo; ergo veritas omnino est immutabilis.

b. Item, Augustinus, in libro *De libero arbitrio*[2]: « Veritas non est inferior mente nostra, quia de ea iudicaremus » — quod non est verum: non enim de ipsa iudicamus, sed per ipsam — nec menti aequalis, quia mutaretur sicut mens est mutabilis. Unde dicit[3]: « Mentes nostrae aliquando plus vident, aliquando minus de ipsa: ipsa, in se manens, nec proficit nec deficit ». Ex quo videtur quod sit immutabilis.

c. Item, obicitur quod veritas creata sit immutabilis, quia res quaelibet veritatem habet, quia habet similitudinem cum primo; sed ratione eius quod habet similitudinem cum primo [a] est permanens; ergo ratione permanentis est veritas in omni re, et super ipsum [b] permanens est fundata veritas; sed ratione illius est immutabilis, alioquin non haberet per illud similitudinem cum primo, qui est immutabilis; ergo veritas etiam creata [est] immutabilis.

d. Item, sicut dicimus de caelo quod substantia eius non mutatur, licet moveatur in tempore, ita dicimus quod aliquid est in tempore quod secundum substantiam non mutatur [c], licet sit alterum et alterum; et hoc est 'nunc' quod fertur, quod idem est secundum substantiam non mutatum [d], sed manet, licet dicatur alterum et alterum [e]: sicut ille qui sedet in foro et post in theatro, non dicitur mutatus secundum substantiam, licet mutetur secundum accidens. Ergo cum supra permanens fundetur veritas, eadem erit veritas sub hoc praesenti, praeterito et futuro, et non mutata, cum eadem sit substantia temporis [f] praesens, praeterita et futura, sed altera et altera, et ita veritas est immutabilis.

e. Item, veritas praeteriti dicitur respectu alicuius praesentis, veritas praesentis respectu eiusdem cum est praesens, veritas futuri respectu eiusdem cum est praesens [g]; idem ergo est quod subest veritati praeteriti, praesentis et futuri. Si ergo quod est verum de praeterito, semper erit verum, et quod est verum de futuro, semper fuit verum, et quod est verum de praesenti [h], nunc est verum, cum idem subsit verum [i] praesenti, praeterito et futuro: quodlibet ergo verum semper fuit et est et erit verum; quaelibet ergo veritas est immutabilis, quamvis enuntiatio de vero per tempora varietur.

f. Item, Anselmus, in libro *De veritate*[4]: « Non existente significatione, non [k] perit rectitudo eius qua rectum est et qua exigitur ut quod significandum est significetur. Nec ideo est rectitudo in significatione, quia nunc incipit esse, cum significatur esse quod est, vel non esse quod non est, sed quia significatio tunc fit secundum rectitudinem quae semper est: nec ob hoc [l] abest a significatione, cum non sic ut debet aut cum nulla sit significatio, sed quia tunc significatio deperit a non deficiente rectitudine. Rectitudo igitur, qua significatio recta dicitur [m], non habet esse aut aliquem motum per significationem, quocumque ipsa moveatur significatio; omnino ergo video hac ratione [n] probari, quoquo [o] modo ipsa sunt, rectitudinem immutabilem permanere ».

Contra: 1. *Diminutae sunt veritates* [p] *a filiis hominum*[5]. Ergo multo magis in aliis creaturis sunt diminutae, cum homo sit nobilior creatura et magis similis Deo; sed omne diminutum est mutatum sive mutabile [q]; ergo veritas est mutabilis.

Solutio: Dicendum, secundum Anselmum[6], quod veritas prima est immutabilis. Et similiter Augustinus loquitur de veritate prima in praedicta auctoritate[7]: de hac enim simpliciter verum est quod est immutabilis. Sed de veritate, quae est in creaturis, dicimus quod in aliquibus est veritas mutabilis. Sed duplex est veritas in istis creatis: una [r], quae est in creatura ratione eius quod habet similitudinem cum Deo, et illa veritas fundatur super aliquid unde habet [s] similitudinem cum Deo. Unde tempus, licet non permaneat, in quantum huiusmodi, in suis partibus, tamen in non permanendo habet quamdam permanentiam; et similiter motus; et ratione huius

---

[a] S om. *c. p.* [b] V *quem.* [c] L *movetur.* [d] L *mutatur.* [e] R om. *e. a.* [f] PV *tempus*, quod S corr. [g] B om. *veritas futuri... praesens.* [h] V *futuro.* [i] PV add. *de*, quod S exp. [k] V om. [l] R *obest nec* pro *o. h.* [m] S om. [n] V *hanc significationem* pro *h. r.* [o] PV *quo*, quod S corr. [p] L *vanitatis.* [q] P add. *vere.* [r] PVS add. *est*, F *creaturis* pro *creatis.* [s] BRLF *habent.*

1 *De verit.*, c. 13 (PL 158, 485).
2 Lib. II, c. 12, n. 34 (PL 32, 1259).
3 Loc. cit.
4 Cap. 13 (PL 158, 485).
5 Psalm. 11, 2.
6 Loc. cit.
7 Sub litt. *b.*

habet veritatem: et haec veritas est immutabilis in re [a]. Unde haec veritas non interit, secundum Augustinum [1], existente re scilicet quae est [b] fundamentum veritatis, nec variatur secundum successionem motus et temporis. Sed est alia veritas, quae est adaequatio rei et intellectus: et haec veritas est in re, non solum ratione eius quod habet similitudinem cum primo, immo etiam ratione dissimilitudinis. Unde res corruptibilis, in quantum huiusmodi, non habet [c] similitudinem cum primo [d], tamen habet veritatem quantum ad hoc unde intellectus apprehendit et intelligit quod haec res est corruptibilis: et haec est veritas rei in se, et haec veritas mutabilis est, sicut et res mutabiles sunt; haec enim variatur secundum variationem et mutationem eorum quae accidunt circa essentiam rei, quae est subiectum veritatis invariabilis. Secundum autem [e] hanc variationem sub signis diversis accipitur, sive apta [f] nata est accipi, res ab intellectu: unde quandoque sub consignificatione [g] temporis talis vel talis, quandoque sub tali accidente, quandoque sub opposito. Propter hoc illa veritas, quae est rei secundum hanc variationem acceptae, variabilis est.

[Ad obiecta]: 1. Non est ergo auctoritas Psalmi contraria ei quod dicitur veritatem esse immutabilem, quia loquitur de alia veritate. Et sic patet responsio.

95

CAPUT V.

AN PRIMA VERITAS SIT CAUSA OMNIUM VERITATUM.

Consequenter quaeritur an prima veritas sit causa omnium veritatum.

Ad quod sic: *a.* Summa bonitas se habet ad bona sicut summa veritas ad vera; si ergo summa bonitas est causa omnium bonorum, ergo summa veritas est causa omnium verorum, ergo et omnis veritatis.

b. Item, I Cor. 12,3: *Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.* Glossa [2]: « Omne verum, a quocumque dicatur, a Spiritu Sancto est » verum. Ergo et a prima veritate est verum.

c. Item, Anselmus, in libro *De veritate* [3]: « Vides quoniam prima rectitudo causa sit omnium veritatum et rectitudinum et nihil sit causa illius? » Et respondet: « Video et animadverto in aliis tantum esse effecta [h], quasdam vero [i] causas et effecta: ut cum veritas, quae est in rerum essentia, sit effectum [k] summae veritatis, ipsa vero causa est veritatis, quae cogitationis [l] est et eius quae est in propositione; et istae duae veritates nullius [m] causa sunt veritatis ».

Contra: 1. « Omne verum prima veritate est verum [4] »; sed ' istum fornicari ' vel quod [n] ' iste fornicatur ' est verum, demonstrato aliquo fornicante; ergo a prima veritate est verum [5]; sed ' esse ' et ' esse verum ' convertuntur; ergo a prima veritate habet esse quod iste fornicatur; ergo a Deo habet esse quod iste fornicatur.

2. Item, veritas, quae est in propositione creata, est a veritate quae est in re, sicut dicit Anselmus [6]. Si ergo veritas, quae est fornicationis in re, non est a prima veritate, ergo nec veritas propositionis qua enuntiatur istum fornicari; non ergo « omne [o] verum, a quocumque dicatur, a Spiritu Sancto est » verum [7].

3. Item, si dicatur quod cum dico ' fornicationem ', dico actum inordinatum et deformem: veritas actus est a prima veritate in quantum actus, sed non in quantum inordinatus [p] vel deformis – obicitur: verum est istum actum esse deformem vel inordinatum; ergo verum est deformationem vel inordinationem esse in hoc actu; veritas ergo, qua istud est verum, aut est a prima veritate aut non. Si sic: ergo a prima veritate est deformatio et inordinatio in hoc actu; quod est falsum. Si non: hoc verum non est verum a veritate prima.

Respondeo, secundum Anselmum, in libro *De concordia praescientiae et liberi arbitrii* [8]: « Deus facit in omnibus voluntatibus et operationibus bonis quod essentialiter sunt et quod bona sunt; in malis vero non quod mala sunt, sed tantum quod per essentiam sunt ». Ita per hunc modum dicendum quod in malis facit quod per veritatem sunt, non quod mala sunt, quia hoc per defectum veritatis sunt. Dicendum ergo quod sicut a prima essentia est omne quod est in quantum est, et a prima bonitate [q] omne quod bonum est

---

[a] PV om. *i. r.*, quod in S est add. mg. [b] F om. *q. e.* [c] F *habent.* [d] P *prima.* [e] V om. [f] L *acta.* [g] VB *significatione.* [h] PVS *effectum.* [i] R add. *esse.* [k] PVS *effecta.* [l] Codd. *cognitionis.* [m] L *illius.* [n] L om. [o] V *esse.* [p] V *ordinatus actus.* [q] L add. *est*, B om. *a.*

1 *Soliloq.*, I, c. 15, n. 29 (PL 32, 884).
2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1651), ex Ambrosiastro, in h. l. (PL 17, 245). Cf. Raban., in h. l. (PL 112, 106); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 12, q. 3 (f. 29c), etiam pro sequentibus.
3 Cap. 11 (PL 158, 478 sq).
4 Cf. Augustin., *De div. quaest. 83*, q. 1 (PL 40, 11).
5 Cf. Phil. Grevius, *Summa*, II (f. 8c).
6 Cf. *De verit.*, c. 11 (PL 158, 479).
7 Cf. ad litt. *b.*
8 Quaest. 1, c. 7 (PL 158, 518).

n quantum bonum est, ita a summa veritate est omne verum in quantum verum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum licendum quod cum sit veritas [dicti] quae consistit in adaequatione rei et intellectus [1], et veritas rei, ut accipitur res generaliter ad bonum et malum, nutatio praedicamenti est, cum arguitur a veritate dicti ad veritatem rei; et ideo cum dicitur 'istum fornicari [a] vel quod iste fornicetur, est verum', copulatur veritas dicti, non veritas rei. Sequitur ergo: 'istum fornicari est verum veritate prima', quia hoc dictum vel haec propositio est vera [b] a veritate prima. Et cum arguit [c] ulterius: 'ergo quod fornicatur est a veritate prima' [d], procedit ad veritatem rei, sed deberet arguere: 'ergo habet esse dictum vel enuntiatum a veritate prima'.

2. Ad secundum dicendum quod sicut in malo non dicitur 'esse' simpliciter, sed secundum quid, scilicet ratione subsistentis boni, non ratione defectus a quo nominatur malum: ita dicitur habere veritatem [e] in re secundum quid, sed non simpliciter. Cum ergo dicitur fornicatio habere veritatem in re, secundum quid dicitur. Nam fornicatio dicit deformitatem actus talis, scilicet coire: ratione actus subsistentis deformitas habet esse in re et veritatem; ratione defectus vel carentiae formalitatis vel ordinis dicit defectum ab esse et veritate. Tamen veritas fornicationis, dicta de malo vel fornicatione, habet veritatem et esse simpliciter, quia consistit in adaequatione dictionis ad rem quae simpliciter est, quamvis res non simpliciter habeat esse. Non ergo sequitur, quamvis veritas enuntiationis causetur a veritate rei: 'si veritas rei non est a veritate prima, quod nec veritas dicti', quia veritas huiusmodi secundum quid est a veritate prima, non simpliciter, tamen causa est veritatis dicti: non quod sit ipsa veritas secundum quid, immo est veritas simpliciter, quia de eo quod est secundum quid contingit enuntiare verum simpliciter.

3. Ad tertium quod dicit 'verum est deformationem vel inordinationem esse in hoc actu', dicendum: quia [f] copulatur veritas dicti, concedendum quod veritas, qua hoc est verum, est verum veritate [g] prima; sed non sequitur: 'ergo deformatio est in actu a veritate prima', quia procedit a veritate dicti ad veritatem rei; sed sequeretur: 'ergo dictum vel enuntiatum de deformatione [h] in actu est a veritate prima'.

MEMBRUM III.

De falsitate veritati opposita.

Ordine subsequenti [i] quaeritur de falsitate:
Primo, an falsitas sit in rebus;
secundo, an in sensu vel in [k] intellectu;
tertio, an causa falsitatis sit res vel rei similitudo;
quarto, an falsitas substantificetur in vero, sicut malum substantificatur in bono;
quinto, utrum veritati primae sit opposita falsitas.

CAPUT I. 96

AN CAUSA PROXIMA FALSITATIS SIT IN REBUS.

Ad primum arguitur sic: 1. Augustinus, in [l] II *Soliloquiorum* [2]: « Si verum est id quod est, falsum non esse uspiam concludetur, quovis repugnante ».

2. Item, in libro *De vera religione* [3]: « Si una est Roma quae est circa Tiberim, falsa est illa quam cogitans fingo; si unus est sol, falsus est ille quem cogitans fingo ». Ex hoc relinquitur manifestam falsitatem esse qua id putatur esse quod non est. Relinquitur ergo quod falsitas est in sola mentis aestimatione.

3. Item, cum falsum [m] dicatur a fallendo, si res non fallunt, sicut dicit Augustinus, in libro *De vera religione* [4], « quae nihil aliud ostendunt quam suam speciem, quam pro suae pulcritudinis acceperunt gradu [n] »: relinquitur igitur quod in rebus non erit falsitas.

4. Item, falsitas dicitur de rebus non-entibus,

---

[a] VSBR add. *est*, quod LF exp. [b] SBRLF om. [c] PVS *arguitur*. [d] L *voluntate rei* pro *v. p.* [e] L om. [f] L add. *si*, V *quod* pro *quia*. [g] VS *veritas* pro *v. v.* [h] B om. *d. d.* [i] R *consequenti*. [k] LF om. [l] BRLF om. [m] P *falsitas*. [n] V exp.

1 Cf. supra, p. 124a, IV.
2 Cap. 8 (PL 32, 892).
3 Cap. 34, n. 64 (PL 34, 150).
4 Cap. 36, n. 67 (PL 34, 152).

cum scilicet dicuntur esse, sicut de entibus, cum dicuntur non esse. Relinquitur ergo quod falsitas non est in rebus.

Contra [a]: *a.* Augustinus, II *Soliloquiorum* [1]: « Falsum solet dici quod a veri similitudine longe abest, sed tamen [b] habet ad verum nonnullam imitationem »; sed quod omnino non est non potest habere alicuius imitationem; relinquitur ergo quod falsum habet esse in re.

b. Item, Augustinus [c], II *Soliloquiorum* [2]: « Non attendis eam rem, quae omnino nulla sit, nec falsum posse [d] dici? si enim falsum est, est [e]; si non est, non est [falsum] ».

c. Item, Augustinus, in eodem [3]: « Eas res falsas nominamus quas veri similes deprehendimus »: hinc homo pictus dicitur homo falsus [4]. Relinquitur ergo quoniam [f] falsum est in rebus, ex quo res falsae nominantur propter veri similitudinem.

Respondeo: Sicut distinguit Anselmus [5] quod est veritas rei et [g] veritas cogitationis [h] et significationis, sic falsitas multipliciter: falsitas rei, ut homo pictus est homo falsus; et falsitas cogitationis, ut montes aurei falsi montes; et falsitas enuntiationis vel significationis, ut 'hominem esse asinum' est falsum. Dicendum ergo quod falsitas rei est in rebus, falsitas cogitationis est in anima — prout dicitur in Psalmo [6]: *Anima mea impleta est illusionibus* — falsitas enuntiationis est in voce prout est signum.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum quod obicit: dicendum, secundum Augustinum [i], in *Soliloquiis* [7]: « Falsum in re dicitur quod fingit esse quod [k] non est, aut omnino esse tendit et [l] non est ». « Fingit esse quod non est »: ut tragoedus qui fingit se Priamum et non est Priamus [8], et hypocrita se bonum et non est bonus; « tendit esse et non est »: ut « imago tua in speculo quasi tu ipse vult esse, et ideo falsa, quia non est; similiter ea quae dormientes vel furentes [9] » cernunt, et picturae et simulacra id esse tendunt cuius similitudinem repraesentant, et « eo tamen falsa sunt, quia id quod [m] tendunt esse non possunt [10] ». Falsum ergo incidit rebus ex defectu 'esse', sicut malum incidit ex defectu 'boni'; et ideo dicitur « non esse uspiam », eo quod falsum, quamvis tamen habeat esse ratione subiecti, quod dicitur esse falsum in quantum deficit ab esse ad quod tendit vel fingit: ut in theatro « Roscius [n] [voluntate] falsa Hecuba, sed natura verus homo [11] », et homo pictus vera pictura est, sed falsus homo.

2. Ad secundum dicendum quod dicitur falsitas in re et falsitas in cogitatione. Primo modo dicitur falsitas [o], qua id putatur esse quod non est in ratione causae moventis per rei imitationem [p]; secundum quem modum dicit Augustinus, in *Soliloquiis* [12], quod « falsum est [q] quod ad similitudinem alicuius accommodatum est, nec id tamen est cuius simile apparet »; et ex hoc non sequitur quod falsitas non [r] habeat esse in re. Secundo modo falsitas, qua id putatur esse quod non est in [s] ratione causae formalis; secundum quem modum dicit Augustinus [13]: « Falsum est aliquid quod aliter quam est videtur »; et haec falsitas in re et cogitatione habet esse. Primo modo [t] falsitas in re visa, secundo modo in vidente.

3. Ad tertium respondeo [u], secundum Augustinum, *De vera religione* [14]: « Corpora in tantum fallunt, in quantum non implent illud quod convincuntur imitari ». — Quod ergo obicitur quod 'res non fallunt': dicendum quod [v] non fallunt causaliter, sed occasionaliter. Vel dicendum, secundum Augustinum, quod ex eo quod sunt non fallunt, sed ex eo quod non sunt; unde dicit, in libro *De vera religione* [15]: « Si nos fallit rerum visibilium pulcritudo, non ex eo quod est nos fallere dicitur, sed ex eo quod non est ».

4. Ad ultimum dicendum per interemptionem [16] quod falsitas non est in rebus non-entibus; tamen dicitur falsitas in dicto vel [x] enuntiatione, quae est de rebus non-entibus, et ipsa enuntiatio vel dictum, quae est de re non-ente, est. Unde Augustinus, in *Soliloquiis* [17]: « Multum interest inter ea quae dicimus et ea de quibus dicimus »; nam omnia quae dicimus sunt entia, ea autem de quibus dicimus sunt [y] entia et non-entia.

---

[a] PV *Item*, S *Item contra.* [b] B *cum.* [c] P add. *in libro*, F add. *libro.* [d] RL *posset.* [e] R om. [f] B *quod.* [g] B add. *est.* [h] Codd. hic et infra *cognitionis.* [i] F om. *d. s. A.* [k] PVS *quia*, codd. *fingitur* pro *fingit.* [l] S *quod.* [m] BRLF *quo.* [n] PV *inscius*, quod S corr.; codd. *tuba* pro *Hecuba.* [o] RL add. *est*, B add. *et est.* [p] PVS *mutationem.* [q] P om. [r] P *tamen.* [s] LF om. [t] BR om. [u] Ita P, V *respondendum*, B *respondent*, alii *responderunt.* [v] B om. [x] BRLF add. *in.* [y] B om.

1 Cap. 15, n. 29 (PL 32, 898).
2 Loc. cit. (PL 32, 899).
3 Cap. 6, n. 12 (PL 32, 890).
4 Cf. Augustin., *Soliloq.*, II, c. 10 (PL 32, 893).
5 *De verit.*, c. 2 (PL 158, 470).
6 Psalm. 37, 8.
7 Lib. II, c. 9, n. 16 (PL 32, 892).
8 Loc. cit., c. 10, n. 18 (PL 32, 893).
9 Loc. cit., c. 9, n. 17 (PL 32, 892).
10 Loc. cit. (PL 32, 893).
11 Loc. cit., c. 10, n. 18 (PL 32, 893).
12 Lib. II, c. 15, n. 29 (PL 32, 898).
13 *Soliloq.*, II, c. 5, n. 8; c. 8, n. 15 (PL 32, 888, 892).
14 Cap. 36 (PL 34, 151).
15 Cap. 34, n. 63 (PL 34, 150).
16 Cf. supra, p. 11, nota 1.
17 Lib. II, c. 15, n. 29 (PL 32, 899).

CAPUT II.

AN CAUSA PROXIMA FALSITATIS SIT IN SENSU VEL IN INTELLECTU.

ARTICULUS I. 97

An falsitas sit in sensu.

Deinde quaeritur an falsitas habeat esse in sensu an etiam in intellectu.

1. **Ad quod** Augustinus, in *Soliloquiis* [a] [1]: « Apparet nos in omnibus sensibus sive in aequalibus sive in deterioribus rebus [b] similitudine lenocinante falli aut [c], etiam si non fallamur, suspendentes consensionem nostram aut etiam differentias dignoscentes, tamen eas res falsas nominamus quas veri similes deprehendimus ». Ergo in sensibus contingit esse falsitatem.

2. Item, Augustinus [2] inducit per sensus omnes, ex quo contingit « ratiocinari veri similitudine [d] falsitatem », ut [e] navigantibus aquam [f] videtur turris moveri quae stat [3], et in horologiis audiri videtur cantus merulae vel corvi [4].

3. Item, Anselmus, in libro *De veritate* [5]: « Est quidem in sensibus corporis veritas, sed non semper: nam fallunt nos aliquando. Nam cum video aliquando per medium vitrum aliquid, fallit me visus, quia aliquando renuntiat mihi corpus, quod video ultra vitrum, eiusdem esse coloris cuius est vitrum, cum alterius sit coloris; aliquando vero facit me putare [g] vitrum habere colorem rei quam ultra video, cum non habeat. Multa sunt alia, in quibus sensus visus et alii sensus fallunt ».

Contra: *a.* Augustinus, *De vera religione* [6]: « Ipsi oculi non fallunt: non enim renuntiare [h] possunt animo nisi affectionem; quod si non solum ipsi [i], sed et omnes corporis sensus ita nuntiant [k] ut afficiuntur, quid amplius ab eis exigere debemus ignoro ». Relinquitur ergo [l] ex hoc quod in sensibus non est falsitas.

b. Item [7], « si quis remum fractum in aqua opinatur, quando auferetur, integrari, non malum habet internuntium, sed malus est iudex: nam ille pro sui natura non potuit aliter in aqua sentire nec aliud debuit. Si enim aliud est aër, aliud [m] aqua, iustum est ut aliter in aëre, aliter in aqua sentiatur ». Relinquitur igitur quod falsitas non habet locum in sensu.

Respondeo, secundum Anselmum, in libro *De veritate* [8]: Est sensus exterior sive particularis, in quo non accidit falsitas; et est [n] sensus interior sive communis, ad quem pertinet iudicare differentias et communia sensuum et componere et dividere de sensibilibus: et in ipso accidit falsitas, sicut dicit Anselmus iis verbis: « Non mihi videtur falsitas in sensibus esse, sed in opinione; ipse namque sensus interior se fallit, non illi [o] mentitur exterior. Quod facile cognoscitur. Cum enim puer timet sculptum draconem aperto ore, facile cognoscitur quia non fallit visus, sed puerilis sensus interior, qui nondum [p] bene scit discernere inter rem et rei similitudinem. Quod autem dicis de vitro, ideo est quia, cum [q] visus transit per aliquod corpus aërei coloris, non aliter impeditur assumere similitudinem coloris quem [r] ultra videt, quam cum transit per aëra, nisi in quantum illud corpus, quod transit, spissius aut obscurius est aëre: ut cum transit per vitrum sui coloris, id est cui nullus alius admixtus est color, aut per purissimam aquam aut per crystallum aut per aliud [s] similem habens [t] colorem; cum vero transit idem visus per alium colorem, ut per vitrum non [u] sui coloris, sed cui alius color est additus, ipsum colorem, qui prius occurrit, accipit. Quapropter quoniam post unum acceptum colorem, secundum quod illo affectus est, alium, quicumque occurrat, aut nullatenus aut minus integre suscipit, ideo illum, quem prius cepit, aut solum aut cum eo, qui post occurrit, renuntiat. Si enim visus, quantum capax est coloris, tantum afficitur priori colore, non potest alium simul sentire colorem; si autem minus quam colorem sentire possit, priori afficitur, potest alium sentire: ut si transit per aliquod corpus, velut per vitrum quod

---

[a] BRLF *libro Solitoquiorum* [b] V om. [c] B *fallunt* pro *f. a.* [d] PVSR *similitudinem.* [e] PS *vel*, V *vel in.* [f] PVS add. *etiam.* [g] R om. [h] Codd. *enuntiare.* [i] BRLF *ipse.* [k] PVS *enuntiant.* [l] BRLF om. [m] B *quam.* [n] BR add. *etiam*, V add. *non.* [o] F *enim.* [p] S *mundum*, quod B corr. [q] LF *cuius* [r] PVSF *quam.* [s] BR *aliquid.* [t] LF om. *a. s. h.* [u] LF om.

1 Lib. II, c. 6, n. 12 (PL 32, 890).
2 Loc. cit., nn. 10 et 12 (PL 32, 889 sq).
3 Loc. cit., n. 10 (PL 32, 889).
4 Loc. cit., n. 12 (PL 32, 890).
5 Cap. 6 (PL 158, 473).
6 Cap. 33, n. 62 (PL 34, 149).
7 Augustin., loc. cit.
8 Cap. 6 (PL 158, 473 sq.).

ita sit perfecte rubicundum ut omnino ipse[a] visus afficiatur eius rubore, nequit diverso simul affici colore. Si autem non tantum perfectum invenit ruborem, qui prior[b] occurrit, quantum coloris capax est, quasi nondum plenus, adhuc alium valet assumere colorem, in quantum eius capacitas priori colore non est satiata. Qui autem[c] hoc nescit, putat visum renuntiare, quia omnia quae post prius assumptum colorem sentit aut omnino aut aliquatenus eiusdem sunt coloris; unde contingit ut sensus interior[d] culpam suam imputet sensui exteriori[e]. Similiter, cum fustis integer, cuius pars est intra aquam et pars extra, putatur fractus, non culpa sensuum est, quia renuntiant quod possunt, quoniam[f] ita posse acceperunt, sed iudicio animae imputandum est quod non[g] bene discernit quid illi possint aut quid debeant ». Haec Anselmus.

98

ARTICULUS II.

An falsitas sit in intellectu.

Item, quaeritur an possit esse falsitas in intellectu.

a. Augustinus[h], *De vera religione*[1]: « Ego unus sum, et hoc loco sentio corpus meum, et tamen figmento cogitationis pergo quolibet et loquor cum quolibet: falsa sunt haec, nec[i] quisquam intelligit falsa. Non ergo intelligo, cum ista contemplor, quia verum esse oportet quod[k] intellectu contemplor ». Cum ergo ea quae fiunt in intellectu, fiant intelligendo, cum falsitas non possit intelligi, non potest fieri in intellectu.

Contra: 1. Augustinus[2]: « Lux vera est qua haec omnia non esse vera cognoscis »; sed constat quod illa est prima veritas, quae est lux solius intellectus; intellectu ergo cognoscuntur praedicta falsa non esse vera; ergo intellectus apprehendit ipsa falsa. Quomodo ergo si falsa sunt in intellectu, non erit falsitas in eodem?

2. Item, nonne contingit errare circa[l] intelligibilia, quae non percipiuntur sensu, ut circa divina? Ergo falsitas erit in intellectu, non solum apprehendendo, sed credendo vel assentiendo.

Respondeo[m]: Rectitudo est principium cognoscendi[n] rectum et obliquum, et ars principium cognoscendi virtutem et vitium, et lux principium cognoscendi luminosum et tenebrosum esse[o] lucem et tenebras; non tamen obliquitas est in recto nec vitium in virtute nec tenebra in luce: sic lux recti intellectus, quae est veritas, est principium cognoscendi tenebram falsi. Nec sequitur falsitatem esse in intellectu: quia non cognoscitur per se, sed per accidens, hoc est per aliud, et illud est verum; sicut obliquum cognoscitur per rectum, in quantum est per declinationem a recto.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet responsio ad primo obiectum.

2. Ad secundum dicendum quod est intellectus rectus et non rectus. Rectus est, cum est ad quod est, scilicet ad cognoscendum rem secundum quod est; unde intellectus dicitur ab 'intus legendo', quia intuetur prout se habet veritas interius, non prout apparet exterius; et hoc modo nihil contemplamur intellectu quod non sit verum. Intellectus non rectus est, cum incidit in quod natus non est; non est autem natus ut iudicet per rei apparentiam: ad hoc enim nata est phantasia, quae dicitur a φανός, quod est apparitio, quae scilicet nata est ad discernenda ea quae apparent; cum ergo hoc[p] modo iudicat intellectus, iam non est rectus, sed phantasticus, et in eo contingit esse errorem. Unde Augustinus, *De vera religione*[3], dicit quod hoc modo « phantasmata[q] dici solent; unde[4]: *Anima mea impleta est illusionibus* ».

99

CAPUT III.

AN CAUSA PROXIMA FALSITATIS SIT IN RE AN IN REI SIMILITUDINE.

Postea quaeritur de causa falsitatis, an sit in re an in rei similitudine.

a. **Ad quod** Augustinus, in libro *Soliloquiorum*[5]: « Quod oculi vident non dicitur falsum,

---

[a] Ita B add. interl., alii om. [b] PVSL *prius*. [c] S *iam*. [d] Ita B (corr.), alii *exterior*. [e] Ita VBL (corr.), alii *interiori*. [f] PVS add. *quod*. [g] PVS add. *ita*. [h] R add. *in libro*. [i] B *vero*, F *ne*. [k] V add. *in*. [l] F *quam*. [m] R om. [n] BL *cogitandi*. [o] Ita L, alii *et se*. [p] L om. [q] PVS *phantastica*, B om. *q. h. m.*

1 Cap. 34, n. 64 (PL 34, 150).
2 Loc. cit. (PL 34, 151); cf. supra, p. 139, nota 12.
3 Loc. cit.
4 Psalm. 37, 8.
5 Lib. II, c. 6, n. 10 (PL 32, 889).

nisi habeat aliquam similitudinem veri: ut homo, quem videmus in somnis, non est verus homo, sed falsus, eo ipso quod habet veri similitudinem »; et sic de aliis; « similitudo ergo rerum mater est falsitatis ».

b. Item, in eodem [1]: « Apparet in omnibus sensibus similitudine lenocinante nos falli [a], et eas res falsas nominamus quas veri similes deprehendimus ». Ergo etc.

c. Item, in eodem [2]: « Dubitari non potest esse falsum quidquam nisi veri imitatione ».

Contra: 1. Obicit Augustinus [3]: « Imago in speculo deprehenditur esse falsa, eo quod non tenetur, non vivit, non sonat ».

2. Item [4], « homines quos videmus in somnis teneri [b], loqui et vivere, si possent teneri et vivere et loqui, et ab illis, quos videmus vigilantes, non differrent, veri homines essent; sed ex hoc quod differunt et dissimiles sunt, veri homines non sunt: veri autem essent, si non essent dissimiles [c]; similitudinem ergo veritatis matrem, et dissimilitudinem falsitatis [d] [esse] fatendum est ».

3. Item, Augustinus, *De vera religione* [5]: « Falsitas ex iis est quae imitantur unum [e], non in quantum illud imitantur, sed in quantum implere non possunt », et loquitur de primo [f] uno quod est primum principium; sed « in quantum non possunt implere », dissimilia sunt illi uni; relinquitur ergo quod dissimilitudo mater est [g] falsitatis.

4. Item, Augustinus, ibidem [6], dicit quod prima veritas est summa similitudo principii, in [h] qua nulla est dissimilitudo ex [i] qua falsitas oritur.

5. Item, obicit Augustinus, in *Soliloquiis* [k 7]: « Cum considero illud quod falsum vocamus, considero aliquid simile habere veri et aliquid dissimile ». Aut ergo nominatur falsum ex eo quod simile aut ex eo quod dissimile. « Si ex eo quod dissimile: nihil est quod falsum dici non possit; nihil enim est quod alicui [l] dissimile non sit. Si ex eo quod simile: ova [m] reclamant quae ex eo vera sunt quo similia ».

6. Item, Augustinus, in eodem [8]: « Si quis dicit lapidem esse argentum, dicit falsum »; nec ex hoc quod lapis habeat argenti imitationem aliquam vel quod videatur argentum et non sit; falsum ergo dicitur non habens veri imitationem aliquam.

7. Item, si falsum dicitur propter similitudinem [n] veri, cum non sit verum, sicut dicitur plumbum falsum argentum, quod assimilatur argento et non est argentum: numquid, quaerit Augustinus [9], potest dici argentum falsum plumbum, quod tamen assimilatur plumbo et non est plumbum?

Respondeo, secundum Augustinum [10], quod similitudo similis, in quantum huiusmodi, mater est veritatis. Unde prima veritas est summa similitudo unitatis [o] principii, quae, sicut ipse dicit [11], « id implere [p] potuit et illud esse quod est [q] [illud]; ipsa est quae illud, sicut est, ostendit: unde recte et Verbum et lux eius dicitur. Cetera illius unius similia dici possunt in quantum sunt, et in tantum vera sunt; haec autem ipsa est eius similitudo et ideo veritas. Ut enim veritate prima sunt quae vera sunt, ita similitudine similia sunt quaecumque similia sunt [r], et, in quantum vera [s] sunt, illius principalis unius similia sunt ». Unde Augustinus, in *Soliloquiis* [12]: « Falsum est quod a veri similitudine longe est, sed tamen habet ad verum nonnullam imitationem ». Item, Augustinus [t], *De vera religione* [13]: « Corpora in tantum fallunt, in quantum non implent illud quod convincuntur imitari ».

[Ad obiecta]: Ad auctoritates hinc inde [14] obiectas iam patet responsio: quia non dissimilitudo tantum nec similitudo mater est falsitatis, sed dissimilitudo eius quod est simile, in quantum huiusmodi.

6. Ad illud vero quod obicit de illo qui « dicit lapidem esse argentum, qui dicit falsum », et tamen [u] non est similitudo lapidis ad argentum: dicendum, secundum Augustinum, quod haec [v] est falsitas dicti vel enuntiationis, non rei; et ideo similitudo est in [x] dicto vel [y] enuntiatione, quia, sicut dicit Augustinus [15]: « Falsa enuntiatio imitatur veras sententias. Quae si non creditur, eo solo imitatur [veras] quod ita dicitur; quod si ei non creditur, est [z] tantum falsa, non etiam fallens; si autem fidem impetrat, imitatur creditas veras ».

---

[a] LF *falsi.* [b] Codd. *tenere.* [c] V om *veri autem... dissimiles.* [d] B *falsitudinis,* V om. *veritatis.* [e] V *unde* et om. *est.* [f] R add. *puto,* B (corr.) add. *principio,* L *principio* pro *uno.* [g] BRLF *erit.* [h] BRLF om. [i] B *in.* [k] BR *libro Soliloquiorum.* [l] S *aliquid.* [m] PF expunctum *ora* corr. in *omnia;* P *clamant,* V *clamans* pro *reclamant.* [n] B *dissimilitudinem.* [o] F *veritatis.* [p] L *adimplere* pro *i. i.* [q] V *potest.* [r] R om. *ita similitudine... sunt,* quod in B est add. mg. [s] S om. [t] BLF om. [u] PVS *etenim* pro *e. t.* [v] BR om. [x] PVS om. [y] F add. *in.* [z] BR om., S (interl.) L add. *quod.*

1 Loc. cit., n. 12 (PL 32, 890).
2 Loc. cit., c. 16, n. 30 (PL 32, 900).
3 Loc. cit., c. 7, n. 13 (PL 32, 891).
4 Loc. cit.
5 Cap. 36 (PL 34, 151).
6 Cap. 36, nn. 66 et 67 (PL 34, 152).
7 Lib. II, c. 8, n. 15 (PL 32, 891).
8 Cap. 15, n. 29 (PL 32, 899).
9 Loc. cit.
10 Loc. cit., c. 7, n. 13 (PL 32, 891).
11 *De vera relig.*, c 36, n. 66 (PL 34, 151)
12 Lib. II, c. 15, n. 29 (PL 32, 898).
13 Cap. 36, n. 66 (PL 34, 151).
14 Respondet ad *a*, *b*, *c* et 1-5.
15 *Soliloq.*, II, c. 15, n. 29 (PL 32, 899).

7. Ad ultimum quod quaerit, dicendum, secundum Augustinum, in *Soliloquiis*[1]: Non dicitur argentum falsum plumbum, quia « argentum melius est, et quasi in contumeliam ei[a] dicitur; plumbi[b] autem velut honor est, si falsum argentum vocetur ». Similiter imago hominis[c] dicitur falsus homo, non homo falsa imago, quia, sicut ipse dicit[2], « falsum est quod ad similitudinem alicuius accommodatum est, nec id tamen est cuius simile apparet »; non autem homo ad similitudinem imaginis, sed e converso, nec argentum ad similitudinem plumbi, sed e converso[d]: ' esse enim ad imitationem[e] alicuius ' dicit dignitatem in illo ad cuius imitationem dicitur.

100

CAPUT IV.

AN FALSITAS SUBSTANTIFICETUR IN VERO.

Deinde quaeritur an falsum[f] substantificetur in vero.

Ad quod sic: 1. Falsum dicitur de eo quod omnino non est; sed illud quod omnino non est non substantificatur nec[g] est substantificabile in aliquo; ergo falsum huiusmodi non substantificatur in vero[3].

2. Item, si falsum opponitur vero, oppositum substantificatur in opposito.

Contra: *a.* Sicut se habet bonum ad malum, sic verum ad falsum. Si ergo, ut dicit[h] Dionysius, *De divinis nominibus*[4], « bonum substantificat[i] privationem suam sui participatione », quod est malum, « omnino enim bono abeunte, non erit bonum neque mixtum neque malum »: ergo similiter verum substantificabit suam privationem, quae est falsum.

b. Item, Augustinus, in *Soliloquiis*[5]: « Tragoedus, qui repraesentabat alienas personas in theatris, non esset falsus Hector, si non esset verus tragoedus. Similiter equus pictus non esset falsus equus, nisi esset vera pictura ». Similiter non esset enuntiatio falsa, nisi esset vera locutio; et sic[k] in omnibus aliis; omne ergo falsum subsistit in aliquo vero.

Respondeo: Concedo quod falsum substantificatur in aliquo vero, quia, sicut dicit Augustinus[6]: « Res, quae omnino non est, non potest dici falsum[l]; si enim falsum est, est ». Omne ergo falsum subsistit in ente; sed omne ens est verum, quia convertuntur verum et ens; ergo omne falsum subsistit in vero.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicit primo quod ' falsum dicitur de eo[m] quod omnino non est ': respondendum per interemptionem. — Quod patet: quia falsum dicitur aut in enuntiatione aut in re. Si in enuntiatione: falsum subsistit in sermone, quod habet verum esse sermonis, quamvis non habeat verum[n] esse significationis. Si in re dicitur: tunc dicitur de aliquo quod est in[o] imitatione alicuius, sed illud non est, ut equus pictus falsus equus est[p], sed vera pictura.

2. Ad secundum dicendum quod falsum opponitur vero generaliter; tamen falsum non opponitur vero in quo subsistit[q], sed opponitur vero in quo non subsistit: ut falsus equus non opponitur picturae equi, sed vero equo. Immo sicut dicit Augustinus, in *Soliloquiis*[7]: « In huiusmodi ad suum verum eis prodest quod ad aliud falsa sunt. Nam unde vera hominis in speculo imago, si non esset falsus homo? aut unde vera pictura esset, si falsus equus non esset? »

101

CAPUT V.

AN PRIMAE VERITATI OPPONATUR FALSUM.

Restat nunc quaerendum[r] an primae veritati opponatur falsum.

Ad quod sic: 1. Summae bonitati non opponitur malum[8]; ergo summae veritati non opponitur falsum nec aliud; ergo etc.

2. Item, si opponitur, ergo aliquo genere oppositionis: non sicut affirmatio et negatio, ut

---

[a] F *id.* [b] BR *plumbum.* [c] BRLF om. [d] F om. *nec argentum... converso.* [e] V *similitudinem.* [f] PVS *falsitas.* [g] F add. *etiam.* [h] BRLF add. *beatus.* [i] R *sustentificat,* idem subinde. [k] F om. [l] S (corr.) BRLF *falsa.* [m] L *deo* pro *d. e.* [n] S add. *in.* [o] S *de.* [p] Ita SL add. interl., alii om. [q] LF *consistit.* [r] L *querere.*

1 Lib. II, c. 16, n. 30 (PL 32, 899).
2 Loc. cit., c. 16, n. 29 (PL 32, 898).
3 Cf. nota sequens.
4 Cap. 4, § 20 (PG 3, 722, PL 112, 1140).
5 Lib. II, c. 10 (PL 32, 893).
6 Loc. cit., c. 15, n. 29 (PL 32, 899).
7 Lib. II, c. 10 (PL 32, 893).
8 Cf. *De duab. animab. c. Manich.*, c. 8, n. 10 (PL 42, 101).

aliquid et nihil; nam negatio nullum ens ponit, falsum autem habet ens subsistens, sicut dictum est, secundum Augustinum[1]; relinquitur ergo quod primae veritati non opponitur falsum ut affirmationi[a] negatio. — Item, nec ut privatio habitui, quia « prima veritas, sicut dicit Augustinus[2], est similitudo summa[b], in qua nulla est dissimilitudo, ex qua falsitas oritur ». Ergo nulla est ei privatio opposita. Praeterea, si esset privabilis habitus, esset mutabilis: quod falsum est. — Item, nec sicut contraria: quia contraria nata sunt fieri circa idem; ergo circa idem subiectum esset falsitas et prima veritas; cadet ergo in Deo falsitas[c]: quod est impossibile. — Item, nec oppositione relationis: quia unum relativorum ponit alterum, veritas vero et falsitas se removent. Nullo ergo modo veritati primae opponitur falsitas.

Contra: *a.* Sicut idolum et Deus opponuntur in Scriptura, ita veritas et mendacium, Psalm.[3]: *Quaeritis mendacium*, « id est idola, quae vana sunt et a vero esse aliena »; similiter, Ierem. 8,5: *Apprehenderunt mendacium*, Glossa[4]: « Mendacium dicuntur idola ». Ergo veritas prima habet oppositionem cum mendacio; sed mendacium illud falsitas est; ergo habet falsitatem sibi oppositam.

b. Item, dicit Philosophus[5]: « Falsum[d] dicitur esse umbra vel phantasma[e] rei »; sed hae creaturae sunt umbrae et phantasmata respectu veritatis increatae[6]. Cum ergo coluntur, sicut inter umbram et lumen est oppositio, et phantasma et speciem veram: ita erit hic oppositio tamquam falsitatis ad veritatem, quia falsum dicitur umbra; ergo habet sibi oppositam falsitatem.

Solutio: Secundum quosdam dicendum quod est falsitas opposita primae veritati. Unde dicitur Deuter. 4,16: *Ne forte decepti*[f] *faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem;* haec similitudo est mater falsitatis, cum ipsa est deficiens.

[Ad obiecta]: 1. Ad rationem in contrarium dicendum quod non est omnino[g] simile de summo bono et de vero. Nam malum dicitur dupliciter: uno modo, quia deficiens a bono; alio modo, quia potest nocere bono. — Quod ergo dicit Augustinus[7], quod summo bono non est malum oppositum: intelligitur quantum ad illam rationem qua dicitur malum quod potest nocere, quia summo bono nihil potest nocere; sed alio modo dicitur malum oppositum bono, quia scilicet deficit a summo bono. Falsum autem dicitur semper opponi vero, quia deficit et non quia possit nocere; et ideo, licet posset dici aliquo modo malum non opponi summo bono, tamen falsum[h] opponitur summo vero.

2. Ad secundo obiectum dicendum[i] quod oppositio veri ad falsum est non sicut affirmationis et negationis simpliciter, ut est aliquid et nihil, sed sicut affirmationis et negationis in genere, ut homo et non-homo, prout non-homo est terminus infinitus, sicut dicitur: ' falsus deus sive falsum numen opponitur vero Deo '; ut, cum dicitur ' non-homo ', non negatur ens simpliciter, sed ens-homo, ita cum dicitur: ' falsus deus ', non negatur ens simpliciter, sed[k] Deus; unde falsus deus ens aliud quam Deus. — Sed melius videtur esse dicendum quod summum verum[l] consideratur dupliciter: in se et ut participatur a creatura. Summo ergo vero primo modo non opponitur falsum aliquo modo, quia secundum hoc nihil est in ipsius imitatione; falsum autem est, sicut dictum est[8], « quod est longe a similitudine veri, dum tamen habeat ad verum nonnullam imitationem ». Secundo modo, prout consideratur in participatione, secundum quam creatura est in imitatione summi veri, dicitur[m] opponi falsum, sicut luci opacum vel obliquo rectum. Et reducitur haec oppositio ad oppositionem privationis et habitus, non quae habeant esse[n] circa divinam naturam, sed circa creaturam quae habeat esse in participatione veritatis primae: et ex participatione est ei habitus; ex defectu participationis, ad quam nata est, privatio, quae est falsitas.

---

[a] L *affirmatio et.* [b] R *prima.* [c] B om. [d] PVS *falsitas.* [e] PV *phantasia,* quod S corr. [f] L *decipi.* [g] B om. [h] B *falsitas.* [i] V om. [k] V add. *ens.* [l] F *bonum.* [m] F add. *ei.* [n] F om.

1 *De vera relig.*, c. 36 (PL 34, 152); cf. supra, num. 100.
2 Loc. cit., nn. 66 et 67 (PL 34, 152).
3 Psalm. 4, 3. Sequitur *Glossa* Lombardi, in h. l. (PL 191, 85).
4 Hieronymi, *In Ierem.*, II, c. 8, 5 (PL 24, 737).
5 Aristot., *Metaph.*, IV, c. 29 (II, 532).
6 Cf. Hugo de S. Vict., *Erud. didasc.*, VII, c. 25 (PL 176, 835).
7 Cf. supra, p. 158, nota 8.
8 Cf. supra, p. 157, nota 12.

QUAESTIO III.

DE BONITATE DIVINAE NATURAE.

Illustrante gratia Christi, post inquisitiones de unitate et veritate divina inquirendum est de bonitate. Et ad intelligentiam faciliorem et perfectiorem inquirenda sunt haec:

I. 1. Quid bonum secundum rationem suae intentionis;
2. an una [a] sola sit bonitas in bonis, quae est summa;
3. quae sint differentiae bonitatis et boni;
4. quae convenientia bonitatis in bonis.

II. De summo bono: 1. An notio et amor eius [b] sint nobis impressa;
2. an summum bonum dicat additionem ad bonum;
3. si summum bonum compatitur secum diversitatem;
4. si compatitur secum pluralitatem;
5. si exigit coexistentiam aliorum bonorum;
6. de fluxu aliorum bonorum a summo bono.

III. 1. Secundum quae discernatur et determinetur bonitas in bonis, scilicet de [c] modo, specie et ordine;
2. si bonum creatum est bonum per essentiam aut per participationem;
3. si aliquod bonum sit immutabiliter bonum;
4. de effectu boni;
5. de bono universitatis.

IV. De oppositione mali ad bonum.

MEMBRUM I.

De bonitate in genere.

CAPUT I.

QUID SIT BONUM SECUNDUM RATIONEM SUAE INTENTIONIS.

Quantum ad primum quaeritur:
1. Si omnino secundum rationem [d] intentionis sit idem bonum et ens;
2. similiter et bonum et pulcrum: nam, quantum ad quid differunt istae intentiones 'verum' et 'bonum', dictum est prius [1];
3. item, si intentio boni accipiatur secundum intentionem causae finalis.

102 ARTICULUS I.

An idem sit bonum et ens.

In primis ergo arguitur sic [e]: 1. Quod per se et per suam intentionem appetitur et optatur [f] est per se bonum et secundum intentionem, quia, sicut dicit Boethius, in libro *De consolatione* [2]: « Omnium expetendorum summa atque causa est bonum. Quod [g] enim nec re nec similitudine nul-

[a] PV om., in S est add. mg. [b] Ita F add. interl., alii om. [c] B *in*, alii om. [d] P add. *sue*. [e] BRbF om. [f] V *operatur*. [g] V *si*.

[1] Cf. supra, p. 139sqq., num. 88.

[2] Lib. III, pr. 10 (PL 63, 768).

um in se retinet bonum, id expeti nullo modo potest ». Cum ergo omnia boni gratia expetuntur, relinquit quasi descriptionem quod bonum est [a] quod desideratur ab omnibus '; cum ergo 'esse' secundum se et secundum suam [b] intentionem desideretur ab omnibus [c], 'esse' est idem secundum intentionem quod 'bonum'. — Quod autem secundum se appetatur 'esse', probatur per Augustinum, in libro *De libero arbitrio* [1]: « Considera, quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum 'esse', quod et beati et miseri volunt ». Item, si dicat aliquis 'mallem non esse quam miserum esse', et ita [esse] non per se ipsum appetitur – contra obicit Augustinus [2]: « Qui dicit 'mallem hoc quam illud', eligit aliquid; non-esse autem non est aliquid, sed nihil »; ergo inconvenienter dicetur 'mallem non esse quam miserum esse'. Item, « qui eligit non esse, convincit se nihil eligere [3] »; ergo non-esse non potest eligi vel optari; per se igitur optatur 'esse'.

2. Item, si obiciatur de illis qui se interimunt ex impatientia vel desperatione, nam illi [d] videntur optare non esse – respondet Augustinus, in eodem [4]: « Nemo, cum se ipsum necat aut quolibet [e] modo emori cupit, habet in sensu quod post mortem non [f] sit futurus, etsi aliquantulum hoc in opinione habeat: nam opinio aut in errore aut in veritate ratiocinantis vel credentis est, sensus autem aut consuetudine aut natura valet; posset autem fieri ut in opinione sit aliud, in sensu aliud: quod ex hoc cognosci facile est, quia plerumque aliud faciendum esse credimus et aliud facere delectat ».

Contra: *a.* Augustinus, VIII *De Trinitate* [5]: « Sicut duo verba sunt quod dicitur 'animus bonus', ita ex eis verbis duo quaedam intelligo: aliud quo 'animus', aliud quo 'bonus' ».

b. Item, 'esse' non recipit magis et minus, 'bonum' vero recipit; ergo non sunt idem 'esse' et 'bonum' secundum intentionem.

c. Item, Boethius, in libro *De hebdomadibus* [6]: « Intueor in rebus aliud esse quod sunt bona, aliud quod sunt ».

Respondeo: 1. Non est [g] idem secundum intentionem ens et bonum, quamvis secundum rem tamen multiplicatur [h] bonum sicut ens. Unde sicut est esse entis primum, scilicet quod est esse naturae, et secundum, quod est esse ordinis sive bene esse, sic bonum in creatura, quamvis in Deo non differat, est [i] dupliciter: bonum naturae, quod est idem quod esse naturae [k], et bonum ordinis, quod idem est in re quod bene esse. Primum bonum inseparabile est [l] ab esse, secundum separabile; unde Augustinus, VIII *De Trinitate* [7]: « Avertendo se [m] a summo bono, amittit animus ut [n] sit bonus animus, non autem amittit ut sit animus, cum et hoc iam bonum sit corpore melius ». Ratione tamen differt, quia ens dicit primum intelligibile absolutum et [o] sine consideratione actus, id est complementi, vel utilitatis sive ordinis; bonum vero dicit ens cum actu, id est cum complemento, sive utilitate et ordine: et ideo addit enti rationem appetibilis sive desiderabilis, nec est desiderabile nisi in quantum complementum, sive utile sive delectabile [p]. — Ad illud [q] quod obicit quod 'esse per se appetitur': dicendum quod si [r] 'per se' excludit 'per accidens', verum est; si 'per se' excludit 'per aliam intentionem', falsum est: ens enim vel esse non appetitur nisi in quantum consideratur cum actu [s], sive utilitate vel delectabilitate.

2. Ad aliud vero quod obicit de interimente se, dicendum, secundum Augustinum, in libro [t] *De libero arbitrio* [8]: « Cum quisque credens quod post mortem non erit, intolerabilibus [u] tamen molestiis ad cupiditatem mortis impellitur, sive cum arripit [v] mortem, in opinione habet errorem omnimodae defectionis [x], in sensu autem naturale desiderium quietis; quod autem quietum est, non est nihil, immo magis est [y] quam id quod est inquietum. Inquietudo autem variat affectiones, et altera alteram perimit; quies autem habet constantiam, in qua maxime intelligitur quod dicitur 'est'. Omnis itaque ille appetitus in voluntate mortis, non ut qui moritur non sit, sed ut requiescat, intenditur: ita [z], cum errore credat se non futurum, natura tamen quietus esse, hoc est magis esse, desiderat ». — Per hoc patet responsio ad obiecta.

---

[a] B add. *id.* [b] BR om. [c] L om. *cum ergo... omnibus.* [d] L add. *qui ita faciunt.* [e] L *aliquo*, V *mori* pro *emori.* [f] R om. [g] F *sunt.* [h] L *multum.* [i] Ita F add. interl., alii om., V *increatum* pro *in creatura.* [k] B *essentie* pro *e. n.* [l] BRLF om. [m] BRLF om., PVS *secundum Augustinum* pro *unde Augustinus.* [n] F *ne.* [o] Codd. *ut.* [p] Codd. *desiderabile.* [q] PS *aliud.* [r] BLF *hoc.* [s] L om. [t] BRLF *tertio* pro *l. l.* [u] V *intolerabilius.* [v] BR *accipit*, L *sicut* pro *sive.* [x] S add. marg. *incipe in sensibili.* [y] B om. [z] Codd. add. *ut*, V *quiescat* pro *requiescat.*

1 Lib. III, c. 7, n. 20 (PL 32, 1280sq.).
2 Loc. cit., c. 8, n. 22 (PL 32, 1281).
3 Augustin., loc. cit. (PL 32, 1282).
4 Loc. cit., n. 23 (PL 32, 1282).
5 Cap. 3, n. 4 (PL 42, 949).
6 PL 64, 1312.
7 Cap. 3, n. 5 (PL 42, 950).
8 Lib. III, c. 8, n. 23 (PL 32, 1282).

103 ARTICULUS II.

An idem sit bonum et pulcrum.

Item, quaeritur si secundum intentionem idem sunt [a] pulcrum et bonum.

Ad quod [b] *a.* Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [1]: « Bonum », quod est Deus, « laudatur [c] a theologis ut decorum et ut decor, ut dilectio et ut dilectum. Decor quidem dicitur, eo quod ab eo omnibus entibus unicuique proprius decor impartitur; pulcrum ergo sive decorum dicitur, quia [d] diffusivum sive distributivum decoris ». Sed haec est ratio boni, scilicet diffusivum et distributivum [e]; ergo secundum intentionem idem bonum et decorum.

b. Item, in eodem: « Pulcrum est [f] diligibile ut finalis causa: propter decorem enim omnia facta sunt »; sed intentio finalis causae et diligibilis est ratio intentionis boni; ergo etc.

c. Item, idem: « Decor est idem bono, quia decorum [g] et bonum [secundum] omnem », id est perfectam « causam omnia affectant, et non est quid entium quod non participet decoro et bono ».

Contra: 1. Decorum dicitur secundum intentionem causae formalis — unde in Deo secundum intentionem causae [h] exemplaris dicitur; unde Dionysius: « Pulcrum est exemplar, quia secundum ipsum omnia distinguuntur »; in creatura vero ab eodem dicitur decorum et speciosum: a specie, quae est forma rei, dicitur res speciosa — bonum vero [i] dicitur secundum intentionem causae finalis; ergo non sunt idem secundum intentionem pulcrum et bonum.

2. Item, Augustinus, XXII *De civitate Dei* [2]: « Omnis pulcritudo est partium congruentia cum quadam suavitate coloris ». Ergo in simplicibus et [k] spiritualibus non erit pulcritudo; sed in eis est [l] bonitas, maxime in Deo et deinde in spiritualibus; relinquitur ergo quod non [sunt] idem secundum intentionem pulcritudo et bonitas, sive pulcrum et bonum.

Respondeo, secundum Augustinum, in *83 Quaestion.* [3]: Cum bonum dicatur dupliciter, honestum et utile, « honestum dicitur quod propter se expetendum est, utile vero quod ad aliud referendum est. Honestatem [a] autem voco intelligibilem pulcritudinem, quam nos spiritualem proprie [b] dicimus; utilitatem vero divinam providentiam. Quapropter, quamquam multa sint pulcra visibilia, quae minus proprie honesta appellantur, ipsa tamen pulcritudo, ex qua pulcra sunt quaecumque pulcra sunt [c], nullo modo est visibilis. Item, multa sunt utilia visibilia; ipsa tamen utilitas, ex qua nobis prosunt, quam divinam providentiam dicimus, visibilis non est ». Ex quo [d] patet quod bonum, secundum quod dicitur honestum, idem est pulcro, quamvis bonum, quod dicitur utile, non idem. Differunt [e] tamen: nam pulcrum dicit dispositionem boni secundum quod est placitum apprehensioni, bonum vero respicit dispositionem secundum quam delectat affectionem [f]; et sic differunt secundum intentionem causae finalis. — Item, in intentione causae efficientis: bonum respicit quod fluit a causa secundum indistinctionem [g]; pulcrum vero, quod fluit a causa secundum distinctionem. Unde Dionysius [4]: « Bonum primum decor dicitur, quia ab eo omnibus entibus proprius decor impartitur ». — Item, in [h] ratione causae exemplaris simili modo: bonum dicit exemplar ad convenientiam, in quantum finis est velut ars et regula operanti [i] ad unum terminum. Unde [k] Dionysius, *De divinis nominibus* [5]: « Lux intelligibilis dicitur bonum »; et sequitur: « Intellectualia et rationalia [l] omnia colligens et conglomerans: etenim, sicut ignorantia divisiva est errantium, sic intelligibilis lucis praesentia collectiva est et unitiva [m] illuminatorum, et etiam [n] conversiva ad vere ens ». Pulcrum vero dicit ipsum exemplar, in quantum ars ad distinctionem et harmoniam differentium [o]. Unde dicit Dionysius [6], quod « est exemplar secundum quod omnia [p] distinguuntur ».

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicit quod 'pulcrum dicitur secundum intentionem causae formalis, bonum secundum intentionem causae finalis' [q]: dicendum quod, sicut forma aliquando [r] dicitur secundum intentionem finis et recipit [s]

---

[a] Ita PV, F interl. *est*, alii om. [b] BRLF add. *beatus*. [c] LF add. *quod*. [d] V *quod*. [e] PVS add. *decoris*. [f] V om. [g] PV *decor*. [h] BRLF om. [i] V om. [k] R add. *in*. [l] L om., in F est add.interl.

[a] L *honestum*. [b] R om. [c] F om. *q. p. s.* [d] BRLF *hoc*, V add. *ergo*. [e] Ita L, alii *differt*. [f] PVS *affectioni*. [g] V *dispositionem*. [h] R om. [i] F *operantis*. [k] BRLF add. *beatus*. [l] Ita V, alii *irrationalia*. [m] BF add. *est*, R add. *etiam*. [n] F *est*. [o] PV *differentem*, quod S corr. [p] B *differentia*. [q] PV om. *bonum... finalis*, quod in S est add. marg. [r] L *quod forma aliud* pro *f. a.* [s] L add. *secundum*.

[1] Cap. 4, § 7 (PG 3, 702sq., PL 122, 1132sq.), ubi et sequentes quatuor textus inveniuntur.
[2] Cap. 19, n. 2 (PL 41, 781).
[3] Quaest. 30 (PL 40, 19).
[4] Cf. supra, nota 1.
[5] Cap. 4, § 6 (PG 3, 702, PL 122, 1131sq.), ubi et sequens.
[6] Cf. supra, sub *Contra*, n. 1.

ntentionem finis [a], in quantum est finis sive terminus esse, sic finis accipit intentionem formae, in quantum est ars et regula operanti; secundum enim inem artifex regulat opus. Simili modo pulcrum induit rationem boni et bonum pulcri, quamvis prima ntentio pulcri magis videatur sumi ex parte exemplaris, sicut prima intentio boni ex parte finis.

2. Ad secundum dicendum quod illud Augustini definit pulcritudinem visibilem sive [b] corporalem; tamen dicitur de pulcritudine corporali sensibili, in quantum ducit ad intelligibilem sive spiritualem. Sicut enim « pulcritudo corporum est ex congruentia compositionis partium », ita pulcritudo animarum ex [c] convenientia virium et [d] ordinatione potentiarum, et pulcritudo in divinis ex ordine sacro divinarum personarum, qua una persona non ab alia, a qua alia per generationem, a quibus tertia per processionem.

ARTICULUS III. 104

An intentio boni dicatur secundum intentionem causae finalis.

Consequenter quaeritur an intentio boni dicatur secundum intentionem causae finalis.

Ad quod *a.* est [e] illud Boethii, *De consolatione* [1]: « Omnium expetendorum summa atque [f] causa est bonum ». Cum ergo finis sit gratia cuius alia expetantur [g], relinquitur quod intentio boni et finis est [h] eadem. Unde descriptio Boethii [i] est [2]: « Bonum est [k] quod desideratur ab omnibus ».

Contra: 1. Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [3]: « Bonum, ut Eloquia dicunt, est ex quo omnia subsistunt et sunt [l] tamquam ex causa perfecta producta, et in quo omnia subsistunt tamquam in omnipotenti profundo custodita et contenta, et ad quod omnia convertuntur quaeribet tamquam ad finem suum, et quod omnia affectant ». Sed « ex quo omnia [m] subsistunt » dicit intentionem efficientis; « in quo etiam subsistunt » dicit intentionem causae formalis; et « ad quod omnia convertuntur » dicit intentionem causae finalis. Bonum igitur dicitur secundum intentionem causae efficientis, formalis et finalis. Quod si est, nulla distinctio erit quae posita est in praecedentibus [n] [4], cum tractavimus de intentionibus [o] 'unius' et 'veri': quod 'unum' dicitur secundum intentionem efficientis, 'verum' secundum intentionem [p] formalis, 'bonum' secundum intentionem sive rationem causae finalis.

2. Item, cum Boethius [5] describat bonum « quod desideratur ab omnibus », cum non conveniat nisi summo bono, non est bene assignata descriptio [q].

3. Item, cum aliae assignentur, ut extrahitur a B. Dionysio [6]: « Bonum [est] diffusivum vel communicativum sui esse », ex qua videtur in infinitum bonorum diffusio; et iterum: « Bonum est indivisio actus a potentia »; et iterum: « Bonum est, secundum Dionysium [7], ex quo omnia subsistunt et in quo omnia conservantur [r] et ad quod omnia convertuntur », quae est ratio huius diversae notificationis boni?

Respondeo: Quia causa finalis est causa causarum, sicut patet in inferioribus, quia finis movet efficientem, efficiens motus quaerit materiam ad opus, prout congruit fini — ut ad finem sectionis quaerit ferrum ex quo [s] fiat serra, deinde imprimit formam in materia secundum intentionem finis — inde est quod finis induit rationem aliarum causarum, quae principaliter sunt: causae efficientis, in quantum movet agentem; formalis, in quantum regula est agentis ad hoc ut [t] perficiat opus suum; finalis vero [u], in quantum completur [v] opus. Materialis autem causa non dicit eam quae agat, sed de qua agatur aliquid, et ideo minus vere causa. Sic, cum finis sit bonum, ipsum bonum, in quantum movet, induit rationem agentis; in quantum regulat, rationem artis vel exemplaris; in quantum complet, est in [x] ratione propria causae finalis.

[Ad obiecta]: 1. Ad aliud dicendum quod intentio boni potest considerari vel in ratione finali vel in ratione efficienti vel in ratione formali. In ratione finali: « bonum est [y] quod desideratur ab omnibus [8] »; in ratione efficienti: « bonum est diffusivum sui esse »; in ratione formali: « bonum est indivisio actus a potentia », et haec notificatio exposita est Quaestione de unitate [9];

---

[a] V om. *e. r. i. f.*; R *secundum quod* pro *in quantum*. [b] V om. [c] B *et*. [d] S *ut*. [e] R om. [f] B *fit queque*. [g] V *appetuntur*. [h] BRLF om. [i] PVS *boni*. [k] V om. [l] PVS om. *e. s.* [m] BRLF *alia*, B *qua* pro *quo*. [n] R om. *i. p.*, B om. *est*. [o] BL *intentione*. [p] BRLF add. *causae*. [q] BRLF om. [r] LF *consubstantiantur*. [s] BRLF *qua*. [t] BRLF *quod*. [u] Ita R, alii add. *est*. [v] V *complectitur*. [x] V om. [y] V om.

1 Lib. III, pr. 10 (PL 63, 768).
2 Loc. cit.
3 Cap. 4, § 4 (PG 3, 699, PL 122, 1131).
4 Cf. supra, p. 115a.
5 Loc. cit.
6 *De cael. hier.*, c. 4, § 1 et *De div. nomin.*, c. 4, § 1 (PG 3, 178, 694, PL 122, 1046, 1129sqq.), ad sensum.
7 Cf. supra, sub *Contra*, n. 1.
8 Sequentium definitionum fontes indicati sunt supra.
9 Ad num. 73, p. 116a.

in ratione simul omnium dicitur: « bonum est ex quo omnia subsistunt » etc.

2. Ad illud quod obicit de hac « bonum est quod desideratur » etc.: dicendum quod haec definitio, absolute dicta, est summi boni; sed secundum mensuram bonitatis in unoquoque contrahitur, ut sic intelligatur: bonum in unoquoque genere est « quod desideratur ab omnibus » illius generis, sicut sanitas bonum est quod desideratur a sensibili.

3. Similiter dicendum quod haec [a] « bonum est diffusivum » etc. [b], absolute dicta, est de summo bono, tamen contrahitur ad omne bonum substantialiter, quia in omni bono substantiali est essentia, a qua est potentia, et a potentia actio, et actio resultat in finem.

105

CAPUT II.

AN EADEM SIT BONITAS IN OMNIBUS BONIS.

Postea quaeritur an eadem sit bonitas in omnibus bonis.

Ad quod sic: 1. Boethius, *De consolatione* [1]: « Omnia unum desiderant; sed unum ipsum monstravimus esse quod est summum bonum; cuncta [c] igitur bonum petunt [d]; quod ita describas: bonum est quod desideratur ab omnibus ». Ex quo relinquitur quod unum est bonum et una [e] bonitas in bonis omnibus: et illud bonum summum.

2. Item, Augustinus, VIII *De Trinitate* [2]: « Bonum est hoc, bonum est illud: tolle 'hoc', tolle 'illud', et vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni ». Ergo una summa bonitas est bonitas omnis boni.

3. Item, Augustinus, in eodem [3]: « Pudeat, cum alia non amentur nisi quia bona sunt, eis inhaerendo, non amare bonum ipsum unde alia bona sunt ». Ergo ipsum bonum, quod amatur, est in bonis unum.

4. Item, Augustinus, in eodem [4]: « Cum animus [ita] nobis placet ut eum luci [f] corporeae praeferamus, non in se ipso nobis placet, sed in illa arte qua factus est; inde enim approbatur factus, ubi videtur faciendus: haec est veritas et simplex [g] bonum ». Ex hoc relinquitur, si non alio [h] approbatur et placet quam simplici bono [i], quod non est bonum nisi primum in bonis.

5. Item, cum dicitur 'res est bona', aut praedicatur prima bonitas, et tunc habetur propositum; aut bonitas alia [k] a prima. Quaeritur ergo de illa, cum sit bona ipsa: aut est bona bonitate prima, aut alia; erit ergo deducere in infinitum aut dicetur quod bonitas, quae praedicatur, est bona [l] se ipsa; si hoc, ergo est prima bonitas [5].

6. Item, iuxta Boethium, *De hebdomadibus* [6]: « Sublato primo bono mente et cogitatione, ea quae sunt, bona sunt, non tamen sunt bona simpliciter [m] ». Relinquitur ergo quod primum bonum de omnibus bonis praedicatur, cum dicantur bona.

Contra: *a.* Bonum convertitur cum ente [7] et bonum esse cum [n] esse. Si ergo non est unum esse in omnibus entibus, ergo nec unum bonum vel bonitas, sed differens in omnibus bonis.

b. Item, si convertuntur 'esse' et 'bonum' — quia quidquid est, in eo quod est, bonum est, ut dicunt Boethius [8] et Augustinus [9] — cum dicitur 'hoc bonum', praedicatur bonum quod est Deus, ergo et esse quod est Deus; ergo et omnia habent esse quod est Deus: quod est falsissimum.

c. Item, duobus modis dicitur animus bonus, secundum Augustinum [o], VIII *De Trinitate* [10]: voluntate et natura; sed [p] bonitas, qua est animus bonus voluntate, est accidentalis nec est prima bonitas; item, bonitas, qua est bonus natura sui generis, non est prima bonitas, quia illa est secundum quam differt a bonitate corporis et dicitur animus corpore melior — unde dicit Augustinus [11]: « Ut sit animus bonus video agendum esse voluntate; non quia id ipsum quo animus est, non est aliquid boni: nam unde [q] iam dicitur, et [r] verissime, corpore melior? » — et constat quod utrumque multiplicatur in creatis bonis; relinquitur ergo quod plures sunt bonitates in bonis, aliae a [s] prima bonitate, et quod prima bonitas non praedicatur, cum dicitur 'hoc est bonum'.

---

[a] Ita F add. mg., alii om. [b] L *et cum.* [c] PVS *omnia.* [d] PVS *appetunt.* [e] BRLF om. [f] R *vite,* V *corpore* pro *corporeae.* [g] B *simpliciter.* [h] B add. *bono.* [i] PVBR add. *relinquitur,* quod L delevit, S exp. [k] B *illa.* [l] V add. *in.* [m] SBRLF om. [n] PV *est,* quod S corr. [o] BRLF add. *in.* [p] V om., F *que* pro *qua.* [q] PVS *unum.* [r] R *erit.* [s] V *autem.*

1 Lib. III, pr. 11 (PL 63, 774).
2 Cap. 3, n. 4 (PL 42, 949).
3 Cap. 3, n. 5 (PL 42, 950).
4 Loc. cit.
5 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* III, tr. 2, q. 10 (f. 139a).
6 PL 64, 1313.
7 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.,* c. 5, §§ 1-2 (PG 3, 815, PL 122, 1147).
8 *De hebdom.* (PL 64, 1311 sq.).
9 *De div. quaest. 83,* q. 24 (PL 40, 17).
10 Cap. 3 (PL 42, 949 sq.).
11 Loc. cit.

d. Item, Augustinus, in libro [a] *De libero arbitrio* [1]: « Sicut multa et diversa sunt quae in luce solis homines vident, lux tamen una est, ita multa sunt bona atque diversa ex quibus quisque eligat ad fruendum sibi summum bonum: ipsa tamen lux sapientiae, qua haec videri possunt, omnibus est [b] una communis ».

Respondeo secundum diversos differenter. Quidam enim distinguunt quod dico 'bonum absolute' et quod dico 'bonum [c] aliquid tale vel tale', sicut 'esse absolute' et 'esse tale sive aliquid', secundum quod dicit Porretanus, in *Commento Hebdomadum* [d] *Boethii* [2], exponens illam hebdomadem 'diversum [e] est esse et id quod est': « Hic commemorandum videtur quod diversorum philosophorum in diversis facultatibus usu diverso 'esse' et 'esse [aliquid]' multipliciter dicuntur. Nam secundum theologicos [f] divina essentia, quam de Deo praedicamus, cum dicimus 'Deus est', omnium creaturarum dicitur esse. Cum enim dicimus 'corpus est' vel 'homo est' vel huiusmodi, theologici [g] hoc esse dictum intelligunt quadam extrinseca denominatione ab essentia sui principii: non enim dicunt corporalitate corpus 'esse', sed 'esse aliquid'; et similiter unumquodque subsistens essentia sui principii praedicant [h] non 'esse aliquid', sed 'esse'; illa vero quae cum [i] ipsa sunt creata subsistentia », sicut cum [k] corporeitate esse substantiam, quantum, quale etc., « non 'esse' absolutum, sed 'esse aliquid'; et ad eumdem modum quidquid operante summo principio est, eadem principali et increata essentia dicunt 'esse', suo vero quolibet genere 'aliquid esse'. Illorum vero philosophorum, quibus suae facultatis [l] genera sunt sola illa quae ex principio esse coeperunt, alii quaelibet illa orationum suarum themata, id est materias de quibus loquuntur, eodem quo dicunt 'esse', dicunt etiam 'esse aliquid': unde etiam hoc verbum 'est' dicunt de omnibus aequivoce praedicari; alii vero dividunt, et ea quae subsistunt dicunt 'esse' subsistentiis, et 'esse aliquid' iis quae subsistentias comitantur, intervallaribus [m] scilicet mensuris et qualitatibus; ceteris vero septem generum praedicamentis eadem subsistentia nec 'esse' nec 'aliquid esse' concedunt; similiter et nullum horum, quae abstractio mathematica ab iis de quibus praedicantur dividit, vel 'esse' vel 'aliquid esse' consentiunt. Ergo, cum dicitur 'diversum est et esse et id quod est', secundum theologicos quidem intelligitur 'esse' id quod principium est, 'id vero quod est' est illud quod ex principio est; sed secundum alios philosophos 'esse' [n] subsistentium solae illorum quae praedicantur subsistentiae, 'quae vero sunt' ea tantum quae illas in se habendo subsistunt. Sic ergo secundum theologicos [o] et secundum alios philosophos recte potest dici 'diversum est esse [p] et id quod est' ».

Simili modo dicendum de bono: quia secundum theologos bonitas, qua 'id quod est' habet esse bonum, una est in omni bono; bonitas vero qua habet esse bonum aliquod vel tale [3], ut [q] bona natura, bonus animus, bonum corpus, est multiplex in bonis et multiplicatur in bonis. Secundum primum modum, diversum est id quod [est] bonum ab 'esse bonum', sicut [r] diversum [est] 'esse' et 'id [s] quod est'; 'esse' enim rerum et 'esse bonum' dicitur essentia principii et essentia finis, 'id quod est' vero est ipsa substantia rei creatae. Et ideo non sequitur quod 'habent [t] esse [quod est] Deus': quia hoc modo non est praedicatio formalis, cum dicitur 'res est bona absolute', sed est praedicatio per denominationem a causa; sicut dicitur opus humanum, non quia humanitas insit operi vel opus idem humanitati, sed humanum, quia ab homine: ita res dicitur bona, quia a bono principio vel ad bonum finem. Secundum modum secundum, cum dicitur 'haec est bona natura' vel [u] 'bonus homo' etc., est praedicatio per inhaerentiam. Secundum vero philosophos bonitas, qua habet res esse bona et esse bonum tale, est [v] bonitas suae perfectionis, et est multiplex bonitas in omnibus bonis; tamen propter relationem, quam habent ad summam bonitatem, dicitur bonitas, absolute vero ipsa rei essentia.

Aliis vero visum est aliter esse dicendum [4]: « Cum dicitur 'creatura est', supponitur duplex esse, scilicet esse [x] creatum, quod est in creatura, et esse Deum, ut a quo est illud esse. Eodem modo, cum dicitur 'quidquid est, bonum [est]', secundum quod 'est' [y] intelligitur de substantiis, sic ponitur duplex bonitas, scilicet creata et increata: bonitas creata, ut quae inest [z] ipsi substantiae, bonitas autem increata, ut ad quam omnis bonitas creata; quoniam bonitas naturalis cuiuslibet substantiae nihil aliud est quam substantialis dif-

---

[a] BRLF *tertio* pro *i. l.* [b] PVS *fit*, BRLF *sit*. [c] S om. *absolute... bonum.* [d] BRLF *De hebdomadibus.* [e] F *divisum.* [f] B *theologos.* [g] PVS *theologi.* [h] PVS *predicat.* [i] BR *de*, LF *est.* [k] V om. [l] PVS *facultates.* [m] PV *intervallatibus*, quod S corr., PVS *qui* pro *quae.* [n] R *est.* [o] PVS *theologos.* [p] F add. *cause.* [q] B *et.* [r] PVS *sive.* [s] Ita B, alii om. [t] PV *habeat*, quod S corr. [u] V *quod*, F om. *cum dicitur.* [v] F om. [x] R om., in B est add. interl. [y] BRLF om. [z] V *est*, R om. *ipsi*, quod in B est add. interl.

[1] Lib. II, c. 9, n. 27 (PL 32, 1255), ubi finis huius textus sic legitur: « Fieri tamen potest ut lux ipsa sapientiae, in qua haec videri et teneri possunt, omnibus sapientibus sit una communis ».

[2] PL 64, 1317sq.

[3] Cf. Boeth., *De hebdom.* (PL 64, 1313).

[4] Cf. Boeth., loc. cit., et Guil. Altissiod., *Summa*, III, tr. 2, q. 10 (f. 139ab), ex quo fere verbotenus sequentia afferuntur usque ad *Item, secundum hoc*, ad *3-4* (p. 166a).

ferentia, quae dicitur bonitas secundum comparationem quam habet ad primam bonitatem, id est secundum quod est ductiva vel ducibilis [a] ad primam bonitatem ».

[Ad obiecta]: 6. « Ex hoc patet quod, circumscripta prima bonitate et re et intellectu, nihil est bonum vel intelligitur esse bonum, sed aliquid est album, aliquid rotundum [b], sicut dicit Boethius [1] ».

2. « Ex hoc patet veritas auctoritatis Augustini supradictae: quoniam omnis creatura est bonum [c], hoc bonum, illud bonum; si sublatum fuerit 'hoc' et 'illud', non remanebit nisi bonum, quod est Deus ».

3-4. Item, secundum hoc intelliguntur amari in arte, in qua facta sunt, cum scilicet referuntur ad causam summam [d] quae est primum bonum.

5. Praeterea, ad hoc quod obicit 'cum dicitur 'bonitas est bona, aut praedicatur bonitas prima' etc.: dicendum quod in rectitudine praedicatur bonitas creata, sed in obliquitate est bonitas [e] increata, quia intelligitur bonitas quae est ad primam bonitatem: quod aliter dicitur de re 'bona' quod dicitur 'bonum', aliter de bonitate qua dicitur res 'bona'. Cum enim dicitur: 'haec res est bona', praedicatur bonitas per inhaerentiam, quia bonitas inest huic rei; cum vero dicitur: 'bonitas huius rei est bona', praedicatio est per [f] identitatem. Et cum infertur 'ergo est bona se ipsa et non alia bonitate', distinguendum: quia si quod dicitur 'se ipsa' excludit aliam bonitatem [g] formalem, verum est; si excludit aliam bonitatem effectivam vel finalem, falsum est. Et ideo non sequitur 'ergo est prima bonitas', sed sequitur 'ergo non informatur alia bonitate', quamvis sit ab alia [h] bonitate et ad aliam bonitatem, quae est prima bonitas. Sed cum ens dicatur absolute sine intentione causali, bonum vero dicatur secundum intentionem causalem, non videtur habere veritatem quod inducunt de ente, quod scilicet, cum dicitur de creatura 'est', intelligitur ens primum, nisi per consequentiam, quia sequitur 'est, et non est [i] a se ipso, ergo ab alio, et illud est ens primum', et ita ens primum intelligitur in ente creato; sed quantum ad primam intentionem boni intelligitur bonum increatum, quia si intelligitur bonum [k] creatum, intelligitur bonum per participationem: in eo quod est per participationem bonum necessario intelligitur quod participatur bonum, et illud est bonum summum. Breviter ergo dicendum, secundum Augustinum, in VIII *De Trinitate* [2]: « Si potueris [l], sine illis quae participatione bona sunt perspice ipsum bonum cuius participatione bona sunt: simul enim et ipsum intelligis, cum audis 'hoc bonum', et 'illud bonum' ». Dicendum ergo quod bonum per essentiam est idem in omnibus bonis, et illud [m] est summum bonum; bonum vero per participationem, sive bonitas, differens.

Et ex dictis patet solutio ad obiecta [3].

106 CAPUT III.

QUAE SINT DIFFERENTIAE BONI.

Deinde quaeritur I. quae sint differentiae boni.

1. Nam cum bonum sequatur ens, in quot differentias multiplicabitur ens, et bonum; sed ens multiplicatur secundum genera; ergo et bonum [4].

Contra: *a.* Bonum dictum [n] de substantia, de qualitate, de quantitate, dicitur [o] secundum eamdem differentiam [p] boni, scilicet boni [q] naturae; sed non dicitur [r] secundum eamdem differentiam [s] entis; relinquitur ergo quod non erunt eaedem differentiae entis et boni.

b. Item, quamvis 'unum' sequatur ad ens, non tamen differentiae 'unius' multiplicantur secundum [t] decem genera, immo solum secundum quatuor modos: nam secundum substantiam dicitur identitas, secundum quantitatem [u] aequalitas, secundum qualitatem similitudo, secundum situm et 'ubi' simultas, et iterum aliis modis, sicut [v] dictum est prius [5]. Item, simili modo nec differentiae veri multiplicantur secundum differentias generum, immo, secundum Anselmum [6], veritas distinguitur in veritatem signi et veritatem rei; et veritas rei in veritatem quae est se ipsa, ut veritas divina, et veritatem quae est ab [x] alia, ut veritas creata; et haec multiplicatur: nam est veritas naturalis et [y] veritas cogitationis [z] et veritas voluntatis et

---

[a] BL *ductibilis.* [b] R *locundum.* [c] PVS *bona.* [d] F om. [e] VS om., RL om. *e. b.* [f] V add. *huius rei.* [g] PV add. *effectivam vel,* quod S exp. [h] B *illa.* [i] Codd. *ens.* [k] L om., F om. sequens *bonum.* [l] F *poteris.* [m] L *idem.* [n] B om., R *dicitur.* [o] BR om. [p] L *substantiam.* [q] P om. [r] Ita L (corr.) F, alii *dicuntur.* [s] B om. *boni scilicet... differentiam.* [t] VS *in.* [u] LF *equalitatem,* R add. *dicitur.* [v] P *secundum.* [x] V *est* pro *q. e. a.* [y] BRL add. *est,* S *hec* pro *est.* [z] PVS *cognitionis.*

[1] Loc. cit. (PL 64, 1312).
[2] Cap. 3, n. 5 (PL 42, 950).
[3] Ad 1 solutum est sub *Respondeo.*
[4] Cf. Phil. Grevius, *Summa,* II (f. 10d), ubi plura ex sequentibus afferuntur.
[5] Num. 74, p. 116sqq.
[6] *De verit.,* cc. 2sqq. et 13 (PL 158, 469sqq., 486).

veritas actionis. Praeterea, veritas signi dividitur in veritatem complexi et veritatem incomplexi [1]; et veritas incomplexi [a] in veritatem vocis et intellectus et iconiae sive imaginis et actus. Pari ergo ratione nec differentiae boni accipiuntur [b] secundum differentias entis, sicut nec differentiae unius et veri.

c. Item, si dicatur quod est multiplicatio materialis, et hoc modo multiplicatur bonum per differentias entis; et est alia multiplicatio formalis, secundum quam multiplicatur per differentias suae intentionis: hoc modo dividitur in bonum per essentiam et bonum per participationem; et bonum per participationem [c] in bonum naturae, bonum ex genere, bonum moris et bonum gratiae et bonum gloriae – quaeritur [d] quare non multiplicatur secundum rationem formalem secundum differentias entis. — Si dicatur quod intentio boni addit ad ens comparationem ad actum, id est relationem sive finem, et ratione [e] huius comparationis est formalis multiplicatio boni – contra obicitur de positis differentiis: nam omnes differentiae causarum incidunt in praedictis differentiis boni. Nam bonitas primae causae est bonitas per essentiam, bonitas vero causati est per participationem, sed per comparationem ad efficiens dicitur bonum naturae: sic enim res bona dicitur, quia a bono, ut dicit Boethius [2]; per comparationem ad materiam dicitur bonum in genere: « nam forma actionis contracta ad materiam propriam dicitur bonum in [f] genere, ut pascere esurientem [3] »; per comparationem ad causam formalem, quae est secundum circumstantias et modum actionis, bonum moris secundum virtutes consuetudinales, et bonum gratiae [g] secundum virtutes gratuitas; per comparationem ad finem, bonum gloriae [h]. Non ergo differentiae boni accipiuntur secundum comparationem sive intentionem causae finalis tantum, immo secundum comparationem ad omnia genera causarum.

II. Item, cum assignantur differentiae boni tres, scilicet honestum, utile, delectabile, quomodo accipiuntur cum praecedentibus?

III. Item, Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [4], distinguit bona maxima, magna, minima: et maxima virtutes, minima species corporum inferiorum quorumlibet, magna potentiae animae; quomodo cum praecedentibus differentiis se habebunt?

Respondeo, sicut dicit Commentator [i] libri Boethii *De hebdomadibus* [5]: « Bonum duobus modis dicitur [k]: absolute et in comparatione. Absolute bonum dicitur quod [l] [est] secundum se bonum, sicut Deus, vel haec res dicitur in se bonum; in comparatione, quod est bonum secundum usum, hoc est [m] cuius usus est bonus, quemadmodum Deus dicitur bonus nobis » vel bonus dicitur panis esurienti.

Accipiuntur ergo [n] differentiae boni, secundum quod consideratur absolute, quantum ad rem cuius est: et hoc modo assignantur secundum differentem rationem indivisionis actus a potentia, quae est absoluta ratio boni. Aut igitur [est] indivisio [o] actus et potentiae, quae sunt idem: et hoc modo est indivisio bonitatis in Deo, in quo est [p] idem actus, id est perfectio et complementum, et potentia; aut est indivisio actus et potentiae, quae sunt diversa, ut in creatura. Aut ergo est indivisio actus et potentiae rei secundum quod est, id est secundum [q] esse rei, aut actionis secundum quod actio, aut actus qui acquiritur rei per actionem. Si est indivisio actus a potentia « secundum quod est: sic est bonum naturae; si est actionis secundum quod actio: sic est bonum ex genere, nam forma actionis generalis contracta ad materiam dicitur bonum in genere, ut pascere esurientem [6] »; si est actus rei, qui acquiritur per actionem: aut igitur acquisitio illius actus [r] sive perfectionis principium habet in nobis aut extra nos, aut habet partim in nobis, partim extra nos. Si habet [s] principium in nobis: sic est bonum moris, id est virtutis politicae, quod acquiritur voluntaria consuetudine; si habet principium extra nos: sic est bonum gloriae, quod a solo Deo habet principium; si habet principium extra nos et intra se [t]: sic est bonum gratiae. Sicut enim dicit [u] B. Bernardus, *De gratia et libero arbitrio* [7]: « Tam absque consensu non est [v] recipientis quam absque gratia dantis », et loquitur de gratia secundum quod est [x] in adultis: nam ad hoc requiritur infusio ex parte Dei et consensus ex parte liberi arbitrii, quemadmodum in parvulis ad modum [y] ministerii sacramenti ex parte hominis et operatio invisibilis Dei.

Secundum vero quod bonum consideratur secundum usum, duobus modis contingit. Nam consideratione generali boni sive creati sive increati accipiuntur differentiae istae [z]: honestum, delec-

---

[a] SB om. *c. v. i.* [b] BRLF *accipientur.* [c] VLF om. *c. b. p. p.*, quod in S est add. marg. [d] BRLF *queretur.* [e] F *ratio*, PVS *et* pro *i. e.* [f] S om. [g] V *genere.* [h] F *gratie.* [i] R *commodator.* [k] Ita P (interl.) et F, alii om. [l] V om. [m] B *autem.* [n] L om. [o] V *divisio.* [p] Ita F add. interl., alii om. [q] PVS add. *quod.* [r] S om. [s] V om. *partim in... habet.* [t] Ita V, alii om. [u] L om., in F est add. mg. [v] LF om. [x] BRL om., in F est add. interl. [y] BRLF om. *a. m.*, V *quem* pro *quemadmodum.* [z] F *istorum*

1 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, III, tr. 2, q. 10 (f. 139a); Phil. Grevius, *Summa*, II (f. 10d sq.).
2 *De hebdom.* (PL 64, 1312).
3 Phil. Grevius, loc. cit.
4 Lib. II, cc. 18 et 19, n. 50 (PL 32, 1267 sqq.).
5 PL 64, 1331 sq., ad sensum.
6 Phil. Grevius, loc. cit.
7 Cap. 1, n. 2 (PL 182, 1002).

tabile, utile[1]; sed honestum dicit dispositionem secundum quam usus boni movet rationabilem, quia sicut dicit Augustinus[2]: « Honestas est pulcritudo intelligibilis »; delectabile, dispositionem secundum quam movetur concupiscibilis; utile, dispositionem secundum quam movetur irascibilis: utile enim includit arduum et difficile et huiusmodi; ardua enim et tristabilia conferentia, ut secationes et huiusmodi, quae conferunt ad sanitatem, ex quadam strenuitate et vigore animi appetimus, et hoc appetitu irascibilis. — Item [a], consideratione speciali, secundum quod usus boni coarctatur ad bonum creatum, accipiuntur [b] differentiae boni, secundum Augustinum, *De libero arbitrio*[3], in maxima et minima et media. Nam bonum, quo non contingit male uti, sunt virtutes, et ideo maxima, et tamen non utuntur; bonum vero quo contingit bene et male uti, et tamen non utuntur, sunt species corporales; bona vero, quibus est bene et male uti, et tamen utuntur aliis, sunt potentiae animae. Concedendum ergo quod non accipiuntur differentiae boni formaliter secundum differentias entis, et hoc quia bonum addit intentionem causae finalis.

[Ad obiecta]: *c.* Ad illud ergo quod [c] obicit quod 'secundum intentionem finis non accipiuntur praedictae differentiae': dicendum quod immo. Nam bonum aut est finis: et sic est bonum per essentiam; aut est ad finem: et sic est bonum [d] per participationem. Et si ad finem: aut igitur secundum id quod sumus, et sic est generalis dispositio in omni creatura, et sic est bonum naturae; aut secundum id quod bene sumus, et haec est dispositio rationalis creaturae. Aut ergo in finem secundum quamdam possibilitatem additam [e] voluntati, quae est ex bono in genere; aut est secundum superadditam quamdam dispositionem, ut est dispositio virtutis politicae; aut secundum quamdam necessitatem, et sic est bonum gratiae: dispositio enim gratiae in voluntate est sicut dispositio necessitatis in materia ad susceptionem formae; aut secundum ultimam completionem et informationem: et sic est [f] bonum gloriae. — Ad illud vero quod obicit, dicendum quod actus, sumptus secundum quatuor causas, non pertinet ad bonum nisi secundum quod comparationem [g] habet unaquaeque causa ad causam finalem. « Causa enim finalis ratio [h] est aliarum causarum; faber enim serram facit de ferro acutam. Quare de ferro? quia aptior est ad secandum. Quare acutam? quia ad secandum. Causa igitur materialis et formalis secundum finalem [i] ». Similiter efficiens: nam finis movet efficientem.

107 CAPUT IV.

DE CONVENIENTIA BONITATIS IN BONIS.

Quaeritur consequenter de convenientia bonitatis in bonis[5].

Et videtur quod non possit esse commune secundum aliquid rei: *a.* Dictum enim de summo bono est id ipsum, quia sicut dicit Augustinus, IV libro *De Trinitate*[6]: « Non est in Deo alterum esse Deum et esse bonum, vel esse et esse bonum ». Ergo bonum dictum de Deo [j] est indifferens illi; ergo non potest esse commune in summo bono et in creato bono, sicut nec hoc ipsum 'Deus'.

b. Item, si est commune, ergo est accipere quod est commune et quod est proprium, ergo compositionem quamdam. — Si forte dicas bonum esse commune secundum communem habitudinem ad consimilem effectum in creaturis, et sic bonum non oportet ponere in Primo nisi essentiam [k] ipsam, sed praeter hoc addit [l] quamdam relationem ad quemdam effectum in creatura – contra: si bonum est ex hac ratione commune, sed aeque se habet creatura ad suam effectionem sicut Deus ad suam; ergo bonum aequaliter participabile, quia sicut ab hac egreditur [suus effectus], ita ab illo [m]. — Item, secundum hoc bonum trahit rationem a posteriori, scilicet ab effectu, cum aliter determinentur intentiones scilicet quod summum bonum sit bonum per se et quod ista sint bona ab ipso.

[Solutio]: Propter hoc aliter dicendum est in bono et in iis quae non [n] manifeste exprimunt

---

[a] F add. *ex.* [b] B om. [c] L om. [d] L om. [e] PS *additam.* [f] L om. [g] B *comparationem quam* pro *q. c.* [h] PV om. [i] PV *Deum* pro *d. D.*, quod S corr. [k] V *etiam.* [l] Ita B, alii om. [m] B *illa.* [n] V om.

1 Cf. Ambros., *De offic.*, II, c. 6 (PL 16, 109).
2 *De div. quaest. 83*, q. 30 (PL 40, 19).
3 Loc. cit. p. 167, nota 4.
4 Phil. Grevius, *Summa*, II, (f. 11ab).
5 Omnia quae sequuntur, a verbo *videtur* usque in finem huius capitis, verbotenus et eodem penitus ordine occurrunt apud Phil. Grev., *Summa*, II, ad quaestionem *Sequitur de communitate huius intentionis 'bonum'*.
6 Rectius lib. V, c. 8, n. 9 et c. 10, n. 11. « Non aliud est Deum esse et aliud magnum esse, sed hoc idem illi est esse quod magnum esse... Hoc et de bonitate et de aeternitate et de omnipotentia Dei dictum sit » etc. (PL 42, 917 sq).

actum respicientem [a] creaturam specialiter, et aliter in illis quae exprimunt. In illis enim est communitas secundum comparationem [b] aut habitudinem quae est in effectu: ut in illis quae connotant, ut 'punit', 'iustificat'; ista [c] non sunt communia [d] nisi quantum ad effectum connotatum: unde 'punit', dictum de Deo, nihil copulat creatum, sed connotat; dictum de creatura, copulat quod prius connotat. — Sed in illis quae non exprimunt, aliter est communitas praeter praedictam [e], quia per se et propter se conveniunt Deo, creaturis secundum quod ab ipso et ad ipsum; et haec est communitas secundum prius et posterius. Et hoc manifestum est, quia hoc [f] oblique intelligitur [g] in illo. Bonum enim de Deo dicitur, quia finis; bonum de creatura, quia [h] ordinationem habet ad finem: sicut ens secundum prius dicitur de substantia, quae est per se ens, secundum posterius de accidente, quod est per substantiam; et ita indirecte [intelligitur de illo. Dico ergo quod bonum quod dicitur de Deo indifferens est illi et tamen bonum commune potest esse, quia directe et secundum prius dicitur de ipso et indirecte [i]] et per posterius de creatura; et ibi est accipere commune et proprium quantum ad modum dicendi.

MEMBRUM II.

De summo bono.

CAPUT I. 108

AN NOTIO ET AMOR SUMMI BONI SINT NOBIS A CONDITIONE INDITA.

Consequenter quaeritur an notio et amor summi boni sint nobis a conditione indita et impressa menti.

a. Omnes enim volunt esse beati; sed beatitudo est summum bonum, ut dicit Boethius, *De consolatione* [1]; ergo omnes volunt summum bonum; ergo amor summi boni est omni [k] naturae rationali impressus.

b. Item, bonum summum est quod desideratur ab omnibus; sed quod omni convenit est impressum naturae; ergo desiderium et amor summi boni est impressus naturae.

c. Item, Augustinus, II *De libero arbitrio* [2]: « Antequam beati [l] simus, impressa est nobis notio beatitatis [m]: per hanc scimus et sine ulla dubitatione dicimus beatos nos esse velle »; nemo autem [n] beatus est nisi summo bono; ergo notio summi boni et beatitudinis est nobis impressa.

d. Item, Boethius, in libro *De consolatione* [3]: « Omnes homines boni et mali pariter indiscreta intentione ad bonum pervenire nituntur ».

Contra: 1. Omnis voluntas directa ad id, ad quod nata est, recta est et laudabilis. Si ergo voluntas et intentio rationalis est ad summum bonum nata, cum omnis voluntas sive bonorum sive malorum sit nata ad summum bonum: ergo omnis voluntas sive omnium voluntates sunt rectae; quod est manifeste falsum.

2. Item, ignorantia veri boni invenitur in multis; ergo simul erit scientia et ignorantia boni.

Respondeo, secundum Boethium, *De consolatione* [4]: « Summum bonum, quod aeque bonis et malis propositum est, boni quidem naturali officio virtutum petunt, mali vero per variam [o] cupiditatem, quod adipiscendi boni naturale officium non est, idem ipsum conantur adipisci ». Amor ergo et notio summi boni nobis impressus est secundum habitum et sensum [p] naturae, quamvis a bono contingat oberrare et deviare secundum opinionem et appetitum electionis [q] pravae.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicit: distinguendum, secundum Damascenum [5], quod est voluntas naturalis, secundum quam omnes recte [r] appetunt summum bonum; et voluntas electiva sive consiliata [s], secundum quam eligitur quod non est summum bonum et praefertur summo, et ideo est non recta. In malis ergo est voluntas naturalis recta sine errore, electiva non recta et cum errore. Unde Augustinus, II *De libero arbitrio* [6]: « In quantum omnes homines appetunt vitam beatam, non errant; in quantum vero quisque non tenet eam vitae viam, quae

---

[a] Codd. *inspicientem.* [b] F *operationem.* [c] B *ita.* [d] R *contraria,* quod B corr. [e] L *dictam.* [f] BF *hec.* [g] B (corr.) *intelligit.* [h] F add. *per.* [i] Ita Phil. Grev., quae codd. omiserunt ex amanuensium errore qui *homoeoteleuton* dicitur. [k] F *amor.* [l] V *boni.* [m] Codd. *bonitatis.* [n] PVS *enim.* [o] Codd. *vanam.* [p] V om. *c. s.* [q] Ita F (corr.), alii *elationis.* [r] PVS *recti.* [s] R *consiliativa,* V *consolata.*

1 Lib. III, pr. 2 (PL 63, 724), ubi etiam sequentia secundum sensum.
2 Lib. II, c. 9, n. 26 (PL 32, 1254).
3 Lib. IV, pr. 2 (PL 63, 792).
4 Loc. cit. (PL 63, 793).
5 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 943), ad sensum; cf. Maxim. Confessor, *Ad Marinum* (PG 91, 11 sqq.).
6 Lib. II, c. 9, n. 26 (PL 32, 1254).

ducit ad beatitudinem, errant, cum fateantur nolle nisi ad beatitudinem pervenire; error est enim cum sequimur [a] aliquid quod non ad id ducit quo volumus pervenire ».

2. Ad illud vero quod obicit: dicendum quod notio est in sensu naturae, ignorantia vero in in perversitate opinionis erroneae. Unde nota quod dicit Augustinus, in [b] libro *De libero arbitrio* [1]: « Sensus aliquando veracior est quam opinio, si [c] illa de errore, ille [d] de natura est: velut cum aeger plerumque aqua frigida conducibiliter [e] delectatur, quam tamen si biberit, credit esse nociturum. Aliquando veracior opinio quam sensus, si credit arti medicinae obesse frigidam, cum revera oberit [f], et tamen bibere [g] delectet. Aliquando utrumque in veritate est, cum id, quod prodest, non solum ita creditur, sed etiam libet. Aliquando utrumque est in errore [h], cum id quod nocet et prodesse [i] creditur et libere non desinit ».

109 CAPUT II.

AN SUMMUM BONUM DICAT ADDITIONEM AD BONUM.

Deinde quaeritur an summum bonum dicat additionem ad bonum.

Ad quod sic: *a.* Quaecumque sic se habent ut [k] unum non addat aliquid super alterum nec utrumque addat super tertium aliquid, sunt eadem simpliciter [2]. Genus enim et species propter hoc differentiam habent, quod unum non sit alterum, quia unum addit super alterum [l]: species enim addit ultra genus differentiam; similiter risibile addit super rationale in homine, quia potentia ridendi, qua dicitur homo risibile, et potentia ratiocinandi, qua dicitur rationale, non sunt eadem, et propter hoc addunt super tertium. Sed summum bonum nec addit aliquid super bonum simpliciter sic nec sic [m], nec sunt plures modi additionis; unum [n] igitur non addit super alterum, sed sunt eadem simpliciter. — Minor patet: nam si summum bonum addit aliquid super bonum, aut addit bonum aut non-bonum. Non addit non-bonum [o]: quia sic esset ex bono et non-bono, quod est inconveniens, nec esset summum. Si addit bonum, aut idem sibi aut diversum. Non idem: quoniam idem non additur sibi. Si diversum: ergo summum est ex bono et bono; ergo est compositum; sed hoc est falsum, quoniam ipsum est summe simplex; summum ergo bonum nihil addit super bonum, ratione cuius dicitur summum.

b. Si dicatur quod bonum simpliciter est commune et distrahitur per summum et non-summum [p], unde bono simpliciter aliquid additur ut fiat summum — obicitur in contrarium: quia non est [q] additio alicuius ad alterum nisi eius quod est praeter ipsum; sed illud additum non est praeter bonum, quia non est non-bonum nec aliud bonum; ergo idem sequitur quod prius.

c. Item, Augustinus [r], VIII libro *De Trinitate* [3]: « Bonum hoc, bonum illud; tolle 'hoc', tolle 'illud', et vide [s] ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni ». Ex hac auctoritate patet quod [t] bonum in omni bono est ipsum bonum summum.

Contra: 1. Bonum dividitur per summum et non-summum; ergo possum intelligere bonum in hac creatura, non cointellecto summo. Et hoc est quod dicit Boethius [4]: « Circumscribatur Primum per intellectum, adhuc est intelligere hominem sub intentione hominis, sicut potest intelligi ens [u] secundum quod sic, non intellecto summo ente ». Contingit ergo intelligere hoc bonum, circumscripto summo bono, sicut hoc ens, circumscripto summo ente; bonum ergo et summum non sunt eadem sive convertibilia; ergo aliquid addit summum bonum super bonum.

Solutio: Dicendum quod summum bonum non addit aliquam rem super bonum simpliciter; summum enim bonum simplex [v] bonum est: unde non constat ex pluribus bonis; sed non-summum bonum non est simplex bonum: ideo possum [x] ibi intelligere bonum et bonum, quia in creatis materia non cointelligit formam, quorum utrumque est bonum et e converso, sive illud quod est ad modum materiae, illud quod est ad modum formae et e converso. Ideo ergo summum bonum simplex bonum est [y] nec facit aliquam additionem secundum rem super bonum, immo idem sunt secundum rem et aequalis est ambitus in suo ordine cum bono. Sed differunt in hoc quod dicendo 'summum bonum' determino ipsum

---

[a] Codd. *errorem enim consequitur* pro *c. e. e. c. s.* [b] L *tertio.* [c] VB *sed.* [d] L *illa*, quod F corr. [e] V *cum dulcibiliter.* [f] L (corr.) *oberrat.* [g] L *libere.* [h] B *inerit* pro *c. i. e.*, RLF om. *est.* [i] Codd. add. *non*, PVSRF *bibere* pro *libere.* [k] R *quod.* [l] F om. *q. u. a. s. a.* [m] V om. *n. s.* [n] V *unde.* [o] V om. *N. a. n. b.* [p] V om. *e. n. s.* [q] V om. [r] BRLF add. *in*, V om. *libro.* [s] V *unde.* [t] F om. [u] L om. [v] PV *simpliciter.* [x] P *possit.* [y] R om.

[1] Lib. III, c. 8, n. 23 (PL 32, 1282).
[2] Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 9 (II, 522).
[3] Cap. 3 (PL 42, 949).
[4] *De hebdom.* (PL 64, 1312), ad sensum.

ni causando [a], dicendo 'bonum' determino ipsum in praedicando sive in dicendo. Et licet in praedicando sive in dicendo bonum summum determinetur et specificetur, quia non est dicibile de omni bono, commune est tamen in causando [b] sicut bonum in praedicando, et aequalis ambitus, quia ipsum est causa omnis boni; illud autem est dicibile de omni bono. — Quod ergo [c] dicit Augustinus [1]: « Tolle 'hoc', tolle 'illud' » etc.: dicendum quod ipse procedit ab effectibus ad causam, secundum quod bonum in effectibus dat intelligere bonum in causa. Unde quod dicit: « videbis bonum omnis boni », verum est, « bonum omnis boni » in causando, non in dicendo, immo quantum ad hoc dicit determinationem rationis.

[Ad obiecta]: 1. Ad rationem in contrarium dicendum quod non est simile de essentia sive de ente et bono. Ens enim vel essentia non dicit comparationem ad [d] causam, sicut bonum; immo cum loquimur de re secundum suam essentiam, loquimur de ea absolute. Sed bonum notat comparationem ad causam: bonum enim dicitur, quia a bono et quia ad bonum; et ideo cum loquimur de re quod bona sit, loquimur per comparationem ad suam causam. Et ideo cum bonum non-summum sit a bono summo tamquam a sua [e] causa efficiente, et in ipso tamquam in conservante, et ad ipsum tamquam ad finem: ideo bonum non-summum semper dat intelligere bonum summum et ideo non potest intelligi, isto non cointellecto [f].

CAPUT III. 110

DE FLUXU ALIORUM BONORUM A SUMMO BONO.

Consequens est inquisitio an bonum summum secum compatiatur naturarum diversitatem, et iterum secundo an requirat pluralitatem. Sed istae inquisitiones terminantur eisdem rationibus, quibus supra ostensum est de unitate divina, quod non compatiatur secum pluralitatem naturarum, sed requirat eius perfectio pluralitatem personarum, supra, Quaestione de divina unitate [2].

Item, quaerendum est consequenter an summa bonitas requirat coexistentiam creaturae. Sed haec quaestio terminata est supra, Quaestione de aeternitate, ubi ostenditur aeternitatis incommunicabilitas contra ponentes mundum aeternum [3].

I. Sequitur igitur quaerere de fluxu aliorum bonorum a summo bono. Quaeritur ergo an a summo bono fluant omnia secundum rationem bonitatis.

a. Quod adstruitur [g] per Boethium, in libro *De hebdomadibus* [4]: « Omnia bona, quia a bono »; et per B. Augustinum [5]: « Quia Deus est bonus, sumus ».

II. Quaeritur ergo quare non similiter secundum rationem unitatis, veritatis et iustitiae.

Ad quod obicitur hoc modo: 1. In Deo potentiae respondet unitas, sapientiae veritas, voluntati bonitas; sed sicut processus creaturarum a Creatore est per voluntatem, ita est per potentiam et sapientiam; immo prima ratio processus ad potentiam refertur: quia enim est potens, ideo producit eas de nihilo; item [h], ad sapientiam, cum sit agens per cognitionem et ordinem. Sicut ergo creatura dicitur bona, quia processus est per voluntatem, cui respondet bonitas, ita debet dici potens et sapiens, quia a potestate et sapientia; et sicut bonitas respectu voliti [i] est ratio processus, ita et [k] unitas et veritas.

2. Item, voluntas divina est principalis et prima causa respectu rerum fiendarum; ergo unaquaeque res debet dici volens et habere dispositionem volentis quia est a volente, sicut dicitur bona quia est a bono.

III. Similiter quaeritur quare non dicitur iusta quia [l] a iusto.

a. **Ad hoc** dicit Boethius, in libro *De hebdomadibus* [6]: « Bonum est generale, iustum vero speciale [m], nec species descendit in omnia: idcirco alia quidem iusta, alia vero aliquid aliud, sed omnia bona ».

Sed contra: 1. *Universae viae Domini misericordia et veritas* [7], et veritas ibi sumitur pro iustitia; ergo iustitia et misericordia sunt in omnibus divinis operibus; ergo respiciunt omnem modum creaturae et universalem rationem creandi. Iustum ergo generale est [n] ad omnia Dei opera; ergo sicut est processus secundum rationem boni, ita secundum rationem iusti.

b. Aliam solutionem ponit Boethius, in eodem [o] libro [8], quod « iustum respicit actum, bonum vero naturam: idem autem est in eo, sci-

---

[a] Ita V, alii *creando*, item subinde. [b] F *terminando*. [c] L *autem*. [d] V om. [e] BR *sui*. [f] PVS *intellecto*. [g] PVS *abstrahitur*. [h] V om. [i] V *voluntati*. [k] F (corr.) *est*. [l] L add. *est*. [m] B *spirituale*. [n] B om. [o] V *hebdomadum*.

1 Loc. cit. ad litt. *c*.
2 Pag. 124, num. 77 et pag. 132, num. 81.
3 Pag. 92, num. 64.
4 PL 64, 1313.
5 *De doctrina christ.*, I, c. 32 (PL 34, 32).
6 PL 64, 1314.
7 Psalm. 24, 10.
8 Loc. cit.

licet in Deo, esse quod agere; idem est ergo in Deo bonum esse et iustum; nobis vero non est idem esse quod [a] agere; non est igitur idem nobis bonos [b] esse quod iustos [c], sed idem est 'esse' in nobis in eo quod sumus; bona igitur sunt omnia, sed non iusta ».

Sed contra obicitur: 2. Quoniam in creaturis non est hoc verum quod bonum dicat essentiam, ut visum est [1]: nulla enim creatura est sua bonitas, et tamen hoc supponitur in praedicta responsione. — Item, Damascenus [2]: « Si bonum, si iustum dixeris de Deo, non naturam dices, sed id quod est circa huiusmodi naturam »; huiusmodi autem sunt actus; ergo 'bonum' ita dicit actum sicut 'iustum'.

Solutio: I-II. Dicendum quod in Deo quaedam est trinitas [3], quae relucet et repraesentatur in omni creatura, et secundum hoc dicitur vestigium, et haec attenditur [d] secundum haec tria: unum, verum, bonum. Alia est in qua abundat ipsa rationalis creatura, ratione [e] cuius dicitur imago, quae solum relucet in ipsa et attenditur penes ista: potentia, sapientia et voluntas; in rationali enim creatura dicimus potentiam volendi et potentiam diligendi. Cum igitur processus creaturarum respiciat omnem creaturam et non solum rationalem, constat quod non debet determinari ratio processus penes istam trinitatem in qua abundat [f] creatura rationalis, sed potius penes primam; et non est processus in ratione potentis vel sapientis vel volentis; est autem ille processus secundum rationem boni. Et ratio huius est: nam sicut videmus in rationali creatura quod voluntas est principium agendi et dicitur agens per voluntatem — licet similiter potentia et sapientia sit principium, — et hoc est quia voluntas est [g] quae principaliter ponit necessitatem in opere, ipsa tamen non agit nisi moveatur a bono [4] — unde bonum movet voluntatem ad agendum, nec agit nisi videat illud [h] esse bonum; cum autem cognoscit illud esse bonum, tunc exit in opus: unde voluntas non movet se ipsam, sed movetur a bono — sic dicimus in primo quod, licet potentia et sapientia et voluntas, quae sunt in ipso, producant res, ipsa tamen voluntas est principalior causa productionis, quia ponit necessitatem in productione. Inde est quod non determinatur processus rerum per potentiam et [i] sapientiam, ut dicantur res egredi secundum rationem potentis vel sapientis, similiter nec secundum rationem volentis, sed boni, quia licet divina voluntas sit principalis causa huius productionis, ponens in ea necessitatem, voluntas tamen divina in ratione voluntatis nunquam se movet ad agendum, sed in ratione bonitatis: unde ipsa bonitas quasi movet voluntatem, voluntas in ratione bonitatis movet se ad producendum res: tunc enim vult producere, quando videt quod bonum est. 'Bonum' igitur motivum est in processu rerum, non 'unum', non 'verum', cum 'unum' [k] referatur ad potentiam, 'verum' ad sapientiam. Et iterum processus est secundum rationem boni creaturarum a Creatore, non secundum rationem unius, veri, potentis, sapientis, volentis; similiter nec secundum rationem iusti, quia iustum non est motivum: bonum enim trahit ipsam voluntatem ad actum producendi, et non alia.

III. Ad illud quod obicitur de iusto: dicendum quod licet 'iustum' dicat condecentiam bonitatis divinae, tamen ultra ponit relationem et connotat effectum in creaturis, cum dicitur 'Deus iustus', ratione cuius connotati iam ponit creaturas in esse. 'Iustum' enim in Deo est illud secundum quod alii tribuit et reddit quod suum est; 'tribuere autem [l] alii' hoc iam ponit creaturas esse [m] in actu: et propter hoc, 'iustum' non respicit processum sive egressum creaturarum, sed earum actualem existentiam, prout iam sunt extra causam in esse completo: et ideo non dicit rationem productionis earum [n]; bonum autem non connotat effectum talem: unde non est simile de bono et iusto.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod 'iustum est generale', dicendum quod 'iustum' dicitur dupliciter: uno modo, prout determinatur in retributione poenae vel praemii secundum exigentiam meriti vel demeriti: et hoc modo dicitur solum per comparationem ad hominem, cui solum fit retributio secundum meritum et demeritum. Alio modo dicitur iustitia condecentia [o] bonitatis divinae: et hoc modo dicitur iustitia in [p] omni opere et posset esse quod res egrediuntur secundum rationem iustitiae, id est secundum condecentiam bonitatis.

2. Ad aliud dicendum quod [q] Damascenus non dicit quod bonitas non sit natura, sed dicit: « non dices naturam »; unde refert illud ad rationem dicendi. '*Qui est*' [5] enim est nomen Primi [r], sicut ipse vult [6], dicens essentiam, nihil addendo, nihil [s] connotando essentiae; sed bonum dicit ens [t] communicativum sui, ut dicit Damascenus [7]. Unde licet bonitas sit ipsa essentia,

---

[a] PVS *et*. [b] BRLF *bonus*. [c] BRLF *iustus*. [d] BRLF *attenduntur*. [e] B om. [f] L (corr.) *habeat*. [g] PV om. [h] L om. [i] Ita B add. mg., alii om. [k] V (corr. mg.) *natura*. [l] V om. [m] F *inesse*. [n] P *eorum*. [o] F *dicit iustitia condecentiam* pro *d. i. c.* [p] V ex. [q] F add. *dicit*. [r] PVSB *principii*. [s] PVS *vel*. [t] PV om., in S est add. mg.

1 Cf. p. 164, n. 105.
2 *De fide orthod.*, I, c. 9 (PG 94, 838).
3 Cf. Pseudo-Augustin., *De spiritu et anima*, cc. 6, 35, 54, (PL 40, 783, 805, 819 sq).
4 Cf. Aristot., *Ethica Nicomach.*, III, c. 4 (II, 29).
5 Exod. 5, 14.
6 Loc. cit., (PG 94, 835)
7 Cf. infra, p. 192, nota 2.

amen dicit aliquid additum super primam intentionem essentiae, a quo perficitur intentio huius nominis ‘bonitas’, quae est ut ad quod omnia convertuntur, vel quod est communicativum sui; et ideo in intentione dicendi addit, et ideo dicit: « non dices naturam ». Similiter et ‘iustum’, quia dicit essentiam, sed ultra addit quod tribuat alii [a], et ideo connotat effectum.

MEMBRUM III.

De bono creato.

CAPUT I.

DE MODO SPECIE ET ORDINE QUIBUS DETERMINATUR BONUM IN CREATURIS.

Consequenter quaeritur secundum quid determinetur bonum in creatura. Secundum Augustinum[1] determinatur per modum, speciem et ordinem. Ad pleniorem ergo intelligentiam quaerendum est de iis hoc modo:

1. An sint [b] in omni creatura;
2. secundum quid sint in omni creatura;
3. secundum quid differat assignatio horum differens;
4. an ista sint eadem in omni creatura;
5. an secundum hoc discernatur et determinetur bonum in Creatore et creatura.

Qualiter autem malum sit horum corruptio, infra suo loco dicetur[2].

ARTICULUS I. 111

Utrum sint in omni creatura.

I. Quaeritur ergo utrum ista [c] in omni eo quod est reperiantur[3].

Quod sic, videtur: *a.* Per auctoritatem Sap. 11, 21: *Omnia numero, pondere et mensura disposuisti.*

b. Et per auctoritatem Augustini, in libro *De natura boni*[4], loquentis [d] de modo, specie et ordine: « Ubi haec tria sunt magna, et magnum bonum est; ubi [e] parva, parvum; ubi nulla, nullum bonum est ». Omne autem quod est, in quantum est, bonum est; nullum igitur est ens [f] in quo non sint.

Contra: 1. Peccatum [g] definitur[5] per privationem modi, speciei et ordinis; ergo circa idem et solum nata sunt fieri peccatum et illa tria; sed peccatum non est possibile fieri in omni eo quod est; ergo nec illa tria.

2. Item, si in omni creatura reperiantur modus, species et ordo, tunc quaeritur de modo: aut est Creator aut creatura. Non Creator, quia in ipso non cadit nec [h] terminatio nec formatio nec huiusmodi, secundum quod dicit Augustinus, *Ad Orosium*[6], quod Deus « est mensura sine mensura ». Praeterea, si solum dicerent aliquid in Creatore illa tria, ergo nihil essent in creatura: quod non est verum; ergo non est modus aliquid [i] in Creatore; erit ergo creatura. Si ergo « omnis creatura habet modum, speciem et ordinem », habebit modus [k] modum, speciem et ordinem [l]. Sed tunc potest quaeri de illo modo, specie et ordine etc.; aut ergo ibitur in infinitum aut stabitur in aliquo modo [m] qui non habet modum alium; et ita, si modus est creatura, non erit in omni creatura modus. Similiter opponi potest de aliis.

3. Item, Ambrosius, in *Hexaemeron*[7]: « Lucis natura est ut non in numero, non in mensura, non in pondere, ut alia creatura, sit ». Cum ergo lux sit creatura [n], non sunt illa tria in omni creatura.

II. Item, quaeritur, cum Augustinus[8] utatur iis verbis « modus, species et ordo », quare in Sap. 11, 21 non dicitur ‘omnia disposuisti in modo, specie et ordine’ aut quare Augustinus non utitur [o] verbis ibi positis.

Solutio: I. 1. Dicimus [p] quod modus, species et ordo dupliciter dicuntur. Uno modo proprie so-

---

[a] L *aliis.* [b] BRL *sit*, idem subinde. [c] F add. *est.* [d] BRLF *loquens.* [e] L om. *haec tria... ubi.* [f] PV *bonum*, quod S corr. [g] S add. *non.* [h] S om. [i] P *quid.* [k] F om., alii om. *modum.* [l] R om. *habebit modus... ordinem.* [m] L *loco.* [n] LF *creata.* [o] F add. *iis.* [p] V om.

[1] Cf. sequens nota 4.

[2] Cf. p. 198, num. 128.

[3] Quae sequuntur a num. 111 usque ad num. 114 inclusive (p. 180) fere verbotenus occurrunt in codice Assisiensi 138 (ff. 48b-49b), qui est cod. miscellaneus continens faraginem quaestionum variorum auctorum saec. XIII, ex quibus tres ad minus nominatim citantur.

[4] Cap. 3 (PL 42, 553).

[5] Cf. Augustin., loc. cit. et *De div. quaest. 83*, q. 6 (PL 40, 13).

[6] *Dialog. quaestion. 65*, q. 39 (inter opp. Augustini, PL 40, 746); cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 9 (f. 62a sqq.).

[7] Lib. I, c. 9, n. 34 (PL 14, 143).

[8] Loc. supra cit., nota 4.

lum, secundum quod reperiuntur in omni creatura rationali, secundum quod ab omnibus aliis creaturis differt; et haec sunt illa quae nata sunt corrumpi per peccatum: et sic non sunt in omnibus, sicut ostendebat obiectio prima. – Alio modo dicuntur communiter non solum in rationali creatura prout differt ab aliis, sed in ipsa secundum quod convenit cum aliis: et hoc modo reperiuntur in omni ente.

2. Ad illud [a] quod obicitur quod 'sic ibitur in infinitum aut erit modus sine modo': dicendum, secundum Augustinum, *Super Genesim* [1], quod cum dicitur: 'omnia habent modum, speciem et ordinem', ly 'omnia' distribuit pro creatis absolute: omnia enim talia habent modum, speciem et ordinem; sed non distribuit pro concreatis [b] quae sunt rationes referendi creata ad sua principia vel ad suas causas. Unde non sequitur: si omnia creata habent modum, speciem et ordinem, quod modus habeat haec tria. Et [c] est exemplum Augustini [2]: « Omnia corporalia facta sunt in colore, color tamen non est factus in colore ». — Aliter posset dici etiam secundum Augustinum [3]. Quaerit enim: *Omnia disposuisti numero, pondere et mensura:* haec autem, numerum, pondus et mensuram [d], ubi disposuit [e]? Et respondet quod « in se ipso, qui est numerus sine numero, pondus sine pondere ». Et sic non ibitur in infinitum, sed stabitur in ipso Deo.

3. Ad illud [f] quod postea obicitur de auctoritate Ambrosii: dicimus quod quidam volunt eam exponere de luce spirituali solum. Sed adhuc ista via non posset exponi nisi de luce increata: haec enim revera non est creata in numero, pondere et mensura, et sic nulla esset difficultas in illa auctoritate; sed de luce spirituali, quae est angelica natura, non posset exponi: illa enim [g] non caret numero, pondere etc. Nos autem dicimus quod Ambrosius loquitur ibi de luce corporali, sed non simpliciter respectu omnium quae sunt, sed solum respectu aliorum [h] corporalium, comparando eam ad ipsa. Comparando enim ad lucem increatam, de qua I Tim. 6, 16: *Lucem habitat inaccessibilem,* secundum quod illa dicitur esse ubique, constat quod haec [i] lux est terminata: non enim est ubique, cum sit aliquid creatum. Ideo habet modum, secundum quem [k] refertur ad efficiens; habet etiam speciem, secundum quam [l] refertur ad formam; habet etiam ordinem, cum ordinetur ad summum bonum, ad quod ipsa est sicut ad finem. Sed comparando ad corporalia non est ita dicere quod sit mensurata et numerata. Non enim est in quibusdam corporalibus virtus lucis tantum, sed [m] in omnibus, etiam in opacis, ut in terra: non solum in terrae superficie potest videri virtus eius, sed etiam in corde terrae; aliter enim non possent fieri generationes quae ibi fiunt. Unde Ambrosius, in eodem [4]: « Non in splendore tantum [n], sed in omni virtute natura lucis probatur ». Et propter hoc respectu aliorum corporum est verum quod dicit quod « non est creata in numero, pondere etc. [o], sicut alia ».

II. Ad hoc quod quaeritur quare Augustinus non utitur verbis sumptis Sap. 11, 21: « dicimus quod revera idem sunt in substantia modus, species et ordo, et numerus, pondus et mensura [5] », ut [p] referatur numerus ad speciem, modus ad mensuram, pondus ad ordinem. Sed [q] in hoc est differentia: quoniam haec tria, mensura, numerus et pondus, dicunt [r] dispositiones ipsius rei ut est [s] in fieri. Hoc potest videri in caementariis: cum enim faciunt, tunc mensurant [t], numerant et ponderant quotquot sunt necessaria ad faciendum. Et ideo quia in Sap. loquitur de rebus secundum suum fieri, [u] quod patet per hoc [v] quod dicitur *disposuisti,* ideo proprie utitur tribus praedictis. Modus autem, species et ordo proprie dicunt dispositionem rei, ut iam facta est. Quia ergo Augustinus loquitur de conditionibus rerum ut iam factae sunt, proprie utitur illis tribus: modus, species et ordo.

112

ARTICULUS II.

Utrum sint accidentalia vel substantialia.

Consequentur quaeritur, supposito quod haec tria reperiantur in omni creatura, secundum quid accipiuntur in illis, utrum scilicet [x] secundum aliquid substantiale vel accidentale. Et hoc est quaerere utrum haec sint accidentalia vel substantialia.

Quod autem essentialia sint, videtur: Quia dicit Augustinus [6]: « Ubi haec magna sunt,

---

[a] S *aliud.* [b] PVS *creatis.* [c] S add. marg. *hoc.* [d] B om. *h. a. n. p. e. m.* [e] Ita LF, alii *disponuntur.* [f] S *aliud.* [g] R om., in B est add. interl. [h] V om. *s. s. r. a.* [i] B om. [k] S (corr.) LF *quod.* [l] F *quod.* [m] BLF add. *etiam.* [n] V *tamen.* [o] B *et mensura.* [p] B *et.* [q] V *et.* [r] V *sunt.* [s] F add. *videri.* [t] S *mensurantur.* [u] PVS add. *secundum.* [v] V om. [x] B om.

1 Lib. IV, c. 5, n. 11 (PL 34, 300).
2 Loc. cit.
3 *Dialog. quaest. 65,* q. 39 (inter opp. Augustini, PL 40, 746); cf. *De Gen. ad litt.,* IV, c. 6, n. 12 (PL 34, 301).
4 *Hexaem.,* I, c. 9, n. 34 (PL 14, 143).
5 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 9, q. 2 (f. 62c).
6 *De natura boni,* c. 3 (PL 42, 553).

magnum bonum est ». Ergo videtur quod bonum non [a] sit sine iis; sed quod non est bonum secundum naturam, non est: « omne enim quod est, secundum quod huiusmodi, bonum est », ut dicit Augustinus, *De doctrina christiana* [1]; ergo nullum ens potest esse sine iis; ergo sunt essentialia. — Respondebit [b] quod non sequitur: 'hoc non potest esse sine [c] hoc, ergo est essentiale illi' – sed [d] addi oportet: 'nec potest intelligi sine illo' [e]. Cycnus enim non potest esse sine albedine, tamen intelligi potest sine albedine [f]: unde albedo non est essentialis cycno; similiter neque propria passio est essentialis, ut sit de essentia subiecti, non tamen potest esse subiectum sine illa. — Sed quod nec res possit intelligi sine istis, ostenditur primo sic: *a.* Omne quod perfecte intelligitur a nobis, oportet intelligi sicut terminatum et formatum [g] et ordinatum: aliter non contingeret istud intelligere perfecta comprehensione, nisi comprehendamus ut terminatum [h], sed solum intelligeremus illud sicut intelligimus Deum, quem non possumus intelligere comprehensione perfecta; constat autem quod differens est modus in [i] nobis intelligendi Deum et creaturas; sed omne quod intelligitur ut terminatum [k], intelligitur sub modo, specie et ordine; ergo sicut nec esse, ita [l] nec intelligi possunt sine modo, specie et ordine.

b. Item, si res non cognoscitur nisi secundum quod habet esse, esse autem non habet nisi a suis principiis, patet quod non cognoscitur res complete nisi per comparationem ad sua principia; sed modus, species et ordo dicunt comparationem rei ad sua principia: modus [m] enim secundum relationem rei ad suum efficiens, species ad suam formam extra, ordo ad suum finem; ergo res non possunt intelligi sine modo, specie [n] et ordine. — Quod autem haec tria dicant relationem rei ad sua principia et quod dicant terminationem et formationem [o] et ordinationem rei ad finem, dicit Augustinus, *Super Genesim* [2], plane iis verbis: « Mensura unicuique rei modum praefigit, numerus omni [p] rei speciem praebet, pondus est quod ad quietem et stabilitatem trahit ». Et istud potest extrahi in parte ex [q] Glossa [3] Genesis super illud: *Complevit Deus* etc. Unde in omnibus rebus sunt, et in corporalibus et in spiritualibus [4]: in corporalibus tamen facilius comprehenduntur, in spiritualibus vero non ita faciliter. Si ergo idem sunt numerus, mensura et pondus quod modus, species et ordo, et nulla res nec esse nec [r] intelligi potest sine istis, ergo similiter nec sine modo, specie et ordine; sic ergo videtur quod illa sint essentialia.

Contra: 1. Dionysius [5]: « Nihil existentium corrumpitur, secundum quod est [s] existentia vel natura ». Ergo [id] secundum quod fit corruptio, proprie essentiale non est; fit autem corruptio secundum modum, speciem et ordinem; ergo non sunt essentialia.

2. Item, prius est intelligere rem esse quam esse terminatam vel ordinatam; ergo primus rei intellectus est esse ipsius; sed esse quod est in additione ad primum intellectum, non est essentiale; ergo haec non sunt essentialia.

3. Praeterea, secundum esse communiter dictum, possumus dicere quod conveniat creatura cum Creatore; sed secundum modum, speciem et ordinem non [t]: haec enim non conveniunt Deo; ergo si prius est illud secundum quod convenit creatura cum Creatore quam id secundum quod differt, prius erit esse rei quam modus etc. Videtur ergo quod illa tria sint ex additione ad esse rei; sed quae talia sunt non sunt essentialia rei; ergo nec illa tria.

4. Item, contingit comparare rem ad sua principia extrinseca et intrinseca. Quaeritur [u] ergo: quae est prior harum comparationum? Constat quod illa quae est ad [v] intrinseca, scilicet ad illud 'quod est' et 'quo est': haec enim est omnino essentialis. Si ergo modus, species et ordo non [x] sumuntur penes relationem rei ad sua principia intrinseca, apparet quod sunt posteriora esse rei; sed quae talia sunt non sunt essentialia; ergo modus, species et ordo non sunt essentialia.

Solutio: 1-2-3. Dicendum quod aliquid essentiale dupliciter dicitur: vel quia sit [y] de rei essentia vel esse primo, ut cadat in compositione ipsius, et sic dicuntur 'quod est' et 'quo est' essentialia; et sic dicimus quod illa non sunt essentialia, sicut probant ultimae rationes. — Alio modo dicuntur essentialia non solum ex quibus componitur aliquid, sed illa quae referunt ipsum ad suas causas essentiales, sine quibus non fuisset: et sic, sicut possumus dicere quod causae sunt essentiales causato — non enim possumus dicere quod accidunt illi — ita possumus dicere quod relationes ad causas illas sunt essentiales; et sic modus, species et ordo, quae dicunt [z] relationes ad suas causas, essentiales sunt: modus enim dicit relationem ad

---

[a] PVS om. [b] B *respondebat.* [c] F om., in L est add. mg., in B add. interl. [d] PV *et.* [e] BRL *illa,* quod F corr. [f] V om. *t. i. p. s. a.* [g] LF *informatum.* [h] PVS *terminatur.* [i] F om. [k] L *creatum.* [l] R om., in L est add. interl., F om. *nec,* P *nisi.* [m] V *mundus.* [n] V *dispositione.* [o] L *formam.* [p] PVS *enim.* [q] B om. [r] R om. [s] BRLF om. [t] V om. [u] PVS *queratur,* B *corrumpere* pro *comparare.* [v] V om. [x] V om. [y] RLF *fit.* [z] BR *sunt.*

1 Rectius *De div. quaest. 83,* q. 24 (PL 40, 17).
2 Lib. IV, c. 3, n. 7 (PL 34, 299).
3 *Ordin. in Gen.,* c. 2, 2 (PL 113, 82), ex Augustino, loc. cit.
4 Cf. Augustin., loc. cit.
5 *De divin. nomin.,* c. 4, § 23 (PG 3, 723, PL 122, 1142), ad sensum.

Deum ut ad efficientem, species ut ad formam, ordo ut ad finem. Et secundum hoc dicit Augustinus, X *De civitate Dei*[1], quod tria quaerimus: quis fecit rem, quomodo facta est res[a], propter quid facta est. Si ergo ostenditur quod non sunt essentialia, dico quod non sunt essentialia primo modo dicendi essentiale; et sic currunt rationes illae, aliter autem[b] non.

4. Si ergo quaeritur quae comparatio sit prior[c] vel rei ad sua principia 'quod est' et 'quo est', vel secundum haec quae sunt modus, species et ordo, dico quod 'prior' potest dici dupliciter: vel 'prior', quia universalior, et hoc modo prior est comparatio quae est[d] secundum modum, speciem et ordinem quam ea quae est ad materiam et formam: universalior enim est. Et secundum hanc etiam[e] cognoscuntur materia et forma: tum enim in materia, tum[f] in forma oportet ponere modum, speciem et ordinem. Vel potest dici 'prior', id est propinquior rei cognoscendae, secundum quod dicitur primum et immediatum idem[2]; et sic dicitur prior, quia immediatior: et hoc modo prior [est] cognitio quae est per comparationem ad principia intra, quam illa quae est secundum modum, speciem et ordinem. Primo autem modo erat e converso: non enim potest intelligi aliquid esse, neque ipsa materia neque ipsa forma, non intellecto quod ab aliquo sint, et huiusmodi.

113 ARTICULUS III.

Secundum quid differat assignatio horum differens.

Sequitur quaerere[g] I. secundum quid differat assignatio horum differens.

Ad quod opponitur hoc modo: *a.* In summo bono non solum dicimus Trinitatem personarum, sed unitatem essentiae. Si ergo ipsius causae relucet vestigium in creaturis, sicut non est ibi tantum Trinitas personarum, sed unitas essentiae, ita videtur [quod] in rebus creatis non tantum[h] debent esse illa[i] bona, in quibus relucet vestigium Trinitatis, sed etiam quartum, secundum quod esset vestigium unitatis.

b. Dicetur forte quod ita est, quod in creaturis est trinitas illorum bonorum quae respondet Trinitati increatae, et est una essentia subsistens illis tribus bonis[k], cuiusmodi essentiae unitas respondet unitati essentiae increatae.

Contra: Videtur quod unitas non sit ponenda quartum illorum nec essentia similiter, sed quod contineatur sub altero illorum trium, quod est modus, species et ordo. 1. Augustinus, in libro[l] *De vera religione*[3]: « Omne quod est[m] habet quod unum sit, quod specie discernatur, quod rerum ordinem non excedat »; et loquitur quomodo illa tria, modus, species et ordo, sunt in qualibet re. Si ergo hoc quod dico « quod propria specie discernatur » retorquetur ad speciem, « quod rerum ordinem non excedat » ad ordinem, patet quod « unum esse » retorquetur ad modum; non ergo erit unitas quartum, sed contentum sub modo.

2. Item, quod ipsa essentia vel esse similiter non sit quartum, sed comprehendatur sub modo, videtur sic: Augustinus, in libro *83 Quaestionum*[4]: « In omni eo quod est, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo suis partibus congruit »; et retorquentur haec tria ad illa tria, modum, speciem et ordinem. Si ergo « quo[n] discernitur » refertur ad speciem, « quo partibus congruit » ad ordinem, patet quod[o] « quo constat » refertur ad modum; ergo si 'quo est' vel « quo constat » essentia est, patet quod essentia refertur ad modum; et ita non ponetur quartum.

3. Item Augustinus[5], volens ostendere Trinitatem personarum in creaturis, dicit quod non sunt nisi tres quaestiones de re, scilicet[p] « si est, quid est, et utrum probandum vel improbandum est ». Si ergo « utrum probandum vel improbandum[q] sit » spectet ad ordinem — probatio enim vel improbatio attenditur penes relationem ad finem — « quid est » autem spectat ad speciem, patet quod « si est » spectat ad modum; si ergo « si est » quaestio est de essentia vel de esse, patet quod essentia continetur sub altero illorum trium, quod est modus.

II. Praeterea, quaeritur: duo genera causarum contingit assignare in rebus, est enim[r] causa universalis et[s] particularis; quaeritur ergo: si non solum per causam universalem est res, sed et per[t] particularem habet esse et cognosci proprie, videtur quod magis deberet et modus et species et ordo attendi penes relationem rei ad causas particulares quam ad universalem causam; aut si sumuntur quantum ad universalem causam,

---

[a] V om. [b] PVS om. [c] R om. [d] BL om., R om. *q. e.* [e] F om. [f] B add. *enim.* [g] SF *inquirere.* [h] L *tamen*, BRLF *deberent* pro *debent.* [i] BR *tria.* [k] B *membris.* [l] L om. *i. l.*, F om. *l. D.* [m] V om. [n] BRLF *quod.* [o] BRLF om. [p] PV om., in S est add. mg. [q] PV om. *si ergo... improbandum*, quod in S est add. marg. [r] F add. interl. *una.* [s] BRLF add. *alia.* [t] P om.

1 Rectius lib. XI, c. 21 (PL 41, 334): « Quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit ».
2 Cf. Aristot., *Poster.*, I, c. 2 (I, 122).
3 Cap. 7, n. 13 (PL 34, 129).
4 Quaest. 18 (PL 40, 15).
5 Loc. cit.

quare non sumuntur similiter quantum ad particulares?

III. Item, Sap. 11,21, super illum locum: *Omnia numero, pondere et mensura disposuisti,* dicit Glossa[a] [1]: « In mensura qualitas, in numero quantitas, in pondere ratio attenditur ». Sed quaeritur quomodo haec[b] habeant veritatem. Videtur enim quod deberet magis dici 'in mensura quantitas': constat enim quod ad quantitatem pertinet ratio mensurandi; similiter potius deberet dici 'in numero qualitas': species enim respondet numero; si ergo qualitas species est, videtur retorquenda ad numerum magis quam ad mensuram.

IV. Item, cum inveniantur haec aliis nominibus et differentiis[c] assignari, qualiter accipitur omnium horum differens assignatio? [2].

Solutio: I. Concedimus quod sicut illud increatum, cuius habet anima rationalis imaginem, non est solum Trinitas personarum, sed unitas in Trinitate, ita non[d] solum est triplex bonum vestigium Creatoris in nobis, sed haec secundum quod fundantur supra unitatem essentiae, quae respondet unitati increatae.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod 'unitas continetur sub bono quod est modus nec est ponere quartum': respondemus ad primam auctoritatem quod unitas increata dupliciter accipitur: uno modo essentialiter, ut cum dicitur 'una essentia', et haec unitas habet unitatem essentiae in creatura vestigium sui. Est autem alio modo dicta unitas appropriate[e], secundum hoc quod unitati convenit ratio principii primi: est enim principium ad omnem numerum; et sic appropriatur Patri, ut patet[f] in hac trinitate appropriatorum: unitas, veritas, bonitas; et huic unitati respondet pro vestigio[g] illa unitas quae continetur sub modo, et sic currit illa oppositio[h].

2. Ad secundo obiectum dicimus quod ipsum 'esse' dicitur aliquando ut essentiale in divinis: et sic simpliciter est eius vestigium esse creatum; aliquando autem dicitur appropriate Patri, et hoc patet, quia aeternitas, etsi sit essentialiter dicta, tamen appropriatur Patri in illa trinitate: aeternitas, aequalitas, aeternitatis aequalitatisque connexio [3]. Cum ergo aeternitas nihil aliud sit nisi esse semper durans, patet quod esse aliquando appropriatur Patri. Unde Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [4]: « Haec omni existenti insunt: essentia qua sunt, species qua differunt, usus quo proficiunt; essentia in Patre, species in Imagine, usus in Munere »; et hoc modo respondet illi esse creatum, quod reducitur ad modum. — Posset tamen aliter solvi, faciendo vim in hoc quod dicitur « quo constat ». « Quo constat[i] » enim plus dicit quam 'quo est': dicit enim 'constare' fixionem [5] esse; et ita si 'constare' reducibile sit ad modum, non tamen 'quo est', quia 'constare' ex additione potest reduci ad 'esse'.

3. Ad id quod obicitur de tribus quaestionibus: dicimus quod si esse communiter dictum non dividatur contra speciem et ordinem sicut modus, quia sic est sustinens illa tria, esse tamen, prout appropriate dicitur[k], potest condividi aliis duobus et cadit sub ratione modi: esse enim creaturae esse terminatum est, ex eo quod creaturae est; impossibile est enim esse creaturae[l] infinitum esse. Constat autem quod aliud est dicere 'esse terminatum' et 'esse formatum vel distinctum' et 'esse ordinatum'. Materia enim, quantum est de se, etsi habeat esse terminatum, non tamen distinctum, nisi capacitas sua assignetur ei pro distinguente, tamen proprie[m] loquendo nec terminationem perfectam nec distinctionem habet sine forma: et ita distinguitur ibi 'esse' contra quaestionem quaerentem de specie et ordine. — Sed notandum, quod cum[n] legitur in Scriptura quod omnis res habet modum, speciem et ordinem, de ordine fit sermo dupliciter; est enim duplex ordo: unus, quem habent res inter se in universo et etiam quem habent ex suis partibus ex quibus componuntur: et secundum hoc dicit Augustinus [6], quando[o] loquitur de pertinente ad ordinem: « quo suis partibus congruit »; est etiam ordo omnium rerum relatione ad Deum sicut ad finem: et secundum hoc aliter dicitur de ordine quod est illud secundum quod res ad summum bonum or-

---

[a] F om. *d. d. G.* [b] PVS om. [c] R *definitionibus.* [d] PV om., in S est add. mg. [e] L *a proprietate.* [f] BR *prestet.* [g] Codd. *modo.* [h] B *propositio.* [i] R om. *q. c.* [k] R *appropriatur* pro *a. d.* [l] V add. *in.* [m] B *improprie* pro *t. p.* [n] LF om. [o] PVBR *quod.*

1 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 1174).

2 Cod. Assisiensis 138 om. hanc quaestionem et eius solutionem (p. 178b sq.).

3 Cf. Alan., *Theol. regul.*, n. 4: «In Patre unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu Sancto unitatis aequalitatisque connexio» (PL 210, 625). Ex Augustino, *De doctr. christ.*, I, c. 5 (PL 34, 21).

4 Cap. 6 (PL 40, 783), ex Isaac de Stella, *Epist. de anima* (PL 194, 1887); cf. Augustin., *De Trinit.*, VI, c. 10 (PL 42, 931).

5 Voces *fixio* et adiectivum correspondens *fixus* sunt versio verborum quorumdam arabicorum, quae significant *existentia* vel *subsistentia*, resp. *existens, subsistens, stans,* et occurrunt pluries in *Lib. de causis* (p. 194), ubi inter alia legimus, § 8, p. 172: « Omnis intelligentiae *fixio* et essentia eius est per bonitatem puram, quae est causa prima »; § 26, p. 186: « Omnis substantia destructibilis... est indigens in *fixione* sua et sua essentia deferente »; § 25, p. 186: « Omnis substantia... sit *fixa*, stans per essentiam etc. Cfr. §§ 4, 5, 15, 29 etc. (pp. 168, 169, 177, 188). Similiter Avicenna, *De intelligentiis*, in princ. (fol. 64va).

6 Loc. supra cit., p. 176, nota 4.

dinatur. Unde si diversae rationes inveniantur aliquando de ordine, non est mirandum.

II. Ad aliud dicimus quod causa universalis omnium una est, scilicet Deus; causa particularis non est una omnium, sed diversorum [a] differentes, et in aliquibus non est differentia causae universalis ad particularem, sicut patet in angelis et in illis quae Deus nullo alio agente operatur. Relatio ergo rerum [b] ad causam universalem ponit 'esse' secundum rationem vel rationes communes; relatio autem ad causas particulares, cum illae sint multae, non ponit 'esse' unius modi. — Praeterea, relatio ad causam particularem non facit cognoscere rem secundum illud quod habet deiforme in se, sed relatio ad causam universalem, quae Deus est, facit cognoscere rem secundum illud quod habet deiforme. Quia ergo theologi est cognoscere res non [c] secundum proprias rationes, sed magis secundum illud quod habent de deiformi, et quia etiam non possent inveniri communes rationes referendi res ad causas particulares sicut ad universalem, et [d] hoc exigeretur ad unitatem scientiae: ideo magis accipiuntur modus, species et ordo penes relationem ad causam universalem quam ad particulares [e].

Si ergo obicitur quod in aliis scientiis modus, species et ordo non exiguntur ad cognitionem rerum – dicimus quod etsi cognoscantur res sine illis, non cognoscuntur cognitione theologica: ad illam enim necessaria sunt haec.

Sed [f] obiciet aliquis quia sicut in Theologia cognoscuntur res in relatione ad causam universalem, sic in aliis scientiis cognoscuntur res in relatione ad causam particularem; ergo [g] sicut in aliis scientiis particularibus demonstrantur res et definiuntur [h] per suas causas, ita in Theologia manifestatio et definitio uniuscuiusque erit per causam universalem, quae Deus est, vel dicatur quare non. — Ad quod dicimus quod aliter est in causis universali [i] et particularibus respectu cognitionis faciendae in causatis [k]. Causae enim particulares ducunt nos in comprehensionem certam suorum causatorum; possumus enim certe comprehendere causas aliquando in se, et tunc ex causis devenimus in causata, et ibi [l] demonstrantur et definiuntur res per causas. Causam vero universalem, quae Deus est, non possumus comprehendere nec etiam intelligere secundum quod est, quamdiu hic sumus; unde oportet, quamdiu hic sumus, ut [m] per cognitionem causatorum deveniamus in cognitionem causae primae [n], aliter enim nullatenus intelligeremus eam. Et ideo non est simile de causis particularibus et de universali, quamdiu hic sumus. Unde modus et cetera magis ducunt nos a rebus creatis ad ipsum Creatorem. In futuro erit e converso: ibi enim cognoscemus sicut et cogniti sumus [1]; quia ergo se ipso sumus cogniti a Deo, ibi similiter cognoscemus ipso Deo.

III. Ad aliud [o] dicimus quod non loquitur Glossa illa proprie, sed magis secundum translationem. Sicut enim videmus quod in figuris sunt duo — est enim ibi contentum, et ratione huius est dicere quod non sunt qualitates, sed magis quantitates [p]; est etiam ibi figuratio talis vel talis, quae resultat ex clausione spatii contenti, et quantum ad hoc figura est in quarto genere qualitatis [2] — ita secundum hunc ultimum modum per similitudinem loquitur Glossa illa. Cum enim suo modo mensuratur unaquaeque res et dicitur [3] 'tantum extenditur et non plus', sicut ex spatii clausione in sensibilibus resultat [q] figura quae dicitur qualitas, ita similiter ex hac applicatione modi ad ipsam rem, cum dicitur 'tantum potest et non ultra': hic enim est [r] quasi quaedam clausio, ex qua resultat [s] quasi figuratio quaedam potentiae ipsius rei. Et hoc est quod in illa Glossa appellatur « qualitas », et ita patet quod secundum hoc recte dicitur « in mensura qualitas ». — Similiter cum dicit quod « in numero quantitas [t] »: dicimus quod in corporibus, ubi est partium multitudo determinatarum sub unitate formae, hoc quod dicitur « quantitas » accipitur ibi pro ipsa quantitate vel numerositate partium; unde intelligenda est in talibus quantum ad numerum quantitas [u] materialis, scilicet ratione partium. Sed universaliter non posset ita dici in spiritualibus, ubi non est multitudo partium; non enim potest dici quod id quod est « quantitas » accipiatur pro numerositate partium, et ideo in huiusmodi [v] potest dici quod quantitas ibi accipitur non pro numerositate partium, sed pro unitate formae vel unitate speciei [x] secundum quam est distinctio ab aliis, et secundum hanc est principium connumerandi ipsam rem cuilibet alii, a qua ipsa est distincta; quando autem connumeratur aliquid alii, habetur quantitas discreta, quae est numerus [4]. Et sic patet quod dicitur « in numero quantitas [y] ». — In tertio autem, scilicet pondere, non est vis.

IV. Ad illud vero [z] quod quaeritur de differenti assignatione horum secundum differentes

---

[a] L *secundum diversos* et om. sequens *non*. [b] L om. [c] F om. [d] BR add. *ex*. [e] F *particularem*. [f] BR *si*. [g] V *et*. [h] B om. *r. e. d.* [i] Codd. *universalibus*. [k] BLF *creatis*. [l] F *ubi* pro *e. i.* [m] BRLF om. [n] S *persone*. [o] L *illud*, quod F corr. [p] V om. *s. m. q.* [q] V *restat*. [r] F exp. [s] R om. *e. q. r.*, BLF om. *e. q.*, PV om. *quasi*, V *positione* pro *potentiae*. [t] S *quantitatis*. [u] R *qualitas*, L om. *est*. [v] PS (interl.) B add. *non*, L om. *ibi*. [x] V om. [y] L *quantitatis*. [z] BR om.

[1] Cf. I Cor. 13, 12.
[2] Cf. Aristot., *De categor.*, c. 6 (I, 15).
[3] Cf. Aristot., *Metaph.*, IX, c. 1 (II 574).
[4] Cf. Aristot., *De categor.*, c. 4 (I, 7).

intentiones vocabulorum: dicendum quoniam [a], cum sint in creatura ut vestigium Trinitatis, creatura autem secundum omnem suae bonitatis sive esse variam considerationem sit vestigium, variatur horum consideratio in creaturis.

Unde nota quod in hac via assignatur vestigium Trinitatis multipliciter [1]. Primo in re secundum quam fit, et sic accipitur in Sap. 11,21: *mensura, numero et pondere.* Unde Augustinus, *Ad Orosium* [2]: « Si in numero, mensura [b] et pondere disposuit Deus omnia: numerum et pondus et mensuram ubi disposuit? Numerus, pondus et mensura est ipse Deus; numerus sine numero, a quo est omnis numerus, mensura sine mensura, a quo est omnis mensura » etc. Idem ergo est qui omnia in se disposuit: non enim creaturam extra se vidit, sicut homo qui retinet in memoria quae facit. — Secunda trinitas est, secundum quam res est: et haec est unitas sive aeternitas, veritas, bonitas. Unde Bernardus, *Super Canticum* [3]: « O beata Trinitas: veritas, bonitas, aeternitas »; primum Filio, secundum Spiritui Sancto, tertium Patri coaptatur. — Tertia est, secundum quam res perfecte est, scilicet modus, species et ordo. Augustinus, in libro *De natura summi boni* [4]: « Ubi haec magna sunt, magnum bonum est, ubi minima minimum, ubi mediocria mediocre ». — Quarta est [c], secundum quam res disponitur ad actum: substantia, species et virtus. Unde in Psalmo [5] *Bonum est confiteri Domino* [d], versus: *Et stultus non intelliget haec,* ibi Glossa [6] ponit: « Substantia [e], forma et virtus ». — Quinta est, secundum quod in actu est: et haec est essentia, virtus et operatio. Hanc ponit Dionysius, in *Hierarchia,* cap. *Quare angeli dicuntur virtutes* [7]. — Sexta est, secundum quod [f] res ad cognitionem disponitur: substantia, species, ratio; hanc ponit Trismegistus [8] philosophus. — Septima est, secundum [g] quod est in cognitione, et secundum hoc « quo [h] constat, quo congruit, quo discernitur »; hanc ponit Augustinus, in *83 Quaestion.* [9], iis verbis: « Omne quod constat aliud est [i] quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. Universa ergo creatura si est, et ab eo, quod ipsa non est, distat et suis partibus sibimet congruit, causam eius trinam oportet esse: qua sit, qua hoc sit, qua sibi amica sit; creaturae autem causam Deum dicimus; oportet ergo Trinitatem esse, qua [k] nihil praestantius, intelligentius, beatius [l] queat nominari. Ideo cum veritas quaeritur, non plura quam tria genera quaestionum esse possunt: utrum omnino sit, utrum hoc an [m] aliud, utrum probandum vel improbandum sit ».

ARTICULUS IV. 114

An sint eadem in omni creatura.

Postea quaeritur an ista tria sint eadem in omni creatura.

Constat enim quod [n] omni rei creatae insunt eo quod creata est, nec solum essentiae, sed etiam [o] potentiis et [p] omnibus quae sunt.

Voluntas ergo, cum sit quaedam potentia, habebit modum, speciem et ordinem, secundum quod creatura [q] est. Cum autem non contingat modum, speciem et ordinem, quae insunt cuilibet rei, corrumpi per peccatum, patet quoniam ipsa voluntas, non solum ut creatura est, sed etiam ut est potens peccare, habet modum, speciem et ordinem, quae sunt corruptibiles vel diminubiles [r] per peccatum: quaeritur ergo utrum modus, species et ordo, quae insunt voluntati in eo quod creatura et in eo quod est potens peccare, secundum idem insunt aut secundum diversa.

Illud autem, secundum quod insunt modus, species et ordo omni creaturae, sit A; illud autem secundum quod insunt modus, species et ordo [s], quae sunt diminubiles per peccatum, sit B. Tunc quaeritur: B non solum habet modum, speciem et ordinem uno modo, sed duplici, cum sit crea-

---

[a] V *quando,* B *quod.* [b] V *mensuratur.* [c] BR *autem.* [d] BRLF om. [e] F *potentia* pro *p. S.* [f] PVS *quam,* L om. *secundum.* [g] P add. *hoc,* BR om. seq. *est.* [h] Ita P, alii *quod.* [i] R om. [k] BR *quare.* [l] F *veracius.* [m] BR *aut.* [n] V add. *in.* [o] R *solum.* [p] S add. *etiam.* [q] L *creata.* [r] V *divisibiles.* [s] PVF om. *omni creaturae... ordo,* quod in S est add. marg.

1 Sequentia septem exempla vestigii Trinitatis enumerat fere verbotenus etiam Odo Rigaldus (cod. Paris. Nation., cod. lat. 14910, f. 11d, in quaest. *De imagine*); cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 9, qq. 2 et 3 (f. 62a et 63a); S. Bonav., I *Sent.,* d. 3, p. 1, dub. 3 (I, 79a).

2 Quaest. 39 (inter opp. Augustini, PL 40, 745); cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* IV, c. 3 sqq. (PL 34, 299 sqq.).

3 Sermo 11, n. 5 (PL 183, 826).

4 Cap. 3 (PL 42, 553); cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 62b).

5 Psalm. 91, 7. 6 *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 1001).

7 *De cael. hierarch.,* c. 11, § 2 (PG 3, 283, PL 122, 1059).

8 In libro, cui titulus est *Hermetis Trismegisti De castigatione animae libellus,* (ed. Otto Bardenhewer, Bonn 1873), c. 14, n. 7, p. 113 sq. legimus: « Tuam essentiam si describis (o anima), *substantiam* eam esse dicas. Oportet autem intelligas animam in rerum natura nihil aliud efficere nisi *species* eorum, quae *ratio* in ipsa efficit, nec *rationem* in anima aliud quidquam efficere nisi species eorum, quae causa prima in ipsa efficit ». Cf. c. 14, nn. 11-12, p. 116 sq. et c. 6 nn. 8-9, p. 55.

9 Quaest. 18 (PL 40, 15).

tura; quia si non haberet modum, speciem et ordinem, nisi prout insunt omni creaturae, tunc B non esset illud secundum quod modus, species et ordo, quae sunt diminubiles per peccatum, ipsi voluntati insunt. Si ergo B [a] utroque modo habet modum, speciem et ordinem, tunc [b] quaeritur: illi duplices modus, species et ordo aut insunt illi secundum idem aut secundum diversa. Si secundum diversa: ita semper quaerendo potest abiri [c] in infinitum, quod non est possibile; oportet ergo ponere quod secundum idem aliquando insunt illi duplices modus, species et ordo; sed sicut staretur alibi, ita potest stari [d] in primo; sic ergo potentia, quae est voluntas, secundum idem erit habens modum, speciem et ordinem ut sunt communiter in omni re et ut sunt corruptibilia per peccatum. Aut ergo illud erit [e] eodem modo se habens aut non. Si eodem: ergo, cum [f] secundum speciem, modum et ordinem, ut sunt in omni re, non fiat diminutio, secundum autem modum, speciem et ordinem alio modo sumptos fiat diminutio, tunc secundum idem et eodem modo se habens fieret et non fieret diminutio; quod est inconveniens. Relinquitur ergo quod erit idem, sed aliter et aliter se habens, secundum quod inerit voluntati modus, species et ordo et prout sunt diminubiles per peccatum.

[Solutio]: Quod concedimus. Dicimus enim quod eadem voluntas est quae habet utrosque modum, speciem et ordinem — eadem dico secundum substantiam — sed aliter [g] et aliter considerata. Dicimus enim quod ipsa voluntas potest considerari ut natura quaedam vel ut voluntas. Secundum ergo quod natura est, sic ipsa [h] habet modum, speciem et ordinem quae consequuntur omnem rem, sicut et aliae creaturae; et sic non sunt diminubiles per peccatum. Secundum autem quod ipsa consideratur ut voluntas, sic est [i] ordinabilis ad gratuitum bonum voluntarie, quod non reperitur in aliis creaturis: sic in ipsa reperiuntur modus, species et ordo qui non sunt nisi [k] in rationabilibus creaturis, et ii sunt diminubiles [l] per peccatum. Unde secundum hoc dicimus quod duplex est vertibilitas: est enim quaedam vertibilitas, quae concomitatur omnem creaturam eo quod creatura est: et haec vertibilitas per naturam est de esse in non-esse, et haec vertibilitas respondet modo, speciei et ordini prout sunt in omni creatura. Est autem [m] vertibilitas alia, quae non est in non-esse simpliciter, sed in non-esse moris, quod est malum: et haec vertibilitas est electionis, et haec respondet modo, speciei et ordini quae sunt [n] in rationabilibus tantum.

Sed posset quaeri: cum secundum hanc vertibilitatem corrumpantur modus, species et ordo, ut insunt rationabilibus, et hoc per peccatum, cum modus, species et ordo [o], ut insunt omni rei, non sunt vertibilia per peccatum, ut dictum est, quid erit causa illius vertibilitatis aut illius corruptionis, qua [p] corrumpuntur modus, species et ordo secundum quod insunt omni rei.

Ad quod intelligendum est quod dicit Augustinus, in [q] XI *Confessionum* [1]: « Domine, duo fecisti: unum prope te et aliud [r] prope nihil »; « prope nihil » appellatur ibi materia quantum est de se; « prope Deum » appellatur angelica natura sive quaecumque a materia separata inter creaturas. Quanto ergo minus habet creatura de eo quod est « prope nihil », tanto minus habet de vertibilitate communiter dicta; quanto autem magis habet creatura de eo quod est [s] « prope nihil », tanto magis habet de vertibilitate et corruptibilior est. Sicut ergo peccatum secundum aliquam vertibilitatem erat corruptivum modi, speciei et ordinis quae insunt rationabilibus tantum, ita accessus ad « prope nihil », secundum hanc vertibilitatem quae inest omni creaturae [t], est corruptivus modi, speciei et ordinis communiter dictorum. Unde etiam [u] secundum hoc est differentia inter istas duas [v] vertibilitates. Corruptio enim, quae est secundum vertibilitatem electionis [x], est proprie et solum penes recessum et elongationem a summo bono et non penes accessum ad oppositum. Corruptio autem, quae est secundum vertibilitatem communem, est secundum accessum ad nihil vel ad id quod est « prope nihil ».

115 ARTICULUS V.

An secundum haec determinetur bonum in Creatore et creatura.

Consequenter quaeritur penes quid attendatur vel dignoscatur bonum in Creatore et creatura, an scilicet penes modum, speciem et ordinem.

Ad quod sic: *a.* Augustinus, in libro *De natura summi boni* [2]: « Omnis modus, species et ordo a Deo sunt; quantum [y] moderata, speciosa, ordinata sunt, tanto magis utique bona sunt ».

[a] PV om., in S est add. marg. [b] V *etc.* [c] VF *abire.* [d] PSBR *stare.* [e] B om. [f] L om. [g] Ita B (add. interl.) F (add. mg.), alii om. [h] R om. [i] PV om., in S est add. interl. [k] BR om. [l] F *dissimiles.* [m] BR *enim.* [n] B *est.* [o] R om. *ut insunt... ordo.* [p] BR *quia.* [q] B om. [r] VS *alterum,* VSB om. *et.* [s] V om. [t] F *est in omni creatura* pro *i. o. c.* [u] PVS om., B *ut* pro *unde.* [v] P om. [x] S *corruptionis.* [y] PVS add. *ad.*

[1] Lib. XII, c. 7 (PL 32, 828).

[2] Cap. 3 (PL 42, 553): « Omnia enim quanto magis moderata, speciosa, ordinata sunt, tanto magis utique bona sunt ».

ordinata [sunt], tantum bona sunt ». Ex quo obicitur: Si ea quae sunt, ex eo quod sunt magis moderata, speciosa, ordinata, magis bona sunt, sed penes modum dicuntur moderata, penes speciem speciosa, ab ordine ordinata: ergo determinatur vel dignoscitur bonum penes ista tria.

b. Item, Augustinus, in *83 Quaestion.*[1]: « Ubi est [a] aliqua species, necessario est aliquis modus, et modus aliquid boni est; summum ergo malum nullum modum [b] habet: caret enim bono »; et similiter, cum careat modo et specie, caret et ordine, quoniam ordo ponit speciem et modum; ergo cognitio boni in creatura est per ista tria, quia aliter non diceretur summum malum quod caret istis.

Contra: 1. Augustinus, *Super Genesim ad litteram*[2], accipit hanc auctoritatem Sap. 11,21: *Omnia disposuisti in numero, pondere et mensura*, et dicit quod haec tria sunt in omni creatura. Unde dicit: « Mensura omni rei modum praefigit, et numerus omni rei speciem praebet, et pondus omnem rem ad quietem ac [c] stabilitatem trahit; ille primitus et singulariter et veraciter ista [d] est, qui terminat omnia et format omnia [e] et ordinat omnia ». In quantum « terminat omnia », dicitur causa efficiens quae dat mensuram vel modum; in quantum autem « format », dicitur causa formalis et dat numerum sive speciem; in quantum est causa finalis, « trahit rem ad stabilitatem et quietem », sicut [f] facit pondus in corporibus. Ex quo patet quod ordo refertur ad causam finalem. Sed bonum secundum Boethium[3] dicitur, quia ad bonum tendit; unde bonum dicit comparationem [g] ad finem; ergo bonum secundum ordinem solum determinatur et dignoscitur et non secundum illa tria.

2. Item, Augustinus, in *83 Quaestion.*[4]: « Quasi [h] totum nomen mali de speciei [i] privatione repertum est ». Maxima ergo est oppositio mali contra speciem; ergo bonum, quod opponitur malo, maxime consistit circa [k] speciem; sicut ergo notificatio mali est per speciei privationem, ita notificatio boni solum per speciem.

3. Item, virtus est de genere boni. Si ergo virtus determinatur penes superfluum et diminutum, ergo et bonum; sed medium istud reducitur ad modum; ergo solum penes modum determinatur bonum. — Item, Augustinus, *De natura summi boni*[5], dicit quod ista recipiunt determinationem mali [l]; unde dicitur « malus modus, mala species, malus ordo »; sed bonum non potest cadere in malum; ergo penes ista non determinatur vel dignoscitur bonum.

Solutio: Dicendum quod penes haec tria determinatur et dignoscitur bonum in Creatore et creatura. Bonum enim increatum, sicut dicit Dionysius[6], dicitur « ex quo omnia subsistunt »: et sic se habet in ratione efficientis ad bonum creatum, quod ab ipso est; et dicitur bonum increatum « in quo omnia contenta sunt »: et sic se habet in ratione causae formalis ad bonum creatum, quod in ipso est tamquam in continente; item, bonum increatum dicitur « quod omnia affectant et ad quod omnia convertuntur »: et sic habet intentionem causae finalis. Bonum vero [m] creatum dicitur quia a bono, quia in bono, quia ad bonum[7]. Modus autem sumitur ex comparatione creaturae ad efficientem, quia ipsa dat modum; species ex ordinatione rei ad causam formalem; ordo vero ex comparatione ad finalem. In quantum ergo bonum creatum dicitur quia 'a bono', habet modum; in quantum dicitur bonum quia 'in bono', dicitur [n] habere speciem; in quantum dicitur bonum quia 'ad bonum', dicitur habere ordinem. Licet autem haec omnia indicent bonitatem, principaliter tamen secundum ordinem dignoscitur, quia species in intellectu suo ponit modum, ordo autem dat praeintelligere modum et speciem et non e converso, unde ponit illa; et ideo tamquam per summum notificatur per ordinem, quia notificatio illius per ordinem est notificatio illius per modum et speciem, cum ordo illa praeintelligat.

[Ad obiecta]: 1. Ad aliud quod obicitur quod 'bonum dignoscitur penes ordinem, cum dicat comparationem ad finem': dicendum quod notificatur per haec tria. Licet ergo bonum dicat comparationem ad finem principaliter, haec tamen comparatio non excludit comparationem eius ad formam et efficientem, quin scilicet dicatur bonum quod 'ex bono', quod 'in bono', immo potius ponunt illas, quia causa finalis induit rationem aliarum causarum.

2. Ad aliud dicendum quod species dicitur duobus modis. Uno modo species dicitur quo res distinguitur: et sic condividitur contra modum et ordinem, quia modus est quo res limitatur, species quo [o] distinguitur, ordo quo ad aliud ordinatur. Alio modo dicitur species quo res placet et accepta est: et hoc modo dicit rationem boni decurrentis per illa tria. Et sic intelligitur totum malum de speciei privatione descendere.

---

[a] S *cum.* [b] SF *bonum.* [c] LF *ad.* [d] PVS *iste.* [e] F om. *e. f. o.* [f] PVS *sic.* [g] LF *operationem.* [h] BR om., F *quod.* [i] LF *specie.* [k] L *contra.* [l] R om. [m] Ita LF, alii *ergo.* [n] S om. *q. i. b. d.* [o] L *vero.*

1 Quaest. 6 (PL 40, 13).
2 Lib. IV, c. 3, n. 7 (PL 34, 299).
3 *De hebdomad.* (PL 64, 1312)
4 Quaest. 6 (PL 40, 13).
5 Cap. 23 (PL 42, 558).
6 *De divin. nomin.*, c. 4, § 4 (PG 3, 699, PL 122, 1131).
7 Cf. Boeth., *De hebdomad.* (PL 64, 1312 sqq.).

3. Ad ultimum dicendum quod ista non possunt cadere in malum in se manentia secundum idem, sed sicut dicitur de eo quod est bonum natura, quod est malum voluntate, ut de homine malo, et dicitur bonum malum, sed non secundum idem, quia bonum secundum naturam, malum secundum voluntatem: sic modus, species et ordo dicuntur mali, non secundum idem; verbi gratia, malus modus in anima prava, quae servat [a] modum natura, quamvis non voluntate; vel, quemadmodum dicit Augustinus, in libro *De natura boni* [1]: « Malus modus vel mala species vel malus ordo aut ideo dicuntur quia minora sunt quam esse debuerunt, aut quia non iis rebus accommodantur quibus accommodanda sunt, ut ideo dicantur mala quod sunt aliena et incongrua, tamquam si dicatur aliquis non bono modo egisse, quia minus bene egit quam debuit, aut quia ita egit sicut in re tali non debuit vel amplius quam oportebat vel non [b] convenienter, ut hoc ipsum quod reprehenditur malo modo actum, non ob aliud iuste reprehendatur nisi quia ibi non est servatus modus. Item, species mala vel in comparatione dicitur formosioris atque pulcrioris, quod ista sit minor species, illa maior, non mole [c], sed decore; aut quia non congruit huic rei cui adhibita est, ut aliena et inconveniens videatur: tamquam si nudus homo in foro deambulet, quod non offendit si in balneo videatur. Similiter et ordo tunc malus dicitur cum minus ipse [d] ordo servatur: unde non ibi ordo, sed potius inordinatio mala est cum aut minus ordinatum est quam debuit aut non sicut debuit. Ubi tamen aliquis modus, aliqua species, aliquis ordo est, aliquod bonum et aliqua natura est [e]; ubi autem nullus modus, nulla species, nullus ordo est, nullum bonum est, nulla natura est ».

CAPUT II.

AN BONUM CREATUM SIT BONUM IN QUANTUM EST ET PER ESSENTIAM.

116

ARTICULUS I.

Si unumquodque in quantum est bonum est.

Consequenter inquirendum est si unumquodque, in quantum est, bonum est.

Ad quod est [f] auctoritas Boethii, in libro *De hebdomadibus* [2], item Augustini, in libro *De libero arbitrio* [3] et aliis locis.

Contra: 1. Si « unumquodque, in quantum est, bonum est »: sed quidquid est, in quantum est, est per suam essentiam; ergo si unumquodque, in quantum est, bonum est, erit bonum per essentiam; ergo essentialiter bonum [g]; ergo bonum sicut Deus. — Si respondeatur iuxta Boethium [h], in libro *De hebdomadibus* [4], quod « bonum dicitur duobus modis: primum est, quod est vere bonum, quoniam est bonum in eo quod est, id est suae essentiae veritate; secundum, quod [i] est bonum non essentiae suae veritate, sed denominatione » suae causae, quia fluit a bono vel est ad bonum — quemadmodum « humanum dicitur duobus modis, ut dicit Porretanus [5]: generis proprietate, ut animal humanum, homine demonstrato; denominatione suae causae, quia ex eo fluxit cuius humanum est esse, et hoc modo dicitur opus vel artificium humanum »; et utrumque, sive hoc animal, demonstrato homine, sive hoc opus quod est ab homine, dicitur humanum in eo quod est, sed differenter, quia hoc animal humanum in eo quod est, quia eius esse est humanum esse, hoc vero opus, non quia eius esse est humanum esse, sed quia fluxit ab homine, cuius esse est humanum — similiter cum dicitur Deus bonus in eo quod est, hoc est quia eius esse est bonitas, cum dicitur creatura bona in eo quod est, quia scilicet a bono est, hoc est ab eo cuius esse est bonitas et ad illud est; unde Augustinus, in *Enchiridion* [6]: « Naturae omnes, quoniam Conditor earum est summe bonus, bonae sunt » – contra obicitur: Nam [cum] humanum, cum dicitur de opere post factum esse, non ponat aliquid in opere: ergo bonum non ponet aliquid [k] in facto esse creaturae; quod est falsum. Cum ergo bonum ponat in ipsa creatura, relinquitur quod non dicitur bonum sicut humanum.

---

[a] B *conservat*. [b] RL om., F om. *ut*. [c] Codd. *modo*. [d] Codd. *specie*, L *unus* pro *minus*. [e] R om. [f] PVS om. [g] B add. *esse*, R add. *est*. [h] V om. [i] L om. [k] P *ab*, L om. *in*.

[1] Cap. 23 (PL 42, 558). [2] PL 64, 1311 sq. [3] Cf. lib. II, cc. 17 et sqq. (PL 32, 1265 sqq.); verbotenus sequens locus in *De div. quaest. 83*, q. 24 (PL 40, 17). [4] Rectius Gilb. Porret., *Comment. ad Boethium de hebdomadibus* (PL 64, 1328). [5] Ibidem. [6] Cap. 12 (PL 40, 236).

2. Item, obicitur de hyle sive prima materia, de qua Augustinus, in libro *De natura boni*[1]: « Hyle non per aliquam speciem sentiri, sed per omnimodam privationem speciei cogitari vix [a] potest ». Cum ergo determinetur bonitas secundum modum, speciem et ordinem, ut dictum est[2], hyle autem, in quantum est, intelligitur privata modo, specie et ordine[3]: relinquitur quod non erit bona in quantum est.

3. Item, fornicatio vel culpa est in fornicante vel peccante. Si ergo unumquodque [b], in quantum est, bonum est: ergo fornicatio vel culpa, in quantum est, bona est; sed in quantum fornicatio vel culpa, est [c]; ergo fornicatio, in quantum fornicatio, bona est.

Respondeo: Causa prima, sicut dicit Philophus[4], magis est essentialis causato quam causae aliae; quod tamen intelligendum est sic[5]: non quod [d] causa prima sit de esse causatorum, sed quia causata nulla nisi ab ipsa sunt, nec nisi per ipsam sunt et servantur, nec, nisi ut ad ipsam sunt, habent esse. Sic [e] bonum, quod dicit rationem [f] causalem, sicut dicit B. Dionysius[6]: « Bonum est, in quo omnia subsistunt et in quo omnia servantur et ad quod omnia [g] convertuntur ». Hinc est quod unumquodque, in quantum est, a bono et in bono et ad bonum est, et haec est bonitas in creatura: esse a bono, in bono et ad bonum; et ideo bonitas creaturae non est bonitas per essentiam, et tamen est in eo quod est.

[Ad obiecta]: 1. Concedo ergo quod non sic dicitur omnino creatura bona sicut opus dicitur humanum, quamvis utrumque dicatur per denominationem sumptam a causa [h]: quia causa divina magis essentialiter se habet ad suum effectum, quod est creatura, quam causa humana ad suum opus.

2. Ad aliud dicendum [i], secundum Augustinum [k], *De vera religione*[7]: « Illud, quod in comparatione perfectorum informe dicitur, si [l] habet aliquid formae, quamvis exiguum, nondum est nihil: nonnullum ergo bonum est capacitas formae, et ideo qui praestitit formam fecit etiam [m] posse formari ». Secundum ergo Augustinum, *De natura boni*[8], « capacitas formae », secundum quam dicimus quod materia est possibilis ad capiendas formas, est ipsi materiae pro forma, secundum quam dicimus in materia esse speciem. Et hoc est etiam [n] quod dicit Augustinus, in libro *De natura boni*[9], quod « materia habet capacitatem formarum »; unde dicit: « Habet enim capacitatem formarum suarum; nam si capere impositam formam ab artifice non posset, nec materies diceretur ». Licet ergo materia secundum se non habeat formam aliquam distinctam et quae ducat ipsam [o] ad aliquod esse, est tamen ipsi materiae potentia capiendi formas, sive capacitas formarum, pro forma; sed quemadmodum materia ratione huiusmodi non habet esse simpliciter, sed secundum quid, ita ratione huiusmodi habet speciem non simpliciter, sed secundum quid; unde sicut ipsa est ens, ita habet illa tria, ita etiam est bona. Et propter hoc dicit Augustinus[10] quod « nonnullum bonum est capacitas formae », immo aliquod bonum, ratione cuius habet materia speciem et ita suam bonitatem; unde non est dicendum quod omnino careat istis. Et cum dicit Augustinus[11] quod « per omnimodam speciei privationem cogitari vix potest », loquitur de specie sive de forma quae ab extrinseco advenit materiae, perficiens ipsam et dans [p] esse completum.

3. Ad ultimum dicendum quod quaedam nomina sumuntur a privationibus et defectibus, de quibus non est dicere « in quantum est, bonum est ». Et ratio est: quia eorum esse non est esse simpliciter, sed deficere ab esse; tale est esse privationum, defectuum et malorum. Cum ergo dicitur « unumquodque, in quantum est, bonum est [q] », intelligitur de illis quae servant esse, et non [r] de illis quae deficiunt ab esse.

ARTICULUS II. 117

Si unumquodque bonum creatum sit bonum per essentiam vel per participationem.

Consequenter quaeritur si unumquodque bonum creatum sit bonum per essentiam vel per [s] participationem.

I. 1. Nam quod [t] per essentiam, hoc videtur relinqui ex praecedentibus. Tamen circa hoc disputat Boethius, in libro *De hebdomadibus*[12]; dicit

---

[a] PVS om. [b] L add. *est.* [c] L add. *bona est.* [d] L *qua.* [e] BR *ergo.* [f] S *rationalem.* [g] F om. [h] S add. *divina.* [i] L om. [k] BRLF *illud Augustini.* [l] P om., L add. *se.* [m] S add. *esse et.* [n] F *esse,* pro *e. e.* [o] PV *ipsum,* quod S corr. [p] LF *creans.* [q] L om. [r] P *ideo,* LF add. *est.* [s] LF om. [t] B om.

1 Cap. 18 (PL 42, 556).
2 Cf. supra, p. 173, num. 111.
3 Cf. Augustin., loc. cit.
4 Auctor *Libri de causis,* § 1 (p. 163): « Omnis causa primaria plus est influens super causatum suum quam causa universalis secunda ».
5 Cf. supra, p. 71, num. 46 et p. 166a, *ad 5.*
6 *De divin. nomin.,* c. 4, § 4 (PG 3, 699, PL 122, 1131).
7 Cap. 18, nn. 35 et 36 (PL 34, 137).
8 Cap. 18 (PL 42, 556).
9 Loc. cit.
10 *De vera relig.,* c. 18, n. 36 (PL 34, 137).
11 *De nat. boni,* c. 18 (PL 42, 556).
12 PL 64, 1312.

enim, « quod si ea quae sunt, participatione bona sunt, per se nullo modo bona sunt; nam quod participatione album est, per se, in eo quod est, album non est ». Sicut ergo participatione album potest non esse album, ita creatura, si est participatione bona, poterit non esse bona; sed creatura non potest non esse bona; ergo non est participatione bona, sed substantialiter.

2. Item, participare est partem capere; sed Deus vel divina bonitas non habet partem; ergo non potest [a] participari divina bonitas; sed divina bonitate [b] est creatura bona; ergo non capit partem ipsius; ergo non est participatione bona.

3. Item, Augustinus, in libro *83 Quaestionum*, dicit [1]: « Quae participatione similia sunt, recipiunt dissimilitudinem »; sed creatura, manens creatura, bona est, et per hoc habet similitudinem cum primo bono et non potest recipere oppositum [c] illius bonitatis sive dissimilitudinem, ut dicatur creatura, in quantum creatura huiusmodi, mala [d]; ergo non dicitur participatione bona; ergo est essentialiter bona.

4. Item, bonitas creata aut est participatione bona aut essentialiter. Non est participatione bona: quia quod est participatione bonum, ut dictum est [2], potest recipere dissimilitudinem; sed bonitas non potest non esse bona; ergo non est bona participatione; ergo bona est essentialiter; sed bonitas creata [e] haec est bonitas ipsius creaturae; ergo creatura est bona essentialiter.

Contra: *a*. Quod substantialiter est bonum, dicitur simile Primo, sicut dicit Boethius, in libro *De hebdomadibus* [3]; sed nihil est simile Primo nisi Primum; ergo nihil est substantialiter bonum nisi Primum; ergo creatura non est substantialiter bona. — Quod autem nihil sit simile Primo nisi Primum, patet: quoniam similitudo est convenientia in aliqua qualitate; sed nihil est commune Creatori et creaturae, et iterum non est in ipso aliquid quod non sit ipsum: unde non est in ipso aliqua qualitas; ergo quod est ipsi simile, est ipsum. — Item, quod non sit creatura similis Primo, patet per Augustinum, in libro *83 Quaestionum* [4]: « Ipsa similitudo ex aliqua parte nullo modo potest esse dissimilis; unde fit ut, cum similitudo Patris Filius dicitur, quia eius participatione similia sunt quaecumque sunt vel inter se vel Deo similia, ex nulla parte potest esse dissimilis »; sed omnis creatura potest esse [f] dissimilis primo ex parte et ita est; ergo nulla creatura est ei similis; ergo nec bonitas creata; ergo non est substantialiter bona.

II. Iuxta hoc quaeritur de [g] quadam ratione Boethii [5], per quam ostendit omnia esse bona, quae talis est: « Tenet communis sententia Doctorum omne quod est ad bonum tendere; omne autem tendit ad simile; quae igitur ad bonum tendunt, ipsa bona sunt ». Ostenditur enim quod non valeat ista ratio, quia non valet haec argumentatio: 'omnis homo tendit ad beatitudinem, et omne tendit ad suum simile, ergo omnis homo est beatus'; et ita vel falsum dicit dicendo quod « omne quod est [h] tendit ad suum simile », vel oportet reddere causam quare tentio ad bonum facit creaturam esse bonam, non autem tentio ad beatitudinem facit ipsam esse beatam.

Solutio: I. Secundum B. Dionysium, in libro *De divinis nominibus* [6]: « Sicut sol, qui apud nos est, non existimans vel arbitrio motus, sed ipso esse illuminat omnia quae suo participare lumine iuxta propriam [i] possunt rationem: sic et bonum, quod supra solem est, tamquam obscuram imaginem [k] omnibus entibus emittit bonitatis [l] totius radios ».

Ad obiecta: 1. Nota quod aliquid esse [m] per participationem dicitur tribus modis. Uno modo, cum illud [n] habet formam quae non concomitatur [o] totam extensionem esse: et hoc modo formae separabiles, ut albedo et sanitas, in [p] suis subiectis sunt participatione; quae vero semper insunt sunt essentialiter, et hoc modo dicit Augustinus [7]: quae « participatione similia sunt, possunt esse dissimilia ». Alio modo, cum habet formam concomitantem [q] totam extensionem esse, sed tamen partitur et multiplicatur in illis, sicut forma universalis quae multiplicatur in singulari: unde dicitur participatione speciei plures homines unus. Tertio modo dicitur, cum habet formam aliquam quae est [r] incompleta respectu alicuius completae a qua habet dependentiam et causam: sicut homo sapiens dicitur participatione, quia habet sapientiam incompletam respectu sapientiae [s] divinae, quae est essentialiter completa. — Secundum hoc 'bonum participatione' dicitur tribus modis. Primo modo, dicitur homo bonus participatione bonitate [t] gratiae, quia gratia est forma separabilis. Secundo modo, dicitur angelus bonus participatione bonitate gloriae, quia bonitas gloriae,

---

[a] S *habet*. [b] Codd. *creatura*. [c] PVS *oppositionem*. [d] BRLF *malum*. [e] BRL *creatura*, quod F corr. [f] B om. [g] P om. [h] BRLF om. *q. e.* [i] P *proprium*. [k] PVSR add. *ipsa*. [l] F *bonitas*. [m] F om. [n] S om. [o] L *comitatur*, quod F corr. [p] LF om. [q] PV *convenientem*, quod S corr. [r] V om. [s] L *essentie*. [t] B om.

1 Quaest. 16 (PL 40, 16).
2 Ad n. 3.
3 Loc. cit.
4 Quaest. 24 (PL 40, 16 sq.).
5 *De hebdomad.* (PG 64, 1311 sq.).
6 Cap. 4, § 1 (PG 3, 694, PL 122, 1129).
7 Loc. supra cit., n. 3.

um sit inseparabilis, multiplicatur tamen [a] in luribus angelis beatis. Tertio modo, dicitur omnis atura bona participatione, quia bonitas non est ius esse, sed additum ipsi esse, et hoc per re- ationem ad bonum per essentiam, quod est Deus.

Item, nota quod bonum substantialiter dicitur uobus modis. Uno modo dicitur substantialiter onum, quando substantia est bonum, ita quod dem sit bonitas; et hoc dicitur [b] secundum pri- um modum dicendi 'essentiale', secundum quod os dicimus essentiale quod est de esse sive quod icit esse rei: hoc modo solus Deus dicitur bo- um substantialiter. Alio modo dicitur bonum sub- tantialiter [c] secundum secundum modum dicendi essentiale' [d], scilicet secundum quod 'essentiale' icitur proprietas immediate sequens essentiam et nseparabiliter: hoc modo creatura est bona es- entialiter, quia bonitas immediate sequitur [e] es- entiam creaturae.

2. Ad secundum quod obicitur quod 'par- icipare [f] est partem capere' etc.: dicendum uod divina bonitas in se ipsa simplicissima st nec habens partem et partem. Item, divina onitas infinita est quantum ad effectus: unde i quaeratur quantum extenditur [g] bonitas di- ina, non potest dici 'tantum'; nam in infi- itum extenditur; ideo [h] bonitas divina non di- itur esse 'tanta', quia quantum [i] ad effectus on est limitata, nec in se ipsa. Non autem sic st de bonitate creata. Quod ergo dicitur quod onitas creata participat bonitatem increatam, oc non est dicere quod bonitas increata di- idatur per partes in singulis bonitatibus crea- is, sed hoc est dictum quod bonitas creata capit artem in effectu, quia haec capit istum effec- um primae bonitatis, alia alium; hoc ergo est articipare ipsam bonitatem, scilicet quantum ad ffectum.

3. Ad tertium dicendum quod bonum crea- um, manens in esse, non potest recipere omni nodo dissimilitudinem a primo bono, sed in quan- um deficit ab esse, recipit dissimilitudinem [k]; de- icit autem ab esse cum deficit ab ordine, et hoc st malum fieri, secundum quod dicit Boe- hius [1]: « Esse est [l] quod ordinem retinet servat- que naturam »; unde dicit [2] quod secundum hoc nali homines non sunt, quia in suo ordine non sunt.

4. Ad quartum dicendum quod bonitas creata manens non potest non [m] esse bona, sed non habet ex se quod sit bona, sed ex hoc quod ordinatur ad summum bonum; et ideo non se- quitur quod essentialiter.

a. Ad obiecta oppositae partis, ad id scilicet quod obicitur de bonitate creata, quod 'non sit essentialiter bona, quia non est similis Primo': dicendum quod quaedam similitudo est, quae est in identitate essentiae, et hoc modo Filius in di- vinis est similis Patri et de hac loquitur Au- gustinus in *83 Quaestion.* [3], cum dicit quod « similitudo non potest esse dissimilis ». Quia enim haec similitudo supponit identitatem essen- tiae, propter hoc ex nulla [n] parte potest esse dis- similis; hoc modo bonitas creata non est simili- tudo Primi sive bonitatis increatae: hoc enim modo nihil est simile Primo nisi Primum. Alia autem [o] est similitudo, quae est in participatione effectus: sic est similitudo vel similis, quia par- ticipat hunc effectum. Augustinus, *83 Quae- stionum* [4], dicit quod « simile similitudine dicitur simile, sed quod bonum est, bonitate dicitur bo- num »; ergo bonum creatum bonitate creata di- citur bonum et bonum increatum bonitate in- creata; sed bonum creatum est simile illi bono, prout dictum est [5]; ergo bonitas creata est simili- tudo bonitatis divinae, sicut dictum est [6].

Item, nota quod dicit Porretanus, in libro *De hebdomadibus,* exponens nonam hebdomadam [p] [7]: « Est quaedam alterutrius numero diversorum unio, quam conformitatis [q] ratio facit, quae ad praesentem locum pertinet: et haec unio similitudo dicitur et est vel secundum naturam vel secun- dum quaedam extrinseca. Secundum naturam vero dupliciter: aut enim secundum propositae natu- rae plenitudinem, et dicitur substantialis simili- tudo, qualiter album albo simile est [r] aut homo homini; aut secundum propositae naturae partes aliquas, et vocatur imaginaria similitudo, qualiter humana pictura vero homini similis dicitur. Illa vero quae est secundum extrinseca aliqua, dicitur imitatio: qualiter artifex aliquis alii artifici vel homo Deo, iuxta voluntatem eius aliquid faciendo, dicitur similis »; similiter creatura iuxta voluntatem divinam [s] et dispositionem existens dicetur [t] similis quoad hoc Creatori.

II. Ad hoc quod quaeritur quare non omnes di- cantur beati quia ad beatitudinem tendunt [u], sicut

---

[a] PVS *et non,* B *ut,* R *et.* [b] PVSF *dupliciter,* V om. [c] VR om. *a. m. d. s.,* PVSR om. *bonum,* LF om. *secundum.* [d] PV add. *alio modo dicitur bonum.* [e] PVS *consequitur.* [f] F *participattone.* [g] BRLF add. *ipsa.* [h] R *unde.* [i] BRLF om. [k] L om. *r. d.* PVS om. [m] L om., F *ita* pro *creata.* [n] PVS *illa.* [o] R om. [p] L om. *e. n. h.* [q] F *conformitas.* [r] R om. [s] Ita P, V exp., alii om. [t] PVS om. [u] BRLF om.

[1] *De consol. philos.,* pr. 2 (PL 63, 795).
[2] Loc. cit.
[3] Quaest. 23 (PL 40, 16).
[4] Loc. cit.
[5] Cf. hic parum supra.
[6] Cf. hic parum supra.
[7] PL 64, 1322.

boni quia ad bonum: dicendum quod beatitudo dicit ipsum finem ultimum vel coniunctionem, quae est cum fine huiusmodi — est enim « status omnium bonorum congregatione [a] perfectus [1] » — et ideo nihil proprie dicitur beatum, donec coniungatur [b] illi fini. Intentio vero boni generalior est: nam dicit ipsum finem vel ordinabile ad illum finem, et hoc sive sit coniunctum fini sive distans; et ideo sequitur: si sit ordinatum ad bonum, quod sit bonum.

118

CAPUT III.

AN ALIQUOD BONUM CREATUM SIT IMMUTABILITER BONUM.

Consequenter [c] quaeritur an bonum creatum aliquod sit immutabiliter bonum.

Ad quod sic: *a.* Quod est bonum et non potest non esse bonum, est immutabiliter bonum; sed virtutes, ut prudentia, iustitia, caritas et ceterae, sic sunt bonae ut non possint non esse bonae; ergo sunt immutabiliter bonae.

b. Item, ad idem: Cuius usus bonus est, ipsum est bonum, et cuius usus est [d] immutabiliter bonus, ipsum est immutabiliter bonum; sed usus virtutum est immutabiliter bonus. Unde Augustinus, *De libero arbitrio* [2]: « Virtutibus nemo male utitur, ceteris autem bonis, id est mediis », sicut sunt potentiae animi [e], « et minimis », ut sunt species quorumlibet corporum, « non solum bene, sed et male quisque [f] uti potest ». Item, Augustinus [3]: « In virtutibus recta ratio viget [g], sine qua virtutes esse non possunt; recta autem ratione nemo male uti potest ».

Contra: 1. « Omne quod a versione incipit est vertibile », ut dicit Damascenus [4]; sed omne creatum incipit a versione, quia exit de non-esse in esse; ergo omne creatum vertibile; et omne vertibile mutabile; ergo nullum bonum creatum est immutabile: ex quo non est aliquod [h] immutabile.

2. Item, si dicatur, sicut dicit Porretanus [5], quod bonum dicitur duobus modis: in se et absolute, sic bonum summum, quod est Deus, est immutabiliter bonum; si [i] vero bonum secundum usum: sic virtutes et recta ratio sunt immutabiliter bona, quia usus ipsarum non potest non esse bonus – contra: Augustinus, *De civitate Dei* [6]: « Virtutes, cum referuntur ad se ipsas nec propter aliud [k] expetuntur, inflatae atque superbae sunt »; sed inflatio et superbia non potest esse bonus usus; ergo contingit male uti virtutibus.

Respondeo sicut prius [7]: Immutabiliter bonum quadrupliciter est [l]. Est enim immutabiliter bonum secundum esse et secundum usum: sic solum summum bonum est immutabiliter bonum. Item, est mutabile [m] bonum secundum esse et secundum usum, ut bona corporalia. Item, est immutabiliter [n] bonum secundum esse, sed [o] non secundum usum: ut voluntas rationalis, quod intelligitur [p] quantum ad factum esse, non quantum ad fieri ipsius, sicut in ceteris perpetuis. Item, est immutabiliter [q] bonum quantum ad usum, non quantum ad esse: ut virtutes, quibus non est male uti et tamen possunt non esse, et ita mutari in non-esse, et sic in non-bonum.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicit [r] quod 'mutabile [est] omne [s] creatum': concedo quantum est de conditione suae originalis materiae, quia de nihilo; sed quantum est de conditione suae originis causalis, perpetuum est et immutabile quantum ad esse, etsi non quantum ad fieri sive quantum ad bene esse, quia scilicet exivit de non-esse.

2. Ad illud quod obicit quod 'virtutibus contingit [t] superbire': materialiter verum est, quia de virtutibus contingit superbire, et ita materialiter contingit virtutibus male uti, quia appetitus, qui est de virtutibus, potest esse malus, cum scilicet non appetuntur propter Deum; sed effective vel formaliter falsum est, quia tunc esset sensus quod ex virtutibus esset motus superbiae vel malus usus. Et haec est intentio Augustini quod virtutibus, scilicet operando per virtutes, non contingit male uti; unde dicit, in libro *De libero arbitrio* [8]: « Ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus ipsorum [u] quibus etiam non bene uti possumus ».

---

[a] S *aggregatione.* [b] BRLF *fuerit coniunctum.* [c] BRLF *Deinde.* [d] PVS om. [e] BR *anime.* [f] V *quasque.* [g] L *indiget.* [h] V *est ens aliquod est*, B *ens aliquod* pro *e. a.*; L om. *ex... immutabile.* [i] L *secundum.* [k] V *hoc.* [l] Ita B, alii om. [m] VS *immutabile*, quod P corr. [n] PVS *immutabile.* [o] V *et*, L om. [p] VS add. *in.* [q] V *immutabile.* [r] PVS *dicit.* [s] F *esse.* [t] R om. [u] BR *ipsarum.*

1 Cf. Boeth., *De consol. philos.*, III, pr. 2 (PL 63, 724).
2 Lib. II, c. 19, n. 50 (PL 32, 1268).
3 Loc. cit., c. 18, n. 50 (PL 32, 1267).
4 *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 795).
5 *Comment. in Boethii De hebdom.* (PL 64, 1331).
6 Lib. XIX, c. 25 (PL 41, 656).
7 Cf. supra, ad litt. *a* et *b*.
8 Lib. II, c. 19, n. 50 (PL 32, 1268).

CAPUT IV. 119

DE EFFECTU BONI.

Consequenter quaeritur de effectu boni. Est igitur quaestio an bonum creatum sit effectiva causa mali aut [a] boni.

I. Quaeritur ergo de malo culpae.

Ad quod [b] *a.* Dionysius, *De divinis nominibus* [1]: « Confidimus dicere: malum non est ex bono; non est ignis infrigidare; ergo nec erit boni malum producere ».

b. Item, idem [c] in eodem: « Natura est bono producere et salvare, malo autem corrumpere et dispergere ». Ergo malum non erit causatum ex bono.

c. Item, idem in eodem [2]: « Bonum ex una et generali causa, malum autem ex multis et particularibus defectibus ».

d. Item, Matth. 7, 18: *Non potest arbor bona fructus malos facere.* Ergo malum non erit ex bono.

Contra: 1. Augustinus, in *Enchiridion* [3]: « Ex bono orta sunt mala nec nisi in aliquibus bonis non sunt nec erat aliud unde oriretur ulla mali natura ».

2. Item, Augustinus, in eodem [4]: « Cum mala ex bonis orta esse dicimus, non putetur hoc divinae sententiae refragari qua [d] dicit [5]: *Non potest arbor bona fructus malos facere, nec mala bonos;* non potest enim, sicut Salvator ait [6], colligi *uva de spinis,* sed ex bona terra et vites nasci posse videmus et spinas. Et eodem [e] modo tamquam arbor mala fructus bonos, id est opera bona, non potest facere voluntas mala, sed ex bona hominis natura oriri voluntas et bona potest et mala; nec fuit prorsus unde primitus oriretur voluntas mala nisi ex angeli et hominis natura bona. Quod et ipse Dominus eodem loco, ubi de arbore et fructibus loquebatur apertissime ostendit; ait enim [7]: *Aut facite arborem bonam et fructum eius bonum, aut facite arborem malam et* [f] *fructum eius malum,* satis admonens ex arbore quidem mala bonos aut ex [g] bona malos nasci fructus non posse; ex ipsa tamen [h] terra, cui loquebatur, utramque arborem posse ».

Respondeo, secundum Augustinum, in *Enchiridion* [8]: « Nequaquam dubitare debemus rerum, quae ad nos pertinent, bonarum causam non esse nisi bonitatem Dei, malarum [i] vero ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, angeli primo, hominis postea. Hoc primum est creaturae rationalis malum, id est prima privatio boni; deinde etiam iam nolentibus [k] subintravit ignorantia rerum agendarum et concupiscentia [l] noxiarum, quibus comites subinferuntur error et dolor: quae duo mala quando imminentia sentiuntur, ea fugientis animi motus vocatur metus. Porro animus cum adipiscitur concupita [m] quamvis perniciosa vel inania, quoniam id errore non sentit, vel delectatione morbida vincitur, [vel] vana [n] etiam laetitia ventilatur. Ex iis morborum non ubertatis, sed indigentiae tamquam fontibus omnis miseria naturae rationalis emanat ». Bonum ergo non est causa mali culpae in quantum bonum, sed in quantum deficiens a bono [o], quod est: bonum est causa mali, sed non in quantum bonum. Et haec est intentio Augustini.

II. Item, quaeritur an bonum increatum sit causa mali.

Ad quod respondet *a.* Augustinus, in I *De libero arbitrio* [9], sic [p]: « Duobus modis malum appellare solemus: uno, cum malum quemque [q] fecisse dicimus; alio, cum mali aliquid esse perpessum. At [r] si bonum Deum esse nosti vel credis, neque enim aliter fas est, male non facit. Rursum [s], si Deum iustum fatemur, nam et hoc negare sacrilegium est, ut bonis praemia, ita malis supplicia tribuit: quae utique patientibus mala sunt. Quamobrem, si nemo iniuste poenas luit — quod necesse est credamus, quandoquidem providentia divina hoc universum regi [t] credimus — illius primi generis malorum nullo modo, huius autem secundi auctor est Deus: non enim nullo auctore fieri posset. Si autem quaeris quisnam iste sit, dici non potest; non enim unus aliquis est, sed quisque malus sui male facti auctor est. Unde si dubitas, illud attende quod supra dictum est:

---

[a] V (corr.) L *an.* [b] BRLF add. *beatus.* [c] F om. [d] S *hoc.* [e] Ita PV, alii *eo.* [f] F *aut.* [g] BRLF om. [h] V om. [i] BRLF *malorum.* [k] PVSL *volentibus.* [l] LF *contumacia.* [m] V *concupiscentia,* codd. *carnis* pro *quamvis.* [n] V *varia,* L *una.* [o] VS *eo,* S om. *quod.* [p] P *sicut.* [q] PVS *quodque,* R *quandocumque.* [r] V om., S (mg.) LF *ac,* P *aut.* [s] PVS *facis. Item* pro *f. R.* [t] V *re.*

1 Cap. 4, § 19 (PG 3, 715, PL 122, 1138), ubi et sequens.
2 Cap. 4, § 30 (PG 3, 730, PL 122, 1144).
3 Cap. 14 (PL 40, 238).
4 Cap. 15 (PL 40, 238).
5 Matth. 7, 18.
6 Matt. 12, 16.
7 Matth. 12, 33.
8 Capp. 23 et 24 (PL 40, 244).
9 Cap. 1 (PL 32, 1221).

male facta iustitia Dei vindicari; non enim iuste vindicarentur, nisi fierent voluntate[1]». — Sed tunc quaeritur de corruptione naturalium, pro qua dicitur homo vulneratus in naturalibus, quae est poena. Cum enim omnis poena iusta sit et omne iustum a Deo, erit haec poena a Deo; item, hoc patet ex praedicta auctoritate Augustini, *De libero arbitrio*.

Contra: 1. Augustinus, in libro *83 Quaestionum*[2]: «Omne quod deficit ab eo quod est esse, tendit in non-esse; ille autem, ad quem non-esse non pertinet, non est causa [a] deficiendi»; corruptio ista est defectus; ergo Deus non est causa eius.

2. Item, poena ista aut dicitur iusta, quia a iusto infertur, aut quia propter iustam [b] et debitam causam infertur. Non quia a iusto, scilicet a [c] Deo, quia sic quaelibet res diceretur iusta; ergo dicitur iusta, quia propter iustum [d] meritum. Et hoc est quod dicit Augustinus, in libro *De summo bono*[3]: «Peccantes in suppliciis ordinantur; quae ordinatio, quia naturae eorum non competit, ideo poena est, sed quia culpae competit, ideo iustitia [e] est». Ergo participat rationem bonitatis per comparationem ad culpam.

Solutio: Dicendum quod secundum debitum statum naturae debet esse ut ipsa vis rationalis in homine dominetur aliis viribus, scilicet irascibili et concupiscibili, et istae subiciantur ei et trahat ipsas ad se; unde sic condita est humana natura et ex hoc [f] habet ipsa vis rationalis facilitatem sive pronitatem ad bonum et difficultatem ad malum; per hanc autem facilitatem et difficultatem attenditur habilitatio rationis ad bonum gratiae et per hoc ad gloriam, ad quam nata est et ordinata. Unde si homo esset recte ordinatus, aliae vires subicerentur rationi et semper esset homo facilis ad bonum et difficilis ad malum; sed quando peccat homo, tunc subicitur ratio illis [g] et illae dominantur et trahunt ipsam secum in affectionibus malis, ita quod e contrario sit difficilis et resistens bono et habilis [h] et prona ad malum: et ita fuit in peccato primi hominis, et ex hoc est inordinatio quaedam et poena. Isti enim motus, quibus sic movetur rationalis secundum motum [i] aliarum, poena est, quia inordinati [k]. «Motus enim inordinatus poena est», ut dicit Augustinus[4], quia corrumpitur naturalis habilitatio rationis, secundum quam movetur ad bonum et resistit malo.

[Ad obiecta]: 1. Quod ergo obicitur quod 'haec corruptio non sit a Deo': dicendum quod haec corruptio, secundum quod nominat [l] defectum culpabilem, non est a Deo; sed secundum quod nominat defectum [m] poenalem sive poenam, qua punitur anima, est a Deo, quia fundatur in aliquo ente, ut dictum est[5], scilicet in resistentia istius vis ad bonum et pronitate ad malum; et per hoc ponitur ens quoddam.

2. Ad ultimum dicendum quod Augustinus non intendit [n] dicere quod bonitas vel iustitia poenae [o] referatur ad culpam, immo ad Deum. Unde cum dicitur: 'iusta est [p] propter culpam', id est iusta est, quia a Deo est, cuius bonitatem decet ut pro culpa reddat poenam; quod autem suam bonitatem decet, iustum est: et ita quod poena bona sit, hoc habet a bonitate prima, non ab ipsa culpa.

CAPUT V.

DE BONO UNIVERSITATIS.

Ordine sequenti inquirendum est de bono universitatis. Quaeritur ergo:

1. An Deus permittat mala fieri in universitate;
2. an universitas esset melior sine malis;
3. an universitas esset melior, si omnia essent aequaliter bona.

120

ARTICULUS I.

An Deus permittat mala fieri in universitate[6].

Ad primum sic: 1. «Optimi est optima adducere», secundum quod dicit B. Dionysius[7]; meliores autem essent res, si essent impermixtae malis; quomodo ergo permittit mala admisceri bonis?

---

[a] P om. [b] BF *iustum*. [c] PVS om. [d] S *malum*. [e] L *iusta*, B om. [f] VS *hac*. [g] Ita F (corr.), alii *illius*. [h] F om. *e. h.* [i] PVS *modum*. [k] PVS *inordinata*. [l] BLF *dicit*. [m] L *denominat effectum* pro *n. d.* [n] V *intelligit*. [o] R *pena*, S *iustitie pena* pro *i. p.* [p] L add. *id est iusta est quia*.

1 Cf. Augustin., *Retract.*, I, c. 9, n. 3 (PL 32, 595).
2 Quaest. 21 (PL 40, 16).
3 *De nat. boni*, c. 7 (PL 42, 554).
4 *Confess.*, I, c. 12 (PL 32, 670).
5 Cf. supra, in *Solutione*.
6 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 47, a. 1, q. 3 (I, 843).
7 Cf. *De divin. nomin.*, c. 4, § 19 (PG 3, 715, PL 122, 1138); Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 13, c. 2 (f. 74b).

2. Item, non est optimus, cuius non est optima operatio in suo genere, quia bonum uniuscuiusque reperitur in suo opere; ergo optimi optima est operatio in suo genere; ergo non potest esse melior in suo genere [a]; ergo debet esse impermixta malo; dico ergo [b] operationem optimi quam operatur optimus Deus.

Respondet Augustinus, in *Enchiridion*, 11 cap. [1]: « Malum bene ordinatum et [c] suo loco positum eminentius commendat [d] bona, ut magis placeant et laudabiliora fiant dum comparantur malis [e] ». Propter ipsam ergo bonorum pulcritudinem mala permisit Deus fieri: si enim malum non esset, in bono non esset nisi pulcritudo absoluta [f], scilicet respectu boni; malo vero existente, accrescit bono pulcritudo comparata, ut comparatione oppositi mali pulcrius elucescat [2].

Ad illud quod obicit [3], respondet Augustinus alibi, dicens [4]: « Singula fecit Deus bona, sed in universo valde bona ». Optima ergo rerum universitas, secundum quod possibile [g] est, quamvis quaelibet res non sit optima in suo genere. Unde [5] Gen. 1,10 ad singula dicitur: *Vidit Deus quod esset bonum;* ad completionem vero Scriptura veniens ait [6]: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Dicit [h] ergo quod, supposito quod malum non esset, non essent res in universo pulcriores. — Per hoc [i] solvuntur obiecta.

Aliam etiam [k] causam assignat Augustinus, scilicet utilitatem; non enim, inquit, permittit Deus mala fieri in re publica [l], nisi ut bonum ex eo eliciat. Unde, in XI *De civitate Dei* [7] ait [m]: « Deus malis voluntatibus utitur bene [n]; prosunt enim diaboli tentationes sanctis. Neque enim Deus aliquem angelorum aut hominum [o] malum futurum praescivisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus accommodaret ».

Duae ergo possunt reddi rationes quare Deus permittit mala fieri: bonorum scilicet pulcritudo maior et [p] utilitas.

ARTICULUS II. 121

An universitas esset melior sine malis.

Quaeritur consequenter an [q] universitas esset melior sine malis.

1. Cum enim malum sit privatio ordinis, quomodo est bene ordinatum?

2. Item, « albius est quod est nigro impermixtius [8] ». Ergo melius quod malo impermixtius [r].

3. Item, mulier quae non habet maculam, pulcrior est quam si haberet maculam et laudabilioris pulcritudinis; unde in laude Sponsae dicitur in Cant. [9]: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* Igitur universitas rerum, si macula careret mali, pulcrior esset et laudabilior.

4. Item, Eccle. 10,11: *Est malum, quod vidi sub sole: stultum positum in dignitate sublimi;* sed sic videmus malos ordinatos ut in pluribus; ergo talis ordinatio est mala, cum scilicet illi qui debent ordinari deorsum, ponuntur sursum. Dicit enim Origenes, *Super Numeros* [10]: « Homines vilis vitae bene ordinati sunt ad vilia officia, ut scilicet purgent vias civitatis ». Mali ergo bene ordinantur in vili loco; boni ergo in eminentiori.

Respondeo: Malum in se est inordinatum, ratione vero alterius [s] ordinatum dupliciter. Uno modo ratione subsistentis boni, scilicet naturae peccantis, quae scilicet ordinatur ad poenam, sicut dicit Augustinus, in libro *De natura boni* [11]: « Peccantes in suppliciis ordinantur; quae ordinatio, quia naturae eorum non competit, ideo poena est, sed quia culpae convenit, iustitia est ». — Alio modo ordinatur ratione compositi boni, secundum quod dicit Augustinus, in XI *De civitate Dei* [12]: « Saeculum [t] quibusdam antithetis honestavit tamquam carmen [u] pulcherrimum; antitheta vero vocatur contrapositio. Sic ergo contraria contrariis apposita [13] sermonis pulcritudinem reddunt, ut ait Apostolus, II Cor. 6,8: *Per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam*

---

[a] L om. *ergo... genere.* [b] LF *autem in*, sed F exp. *in;* BR add. *in.* [c] F add. *in.* [d] S *commendant.* [e] F om. [f] L *absolute.* [g] F *impossibile.* [h] PVBRF *dic.* [i] V om. [k] PVS *autem.* [l] S *pulcra.* [m] B om. [n] F om. [o] F *hominem.* [p] F *etiam.* [q] L *utrum.* [r] P *permixtius;* F om. *e. m. q. m. l.* [s] LF *altera.* [t] VS *secundum.* [u] V *carnem.*

1 PL 40, 236.

2 Cf. Aristot., *Rhetor.*, III, c. 2 (I, 387): « Contraria inter se collata maxime elucescunt »; Augustin., *De civit. Dei*, XI, c. 18 (PL 41, 332).

3 Sub nn. 1. 2.

4 *De Gen. ad litt.*, III, c. 24, n. 37 (PL 34, 296).

5 Cf. Augustin., loc. cit., n. 36 (PL 34, 295).

6 Gen. 1, 31.

7 Capp. 17 et 18 (PL 41, 332), ad sensum.

8 Aristot., *Topic.*, III, c. 5 (I, 203); cf. Guil. Altissiod., op. cit., II, tr. 13, c. 1 (f. 73d), ubi et sequens argumentum.

9 Cap. 4, 7.

10 *Homil.* 14, n. 2 (PG 12, 679); cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 73c).

11 Cap. 7 (PL 42, 554).

12 Cap. 18 (PL 41, 332).

13 Augustin., loc. cit.: « Antitheta enim quae appellantur, in ornamentis elocutionis sunt decentissima, quae latine appellantur opposita, vel, quod expressius dicitur, contraposita ».

famam: in quadam non verborum, sed rerum eloquentia saeculi pulcritudo componitur. Unde [a] Eccli. 33, 15: *Contra malum bonum et contra vitam mors, et sic intuere in omnia* [b] *opera Altissimi unum contra unum et duo contra duo*».

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo [c] obiectum distingue quod triplex est ordo: est enim ordo [d] ad sursum et deorsum et ad id quod est iuxta vel contra. Iste triplex ordo in universitate bonorum ordinatur ad sursum, scilicet ad Deum, et ad deorsum, ut meliora bonis; ordinatur etiam ad id quod est iuxta, ut bona aeque bonis, si possit ista [e] comparatio inveniri, sive ad id quod est contra, ut ex opposito malorum. Malum vero non habet ordinem ad id quod est sursum vel deorsum; habet autem ordinem [f] ad id quod est contra, sicut nunc ostensum est: et in hoc sensu dicitur malum bene ordinatum.

2. Ad secundo obiectum dicendum quod non est simile: nam omne album est eiusdem rationis, bonum vero omne non est eiusdem rationis, cum scilicet dicitur de bonis singulis et de universitate bonorum. Unde quamvis teneat illa comparatio [g] in bonis singulis, quod tanto melius quanto impermixtius, non [h] tamen tenet in universitate bonorum. Quod declaratur exemplo Augustini, in libro [i] *De natura boni* [1]: «Sicut nos continendo vocem, decenter interponimus in loquendo silentium, quanto magis ille», scilicet Deus, «quarumdam rerum privationes decenter esse facit, sicut rerum omnium perfectus artifex!» Ex quo ostenditur quod sicut sermonis decentia maior est cum [k] interpositione silentii quam si continue proferretur [l], sic universitatis pulcritudo maior est ex interpositione bene ordinatorum malorum.

3. Ad tertio obiectum dicendum quod prima propositio est falsa indistincte sumpta: «in tali enim loco posset mulier habere maculam [2]» quod sederet convenienter et esset signum pulcritudinis maioris, sicut patet in cicatrice vulneris in facie militis, cum est in loco debito, ipsum reddit pulcriorem. Unde Augustinus, *De civitate Dei* [3], tale ponit exemplum: «Sicut pictura cum colore nigro in suo loco posita, ita universitas rerum» in suo loco posita «etiam [a] [cum peccatoribus] pulcra est, quamvis per se ipsos consideratos [b] sua deformitas turpet».

4. Ad ultimum distinguendum quod duplex est mali ordinatio: quaedam est manifesta, quaedam est [c] occulta. «Manifesta, ut cum mali ordinantur in poena aeterna [4]»: «melius enim [d], sicut dicit Augustinus [5], ordinata est natura, si iuste doleat in supplicio, quam si impune gaudeat in peccato [e]»; vel in poena temporali, ut humilietur in peccatis: iustum enim est ut *qui in sordibus est sordescat adhuc,* secundum quod dicitur Apoc. ultimo, 11. — «Est etiam ordinatio [f] mali occulta, secundum quod Deus [g] facit malum principem regnare [6]» propter multas causas. Prima est [propter] *peccata* [h] *populi,* sicut dicitur in Iob [7]; congruum est enim ut talis sit *rector civitatis,* quales *habitantes* [i] *in ea,* Eccli. 10, 2 [8]. Secunda propter utilitatem malorum: «dat enim Dominus *regem in furore,* Osee 13, 11 [9], quasi virgam et flagellum, ut compressi et flagellati ad Deum redire compellantur»; Gregorius [10]: «Poena oculos aperit, quos culpa claudit [k]». Tertia est propter utilitatem bonorum, ut scilicet «erudiantur et purificentur»; sicut enim *in igne* purgatur [l] *aurum,* sic iusti *in* [m] *camino* tribulationis, Eccli. 2, 5 [11]. «Utraque tamen ordinatio [n] mali competens est, sed secunda habet latentem [o] causam; et ideo signanter dicit Eccle. [12]: *Vidi malum sub sole quasi per errorem*», quasi diceret '«non est error», sed videtur error' [p]: «error enim reputatur, dum ordinationis utilitas ignoratur».

Item obicitur: Augustinus, in III *De libero arbitrio* [13]: «Non erat difficile aut laboriosum omnipotenti Deo ut omnia quae fecit sic haberent [q] ordinem suum, ut nulla creatura usque ad miseriam perveniret; non enim hoc aut omnipotens non potuit aut bonus invidit».

---

[a] BLF add. *in.* [b] PVS *omni.* [c] F om. [d] R om. *e. e. o.* [e] R *ita,* quod B corr. [f] PV *ordinari,* quod S corr. [g] L *ratio.* [h] P om. [i] PV om. *i. l.* [k] BRLF om. [l] PVS *proferrentur,* PSL *si* pro *sic.*

[a] F add. *per se.* [b] BR *consideratas,* VBR *ipsas* pro *ipsos.* [c] S om. [d] P om. [e] P add. *Unde Augustinus: quod peccator inordinate egit in peccatis, Deus ordinate egit in penis.* [f] B *ordo,* codd. *enim* pro *etiam.* [g] SBR *dicimus.* [h] LF *peccatum.* [i] BRLF *habitatores.* [k] In P nota marg. eadem manu qua exarantur notae Guil. de Melitona: «*Item, Gregorius: Mala que hic nos premunt ad Deum nos ire compellunt. Nota*». [l] L *purificatur.* [m] BRLF om. [n] S *tribulatio,* F om. *est.* [o] F *letantem.* [p] BRLF om. [q] B *se haberent ad* pro *s. h.*

1 Cap. 16 (PL 42, 556).

2 Guil. Altissiod., loc. cit., (f. 73d), ubi etiam exemplum de milite.

3 Lib. XI, c. 23 (PL 41, 336).

4 Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 13, c. 1 (f. 73c); cf. Augustin., *De nat. boni,* c. 9 (PL 42, 554).

5 Loc. cit.

6 Guil. Altissiod., loc. cit., ubi occurrunt tres causae allatae ab Alexandro.

7 Cap. 34, 30: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*

8 *Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.*

9 *Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea;* cf. Guil. Altissiod., loc. cit., ubi et sequentia.

10 *Moral.,* XXV, c. 5, n. 6 (PL 76, 323).

11 *Quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.*

12 Cap. 10, 5. 13 Cap. 9, n. 24 (PL 32, 1282 sq.).

Respondeo, secundum Augustinum, dicentem [1] « ordinem creaturarum a summa usque ad infimam gradibus iustis ita decurrere ». Quemadmodum enim « corporum differentias contemplando videns alia clariora, iniuste petis auferri quae obscuriora conspexeris aut clarioribus adaequari; sed ad perfectionem universitatis referens omnia, quanto magis et minus inter se clara sunt, tanto magis cernis esse omnia; nec tibi occurrit perfecta universitas, nisi ubi maiora sic praesto sunt ut minora non desint. Sic etiam differentias animarum cogites, in quibus hoc quoque invenies ut miseriam, quam doles, ad id quoque valere cognoscas ut universitatis perfectioni [a] nec illae desint animae quae fieri miserae debuerunt, quia peccatrices esse voluerunt [b]; tantumque abest ut Deus tales facere non debuerit, ut etiam ceteras creaturas laudabiliter fecerit longe inferiores animis miseris ».

Sed iterum obicitur sic: 1. Augustinus, in eodem [2]: « Si universitatis perfectionem complet etiam nostra [c] miseria, defuisset aliquid huic [d] perfectioni, si beati semper essemus [e] ».

2. Item, quaeritur quomodo malum culpae, quod nullo modo est bonum, potest bene congruere?

3. Item, quomodo malum poenae, quod est contrarium bono naturae, potest decori universitatis naturarum congruere?

Respondeo: 1. Ad primum, secundum [f] Augustinum, in libro *De libero arbitrio* [3], « non ipsa peccata vel ipsam miseriam perfectioni universitatis esse necessaria, sed animas, in quantum animae sunt, quae si velint peccant, si peccaverint miserae fiunt. Si enim, peccatis earum detractis, miseria perseverat aut etiam peccata praecedit, recte deformari dicitur ordo atque administratio universitatis. Rursus, si peccata fiant et desit [g] miseria, nihilominus dehonestat ordinem iniquitas [h]. Cum autem non peccantibus adest beatitudo, perfecta est universitas. Quod autem ipsae non desunt animae, quas [i] vel peccantes sequitur miseria vel recte facientes beatitudo, semper naturis omnibus universitas plena atque perfecta est ».

2. Ad secundum respondet Augustinus, in eodem libro, dicens: « Non enim peccatum [k] et supplicium peccati naturae sunt quaedam, sed affectiones naturarum: illa voluntaria, ista poenalis; sed voluntaria, quae in [l] peccato fit, turpis affectio est, cui propterea poenalis adhibetur ut ordinet eam ubi tale esse [m] non turpe sit, et decori universitatis congruere cogat, ut peccati dedecus emendet poena peccati ».

3. Ad tertium similiter respondet Augustinus, in eodem libro [4], dicens: « Hinc fit ut [n] peccans creatura superior a creaturis inferioribus puniatur, quia illae tantum [o] sunt infimae [p] ut ornari [q] etiam a turpibus creaturis possint atque ita decori universitatis congruere ». Et ponit exemplum dicens: « Quid enim tam magnum in domo est quam homo? et quid tam abiectum et infimum ut cloaca domus? Servus tamen in tali peccato detectus [r] ut mundandae [s] cloacae dignus habeatur, ornat eam [t] etiam turpitudine sua; et utrumque horum, id est [u] turpitudo servi et mundatio cloacae, iam coniunctum et quasi redactum in quamdam sui generis unitatem, ita dispositae domui coaptatur atque subtexitur ut eius universitati ordinatissimo decore conveniat ». — Item, aliud ponit exemplum, dicens [5]: « Si bonum et magnum aliquem virum [v], hortante honestatis officio, videamus ignibus, quantum ad corpus attinet, concremari, non hoc vocamus poenam peccati, sed fortitudinis ac [x] patientiae documentum eumque [y] magis diligimus, cum foedissima corruptio corporea membra eius absumat, quam si nihil huiusmodi pateretur: miramur quippe animi naturam mutabilitate corporis non mutari. At vero crudelissimi latronis membra, cum tali supplicio confici aspicimus [z], approbamus ordinem legum. Ornant ergo ambo tormenta illa, sed ille merito virtutis, iste peccati ».

ARTICULUS III. 122

An universitas esset melior si omnia essent aequaliter bona.

Consequenter quaeritur **I.** an universitas esset melior, si omnia aequaliter essent bona.

Ad quod sic: *a.* Augustinus, *83 Quaestionum* [6]: « Si essent aequalia, non essent omnia;

---

[a] SLF *perfectionis.* [b] PVS *noluerunt.* [c] V *vestra.* [d] V *huius.* [e] PVS *fuissemus.* [f] L add. *beatum.* [g] L *desinit.* [h] PV *iniquitatis,* quod SL corr. [i] L om. [k] PVS *peccata.* [l] PVS om. [m] L om. [n] S *quod.* [o] Ita L, alii *tamen.* [p] V *in fine.* [q] S (corr. interl.) *ordinari.* [r] PVS *detentus.* [s] V *mundane.* [t] BR *eum,* F *ut* pro *etiam.* [u] BR om. *i. e.* [v] V *videtur,* BRLF *unum.* [x] B *aut.* [y] V *tumque.* [z] S *afficimus.*

1 Loc. cit. et n. 25 (PL 32, 1283).
2 Loc. cit., n. 26 (PL 32, 1283).
3 Loc. cit., n. 26 (PL 32, 1284), ubi et sequens.
4 Loc. cit., n. 27, ubi et sequens.
5 Loc. cit., n. 28.
6 Quaest. 41 (PL 40, 27).

non enim essent multa rerum genera quibus constituitur [a] universitas, primas et secundas et deinceps usque ad ultimas ordinatas habens [b] creaturas; et hoc est quod dicitur 'omnia'». Ergo necessario ad perfectionem universitatis oportet ponere non aequale bonum [c] in omnibus.

II. Sed circa hoc quaeritur: numquid in infinitum erit influentia in omnibus creaturis aut erit status?

Obicitur enim [d] **sic**: Damascenus [1]: «Bonum est communicativum sui esse: haec est ratio communis omni bono»; sed status est in bonis. Supponatur hoc. Sumamus ergo ultimum bonum; illud bonum est communicativum non nisi respectu inferioris; ergo aliquid est [e] inferius. Ponatur illud. Illud [f] est communicativum; ergo habet inferius, cui potest communicare, quia potentia non est frustra [2]; et sic erit in infinitum abire aut [g] ponere quod ultimum bonum non [h] sit communicativum, sed cui fit communicatio.

Solutio [i]: I. Ad primum dicendum quod oportet quod bonitas universitatis in bonis creatis [k] sit secundum ordinem participationis primae bonitatis [l] secundum plus et minus. Ratio [m] autem quare [n] oportet ibi ponere ordinem haec est: quia Primum est agens per potentiam, quae potentia est ordinata; Primum enim agit per potentiam et sapientiam, et eo quod per sapientiam, eo agit per ordinem, quia sapientis est ordinare [3]; et ideo Primum ordinate [o] facit quae facit. Ideo autem oportet esse ordinem in creaturis, ut una sit superior et [p] magis recipiat de influentia bonitatis a Primo [4]. Et ideo dicit Augustinus [5] quod «si essent aequalia, non essent omnia». Quantum ergo est de potentia absoluta [q], bene posset Primum facere omnia esse aequalia; sed quod non sint aequalia [r], hoc est quia Primum agit per potentiam ordinatam: propter quod oportet ordinem esse in rebus.

II. Ad illud quod quaeritur 'utrum haec [s] infuentia sit in infinitum': dicendum quod de potentia absoluta potest ipsa bonitas communicare se in infinitum et quod una creatura influit in aliam inferiorem; sed dicitur esse status et numerus in hac influentia propter ordinem et perfectionem universi. Si enim ita esset, non esset status in ordinatione [t] universi et sic nec completio sive perfectio in universo et sic periret ordinatio universi. Quia ergo Primum est agens ordinate et perfecte, quia *Dei perfecta sunt opera* [6], ideo influentia ista non est in infinitum, immo est secundum reflexionem, ita quod ultimum [u] bonum, in quo est status, est [v] secundum reflexionem; nec quod alteri inferiori communicet actu, licet possit communicare, immo ipsi fit communicatio et per reflexionem communicat suo superiori. Sicut [x] dicimus quod materia communicat suum posse formae et forma per reflexionem suum esse materiae, ita dicimus quod in ordine universi est completio per reflexionem in ultimo bono, in quo est status; et sic non oportet processum bonorum a primo esse in infinitum.

MEMBRUM IV.

De oppositione mali ad bonum.

Consequenter quaeritur de oppositione [y] mali ad bonum. Circa quod quaeruntur plura:

Primo, an increato bono opponatur malum;

secundo, quomodo opponitur malum bono creato gratiae et naturae;

tertio, quomodo malum habeat subsistentiam in bono naturae;

quarto, de corruptione boni per malum [z], an sit finita;

quinto, an malum sit corruptivum habilitatum naturalium;

sexto, an sit corruptivum modi, speciei et ordinis;

septimo, an unico malo vel triplici sit corruptio vel diminutio modi, speciei et ordinis;

octavo, de differentia corruptionis quae est per veniale et mortale.

De oppositione vero mali et boni in genere dicetur infra, cum ad moralia descendemus [7].

---

[a] B *construitur*. [b] S corr. *habens* in *hominis*, L corr. mg. *hominis* in *habens*. [c] F *donum*. [d] R om., V om. *sic*. [e] P om. [f] B *inde*. [g] F *ut*, L add. *erit*. [h] L om., in V est add. mg. [i] BRLF om. [k] Ita LF, alii *creaturis*. [l] F add. *sit*. [m] LF *respondeo*. [n] F add. *non*. [o] R *ordinare*. [p] PVS add. *ideo*. [q] R *absolute*. [r] L om. *s. q. n. s. a.* [s] PVS om. [t] F *ordine*. [u] F *ullum*. [v] L *et*. [x] F *sic*. [y] F *comparatione*. [z] BRLF *mali per bonum* pro *b. p. m.*

1 Rectius Pseudo-Dionys., *De cael. hierarch.*, c. 4, § 1 et *De divin. nomin.*, c. 4, § 1 (PG 3, 178, 694, PL 122, 1037, 1128 sq.), unde axioma formatum est.

2 Cf. Aristot., *De caelo*, I, c. 4 (II, 372); *De anima*, III, c. 9; *De animal. gener.*, II, c. 6 (III, 471, 363).

3 Cf. Aristot., *Metaph.*, I, c. 2 (II, 470).

4 Cf. *Lib. de causis*, § 8 (p. 172 sq.).

5 Cf. ad litt. *a*.

6 Deut. 32, 4.

7 In libro II huius *Summae*.

CAPUT I. 123

AN INCREATO BONO OPPONATUR MALUM [1].

Circa primum sic obicitur: 1. Augustinus, XI *De civitate Dei* [2]: « Vitium est contrarium Deo quemadmodum malum bono »; sed malum opponitur simpliciter bono; ergo et vitium Deo; sed nihil aliud est vitium [a] quam malum; ergo malum [b] est Deo contrarium.

2. Item, quod deficit a minori, secundum quod huiusmodi, deficit a maiori existente in illo minori, sine [c] quo nec est nec intelligitur illud minus; sed omne bonum creatum minus est bono increato et tale minus [d] quod nec esse nec intelligi potest sine bono increato; ergo quod deficit a bono creato deficit ab increato; sed deficiens a creato bono dicitur malum; ergo sicut est malum respondens bono creato, sic erit malum respondens bono increato.

Contra: *a.* Vitium vel malum, sicut dicit Augustinus [3], dicitur de [e] eo quod nocet vel vitiat. Ergo cui non contingit noceri [f] vel quod non contingit vitiari, nullum [g] malum est vel vitium oppositum; sed summum bonum [h] nec vitiari potest nec ei noceri; ergo summo bono non est malum contrarium.

b. Praeterea, malum privatio est; ergo quod non habet aliquid quod possit privari, non habet malum sibi oppositum; sed primum nihil habet privabile; ergo malum non est oppositum summo bono.

Solutio: 1. Dicunt quod summo bono negative opponitur [i] aliquid; et si malum ei opponitur in se, hoc non est malum dictum privative, sed solum secundum negationem. Verumtamen, quia auctoritas Augustini [4] plus dicit — dicit enim quod « vitium est contrarium Deo sicut malum bono » — ideo plus oportet dicere. Dicimus ergo quod aliquid [k] potest alicui contrariari dupliciter: vel in se vel in suo effectu, scilicet effectum ipsius impediendo [l], quia efficienti praebere non poterat impedimentum. Si ergo loquamur de summo bono in se: sic nullum est ei [m] malum contrarium. Si autem velimus dicere contrarium in eius effectu: sic aliquid est contrarium Deo; aliquid enim est impeditivum vel destructivum facti et conservati [n] ab ipso, et si non possit impediri Deus nec destrui [o] illud ex parte sua quo suos effectus conservat, ipsi tamen effectus conservati impediuntur et destruuntur a malo. Exemplum autem [p] Augustini, in XI *De civitate Dei* [5], est illud Iac. 4,4: *Amicus huius mundi inimicus est Dei* [q]; dicitur ergo *inimicus*, non quia Deo directe adversatur, sed quia alicui effectui eius, qui signum est beneplaciti eius, resistit. Unde Augustinus, ibidem [6]: « Inimici sunt voluntate resistendi, non potestate laedendi ». Secundum hoc intelligitur auctoritas Augustini: « Vitium est contrarium Deo », non in se, sed in suo effectu.

2. Ad aliud [r] quod obicitur 'quidquid deficit a minori' etc.: dicimus quod duplex est defectus. Unus qui est pura negatio, secundum quod dicitur 'quod non est alterum, deficit ab illo'; et secundum hoc dicimus quod omne creatum deficit a Deo, quia nullum creatum est Deus; sed iste defectus non facit malum. — Alius est defectus [s] qui non est pura negatio, sed privatio, ut non dicatur deficiens ab alio quidquid non est habens illud, sed quod est aptum natum habere non habens: et hic est defectus qui est in malo; sic autem nihil est deficiens a Deo. Unde non sequitur in proposito 'si deficit a minori' etc., quia nec sequitur 'natum est esse minus, ergo [t] natum est esse maius'. Unde etsi quidlibet eorum quae sunt natum est habere summum bonum in se, sicut quod est tenens ipsum in esse — et non [ut] est substratum [u] malo, quia ex parte ex qua defectibilis est res, ex illa subicitur malo — nihil tamen eorum quae sunt natum est esse Deus; et ideo, si nihil eorum, quae sunt extra [v] Deum, sit Deus, nihil tamen dicendum est deficere a Deo, hoc modo dicendo defectum: et ideo non erit [x] aliquod malum contrarie vel privative oppositum summo bono [y], nisi sicut prius dictum est [7].

Si autem rationes ultimae probant quod malum non est contrarium Deo, hoc est verum in se, sed non est verum de contrario in suo effectu.

---

[a] BRLF om. [b] BRLF om. [c] F om. *deficit... sine.* [d] V add. *est.* [e] BRLF om. [f] Codd. *nocere*, SF om. *quod.* [g] Codd. *nulli.* [h] L om. [i] F *ponitur.* [k] S *aliquis*, V add. *plus.* [l] LF *impedimento*, BRLF *qui* pro *quia.* [m] L *est.* [n] P *conservans*, S *conservari.* [o] Codd. *destruit.* [p] R om. [q] BRLF *Deo.* [r] VB *illud.* [s] R *effectus.* [t] PV *quia*, quod S corr. [u] Ita BR, alii *subtractum*; B exp. *est*; codd. *malum* pro *malo.* [v] S *contra.* [x] PVS add. *illi.* [y] V om.

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 35, a. 1, q. 3 (II, 826 sqq.). Quae sequuntur a num. 123 usque ad num. 130 inclus. verbotenus occurrunt in cod. Assisiensi 138 (ff. 47a-48b), de quo supra, p. 173, nota 3.

[2] Lib. XII, c. 3 (PL 41, 351).

[3] Cf. loc. cit. et *Enchir.*, c. 12 (PL 40, 237); *De mor. Manich.*, II, c. 3 (PL 32, 1346).

[4] Cf. supra, ad n. 1.

[5] Lib. XII, c. 3 (PL 41, 350), ad sensum; cf. Augustin., *De lib. arbit.*, II, c. 13 (PL 32, 1289 sq.).

[6] Loc. cit., c. 3 (PL 41, 351).

[7] Cf. supra, in *Solutione.*

CAPUT II.

124 QUOMODO OPPONITUR MALUM BONO GRATIAE ET NATURAE.

Secundo quaeritur de genere oppositionis mali ad bonum naturae et gratiae.

Ad quod sic: Malum culpae [a] opponitur contrarie bono naturae et gratiae [1]; ergo si haec duo bona sunt duo, videtur quod unum opponatur duobus uno genere oppositionis: quod est inconveniens. — Quia autem [b] posset dici quod non opponitur ut contrarium, ostenditur quod immo. Primo, quod bono gratiae. Non enim opponitur contradictorie tantum nec relative: hoc supponitur; opponitur ergo privative vel contrarie. Privative non: hoc patet, quia bonum et malum non determinantur ordine irregressibili [c] circa suum subiectum, immo alternantur frequenter circa [d] idem, et in aliquo malum praecedit bonum, in aliquo e contrario. Si ergo quae huiusmodi sunt [e] non sunt privative opposita, sed contrarie [f], relinquitur quod malum culpae contrarie opponetur bono gratiae. — Quod autem sit contrarium bono naturae, videtur: quoniam nihil est corruptivum alterius proprie nisi sit contrarium illi; ergo si malum est corruptivum boni naturalis, ut dicit Augustinus in pluribus locis [2], contrarium est malum culpae bono naturae.

Solutio: Dicimus quod cum duo sint bona, naturae et gratiae, proprie et per se loquendo non est idem malum quod utrique opponitur. Nam bono gratiae proprie et per se respondet malum scilicet culpae; bono autem naturae respondet oppositum proprie et per se loquendo malum, poenae. Unde non opponitur unum duobus, sed duo duobus [g]: unde si bono naturae opponitur malum culpae, hoc non est primo et per se, sed mediante [h] malo poenae; sic autem [i] non est inconveniens duo opponi uni: unum immediate et per se, reliquum mediate et per consequens.

Si autem quaeritur qualiter opponitur [k] malum culpae ipsi bono gratiae: dico quod in ipso malo culpae duo sunt. Est enim ibi [l] hoc quod dico 'malum'; est [m] etiam ibi actio sive dispositio relicta ex mala actione: relinquitur enim in male agente aliqua dispositio mala ex [n] ipsa mala operatione, sicut in bene operante relinquitur aliqua bona dispositio; sed in hoc est differentia quod mala dispositio semper sequitur malum opus in male agente; ubi autem est gratia, ipsa bona dispositio relinquitur aliquando ante bonam operationem. Quantum ergo ad hoc quod dicit malum, dicimus quod opponitur privative malum culpae ipsi bono gratiae. Quantum vero ad dispositionem relictam, quae est ad malum in male [o] agente, dicimus quod cum haec dispositio sit contraria dispositioni quae est in habente gratiam, sic quantum ad hoc opponetur malum culpae contrarie bono gratiae; unde nec huiusmodi simpliciter loquendo dicendum est contrarium tantum vel privativum tantum [p], sed contrarium sub privatione.

Si autem quaeritur quomodo opponitur malum poenae bono sibi opposito: dicimus quod eodem modo sicut et malum culpae suo opposito. Tamen in hoc est differentia oppositionis [q] hinc et inde, quod malum culpae adveniens in eo in quo est suum oppositum, totaliter abicit illud, scilicet bonum gratiae; malum autem poenae non totaliter abicit bonum naturae, sed solum diminuit [s 3].

125 CAPUT III.

QUOMODO MALUM HABEAT SUBSISTENTIAM IN BONO NATURAE.

Tertio quaeritur qualiter malum habeat subsistentiam in bono naturae [4].

Ad quod sic: 1. Nullum contrarium est in suo contrario [5]; malum culpae est in bono naturae; ergo non est illi contrarium.

2. Cum ergo habitum sit quod malum culpae oppositum sit bono naturae mediante aliquo [r]

---

[a] L *pene*. [b] S *aut*. [c] S *ingressibili*. [d] F om. [e] B om., L om. *non sunt*. [f] Codd. *contraria*. [g] R om. *s. d. d.* [h] B *mediate*. [i] BR om. [k] F *queritur*. [l] BRLF om. [m] V *et*. [n] V *et*. [o] BRLF *malo*. [p] L om. [q] B *operationis*. [r] L add. *illud*. [s] BRLF om.

[1] Cf. Augustin., *De mor. Manich.*, II, c. 3 (PL 32, 1346); *Contra epist. fundam.*, c. 35; *Contra advers. Leg. et Proph.*, I, c. 5 (PL 42, 201, 607).

[2] Cf. *De mor. Manich.*, II, cc. 3 sqq.; *Confess.*, VII, c. 4 (PL 32, 1347 sqq., 736); *De civit. Dei*, XII, c. 3 (PL 41, 351); *Enchir.*, cc. 12 et 14 (PL 40, 236 sqq.).

[3] De malo culpae et poenae cf. Augustin., *De lib. arbit.*, I, c. 1 (PL 32, 1221); *Contra Adimant.*, c. 26 (PL 42, 169).

[4] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 34, a. 2, q. 2 (II, 812 sqq.).

[5] Cf. Aristot., *De categ.*, c. 8; *Periherm.*, c. 14 (I, 21, 38).

malo poenae [1], quaeritur quomodo differat ipsum bonum secundum quod est ut contrarium malo et secundum quod est ut [a] subiectum ipsius. — Quod autem idem sit bonum naturae penitus quod habet malum pro subiecto et pro contrario, videtur hoc modo. Posset enim dici quod bonum, cui est malum contrarium [b], sunt ipsae habilitates quas corrumpit; bonum autem, quod est sicut mali subiectum et non contrarium, est ipsa prima natura et essentia liberi arbitrii in quo sunt habilitates illae. Sed quod malum sit in ipsis habilitatibus ut in subiectis ostenditur hoc modo. Sit C [c] malum quod est corruptivum habilitatum; sit A illud bonum quod iam corruptum vel diminutum est; subiectum autem [d] primum et residuum boni, quod non est adhuc diminutum, sit B. Tunc quaeritur: B diminubile est adhuc nonnisi per C, quia nonnisi per malum quod est in ipso; si ergo diminuitur per malum quod est in ipso et [e] diminuitur per C, [C] ergo in B est ut in subiecto; sed B dicebat ipsam habilitationem; erit ergo malum in ipsa habilitatione cui est contrarium, sicut in subiecto: et ita [f] idem erit omnino contrarium et subiectum.

3. Item, quaeritur: dicit Augustinus, in *Enchiridion* [2], quod [g] in hoc loco deficit regula dialecticorum, quae est: contraria simul esse non posse aut unum contrariorum non esse in alio [3]. Sed quaeritur ergo quomodo hoc possit esse. De ratione enim contrarii est ut non possit compati suum contrarium [4], nec etiam intellectus capere posset quod contrarium sit sub suo contrario.

Solutio: Dicimus quod duplex fuit bonum naturae in ipsa anima respondens malo. Fuit enim ipsa substantia liberi arbitrii, quae nullo modo fuit diminubilis per malum. Dicit enim Dionysius [5] quod « nihil existentium corrumpitur secundum quod essentia [h] vel natura, sed defectu [i] iuxta naturam ordinis, harmoniae et commensurationis » 'fit corruptum' supple; unde non vult quod [k] per corruptionem naturae primae corrumpatur aliquid a malo, sed per corruptionem naturalium habitudinum, quae sunt iuxta naturam illam primam, ad bonum gratuitum. Illae ergo habilitationes, modus, species et ordo, sive « commensuratio » quam dicit Dionysius pro eo quod est modus, et « harmonia » loco speciei, sunt mediae inter illam naturam et bonum gratuitum ad quod ordinant vel habilitant ipsam; illa ergo natura non diminubilis malo substernitur. Aliud vero bonum quod diminubile est a malo, etsi non omnino corruptibile, scilicet ipsae habilitates [6] sunt bonum contrarium malo. Bonum autem primum non est malo contrarium, sed est subiectum operationis illius, quae est inter [l] malum et ipsas habilitates; unde erat possibile ad habilitatem maiorem ad bonum vel ad minorem, non ad nullam, quia non potuit totalites esse privatio.

[Ad obiecta]: 1. Et sic patet solutio ad primum, quoniam contrarium non est in suo contrario.

2. Ad aliud quod obicitur secundo [m] quod 'malum oportet esse in ipsis habitudinibus': dicimus quod, cum habilitas sit media inter subiectum primum et bonum gratuitum, duplicem habet comparationem: unam ad naturam cuius est, a qua tenetur, et secundum istam comparationem nec corrumpitur nec diminuitur; aliam vero ad id ad quod ordinat vel habilitat: et quia malum proprie tollit hunc ordinem qui fuit ad bonum gratiae, ideo quantum ad hanc comparationem diminuitur ipsa habilitas et plus et minus, secundum quod est [n] maius vel minus malum. Quia ergo quoad primam comparationem, scilicet ad naturam a qua tenetur, non diminuitur [7], patet etiam [o] quod adhuc ipsa habilitas secundum [p] illam viam non est in ratione contrarii ipsi malo, et ideo cedit in naturam subiecti vel substrati; secundum autem viam in qua diminuitur, non est in ratione substrati, sed contrarii. Concedo ergo quod malum in ipsis habilitatibus est, sed non secundum quod contrariantur.

3. Ex hoc etiam apparet quod non est intelligendum quod contrarium sit in contrario per modum [q] quo contrariantur: hoc enim non esset intelligibile nec hoc [r] voluit dicere Augustinus, sed quod aliquid sit in aliquo quod ei subicitur quoad aliquid et quoad aliquid contrariatur; hoc enim non est inconveniens. Hoc [s] tamen frequenter non invenitur, nisi in huiusmodi, quod idem sit secundum substantiam contrarium et subiectum.

---

[a] BRL om. [b] R *contrarie*, quod B corr. [c] F *Sic scilicet* pro *S. C.* [d] F om. [e] V om. [f] PVS om. [g] V *et*. [h] Codd. *existentia*. [i] L *defectivum*. [k] F om. [l] L add. *ipsum*. [m] LF *idem*. [n] L om. [o] L om. [p] F *sit*. [q] B add. *in*. [r] F add. *quod*. [s] LF *licet*.

1 Cf. cap. praec.

2 Cap. 14 (PL 40, 238); cf. Guil. Altissiod., *Summa*, III, tr. 2, q. 13 (f. 140a).

3 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 8; *De elench.*, c. 26 (I, 18, 302); *Metaph.*, VIII, c. 2 (II, 565).

4 Cf. Aristot., *Moral. Eud.*, II, c. 3; *Phys.*, VIII, c. 8; *De caelo*, II, c. 4 (II, 195, 359, 393).

5 *De divin. nomin.*, c. 4, § 23 (PG 3, 724, PL 122, 1142).

6 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., II, tr. 14, c. 2 (f. 76a).

7 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 76b).

126

CAPUT IV.

AN CORRUPTIO BONI NATURAE SIT FINITA.

Quarto quaeritur de corruptione boni naturae an sit finita [1].

1. Constat enim quod illa habilitas creata est, ergo finita, ergo virtus eius finita; « malum autem infinitum est [2] »; infinitum autem agens, si additur patienti finitae virtutis et continue agat, aliquando erit patiens totum corruptum; ergo possibile est aliquando habilitates illas [a] totas corruptas esse.

2. Item, hoc idem [b] videtur esse in damnatis. Quid enim est dicere quod in ipsis remanserit de habilitate ad bonum? Etsi remanserit [c] primum bonum naturae incorruptum [d], tamen de illis habilitatibus iam nihil videtur remansisse.

3. Si autem hoc dicatur – contra [e] hoc est illud quod dicit Augustinus, *De natura boni* [3]. Dicit enim quod non possunt omnino tolli huiusmodi habilitates, quamdiu res est, et [f] quantum habet unumquodque creatum de istis, tantum habet de esse.

4. Item [g], cum malum corrumpit bonum: aut illud corruptum est pars aliquota boni aut non. Si sic: huiusmodi partes non sunt infinitae, constat; determinatur [h] ergo numerus earum [i] in denario vel in quocumque [k] alio numero; si ergo primum malum tulit unam aliquotam, secundum [l] tollet aliam; ergo perpetratis decem peccatis, totum bonum erit corruptum; quomodo ergo dicit quod impossibile est [m] corrumpi, aut quid est id boni quod corrumpitur per malum?

Solutio: Concedimus quod impossibile est, subiecto manente in esse, corrumpi illas habitudines; unde [n] nec etiam in damnatis omnino corruptae sunt. — Quod patet: quoniam etsi posse pervenire ad bonum gratuitum omnino remotum sit a damnatis de iustitia Dei, tamen ipsa possibilitas naturae non est remota, immo remanet ibi et cum illa modus, species et ordo remanent. Unde, licet dicamus quod non potest habere bonum gratuitum, tamen ibi est possibilitas naturae; sicut dicitur de claudo quod [o] non potest gradi, nunquam [p] tamen est impossibilitas [q] ad gradiendum, sed non est ibi possibilitas ut [r] ordinata ad actum illum.

[Ad obiecta]: 2. Et sic solvitur secundo [a] obiectum.

1. Ad illud autem quod primo quaeritur: dicimus quod malum [b], si dicitur infinitum, nec [c] multitudine nec magnitudine nec virtute dicitur [d] infinitum, sed solum quia caret ordinatione ad finem; sicut dicitur incausale, quia non habet causam proprie et per se loquendo. Unde etsi dicatur quod bonum habet virtutem finitam, similiter dicimus quod malum habet virtutem finitam, ut ita dicamus — abusive enim dicitur malum habere virtutem — unde non dicitur infinitum, ut [e] dicatur quod non potest tantum quin et plus, immo est dicere determinate 'tantum potest et non plus', ut [f] ita abusive liceat loqui de potentia mali. — Et si obicitur: nihil est ita [g] malum quin possit esse magis: hoc verum est; et quidquid sit de potentia, nihil est ita malum quin sit dicere 'hoc tantum et non plus', actio autem non est in ratione eius quod potest esse et non est, sed ratione eius quod est solum; et ideo patet quod et virtus et actio mali finita est [h] sicut boni. — Hoc ergo viso, dicamus ulterius, supposito quod malum habeat virtutem, sicut et bonum, quod est maior virtus boni quam mali. Malum enim non ageret, nisi substantificaretur [i] a bono; unde quantumcumque malum corrumpat de [k] bono, oportet quod remaneat [l] aliquid de bono, in quo est summum bonum, non [m] tamquam subiectum malo, sed tamquam continens sive tenens illud bonum remanens et sustentans ipsum malum, sine cuius virtute non posset agere ipsum malum [4]. Et sic patet solutio obiecti: non enim est, sicut dicebatur, malum agens [n] infinitum, id est virtutis infinitae, quod agat in minus potens se.

3. Tertio vero [o] obiectum concedimus sicut opponebatur [p].

4. Quod vero quaeritur quid sit illud bonum quod corrumpitur [q], an sit aliquota [r] ipsius aut quid aliud, dicimus: quod corrumpitur de bono sive de [s] habilitate non est eius aliquota, quae scilicet aliquotiens sumpta reddat totum [5]. — Quod patet sic: habuit enim habilitas duplicem compa-

---

[a] R om. [b] BRLF *ipsum.* [c] F om. *de habilitate... remanserit,* quod in B est add. mg. [d] P *et corruptum.* [e] F *dicatur quod* pro *h. d. c.* [f] BRL add. *in,* quod V exp. [g] BR om. [h] PVS *determinetur.* [i] R *eorum.* [k] F *quolibet.* [l] P *secundo.* [m] V *erit,* F om. [n] F *unus.* [o] BRLF *qui.* [p] L expunxit. [q] L *possibilitas.* [r] F delevit.

[a] L *secundum.* [b] PV add. *non,* quod S exp.; P (corr. post.) *sic* pro *st.* [c] PVS *non.* [d] V add. *in.* [e] P *ne,* S *vel.* [f] R *et.* [g] F *in.* [h] BR om. [i] BF *sustentificaretur.* [k] F *a.* [l] PVS *removeat.* [m] V om. [n] PVBR add. *in.* [o] R *modo.* [p] V *ponebatur.* [q] F *corruptum.* [r] PVS add. *pars.* [s] PVS om.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 35, a. 2, q. 3 (II, 832 sqq.).
2 Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 4, § 32 (PG 3, 734, PL 122, 1145).
3 Cf. cap. 17 (PL42, 556).
4 Cf. Boeth., *De consol. phil.*, IV, pr. 2 (PL 63, 791 sqq.).
5 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, IV, c. 2, n. 2 (PL 34, 296).

rationem, ut dictum est [1]; dictum est etiam [2] quod diminutio eius sit [a] secundum comparationem, quae est respectu boni gratuiti ad quod habilitat. Dicimus ergo quod etsi sit finita in se ipsa habilitas illa, est tamen possibilis ad infinita opera particularia ex se elicienda; et quia ex operibus relinquuntur dispositiones, est etiam quodammodo possibilis quasi ad infinitas dispositiones. Quia ergo ex ista parte diminutio est et ex ista parte infinitas est, ut visum est ibi [3], diminutio autem infiniti, etsi continue fiat, nunquam tamen [b] est diminutio completa: ideo patet quod in corruptione vel diminutione ista nunquam est devenire ad completum esse vel corruptum esse. Patet etiam quod non est aliquota quae corrumpitur; cum enim sit diminutio ex via qua est infinitas [4], infiniti autem [c], secundum quod huius vel alicuius ex parte qua habet infinitatem, nulla sit aliquota: patet quod illud quod [d] corrumpitur de ipsa habilitate non est ipsius aliquota. Unde Hercules si dicatur magnus [e] corpore, isti magnitudini respondent aliquotae; si vero virtute, qua possit maius vel minus vel in hoc vel [f] in illud, huiusmodi non sunt aliquotae magnitudinis [g] ipsius; similiter dicimus in proposito. Unde non est dicendum quod istud bonum, dividendo in partes, diminuatur proprie loquendo, sed solum quod minus [h] et minus habile sit per continuam mali actionem. Unde imaginatio quam habemus de diminutione 'quanti', quod [i] dividi potest per suas aliquotas, inducit nos in deceptionem ut similiter credamus fieri ubi fit diminutio quantum ad virtutem: non quod velimus dicere quod virtus sit infinita quoad intensionem, sed quoad numerositatem [k] operum ex ipsa eliciendorum [l] et dispositionum ex ipsa relictarum.

CAPUT V. 127

AN MALUM SIT CORRUPTIVUM HABILITATUM NATURALIUM.

Quinto quaeritur an malum sit corruptivum habilitatum naturalium [5].

Ad quod sic: Malum definitur per corruptionem vel diminutionem boni naturalis. Quaeritur ergo, cum in natura non reperiantur nisi haec: primum [m] bonum subiectum, quod est essentia, potentia et habitus [n] et affectiones [6], cuius istorum bonorum erit corruptio? Non [o] boni primi, neque potentiae: illud enim bonum, quod per malum diminuitur, aliquando oportet esse maius, aliquando minus; constat autem quod nec ipsa natura prima [p] nec potentiae eius secundum se possunt dici aliquando maiores, aliquando minores [7]. Erit ergo corruptio affectionis [q] vel habitus. Sed non affectionis: illud enim bonum, cuius malum [est] corruptivum, oportet semper in parte permanere, quia nunquam est ibi totaliter corruptum [r] esse; sed affectio totaliter transit et tollitur; restat ergo quod erit corruptivum habitus naturalis.

Sed ulterius quaeritur: Habitus naturalis dicitur virtus naturalis, secundum quod dicitur Matth. 8,9 de Centurione, ubi dicit Glossa [8] quod ille Centurio habet « virtutes naturales », secundum quod definitur virtus sic [s] [9]: « Virtus est habitus animi, naturae in modum, rationi consentaneus ». — Si ergo dicatur quod huiusmodi habitus naturalis corruptivum est malum – contra: hae [t] virtutes aliquando totaliter tolluntur per malum; aliquando enim anima ita perversa est quod non habet modum aliquem consentaneum rationi: ut quando ratio est omnino subiecta sensualitati. Cum ergo bonum, quod per malum diminuitur, oporteat semper permanere [u], patet quod non fuit istius habitus naturalis corruptivum.

Dices [v] quod inter potentiam et istum habitum naturalem sunt quaedam habitudines mediae, quae disponunt ipsam potentiam ad illum habitum [x], et istarum habitudinum est malum corruptivum. – Contra constat quod philosophi cognoverunt bene positionem istarum virtutum naturalium in potentia; cognoverunt [y] similiter quaecumque dispositiones ad hoc exigebantur ut illi habitus essent in potentiis; cognoverunt ergo illas habitudines medias. Quare ergo non cognoverunt malum esse earum diminutivum? ex hoc enim [z] vi-

---

[a] F om. [b] L om., V om. *est.* [c] R *enim;* L *infinita aut,* F *infinitum autem* pro *i. a.,* F *que* pro *qua.* [d] L *non.* [e] R *magno,* quod B corr. [f] R add. *quod,* quod B exp. [g] PVS *magnitudine.* [h] S *magis.* [i] V *quam.* [k] Codd. *universitatem,* S om. *sit.* [l] Ita BL, alii *eliciendarum.* [m] LF *preterea,* BR *scilicet.* [n] P *hic.* [o] L add. *enim,* B *positione* pro *potentiae.* [p] P *potentia,* F *quod* pro *se.* [q] S *effectionis.* [r] PVS *corruptivum,* L *manere* pro *permanere.* [s] S om. [t] BRLF add. *enim;* PV om. *totaliter,* quod in S est add. mg. [u] BRLF *manere.* [v] Ita L, alii *dicet.* [x] Codd. *actum.* [y] Ita L, alii add. *ergo.* [z] BR *etiam.*

1 Cf. supra, pag. 195b, *ad 2.*
2 Cf. ibidem.
3 Cf. ibidem.
4 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 3 (II, 346): « Perspicuum igitur est non esse necessarium semper aliud abire, quia diminutio dividitur in infinita, sed totum aliquando abire ».
5 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 26, q. 3 (f. 96c).
6 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 4, § 32 (PG 3, 734, PL 122, 1142).
7 Cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 63 (PL 210, 651).
8 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 113), ex integro apud Lyran.
9 Cf. Cicero, *Rhetor.*, II, c. 54.

detur quod non debet dici quod [a] sit diminutivum illarum.

Solutio: Concedimus quod nec essentiae [b] nec potentiae nec affectionis [c] nec habitus naturalis, qui dicitur virtus naturalis, est corruptivum malum, sed illarum habitudinum quae mediae sunt inter potentiam et dictos habitus, secundum quod ulterius disponunt ad habitus gratuitos; et illae habitudines inseparabiles sunt a potentia, et hae sunt modus, species et ordo. Sed notandum quod, quamvis illarum habitudinum sit malum corruptivum, non tamen est corruptivum illarum prout comparantur ad dictos habitus qui sunt virtutes naturales, vel alios quoscumque, sed solum prout disponunt ad bonum gratuitum. Quia igitur philosophi nunquam pervenerunt ad cognitionem gratiae vel boni gratuiti, ideo neque cognoverunt istas habitudines, prout disponunt ad bonum gratuitum. Quia ergo sic erat malum corruptivum earum, patet quod nunquam potuerunt cognoscere [d] qualiter malum esset istius boni corruptivum.

128 CAPUT VI.

AN MALUM SIT CORRUPTIVUM MODI SPECIEI ET ORDINIS.

Sexto quaeritur an malum sit corruptivum modi, speciei et ordinis [1].

Et videtur quod sit corruptivum ordinis tantum: Si enim corrumpuntur illae habitudines, prout ordinant ad gratiam, gratia autem erat illarum ut ordinans in finem, tunc [e] videtur quod proprie ibi corrumpitur relatio quae erat ad finem et non alia; ergo si penes relationem ad finem attendebatur ordo, erit malum proprie corruptivum ordinis [f] et non modi vel speciei.

[Solutio]: Ad quod dicimus quod haec obiectio per cuiusdam falsi suppositionem procedit. Concedimus enim [g] quod revera corrumpuntur habitudines illae secundum comparationem illam quam habent ad gratiam, sed dicimus quod gratia respectu esse vel operis gratuiti non solum est ut finis, sed etiam ut efficiens: et sic [h] penes hanc attenditur modus; et ut informans: et penes hanc attenditur species; et ut ordinans ad finem: et penes hanc attenditur ordo. Cum ergo corrumpitur vel diminuitur habilitas penes comparationem quam habet ad gratiam, patet quod non diminuitur solum secundum relationem quam habuit ad finem, sed secundum alias [i].

129 CAPUT VII.

AN ILLORUM DIMINUTIO SIVE CORRUPTIO SIT EX MALO TRIPLICI VEL UNICO.

Consequenter quaeritur an diminutio sive corruptio modi, speciei et ordinis sit ex malo triplici vel unico [2].

Ad quod sic: 1. Nahum 1,9: *Non consurget duplex* [k] *tribulatio.* Ex quo arguitur quod uni peccato debetur unica poena et plures pluribus. Si ergo unum est peccatum quod committitur [l], et una erit poena. Cum ergo poena sit diminutio illorum trium, videtur quod unica diminutione diminuantur illa tria, aut dicatur qualiter est unitas in peccato et in poena multiplicatio.

2. Item, quaeritur: quatuor, sicut dicit Augustinus et Beda [3], inflicta sunt nobis propter peccatum, scilicet infirmitas, ignorantia, malitia et concupiscentia. Si ergo infirmitas est ex defectu potentiae, et sic est corruptio modi; ignorantia ex defectu scientiae, et sic est corruptio speciei; malitia ex defectu bonitatis, et sic est corruptio ordinis [m]: videtur quod deberet esse quartum, secundum cuius corruptionem [n] esset concupiscentia inflicta, vel dicatur quare non.

Solutio [o]: 1. Ad primum dicimus quod peccatum dicitur unum per relationem ad illud ad quod est conversio, quia illud unum est; dicitur

---

[a] F add. *non.* [b] PVS *esse nature.* [c] PVS *affectiones.* [d] L om. [e] L add. *enim.* [f] F om. [g] L om. [h] F *sed* pro *e. s.* [i] PVS *alios.* [k] L *triplex.* [l] F *concommittitur.* [m] LF *ordinum.* [n] V *corruptio.* [o] BRLF om.

[1] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 14, cc. 2 et 3 (f. 75c et 77a).

[2] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, a. 2, q. 1 (II, 828 sqq.).

[3] Cf. Augustin., *Enchirid.*, c. 24 et 81 (PL 40, 244, 291); *De dono persev.*, c. 1, n. 27 (PL 45, 1009); *De lib. arbit.*, III, c. 18, n. 52 (PL 32, 1296); *De grat. et lib. arb.*, c. 21, n. 43 (PL 44, 909). Apud Bedam nil de iis invenitur; sed cf. Ambros., *De Isaac et anima*, c. 7, n. 60 (PL 14, 551); Gregor. M., *Moral.*, XXV, c. 11, n. 28 (PL 76, 339).

etiam unum, quia ab uno est aversio, scilicet ab incommutabili bono, quod unum est. Sed per relationem ad illud quod avertitur per peccatum, cum in ipso libero arbitrio sint tria quae avertuntur, scilicet memoria, intelligentia et voluntas, oportet quod si poena infligenda est illi quod [a] avertitur, quod sicut in averso fuerunt tria, ita triplex poena infligatur; et sicut illud fuit [b] unum secundum tres sui potentias, ita poena una [c] secundum tres differentias multiplicata. Et hoc modo privatur modus respectu memoriae, species respectu intelligentiae, ordo respectu voluntatis. Sed haec per appropriationem intelligenda sunt dici: nam secundum rem sunt illae tres habilitates in qualibet illarum potentiarum.

2. Ad secundum dicimus quod revera quatuor nobis inflicta sunt propter peccatum per defectum potentiae, sapientiae et bonitatis, scilicet infirmitas, ignorantia, malitia, et quartum quod est concupiscentia [1]; et huiusmodi concupiscentia [d] non est sumpta a vi concupiscibili, secundum quod condividitur rationabili et irascibili, sed est concupiscentia generaliter dicta ad omnem inordinatam conversionem ad bonum commutabile, secundum quamcumque vim fiat, secundum quod dicitur in Glossa ad Romanos 1 quod ex ipsa oriuntur omnia peccata [2]. Dicimus ergo quod huic concupiscentiae inflictae non debuit respondere quartum bonum cum illis tribus. Cum enim haec quatuor infligantur propter peccatum, dicimus quod in peccato sunt duo, scilicet aversio ab incommutabili bono et conversio ad commutabile [e]: ratione conversionis illius inflicta est concupiscentia, quia illa solum inclinat ad bona commutabilia. Quantum ergo ad conversionem istam non est deformatio imaginis, per se loquendo, sed quoad [f] aversionem ab eo bono incommutabili, ad cuius imaginem fit, est haec [g] deformatio. Quia ergo imago quantum ad illa tria attenditur, iustum fuit ut in [h] deformatione quae fiebat per aversionem, infligerentur tria secundum defectum illorum trium in quibus attendebatur imago. Sic ergo patet quod concupiscentiae nihil debuit respondere in ordine isto. Unde aut dicemus quod nullum ei bonum respondet in nobis, quoniam debuit esse solum respectu boni commutabilis; aut si respondet aliquid, hoc non erit nisi commune [i] appetitivum boni.

CAPUT VIII. 130

DE DIFFERENTIA CORRUPTIONIS QUAE EST PER VENIALE ET MORTALE.

Consequenter quaeritur de differentia corruptionis quae est per veniale et mortale.

Obicitur ergo sic: 1. Peccatum veniale [k] non tollit gratiam: existente veniali, nihilominus est potentia in suo complemento; sed quamdiu forma ultima est in sua materia secundum suum complementum [l], non est dicere quod removeatur aliquid de dispositionibus mediis inter materiam et formam ultimam; videtur ergo quod peccatum veniale nihil diminuat de habilitatibus [m], quae sunt modus, species et ordo.

2. Item, peccatum veniale et mortale improportionalia sunt; ergo et poenae. — Quod patet: quia [n] sicut se habet veniale ad suam poenam, ita mortale ad suam; ergo permutatim, sicut veniale ad mortale, ita poena huius ad poenam illius; sed si diminutio, quae fit per veniale, aliquid diminuit de bono naturae: ergo illa, quae fit per peccatum mortale, in infinitum est maior; sive ergo bonum, quod diminuitur, finitum sit sive infinitum, aut erit dicere quod totum potest tolli per peccatum mortale aut quod [o] veniale nihil diminuit aut quod proportionalis est poena mortalis poenae venialis. Quod si [p] sit ita, videtur Deus iniustus, cum ipsa peccata improportionalia sint, et ita poenae deberent esse improportionales.

[Solutio]: Ad quod dicimus quod peccatum mortale duo facit, quia vulnerat in naturalibus et spoliat [q] gratuitis. Quantum ergo ad ultimum effectum dicimus quod nullo modo convenit veniale cum mortali; quantum ad primum convenit cum illo, quamvis non sonet in tantum ut vulnerare dicatur. Secundum hoc solet [r] dici quod veniale facit nemini mortale vulnus. Dicit etiam Gregorius, in *Moralibus* [3], quod veniale obscurat, mortale caligat. Secundum hoc dicimus quod veniale disponit ut mortale subintret, non

---

[a] F om. [b] B *fit.* PVS *in pena* pro *p. u.* [c] V om. *c. h. c.*, quod in P est add. mg. [d] L add. *bonum.* [e] F *ad*, R *conversionem* pro *aversionem*, quod B corr. [f] BRLF om. [g] F add. *illa.* [h] Codd. *concupiscentie.* [i] B *venie.* [k] V add. mg. *tam.* [l] PV *habilitationibus.* [m] F om., L om. *se.* [n] PV om., S corr. *quod* in *peccatum.* [o] F *nisi.* [p] S add. *in.* [q] Ita L, alii *solebat.*

[1] Cf. Augustin., *De div. quaest. 83*, q. 26 (PL 40, 17); *Contra Faust. Manich.*, XXII, c. 78 (PL 42, 451); *Contra Iulian. lib. imperf.*, I, c. 72; II, c. 15; III, c. 56; IV, c. 10 (PL 45, 1097, 1147, 1274, 1345) et multis aliis locis.

[2] Cf. Rom. 1, 23-32 et *Glossa ordin.*, in Rom. 7, 7 (PL 114, 491), Lombardi, in h. l. (PL 191, 1416), ex Augustino, *De spiritu et littera*, c. 4, n. 6 (PL 44, 204).

[3] Lib. XXI, c. 12 (PL 76, 201).

tamen quod aliquando possit veniale fieri mortale; cum enim veniale sit appetendo aliquid sub Deo, mortale supra Deum, nunquam hoc potest crescere in tantum ut fiat illud. Sed dicimus: quemadmodum si duo ligna essent fortiter coniuncta et aliquid faceret minus fortiter cohaerere, nunquam tamen separare, aliud [a] autem separaret omnino illa ab invicem, sic dicimus de veniali et mortali; veniale enim, secundum quod huiusmodi, facit potentiam minus fortiter se tenere cum gratia, non tamen potest separare, mortale autem omnino separat.

[Ad obiecta]: 2. Si ergo quaeritur utrum sint proportionales diminutiones factae per veniale et mortale, dicimus quod non. Una enim fit praesente gratia nec aliquo modo separat potentiam a gratia, sed solum facit ut minus fortiter cohaereat; alia vero fit [b] absente gratia et semper magis et magis elongat potentiam a gratia: et ita non sunt eiusdem generis diminutiones, et ideo neque comparabiles [c].

1. Ad illud quod primo obicitur quod 'si remanet forma ultima, nihil [d] diminuitur de dispositione media', patet quid dicendum est. Nihil enim de dispositione diminuitur, quo diminuto, hoc separetur ab illo; diminuitur tamen aliquid, quo [e] diminuto, hoc cum illo minus fortiter se tenet.

---

[a] V *illud*, BRLF *altus*. [b] V *si sit*. [c] PVS om. *e. i. n. c.* [d] F om., in L est add mg. [e] PVS *cum*.

TRACTATUS QUARTUS

DE POTENTIA DIVINA

QUAESTIO I.

DE INTENTIONE POTENTIAE.

Adiuvante Dei gratia, postquam inquisitum est de unitate, veritate et bonitate, consequenter inquirendum est de potentia, scientia et voluntate divina; haec enim se habent consequenter secundum intelligentiae rationem.

Primo igitur inquirendum est de potentia in hunc modum:

ut primo quaeratur de intentione potentiae;

secundo de conditionibus divinae [a] potentiae, quarum una est universalitas [b], [alia] immensitas [c], alia perfectio [d], alia unitas [e] et simplicitas [f];

consequenter inquirendum est [g] de hoc quod [est] possibile divinae potentiae;

ultimo, de derivatione [h] potentiarum a fonte divinae potentiae.

Quantum autem ad intentionem potentiae praecognoscendam [i], quaerendum est absolute de intentione potentiae, et in comparatione ad intentiones [k] voluntatis et scientiae.

MEMBRUM I.

De intentione potentiae absolute.

Quantum ad primum quaeruntur tria:

Primum est [l], an Deo conveniat ratio potentiae proprie;

secundum, utrum dicatur univoce vel aequivoce de creatura et Creatore.

tertium, utrum aliquod creatum connotet intentio potentiae praeter divinam essentiam.

CAPUT I. 131

AN DEO CONVENIAT RATIO POTENTIAE PROPRIE [1].

Ad primum, ex conclusione Richardi, in libro *De Trinitate* [2], arguitur sic [m]: *a.* Constans est Deum esse potentem potentiae plenitudine, non potentiae participatione; sed cui aliquid attribuitur secundum plenitudinem, verius ei convenit ratio quam cui attribuitur secundum participationem: sicut patet in bonitate, quae attribuitur Creatori secundum plenitudinem, creaturae vero [n] secundum participationem [3], et verius convenit intentio bonitatis Creatori quam creaturae; ergo verius conveniet ei intentio potentiae quam creaturae.

Contra: 1. Nihil quod dicitur secundum dependentiam proprie convenit divinae essentiae; si ergo intentio potentiae dicitur per dependentiam ad actum, ergo intentio potentiae proprie [o] non conveniet divinae essentiae.

---

[a] F om., in L est add. interl. [b] S *universitas*, L *utilitas*. [c] F *immensitatis*. [d] F *perfecta*. [e] PV *utilitas*, quod S corr [f] R om. *e. s.* [g] PVSF om. [h] L *divinatione*. [i] F *precedente*. [k] PVS *intentionem*. [l] BRLF om. [m] BRLF om. [n] L *creare enim* pro *c. v.* [o] F *prime*.

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, dd. 42 et 43 (I, 746, 763 sqq.); *Breviloq.*, p. 1, c. 7 (V, 215).

[2] Cf. lib. I, cc. 23 et 24 (PL 196, 901 sq.).

[3] Cf. supra, n. 117, p. 183 sqq.

2. Item, secundum Aristotelem, in *Metaphysicis* [1], intentio potentiae est duobus modis. Est enim potentia activa, quae ab eo notificatur « principium transmutationis in aliud secundum quod aliud »; et est potentia passiva, quae scilicet est [a] « principium transmutationis ab alio secundum quod aliud ». Ex quibus notificationibus relinquitur quod ubicumque est potentia passiva, est mutabilitas ab alio, et ideo non convenit Deo; ubicumque vero est activa potentia, est imperfectio [b], quia ibi exigitur subiecta materia, cum sit in [c] aliud. Cum ergo in operatione Dei non requiratur subiecta materia, ut patet in creatione, ergo relinquitur quod non convenit Deo potentia activa nec passiva; ergo nec intentio potentiae. — Si vero diceretur quod potentia activa dicitur in Deo non solum secundum quod est principium transmutationis in aliud, sed [d] [etiam] principium transmutationis de non-esse in esse – contra: intentio potentiae non dicitur in Deo respectu creationis solum [e], sed respectu generationis et processionis, a quibus relegata est omnis mutatio; et ita intentio potentiae non erit Deo conveniens.

Respondeo: Potentia dicitur secundum imperfectionem: et hoc modo convenit creaturae; potentia dicitur etiam secundum perfectionem et plenitudinem: et hoc modo convenit Creatori [f]. Dico autem imperfectionem potentiae indigentiam suae perfectionis complendae per actum vel indigentiam materiae subiectae — quemadmodum est in potentia activa creaturae, quae scilicet ad perfectionem [g] pervenit mediante effectu, sicut in spiritualibus exemplum patet in viribus animae rationabilibus [2], vel sicut in iis quae efficiuntur mediante corpore, ubi necessaria est subiecta materia, exemplum in artifice — vel [h] quam concomitatur mutabilitas dicitur potentia imperfecta, sicut est potentia materiae [3] et materialium. Intentio ergo potentiae secundum imperfectionem [i] nullo modo conveniet Deo, sed secundum perfectionem.

[Ad obiecta]: 1. Unde ad illud quod primo obicit: dicendum quod sicut in sole dicitur potentia ad actum qui est lucere — qui quidem actus semper est in sole, coaevus ipsi essentiae solis — et iterum potentia ad actum qui est illuminare — qui quidem actus est in alio a sole: actus iste, qui est illuminare, est actus quem [k] potentia solis [l] efficit, actus vero [m], qui est lucere, est actus quo agit — sic est determinare intentionem divinae potentiae per actum coaeternum, quemadmodum diceretur potentia intelligendi, potentia amandi in Deo, velut potentia lucendi in sole; et est determinare potentiam per actum temporalem, sicut potentia creandi et formandi et huiusmodi. Manifestum autem est quod nunquam potentia dependet ab actu, nisi cum perfectio nobilior acquiritur potentiae per actum: unde potentia illuminandi in sole non dependet ab actu illuminationis, multo magis nec potentia creandi ab actu creationis; potentia vero lucendi dependet ab actu, qui est lucere, in sole [n], quia per hunc actum [o] acquiritur ei perfectio nobilior, quae quidem est actualitas lucis. Quia autem in sole non est idem potentia et hic actus — sicut patet ex obscuratione, quae facta est in morte Domini [4], ubi separabatur actus a potentia — ideo ipsa potentia dependet ab actu: ab actu dico coaevo ipsi essentiae. Quia ergo in [p] Deo omnino idem est potentia et actus coaeternus, ut potentia intelligendi et intelligere et potentia generandi et generare, non erit aliquo [q] modo potentia dependens ab actu. Illud ergo, quod dicit Philosophus [5] quod 'potentia [r] dependet ab actu', intelligitur in creatura secundum naturam rei; secundum vero rationem intelligentiae potest intelligi communiter: nam intellectus potentiae dependet ab intellectu [s] actus [6]; nam nos non intelligimus potentiam nisi mediante notitia actus.

2. Ad aliud [t] vero quod obicit: dicendum quod notificatio potentiae secundum Philosophum non convenit divinae potentiae universaliter, sed data est de potentia creaturae, sicut amplius iam [u] declarabitur [7].

132 CAPUT II.

UTRUM POTENTIA DICATUR UNIVOCE VEL AEQUIVOCE DE CREATURA ET DE CREATORE.

Consequenter quaeritur utrum potentia dicatur aequivoce vel univoce in Deo.

1. Nam in Deo est potentia ad intelligendum, in Deo est potentia ad generandum, in Deo est po-

---

[a] P om. [b] L *perfectio*, F om. *ibi*. [c] B om. [d] F add. *est*. [e] B om. [f] S om. *potentia dicitur etiam... Creatori*. [g] LF add. *suam*, quod V exp., S add. *perfecte*. [h] BRLF add. *etiam*. [i] F *intentionem*. [k] L *quam*, F *quod*. [l] L *solum*. [m] F *nature*. [n] R *luce*. [o] RF om. [p] L om. [q] LF *alio*, R om. *potentia*. [r] L *potest*. [s] F *actu*, P *iam* pro *nam*. [t] PSBF *illud*. [u] P om.

1 Lib. IV, c. 12; VIII, c. 1 (II, 524, 564).

2 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 569) et locc. cit. in nota praeced.

3 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 9 (II, 464): « Pati namque et moveri materiae est ».

4 Cf. Matth. 27, 45; Marc. 15, 33; Luc. 23, 44.

5 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 569).

6 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 448): « Nam operationes actionesque potentiis priores sunt ratione ».

7 Capite sequenti.

tentia ad creandum: aut ergo potentia dicitur univoce vel aequivoce.

Si univoce – contra: potentia creandi est principium transmutationis a non-esse in esse, potentia autem generandi sive intelligendi nullo modo est principium transmutationis; ergo non est eadem ratio potentiae in Deo hinc et inde. — Item, potentia generandi non est potentia ad 'quid', sed 'ad aliquid', quia generare non est 'quid', sed 'ad aliquid' [a]; sed potentia creandi est potentia in 'quid'; ergo non univoce.

Item, si aequivoce – contra: potentiae [b] intelligendi et generandi et creandi erunt differentes secundum essentiam. Ergo cum in Patre sit potentia et generandi et intelligendi et creandi, in Filio vero solum potentia intelligendi et creandi [c], sed [d] non generandi: relinquitur quod aliqua potentia est in Patre quae non est in Filio; quod est falsum. Relinquitur ergo quod non est aequivoce dicta potentia, cum dicitur potentia generandi, intelligendi et creandi.

Solutio: Potentia non dicitur in Deo aequivoce, cum dicitur potentia generandi et intelligendi et creandi, sed analogice, hoc est per prius et posterius secundum rationem intelligentiae. Ratio vero [e] intentionis divinae potentiae secundum analogiam est haec: potentia divina est potentia cuius est actus per se. Per hoc quod dicitur 'per se' separatur intentio potentiae in Deo ab intentione potentiae creaturae, quae, sive dicatur activa sive passiva, non est principium ad actum 'per se'. Item [f], hoc quod dicitur 'principium actus' per se convenit et potentiae intelligendi et potentiae generandi et potentiae creandi; sed potentia dicta ad actum qui est intelligere, est actus qui quidem est ipsa substantia: intelligere enim significat divinam substantiam, sed per modum actus; potentia vero dicta ad actum qui est generare, est actus qui est de substantia: generare enim [g] dicit actum productionis de divina substantia, tamen generare dicit relationem per modum actus; potentia vero dicta ad actum, qui est creare, est potentia actus, qui non est de divina substantia, sed de nihilo: creatio enim est de nihilo [1]. Secundum hoc ergo quod dicitur 'potentia actus', dicitur per prius et posterius de potentia intelligendi, generandi et creandi secundum intelligentiam rationis; quod vero dicitur 'per se', excludit indigentiam motoris vel agentis, sicut est in potentia passiva, et indigentiam materiae et perfectionis ulterioris, sicut est in potentia activa creaturae [h]. Una igitur est potentia, cum dicitur potentia intelligendi, generandi [i], creandi, sed per actum aliter et aliter dictum determinatur.

CAPUT III. 133

UTRUM INTENTIO POTENTIAE ALIQUOD CREATUM CONNOTET PRAETER DIVINAM ESSENTIAM.

Postea quaeritur utrum, cum determinatur potentia respectu creaturae, connotetur aliquid creatum, sicut cum [k] dicitur 'homo potest facere domum', notatur potentia in ipso et connotatur possibilitas materiae [2].

Ad quod sic obicitur: *a.* Cum dicitur 'Deus scit mundum fore vel esse vel [l] fuisse', connotatur aliquid quod ponitur in creatura vel [m] in praesenti vel in praeterito vel in futuro; similiter cum dicitur 'Deus vult mundum fore', ex hoc ponitur quod mundus erit: intentio enim [n] scientiae et voluntatis dictae respectu creaturae connotat [o] aliquid respectu creaturae; ergo similiter cum dicitur 'Deus potest hoc facere', connotabitur aliquid in creatura, scilicet [p] quod possibile est hoc esse.

Contra: 1. Anselmus, in libro *De conceptu virginali* [3]: Deus potest de trunco facere vitulum, non tamen de trunco potest fieri vitulus, quia deest aptitudo ex parte materiae. Relinquitur igitur quod, cum dicitur 'Deus potest facere hoc', non connotatur aptitudo quae sit [q] ex parte materiae, sicut dicimus quod in grano est aptitudo ut fiat messis.

2. Item, Augustinus, in libro *De Symbolo* [4]: « Omnipotens dicitur, quia de nihilo fecit quaecumque fecit; non enim aliqua materies eum iuvit, ex qua demonstraret artis suae potentiam, sed [r] ex nihilo cuncta creavit ». Ex hoc relinquitur quod, cum dicitur 'Deus potest hoc [s] facere', non ponitur possibilitas materiae: nil igitur connotatur creatum, ex quo non connotatur aptitudo nec possibilitas materiae.

---

[a] B om. *quia... aliquid.* [b] F *potentia.* [c] F om. *in Filio... creandi.* [d] BRLF *et.* [e] BRLF *igitur.* [f] B *iterum.* [g] R *vero.* [h] P *creare.* [i] F om., B add. *et.* [k] L om. [l] PSBR *non* pro *e. v.*, V add. *non.* [m] F om. [n] BRLF om. [o] LF *connotatur.* [p] F *secundum.* [q] LF *fit.* [r] F om. [s] L om.

[1] Differentias inter generationem divinam et creationem vide apud Damasc., *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 811 sq.).

[2] Cf. Augustin., *De fide et Symb.*, n. 2 (PL 40, 182).

[3] Rectius Alan., *Theol. regul.*, reg. 58 (PL 210, 648), ad sensum. Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 42, a. un., q. 3 (p. 751, nota 2).

[4] Quodvultdeus, *De Symb. ad catech.*, c. 3, n. 6 (PL 40, 640); cf. Augustin., *De fide et Symb.*, c. 2, n. 2 (PL 40, 182).

3. Item, intentio potentiae non aequivocatur, cum dicitur 'Deus potest hoc facere' et cum dicitur 'Deus potest intelligere'. Si ergo nihil connotatur creatum [a], cum dicitur 'Deus potest intelligere': ergo nihil connotabitur, cum dicitur 'Deus potest aliquid facere'.

4. Item, cum potentia dicatur ad possibile sicut scientia ad scibile respective, cum dicitur 'Deus potest hoc [b] facere' vel 'potest creare mundum antequam mundus esset', cum ponatur potentia, ponetur et possibile, scilicet quod mundum creari sit possibile; quaeritur ergo: aut illa possibilitas est in creatura aut in causa? Si dicatur esse in creatura: tunc non erit verum 'ab aeterno mundum creari est possibile'; si [c] in causa: cum possibilitas causae nihil aliud sit quam potentia causae, quaecumque erunt in potentia causae, erunt possibilia; cum ergo in potentia causae sit potentia creandi innumerabiles [d] mundos, relinquitur quod innumerabiles mundos esse est possibile: quod videtur inconveniens.

5. Item Athanasius, in *Altercatione contra Arium* [e 1]: « Vide quot et quantis vocabulis appellemus sapientem, bonum et omnipotentem, et hoc quoad se; quoad nos vero misericordem, pium et iustum ». Ergo nihil creatum connotatur, cum dicitur sapiens, bonus, potens.

Respondeo: Intentio potentiae determinatur dupliciter: per temporale et aeternum, ut potentia creandi, potentia intelligendi. Cum [f] determinatur per aeternum, nihil connotatur creatum; cum vero per temporale, connotatur ens possibile: sicut cum determinatur scientia per temporale, connotatur verum scibile [g], sic cum voluntas determinatur per temporale, connotatur bonum amabile seu voluntabile [h].

[**Ad obiecta**]: 1-2. Ad illa ergo quae obiciuntur per auctoritatem Anselmi quod non [i] connotatur aptitudo materiae, et per auctoritatem Augustini quod non [k] connotatur possibilitas materiae: dicendum quod aptitudo et possibilitas materiae possunt considerari ut in sua natura: et hoc modo non connotantur, cum dicitur 'Deus potest hoc facere'; vel possunt considerari secundum quod in causa, prout consideratur effectus in sua causa: hoc modo potest dici connotari possibilitas materiae vel aptitudo; sed ex [l] hoc non sequitur aptitudo vel materia esse ab aeterno, quia tunc [m] esse in potentia causae non est aliud quam esse ipsa potentia causae, prout dicit Anselmus [2] quod « creatura in Creatore est creatrix essentia », quod debet intelligi composite [n 3]: nam cum dicitur « creatura in Creatore », trahitur extra rationem creaturae ad supponendum [o] existentiam eius in causa.

3. Ad tertium vero dicendum quod aliquid connotatur ex determinatione quod non connotatur, cum potentia accipitur sine determinatione, sicut dictum est [4].

4. Ad quartum vero [p] quod quaerit: in quo sit illa possibilitas, cum dicitur 'possibile est mundum creari': dicendum quod solum est in potentia causae, quae scilicet ita perfecta est ut sit tota causa sui effectus, non indigens alia materia subiecta vel aliqua specie obiecta. Unde notandum quod quaedam potentia indiget materia subiecta, ut potentia [q] naturae vel artificis; item, est potentia quae [r] non indiget materia subiecta, indiget tamen specie obiecta, ut patet in potentia animae; item, est potentia Dei, quae nec indiget materia nec obiecto [s], et haec est perfectissima: perfectior enim est potentia quae est tota causa sui effectus; quod autem perfectius est semper est Deo tribuendum; igitur potentia Dei est tota causa sui effectus et ideo non indiget materia nec obiecto [t]. — Et si obicitur quod in Deo est possibilitas ad infinitos mundos, ergo possibile est infinitos mundos creari: dicendum quod sicut in prima [u] materia est prima potentia passiva, ita in Deo est prima potentia activa; prima autem materia, quantum est de sua prima [v] potentia, non est determinata ad aliquam formam, sed indifferens ad omnes; sed tamen intelligitur materia cum aliqua dispositione: et sic est determinata ad aliquam formam. Similiter dicendum de potentia Dei activa quia est [x] potentia indeterminata, quae se habet ad infinitos mundos et secundum hoc est potentia in causa ad infinitos mundos, et est potentia determinata per dispositionem praeordinatam.

5. Ad ultimum iam patet solutio: nam misericors, pius et iustus connotant, accepta absolute, effectum in creatura: ut 'iustus' significat divinam essentiam et connotat retributionem secundum merita [y]; 'sapiens' vero, 'bonus' et 'potens' non connotant creatum nisi addita determinatione.

Sic ergo [z] quaeritur de intentione potentiae absolute.

---

[a] F *terminatum*, L om. *Deus*, F *intelligi* pro *nihil*. [b] S om. *hoc* et sequens *potest*. [c] LF add. *autem*. [d] L *et numerabiles*. [e] LF om. *c. A.* [f] BRLF add. *vero*. [g] LF *substantiale*; P *si*, F *sicut* pro *sic*. [h] Ita L, F *voluntate*, alii *voluptabile*; L *vero* pro seq. *ergo*. [i] PVS *dicimus quod* pro *q. n.*, F *notatur* pro *non connotatur*. [k] F om. [l] F om. [m] B *totum*. [n] BR om. [o] LF *sapiendum*, quod B corr. [p] F add. *dicendum*, quod L exp. [q] L *potentie*. [r] S *qua*. [s] V *obiecta*. [t] V *obiecta*, R *Item* pro *Et*. [u] L *ipsa* pro *i. p.*, B *ergo* pro *quod*. [v] F *se divina* pro *s. p.* et om. seq. *sed*. [x] F add. *prima*. [y] L *meritum*. [z] P om.

1 Apud Vig. Tapsen., *Contra Arianos*, II, n. 24 (PL 62, 212 sq.), ubi allegatur Athanasius.

2 Cf. *Monolog.*, c. 36 (PL 158, 190).

3 Cf. Aristot., *De categor.*, c. 3; *De elench.*, c. 20 (I, 6, 297).

4 Cf. supra sub *Respondeo*.

MEMBRUM II.

De intentione potentiae relative.

CAPUT I. 134

AN PRIOR SIT VEL AD PLURA SE EXTENDAT POTENTIA QUAM SCIENTIA.

Consequenter quaeritur de comparatione intentionis potentiae ad intentiones scientiae et voluntatis. Quantum ergo ad scientiam quaeritur de comparatione secundum ordinem et secundum extensionem.

I. Obicitur ergo sic: 1. Tria sunt: ens, verum, bonum: scientia respectu veri [a], voluntas respectu boni; potentia ergo erit respectu entis. Cum ergo ens primo intelligatur quam verum et bonum, intentio potentiae prius erit quam [b] intentio scientiae et voluntatis.

2. Item, omnis scientia egreditur ab aliqua potentia; ergo intentio potentiae naturaliter prior est quam intentio scientiae.

Contra: *a.* Scientia comprehendit et opera potentiae et ipsam potentiam et possibilia ipsius potentiae; sed potentia non comprehendit scibilia ipsius scientiae, quia mala sunt scibilia, nec etiam ipsa scientia est subiecta potentiae; relinquitur igitur quod intentio scientiae prior est intentione potentiae.

b. Item, Hugo de S. Victore, in *Sententiis* suis [1]: « Tria sunt: sapientia, potentia et voluntas, et ad unum effectum concurrunt: voluntas movet [c], scientia disponit, potestas operatur ». Ex quo relinquitur quod intentio voluntatis prior est intentione scientiae, intentio scientiae [d] prior intentione potentiae.

II. Item, quaeritur de comparatione secundum extensionem.

a. Et cum scientia sit bonorum et malorum, potentia nunquam sit malorum, ad plura se extendit scientia quam potentia.

b. Item, scientia se extendit ad id quod est Deus et ad ea quae operatur Deus, potentia vero solum [e] ad ea quae operatur Deus sive agit; relinquitur igitur quod ad plura se extendit scientia quam potentia [f].

Contra: 1. Scientia se extendit ad existentia [2], quia scientia [g] verorum est tantum, vera autem sunt existentia; sed potentia se extendit ad existentia et non-existentia, quae nec sunt nec fuerunt nec erunt; ad plura igitur se extendit potentia quam scientia.

2. Item, Augustinus, in libro *De agone christiano* [3]: « Dominus [h] omnipotens universae creaturae, qui fecit *omnia bona valde* [4], sic ea ordinat ut de malis et de bonis bene faciat. Quod enim iuste fit bene fit; iuste autem sunt boni beati et iuste mali poenas patiuntur; ergo de malis et de bonis bene facit Deus, quoniam omnia iuste [i] facit ». Ergo mali et boni subiecti sunt divinae potentiae et bona et mala. Si ergo ad omnia bona ad quae se extendit scientia, potest ad ipsa operanda [k] se extendere potentia, et ad quaecumque mala iudicanda se extendit scientia, potest ad ea ordinanda se extendere potentia: relinquitur quod non in plus se extendit scientia quam potentia.

3. Item, Augustinus, in *Enchiridion* [5]: « Deus omnipotens, cui rerum est summa potestas, cum summe bonus sit, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis [l], nisi usque adeo esset omnipotens et bonus ut [m] bene faceret etiam de malo ». Ergo potentia Dei se extendit ad bona et mala; non igitur ad plura se extendit scientia quam potentia [n].

Respondeo: I. Primo ad illud quod quaerit de comparatione secundum [o] ordinem, distinguendum. Potentia potest determinari secundum suam intentionem dupliciter: per actus temporales et per actus aeternos, sicut dicitur potentia ad intelligendum, potentia ad creandum. Si ergo intentio potentiae accipiatur prout recipit determinationem actuum aeternorum: sic prior est

---

[a] F *vero respectu mali* pro *r. v.* [b] F om., in L est add. mg.; F *prior* pro *prius.* [c] F *manet.* [d] F om. *i. s.* [e] L om. [f] Codd. *potentia quam scientia.* [g] F *existentiam quia existentia* pro *e. q. s.* [h] BR *Deus.* [i] F *vult.* [k] Ita BR, alii *operando.* [l] F *sic.* [m] B om. [n] Codd. *potentia quam scientia* pro *s. q. p.* [o] R *ad.*

1 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 6 (PL 176, 208).
2 Cf. Hugo de S. Vict., loc. cit., c. 9 (PL 176, 210); Aristot., *Poster.*, I, c. 2 (I, 122): « Non-ens scire non possumus ».
3 Cap. 7, n. 7 (PL 40, 294).
4 Gen. 1, 31.
5 Cap. 11 (PL 40, 236).

intentio potentiae quam scientiae, sicut posse scire prius quam [a] scire. Si vero coarctetur intentio potentiae ad actus secundum quod recipit determinationem actuum temporalium: sic prior est intentio scientiae quam potentiae, secundum quod dicit Hugo de S. Victore[1] quod « scientia disponit, potentia operatur ».

[Ad obiecta]: 1-2. Et per hoc solvuntur obiecta.

II. Ad illud quod quaerit secundo de extensione: distinguendum est [b] quod intentio potentiae accipitur communissime et communiter et stricte [c]. Est enim intentio potentiae determinata per esse et determinata per actum; unde dicimus 'Deus potest esse' et 'Deus potest agere': et hoc modo accipitur communissime. — Item, intentio potentiae determinatur ab [d] agere, secundum quod agere dicitur communiter ad actum elicere vel ad actum ordinare: et hoc modo dicitur communiter [e] potentia bonorum et malorum, sed bonorum ut eliciendo, malorum ut ordinando. — Item, potentia determinatur solum ad actum elicitum: et hoc modo intentio potentiae Dei accipitur stricte respectu bonorum quae elicit et facit. Secundum ergo quod potentia accipitur communissime, aequalis extensionis est [f] potentia et scientia; secundum vero quod [g] intentio potentiae coarctatur ad agere vel amplius ad actum elicere, amplioris extensionis erit intentio scientiae quam potentiae.

[Ad obiecta]: 1. Quod obicitur quod scientia est tantum existentium, intelligendum est quod existentia dicuntur non solum secundum quod habent esse in rerum natura, sed etiam quae habent esse in causa, et hoc vel in dispositione causae vel in potentia causae: scientia enim omnium est quae possunt esse a causa et ita omnium est quorum est potentia.

2-3. Ad reliqua patet solutio [h] [2]

135

CAPUT II.

AN PRIOR SIT VEL AD PLURA SE EXTENDAT POTENTIA QUAM VOLUNTAS.

Consequenter quaeritur de comparatione intentionis potentiae ad voluntatem et quantum ad ordinem et quantum ad extensionem.

I. Quantum ad ordinem obicitur: 1. Anselmus, in libro *Cur Deus homo*, II libro [3]: « Omnis potestas sequitur voluntatem ».

2. Item, Sap. 13,18: *Tibi subest, Domine, cum volueris, posse.*

3. Item, dicit Hugo [i], in suis *Sententiis* [4], quod « voluntas movet, scientia disponit, potentia operatur ». Ex iis relinquitur quod voluntas prior est quam scientia et potentia.

Contra: *a.* Sicut velle se habet ad posse, sic voluntas ad potentiam; sed omne velle praecedit posse; ergo omnem voluntatem praecedet potentia.

II. Item, quaeritur de ambitu sive [k] extensione.

a. Nam dicit Augustinus, in *Quaestionibus Veteris ac Novae Legis* [5]: « Omnia quidem potest Deus, sed non facit nisi quod convenit veritati eius et iustitiae », id est voluntati quae est vera et iusta; ergo in [l] plus se extendit potentia quam voluntas.

b. Item, Augustinus, in eodem [6]: « Potuit Deus cuncta simul facere, sed ratio prohibuit », « id est voluntas », sicut exponit Magister, 42 dist. I libri.

c. Item, potentia est respectu omnium possibilium, voluntas vero [m] respectu bonorum; plura autem sunt possibilia quam bona; ergo ad plura se extendit potentia quam voluntas.

Contra: 1. Quidquid Deus operatur, vult operari et quidquid potest [n] operari, vult se posse operari; ergo vult sibi esse possibilia quae sunt ei possibilia; ergo voluntas se extendit non solum ad actualia bona [o], sed etiam ad omnia Deo possibilia.

2. Item, voluntas se extendit ad esse et ad [p] agere divinum, ut cum dicitur 'Deus vult se esse, Deus vult agere'. Praeterea, voluntas dicitur respectu agere quod est aeternum, ut cum dicitur 'Deus vult intelligere', et respectu agere quod est temporale, ut cum dicitur 'vult se creare'. Non potest ergo inveniri aliquid quod determinet posse, quod etiam non determinet velle; ergo non plus se extendit voluntas quam potentia.

3. Item, Ambrosius, *In Luc.* 5,12, super illud: *Domine, si vis, potes me mundare* [7]: « Vide-

---

[a] LF om. [b] LF om. [c] V add. *et proprie.* [d] BRLF *ad.* [e] F om. [f] F *ut.* [g] V om. [h] F om. *A. r. p. s.* [i] V om. [k] VL add. *de.* [l] PVS om. [m] PVS om. [n] F *vult.* [o] B *dona.* [p] S om.

1 Cf. supra, ad litt. *b.*
2 Ex dictis ad II.
3 Cap. 10 (PL 158, 408).
4 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 6 (PL 176, 208).
5 *Quaest. ex Novo Test.*, q. 97 (inter opp. Augustini, PL 35, 2291); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 42, c. 1 (p. 259), apud quem et sequens invenitur locus.
6 *Quaest. ex utroq. mixtim*, n. 106 (inter opp. Augustini, PL 35, 2320).
7 Lib. V, n. 3 (PL 15, 1636).

tis [a] quod dubitari non potest quod voluntas Dei est potestas ». Ergo coaequalia sunt voluntas Dei et potestas.

4. Item, obicitur: cum Deus faciat multa secundum rationem misericordiae, ergo non videtur verum dicere Augustinus [1] quod « Deus non faciat nisi quod condecet veritati eius et iustitiae ».

5. Item, videtur falsum dicere, cum dicit [2]: « Cuncta potuit Deus [b] simul facere, sed ratio prohibuit », quia quod prohibet, contrariatur ei quod prohibet. Si ergo ratio prohibuit potentiam, ergo voluntas contrariatur potentiae. Item, ratio aut dicit creatum aut increatum. Non creatum: quia nullum creatum potest prohibere divinam potentiam; si increatum [c], ut videlicet divinam voluntatem: ergo voluntas contrariatur divinae potentiae.

Respondeo: I. Ad primum, quod quaeritur de ordine: dicendum [d] quod intentio potentiae accipitur duobus modis. Dicitur enim potentia potens et dicitur [e] potentia exequens, sive potentia in habitu et potentia in effectu. Loquendo de potentia potente sive de potentia in habitu, prius est intentio potentiae quam voluntatis; loquendo vero [f] de potentia exequente sive de potentia in effectu, prior est voluntas: nam voluntas est ratio executionis quae elicitur immediate a potentia.

[Ad obiecta]: 1-2-3. Ad auctoritates ergo obiectas intelligendum quod per illas non significatur quod potentia sit subiecta voluntati aut sequatur eam secundum se, cum velle sit ex posse, secundum rationem intelligentiae tamen in Deo sunt idem, sed quia executio potentiae in actum est a voluntate; ratione ergo eius in [g] quod est potentia, dicitur potentia sequi voluntatem, non ratione sui. Et haec est intentio Anselmi, in libro *Cur Deus homo* [3]: « Omnis potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico [h] 'possum loqui vel ambulare', subauditur 'si volo'; si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas ». Et per hoc patet responsio [i] ad obiecta.

II. Ad illud vero quod obicit de extensione: dicendum quod si extendantur istae intentiones secundum quod determinantur sive per esse sive per agere, et per agere secundum quod dicitur aeternum et [k] temporale, et per agere temporale secundum quod extenditur ad actum elicere et ad actum ordinare: coaequantur istae intentiones, potentia et voluntas, et circumincedunt [l 4] se. Tamen comparando absolute potentiam voluntati, sic potentia in plus est quam voluntas; secundum vero quod intelligitur potentia ordinata, quae quidem ordinatio intelligitur in ratione praeordinationis, coaequantur potentia et voluntas. Distinguitur ergo potentia absoluta [a] potentia ordinata. Potentia absoluta [m] est eorum quorum non est divina [n] praeordinatio; potentia vero ordinata est eorum quorum est divina praeordinatio, hoc est eorum quae a Deo sunt [o] praeordinata sive disposita. Et per hoc patet responsio. Hoc autem [p] amplius infra patebit, cum agetur de scientia [5].

[Ad obiecta]: 4. Ad illud vero quod obicit contra Augustinum, quod 'Deus multa facit de misericordia, non ergo de iustitia': dicendum quod iustitia dicitur dupliciter. Uno modo retributio unicuique secundum merita: et sic non omnia facit de iustitia; alio modo condecentia [q] bonitatis: et sic omnia facit de iustitia nec aliquid facit nisi quod condecet iustitiae [6].

5. Ad aliud [r] vero quod dicitur « ratio prohibuit »: dicendum quod ratio dicit principaliter divinam voluntatem, sed connotat ordinem in creatura respectu rerum fiendarum, principaliter autem ordinem meriti ad praemium et culpae ad poenam; contra autem ordinem esset, si puniret ante culpam vel praemiaret sine merito praecedenti. Quod ergo dicitur « ratio prohibuit, id est voluntas », non dicitur voluntas prohibere potentiam, sed executionem potentiae; item, nec prohibitio refertur ad principale, quod est divina voluntas, sed [s] ad connotatum.; praeterea, prohibere dicitur ibi improprie, pro eo scilicet quod est causam esse vel rationem ad hoc quod res non sit.

---

[a] V *videns.* [b] Ita F, alii om. [c] B *creatum.* [d] B om. [e] F om. [f] R om. [g] F om., in L est add. mg. [h] L om. [i] L *solutio.* [k] V *est.* [l] Ita BR, alii *circumcedunt.* [m] F om. *P. a.* [n] V *differentia.* [o] L om. [p] F om. [q] V *decentia.* [r] P *id,* L om. *vero.* [s] S *nec.*

1 Cf. supra, ad litt. *a.*
2 Cf. supra, ad litt. *b.*
3 Lib. II, c. 10 (PL 158, 408 sq.).
4 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 19, p. 1, a. un., q. 4 (I, 349a): « Circumincessio, qua dicitur quod est in alio et e converso ».
5 Cf. tractatus sequens.
6 Cf. Anselm., *Proslog.*, cc. 9-11 (PL 158, 251 sqq.).

QUAESTIO II.

DE CONDITIONIBUS DIVINAE POTENTIAE.

MEMBRUM I.

De divinae potentiae universalitate.

Postea quaeritur de conditionibus potentiae.

Et primo de conditione universalitatis, secundum quam [a] dicitur omnipotentia; de qua quaeruntur haec:

Primo, an Deo conveniat omnipotentia;
secundo, secundum quam rationem dicatur omnipotentia;
tertio, an conveniat tribus personis omnipotentia;
quarto, an propria sit Dei solius omnipotentia.

136

CAPUT I.

AN DEO CONVENIAT OMNIPOTENTIA [1].

Quantum ad primum sic obicitur: *a.* Richardus, in libro *De Trinitate* [2]: « Deus est quo maius excogitari non potest; maius autem est omnipotentiam habere quam aliquam potentiam habere cui aliquid desit de plenitudine potentiae ». Relinquitur igitur Deum omnipotentiam habere.

b. Item, ad idem, in eodem [3]: « Potens est quisque potentiae plenitudine aut ipsius participatione; est impossibile autem aliquid se ipsum participare; cum ergo Deus sit potens per se ipsum, impossibile est Deum esse [b] potentem potentiae participatione, siquidem plenitudo potentiae non est aliud quam ipse. Constat itaque eum potentem esse potentiae plenitudine; ubi autem est plenitudo potentiae, nullum 'posse' potest deesse ». Relinquitur igitur quod potentia Dei est omnipotentia.

c. Praeterea, iste est articulus primus fidei [4]: « Credo in Deum Patrem omnipotentem ».

Contra: Ponitur instantia in actibus corporalibus, in actibus [c] culpabilibus, in actibus poenalibus; nam istos actus non videtur elicere divina potentia; ergo non videtur potentia eius [d] esse omnipotentia.

I. Quaeritur igitur de actibus corporalibus: 1. Non est omnipotens qui non omnia potest; sed Deus non potest ambulare, currere et moveri; ergo non est omnipotens, vel si est omnipotens, potest haec.

2. Item, Richardus, in libro *De Trinitate* [5]: « Absque dubio colligitur quia omnia potest, quaecumque posse potentiae est ». Si ergo posse currere vel ambulare potentiae est, ergo Deus potest [e] haec.

Contra: *a.* Nihil imperfectionis vel mutabilitatis [f] est tribuendum divinae potentiae [6]. Cum ergo currere, ambulare, moveri sint imperfectionis et mutabilitatis: ergo non sunt divinae potentiae tribuenda.

II. Item, quaeritur de actibus culpabilibus.

Ad quod obicitur 1. secundum Anselmum, II *Cur Deus homo* [7], ubi obicit de Christo: « Quomodo dicemus de Christo non potuisse mentiri, quod semper peccatum est? cum dicat Iudaeis de Patre [8]: *Si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax* »; sed ipse Christus secundum quod [g] Deus et secundum quod homo potuit dicere 'non scio eum'; ergo potuit esse mendax. —

---

[a] PVS *quod*. [b] S om. [c] F om. *i. a.* [d] SLF om. [e] LF om. [f] B *immutabilitatis*, quod L corr. [g] V add. *est*.

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 42, cc. 1 et 2 (p. 259sq.).
[2] Lib. I, c. 21 (PL 196, 900).
[3] Cap. 24 (PL 196, 902).
[4] Symbol Apostolorum.
[5] Lib. I, c. 21 (PL 196, 900).
[6] Cf. Anselm., *Cur Deus homo*, I, c. 20 (PL 158, 392).
[7] Cap. 10 (PL 158, 408).
[8] Ioan. 8, 55.

Item, cum « inter haec verba dicat: *non scio eum,* quis eum dicet has easdem tres nequivisse proferre dictiones sive aliis verbis, ut sic diceret: *non scio eum?* Quod si faceret, ut ipse ait, esset mendax[1] ».

2. Item, similiter obicitur: Deus potest proferre omnes coniunctiones dictionum et syllabarum; ergo, me sedente, potest proferre 'me stare': quod est falsum et contra suum intellectum; ergo potest mentiri.

3. Item, Augustinus[2]: « Melior est natura quae peccare potest quam quae[a] non potest »; sed quod est melius, semper est Deo tribuendum; ergo attribuendum est Deo[b] peccare posse.

Contra: *a.* Dionysius, in libro *De divinis nominibus*[3], iuxta illud Apostoli ad Tim.[4]: *Deus se ipsum negare non potest:* « Sui autem ipsius negatio est casus a veritate, nam ipse est[c] veritas existens; unde a veritate casus est ab existente casus; ab existente autem cadere non potest Deus: non enim[d] potest non esse »; quare *se ipsum negare non potest;* si autem negaret, mentiretur; ergo non potest mentiri.

b. Item, secundum Dionysium[5], si diceretur 'Deus non novit nescire', non propter hoc diceretur in Deo ignorantia; ergo similiter si dicatur 'Deus non potest non posse', non propter hoc ponetur in Deo impotentia nec aliquid detrahetur omnipotentiae. Si ergo peccare est non posse, quia hoc est deficere a posse, si dicatur Deus non posse peccare, non propter hoc aliquid detrahetur omnipotentiae.

III. Item, quaeritur de actibus poenalibus.

1. Augustinus, in libro *De Symbolo*[6]: « Deus omnipotens non potest mori vel falli, non potest miser fieri, non potest vinci ». Relinquitur igitur quod Deus non potest in actus huiusmodi, qui sunt poenales.

Contra: *a.* Augustinus, in libro *De libero arbitrio*[7], distinguit malum culpae [et] malum poenae; mali culpae Deus non est auctor, sed mali poenae; ergo in divina potentia sunt huiusmodi actus.

2. Si vero[e] dicatur secundum hoc quod ista attribuuntur Deo per modum efficientis[f], sed non per modum[g] subiecti, quia potest efficere in aliis mortem, miseriam et huiusmodi, sed non potest ea suscipere[h] in se – contra: Sap. 1, 13[i]: *Deus mortem non fecit;* ergo non efficit eam[k] in aliis.

3. Item, duplex est poena: est enim poena[l] inflicta, sicut gehenna, ex divina iustitia, et est poena contracta ex culpa, sicut vulneratio et corruptio naturalium bonorum; huiusmodi corruptio non potest poni a divina potentia, quia divina potentia causa est conservativa naturae, non destructiva. Relinquitur igitur quod ad ista non se extendit divina potentia; ergo eius potentia non est omnipotentia.

Respondeo: Cum quaedam sint materialia seu passiva, quaedam inordinata, quaedam privativa — et contra materialia dicuntur formalia, sicut contra passiva activa, et contra inordinata ordinata, et contra privativa habitualia – notanda est[m] regula quod nullum materiale, nullum passivum, nullum inordinatum, nullum privativum, quia haec ponunt defectum potentiae, est per se divinae potentiae attribuendum — materiale, ut actus currendi; passivum, ut mori, vinci; privativum, ut oblivisci, falli; inordinatum, ut mentiri — sed quaecumque sunt formalia, activa, habitualia, ordinata. Dicendum ergo quod quaedam attribuuntur per se[n] potentiae Dei; quaedam vero ei non attribuuntur, sed tamen potentiae eius subiciuntur. Passiva ergo et materialia ei non attribuuntur, ut dicatur posse mori vel currere, sed potentiae eius subiciuntur, quia etsi ea non efficit in se, tamen efficit in aliis, et ideo[o] eius potentiae subiciuntur. Privativa vero et inordinata, etsi ea non efficiat in se vel in aliis, tamen eius potentiae subiciuntur, quia per eius potentiam ordinantur. Unde et de passivis dicit Richardus, in libro *De Trinitate*[8]: « Multa sunt, quae dicimus[p] posse, quae multo melius est non potuisse quam posse: ut posse deficere, posse destrui et quaelibet huiusmodi », ut scilicet posse mutari. De privativis vero et inordinatis dicit Augustinus, in libro *De praedestinatione sanctorum*[9]: « In malorum potestate est peccare; ut autem[q] peccando hoc vel illud malum faciant non est in eorum potestate, sed Dei[r] dividentis tenebras et[s] ordinantis eas ». Et iterum, in libro *De natura summi boni*[10]: « Sicut nos continendo vocem decenter interponimus in[t] loquendo silentium, quanto magis ille quarumdam rerum privationes decenter facit, sicut rerum omnium perfectus artifex! Unde et in hymno

---

[a] B add. *peccare.* [b] BR om. [c] B om., in L est add. interl. [d] Ita BR, alii *ergo.* [e] Ita BR, alii *ergo.* [f] B *deficientis.*
[g] L om. *s. n. p. m.* [h] B *accipe.* [i] L add. *dicitur.* [k] PV *ea.* [l] F om. *e. e. p.* [m] BRLF *erit.* [n] R om. *p. s.* [o] F om.
[p] F *Deus.* [q] B *in.* [r] Ita BR, alii om. [s] P add. *in.* [t] P *et.*

1 Anselm., loc. cit.
2 Cf. *De civit. Dei,* XII, c. 1, n. 3 (PL 41, 349); *De nat. boni,* c. 5 (PL 42, 553); *De lib. arbit.,* III, c. 5, n. 16 (PL 32, 1278).
3 Cap. 8, § 6 (PG 3, 894, PL 122, 1158).
4 II Tim. 2, 13.
5 Cf. loc. cit.
6 *Sermo* 214, n. 4 (PL 38, 1068); cf. Lombard., I *Sent.,* d. 42, c. 2 (p. 260).
7 Lib. I, c. 1 (PL 32, 1221).
8 Lib. I, c. 21 (PL 196, 900).
9 Cap. 16, n. 33 (PL 44, 984).
10 Cap. 16 (PL 42, 556).

trium Puerorum [1]: *Lux et tenebrae laudant Deum,* id est laudem eius in cordibus bene considerantium pariunt ».

[Ad obiecta]: I. Ad illud ergo quod quaeritur de actibus corporalibus iam patet responsio, quia, etsi Deus ista non possit in se, tamen potest ea in aliis.

II. Ad illud [a] vero quod obicit de actibus culpabilibus: dicendum quod divina potentia potest in quosdam actus eliciendo, ut in actus bonos; in quosdam vero actus ordinando, non eliciendo, ut in actus malos. Tamen secundum [b] illos qui dicunt quod omnis actio est a Deo [2], distinguendum: quia, cum [c] actus malus sit actus incidens ex defectu, duo dicuntur: actio et defectus; in quantum actio, a divina potentia; in quantum deficiens, a libero arbitrio. Quaedam autem nomina imponuntur a defectu, non ab actu [d], ut fornicari, mentiri et huiusmodi, et ideo nullo modo attribuuntur divinae potentiae elicienti, quamvis subsint ordinanti.

1. Ad illud quod obicit de [e] Anselmo, respondeo secundum ipsum, in libro *Cur Deus homo* [3]: « Potestas sequitur voluntatem. Possumus itaque dicere de Christo 'potuit mentiri'; si [f] subauditur 'si vellet'; et quoniam non potuit velle mentiri, non minus dici potest nequivisse mentiri [g] ».

2. Ad illud vero quod arguit quod 'Deus potest proferre omnes voces', dicendum quod oratio potest dupliciter considerari: secundum quod vox est et secundum quod signum est. Dicendum ergo quod potentia Dei est respectu vocis secundum esse naturae, sed non est respectu signi secundum quod est ad significandum quod non est, quia hoc [h] est inordinatio: quia actus in quantum deficit non est ab ipso [i], vel in quantum inordinationem dicit. Dicendum ergo [k] quod non valet: 'potest proferre, ergo potest mentiri', quia 'mentiri' dicit plus quam 'proferre', scilicet proferre cum inordinatione, hoc est proferre ad significandum quod non est.

3. Ad illud Augustini « melior est natura, quae peccare potest » etc., respondeo: cum dico « natura quae peccare potest », duo dicuntur, quia cum dicitur [l] « natura quae potest peccare », ponitur natura quae est domina sui actus. Quaedam enim [m] sunt naturae quae non sunt dominae sui actus [n], ut potentia calefaciendi in igne, quae non potest actum prohibere; sed natura rationalis est domina sui actus, scilicet potens ipsum prohibere et in actum producere: in hoc quod [o] ita est domina sui actus, potest peccare. Cum autem dico [p] « natura quae peccare potest », duo dico: cum enim dico 'peccare', dico actum voluntarium et inordinatum; in hoc autem quod voluntarius est iste actus, est a natura quae est domina sui actus: et quantum ad hoc dicitur « melior est natura quae peccare potest, quam quae [q] non potest ». Nam triplex est natura, scilicet natura quae non est domina sui actus, ut in [r] irrationabilibus; natura, quae est domina sui actus et potest esse inordinatus suus [s] actus, ut in homine et in angelo de natura sua; et natura quae est domina sui actus nec potest esse inordinatio. Fit ergo comparatio inter naturam quae non est domina sui actus, et naturam quae est domina sui actus [t], quae tamen potest errare, quia haec nobilior est quantum ad hoc quod domina est sui actus, non quantum ad hoc quod potest errare [u].

III. Ad illud quod quaerit de actibus poenalibus: dicendum quod quaedam corruptio quodammodo est a Deo, secundum Augustinum, *Contra epistolam fundamenti Manichaeorum* [4], in quo ostendit super [v] illud Apostoli I Cor. 3,17: *Si quis violaverit templum Dei, disperdet illum Deus,* et ponit Augustinus litteram: *Corrumpet illum Deus,* per hoc ostendens quod quaedam corruptio est a Deo. Distinguendum [x] ergo quod mors et quaelibet poena duplicem habet comparationem: uno modo habet rationem destructivi; alio modo rationem punitivi. In quantum habet rationem destructivi, non est a Deo, sed ex nihilo: Deus enim non est causa destructiva, sed constructiva. Unde Glossa super Sap. 1,13 [5]: « A Deo non est quidquid contra naturam est; peccatum contra naturam est, a quo et [y] mors et omnia quae mortis sunt oriuntur ». Mors ergo, secundum quod destructiva, non est a Deo, sed a peccato; sed [z] in quantum punitiva, est a Deo, quia sic iusta est [6].

---

[a] VSF *aliud.* [b] F om., in L est add. interl. [c] L om. [d] F *altera.* [e] BRLF *ab.* [f] PVS *sed.* [g] R om. *non minus... mentiri.* [h] VF *hec.* [i] F *ipsa.* [k] V om. [l] B *dico.* [m] R om., in B est add. interl., L *autem.* [n] F om. *quaedam enim... actus.* [o] F om. *i. h. q.* [p] F *dicit.* [q] B add. *peccare.* [r] VS om. [s] F om. [t] PVS add. *et naturam.* [u] BRL *peccare,* F om. *n. q. a. h. q. p. e.* [v] Ita BR, alii *quod.* [x] R *dicendum.* [y] V *est.* [z] F om.

[1] Dan. 3, 72.

[2] Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 35, cc. 2 et 3, et d. 39, cc. 1 et 2 (pp. 492 sqq. et 515 sq.); Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 15, c. 4 (f. 79a): « Quidam dicunt quod omnis actio mala est ab homine vel a diabolo. Alii dicunt quod omnis actio mala est a Deo. Alii dicunt quod omnis actio mala, in quantum actio, et bona est [et] a Deo est. Et quod haec ultima sit vera, probatur auctoritatibus et rationibus ». Ibid., f. 121b: « Illa glossa est generalis Gilberti, qui dixit quod omnis actio est a Deo ». Praepositi., *Summa,* I (f. 100d): « Nunc dicendum est de actionibus, utrum omnis actio, in quantum actio est, sit a Deo. Nos in hanc sententiam declinamus quod actiones malae nullo modo a Deo sunt ».

[3] Lib. II, c. 10 (PL 158, 408 sq.).

[4] Cap. 39 (PL 42, 204).

[5] Rabani, in h. l. (PL 109, 677).

[6] Cf. Augustin., *Retractat.* I, c. 21, n. 2 (PL 32, 618).

CAPUT II. 137

SECUNDUM QUID DICATUR DEUS OMNIPOTENS.

Consequenter quaeritur secundum quid dicatur omnipotens.

I. Quaeritur ergo utrum dicatur omnipotens ex hoc quod possit facere omnia.

Quod videtur *a.* per Augustinum, in libro *Quaestionum Veteris ac Novae Legis* [1]: « Omnia quidem potest Deus, sed non facit ».

Contra: 1. Augustinus, in libro *De spiritu et littera* [2]: « Omnipotens est Deus, non eo quod possit facere omnia, sed quia potest efficere quidquid vult ». Relinquitur igitur quod non dicatur omnipotens eo quod possit omnia.

2. Sed dubitatur de hoc quod dicit quod « Deus non possit facere omnia »: ex hoc enim relinquitur [a] quod Deus non possit omnia. Aut ergo hoc quod dicit « omnia » distribuit pro bonis tantum: et tunc [b] ex hoc sequitur quod non omnia bona potest, quod [c] est falsum; aut distribuit pro bonis et malis [3], et etiam ex hoc arguitur: ergo aliquid est [d] quod Deus non potest, quod iterum est manifestum inconveniens.

II. Item, quaeritur an dicatur omnipotens quia possit quidquid vult.

Ad quod *a.* Augustinus, in *Enchiridion* [4]: « Non ob [e] aliud vocatur omnipotens, nisi [f] quia quidquid vult, potest; nec voluntate cuiuspiam creaturae voluntatis omnipotentis impeditur effectus ».

Contra: 1. Si « non ob [g] aliud dicitur omnipotens, nisi quia [h] quidquid vult, potest », sed non vult nisi bona actualiter vel aliquando existentia; ergo non potest nisi ea.

2. Item, si « non dicitur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest »: ergo cum angeli et beatae animae possint quidquid volunt [5], quia omnia eis optata succedunt — quia aliter non essent beati: nihil enim volunt quod non possunt — ergo dicentur omnipotentes [i]; quod est falsum. Relinquitur igitur quod Deus non dicetur omnipotens eo quod possit omnia, nec etiam eo quod possit quidquid vult.

3. Item, si dicatur omnipotens secundum Augustinum [6], quia « quidquid vult, potest, nec voluntate alicuius impeditur eius effectus »: ad hoc est quod dicit Ioannes Chrysostomus, in homilia quadam *De expositione Symboli* [7]: « Omnipotens dicitur [k], quia posse illius non potest invenire non-posse, dicente Propheta [8]: *Omnia, quaecumque voluit Dominus, fecit* »; unde Rom. 9,19: *Voluntati eius quis resistet?* — contra: ergo, cum similis ratio sit ex parte voluntatis, quia scilicet omnia vult, quaecumque vult, nec voluntatis [l] eius impeditur effectus: ergo dicetur omnivolens. — Quod autem voluntatis eius non impediatur effectus, patet per Apostolum, Rom. 9,19: *Voluntati eius quis resistet?* Unde Augustinus, in *Enchiridion* [9], loquens de peccatoribus dicit: « Quantum ad ipsos attinet, quod Deus noluit [m], fecerunt; quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt: hoc quippe quod contra voluntatem eius fecerunt, de ipsis facta est voluntas Dei ». Item, Augustinus, *De praedestinatione sanctorum* [10]: « In [n] hoc quod mali faciunt contra voluntatem Dei non impletur nisi [o] voluntas Dei ». Ergo secundum hanc rationem dicetur omnivolens sicut et omnipotens.

III. Item, iuxta hoc quaeritur quare non dicitur omnivolens sicut et omnipotens et omnisciens [11].

Ad quod *a.* quidam dixerunt quod [p] voluntas non dicitur respectu omnium, scientia vero et potentia dicuntur respectu omnium.

Sed contra hoc est: 1. Sicut voluntas Dei determinatur ad bona tantum, ita et potentia deter-

---

[a] Ita LF, alii *relinquit*, F om. *enim*. [b] F om. *e. t.* [c] F *hoc*, B om. *bona*. [d] L om. [e] V *ad*. [f] F om. [g] V *ad*. [h] F om. [i] LF *omnipotens*. [k] V (corr. mg.) *dicit*. [l] S *voluntati*. [m] Ita BR, alii *voluit*. [n] L *et*. [o] F om. [p] B add. *cum*.

[1] Quaest. 97 (int. opp. Augustini, PL 35, 2291).

[2] Erui quidem potest ex huius libri c. 1 (PL 44, 234), rectius tamen videtur citandum *De civit. Dei*, XXI, c. 7, n. 1 (PL 41, 719) et *Enchir.*, c. 96 (PL 40, 276), sed in utroque loco desunt verba « non eo quod possit facere omnia ». Iste locus, ut iacet, desumitur ex libro *De spiritu et littera*, apud Abael., *Introd.*, III, c. 4 et *Sic et Non*, c. 32 (PL 178, 1093, 1394), Pseudo-Hugon. de S. Vict., *Summa Sent.*, tr. 1, c. 14 (PL 176, 68) et Lombard., I *Sent.*, d. 42, c. 3 (p. 261); cf. Praepositi., *Summa*, I (f. 75a).

[3] Cf. Lombard., loc. cit. (p. 262).

[4] Cap. 96 (PL 40, 276); cf. Lombard., loc. cit. (p. 261).

[5] Cf. Lombard., loc. cit. (p. 262).

[6] Loc. cit., ad litt. *a.*

[7] Non invenitur apud Migne, sed in antiqua editione Veneta apud Iuntas 1583, V, f. 150d. Cf. Abael., *Introd.*, III, c. 4 et *Sic et Non*, c. 32 (PL 178, 1093, 1393); Lombard., I *Sent.*, d. 42, c. 3 (p. 261).

[8] Psalm. 113, 3.

[9] Cap. 100 (PL 40, 279).

[10] Cap. 16, n. 33 (PL 44, 984).

[11] Cf. S. Bonav., I *Sent.* d. 45, a. 1, q. 2 (I, 800 sqq.).

minatur tantum ad bona, quamvis ipsa scientia determinetur ad bona et mala. Si ergo propter hoc quia [a] voluntas est tantum bonorum non dicitur omnivolens, cum similiter potentia sit tantum bonorum, non dicetur omnipotens.

b. Ideo fuerunt alii, qui dixerunt quod dicitur omnipotens et non omnivolens, eo quod potentia Dei se extendit ad bona et mala, sed ad bona elicienda, ad mala ordinanda. Quod confirmant auctoritate Augustini, *Super Psalmum* [1]: « Non vult Deus ut peccet homo quilibet; si autem peccaverit, poenitenti vult parcere ut vivat, in peccatis vero perseverantem punire ut iustitiae [b] potentiam contumax non evadat ». Ex hoc ergo adstruunt quia, cum potentiae Dei sint subiecta bona et mala, voluntati autem non sint subiecta nisi bona, non dicetur omnivolens.

Contra: 1. Augustinus, in *Enchiridion* [2]: « Non fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat », sicut malum, « vel faciendo », sicut bonum. Ex hoc relinquitur quod voluntati sint subiecta bona et mala; ergo et dicetur omnivolens, sicut et omnipotens.

2. Item, Augustinus, in *Enchiridion* [3]: « Voluntas Dei bipartita est, approbans respectu bonorum, permittens respectu malorum ».

3. Item si dicatur quod est voluntas beneplaciti et est voluntas signi [4]: voluntas signi est voluntas permittens, et hoc dicitur respectu malorum, voluntas vero beneplaciti respectu bonorum; propter hoc ergo, quia voluntas Dei, quae est beneplaciti, est respectu bonorum tantum, non dicetur omnivolens, quamvis [c] voluntas signi sit respectu bonorum et malorum – contra: sicut beneplacitum Dei est respectu bonorum faciendorum, ita est respectu ordinis malorum, cum ordo malorum sit bonus; est igitur voluntas beneplaciti et respectu bonorum faciendorum [d] et malorum ordinandorum, sicut et potentia; ergo sicut dicetur omnipotens, dicetur omnivolens.

Respondeo: Omnipotens dicitur, quia omnia possibilia potest quae posse potentiae [e] [5] est et quia omnino [f] potest, ut in hac ratione tangatur perfectio potentiae divinae quantum ad illa ad [g] quae est et quantum ad illud cuius est. Per hoc quod dicitur 'posse omnia possibilia quae posse potentiae est', tangitur perfectio potentiae quantum ad illa ad quae est; unde dicit [h] Richardus, in libro *De Trinitate* [6]: « Omnipotens dicitur, quia potest quaecumque posse potentiae est »; et hoc etiam dicitur I *Sententiarum*, dist. 42 [7]. Per hoc vero [i] quod dicitur quia 'omnino [k] potest', ostenditur perfectio potentiae quantum ad illud cuius est, in quo excluduntur tria: coactio, impedimentum, indigentia. Omnino [l] ergo potest, quia non potest cogi nec potest impediri nec indiget adiutorio [m] instrumenti vel materiae subiectae. Quia nec [n] cogi nec pati potest, dicit Augustinus [8] quod ob hoc dicitur « omnipotens, quia quidquid vult potest »; voluntas autem eius cogi non potest. Quia vero non potest impediri [o], dicit Augustinus, in *Enchiridion* [9]: « Omnipotens dicitur, quia voluntatis eius non impeditur effectus ». De iis duobus Hugo de S. Victore, in *Sententiis* suis [10]: « Potestas Dei duplex est: alia ad aliquid faciendum, alia ad nihil patiendum. Secundum utramque Deus omnipotens verissime affirmatur, quia nec aliquid est quod ei ad patiendum corruptionem possit [p] inferre, nec ad [q] aliquid faciendum impedimentum afferre ». Item, quia non indiget subiecta materia, dicit Augustinus, in libro *De Symbolo* [11]: « Omnipotentem Deum dicimus, quia credimus quod omnia [r] faciens, factus non est, et ideo omnipotens, quia [s] de nihilo fecit quaecumque fecit: hoc est enim esse omnipotentem ut non solum mundi fabrica, sed etiam ipsa materia ab ipso [esse] inveniatur [t] ». Ex hoc ergo patet plena ratio omnipotentiae, quae est in hoc quod omnia [u] possibilia potest, quaecumque posse potentiae est, et quia omnino [v] potest, hoc est sine coactione seu passione, sine [x] impedimento, sine [y] indigentia materiae.

[Ad obiecta]: I. 1. Ad illud ergo quod primo obicit, an ratio omnipotentiae sit eo quod possit omnia, patet quod nonnisi cum determinatione, scilicet posse omnia quae posse potentiae est. Et hoc intendit Augustinus, cum dicit, in libro *De spiritu et littera* [12]: « Non dicitur omnipotens eo quod possit facere omnia ».

---

[a] L *quod.* [b] LF *iuste.* [c] F *quia.* [d] F om. *ita est... faciendorum.* [e] V *potentia.* [f] PV *omnia.* [g] S om. [h] F om. [i] Ita BR, alii *ergo*; L om. *quod.* [k] PVSB *omnia*, L *omni*; S om. *quia.* [l] B *omnia.* [m] BR *adiutore.* [n] BRLF om. [o] S om. *quia vero... impediri.* [p] R om. [q] PVS om. [r] S *omnino.* [s] F om. [t] Ita BR, alii *inveniuntur.* [u] F *omnipotentia.* [v] L *omni.* [x] BRF *sive.* [y] PBF *sive.*

[1] *Enarr. in Psalm.* 110, n. 2 (PL 37, 1464); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 47, c. 1 (p. 287).

[2] Cap. 95 (PL 40, 276).

[3] Cf. loc. cit., ad sensum.

[4] Cf. Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 4, cc. 2-4 (PL 176, 235 sqq.); Lombard., I *Sent.*, d. 45, c. 7 (p. 277); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 12, q. 1 (f. 28c sqq.).

[5] Cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 54 (PL 210, 647); Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 22 (PL 176, 214); Lombard., I *Sent.*, d. 42, c. 2 (p. 260); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 11, q. 1 (f. 26b); Praeposit., *Summa*, I (f. 74b).

[6] Lib. I, c. 21 (PL 196, 900). [7] Loc. cit.

[8] *Enchirid.*, c. 96 (PL 40, 276).

[9] Loc. cit.

[10] *De sacram. christ. fid.*; I, p. 2, c. 22 (PL 176, 214).

[11] Quodvultdeus, *De Symb. ad catech.*, c. 3 (PL 40, 640).

[12] Verbotenus ex Abael., cf. supra, p. 211, nota 2.

2. Ad illud vero quod quaesitum est[a], pro quo distribuat ly[b] 'omnia': dicendum quod pro bonis et non pro[c] malis. — Et si ulterius arguat[d]: 'ergo aliquid est quod Deus non potest', 'ergo[e] contradicit ei quod dicit Augustinus, in libro *Quaestionum Veteris ac Novae Legis* [1], quod « Deus omnia potest' »: dicendum[f] quod, cum dicitur « omnia potest Deus », fit tantum distributio pro iis quae quid[g] sunt vel pro iis quae qualia sunt secundum positionem[h]: et ideo in hac distributione non comprehenduntur mala. Cum vero dicitur quod « omnipotens est, non eo quod possit facere omnia », fit distributio generaliter pro iis quae sunt secundum positionem et secundum privationem, hoc est pro bonis et malis.

II. Ad secundum vero quod quaerit an dicatur omnipotens quia potest quidquid vult: dico quod sic; sed hoc[i] non est tota ratio omnipotentiae, sicut dictum est [2].

1. Ad illud ergo quod obicit[k] ex hoc quod dicit Augustinus « quoniam quidquid vult potest »: dicendum, sicut dicitur in *Sententiis* [3], quoniam Augustinus « non negat quin possit ea etiam[l] quae non vult, sed adversus illos qui dicebant Deum multa velle quae non poterat, affirmat eum posse quidquid vult, et ex eo vere dici omnipotentem, non ob aliud, nisi quia potest quidquid vult ».

2. Ad illud[m] quod obicit de angelo et animabus beatis, dicendum quod haec est duplex[n]: 'angelus vel anima beata potest quidquid vult', quia potest esse sensus: 'quidquid ultro a se fieri potest', et hoc modo verum est; vel: 'quidquid a se fieri vel ab alio potest', et hoc modo falsum est; nam angelus et anima beata vult salutem electorum, quam tamen[o] facere non potest. Solus ergo Deus potest quidquid vult a se [4] vel ab alio fieri, et ob hoc dicitur omnipotens.

3. Ad tertium quod quaerit, utrum ratio omnipotentiae sit quia « potest quidquid vult et non potest eius impediri effectus »: concedo[p] quod sic, sed per hoc non explicatur tota ratio omnipotentiae, sicut dictum est [5].

III. Ad illud vero quod obicit[q] 'quare non dicitur omnivolens sicut omnipotens', brevis potest dari[r] responsio: quia non omne voluntabile vult, nec etiam omnino, hoc est cum effectu; omne enim bonum possibile Deo est voluntabile, non tamen omne bonum possibile vult omnino, hoc est cum effectu. Propterea[s] non dicetur omnivolens, quemadmodum omnipotens vel omnisciens: omnipotens enim dicitur, quia omne possibile potest et omnino potest, id est perfecte; omnisciens, quia omne scibile scit et omnino scit, id est perfecte.

CAPUT III. 138

UTRUM OMNIPOTENTIA CONVENIAT TRIBUS PERSONIS.

Postea quaeritur utrum omnipotentia conveniat tribus personis vel sit appropriabilis alicui personae, sicut sapientia et voluntas [6].

Ad quod sic: 1. Posse generare pertinet ad potentiam, quia posse generare est posse; si ergo non convenit Filio, ergo non convenit ei omnipotentia. Similiter potentia spirandi pertinet ad perfectam potentiam, quia posse spirare non est non[t] posse; sed Spiritus Sanctus non habet active potentiam spirandi; ergo Spiritus Sanctus non habet[u] omnipotentiam.

2. Si dicatur quod posse generare non est simpliciter posse quid, sed posse ad aliquid, unde non continetur sub omnipotentia – contra: Ephes. 3,15: *Ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur,* per hoc innuit quod paternitas per prius est in divinis et per posterius in inferioribus. Si ergo in[v] inferioribus posse generare est posse[x] simpliciter: ergo multo[y] magis in divinis posse generare est posse simpliciter; et non convenit Filio; ergo aliqua potentia, quae est potentia simpliciter, non conveniet Filio. — Item, cum homo generat hominem, non transfundit nisi quamdam partem substantiae suae, quia est generatio per decisionem; sed in generatione divina non est decisio partis substantiae, sed totum quod habet Pater dat Filio; ergo generare in Deo[z] magis refertur ad posse quam in homine; ergo si non convenit Filio, non debet dici omnipotens. — Eodem modo obicitur de Spiritu Sancto respectu eius quod est spirare, et ita solus Pater dicetur omnipotens.

---

[a] BR *querit* pro *q. c.* [b] BRLF om. [c] Ita R add. interl., alii om. *n. p.* [d] F *arguatur.* [e] Ita F, alii *quia.* [f] B om. [g] V *qui.* [h] F *potentium.* [i] F om. [k] R om. *sed hoc non... obicit.* [l] F *in ea* pro *e. e.* [m] P *id.* [n] P *dupliciter.* [o] V om. [p] F *concedendum est.* [q] PVS *obicitur.* [r] PVS *est* pro *p. d.* [s] V *preterea.* [t] L *est* pro *n. e. n.* [u] P add. *scilicet.* [v] SR om. [x] L add. *aliquid;* F om. *Si ergo... simpliciter.* [y] R om. [z] F *domo.*

1 Cf. supra, p. 211, nota 1.
2 Cf. supra, sub *Respondeo.*
3 Lombard., I *Sent.*, d. 42, c. 3 (p. 262).
4 Cf. Lombard., loc. cit.
5 Cf. supra, sub *Respondeo.*
6 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 20, a. 1, q. 1 (I, 368 sqq.).

Contra: *a.* Probat Augustinus[1] Spiritum Sanctum esse omnipotentem, sic: Sap. 1,7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* etc. *et hoc quod continet omnia* [a] etc.; sed hoc non potest esse nisi omnipotentis, scilicet continere omnia etc.; ergo Spiritus Sanctus est omnipotens.

b. Et hoc probat de Filio per auctoritatem Ioan. 5,19: *Quaecumque Pater facit, haec et Filius facit* etc. — Item, Apoc. 1,8 dicitur de Filio: *Ego sum alpha et omega, principium et finis, qui est, qui erat et qui venturus est, omnipotens.* — Item, Augustinus, in libro *De Symbolo*[2]: « Qui Filium negabit Deum omnipotentem, et Patrem negabit omnipotentem ». Ex quo relinquitur quod Filius sit omnipotens sicut et Pater.

Solutio: Dicendum quod omnipotentia convenit toti Trinitati: unde omnipotentia convenit Patri et Filio et Spiritui Sancto. Et hoc patet per rationem Augustini, in libro *De Symbolo*[3]: « Ideo omnipotens dicitur, quia de nihilo fecit quaecumque fecit. Non enim aliqua materies eum iuvit [b], ex qua demonstraret artis suae potentiam, sed ex nihilo cuncta creavit: hoc enim est esse omnipotentem ut non solum fabrica mundi, sed etiam ipsa materia [c] de nihilo fieret ». Vult ergo dicere quod omnipotentia, secundum quod sic est, includit in se de nihilo facere secundum summam rationem; unde haec est ratio omnipotentiae per quam determinatur, scilicet de nihilo aliquid facere et deducere [d] de nihilo omnia ad esse. Sed ante istud quod est de 'nihilo omnia facere' est illud quod est 'de substantia sua Filium producere'. Cum ergo producere de substantia sua, sicut generare et spirare, antecedit facere, quia ab aeterno Pater generat Filium et Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum, non tamen ab aeterno fecit omnia de nihilo; ergo generare et spirare non continentur sub omnipotentia secundum suam propriam rationem, nisi secundum quod dicitur omnipotentia in Patre: unde non pertinent ad omnipotentiam simpliciter nisi ad omnipotentiam in Patre [e]; et ita licet Filius et Spiritus Sanctus non generent, nihilominus sunt omnipotentes, quia possunt res de nihilo facere, quae est summa et propriissima ratio omnipotentiae. Si tamen approprietur omnipotentia quantum ad hoc quod est ab aeterno ab aliquo producere et producere de nihilo: sic appropriatur Patri secundum illam primam rationem per quam determinatur omnipotentia.

[Ad obiecta]: 1. Cum autem dicitur[4] 'Pater habet potentiam [f] generandi', duo dicuntur de Patre, scilicet quod Pater habeat potentiam et quod habeat relationem, scilicet generationem; unde sensus est: 'Pater est potens [g] et est genitor'. Cum vero dicitur[5] quod 'Filio non convenit', vel quod 'Filius non habeat potentiam generandi': hoc verum est, non quia non habeat potentiam eamdem etiam quam habet Pater, sed quia non habet generare: non est in Filio potentia ut generet. Sed si arguat ulterius: 'ergo aliqua potentia est in Patre, quae non est in Filio', mutatio est praedicamenti; mutatur enim 'quid' in 'ad [h] aliquid'. Quidam[6] tamen dicunt quod, cum dicitur 'potentia generandi', virtute determinationis trahitur [i] a propria ratione, ut scilicet [k] dicat notionem, scilicet paternitatem, et tunc patet quoniam mutatio est praedicamenti: 'Filius non habet potentiam generandi, nec Spiritus Sanctus, ergo non habent omnipotentiam [l]'; nam posse generare non est posse 'quid', sed 'ad aliquid'[7].

2. Ad illud quod obicitur [m] quod 'generare in Deo sit simpliciter posse': dicendum quod dissimiliter est generare in Deo et in homine, quia in divinis ipsum generare est de tota substantia, non de parte; et propter hoc in divinis est eadem substantia. In homine autem non sic est: non enim fit generatio de tota substantia, sed per decisionem de parte; unde ibi non est omnino eadem substantia patris et filii, licet eadem sit forma specifica; et propter hoc in generatione, qua homo [n] generat hominem, multiplicatur substantia et relatio. Et ideo in homine est generare posse 'quid' et 'ad aliquid': posse 'quid' dicitur [o] propter multiplicationem substantiae; posse 'ad aliquid' propter multiplicationem relationis. In divinis autem in generatione non multiplicatur substantia, sed sola relatio: et propter hoc posse generare in divinis non est posse 'quid', sed posse 'ad aliquid'[8]. Et propter hoc est mutatio praedicamenti in praedicto argumento; quod tamen non esset, si fieret de [p] generatione quae est hominis ex [q] homine.

---

[a] L add. *scientiam.* [b] V *innuit.* [c] PVS add. *mundi.* [d] VSBLF *ducere.* [e] F om. *unde non... Patre.* [f] S *omnipotentiam.* [g] B *omnipotens.* [h] BRL om., in S est add. interl. [i] S *detrahitur.* [k] F *si.* [l] S *potentiam.* [m] BF *obicit.* [n] V *non.* [o] F add. *tamen.* [p] V om. [q] PVS *de.*

1 *De divers. quaest. ad Simplic.*, II, q. 1, n. 5 (PL 40, 133); cf. Fulgent., *Epist.* 8, c. 8 (PL 65, 368).

2 Quodvultdeus, *De Symbolo ad catech.*, c. 3, n. 7 (PL 40, 640).

3 Loc. cit., n. 6 (PL 40, 640).

4 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 7, c. 2 (p. 56); Praeposit., *Summa*, I (f. 73c).

5 Cf. Augustin., *Contra Maximin.*, II, c. 12, n. 3 (PL 42, 768).

6 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 3 (f. 17a).

7 Cf. Praeposit., loc. cit. (f. 73d): « Nota hic tres propositiones: 'Pater potentia potest generare': haec tantum vera. 'Pater potest generare potentia': haec tantum falsa. 'Pater potest potentia generare': haec dubia est. Si enim hoc vocabulum 'potentia' determinet hoc verbum 'potest', vera est; si determinet hoc verbum 'generare', falsa ».

8 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 7, c. 1 (p. 54).

Sed iuxta hoc quaeritur de quadam auctoritate Augustini praedicta[1]: « Si Filium negaveris omnipotentem, et Patrem negabis omnipotentem »; unde[a] est ergo quod Iudaei et pagani concedunt Patrem omnipotentem[b], Filium tamen negant omnipotentem[2]?

Ad hoc dicendum quod contingit loqui de Patre duobus modis: vel[c] de Patre ut est Pater[d], vel de Patre ut est innascibilis. Concedunt ergo de Patre ipsum esse omnipotentem, ut est innascibilis et ingenitus: et hoc modo non habet relationem ad Filium; sed Pater ut Pater[e] habet relationem ad Filium: et propter hoc[f], si concederent Patrem ut Patrem esse omnipotentem, oporteret quod concederent Filium, qui est[g] eiusdem essentiae, esse omnipotentem, cum potentia ad essentiam referatur, non tamen generare, quia generare non refertur ad essentiam, sed ad personam[3]. Et sic loquitur Augustinus, cum dicit: « Si Filium negaveris omnipotentem, et Patrem negabis omnipotentem »: verum est in quantum Pater, non in quantum ingenitus vel innascibilis.

CAPUT IV. 139

AN PROPRIA SIT SOLIUS DEI OMNIPOTENTIA.

Quarto quaeritur an propria[h] sit solius Dei omnipotentia. Quaeritur ergo utrum Christo sit data potentia faciendi omnia sive creandi[4].

1. Et cum dicatur, Ioan. 3,34, quod non est ei datus spiritus *ad mensuram:* ergo data est ei[i] gratia non[k] mensurata; ergo cum gratia sit ad cognoscendum et ad operandum, ergo sicut per gratiam immensam sive non mensuratam habuit scientiam omnium, ita per gratiam operandi immensam poterit[l] operari omnia.

2. Item, anima rationalis est imago Trinitatis per naturam[5]; sed imago Trinitatis attenditur quantum ad potentiam, scientiam et voluntatem; ergo sicut per naturam anima est capax divinae scientiae, ita et potentiae; ergo sicut anima Christi naturali potentia potuit capere omnium scientiam, ita et omnipotentiam.

3. Item, cum sint tria[6], potentia, scientia et voluntas: potentia non ponit scientiam, nec scientia voluntatem, sed e converso scientia ponit potentiam et voluntas scientiam, ita quod consequitur necessario: 'si voluntas est, scientia est[m], et si scientia est, potentia est': non enim est scientia nisi a potentia sciendi. Ex hoc ergo relinquitur quod natura, quae est capax voluntatis et scientiae Dei, erit capax potentiae eiusdem.

4. Item, omnis scientia practica alicuius operis est causa effectiva vel exemplar illius operis. Cum ergo scientia omnium comprehendat scientiam speculativam et practicam et in Christo sit omnis scientia, erit igitur in Christo scientia[n] practica; ergo erit causa effectiva vel exemplaris omnium; si ergo scientiam huiusmodi consequitur potentia[o] activa, erit in anima Christi potentia faciendi omnia. — Item, artifex naturalis non solum confert alii scientiam speculativam sui operis, sed etiam activam; ergo cum Artifex summus contulerit Christo homini omnium scientiam[p][7], relinquitur quod non dedit solum scientiam speculativam, sed etiam activam[q]; ergo et per consequens omnipotentiam: frustra enim esset activa scientia nisi esset potentia ad actum.

5. Item, si diceretur quod non potest esse omnipotentia creaturae propter hoc quia est infinita — ergo similiter nec omniscientia[r], cum sit infinita et maioris extensionis quam potentia Dei: ad quaecumque enim se extendit potentia, et scientia; sed non convertitur, quia scientia se extendit ad bona et[s] mala, entia et non-entia, potentia vero non se extendit ad mala; magis igitur est[t] capax potentiae[u], cum sit minoris extensionis, quam scientiae.

6. Item, Col. 1,20: *Reconciliavit omnia.* Glossa[8]: « Omnia potest per se, ut nihil exceptum sit quod per eum praestari non possit »; et loqui-

---

[a] PV *non de.* [b] F om. *unde est... omnipotentem.* [c] PVS om. [d] LF om. *vel de... Pater.* [e] PVS add. *non.* [f] V om. [g] V om. [h] F om. [i] P om. *est,* BRLF om. *e. e.* [k] PV add. *ad,* quod S exp.; F om. *cum.* [l] PVS *potuit.* [m] L om. [n] V om. [o] F *scientia.* [p] PVSF *omniscientiam.* [q] V om. *ergo cum... activam.* [r] Ita V, alii *scientiam.* [s] F add. *ad.* [t] B *erit.* [u] F *potentia.*

[1] Cf. supra, ad litt. *b.*

[2] Cf. Augustin., *Sermo* 250, c. 2 (PL 38, 1131): « Non dico 'da mihi Christianum, da mihi Iudaeum' sed 'da mihi paganum, idolorum cultorem, daemonum servum', qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest ».

[3] Cf. supra, p. 214, *ad 1* et *2.*

[4] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 43, dub. 6 (I, 761); III *Sent.*, d. 14, a. 3, q. 3 (III, 323 sqq.).

[5] Cf. Augustin., *De Trinit.*, X, cc. 10 et 11 (PL 42, 982); Pseudo-Augustin., *De spiritu et anima,* c. 6 (PL 40, 783).

[6] Cf. Rich. de S. Victore, *De Trinit.*, VI, c 15 (PL 196, 979 sq.).

[7] Cf. *Glossa ordin., In Ioan.* 3, 34 (PL 114, 370), ex Beda, in h. l. (PL 92, 678), qui sumpsit ex Augustino, *In Ioan.*, tr. 15, n. 10 (PL 35, 1508).

[8] *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 610), Lombardi, in h. l. (PL 192, 264), ex Ambrosio, in h. l. (PL 17, 424).

tur de Christo. Ergo et Christus potest omnia facere, etiam secundum quod homo, quia sic [a] loquitur de ipso Glossa; sed Christus secundum quod homo est creatura; ergo omnipotentia convenit creaturae.

7. Item, Col. 1,22: *Nunc* [b] *autem reconciliavit.* Glossa [1]: « Si mortalis et mortuus potuit reconciliare, iam [c] immortalis potest omnia facere »; sed ' mortalis ' et ' immortalis ' non [d] attribuuntur Christo nisi [e] ratione humanae naturae, quia ratione [f] divinae naturae est aeternaliter immortalis et non iam; ergo Christo, secundum quod homo, convenit omnipotentia.

8. Item, Matth. ultimo, 18: *Data est mihi omnis potestas* etc.; et loquitur ibi [g] Christus de se secundum quod homo, quia, secundum quod Filius Dei, habet hoc ex generatione aeterna, secundum quod homo, habet hoc [h] ex dono, quia datum dicit ex tempore; ergo Christus secundum quod homo habuit omnipotentiam [i].

9. Item, Marc. 9,22: *Omnia possibilia sunt credenti,* et Matth. 17,19: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, omnia possibilia erunt vobis.* Ergo non tantum Christo, sed etiam aliis ratione fidei communicatur omnipotentia.

Contra: *a.* Omnis potentia, cuius est susceptibilis creatura, consequitur esse creaturae. Si ergo potentia faciendi vel creandi omnia non consequitur esse creaturae, non est susceptibilis a creatura; ergo nec ab anima Christi.

b. Item, nihil potest sui ipsius esse principium [2]. Ergo, cum omnipotentia sit animae Christi et omnium principium, ergo nec anima Christi nec aliquid omnium potest habere omnipotentiam.

c. Item, nulla potentia entis creati transcendit ens. Cum ergo potentia creandi transcendat ens, quia est operativa de non-ente simpliciter ens et de nihilo aliquid: ergo nulla potentia [k] entis creati potest esse potentia creandi; ergo nec per consequens omnipotentia; ergo anima Christi non habuit nec habere potuit omnipotentiam.

Respondeo: Dico quod omnipotentia potest dici prout includit potentiam creandi omnes res de nihilo: et haec potentia omnia antecedit, quia omnia ab ipso; et haec potentia non potest convenire [l] creaturae, quia sic creatura esset a se et antecederet eius potentia suam essentiam. — Alio modo potest dici omnipotentia potentia [m] faciendi naturalia omnia et miracula [n], et hoc modo accipitur aliquando [o] in Scriptura [3]; sed haec non est omnipotentia secundum quod in prima ratione attribuitur Deo: et hoc modo omnipotentia convenit Christo homini. Sic igitur creaturae non convenit omnipotentia secundum quod in prima ratione attribuitur Deo, scilicet secundum primam rationem et principalem [4].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod ' data est ei [p] gratia sine mensura ad cognoscendum et operandum [q] ', secundum possibilitatem naturae cognoscentis et operantis: data est gratia sine mensura ad omnia cognoscibilia creaturae et ad omnia operabilia creaturae. Tamen omnia simpliciter sunt cognoscibilia creaturae [r] rationali, non tamen operabilia [s], propterea non sequitur quod sicut per gratiam habuit omniscientiam, quod propter hoc omnipotentiam.

2. Ad [t] secundum dicendum quod scientia non ponit causalitatem vel principium rerum, sed solum ponit similitudinem ad res omnes. Et ideo, cum « anima », sicut dicit Augustinus [5], « ad [u] similitudinem totius sapientiae facta », omnium sit similitudo in potentia per intellectum, scientia autem nihil aliud est quam assimilatio intellectus ad rem [6], ergo anima per naturam capax est omniscientiae. Omnipotentia vero ponit causalitatem et principium rerum omnium, quod nullo modo potest convenire [v] habenti principium: talis autem est omnis creatura et rationalis anima; ex quo evidens [x] est quod nullo modo est capax omnipotentiae.

3. Ad tertium dicendum quod potentia dicitur dupliciter [7]: uno modo dicitur potentia respectu actus interioris, secundum quod dicitur potentia cognoscendi vel volendi; alio modo dicitur potentia respectu actus exterioris, secundum quod dicitur potentia operandi. Primo modo dicta potentia consequitur [y] ad scientiam, secundo modo non; sequitur enim: ' si scientia est, potentia cognoscendi est ', sed non sequitur: ' si scientia est, potentia operandi est '. Illo ergo modo, quo potentia consequitur [z] ad scientiam, est potentia ad omnia, sicut et scientia; sed haec non est potentia operandi, sed cognoscendi omnia.

4. Ad quartum dicendum quod scientia practica duobus modis habetur. Habetur enim scientia

---

[a] PF *sicut,* quod V corr. [b] Ita L, alii *sic.* [c] BR om. [d] LF *nunc.* [e] Ita V add. mg., alii om. [f] L *omnia,* F om.; BR exp. *est.* [g] LF om. [h] Ita BR, alii *et.* [i] Ita P, alii transponunt haec duo argumenta ita ut primum occurrat *Item Matth.* (n. 8) etc., deinde *Item Col.* (n. 7). [k] F om. [l] L *communicare.* [m] PV om., in S est add. marg. [n] L *mirabilia.* [o] V om. [p] Ita BR, alii om. [q] LF om. *Ad primum... operandum.* [r] F om. *et ad omnia... creaturae.* [s] L *comparabilia.* [t] L *Item ad.* [u] V *in.* [v] L *communicare* [x] V *eiusdem.* [y] R add. interl. *in argumento.* [z] PVSF *sequitur.*

[1] *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 611), Lombardi, in h. l. (PL 192, 266).

[2] Cf. Augustin., *De Trinit.*, I, c. 1, n. 1 (PL 42, 820): « Nulla omnino est res, quae se ipsam gignat ut sit »; Aristot., *De anima,* II, c. 4 (III, 450): « Nihil se ipsum generat »; *Metaph.*, III, c. 5 (II, 510).

[3] Cf. supra, n. 9.

[4] Cf. supra, p. 214, *Solutio.*

[5] Pseudo-Augustin., *De spiritu et anima,* c. 6 (PL 40, 783), ex Isaac de Stella, *De anima* (PL 194, 1886).

[6] Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 8 (III, 470).

[7] Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 12 (III, 524).

practica practice et habetur scientia practica speculative [1]. Practice secundum quod refertur ad opus sive ad executionem [a] operis; speculative vero, cum non refertur ad executionem operis [b], sed ad contemplationem operis. Secundum hunc ergo modum dicendum quod anima Christi habuit scientiam practicam omnium speculative, non practice; et ita scientia omnium practica, quae fuit in Deo practice, scilicet ad operis executionem, fuit in Christo speculative, scilicet [c] ad contemplationem operis; et hoc modo summus Artifex omnium dedit scientiam practicam omnium [d] Christo homini. Ad scientiam ergo dictam hoc modo non sequitur omnipotentia, sed ad scientiam [e] alio modo dictam.

5. Ad quintum dicendum quod quidquid est creaturae est finitum actu, tamen rationalis anima quantum ad potentiam uno modo est finita, alio modo infinita. Infinita [f] est quantum ad potentiam cognoscendi: non enim determinatur ad aliqua cognoscibilia quin adhuc posset in plura, si essent; et ideo, quantum est de se, est infinita potentia. Quantum vero ad potentiam operandi, anima rationalis finita est et determinatur ad finita operabilia, quia [g] ita determinatur ad tot quod non ad plura. Ex quo patet quod non est similis ratio [h] ex parte capacitatis scientiae et potentiae: nam potentia operandi finita est et non est capax potentiae infinitae Dei.

Item, si quaeratur propter quid creaturae non potest conferri potentia creandi, sicut [i] generato confertur potentia generandi [k]: generatus enim homo habet potentiam generandi hominem [l]; ergo pari ratione videtur quod creatum possit habere potentiam creandi: respondendum [m] quod hoc est quia omnis creatura agit ex suppositione materiae [n]; non enim potest esse tota causa sui operis, sicut potentia prima Dei; quia ergo potentia creandi est in non-subiectam materiam, inde est quod creatura non est susceptibilis potentiae creandi.

6. Ad sextum dicendum quod cum dicatur [2], Col. 1,20: « Omnia potest », hoc est 'potest' ut [o] fiat nostra redemptio per ipsum et omnia quae pertinent ad ipsam. Unde omnia potest quae pertinent ad nostram redemptionem, sicut patet per intentionem Apostoli in illo loco; sed hoc potest vel per ipsum in quantum est homo, hoc est secundum quod in humana natura solvit pretium nostrae redemptionis: et quantum ad solutionem huius pretii potest omnia quae pertinent ad nostram redemptionem; sed non continetur sub hoc quod dico 'omnia' quod ipse secundum quod homo daret gratiam, sed in quantum Filius Dei.

7. Ad septimam rationem dicendum quod cum dicitur « immortalis potest omnia facere », hic est distributio accommoda [3] sicut prius. Unde quod dicit « immortalis potest omnia facere », hoc est ut mediator; vel etiam omnia potest facere, si referatur potentia ad miracula, ut dictum est [4]. Si autem loquamur ratione divinae naturae de ipso, sic omnia potest facere; sed quia loquitur ibi Apostolus de reconciliatione, quae fuit [p] ratione humanae naturae, ideo recipiendum est quod dicitur « omnia potest », scilicet ut mediator.

8. Ad octavum dicendum quod dicitur: *Data est mihi omnis potestas* etc., id est manifestata [q] est omnis potestas in caelo et in terra per me. Unde, Philipp. 2,9: *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen* etc. Istud 'dare' dicitur per manifestationem [r]: Christo, in quantum est Filius Dei, *dedit* Deus *nomen* ab aeterno excelsum *super omne nomen*, id est [s] super omne quod nominatur in caelo et in terra [5]; sed, in quantum homo, manifestando dedit illi, quia in homine Christo manifestatum est nomen illud, et hoc est quod praeest creaturae dignitate et potestate. Unde Ephes. [t] 1,22: *Omnia subiecit sub pedibus eius* [6]. Glossa [7]: « Omnia subiecta sunt ei non solum dignitate, sed etiam potestate ». — Et quod istud 'dare' sit manifestare, patet per Glossam, Philipp. 2,9 [8]: *Nomen quod est super omne nomen:* « id est honorificentiam quod vocatur Deus, et hoc ante resurrectionem habuit, sed post mortem et resurrectionem [u] quod erat in evidenti positum est ut scirent daemones. Ita res dicitur fieri quando innotescit ». Et per hoc patet solutio ad illud quod obicit de illo verbo quod dicitur Col. 1,22.

9. Ad illud quod obicitur quod *omnia possibilia sunt credenti*: 'omnia' dicit hic [v] distributionem accommodam. Unde non est dictum quod iste, qui [x] credit, faciat omnia, sed quod ad invocationem vere credentis ipse Deus faciat omnia, sicut miracula et mirabilia, de quibus ibi loquitur; unde non attribuitur omnipotentia ipsis credentibus, sed ipsi Deo facienti omnia.

---

[a] PVS *extensionem.* [b] R *speculative non* pro *speculative... operis.* [c] BR *id est*, LF *in speculatione* pro *speculative* et om. *in.* [d] PV om., in S est add. marg. [e] BR add. *practicam.* [f] S om., BR add. *enim*, L om. *est.* [g] L *qui.* [h] L om. [i] V add. *cum.* [k] L *ercandi.* [l] R om [m] BRLF add. *est*, F om. *quod hoc est.* [n] S (corr.) LF *nature.* [o] F *prout* pro *p. u.* [p] PVS *fit.* [q] Ita RF, L *in manifestatu*, alii *manifesta.* [r] S add. *in.* [s] BRLF *aut* pro *i. e.* [t] PV *Philipp.*, quod S corr. in mg. [u] P add. *habet*, V add. *habuit.* [v] F om. [x] S om.

[1] Cf. supra, p. 5b, *ad 1-4.*

[2] Potius in *Glossa* Lombardi ad Coloss., quae supra, p. 215, n. 6 affertur.

[3] Id est distributio, in qua terminus non distribuitur pro omnibus suis inferioribus simpliciter, quia ex natura rei vel ex loquendi usu unum excipitur, scil. ipsum subiectum propositionis; v. g. cum dicitur 'caelum tegit omnia', id est 'se ipso excepto'. Cf. S. Bonav., *Opp. omnia*, I, 143, 517, nota 3, ac 801.

[4] Cf. p. 216, sub *Respondeo.*

[5] Cf. Eph. 3, 15.

[6] Cf. Psalm. 8, 8.

[7] Lombardi, in h. l. (PL 192, 178) et *Interlin.*

[8] Lombardi, in h. l. (PL 192, 236) et *Interlin.*; cf. Lombard., III *Sent.*, d. 18, c. 6 (p. 630sq.).

MEMBRUM II.

De divinae potentiae immensitate.

Quaeritur consequenter de divina potentia quantum ad immensitatem, quam quidam [1], sophismatibus decepti, voluerunt limitare, et hoc differenter: actu et voluntate, bonitate [et] iustitia, praescientia et ratione, sex modis infinitatem divinae potentiae limitantes.

140 CAPUT I.

AN POTENTIA DIVINA LIMITARI POSSIT EX PARTE ACTUS ET VOLUNTATIS.

In primis igitur ex parte actus arguunt sic:

I. 1. Simus ante rerum creationem. Sit A instans primum creationis; tunc quaeritur: aut [a] Deus in A potest creare omne creabile aut non. Si non: ergo potentia eius limitata est in creando; si sic: ergo potest creare omne creabile in A. Ponatur, quia posito possibili nullum sequitur [b] inconveniens [2]. Tunc arguitur [c]: si Deus creat omne creabile in A et in omni creabili intelligitur omne quod potest creare: ergo in A creat omne quod potest creari ab ipso; ergo post A [d] nihil potest creari ab ipso.

2. Item, Deus potest facere quaecumque [e] posse potentiae est; sed posito possibili nullum accidit inconveniens: ponatur ergo quod faciat quidquid facere potest; demonstratis ergo illis, est dicere: 'ista sunt quaecumque Deus facere potest'; ergo extra ista nihil facere [f] potest; ergo potest potentia eius impleri; potest ergo limitari per actum.

II. Item, ex parte voluntatis arguunt hoc modo: 1. Augustinus, in I libro *De Symbolo* [3]: « Hoc solum non potest Deus, quod non vult ». Ex quo relinquitur quod Deus non potest facere nisi quod vult; sed quod vult, hoc facit; ergo non potest facere nisi quod facit.

2. Item, VII libro *Confessionum* [4], loquens ad Deum, dicit: « Non cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non est maior quam potentia tua ». Ex quo relinquitur quod Deus non possit plura quam vult, sicut non vult plura quam potest; sicut enim voluntas non est maior [g] potentia, ita nec potentia maior voluntate.

Iis ergo modis arguunt ad limitationem divinae potentiae.

Contra: *a.* Augustinus, in *Enchiridion* [5]: « Omnipotentis [h] voluntas multa potest facere, quae nec vult nec facit ». Quod probat per illud Matth. 26, 53: *An putas quia non possum rogare [i] Patrem, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum?* Ergo Filius poterat rogare quod non rogabat et Pater exhibere quod non exhibebat. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta] I. 1. Ad illud ergo quod obicitur ex parte actus, primo 'quod Deus potest creare omne creabile': dicendum quod 'creabile' duas habet intentiones. Cum enim potentia creabilis non sit potentia materiae, sed solum potentia agentis, quae potest intelligi absolute vel cum dispositione seu praeordinatione, 'creabile' potest dicere vel [k] quod est in potentia creantis causae aut quod est in dispositione creantis causae sive praeordinatione. Si accipiatur 'creabile' pro omni eo quod est in dispositione praeordinationis Creatoris, ut creetur [l] ab initio mundi usque ad [m] finem: concedendum quod potest creare omne creabile in A; non tamen [n] ex hoc sequitur: 'ergo [o] non potest aliquid creare post A', quia 'creabile' non includebat nisi ea quae erant in dispositione creantis, non ea quae erant [p] in potentia eius; multa autem sunt in potentia creantis, quae non disposuit [q] creare. Si vero 'creabile' dicat quod

---

[a] V *an*, F *ad*. [b] BRLF *accidit*. [c] PVS *arguit*. [d] PVS *post ea* pro *p. A*. [e] V exp. et corr. mg. *quem*. [f] BRLF om. [g] PVS add. *quam*. [h] V *omnipotens*. [i] F *cogitare*. [k] PVS add. *secundum*. [l] PVS *causetur*. [m] LF *in*. [n] V om. [o] BRF *quod*. [p] R om. *in dispositione... erant*. [q] PVS *disponit*.

[1] Cf. Abael., *Introd.*, III, c. 4 (PL 178, 1098); Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 22 et Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa*, tr. 1, c. 14 (PL 176, 214, 69); Lombard., I *Sent.*, d. 43, c. 1 (p. 263); S. Bonav., I *Sent.*, d. 43, a. 1, q. 1 (I, 764 sqq.).

[2] Cf. Aristot., *Prior.*, I, c. 12 (I, 53); *Phys.*, VIII, c. 5 (II, 351); Gilbert. Porret., *De sex princ.*, c. 8 (f. 34d); *Sentent. philos. ex Aristot. coll.* (PL 90, 1036); S. Bonav., I *Sent.*, d. 38, a. 2, q. 1 (I, 674, nota 5).

[3] *Sermo* 214, n. 3 (PL 38, 1067); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 43, c. unic. (p. 267), ubi etiam sequentia quasi verbotenus inveniuntur usque ad *Iis ergo modis*.

[4] Cap. 4, n. 6 (PL 32, 736).

[5] Cap. 95, n. 24 (PL 40, 275); et *De spiritu et littera*, c. 1 (PL 44, 201); cf. Abael., *Introd. ad theol.*, III, n. 5; *Theol. christ.*, V; *Sic et non*, c. 35 (PL 178, 1093 sq., 1321 sq., 1396); Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa*, tr. 1, c. 14 (PL 176, 68); Lombard., loc. cit.

est in potentia creantis: secundum hoc [a] dicendum quod non potest dici omne creabile creari in A, nec Deus potest creare in A omne creabile. — Ad illud quod obicitur quod 'secundum hoc potentia eius erit limitata': dicendum quod non est verum, immo si posset omnia creabilia facere in A, id est totam potentiam suam effluere [b] in creando in A, tunc esset limitata eius potentia et finita aliquo modo.

2. Ad illud vero quod postea obicit quod 'ponatur quod faciat quidquid facere potest, nullum accidit inconveniens': respondendum quod, cum sit potentia finita et potentia infinita, potentia finita potest educi in totum suum actum, potentia vero infinita potest educi in actum, sed non in totum: hoc enim contradicit infinitati suae; per hoc enim sequeretur quod esset finita et ita quod esset finita et infinita: quod est impossibile. Hoc ergo modo dicendum est de divina potentia quod [c] constat esse infinitae virtutis.

II. 1. Ad illud vero quod obicit ex parte voluntatis, ex Augustino, I *De Symbolo*: « Id solum non potest Deus quod non vult », dicendum quod potest intelligi duobus modis: « quod non vult » se [d] facere, et hoc modo falsum est; vel « quod non vult » se posse [1], et hoc modo verum est.

2. Ad illud etiam [e] quod obicit: « Non est maior voluntas quam potentia »: dicendum quod hoc verbum 'vult' aliquando respicit creatum, ut cum vult aliquid creatum esse vel fieri: et secundum hoc 'posse' Dei, quantum ad illud in quod [f] est, scilicet subiectum, in plus est quam ipsum 'velle', quia plura sunt subiecta potentiae quam voluntati. Aliquando vero hoc verbum 'vult' respicit ipsum 'posse aeternum': et secundum [g] hoc aequalis sunt ambitus [h] velle Dei et posse, quoniam quidquid vult se posse, potest, et quidquid potest, vult se posse. Et hoc modo intelligendum est quod dicit Richardus, in libro *De Trinitate* [2]: « Nihil maius est in eius nosse quam in eius posse. Nam si se latius per sapientiam quam per potentiam effunderet, cum non sit aliud [i] potentia eius quam sapientia, esset [k] una et eadem substantia se ipsa per sapientiam maior et per potentiam minor ». Et hoc intelligendum est secundum quod 'scire' respicit aeternum posse, quia quidquid scit se posse, potest, et quidquid potest, scit se posse.

CAPUT II. 141

AN POTENTIA DIVINA LIMITARI POSSIT EX PARTE BONITATIS ET IUSTITIAE.

Item, arguunt ex parte bonitatis et iustitiae hoc modo: I. 1. « Non potest Deus nisi [l] quod bonum et iustum est fieri; non est [m] autem bonum et iustum fieri a Deo nisi quod facit, aliter non [n] faceret omne quod iustum et bonum est eum facere [3] ». Ergo non potest facere nisi quod facit.

2. Item, « non potest facere nisi quod iustitia sua exigit; sed iustitia sua non exigit ut faciat aliud quam facit; ergo non potest facere aliud quam facit [4] ».

3. Item, non potest Deus facere aut dimittere nisi quod debet; sed non debet facere aut dimittere nisi quod facit aut dimittit; ergo non potest facere nisi quod facit aut dimittit.

II. Iuxta hoc quaeritur an non possit facere Deus nisi quod iustum est, sive an possit de potentia quod non possit de iustitia [o],

Ad quod sic: 1. Galat. 4, 15: *Si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi.* Glossa [5]: « Non potest fieri quod iuste non [p] fit ». Ergo Deus non potest facere nisi quod iustum est.

2. Item, si potest aliquid de potentia quod non potest de iustitia: exeat illa potentia in actum, illud ergo aut est iustum aut iniustum. Si est iniustum: ergo potest Deus facere non-iustum; si iustum: ergo solum potest quod iustum est.

III. Item, iuxta hoc quaeritur, si potest damnare Petrum et salvare Iudam [p 7].

1 Tim. 2, 13: *Negare se ipsum non potest.* Glossa Augustini [8]: « Cum sit iustus, non potest negare suam iustitiam ». Unde ita dicit Glossa [9]: « Quod [q] se ipsum negare non potest, laus est [r] voluntatis divinae, sicut quod [s] quidam non possunt credere, culpa est voluntatis humanae ».

[a] F add. *ergo.* [b] B *effluere*, PVS om. *suam* [c] BR *quantum.* [d] Cedd. *scilicet.* [e] BR om. [f] PVSL *quo* [g] *propter, quod* in B est corr. interl. pro q. t. s. [h] L *Ambrosius.* [i] V om. [k] Ha BR, alii *erit.* [l] V om. [m] F om. [n] F *quae.* PVS *nisi quod iuste* [o] F add. *num.* [p] BHLF *hoc quod.* [q] V om. [r] V *et.*

[1] Cf. Lombardi., loc. cit. (p. 267)

[2] Cf. lib. I, c. 18 (PL 196, 899)

[3] Cf. Lombardi., I *Sent.*, d. 43, c. unic. (p. 301sq.); Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa*, tr. I, c. 14 (PL 176, 69); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 11, q. 6 (f. 38a)

[4] Cf. Lombardi, loc. cit. (p. 301sq.) et Guil. Altissiod., loc. cit., ubi et sequens argumentum

[5] Cf. August., *Contra Gaudent.*, I, c. 30, n. 35 (PL 43, 727).

[6] *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 580); Lombardi, in h. l. (PL 192, 144), et *Interlin.*, ex Augustino, loc. cit. nota praeced.

[7] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 11, q. 5 (f. 27b); Praepositi., *Summa*, I (f. 74c).

[8] *In Ioan.*, tr. 53, n. 9 (PL 35, 1778).

[9] Lombardi, in h. l. (PL 192, 370), ex Augustino, loc. cit.

Ex hoc ergo [a] arguitur quod « laus divinae voluntatis [b] » erit si non potest Petro negare gloriam nec Iudae poenam.

IV. Similiter, iuxta hoc quaeritur de damnatis: si possibilis est eorum liberatio Deo.

a. Nam cum omni damnato iuste debeatur poena aeterna, et iustum est quod unicuique reddatur quod suum est: ergo si liberarentur, iniuste cum eis ageretur.

b. Item, ad hoc facit illud [1]: « In inferno nulla est redemptio »; et Sap. 2,1: *Non est agnitus, qui sit reversus ab inferis.*

Contra: 1. Gen. 19,22: *Non possum quidquam facere, donec exeas.* Glossa Augustini [2]: « Sine dubio poterat per potentiam, sed non poterat per iustitiam », scilicet perdere Loth cum Sodomitis. Ergo potest per potentiam et damnare Petrum et salvare Iudam et quemlibet damnatum, quamvis non possit per iustitiam.

2. Item, potest Petrum revocare a paradiso ad vitam istam, similiter et Iudam [3] ab inferno. Cum ergo in hac vita possimus et in gratia manere et peccare: ergo posset Petrus finaliter peccare et Iudas finaliter [c] in gratia manere; ergo posset damnare Petrum et salvare Iudam, etiam iuste [d].

3. Item, nonne [e] multos revocavit a morte [f], et tamen erant iuste damnati [4]? Relinquitur ergo quod fecit de potentia quod non erat de iustitia.

Respondeo I. secundum Hugonem de S. Victore [5]: « Sicut aeternitatem Dei non aequat tempus, nec immensitatem locus, nec sapientiam sensus, nec bonitatem [g] virtus, sic nec potentiam opus »; excedit enim in infinitum potentia ipsum opus.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum, quod dicit [h] 'Deus non potest facere nisi quod bonum et iustum est', distinguendum [6]: hoc verbum 'est' potest copulare praesens indeterminatum [i] sive in habitu, vel praesens ut nunc sive in actu. Primo modo vera est, et est sensus: 'Deus non potest facere nisi quod bonum et iustum esset, si faceret'. Secundo modo falsa est, et est sensus: 'Deus [k] non potest facere nisi quod bonum [l] et iustum est nunc'.

2. Ad secundum [m] dicendum quod hoc verbum 'exigere' est proprie verbum exactionis; nullum autem verbum exactionis Deo convenit [7]; tamen acceptum improprie [n] significat aliquid Deo congruere. Distinguendum ergo quod cum dicitur: « Deus non potest facere nisi quod iustitia sua exigit », si hoc verbum « exigit » dicat congruentiam in habitu, verum est [o], ut sit sensus: 'non potest facere nisi quod iustitiae eius congrueret, si faceret'; si congruentiam in actu, falsum est, hoc est 'non potest facere nisi quod iustitiae eius [p] congruit modo'.

3. Ad tertium dicendum [q] quod verbum 'debendi', cum sit obligationis verbum, proprie non convenit Deo [8]; sed sub improprietate, secundum quod 'debere' dicitur 'condecere' [r], distinguendum ut prius: quia si dicat condecentiam in habitu, verum est; si in actu, falsum est [s].

II. Ad illud vero quod obicit [t] an 'possit de potentia quod non potest de iustitia', distinguendum [9]: quod iustitia Dei [u] uno modo connotat condecentiam divinae bonitatis: et hoc modo quidquid potest de potentia, potest de iustitia, id est de condecentia bonitatis; bonitatem enim summam decet ut possit quidquid posse potentiae est. Alio modo connotat congruentiam meritorum: et hoc modo non quidquid potest de potentia, potest de iustitia, hoc est secundum congruentiam nostrorum meritorum.

1. Ad illud ergo quod obicit quod 'non potest fieri nisi quod iustum est', intelligitur: 'non potest fieri nisi [v] ordinate'. Unde quamvis homo [x] dicatur posse de iure et posse de facto, dicitur tamen legaliter: hoc solum possumus quod de iure possumus; tamen in Deo idem est posse de facto et posse de iure, secundum quod ius dicit condecentiam bonitatis divinae. Unde 'iustum fieri' aliter dicitur respectu hominis, aliter respectu Dei: respectu hominis iustum fit, quia iustum est illud quod homo facit; ex parte vero Dei iustum fit, quia Deus faciens est iustus. Inde est quod sequitur: 'non potest facere nisi quod iustum est' in sensu praedicto, quod scilicet [y] 'iustum esset, si faceret'.

2. Ad illud quod postea obicit patet responsio.

III. Ad illud vero quod quaerit 'utrum possit damnare Petrum' etc., distinguendum [10] quod potentia Dei intelligitur dupliciter: uno modo absoluta, alio modo ordinata secundum rationem

---

[a] F om. [b] BRLF *bonitatis.* [c] S om., in V est add. mg. [d] F *iniuste.* [e] B om. [f] L *mortuis.* [g] R *potentiam.* [h] V *obicit quod.* [i] PVS *interminatum.* [k] BRLF om. [l] R add. *est.* [m] R add. *est.* [n] F *proprie.* [o] F exp. *v. e.* [p] L om. [q] R add. *est.* [r] F *concedere.* [s] PVS om. [t] PVS *obicitur.* [u] VS om. [v] Ita S, alii om.; V *ordinante* pro *ordinate.* [x] PVS om. [y] PVS om.

1 Officium defunct., III noct., respons. 1.

2 *Contra Gaudent.*, I, c. 30, n. 35 (PL 43, 727), apud Lombard., I *Sent.*, d. 43, c. unic. (p. 264).

3 Cf. Lombard., loc. cit. (p. 268); Praeposit., loc. cit.

4 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 11, q. 5 (f. 27c).

5 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 22 (PL 176, 216).

6 Cf. Guil. Altissiod., op. cit., I, c. 11, q. 7 (f. 28a).

7 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 43, c. unic. (p. 264)

8 Cf. Lombard., loc. cit. (p. 265); Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa*, tr. 1, c. 14 (PL 176, 69); Guil. Altissiod., loc. cit.

9 Cf. Guil. Altissiod., op. cit., c. 11, q. 5 (f. 27c); Praeposit., *Summa*, I (f. 75b).

10 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.; Praeposit., loc. cit. (f. 74d).

divinae praeordinationis iustitiae reddentis unicuique secundum merita. De potentia ergo absoluta posset damnare Petrum et salvare Iudam; de potentia vero ordinata secundum praeordinationem et retributionem secundum merita, non posset; nec in hoc derogatur eius potentiae, sed ostenditur immutabilitas ordinis potentiae [a] secundum praeordinationem et iustitiam. Similiter dicendum quod posset Petrum revocare ad vitam, et Iudam etc.

IV. Ad illud vero quod quaerit de damnatis [b], dicendum quod Hugo [c], in suis *Sententiis* [1], distinguit sic [d]: « Iustitia [e] alia secundum debitum facientis, alia secundum meritum patientis [f]. Iustitia secundum debitum facientis [g] est potestatis; iustitia secundum meritum patientis est aequitatis ». « Sic [h] Deus de massa generis humani quosdam ad salvationem assumens, iustitia utitur debitae potestatis; quosdam vero ad perditionem deserens, iustitia utitur licitae aequitatis: illic de debito suo, hic de merito nostro. Si vero quos nunc [i] ad salvationem assumit, desereret, iniustitia non esset, quoniam merita sua [k] reciperent secundum iustitiam aequitatis. Si autem [l] quos nunc deserit, assumeret, similiter iniustitia non esset, quoniam in eorum salvatione uteretur iustitia potestatis ».

3. Ad illud vero quod obicit de liberatis per preces sanctorum: dicendum quod de exigentia meritorum propriorum non est possibilis liberatio, sed de [m] exigentia meritorum Ecclesiae aliquorum possibilis fuit liberatio [2]. Tamen notandum quod infernus dicitur poena acerbissima et aeterna; nullus ergo addictus [n] poenae inferni quantum ad aeternitatem, sed addictus poenae inferni quantum [o] ad acerbitatem tantum potest liberari, et si non meritis propriis, tamen meritis alienis, sicut accidit [p] illis qui suscitati sunt ad preces sanctorum.

CAPUT III. 142

AN POTENTIA DIVINA LIMITARI POSSIT EX PARTE PRAESCIENTIAE ET RATIONIS AETERNAE.

Iterum, arguunt ex parte praescientiae et rationis aeternae ad limitationem potentiae divinae sic: 1. « Si potest aliud omnipotens facere quam facit, ergo potest facere quod non praescivit; ergo potest sine praescientia operari, quia quod facturum [q] se praescivit, facit, nec facit aliquid aliud quod non praescivit [3] ».

2. Item, « nihil facit aut dimittit nisi optima ratione et semper manente; sed, illa manente, non potest quod facit, dimittere, vel quod dimittit, facere; ergo non potest facere nisi quod facit », nec dimittere nisi quod dimittit.

3. Si dicatur quod non est verum quod [r], manente ratione, non potest dimittere quod facit etc., quia « secundum eamdem rationem potest facere quae [s] dimittit et dimittere quae facit » – contra: « non potest facere nisi quod ratio est eum facere »; sed non est ratio eum dimittere quae facit, nec facere quae dimittit; ergo non potest dimittere quae facit [4] etc.

4. Si vero respondeatur, ut prius [5], quod cum dicitur ' ratio est eum facere vel dimittere ', potest copulare rationem in actu, et sic falsa est propositio et est sensus [t]: ' non potest facere nisi quod ratio est eum facere nunc '; vel in habitu: et sic vera est, id est ratio esset, si faceret – obicitur iterum: quomodo [u] potest esse eadem ratio faciendi et dimittendi? nam facere et dimittere opposita sunt; sed oppositorum oppositi sunt fines; ergo et oppositae rationes, cum ratio [v] sumatur a fine.

5. Item, iustificat illum, et hoc facit secundum rationem misericordiae, et non illum, et hoc facit secundum rationem iustitiae; ergo ratione [x] misericordiae facit iustificationem istius, ratione iustitiae dimittit in illo; ergo alia ratio qua facit et dimittit. — Item, Augustinus, in *83 Quaestion.* [6]: « Alia est ratio qua conditus est homo et qua conditus est equus »; sed facere et dimittere diversa sunt sicut homo et equus; ergo alia est ratio faciendi et dimittendi.

Respondeo quod nullo modo limitatur divina potentia: nec actu nec voluntate nec iustitia nec bonitate nec praescientia nec [z] ratione, quamvis egressum divinae potentiae in actum semper con-

---

[a] F om. *sed... potentiae.* [b] PV add. *etc.* [c] BR *secundum Hugonem* pro *q. H.* [d] Ita PB (interl.), VSBRF om. *d. s.*, L om. *sic.* [e] L add. interl. *est.* [f] Ita BRL (corr.), alii *facientis.* [g] R *patientis.* [h] Ita L, alii *si.* [i] L exp. [k] F add. *non*, BRLF om. *secundum.* [l] BRLF add. *eos*, L exp. *nunc.* [m] R om. [n] PVS add. *est.* [o] B om. [p] BRLF add. *in.* [q] Codd. *futurum.* [r] VL *quia*, B om. [s] P add. *non.* [t] BRLF om. *e. e. s.* [u] V *quando*, B *quod.* [v] L *non.* [x] PV *secundum rationem.* [z] L *et*, quod B corr. V *ingressum*

1 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 8, c. 8 (PL 176, 310), ubi c. 9 est sequens locus.

2 Cf. Lombard., IV *Sent.*, d. 46, c. 1 (p. 1011 sqq.); Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 27c); S. Bonav., IV *Sent.*, d. 45, a. 1, q. 3 (IV, 942); B. Alb. M., *Summa*, I, tr. 19, q. 77 (p. 811b, 815b).

3 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 43, c. unic. (p. 266), ubi et sequens argumentum (p. 265); Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 22 (PL 176, 214).

4 Cf. Lombard., loc. cit. (p. 266), etiam pro sequenti argumento.

5 Cf. supra pag. 220, I, *ad 1-3.*

6 Quaest. 46, n. 2 (PL 40, 30), ad sensum.

comitetur voluntas, iustitia[a], bonitas, praescientia, ratio, quae in Deo eadem sunt secundum rem, quamvis differant secundum intelligentiae rationem. Infinita est ergo potentia respectu agendorum, quamvis non voluntas nec iustitia nec praescientia nec ratio.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicit[b] de praescientia: dicendum quod non sequitur 'potest operari quod non praescivit, ergo[c] potest operari sine praescientia', « et est transitus a divisione ad compositionem. Et est simile: 'iste potest te docere litteras, quas non[d] novit, quia adhuc illitteratus est et litteras discet, ergo potest te docere litteras sine notitia'; item, potest videre qui non habet oculos, quia Antichristus, ergo aliquis potest videre sine oculis[1] ».

2. Ad illud quod obicit[e] ex parte rationis patet solutio per responsionem in opponendo.

3. Sed ad illud quod obicit de ratione, dicendum, secundum Augustinum, in libro *Retractationum*[2]: « Non erravit Plato dicens 'mundum intelligibilem' rationem sempiternam et incommutabilem[f], qua fecit Deus mundum et omne quod fecit; quam qui negat dicit Deum[g] irrationabiliter fecisse quod fecit ».

4. Ad illud quod obicit quod 'non est[h] eadem ratio operationis et dimissionis': dicendum quod ratio operationis sive dimissionis est bonitas ipsius. Quare enim facit quod facit? propter bonitatem suam; bonitas autem potest considerari dupliciter: in se vel secundum comparationem ad creaturam. Ratio ergo potest dicere divinam bonitatem in se, et sic una tantum est ratio; sed si dicat bonitatem in comparatione ad creaturam, connotato respectu[i] ad creaturam, secundum hoc alia est ratio qua creatus est homo, alia qua equus: homo enim magis accedit ad bonitatem quam equus. — Quod ergo obicitur quod 'oppositorum oppositi sunt fines': dicendum quod loquendo de fine proximo et immediato, verum est; loquendo de fine ultimo, non est verum: bonitas enim[k] divina est finis ultimus omnium, et illa est una ratio et eadem.

5. Ad aliud[l] dicendum quod ratio misericordiae et iustitiae dicuntur differre propter respectus ad creaturam; sed secundum quod dicunt divinam bonitatem non est alia ratio misericordiae et iustitiae, sed eadem. Et est exemplum in vasis, quod ponit Apostolus, Rom. 9,21, quod *figulus facit vas in contumeliam,* hoc debetur[m] vilitati materiae; quod *vas in honorem,* hoc ex bonitate artificis. Similiter, quod Dominus damnat istum, hoc est propter exigentiam meritorum et massam corruptam[3]: unde connotatur respectus ad meritum; quod vero salvat istum, hoc est ex bonitate[n] sola.

MEMBRUM III.

De divinae potentiae perfectione.

Consequenter quaeritur de perfectione potentiae divinae, secundum quam dicitur optime facere quidquid facit. Quaeruntur igitur ista:

Primo, utrum possit facere res meliores quam fecerit generaliter;

secundo, utrum potuerit meliori modo facere res[o] quam fecerit;

tertio, utrum potuit redemptionem humani generis facere meliori modo;

quarto, utrum Adam potuerit;

quinto, utrum Christum potuit;

sexto, utrum beatam Virginem;

septimo, utrum rerum universitatem.

143

CAPUT I.

UTRUM DEUS POSSIT FACERE RES MELIORES QUAM FECERIT GENERALITER[4].

Ad primum arguitur sic: 1. Aut potuit facere Deus res meliores et non voluit[p], aut voluit et non potuit, aut potuit et voluit, aut nec potuit nec voluit. Non est dicere quia potuit et voluit, quia ex hoc sequeretur quod fecit res meliores. Nec est dicere 'potuit, sed non voluit', quia[q] ex

---

[a] PV om., in S est add. marg. [b] PVS *obicitur.* [c] F add. *non.* [d] PVS om. [e] BRLF *obicitur.* [f] PVS *non commutabilem.* [g] F *rationem.* [h] RL om. [i] BR *connotando respectum* pro *c. r.* [k] PVS om. [l] PVS *illud,* S om. *dicendum.* [m] F om. *quod figulus... debetur.* [n] F *voluntate,* BRLF om. *hoc.* [o] L om. [p] P *noluit,* item subinde. [q] R *sed,* quod B corr.

1 Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 8 (PL 211, 815); B. Alb. M., *Summa*, tr. 19, q. 77 (p. 813b): « Potest videre qui non habet oculos, scilicet conceptus, cuius oculi firmati non sunt ».

2 Lib. I, c. 3, n. 2 (PL 32, 588sq.).

3 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 44, c. 1 (p. 268 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 44, a. 1, qq. 1-4 (I, 781 sqq.).

hoc sequeretur quod invidus fuit, sicut arguit Augustinus[1] de aeterna generatione. Relinquitur igitur quia aut voluit, sed non potuit, aut nec potuit nec voluit. Et[a] quocumque modo dicatur, relinquitur[b] quod non potuit res meliores facere quam fecit.

2. Si vero respondeatur, sicut Magister, in *Sententiis*[2], quod huius similitudinis inductio non est respectu creaturarum, sed respectu divinarum personarum[c], ut in generatione Filii aeterna, ad quam utitur Augustinus[3] hac ratione – contra: Augustinus, *Super Genesim*[4]: « Si bona facere non posset, nulla esset potentia; si posset, sed nollet, magna esset invidentia; quia ergo summe potens et summe bonus est, singula fecit *valde bona*[5] ». Ergo iste modus arguendi tenet in potentia et voluntate respectu creaturarum.

3. Item, Dionysius, in libro *De divinis nominibus*[6]: « Optimi[d] est optima adducere ». Ergo, cum Deus sit optimus, adducit res in suo optimo; sed suum adducere est creare; ergo creat res in suo optimo; ergo non potest facere meliores.

4. Item, non diceretur aliquid sapientissime facere nisi[e] sapientia summa[f] reluceret in opere; ergo non dicetur similiter optime[g] facere, nisi bonitas summa reluceat in opere creaturae; optimas ergo fecit[h] creaturas; sed quod est optimum non potest fieri melius[7].

Contra: *a.* Si non potest facere rem meliorem quam fecit, ergo coarctatur eius potentia sive limitatur ut non possit in bonum amplius quam fecit; quod est falsissimum, sicut dicit Damascenus[8]: « Infinitum est quod nec loco nec tempore nec comprehensione clauditur ». Relinquitur igitur quod ipsa sit infinita; ergo potest facere res meliores quam fecit.

b. Item, Augustinus, *Super Genesim*[9]: « Talem potuit Deus hominem facere, qui nec peccare posset nec vellet ». Et si talem fecisset, quis dubitat ipsum non fuisse[i] meliorem?

Respondeo: Concedendum est indistincte quod Deus potuit facere meliores res quam fecerit. Sed utrum possint fieri meliores quam factae fuerint, distinguendum est[k]: quia res possumus considerare in se, et secundum hoc quaelibet res potuit fieri melior; vel considerare in rerum universitate, et secundum hoc concedendum quod non possunt fieri meliores quantum est de potentia rei factae, sed quantum est de potentia[l] facientis possunt fieri meliores. Unde Hugo de S. Victore[10]: « Omne quod fecit Deus melius esse potest, si tamen ipse voluerit qui potest ». In se ergo non potest, sed in Deo potest.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod obicit primo: dicendum, secundum Magistrum[11], quod haec ratio non tenet in creatione, quamvis teneat in aeterna generatione. Et ratio est, quia nunquam potest esse invidia in voluntate alicuius minus faciendo quam facit nisi concurrant ex parte illius cui[m] invidet possibilis aequalitas et quod sit exigentia ut aliter vel melius fiat. Propterea, impossibile est quod intelligatur invidia respectu creaturae in divina voluntate, quia ubi ponitur invidia, semper ponitur respectu possibilis aequalitatis. Unde Gregorius, in *Moralibus*[12]: « Superbus omnibus invidet: superioribus[n], quia eis non aequatur; paribus, quia ei[o] aequantur; inferioribus, ne ei aequentur ». Creatura autem non potest intelligi aequari Creatori, et ideo non poterit intelligi invidia in Creatore. In aeterna vero generatione intelligitur aequalitas Filii ad Patrem, ideo ibi tenet ratio 'si posset similem generare et nollet, invidus esset'. Item, ratio generationis[p] perfectae exigit ut producatur similis et aequalis: et hoc est quia generatio est de substantia; sed ratio creationis non exigit hoc, immo magis quod producatur dissimilis et inaequalis necessario, et cui possit addi in bonitate, quia[q] creatio est productio de nihilo.

2. Ad illud quod obicit quod Augustinus[r], *Super Genesim*, dicit[s]: « Si posset et nollet, magna esset invidentia[t] et ideo fecit *valde bona* »: dicendum quod loquitur secundum opinionem Platonis[13], qui dicit: « Quia ab optimo[u] relegata est invidia, ideo dedit unicuique creaturae [tantum] boni quantum capere potest ». — Posset ta-

---

[a] F *ex.* [b] V add. *ergo.* [c] S *potentiarum.* [d] F *optimum.* [e] F add. *quod.* [f] Ita R (corr.), alii *sua.* [g] PVS *optima.* [h] Ita LF, alii *facit.* [i] PVS *fecisse.* [k] F om. [l] PVS add. *rei.* [m] PVS *qui*, F *cum.* [n] V om., F *fratribus.* [o] V om. [p] PV *generatio rationis*, pro *r. g.* [q] F repetit *dissimilis... quia*, quae L exp. [r] BLF *ex Augustino* pro *q. A.* [s] BRLF om. [t] V *invidia*, L *non* pro *ideo.* [u] VF *optime.*

1 *De div. quaest. 83*, q. 50 (PL 40, 31); cf. *Contra Maximin.*, II, c. 7 (PL 42, 762).

2 Loc. cit. (p. 269), ubi et praecedens argumentum tangitur; cf. Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa*, tr. 1, c. 14 (PL 176, 69).

3 Loc. supra cit., nota 1.

4 Cf. *De Gen. ad litt.*, IV, c. 16, n. 27 (PL 34, 307).

5 Cf. Gen. 1, 31.

6 Cap. 4, § 19 (PG 3, 715, PL 122, 1138); cf. Guil. Altissiod. *Summa*, I, c. 11, q. 7 (f. 27d).

7 Cf. Guil. Altissiod., l. c., (f. 28b).

8 *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 854).

9 Cf. *De Gen. ad litt.*, XI, c. 7, n. 9 (PL 34, 433); Lombard., I *Sent.*, d. 44, c. 1 (p. 269); Pseudo-Hugo, loc. cit. (PL 176, 70).

10 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 22 (PL 176, 216).

11 Loc. cit. (p. 269).

12 Rectius Augustin., *De Gen. ad litt.*, XI, c. 14 (PL 34, 436).

13 Cf. *Timaeus*, interprete Chalcidio (ed. Wröbel, Lipsiae 1876, p. 26): « Ab optimo porro invidia longe relegata est. Itaque consequenter cuncta sui similia, prout cuiusque natura capax beatitudinis esse poterat, effici voluit ».

men intelligi in illo sensu quo [a] nos dicimus bonum in creatura dici denominative a summo bono, ut creatura dicitur bona, quia a summo bono et quia ad bonum summum [b]. 'Valde ergo bonae creaturae' potest intelligi per denominationem a causa vel per [c] inhaerentiam. Per denominationem, ut quia a bono et ad bonum; si ergo quod dicitur '*valde*' referatur ad causam, non potest res facere meliores, id est magis bonas, hoc est non potest facere ut sint a meliori bono vel ad melius bonum, quia illud est Deus: et in hoc sensu loquitur Augustinus. Per inhaerentiam, ut dicantur res valde bonae propter bonitatem quae inest eis, ut bonus modus, bona species, bonus ordo, ut dicit Augustinus[1]: et hoc modo potest Deus res [d] facere meliores, ut sint scilicet in [e] meliori modo, specie et ordine, secundum quae tria determinatur bonitas in creatura.

3. Ad illud vero quod [f] dicitur « optimi est optima [g] adducere »: dicendum quod optimum dicitur simpliciter et optimum secundum genus et secundum statum et secundum ordinem. Optimum simpliciter est Deus; optimum secundum genus et statum, ut in genere creaturae et statu conditionis, Christus; optimum in ordine et non simpliciter, rerum universitas. « Optimi ergo est optima adducere », hoc potest intelligi et [h] quantum ad optimum simpliciter, ut in processione personali [i]; et quantum ad optimum in genere et statu conditionis, ut [k] in productione Christi; et quantum ad optimum in ordine, ut in productione universi.

4. Ad ultimum dicendum quod creatura potest considerari in se: et hoc modo non relucet in ea summa bonitas; vel potest considerari ut ductiva ad summam bonitatem per hoc quod est vestigium summae bonitatis: et sic in ea relucet summa bonitas, non quia bonitas sua sit summa, sed quia bonitas sua ducit ad summam bonitatem.

144

CAPUT II.

UTRUM DEUS POTUERIT RES MELIORI MODO FACERE.

Deinde quaeritur utrum potuerit res meliori modo facere.

Ad quod obicitur 1. secundum Hugonem, in suis *Sententiis*[2]: « Quidquid facit Deus, si melius potest facere quam facit, in hoc ipso non bene facit quod non optime facit quod facit: facere quippe et nolle melius facere quod bonum etiam est [l] facienti, male est facere; sed haec pia mens in Deum dici non sustinet; ergo non [m] potest facere meliori modo quam [n] facit ».

Contra: *a.* Si non potest facere meliori modo quam facit, ergo limitata est [o] eius potentia: quod falsum est.

Respondeo: Melior modus potest intelligi ex parte facientis: et sic non potest facere meliori modo quam facit, hoc est meliori sapientia, meliori bonitate, meliori potentia, quia sua sapientia, bonitate, potentia, quae ipse est, facit omnia. Si vero modus intelligatur ex parte rei factae: potest meliori modo facere; hoc est ut res sit in meliori modo quam sit, potest facere[3].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod obicit Hugo, respondendum per interemptionem[4]: « Quidquid facit [p], si melius » etc.; illud enim teneret ubi est debitum operationis in agente, sed ipse agens summus nec debet opus nec aliquid debet operi; Anselmus [q 5]: « Deus nulli quidquam debet ». Praeterea, optime, quantum est de se, facit semper, etsi non optime quantum ex parte creaturae.

145

CAPUT III.

UTRUM DEUS POTUERIT REDEMPTIONEM HUMANI GENERIS FACERE MELIORI MODO.

Quaeritur consequenter utrum Deus redemptionem [r] humani generis potuit facere meliori modo.

Ad quod 1. Augustinus, in XIII *De Trinitate*[6]: « Fuit alius modus liberationis nostrae possibilis Deo qui omnia potest, sed nullus alius

---

[a] L *que*. [b] PV repetit *bonum*, quod S exp. [c] LF *ad*. [d] F om. [e] L om. [f] P add. *queritur*, quod S exp. [g] R repetit *est*. [h] F add. *in*. [i] S *temporali*. [k] L om., S om. *in*. [l] PVS add. *bonum*, F om. *est*, quod in V est add. mg. [m] F om. [n] S *quod*. [o] BLF *limitatur* pro *l. e.*, V om. *potentia*. [p] P *facis*. [q] V *melius*. [r] F om.

1 *De nat. boni*, c. 3 (PL 42, 553).
2 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 22 (PL 176, 214).
3 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 44, c. 1 (p. 270).
4 Cf. supra, p. 11, nota 1
5 *Cur Deus homo*, I, c. 19 (PL 158, 391).
6 Cf. c. 10, n. 13 (PL 42, 1024); Lombard., loc. cit. (p. 270); Pseudo-Hugo, *Summa*, tr. 1, c. 14 (PL 176, 69)

nostrae miseriae sanandae fuit convenientior ». Ex hoc videtur quod ille modus, quo fecit, optimus fuit, quia magis divinae sapientiae et bonitati competebat.

Contra: *a.* Si alio modo liberasset, ille esset optimus: nam suae potentiae conveniret; et praeterea, secundum hoc esset convenientior.

Respondeo: Optimum et convenientissimum dicitur dupliciter, scilicet absolute vel respective. Non oportet quod si alio modo fecisset liberationem, quod optimo modo fecisset ad redimendum: redemptio enim est iusti pretii solutione. Similiter ' convenientissimum ' dicitur dupliciter: aut respectu divinae potentiae facientis, et secundum hoc alius modus esset ibi [a] convenientissimus; aut respectu miseriae sanandae, et ita convenientissimus [fuit] modus quo fecit.

CAPUT IV. 146

UTRUM ADAM POTUIT FIERI MELIOR.

Consequenter quaeritur utrum Adam potuit fieri melior.

Ad quod 1. Augustinus, XII *De civitate Dei* [1]: « Nobilior est natura quae peccare potest quam quae peccare non potest ».

2. Item [2]: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Non potest quis certare nisi ubi est [b] pugna; pugna autem non est nisi ubi est potentia peccandi; ergo non coronaretur [c] quis nisi posset peccare; melius autem est coronari quam non coronari; ergo et melius est [d] posse peccare quam non posse peccare.

3. Item, Eccli. 31,10: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus;* et: *Erit illi gloria aeterna.*

4. Item, melius est posse mereri quam non posse mereri; sed si Adam fuisset creatus beatus, non potuisset mereri; ergo etc.

Contra: *a.* Augustinus, *Super Genesim* [3]: « Si Deus fecisset hominem, qui peccare non posset, quis dubitat quin eum fecisset meliorem? ».

Respondeo: Est considerare statum hominis quantum ad se et quantum ad ordinem in universitate; item, est considerare statum hominis quantum ad praesens meritum et quantum ad futurum praemium. Secundum hoc dicendum, ut dicit Hugo de S. Victore, in *Sententiis* [4] suis: « Non debet in compensatione [e] minoris boni impediri quod maius est bonum ab illo qui optimus est: et diximus [f] quoniam maius est [g] omne bonum ex malo et bono quam ex bono solo; permitti itaque mala debuerunt ut essent, quoniam ut essent id bonum erat, ex quibus bonum futurum erat. Praecepit itaque Deus quod bonum erat singulis, et permisit quod bonum erat universis, quoniam et maius erat bonum universitatis, quod impedire non debuit ». Si ergo, secundum Hugonem, Deus permittit mala in [h] universo ad bonum universi, quod impedire non debet propter [i] bonum creaturae, quia maius est bonum universitatis quam creaturae, quanto magis non debet Deus hominem fecisse ut non peccaret, quia in hoc bonum universitatis impediretur propter bonum creaturae! Fecit ergo Deus hominem in meliori statu quantum ad conditionem universi et non quantum ad conditionem hominis in se. — Item [k], licet melius esset homini quantum ad statum in praesenti et quantum ad naturam eius in se, quia nobilior esset eius natura, non tamen hoc esset ei melius quantum ad statum gloriae in futuro; magis enim meretur qui potest peccare et non peccat quam qui non potest peccare: unde [l] modo habebit rationalis creatura meritum gloriae per merita sua et per gratiam; si autem non posset peccare, solum per gratiam ei daretur: hoc enim, scilicet bene faciendo cum possit peccare, cedit ei [m] ad maiorem coronam quam si non posset peccare, sicut patet [n], Eccli. 31,10: *Potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit* etc.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod dicitur ' melior est natura quae peccare potest ' etc., dicendum [o], sicut supra [5] dictum est: cum dico ' natura quae peccare potest ', duo dico, naturam scilicet [p] rationalem et defectum eius, scilicet quod peccare potest; fit ergo comparatio naturae ad naturam, non defectus ad carentiam defectus, sicut melior homo malus [q] quam bruta.

---

[a] V om. [b] V om. [c] V *coronabitur.* [d] Ita P, alii om. [e] PVS *compensationem.* [f] PVS *dicimus.* [g] L om. [h] R om. [i] B *per*, R *semper.* [k] L *et.* [l] L *uno.* [m] L om. [n] PVS om. *s. p.* [o] S add. *quod*, V om. *supra.* [p] F om. [q] S *melius.*

1 Cf. c. 1, n. 3 (PL 41, 349); *De Gen. ad litt.*, XI, c. 7, n. 9 (PL 34, 433), ad sensum.
2 II Tim. 2, 5.
3 *De Gen. ad litt.*, XI, c. 7, n. 9 (PL 34, 433).
4 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 4, c. 23 (PL 176, 243).
5 Sub *Respondeo.*

147

CAPUT V.

UTRUM CHRISTUS SECUNDUM HUMANAM NATURAM POTUIT FIERI MELIOR.

Deinde quaeritur utrum Christus secundum humanam naturam potuit fieri melior [1].

Quod non videtur *a.* per illud Ioan. 3,34: *Non est ei datus spiritus ad mensuram.* Ergo gratia eius infinita; ergo eius bonitas non potuit esse maior.

b. Item, est participatio bonitatis divinae per naturam, per rationem, per voluntatem, per unionem. Per naturam: ut quaelibet creatura; per rationem: ut quaelibet rationalis creatura etiam mala [a]; per rationem simul et voluntatem vel amorem: ut sancti; per unionem: ut [b] in solo Christo, nec potest maior participatio bonitatis inveniri. Non ergo potuit amplior esse bonitas in creatura quam in Christo; non ergo potuit fieri melior.

Contra: 1. Universitas et quaelibet eius pars potuit fieri melior; ergo et Christus, cum ipse sit pars universitatis.

Respondeo: Est esse naturae et est [c] esse gratiae; item, esse naturae potest considerari dupliciter: secundum se vel in ordine. Si consideretur Christus per humanam naturam secundum se: melior potuit fieri, quia potuit fieri [d] impassibilis, factus est autem mortalis et passibilis. Si consideretur in ordine ad nostram redemptionem propter quam factus est homo: non potuit fieri melior, quia melius fuit nostrae miseriae sanandae ut esset mortalis et passibilis. — Item, si loquamur de bonitate gratiae: dicendum quod Christus fuit ita bonus quod nullus fuit melior. Sed si dicatur optimus 'quo nullus potuit esse melior': distinguendum quod nullus potuit eo esse melior, scilicet de potentia passiva recipientis; potuit tamen esse de potentia Dei activa operantis, cuius omnipotentia est infinita, quamvis non possit intelligi.

148

CAPUT VI.

UTRUM B. VIRGO UT PURA CREATURA POTUIT ESSE MELIOR.

Deinde quaeritur de B. Virgine, utrum [ut] pura creatura potuit esse melior [2].

Quod non videtur: *a.* Luc. 1,28: *Ave, gratia plena.*

b. Item, habet summam gratiam, qua exaltata est super choros angelorum [3].

Contra: 1. Sua gratia et sua gloria finita est; ergo potest ei aliquid addi, quia finito aliquid potest addi.

Respondeo: Est considerare bonitatem secundum se: et secundum hoc maior potuit in ea esse bonitas; sed si consideretur bonitas in ordine etiam [e] speciali: sic non potuit B. Virgo fieri melior, scilicet quantum ad esse gratiae, quod ex ea conciperetur Christus et quod etiam ipsa esset mater Christi; et hoc eo modo quo dictum est [4], scilicet quantum erat ex parte sua, licet posset de potentia Dei agentis. Unde dicit Anselmus, in libro *De conceptu virginali* [5]: « Decebat ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret; nempe decens erat ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret cui Deus Pater unicum Filium, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat ut naturaliter esset unus idemque [f] communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem eligebat et de qua Spiritus Sanctus volebat et operaturus erat ut conciperetur et nasceretur ille de quo ipse [g] procedebat ».

149

CAPUT VII.

UTRUM UNIVERSITAS POTUIT FIERI MELIOR.

Consequenter quaeritur de universitate, utrum potuit fieri melior.

Videtur quod non: 1. Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [6]: « *Vidit Deus cuncta quae fe-*

---

[a] P *mali.* [b] BRLF om. [c] BRLF om. [d] F om. *q. p. f.* [e] PVS *in.* [f] P *et idem quia.* [g] PVS *ille.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 44, dub. 3 (I, 793).
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 44, dub. 4 (I, 793).
3 Cf. Offic. Assumptionis B. M. Virginis, vers. ad 1 Vesp.
4 Cf. sub *Respondeo* capitis praecedentis.
5 Cap. 18 (PL 158, 451).
6 Lib. III, c. 23, nn. 36 et 37 (PL 34, 295); cf. *Enchirid.*, c. 10 (PL 40, 236).

cerat, et erant valde bona; singula creata sunt bona, in universo autem *valde bona* ». Ergo universitas est valde bona ita quod non posset esse melior.

2. Item, universitas est congregatio omnium bonorum; ergo extra universitatem nihil est bonum; ergo ipsa est summe bona.

Contra: *a.* Quaelibet pars universitatis potest esse melior; ergo et ipsa potest esse melior.

b. Item, Hugo, in suis *Sententiis* [1], et etiam Magister, in *Sententiis*, 44 dist. [2]: « Ab eis responderi deposco [a] cur dicant rem esse aliquam sive etiam [b] rerum universitatem, in qua melior consummatio expressa est, non posse esse meliorem quam est: sive [c] ideo quia [d] summe bona est ita ut nulla omnino boni perfectio ei desit, sive ideo quia maius bonum, quod deest ei, capere ipsa [e] non valeat. Sed si ita summe bona dicitur ut nulla ei perfectio desit, iam creatura Creatori aequatur; si vero non potest ideo melior esse, quia bonum amplius, quod ei deest, capere ipsa non [f] valet: iam hoc ipsum non posse defectionis est, non consummationis, et potest melior [g] esse, si fiat capax melioris boni ».

Respondeo: Est loqui de universitate simpliciter vel de hac universitate; item est loqui de universitate secundum rationem vel secundum rem. Loquendo de universitate secundum rationem vel simpliciter: sic non potest intelligi aliquod bonum extra universitatem; loquendo secundum rem vel de hac universitate: potest [h] aliquod bonum intelligi extra universitatem et potest melior fieri et [i] in toto et in partibus.

MEMBRUM IV.

De divinae potentiae invariabilitate. 150

Consequenter quaeritur de invariabilitate [k] divinae potentiae. Ad quod ponitur quaestio an Deus possit semper quod aliquando potuit [3].

a. Et cum non varietur eius potentia, sed semper sit uno modo se habens, quidquid semel potuit, semper poterit.

Contra: 1. Deus potuit incarnari et modo non potest; ergo non quidquid [l] semel potuit, semper potest; ergo alicuius potentia in eo fuit, quae modo non est.

Responsio Magistri, 44 dist. I *Sententiarum* [4], est [m] quod haec est distinguenda: 'quidquid potuit, semper potest', quia potest [n] esse sensus: 'omnis rei quam habuit potentiam, semper habet', et hoc modo vera est; eadem est enim potentia qua potuit incarnari et qua potest incarnatus fuisse. Sic [o] 'iste potest legere hodie', cras dicemus: 'iste potest legisse', unius rei monstratur esse [p] potentia; et ideo non sequitur in praedicto sensu: 'non quidquid potuit, potest, ergo alicuius [q] potentia in eo fuit, quae modo non est'. — Item, potest esse sensus: 'quidquid potuit, semper potest', hoc est 'quidquid potuit facere, semper potest facere', et hoc modo [r] falsum est; nec propter hoc sequitur variabilitas potentiae, sed variabilitas effectus. Verbi gratia, 'quidquid potuit sol [s], semper potest': si dicatur 'cuiuscumque potentiam habuit [t] [habet]', verum est; sed si dicatur 'quidquid potuit facere, potest', falsum est, quia potuit istum actum, scilicet illuminare, cum effectu vel hanc rem quae modo non est, et tamen modo non potest nec potentia alicuius in eo fuit, quae [u] modo non sit.

Sed obicitur: 1. Potentiae Dei non potest impediri effectus et ideo veraciter [v] dicitur omnipotens, ut dicit Augustinus, in *Enchiridion* [5]; sed [x] potentia, cuius non potest effectus impediri, semper potest suum effectum elicere; ergo potentia Dei quidquid aliquando potest elicere, semper potest elicere [y]. — Item, si sol haberet potestatem quod rem quam illuminat posset conservare et corruptam [z] reficere, quidquid aliquando posset illuminare, semper posset illumi-

---

[a] P *deposce*; V *deposcetur* pro *deposco cur*. [b] F *esse*, V om. *in*. [c] L add. *etiam*. [d] R add. *est*, F *omni* pro *omnino*. [e] R exp. [f] Ita BR add. interl., alii om. [g] S *nobilior*. [h] L *propter*. [i] PVS om., P *post* pro *potest*. [k] F *variabilitate*. [l] L add. *potuit*, PV om. *non*, [m] L om. [n] V om. *q. p.* [o] V *si*, BR *sicut*. [p] LF om. [q] F *aliqua*. [r] F om. [s] B *semel*. [t] PV om. [u] L add. *non*. [v] PV add. *non*, quod S abrasit. [x] P *si*, PVS *potentie eius* pro *p. c.* [y] BRLF *efficere*. [z] R add. *posset*, BRLF *servare* pro *conservare*.

1 Cf. *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 22 et *Summa*, tr. 1, c. 14 (PL 176, 214, 70)

2 Lib. I, c. 1 (p. 269).

3 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 44, c. 2 (p. 270). Inter articulos in quibus Magister *Sententiarum* non tenetur communiter ab omnibus, in libro I, sub num. 1 occurrit sequens: « *Quod Deus semper potest quidquid aliquando potuit*, et vult quidquid voluit, et scit quidquid scivit ». Cf. Lombard., *Libri IV Sent.* (1916), prolog., p. LXXIX. Notanda similitudo inter textum huius articuli et modum quo ab Alexandro ponitur quaestio « *An Deus possit semper quod aliquando potuit* ». Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 44, a. 2, q. 1 (I, 790 sqq.).

4 Cap. 2 (p. 270), ubi et praecedens argumentum tangitur. Cf. Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 9 (PL 211, 822).

5 Cap. 96 (PL 40, 276). Cf. supra, pag. 211a.

nare; ergo quidquid Deus potuit facere, semper potest facere; ergo nullum est exemplum de sole. — Item, obicitur: quidquid potuit, potest, id est cuiuscumque potentiam habuit, habet; sed habuit potentiam creandi mundum in praesenti instanti; ergo potest creare mundum in praesenti instanti [a].

2. Item, ad quemcumque actum se extendit aliquando eius potentia, potest se extendere; sed potuit se extendere ad creandum mundum ante creationem et ad sumendum carnem ante incarnationem; ergo et potentia sua se potest extendere ad creandum et ad [b] incarnandum; ergo potest modo creare mundum et incarnari.

3. Item, si dicatur quod in huiusmodi argumentationibus mutatio est praedicamenti, quia mutatur 'quid' in 'quando' — ut si dicatur 'quidquid potuisti, potes, sed potuisti heri currere, ergo potes heri currere': cum enim [c] dicitur 'posse currere', dicitur posse 'quid', sed cum assumitur [d] 'potuisti heri', non dicitur posse 'quid', sed posse 'quando'; similiter, cum dicitur 'quidquid potuit Deus, potest', dicitur posse 'quid'; sed cum assumitur 'potuit mundum creare in hoc instanti', dicitur posse respectu 'quando': et ideo non sequitur; similiter ad sequens, cum assumit 'potuit eius potentia se extendere ad creandum ante creationem' — sed obicitur: quandocumque Deus aliquid potuit, semper illud potest; sed potuit mundum creare in hoc instanti; ergo modo potest; hic constat [quod] est assumptio in eodem genere. — Si dicatur quod haec [e] est falsa 'quandocumque Deus aliquid [f] potuit' etc. – contra: sicut divina potentia non coarctatur actu, ita nec tempore; si ergo in quemcumque actum potuit, modo potest, ergo in quocumque tempore aliquid potuit, modo illud potest.

4. Item, obicitur: quidquid Deus potuit, modo potest; sed potuit facere quod mundus non fuisset [1] nec ego natus fuissem; ergo potest facere quod mundus non fuerit nec ego natus sim.

5. Si dicatur quod posse ista, non est potentiae, quia sunt impossibilia – contra: magis impossibile est quod est impossibile per se quam quod est [g] impossibile per accidens [2]; sed posse impossibile per se non est impossibile Deo, quia illud potest, ut de trunco facere vitulum, ut dicit Anselmus [3]; ergo nec posse impossibile per accidens est impossibile Deo. Cum ergo me natum non fuisse et mundum non fuisse sint impossibilia per accidens [h], quia aliquando fuerunt possibilia, relinquitur quod Deo ista posse non est impossibile.

6. Item, obicitur: non potuit aliquando creare quin potuerit creare prius, ita quod 'prius' et 'aliquando' determinent hoc verbum 'creare'; ergo potuit creare ab aeterno, ita quod 'ab aeterno' determinet 'creare': sicut sequitur 'non aliqua sciuntur ab isto quin plura sciantur, ergo infinita sciuntur ab isto'.

Respondeo: Fatendum divinam potentiam invariabilem, sicut divinam essentiam immutabilem; tamen quia [i] subiecta divinae potentiae transmutantur, inde est quod sermones, quibus loquimur de divina potentia, variantur.

Notandum igitur [k] quod sicut 'videre' accipitur duobus modis: in habitu, habere scilicet potentiam videndi, vel in usu [l], scilicet uti visu — primo modo dormiens videt, secundo modo vigilans, luce praesente, videt — sic nos loquimur de divino posse duobus modis: habere potentiam vel uti potentia. Duobus ergo modis potest intelligi 'quidquid potuit, potest': vel 'quandocumque [m] vel cuiuscumque potentiam habuit, habet [n]', vel 'quidquid potuit facere, potest facere'. — In primo sensu si diceretur 'quandocumque [o] potentiam habuit, habet', indistincte concedendum est [p]. Sed si diceretur 'cuiuscumque potentiam habuit, habet', intelligendum quod per hoc quod dicit 'cuiuscumque' potest fieri distributio pro rebus secundum quod abstrahunt a tempore, et hoc modo concedendum est; vel pro rebus secundum quod concernuntur [q] tempori, et hoc modo non est concedendum: nam potentia Dei respicit res supra tempus. Cum ergo arguit 'potuit incarnari, ergo potest incarnari', accipit sub conditione temporis et mutat praedicamentum; sed deberet assumere 'sed potuit incarnationem vel habuit potentiam incarnationis, ergo habet potentiam incarnationis eiusdem'. Sicut dicitur de fide, quae est rerum supra tempus [4], 'quamcumque fidem habuerunt patres antiqui, habent [r] moderni; sed illi habuerunt fidem de Christo incarnando; ergo et moderni de Christo incarnando' non sequitur, immo de incarnato; sed deberet assumi: 'sed [s] antiqui habuerunt fidem incarnationis, ergo et moderni'. — In secundo vero sensu quo dicitur 'quidquid potuit [t] facere, potest facere', intelligendum est si illud facere modo potentiae est [u]; nam respectu aliquorum 'potuisse [v] facere' dicit quod est potentiae, 'posse vero modo facere' dicit quod non est potentiae. Verbi gratia: 'potuisse mundum creare in hoc instanti vel ante creationem' dicit quod est potentiae; sed 'posse creare

---

[a] F om. *ergo... instanti.* [b] BRLF om. [c] R om. [d] R *dicitur.* [e] P om. [f] PVS om. [g] L om. [h] F om. *est impossibile Deo... accidens.* [i] S om. [k] R om. [l] V *visu.* [m] V *quamcumque.* [n] PVS om. [o] Ita B (corr.), alii *quamcumque.* [p] PVS om. [q] F *continentur.* [r] BRLF *habuerunt.* [s] BR *quod.* [t] L add. *Deus.* [u] S om. [v] PV *potius se.*

1 Cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 60 (PL 210, 650).
2 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 12 (II, 525).
3 Cf. rectius Alan., loc. cit., reg. 58 (PL 210, 648).
4 Cf. Hebr. 11, 1.

in hoc instanti, postquam creatus est' non est potentiae[a]: sicut enim facere non est facti, sed faciendi, et factum facere non est facere: sic posse facere factum non est posse, sed posse facere faciendum. Simili modo posse creare mundum creatum non est[b] posse, sed posse creare creandum: sicut enim[c] factum non fit, sed faciendum, sic non est facere factum, sed faciendum.

[Ad obiecta]: 1. Ad[d] illud quod obicit quod 'non impeditur eius effectus, ergo quemcumque effectum potuit facere[e], et potest': concedo, dummodo effectus sit in ratione faciendi, quia sic[f] dicitur quod est potentiae; non in ratione facti, quia sic dicitur quod[g] nullius est potentiae, immo quod est[h] cassum et vanum.

2. Ad illud vero quod obicit[i] quod 'ad quemcumque actum se extendit potentia' etc.: concedendum eo[k] modo quo dictum est; potentia enim se extendit modo ad creandum alium mundum, si Deus vellet, qui quidem non est; similiter se extendit potentia ad conservandum mundum, qui iam est. Sed dicere quod 'potentia Dei se extendat ad faciendum mundum, qui factus est et iam est', hoc est[l] dicere: 'se extendit ad illud quod non est facere'; nam fieri mundum, qui factus est, non est fieri, nec facere factum est facere. Nam ponamus quod aliquis faciat factum: faciendo factum aut facit aliquid aut nihil; si aliquid: ergo illud non fuit factum; ergo iam non facit factum: quod est contra positum; si nihil: ergo factum facere est nihil facere.

3. Ad illud vero quod obicit 'quandocumque est potens etc. est potens[m]', per hoc patet solutio.

4. Ad illud vero quod obicitur 'potuit facere quod non fuerim[n] vel quod mundus non fuerit': dicendum quod, quamvis istud esset potentiae[o] ante mundum factum vel antequam ego essem, eo modo quo[p] liberi arbitrii est posse respectu faciendi et non faciendi, tamen postquam mundus factus est, hoc posse non est posse, quia, sicut dicit Augustinus, *Contra Faustum*, libro II[1]: « Quisquis itaque dicit 'si omnipotens est Deus, faciat ut[q] quae facta sunt, facta non fuerint', non videt hoc[r] se dicere: 'si omnipotens est[s] faciat ut ea, quae vera sunt, eo ipso[t] quo vera sunt, falsa sint'; potest enim facere ut aliquid non sit, quod erat: tunc enim facit quod non sit[u], quando id esse invenerit de quo fiat, velut cum aliquem, qui coepit esse nascendo, faciat non esse moriendo; hoc enim factum invenit de quo fieret. Quis autem dicat ut idem, quod iam non est, faciat non esse? quidquid enim praeteritum est iam non est; quod si de ipso aliquid fieri potest, adhuc est de quo fiat ».

5. Ad illud quod obicit[v] de impossibili per accidens et per se, iam patet solutio.

6. Ad ultimum vero dicendum quod illud quod dicitur 'ab aeterno creare vel ab aeterno creatum' habet repugnantiam implicitam. Si enim ab aeterno creatum est, ab aeterno est; et si ab aeterno est, non habet esse post non-esse; ergo increatum est. Nec sequitur 'non potuit aliquando creare quin potuerit creare prius, ergo ab aeterno': nam quandocumque[x] crearetur, esset significare aliquod instans temporis in quo est creare, quae significatio non fuit prius[2].

QUAESTIO III.

DE POSSIBILI DIVINAE POTENTIAE.

Consequenter quaeritur de possibili divinae potentiae et in hunc modum:
Primo enim quaeritur quid sit simpliciter possibile et impossibile;
secundo, an illud quod est contra naturam sit Deo possibile;
tertio, utrum quod opposita sint idem, quod est impossibile per se, sit Deo possibile;
quarto, utrum quod est impossibile per accidens sit Deo possibile: ut de corrupta facere[y] incorruptam;
quinto, quaerendum esset utrum damnare Petrum et salvare Iudam sit Deo possibile, sed istud determinatum est[z] prius, quando quaesitum est de immensitate divinae potentiae[3].

---

[a] PV *possibile*, quod S corr.; F *creare* pro *facere*. [b] PV om. [c] LF add. *posse*. [d] R *Item ad*, PVS *obicitur* pro *obicit*. [e] BRLF *cfficere*, V *dum* pro *dummodo*. [f] V *si*. [g] L om. [h] BR om. [i] PVS *obicitur*, F *quarumdam* pro *quemcumque*. [k] L *eodem* et om. *quo*. [l] B om. [m] F om. *e. p.*, B *patens* et om. *patet*. [n] V *fuerit*. [o] PV *possibile*, quod S corr.; L om. *quod*. [p] BRL *quod*, PVS om. *ego*. [q] PVS *ut faciat* pro *f. u.* [r] F *videt* pro *n. v. h.* [s] S add. *Deus*. [t] P *tempore*, V om.; V *aliquis* pro *aliquid*. [u] R *nondum fit* pro *n. s.* [v] PVS *obicitur*. [x] BRF *quodcumque*, quod L corr. in mg., R *singulare* pro *significare*. [y] BRLF om. [z] L om.

[1] Lib. XXVI, c. 5 (PL 42, 481). [2] Cf. supra, p. 92, num. 64. [3] Cf. supra, p. 219b, III.

151 CAPUT I.

QUID SIT SIMPLICITER POSSIBILE ET IMPOSSIBILE [1].

Ad primum nota tres opiniones [2], quarum prima est dicentium: quod est [a] possibile secundum inferiores causas est possibile simpliciter et solum [3]. — Alii dicunt: quod est [b] possibile secundum superiorem causam est simpliciter possibile [4]. — Alii dicunt, quasi [c] tenentes viam mediam, « quod non solum dicitur possibile secundum inferiores causas nec solum secundum superiores, sed aliquando secundum has [d], aliquando secundum illas, dicitur possibile secundum diversa adiuncta [5] ».

I. Contra primam obicitur hoc modo: 1. Quod potest causa inferior, potest superior; et non potest inferior causa contradicere superiori; ergo illud est simpliciter possibile quod potest causa superior.

2. Item, I Cor. 1,20: *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Glossa [5]: « *Sapientia mundi* [e], ubi stultum et infirmum Dei contemnitur, quod est secundum rationes huius mundi, quae impossibile iudicat [f] quod in naturis rerum non reperitur; hanc *Deus stultam fecit*, possibile fore declarando quod illa impossibile iudicat ». Ergo possibile secundum superiorem causam est possibile simpliciter.

3. Item, verum est differentia possibilis; omne ergo verum est possibile; sed virginem fore parituram erat verum, quando Prophetae istud praedicebant [g]; ergo erat simpliciter possibile; sed non secundum inferiorem causam; ergo secundum superiorem.

4. Item, animam creari est possibile simpliciter; sed non secundum causam inferiorem; igitur secundum superiorem [7].

5. Item, Deum esse bonum et trinum et unum est necessarium; ergo est possibile [h]; sed non secundum inferiores causas [i]; ergo secundum superiores.

6. Item, si aliquid [k] sequitur ad aliud, si primum est possibile, et secundum [8]; sed bene [l] sequitur ' si Deus facit quod virgo, manens virgo, pariat, virgo, manens virgo, parit '; sed primum est possibile simpliciter, scilicet quod Deus facit virginem parere [m]; ergo virginem parere simpliciter est possibile. Relinquitur igitur: quod possibile est secundum causam superiorem est possibile simpliciter.

Et haec est opinio secunda.

II. Contra quam obicitur: 1. Matth. 19,26: *Omnia sunt possibilia Deo.* Quaeritur ergo: aut fit distributio pro possibili simpliciter aut non. Si pro possibili simpliciter: non est magna laus divinae potentiae, quod scilicet possit ea quae sunt simpliciter possibilia; cum ergo hoc [n] dicatur in laudem divinae potentiae, non fit distributio pro possibilibus simpliciter, sed pro impossibilibus; si hoc, ergo impossibile est possibile. — Si dicatur quod non sequitur, quia ex impossibili secundum quid infertur possibile simpliciter – [contra]: cum enim dicitur ' omnia possibilia sunt Deo ', includitur quod est possibile secundum quid; ex hoc ergo relinquitur quod ' possibile Deo ' non ponit possibile simpliciter; ergo possibile secundum causam superiorem non est [o] possibile simpliciter, sed secundum causam inferiorem.

2. Item, cum dicitur ' virginem, manentem virginem, parere, est possibile Deo, vel caecum videre ', haec possibilitas est cum contrario actu materiae; illa vero possibilitas, quae est [p] secundum causam inferiorem, est sine omni contrarietate; ergo illud est simpliciter possibile quod est secundum inferiorem causam et naturam.

3. Item, quod est possibile secundum omnem modum et solum est possibile simpliciter; sed quod est possibile secundum inferiorem causam est possibile secundum omnem modum, quia est possibile respectu causae inferioris et superioris: quia quidquid potest causa inferior, potest causa superior; ergo illud est possibile simpliciter; possibile vero solum secundum causam superiorem non est possibile secundum omnem modum; relinquitur ergo quod non est possibile simpliciter [9].

---

[a] PVS om. [b] PVS om. [c] LF *quod.* [d] PVS *istas.* [e] Ita B add. mg., alii om. *s. m.* [f] PV *iudicant*, quod B corr. [g] S *predicabant*, L om. *istud* [h] P *impossibile.* [i] PVS om. [k] V *aliquis*, L *aliud.* [l] PVS *non.* [m] P add. *simpliciter.* [n] R om. [o] PVS om. [p] Ita F, alii om.

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 42, a. 1, q. 4 (I, 756 sqq.).

[2] Cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 56-59 (PL 210, 647 sqq.); Lombard., II *Sent.*, d. 18, cc. 5 et 6 (p. 390 sq.); Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 8 (PL 211, 821); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 11, q. 2 (f. 26d sq.); Praeposit., *Summa*, I (f. 74b sqq.).

[3] Huius opinionis fuit Abaelardus, *Introd. ad theol.*, III, cc. 5 et 8 (PL 178, 1100 et 1112).

[4] Huic adhaeret Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 27a).

[5] Guil. Altissiod., loc. cit.

[6] Lombardi, in h. l. (PL 191, 1543); cf. Ambrosiaster, in h. l. (PL 17, 189); Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 26d).

[7] Pro hoc et duobus sequentibus argumentis cf. Guil. Altissiod., loc. cit.

[8] Cf. Alan., loc. cit., reg. 59 (PL 210, 649).

[9] Cf. Alan., loc. cit., reg. 57 et 58 (PL 210, 647 sq.).

4. Item, videtur per se oppositio in extremis, cum dicitur 'virgo parit'; sed ubi est per se oppositio in extremis est impossibile per se, ut album esse nigrum; ergo per se impossibile est virginem, manentem virginem, parere. Ex iis ergo relinquitur quod illud quod est possibile [a] secundum causam inferiorem est possibile simpliciter.

III. Propter ista obiecta tertia opinio est quod 'possibile' [b] « aliquando dicitur secundum causas inferiores, aliquando secundum [c] causas superiores, quia haec dictio 'possibile' secundum diversa adiuncta copulat pro diversis possibilibus [d]. Unde cum dicitur 'possibile est Deum esse bonum', haec dictio [e] 'possibile' copulat pro possibilitate secundum causas superiores, et ideo vera est; cum vero dicitur 'possibile est caecum videre', copulat pro possibilitate secundum causas inferiores, et ideo falsa est. Istorum sententia est quod 'virginem peperisse' modo est possibile, aliquando tamen fuit impossibile. Et Deus de impossibili facit possibile duobus modis: uno modo reparando naturam, sicut in caeco illuminato, et tunc potentia miraculosa, sed actus naturalis; alio [f] modo dando novam potentiam, sicut dedit B. [g] Virgini potentiam concipiendi sine viro, et est haec potentia miraculosa et actus miraculosus [1] ».

Contra: 1. « Si aliquid est album aliqua albedine, est album simpliciter; ergo si aliquid est possibile aliqua possibilitate est possibile simpliciter; sed virginem, manentem virginem, parere fuit semper possibile aliqua possibilitate; ergo simpliciter fuit possibile ».

2. Item, Augustinus, *Super Genesim* [2]: « In costa erat ut ex ea posset fieri mulier, sed non ut ex ea fieret mulier »; similiter in caeco est ut possit fieri videns. Arguitur ergo hoc modo: « In quocumque est potentia currendi, in eo est ut currat [3] »; ergo simili ratione, in quocumque est potentia videndi, in eo est ut videat; ergo in caeco erit potentia ut videat, et « in costa ut ex ea fiat mulier »; ergo caecum videre et costam fieri mulierem est possibile simpliciter.

3. Item, loquamur de caeco illuminato pro tempore ante illuminationem: caecus videbit; ergo possibile est caecum videre; ergo iste caecus potest videre.

4. Item, possibile est hunc caecum habere potentiam videndi, quia iam erit verum cum fiet miraculum; sed si habet potentiam videndi, possibile est videre; ergo possibile est [h] hunc caecum videre [4].

Respondeo: Dicendum quod intentio 'possibilis' solet dici de dicto et de re subiecta. Secundum quod dicitur de dicto, non [i] pertinet ad praesentem quaestionem, quia [k] dictum 'possibile' dicitur respectu veritatis necessariae vel contingentis [5] in dicto, quae quidem fundatur in affirmationibus et negationibus, et secundum omne genus [l] causalitatis; et tantum [m] de hoc intendebant qui erant tertiae opinionis. — 'Possibile' vero de re subiecta potest accipi proprie vel appropriate. Appropriate, secundum quod ascendit [n] scientia Theologiae, quae intendit [o] in causam superiorem: et hoc modo dixerunt 'possibile' quod est possibile secundum causam superiorem, qui fuerunt secundae opinionis [6], prout ascendunt nomina, sicut ascendunt scientiae, sicut intentio totius in geometricis pro toto continuo, in logicis pro toto universali, in metaphysicis [p] pro toto perfecto [7]. — Proprie vero 'possibile' [est] quod est possibile secundum causam inferiorem, quia illud est possibile et secundum superiorem, et ideo ex parte agentis omnino possibile; praeterea, ex parte materiae est potentia et aptitudo seu privatio, sicut patet in naturalibus et artificialibus: et hoc modo intendebant, et recte, qui fuerunt primae opinionis, quia possibile simpliciter et proprie [est] quod est possibile secundum causam inferiorem.

Ad obiecta vero per ordinem respondendum.

I. 1. Ad primum dicendum quod verum est quod causa inferior non contradicit superiori; sed dispositio [q] in causa inferiori potest contradicere actioni quae potest elici a causa superiori, ut patet: oculus caecus non contradicit causae [r] superiori, sed tamen caecitas, quae est dispositio in oculo, contradicit actui videndi qui potest elici a causa superiori; nec dicitur [s] possibile simpliciter quod tantum est possibile Deo, sed quod est possibile secundum omnem modum; videre autem non est possibile secundum istum [t] modum isti caeco, licet sit possibile Deo; unde non est possibile simpliciter. Et notanda est differentia in actionibus naturalibus et miraculosis: in miraculosis enim praecedit actus potentiam, sed in naturalibus praecedit potentia, deinde sequitur actus. Et inde est quod hic ponitur simpliciter possibile,

---

[a] B *impossibile.* [b] LF add. *est.* [c] L *per.* [d] B *possibilitatibus.* [e] LF add. *bonum.* [f] PVS add. *autem.* [g] F *huic.* [h] PV om. [i] Ita R add. interl., alii om. [k] PVS *qua.* [l] Ita RL, PV *esse totius,* B *hoc omne genus,* S (corr.) F *esse genus* pro *o. g.* [m] Ita V, alii *tamen.* [n] P *apprehendit,* V *attendit,* S *ostendit;* R *scientiam* pro *scientia.* [o] V *attendit.* [p] PVSR *mechanicis.* [q] V *disputatio.* [r] L *scientie.* [s] PVS *erit.* [t] F *hunc.*

1 Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 27a), ubi et sequens.
2 Cf. *De Gen. ad litt.,* IX, c. 18, n. 34 (PL 34, 407).
3 Guil. Altissiod., loc. cit., c. 11 (f. 26b sq.), ubi et sequens.
4 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 26d).
5 Cf. Aristot., *Metaph.,* IV, c. 12 (II, 525).
6 Guil. Altissiod., loc. cit., I, c. 11, q. 2 (f. 27a): « Secunda opinio de re potest sustineri, de dicto non ».
7 Cf. Aristot., *Metaph.,* IV, cc. 16 et 26 (II, 527, 531).

quia potentia praecedit actum; ibi vero [a] non, quia actus praecedit potentiam.

2. Ad illud quod obicitur I Cor. 1,20: *Stultam fecit Deus sapientiam* etc. in [b] Glossa, respondeo: ibi loquitur de possibili [c] secundum proprietatem Theologiae; unde sensus illius locutionis est talis: « sapientia mundi iudicat impossibile » non solum secundum causam inferiorem, sed etiam secundum causam superiorem, « quod in naturis rerum non reperit [d] »; sed « Deus declaravit sibi fore possibile »; unde sumitur ibi ' possibile ' pro possibili Deo secundum proprietatem Theologiae, quia loquitur de incarnatione et passione et potentia incarnationis et passionis.

3. Ad illud quod quaeritur ' utrum possibile sit virginem parere ', dicendum [e] quod haec est duplex ' virginem parere est possibile ': potest enim intelligi de re vel de dicto. Si de re subiecta, falsa est, et est sensus: ' virgo potest parere ', id est ' habet potentiam pariendi '; nulla enim virgo ad hoc habuit possibilitatem, donec B. Virgini data fuit illa potentia, sicut dicit Damascenus [1]: « Spiritus Sanctus supervenit [f] purgans ipsam et virtutem generativam Verbi Dei tribuens ». Si intelligatur de dicto, vera est, et est sensus: hoc dictum ' virginem parere ' est possibile; nec notatur potentia respectu rei subiectae, sed respectu dicti; et notatur possibilitas secundum causam superiorem, sicut antequam mundus esset, fuit possibile mundum fore, scilicet quoad Deum: et haec est [g] possibilitas in dicto, quae fundatur in causa agente, non in materia.

6. Quod [h] obicitur ' si aliquid sequitur ad aliud, si antecedens est possibile, et consequens ', non sequitur generaliter; sequitur tamen sumpto possibili in eodem genere. Est autem [i] possibilitas secundum causam inferiorem et superiorem; nec sequitur ' aliquid est possibile secundum causam superiorem, ergo et secundum [k] inferiorem '. ' Possibile ' autem determinatur secundum adiunctum, ut quando coniungitur [l] cum dictione notante causam superiorem, notatur ' possibile ' secundum causam superiorem; sed cum dicitur [m] ' virgo potest parere ', notatur possibile simpliciter et respectu causae inferioris; cum vero dicitur ' possibile est quod Deus faciat virginem parere ', notatur possibilitas secundum causam superiorem. Unde habent quidam [2] pro regula quod non sequitur: ' si est veritas in essentia, quod sit possibilitas in natura ', quia veritatem in essentia facit causa superior, ut asinam loqui [a] vel virginem parere, deficiente possibilitate causae inferioris. Vel melius est ut dicamus [3]: « ' omne verum est possibile '; unde [b] sicut ' verum ' ampliatur ad ea quae fiunt secundum causam superiorem, ita ' possibile [c] ': verum enim est species possibilis [4]. Non est enim [d] concedendum quod aliquid sit possibile nisi in veritate sit vel secundum naturam fieri possit. Unde non concedimus dictum [e] ' facere loqui asinam Balaam [5] esse possibile ', quia nec in veritate est nec secundum naturam fieri potest; sed tamen concedimus Deum posse hoc facere; ut [f] autem fiat sermo de re, non de dicto, possibile est Deo « facere asinam Balaam loqui; et sic verum fuit et possibile asinam Balaam loqui, sed modo nec verum est nec possibile ».

4. Ad illud quod obicitur de creatione [g] animae: dicendum quod [h] possibile secundum naturam dicitur duobus modis [i]. Uno modo, cuius principium est natura sive cuius [k] principium est in natura; alio modo, quod non est a potentia naturae, sed tamen est consuetum ut fiat in natura a causa superiori, secundum quod dicitur ' consuetudo est altera natura ' [6], ut creatio et iustificatio et huiusmodi. Simpliciter ergo possibile dicitur quod est possibile secundum naturam istis duobus modis; unde etiam definitur miraculum [l] per arduum et insolitum [7]: per arduum, quia eius principium non est natura; et per insolitum, quia non est consuetum ut fiat in natura, licet non a natura [8].

5. Ad illud ' Deum esse trinum et unum est possibile ' patet responsio, quia non dicitur ' possibile ' respectu rei subiectae; secundum hoc enim significaretur quod Deus esset ens in potentia, quod est falsum, sed significatur potestas Dei, quae fundatur [m] super veritatem rei, qua verum est Deum esse trinum et unum.

II. Ad obiecta vero contra secundam opinionem sic [n]:

1. Ad illud quod primo quaerit ex Matth. 19,26: *Omnia possibilia sunt credenti*, ' utrum fiat distributio pro possibilibus vel pro [o] impossibilibus ': dicendum quod fit distributio pro possibilibus et impossibilibus secundum causam inferiorem; non tamen ex hoc [p] sequitur quod impossibilia sint possibilia simpliciter, sed sunt pos-

---

[a] R om. [b] V om. [c] R *potentia*. [d] R *reperitur*. [e] F add. *est*. [f] S *superveniens*. [g] Ita BR, alii om.; V om. *in*. [h] PVSB *Item*. [i] R *et est* pro *e. a*. [k] R add. *causam*. [l] PVSF *cum adiungitur* pro *q. c*. [m] L om. [a] V om.. [b] BRLF *ut*. [c] F *impossibile* pro *i. p*. [d] R om. [e] Ita F, alii *Deum*, quod B exp. [f] P *utrum*, quod S corr. [g] S *creatore*. [h] F add. *est*. [i] F om. [k] R om. [l] P add. marg. *ab Augustino in libro De utilitate credendi*. [m] F *infundatur* pro *q. f*. [n] BRLF om. [o] BRLF om. [p] R om. *e. h*.

1 *De fide orthod.*, III, c. 2 (PG 94, 986).
2 Cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 59 (PL 210, 649sq.).
3 Alan., loc. cit.
4 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 12 (II, 525).
5 Cf. Num. 22, 30.
6 Augustin., *De musica*, VI, c. 7, n. 19 (PL 32, 1173).
7 Augustin., *De util. credendi*, c. 16 (PL 42, 90).
8 Cf. Alan., loc. cit., reg. 57 (PL 210, 648).

sibilia Deo; nec sequitur 'ergo possibilia'. Unde in libro [a] *De regulis Theologiae* [1]: « Deus omnipotens dicitur, quia [b] potest non solum quae sunt vel fieri possunt, sed etiam quae fieri non possunt: potest enim impossibilia; et multa, quae sunt impossibilia secundum inferiorem causam vel secundum naturam, sunt possibilia secundum superiorem causam: quidquid enim est possibile secundum inferiorem causam, est possibile secundum superiorem [c], sed non convertitur; illud autem quod possibile est secundum naturam simpliciter dicitur possibile; quod autem possibile [est] secundum superiorem causam non dicitur simpliciter possibile, sed possibile Deo ».

2-3-4. Reliqua vero quae obiciuntur concedenda sunt [d], ut patet ex dictis.

III. Ad obiecta vero contra tertiam opinionem, quae quodammodo veritatem habet, dicendum.

1. Ad illud quod primo obicit quod 'virginem parituram [e] est possibile aliqua possibilitate, ergo est possibile': dicendum quod non sequitur, nisi illa possibilitas sit possibilitas simpliciter; sed [f] patet ex dictis [2] quod possibilitas secundum causam superiorem tantum, cum sit ratione potentiae agentis, non materiae, non ponit possibilitatem simpliciter, sed secundum quid, in re, sicut esse in causa non ponit esse simpliciter, sed [g] esse secundum quid.

2. Ad aliud quod obicit quod 'in costa erat unde posset fieri mulier, et similiter [h] in caeco ut possit fieri videns': dicendum quod est potentia activa et passiva [3]. Activa duplex est: creata et increata; passiva duplex: respectu potentiae creatae et respectu potentiae increatae. Dicendum ergo quod in costa erat potentia passiva sive materialis unde [i] posset fieri mulier a potentia activa increata, cui subiecta est et obediens omnis materia ut faciat de ea quidquid vult; sed non erat in costa potentia passiva unde posset fieri mulier a potentia activa creata sive causa inferiori [k]: et ideo non sequitur quod in costa esset unde [l] fieret. Et hoc modo intelligendum est in caeco illuminato et ceteris miraculis.

3. Ad aliud [m] quod proponit 'iste caecus videbit, ergo possibile est istum caecum videre', distinguendum: de dicto, vera [n], et hoc modo sequitur ex praecedenti, quia dictum est verum, ex quo iste caecus est visurus; de re, falsa, quia falsum est [o] quod iste caecus potest videre.

4. Ad aliud dicendum quod possibile est quod iste caecus habeat potentiam videndi, loquendo de potentia passiva. Sed si arguatur 'ergo iste caecus potest videre vel possibile est istum caecum videre', non valet: infertur enim potentia activa a potentia passiva.

Sed si quaeritur si potest dici possibile secundum potentiam activam, postquam factum est miraculum – respondeo: in aliquibus potentia est [p] miraculosa, actus naturalis, ut in caeco illuminato; in aliis potentia miraculosa et actus miraculosus, ut quod asina loquatur, quia contra naturam est quod asina habeat potentiam loquendi, et etiam [q] quod loquatur. In iis ergo [r] dicendum quod asina non potest loqui, quamvis loquatur; sed non sic de caeco, immo postquam [s] videt, potest videre.

CAPUT II.

UTRUM QUOD EST CONTRA NATURAM SIT DEO POSSIBILE.

Consequenter quaeritur [t] utrum quod est contra naturam sit Deo possibile. Ad cuius rei intelligentiam quaeruntur tria:

Primo, utrum potentia Dei ad miracula sit contraria naturae;

secundo, utrum sit aliqua ratio in materia ad miracula;

tertio, cum potentia Dei dicatur in [u] operibus mirabilibus et miraculosis quaedam facere contra naturam, quaedam supra naturam, quaedam praeter naturam, utrum haec sint eadem, an [v] diversa.

ARTICULUS I. 152

Utrum potentia Dei ad miracula sit contraria naturae [4].

Ad primum sic [x]: 1. *Super Genesim*, 2 [5]: « Non habuit prima rerum conditio ut femina sic fieret, sed ut fieri sic potuisset; nec contra causas, quas Deus voluntarie [y] instituit, voluntate mutabili [z]

---

[a] L om. *i. l.* [b] S add. *non.* [c] F add. *causam.* [d] RLF om., in B est add. interl. [e] V add. *esse.* [f] B *sicut*, R *sic.* [g] V add. *ponit.* [h] B om. *e. s.* [i] PVS *ut*, L om. *fieri.* [k] P *inferiorum.* [l] F add. *non.* [m] P *illud.* [n] V *dicta natura* pro *d. v.*, P *distinguendo* pro *distinguendum.* [o] R add. *dictum.* [p] L om. [q] BR om. [r] B *vero.* [s] V *priusquam*, L om. *de.* [t] L om. [u] S *cum.* [v] S *vel.* [x] Ita S, alii om., F om. *non.* [y] BRLF *voluntario.* [z] Codd. *immutabili.*

1 Alan., reg. 56 et 57 (PL 210, 647sq.).
2 Cf. supra, p. 231, sub *Respondeo* et *ad obiecta.*
3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 11, q. 1 (f. 26b).
4 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 42, a. 1, q. 3 (I, 750sqq.); Phil. Grevius, *Summa*, II (f. 90a).
5 *De Gen. ad litt.*, IX, c. 18, n. 34 (PL 34, 407).

aliquid facit ». Ergo non erat contra naturam ut ex costa fieret mulier.

2. Item, Augustinus, in libro *De civitate Dei*[1]: « Omnia portenta [a] videntur esse contra naturam, sed non sunt ».

3. Item, Rom. 11,24: *Contra naturam* [b] *insertus es* [c] *bonae olivae.* Glossa[2]: « Deus, conditor naturae, contra naturam nihil facit ».

4. Item, ibidem: « Id naturae est cuiusque rei quod de ea facit Deus [d] ». Ergo Deus de re nihil facit contra naturam.

5. Item, ratio recta non est contraria rationi rectae; sed naturalis [e] ratio est recta; ergo divina ratio, quae semper est recta, non est contraria rationi naturae; ergo nec ordini naturae [f].

Contra: *a.* Luc. 1,36: *Ecce Elisabeth cognata tua.* Glossa[3]: « Ne Virgo de partu desperet, accipit exemplum anus pariturae, ut discat Deo esse possibilia quae ordini naturae videntur contraria ».

b. Item, II Cor. 12,12: *In signis, prodigiis et virtutibus.* Glossa[4]: « Signa et prodigia sunt in iis quae contra naturam sunt; virtutes in iis quae non contra naturam sunt [g], ut per impositionem manus hominem a morbo liberare [h] ».

c. Item, Rom. 11,24: *Contra naturam insertus es* [i]. Glossa[5]: « Deus non incongrue dicitur aliquid facere *contra naturam*, quando facit aliquid contra id quod novimus in natura: hanc appellamus cognitum [k] nobis solitum cursum naturae, contra [l] quem cum Deus [m] facit, magnalia et miracula nominantur ».

Respondeo: Natura dicitur tripliciter[6]: uno modo, solitus cursus naturae; alio modo, naturalis possibilitas ut Deus faciat ex ea quidquid vult; tertio modo, lex summa naturae, ipse Deus. Verbi gratia: aliquae actiones sunt in potentia naturae activa et passiva. Illa quae sunt in potentia naturae [n] activa dicuntur esse a natura, sicut in productione segetum et huiusmodi; alia vero sunt in sola potentia passiva, ut « in costa erat ut ex ipsa posset fieri [o 7] » Eva, quia in costa non erat potentia activa ad hoc, sed passiva: ideo oportuit ut potentia Dei activa ad hoc operaretur; alia vero sunt quae non sunt in potentia activa nec passiva, ut ad hoc quod Deus fiat homo, et in iis solus [p] Deus est natura sive dispositio divina sive [q] voluntas. Secundum hoc dicendum quod Deus primo modo operatur contra [r] naturam, quia operatur contra solitum cursum naturae hominibus notum; secundo modo et tertio nunquam. — Quod enim primo modo operetur contra naturam, quod est contra [s] solitum cursum naturae hominibus notum, Rom. 11,24: *Contra naturam insertus es.* Glossa[8]: « Dicitur humano more esse *contra naturam*, quod est contra usum naturae mortalibus notum »; et ibidem: « *Contra naturam* dicit Apostolus quod est contra consuetudinem naturae, ut si surculus insertus participet fructum radicis ». — Secundo modo, nihil facit contra naturam, quia hoc modo 'natura' dicitur naturalis obedientia creaturae respectu potentiae Creatoris; si hoc modo faceret contra naturam, faceret quod creatura potentiae suae non obediret: quod est impossibile, cum hoc sit ei [t] a conditione. Unde Augustinus[9]: « Dedit naturis ut ex eis hoc fieri posset, non ut [u] hoc ex naturali motu haberent »; et est exemplum de costa, Gen. 2,21 et de virga Aaron quae fronduit, Numer. 17,8. — Tertio modo non potest facere Deus [v] contra naturam, quia non potest facere contra se ipsum, Rom. 11,24; Glossa[10]: « Contra illam summam legem naturae [x] tam Deus nullo modo facit quam contra se ipsum ».

ARTICULUS II.

153 *Utrum in creatura sit aliqua ratio ad miracula.*

Secundo quaeritur utrum aliqua ratio sit in creatura ad miracula.

Videtur quod sic: 1. Augustinus[11]: « In costa erat ut ex ea posset fieri mulier ». Ergo in creatura est potentia ad opus miraculosum.

2. Item, in caeco est potentia privata [a] cum aptitudine ad visum: caecitas enim dicit aptitudi-

[a] V (corr.) *opera potenta* pro *o. p.* [b] P add. *oleaster*, V *misertus* pro *insertus.* [c] PVS *est.* [d] PV *omnes.* [e] LF *naturaliter.* [f] L om. *c. n. o. n.* [g] B om. *virtutes in... sunt.* [h] P (corr.) *liberaret.* [i] V *est*, F om. *contra naturam.* [k] S om., F *cognitio.* [l] F om. [m] VBLF *dicitur.* [n] BRLF *creature.* [o] F *fieret* pro *p. f.* [p] BRLF *solum*, B *aliis* pro *iis.* [q] F om. [r] R *secundum.* [s] BRLF om., S exp. [t] Codd. *eis.* [u] PVS *enim.* [v] BRLF om. [x] Codd. *iustitiae.*

1 Lib. XXI, c. 8, n. 2 (PL 41, 721).

2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1488), ubi et sequens, ex Augustino, *Contra Faust.*, XXVI, c. 3 (PL 42, 480).

3 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 247), ex Beda, in h. l. (PL 92, 319).

4 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 568); Lombardi, in h. l. (PL 192, 86).

5 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1488), ex Augustino, *Contra Faust.*, XXVI, c. 3 (PL 42, 481).

6 Cf. Augustin., *Contra Faust.*, XXVI, c. 3 (PL 42, 480).

7 Augustin., *De Gen. ad litt.*, IX, c. 18, n. 34 (PL 34, 407).

8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1488), ex Augustino, loc. cit. nota praeced.

9 *De Gen. ad litt.*, IX, c. 17, n. 32 (PL 34, 406).

10 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1488), ex Augustino, *Contra Faust.*, XXVI, c. 3 (PL 42, 481).

11 Cf. *De Gen. ad litt.*, IX, c. 18, n. 34 (PL 34, 407).

nem ad visionem; ergo aliqua aptitudo est in caeco ad videndum.

Contra: *a.* Virginem parere, id est[b] quod virgo, manens virgo, pariat, hoc est contra usum[c] naturae et contra[d] potentiam naturae activam et passivam; ergo non est ratio in opere miraculoso ex parte creaturae.

b. Item, quaedam miracula fiunt[e] in quibus nulla potest esse ratio in creatura, ut quod Deus sit homo.

Respondeo: Sunt naturales rationes, sunt seminales rationes, sunt causales rationes [1]. Ratio causalis est duplex, scilicet creata et increata: increata Deus; creata potentia passiva in creatura[f], scilicet ipsa potentia simplex creaturae absque omni[g] dispositione ad hoc ut[h] faciat Deus quod vult. — Ratio seminalis est potentia passiva creaturae cum aliqua dispositione tamen remota. — Ratio naturalis est potentia cum dispositione propinquiori: in grano ergo est naturalis ratio ad productionem segetis. Ubi autem est operatio secundum rationes naturales, non est opus miraculosum, sed solum secundum rationes seminales aut secundum rationes causales: secundum rationes seminales, ut in virgis de quibus facti sunt serpentes [2]; si enim secundum naturam illae seminales rationes essent productae in actum, tunc rationes seminales fierent naturales, quia essent[i] in propinquiori dispositione, sicut si proiectae essent virgae in aquam et putrefactae et cetera necessaria concurrerent; sed quod natura facit paulatim, Deus in instanti potest facere [3], et ideo miraculosum. Sed sunt alia miracula, ubi solum sunt rationes causales, ut in hoc quod est[k] virginem parere, et illa sunt simpliciter[l] miraculosa; quae autem secundum rationem seminalem sunt partim naturalia, partim miraculosa.

ARTICULUS III. 154

Quaenam sit differentia horum: supra, praeter et contra naturam.

Tertio quaeritur de differentia horum[m]: supra naturam, praeter naturam, contra naturam [4].

[Solutio]: Et dicendum est[n]: supra naturam sunt quorum non est simile in natura nec in potentia naturae: ut in hoc quod est virginem parere. Contra naturam, ut quae fiunt contrario cursu naturae, tamen terminantur ad conforme naturae: ut hoc quod est caecum videre. Praeter naturam dicuntur fieri quae fiunt[o] ordine simili naturae, sed non iuxta modum naturae: sicut ex aliquo habente rationes seminales, subito producitur aliquid in esse, quod longa transmutatione sive putrefactione posset secundum naturam in esse produci; quae quodammodo dicuntur mirabilia, scilicet ratione modi producendi in esse, hoc est quia subito; quodammodo dicuntur naturalia, scilicet propter rationes seminales, quae, offerente se temporis opportunitate, in rerum consimilium[p] species naturaliter prorumperent[q]: sicut de virgis, Exod. 7,3. Unde Augustinus [5]: « Per omnia[r] mundi elementa insunt rebus quaedam occultae seminariae[s] rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporis, prorumpunt in species debitas suis modis et finibus ». Illud ergo[t] in quo insunt[u] seminales rationes, licet per aliquid aliud excitentur[v], non dicitur contra naturam, sed praeter naturam.

CAPUT III. 155

UTRUM QUOD OPPOSITA SINT IDEM SIT DEO POSSIBILE.

Consequenter quaeritur utrum quod opposita sint idem, sit Deo possibile.

Et videtur quod non: *a.* Quia si faceret quod album, manens album, esset nigrum, faceret contra

---

[a] F *privativa.* [b] BRLF *sive* pro *i. e.*, RLF om. *virgo.* [c] F *visum.* [d] F om. [e] V *sunt.* [f] F *increata* pro *i. e.*, quod L corr. [g] R add. *creature.* [h] F *quod.* [i] V om. [k] L om. [l] BR *principaliter*, F *miracula* pro *miraculosa.* [m] P add. *trium.* [n] BR *quod.* [o] PVS *sunt.* [p] VF *consilium*, V om. *in.* [q] PVS *prorumpunt*, B *prorumpet.* [r] R om. [s] F *seminantie* L *enim.* [t] BRLF *adsunt.* [u] SBRL *excitetur*, F *exciture.*

1 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, VI, cc. 11 et 14 et IX, c. 17 (PL 34, 346, 349, 406).

2 Cf. Exod. 7, 3; Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 11, q. 4 (f. 27b).

3 Cf. Augustin., *De Trinit.*, III, c. 5 (PL 42, 874).

4 Cf. Phil. Grevius, *Summa*, II (f. 90c), quem hic presse sequitur Alexander.

5 *Quaest. in Heptat.*, II, q. 21 (PL 34, 602).

ordinationem suam et institutionem [a]; non potest autem facere contra ordinationem suam; ergo non potest facere quod album, manens album, sit nigrum [1].

b. Item, Augustinus, *De vera innocentia* [2]: « Omne corpus in aliud corpus mutari posse credibile est; sed quodlibet corpus in animam rationalem posse converti credere [b] absurdum est, quoniam sic Deus omnipotens est ut nunquam suae rationis instituta avellat »; sed instituta suae rationis sunt ut opposita non sint simul in eodem; ergo non potest contra facere nec etiam potest huiusmodi transmutationes, quas ponit [c] Augustinus, facere.

c. Item, sicut non est possibile Deo facere contra potentiam, ita nec contra veritatem nec contra [d] bonitatem; sed suae veritati repugnaret, si 'esse' et 'non-esse' simul acciperentur de eodem, quia si hoc faceret, contra veritatem faceret; « omne autem verum est verum veritate prima [3] »; ergo contra veritatem suam faceret, si opposita simul esse vera [e] faceret.

Contra: 1. Numquid Deus potest facere de trunco vitulum et e converso? Ergo similiter quod album sit nigrum [4]. Item, magis discrepant Creator et creatura quam album et nigrum, quia album et nigrum sunt sub eodem genere, quod non est [f] Creator et creatura; sed Deus potuit facere quod Creator esset creatura; ergo potest facere quod album sit nigrum.

2. Item, primae [g] differentiae entis sunt ens ab alio, ens non [h] ab alio; sed primae differentiae entis magis differunt quam album et nigrum; ergo si [i] Deus potuit facere quod ens non ab alio, scilicet Deus, esset ens ab alio, scilicet [k] homo, multo fortius potest facere quod album sit nigrum.

3. Item, Hilarius, V libro *De Trinitate* [5]: « Perfectae potestatis est id naturam posse facientis, quod significat sermo dicentis [l], et ita cum [m] quidquid dici potest effici possit, tenet veritatis naturam quod dicto [n] exequatur ». Et vult dicere quod perfectae potentiae est quod Deus possit facere quidquid dici potest; sed « sermo dicentis » potest significare quod album sit nigrum; ergo Deus potest illud facere.

4. Item, communis animi conceptio est quod virtuosior est potentia Dei ad faciendum quam anima ad cogitandum, imaginandum vel huiusmodi; ergo potest facere album esse nigrum, chimaeram vel hominem esse [o] asinum [6]; et videtur etiam secundum hoc quod possit facere quidquid potest imaginari.

[Solutio]: Ad hoc [p], nihil temere asserendo, cum omni modestia respondendum quod, si potentia Dei concipiatur ab anima absolute, non poterit anima determinare nec capere infinitum pelagus suae potestatis [7]. Sed cum anima speculatur divinam potentiam ut ordinatam secundum conditionem potestatis, veritatis, bonitatis, dico [q] quod possibile Deo est quod posse potentiae est et non potest quod est impotentiae [r]. Secundum hoc dixerunt, sicut habetur in libro *De regulis Theologiae* [8], quod [s] quia contradicit suae potentiae vel veritati vel bonitati, potentiae maiestatis non conveniret ut faceret maiorem se; item, veritati eius contradiceret facere de eodem simul esse et non-esse; item, bonitati eius contradiceret damnare Petrum et salvare Iudam et peccare. Semper ergo cum debet dici aliquid Deo possibile, exigitur quod non detrahat potentiae eius, veritati vel bonitati.

[Ad obiecta]: 1. Quod ergo obicit [t] quod 'potest facere quod album sit nigrum, quia [u] potuit facere quod Creator esset creatura', respondeo [9]: aliquid incipit esse aliud per naturae concretionem vel per naturae unionem. Secundo modo dicitur quod Deus fecit quod Creator esset creatura, non per naturae concretionem vel conversionem; et eodem modo potest Deus facere quod album sit nigrum, id est [v] quod album uniatur nigro; sed non est possibile quod album fiat nigrum per naturae concretionem, sicut habetur [x] a parte altera. Non enim hoc esset posse, quia, manente natura albedinis et natura nigredinis a se facta, non posset facere album nigrum; unde si faceret album nigrum, oporteret mutari naturam a [y] se factam: quod non est posse quid. — Probatio: quia, manente natura albedinis, est dicere 'album non est nigrum et e converso'; ergo faciens album esse nigrum, faciet album non-album; et hoc constat quod non est potentiae sive posse.

---

[a] Ita RF, PVSL *iustitiam*, B *iustificationem*. [b] BRLF *credibile*. [c] V *facit*. [d] BRLF *vel* pro *n. c.* [e] L om. [f] Ita F, alii om. [g] F *potentie*, quod L corr. [h] S add. marg. *dicitur*. [i] V om. [k] V om. [l] V (corr.) *docentis*. [m] P *non*, PV om. *dici*, quod in S est add. marg.; F *veritas* pro *veritatis*. [n] Codd. *Deo*. [o] BRLF om., VS *per* pro *vel*. [p] LF *istud*. [q] BRLF *dicit*. [r] Ita BL, alii *impossibile*. [s] BR om. [t] PVS *obicitur*. [u] LF *quod*. [v] R om. *i. e*. [x] Ita F, alii *habet*. [y] S *ad*.

1 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 11, q. 1 (f 26d).

2 *Sententiae ex Augustino sumptae*, sent. 284 (int. opp. Augustini, PL 45, 1883); item sub nomine S. Prosperi, *Sent.*, sent. 284 (PL 51, 469); cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, VII, cc. 12 et 20 (PL 34, 362, 365).

3 Cf. Augustin., *De div. quaest. 83*, q. 1 (PL 40, 11); Anselm., *De veritate*, c. 13 (PL 158, 484).

4 Cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 58 (PL 210, 648), ubi etiam sequens tangitur (col. 649).

5 Num. 5 (PL 10, 133): «... tenet veritatis naturam ea quae dictis exequatur operatio ».

6 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 11, q. 1 (f. 26c).

7 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, I, c. 9 (PG 94, 835).

8 Reg. 55 (PL 210, 647): « Id solum potest omnipotens quod eius iustitiae, eius potentiae, eius misericordiae convenit ».

9 Cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 58 (PL 210, 649), etiam pro sequenti solutione *ad 2*.

2. Ad illud quod obicit 'plus differunt ens ab alio, non ens ab alio quam duo entia [a] ab alio' etc., respondeo: Deus potest facere quod idem sit homo et Deus, id est quod eadem persona sit homo et Deus, non quod haec natura sit illa; sic non potest Deus facere quod natura albi sit natura nigri, potest tamen facere quod eadem persona habeat albedinem et nigredinem, non mutata natura [b].

3. Ad auctoritatem Hilarii dicendum quod est loqui de dictione dupliciter: vel secundum quod copulatur ad rationem interius vel secundum quod copulatur ad imaginationem vel phantasiam. Primo modo, quidquid potest dici, quia [c] non discordat a prima veritate, Deus potest facere. Secundo modo, possunt multa dici quae non potest Deus facere, quia contradicerent suae veritati [1]. -- Vel aliter dicendum: quod non fuit intentio Hilarii de dicente homine et verbo eius, sed 'dicentem' [d] appellavit Patrem, 'Verbum' Filium; voluit ergo in hoc dicere quod aequalis potentiae sunt Pater et Filius, quia habent eamdem naturam, ut sit sermo non solum declarativus vel significativus [e], sed etiam operativus.

CAPUT IV. 156

UTRUM DEO SIT POSSIBILE QUOD EST IMPOSSIBILE PER ACCIDENS.

Quaeritur consequenter utrum quod est impossibile per accidens, sit Deo possibile, ut de corrupta facere incorruptam.

Ad quod *a.* Hieronymus [2]: « Cum Deus omnia possit, non potest de corrupta facere incorruptam »; sed constans est quod hoc [f] est impossibile per accidens, quia aliquando fuit possibile; relinquitur igitur quod impossibile per accidens non est possibile Deo.

b. Item, Augustinus, *Contra Faustum* [3]: « Quisquis ita dicit: 'si omnipotens est Deus, faciat ut quae facta sunt, facta non fuerint' non [g] videt hoc se dicere: 'si omnipotens est, faciat ut ea quae vera sunt, eo ipso [h] quod vera sunt, falsa sint'. Sententia quippe, qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud, de quo dicimus 'fuit', iam non est [i]; hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati ».

Contra: 1. Deus potest facere ut aliquid non sit quod est [k], et potest facere quod aliquid non sit futurum quod erit; ergo potest facere quod aliquid non fuerit quod fuit praeteritum; ergo potest facere quod corrupta non fuerit corrupta [l].

2. Item, sententia, qua dicimus aliquid fuisse, est vera veritate creata; sed Deus potest facere de omni creato quod non sit; ergo potest facere de isto vero aliquid fuisse quod verum non sit; ergo quod non fuerit: quod est contra Augustinum [4].

3. Item, [m] [5]: Magis impossibile est quod est impossibile per se quam quod est impossibile per accidens. Si ergo potest impossibile per se, ut de trunco vitulum facere [n], ergo potest facere de praeterito [o] non praeteritum, aut quare non?

Respondeo: Ad hoc pie dixerunt quidam quod Deus posset facere absolute de corrupta incorruptam et de praeterito quod non fuerit praeteritum; et huius opinionis fuit Gilbertus [6].

a. Ad illud vero Hieronymi [p] respondent quod cum dicitur « Deus non potest facere » etc. dicitur non posse illa consuetudine loquendi in Scripturis qua « dicitur aliquid fieri, cum innotescit [7] », et aliquid, cum innotescit, esse; ita dicitur non posse ab Hieronymo, quia non ostendit se posse: non enim legitur hoc fecisse, sicut legitur mortuos suscitasse et huiusmodi.

b. Ad illud vero Augustini respondent quod Deus potest facere quod istud quod [q] est praeteritum nunquam fuerit, quantum in se est: non enim se habet aliter ad res quam [r] se haberet ab aeterno; unde praeteritum, praesens et futurum ex parte rerum sunt, non ex parte Dei. Ideo cum dicitur 'quod factum est non potest non [s] fieri', necessitas est ex parte rei, non ex parte Dei. Sic cum dicit Augustinus [8]: Deus non potest facere quod praeteritum non fuerit praeteritum, loquitur cum suppositione [t] praeteriti, hoc est non potest facere quod aliquid simul sit praeteritum et non praeteritum, quia istud non est po-

---

[a] RL repetunt *entia*, V om. *ab alio*. [b] R om. [c] F *quod*. [d] F *dicente*. [e] F *figurativus*. [f] PVS om. [g] F *sed*. [h] BR om., F *que* pro *quod*. [i] Codd. *et*. [k] S om. *potest facere... est*. [l] S (corr.) LF *incorrupta*. [m] PVS add. *Augustinus*. [n] BRLF om. [o] VS add. *quod*. [p] V om. [q] S om. [r] V *que*. [s] PF om. [t] P *suppletione*, quod S corr.; BR *preterita* pro *preteriti*, quod F om.

[1] His solvitur *ad 4*.

[2] *Epist.* 22, n. 5 (PL 22, 397); cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 58 (PL 210, 648); Guil. Altissiod., op. cit., I, c. 11, q. 6 (f. 27d).

[3] Lib. XXVI, c. 5 (PL 42, 481).

[4] Cf. ad litt. *b*; *Soliloq.*, II, cc. 2 et 15, n. 28 (PL 32, 886, 898).

[5] Cf. Alan., *Theol. regul.*, reg. 58 (PL 210, 648).

[6] Cf. Gilb. Porret., *Comment. in Boeth. de Trinit.* (PL 64, 1287); Guil. Altissiod., op. cit., I, c. 11, q. 6 (f. 27d).

[7] Hugo de S. Vict., *In Epist. ad Philipp.*, q. 9 (PL 175, 578); cf. supra, p. 217, nota 8.

[8] Cf. *Contra Faustum*, XXVI, c. 5 (PP 42, 481).

tentiae; tamen de quo enuntiatur [a] 'fuisse' potest facere quod non fuerit.

Aliis vero videtur aliter esse [b] dicendum, attendentes quod posse divinum non respicit nisi solum quod potentiae [c] est, potentiae autem non est facere quod aliquid praeteritum non fuerit.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum respondet Augustinus, *Contra Faustum* [1], sic: « Tunc [d] facit Deus de aliquo quod non sit, quando id esse invenerit de quo [e] fiat, velut cum aliquem, qui coepit esse nascendo, faciat non esse moriendo: hoc enim factum invenit de quo fieret. Quis autem dicat ut id quod non est faciat non esse? Quidquid autem praeteritum est, iam non est; quod si de ipso aliquid fieri potest, adhuc est de quo fiat; et si est, quomodo praeteritum est? » quasi diceret: non. Relinquitur igitur quod de hoc quod praeteritum est [f] non potest Deus facere non fuisse. Nec est simile de hoc quod praesens est, quod potest facere non esse, quia praesens est ens actu; nec de hoc quod futurum est, quod [g] potest facere quod non sit futurum: quia futurum est ens in potentia, praeteritum vero nec est ens in potentia nec ens [h] actu. — Si vero [i] obiciatur: si praeteritum non est [k] ens in potentia, nec ens actu, quomodo verum est? – ad hoc respondet Augustinus [2]: « Ideo verum est illud fuisse, quia in nostra sententia verum est, non in ea re quae iam non est ».

2. Ad secundum respondet Augustinus, *Contra Faustum* [3], movens quaestionem: « Si quaeras [l] ubi sit haec vera sententia: prius invenitur in animo nostro, cum id verum scimus et dicimus. Sed et si de animo nostro ablata fuerit, cum id quod [m] scimus obliti [n] fuerimus, manebit ipsa veritate: semper enim verum erit illud fuisse quod erat et non est; et ubi verum erit iam fuisse quod erat, ibi [o] verum erat antequam fieret futurum esse quod non erat. Huic veritati Deus non potest adversari [p], in quo est summa et incommutabilis veritas, quo illustratur ut sit quidquid in quorumcumque animis et mentibus verum est ».

3. Ad illud quod obicitur 'an magis impossibile est quod est impossibile [q] per se quam per accidens', respondemus [r] quod est accipere extrema utriusque impossibilis dupliciter: vel in esse vel in fieri. Si impossibile accipitur in esse: impossibilius est quod est impossibile per se; si in fieri: impossibilius est quod est impossibile per accidens. Et causa huius est, quia impossibile per se est de illis impossibilibus quae sunt impossibilia ex ordine naturae, ut truncum fieri vitulum, sunt [autem] possibilia [s] ex ordine revocabili a Deo, qui est supra ordinem naturae. Unde ab eo possunt istae formae succedere in materia, scilicet forma trunci et vituli, quia materiae, in qua est forma trunci, potest imprimere formam vituli; sed quod praeteritum fiat non-praeteritum vel fiat futurum est ordo irrevocabilis, quia est ordo secundum incommutabilitatem primae veritatis, sicut patuit ex verbis Augustini, *Contra Faustum.*

QUAESTIO IV.

DE DERIVATIONE POTENTIARUM CREATARUM A DEO.

Consequenter restat quaerendum [t] de derivatione potentiarum creatarum [u] a potentia prima, et sub quadam brevitate: nam ista requirunt in suis locis propriam inquisitionem [v]. Quaeruntur ergo haec:

Primo, utrum ex divina potentia fluxerit potentia patiendi sive susceptiva [x];
secundo, utrum a divina potentia fluxerit omnis [y] potentia agendi;
tertio, utrum a Deo fluxerit omnis potentia praesidendi;
quarto, incidenter quaeritur de potentia praesidendi quae est angeli ad angelum;
quinto, de potentia praesidendi quae est hominis ad animalia;
sexto, de potentia quae est creaturae corporeae super incorpoream.
Et haec amplius discutientur in suis locis [z 4].

---

[a] PVS *enuntiatum.* [b] R om. [c] PVS *possibile.* [d] B *cum.* [e] V add. *id.* [f] F om. *quasi... est.* [g] PVS om. [h] V add. *in.* [i] V *ergo.* [k] LF *in.* [l] PVS *queratur.* [m] L *verum,* V om. *cum.* [n] L *oblati.* [o] BR *ubi.* [p] R *resistere,* F *facere adversari.* [q] PV *possibile,* quod S corr. [r] LF *respondeo.* [s] B (corr.) *impossibilia.* [t] L *querere,* R om. *restat.* [u] VF *creaturarum.* [v] PVS add. *Et hec amplius discutientur in suis locis.* [x] B add. *Et hoc amplius in suis locis discutietur.* [y] V *ista.* [z] PVB om. *et haec... locis,* quod in S repetitur manu poster.; in R est add. mg. prima manu.

1 Lib. XXVI, c. 5 (PL 42, 481).
2 Loc. cit.
3 Loc. cit. (PL 42, 482).
4 In libro II huius *Summae.*

CAPUT I. 157

UTRUM A DIVINA POTENTIA FLUXERIT POTENTIA RECEPTIVA.

Quantum ad primum arguitur sic[a]: *a.* Cum omnis natura sit a Deo, sicut clamant omnes Scripturae[1], potentia autem passiva sive receptiva[b] est in natura materiae; ergo est a Deo.

b. Item, quod materia est et quod potest recipere formam[c], totum est a Deo; ergo potentia receptiva est a Deo.

Contra: 1. Quidquid est a[d] Deo exemplar habet in[e] ipso; sed potentia receptiva exemplar non habet in Deo, quia nihil est receptivum[f] in ipso; ergo potentia receptiva non est a Deo.

Solutio: Dicendum quod potentia receptiva duo importat, scilicet capabilitatem[g] et indigentiam. Ratione indigentiae non est a[h] Deo, nec habet exemplar in ipso; sed ratione capabilitatis, qua scilicet continet hanc formam vel illam, a Deo est et in ipso exemplar habet, cum ipsius Dei sit continere omnia, sicut materiae vel potentiae formas. Tamen aliter et aliter dicitur Deus continere omnia[i] et materia formas: nam Deus *continet omnia*[2] conservans et nullo indigens; materia continet formam, tamquam ab ipsa completum esse et perfectionem recipiens.

CAPUT II. 158

UTRUM A DIVINA POTENTIA FLUXERIT POTENTIA ACTIVA.

Secundo quaeritur qualiter a divina potentia fluxerit potentia agendi[3].

I. Ad quod sic: *a.* Rom. 13,1: *Non est potestas nisi a Deo;* sed potentia peccandi vel corrumpendi bona naturalia est potentia; ergo est a Deo.

b. Item, Iob 2,6 dicitur quod data est potestas[k] diabolo ad tentandum Iob, et hoc a Deo; et Ioan. 19,11 dicitur Pilato: *Non haberes in me potestatem* etc.

c. Item, Adam in statu innocentiae habuit hanc potentiam, scilicet peccandi, et non a se nec a[l] diabolo; ergo a Deo.

d. Item, Augustinus[4]: « Nobilior est natura quae potest peccare quam illa[m] quae non potest peccare ». Ergo potentia peccandi est de nobilitate naturae; sed quidquid est de nobilitate naturae a Deo est; ergo potentia peccandi a Deo est[n].

e. Item, quidquid est de commendatione alicuius naturae a Deo est; sed Eccli. 31,10 commendatur homo *qui potuit transgredi et non est transgressus;* ergo posse transgredi vel peccare a Deo est.

Contra: 1. Anselmus[5]: « Potentia peccandi nec est libertas nec pars eius »; sed similitudo, quam habet homo ad Deum, est in libero arbitrio; ergo quantum ad potentiam peccandi, quae nec est liberum arbitrium nec pars eius, est homo dissimilis Deo; ergo nec a Deo proveniet[o] ei haec potestas, scilicet peccandi.

2. Item, potentia definitur per suum actum et ab illo accipit suam perfectionem; ergo potentia peccandi definitur per hunc actum 'peccare' et ab illo accipit suam perfectionem; sed secundum hoc omnino est dissimilis a[p] Primo; ergo potentia peccandi non est a Deo.

II. Item, quaeritur, cum dicatur[6]: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit,* utrum qui resistit[q] potentiae peccandi resistit ordinationi Dei.

III. Iuxta hoc quaeritur utrum sit eadem potentia bene faciendi et male faciendi.

Videtur quod non: 1. Potentia enim bene faciendi procedit ex beneplacito Dei[r], potentia male faciendi ex iudicio Dei, secundum quod dicit Augustinus, in libro *De spiritu et littera*[7]: « Homo, cum accipit potestatem male faciendi, ex iudicio Dei venit, potestas vero bene faciendi ex voluntate est[s] beneplaciti ». Ergo penes causas differunt potentia bene faciendi et male faciendi; ergo non est eadem haec potentia[t] et illa. — Item, potentia bene faciendi est ad probationem bonae voluntatis, potestas male faciendi ad damnationem malae voluntatis, sicut dicit Augu-

---

[a] BRLF om. [b] P *redemptiva.* [c] SBRLF om. [d] P om. [e] L *ab.* [f] PVL *receptioni,* quod S corr. [g] F *capacitatem.* [h] F *in.* [i] L om. *sicut materiae... omnia.* [k] L *potentia,* PVS add. *a.* [l] F om. [m] R om. [n] L om. [o] F *perveniet* et om. *haec.* [p] S *ab illo* [q] F om. *Dei... resistit.* [r] P add. *et.* [s] L *et.* [t] L om.

[1] Cf. Eccli. 24, 12; II Mach. 1, 24; Act. Apost., 17, 24 sqq.; Rom. 11, 36.

[2] Cf. Sap. 1, 7.

[3] Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 44, c. 1 (p. 537); S. Bonav., II *Sent.*, d. 44, a. 1, q. 1 (II, 1000sqq.).

[4] Cf. *De civ. Dei,* XII, c. 1, n. 3 (PL 41, 349); *De Gen. ad litt.*, XI, c. 7, n. 9 (PL 34, 433).

[5] *De lib. arbit.*, c. 1 (PL 158, 490).

[6] Rom. 13, 2. Cf. Lombard., loc. cit., c. 2 (p. 539).

[7] Cap. 31, n. 54 (PL 44, 235), ad sensum.

stinus, in praedicto libro; ergo non est eadem haec potentia et illa.

2. Item, diversi sunt motus qui tendunt[a] sursum et qui[b] deorsum et etiam contrarii; ergo potentiae, per quas eliciuntur actus; sed potentia benefaciendi sursum movet per caritatem, potentia[c] male faciendi deorsum trahit per cupiditatem[d]; ergo diversae erunt potentiae et contrariae.

Contra: *a.* Augustinus[1]: « Liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis, qua bonum eligitur[e] gratia assistente et malum eadem desistente ». Ergo eadem est potentia bene faciendi et male faciendi, scilicet liberum arbitrium.

Respondeo[g]: I. Ad primum dicendum quod, cum dico 'potentiam peccandi', duo dico, scilicet potentiam faciendi hanc actionem, et haec potentia est bonum[f], et quod haec actio est peccatum. Unde Anselmus, in libro *De casu diaboli*[2]: « Potestas volendi non recte et ipsum velle fuit aliquod bonum ». Secundum hoc dicimus quod potentia peccandi, id est potentia[h] faciendi hanc actionem, in quantum actio est, a Deo est; sed[i] deformitas illa, quae in potentia peccandi intelligitur ratione peccati, a Deo non est, sed huius deformitatis principium est voluntas nostra secundum quod est in actu et non in potentia tantum. Non enim potentia volendi malum deformitatem dicit; voluntatem autem dicimus non secundum quod est a Deo, sed secundum quod est ex[k] nihilo et ideo vertibilis, secundum quod dicit Damascenus[3].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum[l] quod obicitur quod « potentia peccandi nec est libertas nec pars eius »: dicendum quod hoc intelligitur quantum ad deformitatem quae est in actu peccandi, non quantum ad ipsam actionem. — Vel dicendum quod hoc est verum ratione libertatis: liberum enim arbitrium est quod sui gratia est, et hoc in Deo, in creatura autem libertas est[m], qua scilicet habet potestatem faciendi quodlibet; potestas autem peccandi non est potestas faciendi aliquid[n], sed deficiendi, et hoc ratione deformitatis superadditae ad actionem. Secundum hoc igitur « non est libertas nec pars libertatis » et sic nec[o] a Deo.

2. Ad secundum[p] dicendum quod dissimilitudo est ratione deformitatis, non ratione actionis.

Et per hoc patet solutio ad alia obiecta[4].

II. Ad hoc quod[q] quaerit 'utrum qui resistit potestati peccandi, Dei ordinationi resistat', respondet Origenes, super praedictum locum Rom. 13,2[5]: « Utrum[r] potestas persequendi bonos sit a Deo? Ad hoc, inquit, breviter respondemus quod nemo est[s] qui nesciat quod visus nobis a Deo donatus est et auditus et alii sensus, tamen in potestate nostra est ut sic vel sic eis utamur ». Sic igitur huiusmodi potestas a Deo est[t], sed abusus non. Secundum hoc dicimus quod resistere *potestati*, quod scilicet non sit potestas, est resistere *Dei ordinationi;* sed resistere potentiae huic, ne scilicet exeat in actum hunc malum vel in abusum, bonum est nec contra Dei ordinationem, sed potius conformare se ordinationi et voluntati divinae. Unde Origenes[6]: « Cum dicitur *qui*[u] [*resistit*] *potestati,* [*ordinationi*] *Dei resistit* etc., hoc non intelligitur de potestatibus quae persecutionem inferunt ipsis fidelibus ». Similiter Gregorius[7] et Ambrosius[8]: « Ordinatio potestatis a Deo est, sed abusus a malo ».

III. Ad hoc quod quaeritur 'utrum sit eadem potentia bene faciendi et male faciendi': dicendum quod eadem est potentia et haec est potentia liberi arbitrii; sed quod[v] haec potentia est ad bene faciendum, hoc habet a natura; quod vero est ad male faciendum, hoc habet ex defectu.

1. Ad primo[x] obiectum: dicendum quod diversitas causae non attenditur quantum ad potentiam, sed quantum ad exitum potentiae in actum. Quod autem[y] haec potentia exit in actum bonum, hoc a « beneplacito » Dei est; quod vero in actum malum, hoc « ex iudicio Dei » est.

2. Ad illud quod obicitur quod 'motus sunt contrarii et ita potentiae contrariae': dicendum quod illud intelligitur de potentiis naturalibus, quae ita determinatae sunt ad unum quod non possunt ad alterum, ut leve sursum, grave deorsum; sed non sic est de[z] rationalibus potentiis, in quibus sunt motus voluntarii, quae cum sint ad contraria, ut bonum faciendum et malum, non propter hoc dicuntur potentiae contrariae, sed potius contrariorum.

---

[a] L add. *sunt.* [b] F add. *tendunt.* [c] PVS om., BRLF *movetur* pro *movet.* [d] L *capabilitatem,* B *partem cupiditatem* pro *p. c.* [e] V *erigitur.* [f] VBRLF om. [g] PVS add. *et quod hec potentia est bonum.* [h] S om. [i] PVS, add. *si,* B post *quae* add. *est.* [k] F *a.* [l] Codd. *secundum.* [m] PV om., in S est add. poster. [n] L om. [o] F *non est.* [p] Codd. *tertium.* [q] F om. [r] F om. [s] PVS om. [t] B om. [u] B *quod.* [v] F om. et infra om. *hoc.* [x] PV *aliud,* L *primum,* S om. [y] Ita B, alii *enim.* [z] B *in.*

1 Rectius Pseudo-Hugo de S. Vict., *Sent.*, tr. 3, c. 8 (PL 176, 101); cf. Lombard., II *Sent.*, d. 24, c. 3 (p. 421).

2 Cap. 28 (PL 158, 360).

3 *De fide orthod.*, II, c. 27 (PG 94, 959); cf. Nemes., *De nat. hom.*, c. 41 (PG 40, 774).

4 Quae ponuntur sub *Ad quod sic.*

5 *In Epist. ad Rom.*, IX, n. 26 (PG 14, 1226sq.).

6 Loc. cit., n. 27 (PG 14, 1227), ad sensum.

7 *Moral.*, XXVI, c. 26, n. 48 (PL 76, 378): « Potentiam Deus tribuit, elationem vero potentiae malitia nostrae mentis invenit ».

8 *Exposit. in Luc. Evang.*, IV, n. 29 (PL 15, 1620).

CAPUT III. 159

UTRUM A DEO FLUXERIT OMNIS POTENTIA PRAESIDENDI.

Tertio quaeritur utrum a Deo fluxerit omnis potentia praesidendi [1].

Circa quod sic obicitur: 1. Dominium et servitus convertuntur, quia correlativa sunt; sed servitus habet originem ex peccato; ergo et dominatio. — Probatio mediae: Augustinus, XIX *De civitate Dei* [2]: « Nullus [a] natura, in qua Deus hominem condidit, servus est hominis aut peccati, sed principium servitutis peccatum est ».

2. Item, ibidem [b]: « Conditio servitutis iure [c] intelligitur in potentia peccatorum [d] ».

Contra: *a.* Rom. 13,1: *Omnis potestas a Deo;* sed potestas est dominium; ergo est a Deo.

Solutio: Dominium et servitus in effectu ex peccato sunt tamquam ex causa meritoria; potestas vero dominandi a Deo est [e] tamquam a causa conferente. Unde non est inconveniens idem habere diversa principia diversis respectibus; sed [f] de hoc plenius inquiretur in Tractatu de [g] legibus et praeceptis [3].

CAPUT IV. 160

DE POTENTIA PRAESIDENDI QUAE EST ANGELI AD ANGELUM.

Quarto quaeritur de potentia praesidendi quae est angeli ad angelum [4].

Ad quod sic: 1. Gregorius [5]: « Ubi non deliquimus, omnes pares sumus ». Non sic est in angelis: sunt enim ibi [h] Throni et Dominationes. — Quaeritur ergo [i] unde est hoc quod in natura humana non sunt ordines sicut in angelis. Et videtur quod in hominibus sit ordo a natura: si enim homo stetisset, unus fuisset perspicacior alio; ergo in eis est ordo a natura.

2. Item, videtur quod Dominatio non debeat esse ordo in angelis: ordo enim non cessabit; sed dominatio cessabit [k]; ergo Dominatio non debet esse ordo. — Probatio mediae: in hominibus *evacuabitur omnis principatus et* omnis *potestas,* sicut dicitur I Cor. 15,24; ergo similiter in angelis evacuabitur omnis dominatio. Ergo Dominatio [l] in angelis non est ordo.

Solutio: Sicut dicit B. Dionysius, in tractatu *De dominatione* [6]: « Dominatio [m] duplicem habet intelligentiam: uno modo dominatio idem est quod praeeminentia alicuius creaturae respectu aliarum creaturarum [n] quantum ad naturalia; alio modo dominatio idem est quod potestas coercendi alias creaturas ». Secundum hanc duplicem acceptionem dominationis, respondendum est ad obiecta. Dominium igitur, secundum quod dicit praeeminentiam in naturalibus respectu alterius [o], sic est in angelis et etiam in homine si stetisset in statu innocentiae.

[Ad obiecta]: 1. Quod ergo dicit [p] quod « ubi non deliquimus, pares sumus »: dicendum quod hoc est verum secundum [q] quod dominium intelligitur potestas coercendi; hoc modo dominium non haberet locum in homine nisi peccasset.

2. Quod autem dicit quod 'Dominationes sunt in angelis': hoc intelligendum est de dominatione, quae est praeeminentia unius respectu aliorum quantum ad naturalia; praesunt [r] enim alii angeli aliis [s] illuminando, perficiendo, purgando, ut dicit Dionysius [7]. — Quod obicit quod 'in homine cessabit potestas et praelatio, ergo et in angelis': dicendum quod hoc verum est quantum ad ministerium quod habent exercere in creaturis, scilicet angeli [t]; sed hoc plenius explicabitur in Tractatu de angelis [8].

---

[a] PVSR *nulla*, quod B corr. [b] F add. *dicitur.* [c] VBR *in re.* [d] SR *peccatori*, B *imposita peccatori* pro *i. p. p.* [e] R om. [f] V om. [g] S *in.* [h] F om. [i] S om. [k] P add. marg. *cessabit enim in patria omnis prelatura.* [l] F om. *E. D.* [m] F add. *enim.* [n] BRLF om. [o] PV add. *et ordo*, quod S exp. [p] BLF *obicit.* [q] V om. [r] BF *possunt.* [s] F add. *angelis*, B om. *alii.* [t] B *angelis.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 44, a. 2, qq. 1 et 2 (II, 1005sqq.).
2 Cap. 15 (PL 41, 643sq.), ubi et sequens.
3 In libro III huius *Summae.*
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 9, a. 1, q. 6 (II, 251sqq.).
5 *Moral.*, XXVI, c. 26, n. 46 (PL 76, 376), ad sensum.
6 Cf. *De cael. hierarch.*, c. 8, § 1 (PG 3, 238, PL 122, 1053), ad sensum.
7 *De cael. hierarch.*, c. 3, § 2; c. 7, § 3 et alibi passim (PG 3, 166, 210, PL 122, 1044, 1052).
8 In libro II huius *Summae.*

161

CAPUT V.

DE POTENTIA PRAESIDENDI QUAE EST HOMINIS AD ANIMALIA.

Quinto quaeritur de potentia praesidendi quae est hominis ad animalia.

Ad quod sic: 1. Dominari [a] creaturae inferiori dignitas est; ergo haec dignitas magis deberet dari angelo [b] quam homini, cum angelus sit dignior creatura. — Quod [c] autem detur homini habetur Gen. 1,26, ubi dicitur: *Praesit piscibus maris* etc. — Si dicatur quod potestas dominandi creaturis data est homini, quia homo habet indigentiam de ipsis – contra: indigentia est in homine ex parte illa qua est defectus in ipso, scilicet ex parte corporis; sed potestas inest illi ex parte illa qua [d] est perfectior, scilicet ex parte animae, Gen. 1,26: *Faciamus hominem ad imaginem* [e] etc. *et praesit* etc. Haec autem imago attenditur ex parte animae, non ex parte corporis. Igitur, cum potestas dominandi insit alicui ex parte [f] illa qua est perfectius et nobilius, non erit indigentia in homine causa dominandi aliis creaturis.

2. Item, dominium illud determinatur Gen. 1,26, cum dicitur: *Praesit piscibus* etc. et Gen. 9,2: *Terror vester* [g] *super cuncta animalia* etc. Quaeritur igitur ad quid vel qua ratione datae sunt [h] homini illae duae potestates vel ista geminata dominandi potestas.

Respondeo: 1. Dominari dicitur aliquid alicui in quantum timetur ab illo vel in quantum regitur ab illo. Primo modo collata [i] est homini soli [k] potestas dominandi super creaturas sensibiles. Unde Gen. 9,2: *Sit terror vester super cuncta animantia terrae:* hinc est quod timor incutitur animalibus ex hominis aspectu. Ad hoc autem quod incutiatur timor creaturae sensibili, necessarius est aspectus rei similis, scilicet creaturae sensibilis: ut patet in leone, qui suo aspectu timorem incutit [l] minoribus animalibus; homo vero et a leone et ab aliis [m] animalibus omnibus timetur. Hanc [n] autem similitudinem, scilicet sensibilitatem qua aliis creaturis incuteret timorem, non est reperire in angelo, et ideo non dicitur ei datum dominium super alias inferiores creaturas, sed datum est homini ratione sensibilitatis, qua assimilatur aliis sensibilibus creaturis. — Secundo modo datum est angelis; unde Num. 22,20: *Venit Dominus ad Balaam.* Glossa Origenis [1], versus finem: « Opus est mundo etiam angelis, qui sunt [o] super bestias et praesunt animalium nativitati, virgultorum plantationumque et ceterorum incrementis, et qui praesunt operibus sanctis, qui aeternae lucis intellectum et occultorum Dei agnitionem et rerum divinarum scientiam doceant ».

2. Ad illud autem quod [p] quaeritur quare bis collata est homini haec potestas: dicendum est [q] quod duo sunt in ipso homine, scilicet natura et ratio. Ratione igitur naturae dictum est ei, Gen. 1,26: *Praesit piscibus maris* etc.; ex parte vero rationis dictum est ei [r], Gen. 9,2: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animantia* etc., id est super cunctos irrationabiliter et more animalium viventes. Primo igitur collatum est ei [s] dominium ratione naturae; secundo vero eo quod rationabiliter [t] vivit.

162

CAPUT VI.

DE POTENTIA PRAESIDENDI CREATURAE CORPOREAE SUPER INCORPOREAM.

Sexto quaeritur de potentia quae est creaturae corporeae super incorpoream.

I. Quaeritur ergo [u] utrum creaturae corporeae habeant potentiam super incorporeas vel e converso.

Et videtur quod creaturae corporeae habeant potestatem super incorporeas 1. secundum quod dicit Rabbi Moyses [2] et alii philosophi de quibusdam animalibus quae fiunt [v] ex putrefactione. Dicunt enim quod per potestatem

---

[a] VR *dominationi*, BL add. *omni.* [b] B *angelis.* [c] F *cum.* [d] BRF *que.* [e] R add. *et similitudinem nostram.* [f] BRLF *ratione* pro *e. p.*, B exp. *alicui* et corr. mg. *homini.* [g] F om. *t. v.* [h] R add. *illi.* [i] PVS *data.* [k] PVS om. [l] S add. *omnibus.* [m] PVS *a minoribus* pro *a. a.* [n] B add. *scilicet.* [o] R om. [p] BRLF *Quod autem* pro *A. i. a. q.* [q] BF om. [r] P om. [s] F om. [t] B *irrationabiliter.* [u] L om. [v] BR *sunt.*

[1] *Super Numer.*, hom. 14, n. 2 (PG 12, 680).

[2] Maimon., *Doctor perplexor.*, I, c. 72 (p. 141): « Virtutum autem sive facultatum illarum, quae ab orbibus caelestibus in hunc mundum perveniunt, sunt quatuor: prima est facultas mixtionis et compositionis, quae sufficit in mineralibus; secunda est, quae plantis omnibus dat animam vegetantem; tertia, quae brutis dat animam sentientem; quarta, quae ratione praeditis dat animam rationalem. Et haec omnia fiunt medio lucis et tenebrarum quae rectitudinem et ambitum illorum [orbium vel sphaerarum] circa terram sequuntur ». De iis quae fiunt ex putrefactione, cf. ibid., p. 143.

sementivam, quae est in corporibus supercaelestibus, fiunt huiusmodi animalia; sic ergo corpora supercaelestia potestatem habent animandi aliqua corpora et secundum hoc habent potestatem super animas [a], ut videtur.

Contra: *a.* Augustinus, VIII *Super Genesim ad litteram* [1]: « Dei providentia regens atque administrans universam creaturam, subdidit primitus omnia sibi, deinde creaturam corporalem spirituali, irrationalem [b] rationali, invalentiorem valentiori ». De hoc etiam habetur in eodem, XII [2]. — Quod concedimus.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud autem [c] quod obicitur [d] de potestate corporum caelestium respectu animalium, quae fiunt ex putrefactione: dicendum est quod per ipsa corpora caelestia solummodo fit praeparatio et postmodum datur a Deo ipsa forma, scilicet anima sensibilis; nec est ipsa forma infusa, sed impressa: est enim inseparabilis; si autem esset infusa, esset separabilis.

II. Quaeritur etiam incidenter utrum substantia spiritualis habeat potestatem super omnem substantiam corporalem. Et primo, quaeritur de Lucifero, utrum scilicet habeat hanc [e] potentiam.

Et videtur quod sic: *a.* Iob 41, 24: *Non est potestas super terram, quae possit ei comparari,* dicitur de Lucifero; ergo eius potestas excedit omnem potestatem inferiorem.

b. Item, Gregorius [3]: « Etsi beatitudinem perdidit, tamen magnitudinem naturae non amisit, qua omnia humana superat ».

c. Item, hoc probatur de bonis angelis, quod scilicet habeant hanc potentiam super creaturam corporalem. Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [4]: « Angelis sublimibus Deo fruentibus [f] subdita est omnis creatura corporea, omnis irrationabilis vita, omnis voluntas infirma vel prava ». Ergo etc.

Contra: 1. Videtur quod haec potestas tantum sit data Christo homini: Matth. ultimo, 18: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Non ergo angelis bonis vel malis.

2. Item, Ambrosius, super illud Luc. 4, 6 [g 5]: *Omnia tibi dabo* etc.: « Omnia sibi ad tempus esse permissa non ambigit, quia qui permisit ordinavit; nec potestas mala est, sed is qui male utitur potestate ». Secundum hoc videtur quod angelus malus non habeat potestatem super creaturam inferiorem, licet ei permittatur ad tempus dominari.

Solutio: Dicendum [h] quod mali angeli nullam habent potentiam nisi solum quando eis permittitur: coarctata est enim eorum potentia. Quod bene apparuit Matth. 8, 31, ubi petierunt a Christo ut mitteret eos *in gregem porcorum.* Glossa [6] super illum locum: « Nihil potest diabolus nisi permissus ». — Sed non est ita de bonis angelis. Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [7]: « Hoc de subditis vel cum subditis creaturis agunt quod naturae ordo poscit [i] in omnibus, iubente illo cui subiecta sunt omnia »; accipiunt enim primo in beata Trinitate secundum quod postea operantur in creaturis. — Quomodo autem coarctata [k] est vel limitata potentia malorum, determinat Augustinus [8], et ab ipso accipit Hugo de S. Victore [9] dicens: « Moderatur Deus quatuor modis operationes malorum: termino naturaliter collatae potestatis, miraculo mirabiliter illatae passionis, obstaculo contradicentis [l] occultae difficultatis, unde Exod. 8, 19: *Digitus Dei est hic,* et iudicio [m] operantis intrinsecus dispositionis ». — Christo autem homini data est potestas omnino libera, nullatenus coarctata, non in terra tantum, sed etiam in caelis super angelos, homines et etiam [n] alias creaturas. Hoc est quod ipse dicit, Matth. ultimo, 18: *Data est mihi omnis potestas* etc.

---

[a] V *hec.* [b] V *rationalem.* [c] BRLF om. [d] BRLF *obicit.* [e] P om., in V est add. mg. [f] F *deferentibus* pro *D. f.* [g] S (mg.) BRLF repetunt *super illud.* [h] LF add. *est.* [i] BF *nec ordo possit* pro *n. o. p.* [k] R *arctata.* [l] R *contradicentes,* quod B corr. [m] L add. *Dei.* [n] V *super.*

1 Cap. 23 (PL 34, 390).
2 Cf. cc. 11, 12 et 16 (PL 34, 462 sqq.); lib. V, c. 21 et VIII, c. 9 (PL 34, 336, 379).
3 *Moral.,* XXXIV, c. 20 (PL 76, 740).
4 Lib. VIII, c. 24 (PL 34, 390).
5 *Exposit. in Luc. Evang.,* IV, n. 29 (PL 15, 1620).
6 Cf. Gregor. M., *Moral.,* II, c. 10 (PL 75, 563); Augustin., *Enarr. in Psalm.* 26, n. 5 (PL 36, 201).
7 Lib. VIII, c. 24 (PL 34, 390).
8 *De divinat. daemon.,* c. 6 (PL 40, 587); *De Trinit.,* III, cc. 7-9 (PL 42, 875 sqq.).
9 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 5, c. 28 (PL 176, 259).

TRACTATUS QUINTUS

DE SCIENTIA DIVINA.

SECTIO I. — De scientia Dei absolute spectata.

QUAESTIO UNICA.

DE NATURA ET CONDITIONIBUS SCIENTIAE DIVINAE.

Adiuvante gratia Salvatoris, post inquisitionem de potentia, quaerendum est de scientia divina in hunc modum:

Primo, quid sit secundum rationem intelligentiae;
secundo, per quid sit;
tertio, cuius sit;
quarto, quomodo sit.

163

MEMBRUM I.

Quid sit scientia divina.

Circa primum [a] quaeritur quid sit scientia divina secundum rationem intelligentiae.

Ad quod sic proceditur [b]: *a.* Augustinus, in libro *De Trinitate* [1]: « Scientia est ipsa sapientia, sapientia idem [c] quod ipsa essentia, quia in illa Trinitate non est aliud sapere quam esse ». Ergo scientia [d] nihil aliud est quam divina essentia.

I. Quaeritur ergo utrum aliquid connotetur praeter rationem essentiae in scientia [2].

Et videtur quod sic: 1. Dicit enim Hugo de S. Victore [3]: « Scientia quae de nullo est, et ipsa nulla est. Omnis ergo scientia de aliquo est, quia si nihil esset de quo scientia esset, scientia nulla esset ». Ergo in omni scientia connotatur respectus ad scibile.

2. Item, scientia est assimilatio intellectus ad rem scitam [4]. Si ergo assimilatio connotat respectum, similiter et scientia connotabit.

3. Item, Hugo de S. Victore, in suis [e] *Sententiis* [5]: « Scientia est existentium, praescientia futurorum » etc. Ergo scientia dicit respectum ad res existentes, sicut praescientia ad res futuras.

Contra: *a.* 35 Dist. [6] dicitur: « Si nulla essent futura, nulla esset praescientia, esset tamen in Deo scientia »; sed si res non essent futurae, non esset dicere respectum ad creaturam; ergo in scientia non requiritur respectus ad creaturam.

b. Item, cum dicitur Deus scire se, dicitur divina essentia [f], non tamen connotatur respectus ad creaturam; ergo virtute significationis nominis scientiae non importatur respectus ad creaturam [g].

c. Item, ad idem, Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [7]: « Divina sapientia, cognoscens se ipsam, cognoscit omnia ». Non igitur alio modo cognoscit et scit quam per se ipsam; sed cum dico 'cognoscit se sive scit', non connotatur

---

[a] B add. *sic proceditur* et om. *si creaturam*, quod in S est add. marg. [b] B om. *s. p.* [c] V add. *est.* [d] F om. *e. s.* [e] BRLF om. [f] BR *scientia.* [g] R om. *ergo* ...

[1] Lib. XV, c. 13 (PL 42, 1076).
[2] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 8, q. 1 (f. 23ab).
[3] *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 14 (PL 176, 212).
[4] Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 8 (III, 476).
[5] Pseudo-Hugo, *Summa*, tr. 1, c. 12 et Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 9 (PL 176, 61, 210).
[6] Lombard., I *Sent.*, d. 35, cc. 7 et 8 (p. 221 et 223).
[7] Cap. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).

respectus ad creaturam; ergo nec similiter cum dicitur 'scit res'.

d. Ad hoc potest responderi quod 'scire' aliquando [a] dicitur absolute: et tunc non connotatur respectus; et aliquando dicitur respective cum determinatione, sed hoc dupliciter, quia quandoque cum determinatione eiusdem respectu sui: et sic non importatur respectus; quandoque vero respectu diversi: et sic importatur respectus [b]; et hoc dupliciter, scilicet [c] quasi in actu vel quasi in habitu. — Sed contra: Deus dicitur scire se, scire creaturam: aut ergo univoce aut aequivoce. Si univoce: ergo una est ratio intelligentiae utrobique; si ergo non connotatur respectus, cum dicitur 'scit se', nec similiter connotatur, cum dicitur 'scit creaturas'. Si aequivoce: ergo alia ratione scit se et creaturas – contra: sciendo se, scit creaturas, ut [d] dicit Dionysius [1]; ergo non alia ratione scit se quam creaturas; ergo eadem.

e. Item, obicitur contra hoc quod dicitur cum dicitur 'Deus scit creaturas', connotatur respectus': cum dicitur [e] 'Deus scit' absolute, non connotatur respectus aliquis; si ergo non connotatur hic respectus aliquis, ergo scientia de virtute nominis nihil connotat. — Hoc iterum videtur: Est enim considerare nomen divinum in se et in coordinatione. Si nomen aliquod nihil connotat in se, nec de virtute nominis aliquid connotatur in coordinatione. Patet autem quod in omnibus nominibus divinis connotantibus est connotatio etiam extra coordinationem [f]: ut patet in hoc nomine 'creator' et 'dominus' et huiusmodi, et sic de singulis [g]. Si ergo hoc verbum 'scit' extra coordinationem nihil connotat, nec in coordinatione connotabit, quantum est de virtute significationis nominis.

II. Item, obicitur contra hoc quod dicitur quod 'nihil connotatur, cum dicitur: Deus scit se', et probatur quod connotatur respectus, sed non ad creaturam. Nam cum dicitur scientia, intelligitur essentia; aut igitur [h] additur aliquid supra essentiam in [i] ratione intelligentiae, cum dicitur 'scientia', aut non. Et constat quod sic, quia scientia est assimilatio intellectus ad rem scitam; sed [k], sicut dicit Hilarius [2]: «Similitudo non sibi est», immo similitudo semper dicit convenientiam aliquorum in aliquo uno; ubi ergo est similitudo, est et respectus pluralitatis; ergo cum intelligitur scientia, intelligitur respectus per quem probatur pluralitas personarum. Quamvis ergo divina scientia [l] dicatur ad se, ut cum dicitur 'Deus scit se', tamen connotatur respectus personarum, quia connotatur similitudo vel assimilatio.

III. Sed quaeritur ulterius si ista similitudo intelligatur ut exemplar, secundum quod dicitur quod divina scientia nihil aliud est quam divina essentia significata ut exemplar [3]. Si hoc – contra: scientia non est causa rerum, quia scientia Dei est malorum, non tamen Deus est causa malorum; sed exemplar est causa formalis: Deus enim est causa formalis [m] exemplaris [4]; ergo scientia non dicit divinam essentiam ut exemplar. — Item, exemplar non est rerum non existentium; sed scientia est rerum non existentium [n]; ergo non sunt idem scientia et exemplar.

IV. Item, quaeritur quare diversimode nominatur divina scientia, ut patet 35 dist. I libri *Sententiarum* [5]: nominatur enim scientia sapientia, praescientia, dispositio, providentia, praedestinatio.

1. Videtur enim quod pluribus modis deberet [o] nominari: nam sicut praedestinatio est praescientia salvandorum, sic reprobatio est praescientia damnandorum; sicut ergo praedestinatio dicitur differentia scientiae, sic debet dici reprobatio.

2. Item, quaeritur [p] quare non dicitur memoria scientia praeteritorum, sicut praescientia futurorum, cum ita sciantur ab ipso praeterita sicut futura.

Respondeo: I. Nomen scientiae significat divinam essentiam principaliter, non tamen significat divinam essentiam ut essentiam, sed ut habitum: scientia enim in nobis est habitus ad cognoscendum, sicut virtus est habitus ad operandum. Est autem nihil aliud scientia sive iste habitus quam assimilatio intellectus ad rem. Sed similitudo potest esse in actu vel in [q] habitu, sicut patet: posito quod nullus esset color et quod lux haberet similitudinem omnium colorum, lux haberet similitudinem [r] ad omnes colores in habitu; similiter, remotis scibilibus, scientia, quae est sicut lux, habet similitudinem ad illa in habitu, sed non in actu. Dicendum ergo est quod est similitudo in actu et est [s] similitudo in habitu; item, est similitudo ad res et est [t] similitudo a rebus: similitudo ad res ut patet in arte; item, est similitudo rei penes intellectum speculativum et [u] similitudo rei penes intellectum practicum, quae, si

---

[a] BRLF *quandoque*, idem infra. [b] PVS *importat respectum* pro *i. r.*, F om. *quandoque vero... respectum.* [c] S om. [d] F om. [e] BRLF *dico.* [f] B *ordinationem.* [g] S om. *e. s. d. s.*, V om. *ergo.* [h] B om. [i] B om. [k] B om. [l] B *essentia.* [m] S om. *D. e. e. c. f.* [n] S om. *s. s. e. r. n. e.*, quod in P est add. mg. [o] PVSF *debent.* [p] BRLF om. [q] BRLF om. [r] B om. *o. c. l. h. s.* [s] L om. [t] L om. [u] F add. *est.*

1 Loc. cit.
2 *De Trinit.*, III, n. 23 (PL 10, 62).
3 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.
4 Cf. supra, p. 72sqq., III.
5 Cap. 1 (p. 220).

comparetur ad opus, dicitur ars. Scientia ergo Dei, loquendo secundum nos, dicit similitudinem [a] speculativam, non a rebus, sed ad res, in habitu, non in actu, ad se autem in actu: dico autem ‘scire in actu’, quando [b] intelligit res existentes in actu sive in natura propria, non solum in causa; ‘in habitu’, quando intelligit in suo exemplari vel in arte. Similitudo ergo ‘speculativa’ dicitur ut ostendatur quod prima intentio scientiae non est ut intentio artis, in quantum huiusmodi, vel exemplaris vel virtutis, quia est bonorum et [c] malorum. ‘Ad res’ vero dicitur non secundum dependentiam, sed secundum causam, ut separetur ab humana scientia, quae accipit [d] a rebus. Unde Dionysius, *De divinis nominibus* [1]: « Non [e] ex entibus entia discens novit divinus intellectus, sed ex ipso, in ipso [f], secundum causam omnium notitiam et scientiam praeconcepit ». ‘Ad res’ vero dicitur in habitu, quia sicut dicit Hugo de S. Victore [2]: « An [g] dicemus, quia omnia in Creatore ab aeterno increata fuerunt, quae ab ipso temporaliter creata sunt? Et illic sciebantur ubi [h] habebantur, et eo modo sciebantur quo habebantur, et non cognovit aliquid extra se Deus qui omnia habebat in se ». ‘Ad se’ vero in actu dicitur, quia semper est actu [i] sibi praesens.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo Hugonis quod obicitur quod « scientia est de aliquo »: dicendum [k] quod, quantum est de nomine scientiae, non dicit respectum ad creaturas in actu, sed in habitu; sed cum dicitur ‘scit creaturas’, quasi reducitur respectus ab habitu in actum: tunc enim dicit respectum in actu.

3. Ad illud quod obicitur quod « scientia est existentium »: dicendum quod existentia intelliguntur vel in sua natura vel in causa; item, in causa intelliguntur vel ut [l] in potentia causae, vel ut [m] in dispositione suae causae. Cum ergo dicitur [n] « scientia est existentium », debet accipi « existentium » in potentia causae, sicut dicit Hugo.

2. Similiter, dicendum quod assimilatio debet intelligi in habitu, non in actu, cum dicitur scientia velut assimilatio intellectus ad rem.

a-e. Item, ad illud quod obicitur ‘cum dicitur Deus scit se, non connotatur respectus aliquis’, respondeo: verum est, non connotatur respectus in actu, sed significatur divina essentia [o] ut similitudo. Ipsa autem divina natura de sua potestate habet similitudinem: non quae sit [p] a creaturis, sed magis ad creaturas [q], etiam si nulla sit creatura; unde etiam connotatur respectus in habitu. Conceditur ergo quod eadem ratione Deus scit se et scit creaturam; sed tamen cum dicitur ‘Deus scit se’, connotatur respectus in habitu; cum dicitur ‘scit creaturam’, in actu.

II. Ad illud quod quaeritur utrum notetur [r] respectus personarum, cum dicitur ‘Deus scit se’: dicendum quod quidam dixerunt, quod non; immo, abstractis personis, esset dicere ‘Deus scit se, intelligit se, meminit se’; tamen cum dicitur ‘Deus [s] scit se’, intelligitur divina essentia ut similitudo, nec est diversitas nisi secundum rationem intelligentiae. — Vel dicendum, ut a quibusdam dicitur, secundum Anselmum, quod facit ad fidem quod ipsa scientia, quae est similitudo, significat essentiam et [t] connotat pluralitatem personarum, quia similitudo plurium est. Unde Anselmus, in *Proslogion* [3]: « In hoc quod summus spiritus intelligit se, Pater generat et Filius generatur, quia intelligere se ponit similitudinem habere apud se »; et ita ponitur relatio unius et alterius, qui tamen sint per omnia similes, id est eadem essentia.

III. Ad illud quod quaeritur ‘utrum nomine scientiae intelligitur ratio exemplaris’, respondeo: est scientia simplicis notitiae sive speculativa et est scientia practica sive cum approbatione [4]. Primo modo non dicit scientia rationem exemplaris, sed secundo modo.

IV. Ad illud quod quaeritur de [u] distinctione istorum vocabulorum, quibus nominatur divina scientia, dixerunt quidam [5], quod divina intelligentia potest considerari secundum quod abstrahitur respectus a rebus quae sunt sub tempore aut secundum quod respicit res quae sunt sub tempore [v]. Secundum quod respicit res abstrahendo respectum a conditione temporis, sic dicitur sapientia et scientia; secundum vero quod respicit res sub conditione temporis, sic est praescientia, dispositio, praedestinatio etc. Differentia autem est inter sapientiam et scientiam: nam est considerare ipsam [x] causam, et secundum hoc dicitur sapientia; vel effectum in causa, et sic dicitur scientia, quia scientia est comprehensio rei per causam [6]. Item, secundum quod divina intelligentia considerat res sub conditione temporis, est differentia: quia aut respicit bonum et [y] malum communiter, et sic est praescientia; aut bonum tantum, et [z] hoc multipliciter: nam quaedam

---

[a] PVS *scientiam.* [b] F *quia.* [c] B *vel.* [d] B *accipitur.* [e] PV *nam,* quod S corr. [f] F om. *i. i.* [g] P (corr.) *aut.* [h] R *quo.* [i] V *actus.* [k] R add. *est.* [l] PVS om., BR om. *vel.* [m] S *prout* pro *v. u.* [n] B *Dei.* [o] PVS *scientia.* [p] VBF *fit.* [q] V *a creatura* pro *a. c.* [r] V om. [s] L om. [t] R *ut.* [u] P om. [v] F om. *aut... tempore.* [x] L om., R exp. [y] V *aut.* [z] BRLF *sed.*

1 Cap. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).
2 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 15 (PL 176, 212).
3 Cf. potius *Monolog.*, cc. 32 et 63 (PL 158, 186 et 209).
4 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 8, q. 2 (f. 23b).
5 Cf. Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 14 (PL 211, 845).
6 Cf. Aristot., *Anal. Post.*, I, c. 2 (I, 122).

respiciunt bona tam naturae quam gratiae, quaedam bonum gratiae tantum. Bonum autem naturae est dupliciter: aut in fieri aut in facto esse. Si in fieri, sic est dispositio; si in facto esse [a], sic est providentia. Bonum vero gratiae respicit praedestinatio. — Vel aliter, secundum quod dicit Hugo de S. Victore, in suis *Sententiis* [1]: « Divina autem sapientia et scientia vocatur et praescientia et dispositio et praedestinatio et providentia: scientia existentium, praescientia futurorum, dispositio faciendorum, praedestinatio salvandorum, providentia subiectorum ».

1. Quod vero quaeritur quare inter haec non nominetur reprobatio: dicendum quod nihil addit supra haec vel ultra. Nam in intellectu reprobationis non sunt nisi duo: praescientia iniquitatis et praeparatio poenae [2]; praescientia iniquitatis intelligitur in praescientia, praeparatio poenae in dispositione; sed praedestinatio addit, quia dicit respectum ad bonum gratiae.

2. Ad illud quod obicitur 'quare non dicitur memoria scientia [b] praeteritorum, sicut praescientia futurorum': dicendum quod hoc fit [c] ne videretur quod res antecessissent divinam [d] scientiam.

MEMBRUM II.

Per quid sit scientia divina.

Secundo quaeritur per quid sit scientia Dei. Et primo [e], utrum Deus sciat res per se vel per aliud;

secundo, utrum per causam vel per non-causam [f];
tertio, utrum per unum vel per [g] multa;
quarto, utrum per exemplar.

CAPUT I. 164

UTRUM DEUS SCIAT RES PER SE VEL PER ALIUD [3].

Ad primum sic proceditur et probatur quod per se sciat: *a.* Quia intelligibile est perfectio intellectus [4]; si ergo illud per [h] quod intelligimus, est principium perfectionis, si Deus intelligeret [i] per aliud quam per se, illud esset perfectio sui intellectus; sed impossibile est quod habeat perfectionem [k] extra; ergo non potest intelligere per aliud quam per se.

b. Item, perfectius et nobilius est agere et intelligere per se quam per aliud; quod autem nobilius est tribuendum est Deo; ergo intelligere per se est Deo tribuendum.

c. Item, si intelligeret res per ipsas res, vilesceret eius intellectus, quia res essent perfectio intellectus eius; sed non potest vilescere eius [l] intellectus [5]; ergo etc.

d. Item, Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [6]: « Deus cognoscendo se, cognoscit omnia ». Cognoscit ergo non per aliud [m].

Contra: 1. Deus dicitur operari et scire, et utrumque dicitur respectu creaturae, quia operatur et scit creaturas. Si ergo non inconvenienter dicitur 'Deus operatur per creaturam', eodem modo non inconvenienter dicetur 'Deus scit per creaturam', vel [n] dicatur ratio quare dicatur [o] operari per aliud et non scire per aliud.

Respondeo, secundum Dionysium, in libro *De divinis nominibus* [7]: « Deus scit omnia, tamquam in se entia et in se praesubsistentia [p], et non ex entibus accipit scientiam eorum ».

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [q] quod obicitur, dicendum quod differt actio quae significatur per 'scire', ab actione quae significatur per 'operari', ut patet in anima: anima enim scit, anima operatur; cum autem dicitur anima operari [r], significatur motus ab anima; cum vero dicitur scire, dicitur motus ad animam. Similiter in Deo: cum dicitur Deus operari, significatur motus ab ipso; cum autem dicitur scire, dicitur ut motus ad ipsum. Haec autem praepositio 'per' dicit rationem principii quasi medii [s], sicut cum dicitur 'percutio per baculum', sicut 'ex' vel 'a' dicit rationem primi [t] principii: unde cum dicitur 'ab artifice fit domus per securim', 'ab' dicit primum [u]

---

[a] F om. *si in fieri... esse.* [b] BRLF om. [c] BR *fuit,* quod L corr. [d] S add. *sapientiam et.* [e] F add. *queritur.* [f] BF *non per causam* pro *p. n. c.,* S om. *utrum.* [g] V add. *non.* [h] S om. [i] LF *intelligit et.* [k] F *imperfectionem.* [l] B om. [m] P add. marg. *Gregorius: quid est quod non videt qui videntem omnia videt.* [n] V om. [o] V add. *Deus.* [p] L *subsistentia.* [q] BRLF add. *ergo.* [r] V om. *c. a. d. a. o.* [s] F *medium.* [t] PV om., in S est add. marg. [u] L *prius.*

1 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 2, c. 9 (PL 176, 210).
2 Cf. Lombard., I *Sent.,* d. 40, c. 2 (p. 252).
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 39, a. 2, q. 2 (I, 692sq.); *Breviloq.,* p. 1, c. 8 (V, 216sqq.).
4 Cf. Aristot., *Metaph.,* XI, c. 9 (II, 609).
5 Cf. Aristot., loc. cit.
6 Cap. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).
7 Loc. cit.

principium, 'per' dicit rationem principii quasi medii. Ubi [a] ergo significatur actio transiens ab ipso supra creaturam, quae scilicet dicit motum ab ipso, bene [b] recipitur haec praepositio 'per' quasi media, ita ut [c] Deus sit in ratione primi principii, 'per' vero dicat rationem principii quasi medii, ut cum dicitur 'Deus facit domum [d] per artificem'. Ubi vero significatur motus ad ipsum, non debet recipi haec praepositio 'per'; unde, cum per [e] hoc verbum 'scire' dicatur motus ad ipsum, non debet ibi recipi haec praepositio 'per', quia sic sequeretur quod creatura esset principium respectu Dei: quod est falsum. — Tamen potest haec distingui [f] 'Deus operatur per creaturam': quia si haec praepositio 'per' determinat verbum in comparatione [g] ad suppositum, ut dicat causam eius quod supponitur per nominativum, falsa est, et est sensus: 'Deus per creaturam est operans'; vel potest determinare verbum in comparatione ad accusativum, et sic vera est et est sensus: 'Deus est operans mediante creatura'. Et sic patet solutio [1].

165 CAPUT II.

UTRUM DEUS SCIAT PER CAUSAM.

Secundo quaeritur utrum Deus sciat per causam.

Videtur quod sic: *a.* Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [2]: « Secundum unicam causam scivit omnia, ut ex ipso existentia et in ipso subsistentia ». Ergo etc.

b. Item, nobilior est scientia quae est per causam, quam illa quae non est per causam; sed nobilius est Deo tribuendum; ergo scientia Dei est per causam, scilicet per se causam [h].

Contra: 1. Deus scit mala, non tamen est causa malorum; non ergo quaecumque scit, scit per causam, quia omnia quae scit per causam, scit per se causam; sed mala non scit per se causam; ergo etc.

2. Item, ipse [i] scit non-entia; sed quae non sunt existentia non habent causam, ut ea quae praeterierunt et multa contingentia quae non erunt; ergo non scit quidquid scit per causam.

Respondeo, secundum Dionysium, in libro *De divinis nominibus* [3]: « Si secundum unam [k] causam Deus omnibus entibus esse impartit [l], secundum eamdem causam singularem et agnoscit omnia tamquam in se entia et in se praesubsistentia, et non ex existentibus accipiet scientiam eorum ». Secundum hoc dicendum quod est considerare id quod est causa et est considerare causam in ratione causae. Deus autem est causa omnium; potest ergo considerari Deus vel ut id quod est causa vel in ratione causae. Si consideretur ipse qui est causa, omnia scit per causam, quia omnia scit per se, qui est causa omnium. Non autem scit omnia in ratione causae; nam ubi intelligens et intellectum [m] sunt idem, non est necessarium medium causa: ut patet, cum anima intelligit se, non intelligit se per causam; item, ubi intellectum non habet causam, non oportet illud intelligi per causam. Ubi ergo intellectum est diversum et habet causam, verum est quod scire est [n] [per] causas cognoscere. — Similiter est intelligendum [o] illud 'nobilior est scientia per causam': verum est, ubi intellectum habet causam; sed ubi non est causa, illud verius scitur sine causa quam aliud per causam.

[Ad obiecta]: 1. Item, ad illud quod obicitur quod [p] 'mala non sciuntur per causam': dicendum quod illud per se verum est quod [q] mala non sciuntur per causam, tamen per accidens verum est quod mala sciuntur per causam, scilicet non propriam, sed per causam bonorum, ut dicetur infra [4].

2. Ad illud quod obicitur de iis quae non sunt quod [r] 'non habent causam': dicendum quod habent causam [s] in potentia, sed non in actu; Deus enim est causa potens creare ea quae non sunt, actu vero creans solum ea quae sunt.

Ad illud quod obicitur quod 'scit se non per causam': dicendum quod [t] cognoscit se non per causam [u] in ratione causae, cognoscit tamen [v] se per se qui est causa.

166 CAPUT III.

UTRUM DEUS COGNOSCAT PER UNUM VEL PER MULTA.

Tertio quaeritur utrum cognoscat per unum vel per plura.

Quod per multa, videtur: 1. In libro *83 Quaestionum* [5]: « Nihil aliud est res esse in Dei scientia

---

[a] P om., V exp., in S est add. marg. [b] PVS om. [c] P om. [d] F *dictum.* [e] B om. [f] V *cum potest operari* pro *T. p. h. d.* [g] V *comparatio* pro *i. c.* [h] V om. *s. p. s. c.* [i] V *per se.* [k] V om. [l] F *imperat.* [m] F *intellectus.* [n] V om. [o] B *intelligere.* [p] L om. [q] L om. [r] S *quę.* [s] F om. *d. q. h. c.* [t] B (corr.) add. *si.* [u] LF om. *dicendum ... causam.* [v] F om.

1 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 8, q. 1 (f. 23b).
2 Cap. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).
3 Loc. cit.
4 Cf. p. 252, num. 170.
5 Quaest. 46 n. 2 (PL 40, 30).

quam rationes rerum esse in Dei scientia ». Sed ut dicit ipse in eodem [1]: « Omnia vel singula sunt creata propriis rationibus; alia enim ratione creatus est homo, alia equus ». Ergo singula proprias rationes habent; sed ipse scit per rationes; ergo scit per multas.

2. Item, ens secundum omnem differentiam habet esse in Deo; sed differentiae entis sunt unum et multa; ergo ibi est exemplar unitatis et multitudinis; ergo sicut cognoscit unum per unum exemplar, ita multa per multa exemplaria.

3. Item, aut cognoscit unum per unum aut unum per multa. Si per multa: habeo propositum; si per unum: ergo cum cognoscat omnia per modum suum, in ipso autem sunt omnia unum, ergo non cognoscit nisi unum.

Contra: *a.* Dionysius, *De divinis nominibus* [2]: « In tota omnium causa », id est perfecta omnium causa, « omnes naturae singulorum sunt convolutae per unam inconfusam [a] unitatem »; et ponit exemplum de unitate et centro. Ergo per unitatem unam [b] cognoscuntur omnes naturae singulorum.

b. Item, in libro *De divinis nominibus* [3]: « Cognoscit universaliter multa uno »; dicit enim sic: « Divina sapientia cognoscens se ipsam, cognoscit omnia et universaliter multa [c] uno ».

Respondeo: Cognoscit omnia se ipso, et cognoscit omnia per unum. Et ratio huius est: quia perfectius est cognoscere multa et unum uno quam multa per multa et unum per unum; et quod est perfectius est Deo tribuendum; cognoscit ergo unum et multa per unum. Et est exemplum de [d] unitate: detur enim [e] intellectus unitati, intellectus, inquam, suae essentiae et suae virtutis et sui respectus, similiter et centro [4]. Si sic: unitas, intelligendo se, intelligeret [f] unitatem et etiam suam virtutem; et cum sua virtus sit quod ex [g] eius multiplicatione surgit omnis numerus, ipsa, intelligendo suam virtutem, intelligeret omnem numerum. Similiter Deus, intelligendo se, omnia intelligit. Eodem modo patet in centro: si intelligeret se et suam virtutem, uno simplici intellectu intelligeret infinitas lineas quae possunt duci ab ipso.

[Ad obiecta]: 1. Quod ergo obicitur quod « singula propriis rationibus creata sunt »: dicendum quod haec argumentatio non valet: ' multae sunt rationes, et per rationes cognoscit, ergo per multa cognoscit '; nam rationes et multae sunt et una: ratio enim habet comparationem ad illud cuius est et ad illa respectu quorum est. In comparatione autem ad illa quorum est [h], rationes multae sunt; sed in comparatione ad illud cuius est, una est tantum. Sicut patet in respectu puncti ad lineas: respectus [i] enim puncti, secundum quod puncti [k], unus est et simplex; in comparatione [l] ad plures lineas multi sunt. Est ergo sophisma accidentis in argumentatione illa [m]: nam secundum quod illa per se [n] cognoscit, non sunt multae rationes, sed una tantum.

2. Ad aliud dicendum quod Deus se uno cognoscit unum et multa; unum autem est exemplar unitatis et multitudinis: sed unum secundum actum consideratum est exemplar unitatis, unum consideratum secundum potentiam est [o] exemplar multitudinis.

3. Ad aliud quod obicitur ' cognoscit secundum quod sunt in ipso, sed secundum quod in ipso sunt, sunt [p] unum, ergo non cognoscit nisi unum ': dicendum quod non valet, sed deberet inferri: ' ergo non cognoscit nisi ut unum '; nec sequitur ulterius: ' ergo non cognoscit nisi unum '.

CAPUT IV. 167

UTRUM DIVINA SCIENTIA SIT PER EXEMPLAR.

Quarto quaeritur utrum divina scientia sit [q] per exemplar [5].

Ad quod sic: *a.* Augustinus, in [r] *83 Quaestion.* [6]: « Ideas vel rationes ubi esse arbitrandum est nisi in mente Creatoris? Non enim extra [s] positum quidquam intuebatur ut secundum id constitueret quod constituebat ». Cum ergo idea non sit aliud quam exemplar rei, intuetur autem [t] Deus per ideam rem, sicut ex hac auctoritate [u] relinquitur, cognoscit igitur rem per [v] exemplar.

b. Item, omnis agens per rationem agit per exemplar vel per [x] ideam rei quam habet apud se; ergo et Deus ipse, qui maxime [y] per rationem agit; sed idem est quo agit rem et quo praecognoscit [z] rem; ergo praecognoscit rem per ideam.

---

[a] V *confusam.* [b] S om. [c] L (corr.) *multum*, F om. *et.* [d] BRLF *in.* [e] F *etiam.* [f] L om. *s. i.*, PVS *intelligit*, item infra. [g] PVSF om. [h] PV om. *in ... est.* [i] L *respectu.* [k] L *puncto*, F *punctus*; PS *unius* pro *unus.* [l] B add. *autem.* [m] PVS *sua.* [n] BRLF *per illa* pro *i. p. s.* [o] S *ad.* [p] S om. [q] R (corr.) *scit*, F *essentia scit* pro *s. s.*, PV *quinto*, quod S corr. [r] F om. [s] V *exemplar.* [t] F *intuere videtur* pro *i. a.* [u] B *auctore.* [v] P *vel.* [x] L om., F *ut* pro *v. p.* et om. *Item ... exemplar*, B *rem* pro *rei.* [y] V in mg. *manifeste* [z] BR *cognoscit*, R om. *rem.*

1 Loc. cit.
2 Cap. 5, § 7 (PG 3, 822, PL 122, 1149).
3 Cap. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).
4 Cf. Dionys., loc. cit., c. 5, § 7 (PG 3, 822, PL 122, 1149).
5 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 35, a. unic., q. 1 (I, 600 sqq).
6 Quaest. 46, n. 2 (PL 40, 30).

Contra: 1. Dionysius, *De divinis nominibus* [1]: « Omnium [a] notitiam et scientiam et substantiam praehabet et praeconcepit [b], non secundum ideam ».

2. Item, eodem cognoscit bona et mala; sed mala non cognoscit per ideam; ergo nec bona; ergo non cognoscit per exemplar.

Solutio: 1. Si idea vel exemplar diceret differens a divina essentia, nullo modo divina scientia est per exemplar vel [c] ideam. Unde in hoc erravit Plato [2], qui posuit tria principia: Deum, ideam et materiam; et hoc non [d] intendit B. Dionysius. Si vero idea [e] dicat ipsam essentiam, in quantum est ars vel species secundum quam sunt res, secundum [f] hoc est divina scientia per ideam, quia per se ipsam, quae est ars et exemplar rerum.

2. Et ad illud quod obicitur de malis, est responsio: quia malum cognoscit per ideam boni, in quantum deficit ab illo, ut patebit infra [3]. Unde Dionysius [4] ponit exemplum de luce quae secundum causam [g] in se notitiam tenebrarum percipit [h], « non aliunde cognoscens tenebras quam a lucis defectu [i] ».

MEMBRUM III.

Cuius sit divina scientia.

Tertio [k] quaeritur cuius sit divina scientia.

Et primo quaeritur utrum sit entium et non-entium;

secundo, utrum finitorum vel infinitorum;

tertio, utrum bonorum et malorum;

quarto, utrum necessariorum et contingentium;

quinto, utrum enuntiabilium [l];

sexto, utrum singularium;

septimo, utrum oppositorum.

168 CAPUT I.

UTRUM SCIENTIA DEI SIT ENTIUM ET NON-ENTIUM [5].

Ad primum sic proceditur: I. *a.* Augustinus, *Super Genesim* [6]: « Res ab aeterno fuerunt in Dei [m] scientia, cum tamen non essent in sua natura ». Ergo scientia Dei est non-entium.

b. Item, Ambrosius, in libro *De Trinitate* [7]: « Cognoscit ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt ». Ergo [n] etc.

c. Item, Augustinus, super illud Psalmi [8]: *Pulcritudo agri mecum est*, Glossa [9]: « Cum illo sunt [o] omnia futura, et ab illo non detrahuntur [p] praeterita »; sed praeterita non sunt vel futura; ergo etc. [q].

II. Item, quaeritur: ergo [r] qualiter sunt in illo.

Contra: 1. Hugo de S. Victore, in suis *Sententiis* [10]: « Scientia est entium vel existentium ». Ergo non est non-entium [s].

2. Item, unumquodque [t] sicut se habet ad esse, sic se habet ad verum [11]; sed scientia Dei solum est verorum; ergo solum est eorum quae habent esse.

Respondeo, I. secundum Augustinum, *Super Ioannem* [12]: *Quod factum est, in ipso vita erat* [13], ponens exemplum de arca in opere, quae non est [u] vita, et de arca in mente artificis, quae est vita; et hoc modo *quod factum est, vita est* in Deo. Secundum hoc ergo dicendum quod esse creaturae dicitur dupliciter: in sua natura vel in sua causa; scientia autem Dei non ponit esse vel [v] existentiam rei in sua natura, sed in sua

---

[a] PVSB *omnem*. [b] PVS *precognoscit*. [c] P add. *per*. [d] SR om. [e] V add. *non*, PVS om. *ipsam*. [f] F om. [g] PV *eum*. [h] PVS *recipit*. [i] *per lucis defectum* pro *a. l. d.* [k] F *quarto*. [l] S *essentialium*. [m] BR *divina*. [n] PVS om. [o] LF *habet*. [p] PVS add. *omnia*. [q] V om. *e. c.* [r] Ita BR om. [s] F om. *non*. [t] V *nunquam*, F om. *se*. [u] V om. [v] PVS *poterit esse per* pro *p. e. v.*

1 Cap. 7, § 2 (PG, 3, 870, PL 122, 1154).

2 In *Timaeo*, III (p. 28). Cf. Ambros., *Hexaem.*, I, n. 1 (PL 14, 123); Augustin., *De civit. Dei*, VII, c. 28 (PL 41, 218); Strab., *Prothem. Glos.* (PL 113, 64); Lombard., II *Sent.*, d. 1, c. 1 (p. 307); Phil. Grevius, *Summa*, II (f. 14c): « In hoc videtur Plato recedere a veritate, cum diceret ideam non esse idem cum Primo ».

3 Pag. 252, num. 170.

4 Loc. supra cit.

5 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 39, a. 1, q. 1 (I, 684sqq.); Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 13 (PL 211, 841).

6 *De Gen. ad litt.*, V, c. 18 (PL 34, 334).

7 Lib. V, c. 16, n. 198 (PL 16, 689). Cf. I Cor., 1, 28.

8 Psalm. 49, 11.

9 Lombardi, in h. l. (PL 191, 479), ex Augustino, *Enarr. in Psalm. 49*, n. 18 (PL 36, 577).

10 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 9; cf. Pseudo-Hugo, *Summa*, tr. 1, c. 12 (PL 176, 210, 61).

11 Cf. Aristot., *Metaph.*, II, lect. brev., c. 1 (II, 486).

12 Tract. 1, nn. 16 et 17 (PL 35, 1387).

13 Ioan. 1, 3 et 4.

causa, id est in se ipso sive in dispositione sua.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo [a] quod obicitur quod « scientia est existentium »: dicendum quod non est sensus quod sint [b] existentia in sua natura solum, sed existentia [c] in sua causa. Scientia ergo Dei est entium [d] et non-entium in sua natura: ut [e] patet in exemplo de [e] artifice et domo. Artifex enim, antequam faceret domum, habuit scientiam de domo, longitudinis, latitudinis, materiae et formae et huiusmodi, et postmodum, cum facta est, habet eamdem scientiam de domo, quam habebat prius, antequam fieret; et si destruatur domus, eamdem tamen scientiam habet de domo. Non valet ergo: 'domus non est, ergo artifex non habet scientiam de domo'. Similiter autem sunt res in Deo sicut domus in mente artificis; nec valet similiter: 'res non sunt, ergo Deus non habet scientiam de rebus'.

2. Ad aliud quod obicitur quod 'unumquodque, sicut [f] se habet ad esse, sic se habet ad verum': dicendum quod est veritas rei in natura propria et est veritas rei in causa. Sicut res se habet ad esse in natura propria, sic se habet ad veritatem in natura propria; et sicut se habet ad esse in causa, sic se habet ad veritatem [g] in causa, et non aliter.

II. Ad illud quod quaeritur 'qualiter [h] praeterita et futura sunt in illo', responsio patet per simile in domo. Quid enim aliud est domus in mente artificis nisi exemplar domus vel idea in mente? quae non variatur per praesens, praeteritum et futurum, sed semper est apud eum exemplar; similiter apud Deum manet exemplar rei, sive sit praesens sive praeterita sive futura.

Ad aliud quod obicitur quod Deus scit multa quae nec fuerunt nec erunt, huiusmodi autem non sunt in Deo sicut in causa vel sicut in exemplari et ita videtur quod non deberet illa scire: responsio est iam patens. Nam est causa potens, causa disponens, causa operans. Deus autem scit quaedam ut causa potens, et secundum hoc scit multa quae nunquam fuerunt vel sunt vel erunt: cognoscendo enim se ut potentem causam, cognoscit omnia ad quae potest se extendere sua potentia; ut causa [i] disponens cognoscit ea quae sunt vel fuerunt vel erunt; sed per se causam operantem cognoscit solum entia [k]; sunt ergo illa in causa potente vel in potentia causae.

CAPUT II. 169

UTRUM SCIENTIA DEI SIT INFINITORUM.

Consequenter quaeritur utrum scientia [l] Dei sit infinitorum [1].

Et videtur quod sic: *a.* Quia sapientia eius se extendit ad ea quorum non est numerus, Psalm. [2]: *Sapientiae eius non est* [m] *numerus;* igitur sapientia eius est infinitorum; ergo et [n] scientia. Unde Augustinus, *De civitate Dei,* XII [3]: « Sunt quidam qui in tantam prorumpunt insaniam ut dicant Deum non omnium habere notitiam, quia infinita sunt: quod in numeris oportet concedere; sed apud illum infinitorum certus est numerus, cuius *sapientiae non est numerus* ».

b. Item, infinitum est cuius quantitatem accipiendo [o] semper est aliquid extra sumere [4]. Infinitum etiam dicit non tot quin plura; sed non est ponere tot scita a Deo quin plura [p]; ergo scit infinita.

c. Item [q], scientia Dei comprehendit eius potentiam et se extendit scientia ad quaecumque se extendit potentia [5]; sed potentia eius [r] est infinitorum, Psalm. [6]: *Magnitudinis eius non est finis;* ergo et scientia.

d. Item, infinitum potentia dicitur dupliciter: infinitum divisione, ut in quantitate continua; infinitum additione, ut in quantitate discreta [7]. Si ergo Deus cognoscit potentiam continui, quae est [s] ad divisionem in infinitum [t], et potentiam [u] discreti, quae est ad multiplicationem in infinitum [v], ergo scit infinita; et quamvis ista potentia non sit reducibilis ad actum, tamen ex quo est potentia, oportet quod Deus sciat illam secundum suam extensionem, cum non extendat se [x] potentia in plus quam scientia [8].

e. Item, in Deo non differt posse et esse; ergo idem erit scire potentiam divisionis in infinitum et scire infinita; sed scit potentiam respectu divisionis in infinitum [y]; ergo habet scientiam infiniti.

---

[a] BRLF om. *A. i. e.* [b] L *sit.* [c] B *existentium.* [d] L *existentium,* item infra; S *ut* pro *et.* [e] PVS *exemplo in* pro *i. e. d.* [f] V om., et infra *sicut* pro *sic.* [g] F om. *in natura propria et... veritatem.* [h] V *quare.* [i] LF om. [k] B *essentia.* [l] B (corr). *sapientia.* [m] P om. *n. e.* [n] V *est.* [o] BRLF *accipientibus.* [p] L om. *sed non... plura.* [q] B om. [r] BRLF om. [s] F om. [t] PVS *infinitam,* PVSL om. *in.* [u] PS *potentia.* [v] PVS *infinita,* PVSL om. *in.* [x] R add. *in,* quod B exp. [y] L om. *et scire... infinitum.*

1 Cf. S. Bonav., *Quaest. disput. de scientia Christi,* q. 1 (V, 3 sqq.).
2 Psalm. 146, 5.
3 Cap. 18 (PL 41, 367 sq.), ad sensum.
4 Cf. Aristot., *Phys.,* III, c. 6 (II, 282).
5 Cf. supra, p. 205, num. 134.
6 Psalm. 144, 3.
7 Cf. Aristot., *Phys.,* III, c. 7 (II, 283).
8 Cf. supra, p. 205, num. 134.

f. Item, infinitum fuit institutum ad significandum aliquid; illud ergo fuit comprehensibile vel non. Si est comprehensibile a nobis, ergo et a Deo; si non est comprehensibile, quomodo ergo est institutum [a]?

Contra: 1. « Scientia est existentium », sicut dicit Hugo, in suis *Sententiis* [1]; existentia autem sunt finita; ergo scientia est finitorum solum [b] etc.

2. Item, omne quod scitur comprehenditur scientis scientia [2]; omne autem autem quod comprehenditur, finitur [3]; ergo omne quod scitur a Deo, finitur eius scientia.

3. Item, scientia Dei de rebus est per ideas [4]; sed ideae non sunt infinitae; ergo nec scientia Dei infinitorum est. — Quod autem ideae vel rationes non sint infinitae probatur: quia aut tot sunt quot sunt res aut plures. Si tot: et res sunt finitae, ergo et ideae. Si plures: sed idea est exemplar ad aliquam rem; si ergo illa res non est futura, frustra est illa idea; restat ergo quod non sunt plures. — Item, idea relative dicitur ad ideatum; si ergo ideata finita sunt, ergo [c] et ideae.

Respondeo: Cum quaeritur an scientia Dei sit infinitorum, dicendum quod scientia Dei est de rebus, et hoc per se causam. Causa autem potest considerari ut potens operari: et sic scientia Dei, quae est per causam, est infinitorum, quia ipsa potentia causa est infinitorum; sed si consideretur causa ut disponens: sic Dei scientia de rebus per se causam est finitorum, quia dispositio est finitorum [5]. Similiter ad illud quod obicitur de divisione continui in [d] infinitum.

[Ad obiecta]: 1. Et ad illud [e] quod « scientia est existentium »: verum est, existentium in causa. Sed res potest existere in causa dupliciter: vel in causa potente, et sic existentia sunt infinita; vel in causa disponente, et sic existentia sunt finita. Et scientia, ut dictum est [6], primo modo est infinitorum, secundo modo finitorum.

2. Ad id [f] quod obicitur ' omne quod scitur, scientis scientia [g] comprehenditur ': dicendum, secundum Dionysium, *De divinis nominibus* [7]: « Sapientia divina se ipsam cognoscens, cognoscit omnia: materialia immaterialiter [h], non partite partita, finite infinita [i] ». Non valet ergo: si sunt finita in eius cognitione, quod sint finita simpliciter; nam infinita cognoscit [k] per finita sibi.

3. Item, ad illud quod obicitur quod ' scientia est per rationem vel per ideam ': dicendum quod est scientia simplicis notitiae, quae non est per rationem vel [l] ideam, quia illa est etiam malorum, quae non habent in Deo rationem vel ideam propriam; est iterum scientia approbationis [8], quae habet [m] in Deo rationem et ideam, et haec est finitorum: nam cognitio eorum quae debet operari, solummodo dicitur per ideam.

f. Item [n], ad illud quod obicitur quod infinita [o] possunt comprehendi scientia humana: dicendum quod institutio nominum est dupliciter, et quaedam accipit intellectus et quaedam non. Quandoque enim nomen significat quid est res et imponitur [p] ad significandum quid de re, et hic non deficit intellectus imponentis. Quandoque vero [q] significat nomen quid non est: et hic deficit intellectus in [r] comprehensione, et ideo imponitur ad significandum quid non est, sicut patet in impositione [s] divinorum nominum: non enim potest intellectus capere quid sit Deus, et ideo imponitur nomen quod significat [t] quid non est Deus, ut immensus et huiusmodi. Similiter dicendum quod in [u] impositione huius nominis ' infinitum ' deficit intellectus in comprehensione, et ideo impositum fuit ad significandum quid [v] non est, non quid esset. Nec sequitur: si fuit impositum, quod comprehensum fuerit ab intellectu instituentis.

170 CAPUT III.

UTRUM SCIENTIA DEI SIT BONORUM ET MALORUM.

Postea quaeritur utrum scientia Dei sit bonorum et malorum.

Ad quod sic: *a.* Non iudicaret Deus [x] de bonis et malis nisi haberet scientiam de illis; sed de illis iudicat; ergo illa scit.

b. Item, quidquid capit humana scientia, capit divina; sed scientia humana [y] est capax malorum; ergo et divina.

Contra: 1. Augustinus, in *Sententiis*, 36 dist. [9]: « *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Abscondita, inquit, peccata sunt,

---

[a] V *infinitum.* [b] F *simul.* [c] BRLF om. [d] LR om. [e] S *aliud.* [f] BR *aliud.* [g] VS om. [h] L *et materialiter.* [i] F *finita,* quod V corr. [k] L *cognitione,* F *infinita* pro *finita.* [l] PVS add. *per.* [m] PS *habent.* [n] L om. [o] V *finita.* [p] L *in potentia.* [q] S om. [r] PV om. [s] F *positione.* [t] R om. *q. s.* [u] PF om. [v] Codd. *quod.* [x] PVS add. *quod sic.* [y] V om. *scientia ... humana.*

1 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 9; cf. Pseudo-Hugo, *Summa*, tr. 1, c. 12 (PL 176, 210, 61).
2 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, XII, c. 18 (PL 41, 368).
3 Cf. Augustin., *De div. quaest. 83*, q. 15 (PL 40, 14).
4 Cf. Augustin., ibidem., q. 46, n. 2 (PL 40, 30).
5 Cf. supra, p. 251b, II, *ad 1.*
6 Sub *Respondeo.*
7 Cap. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).
8 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 8, q. 1 (f. 23a).
9 *Enarr. in Psalm. 16*, 4, n. 13 (PL 36, 147); apud Lombard., I *Sent.*, d. 36, c. 2 (p. 226).

quae a lumine veritatis tuae [a] absconduntur ».

2. Item, scientia nihil aliud est quam assimilatio intellectus ad rem scitam; sed nulla est assimilatio intellectus Dei ad malum, quia nulla est participatio *Christi ad Belial* [1]; ergo etc.

3. Item, scientia eius est per causam; ipse autem non est causa malorum; ergo non scit mala.

4. Item, quaeritur qualiter scit mala, utrum videat illa extra se vel in se [2]. Si extra se: ergo scit per aliud quod est extra se, et hoc est inconveniens. Si in se videt – contra: in se non est aliquod malum nec aliquis defectus; ergo in se non [b] potest videre mala.

5. Item, Augustinus, *De libero arbitrio* [3]: « Naturae vitiosae in tantum recte vituperantur, in quantum vituperator earum artem, qua factae sunt, videt, ut [c] hoc in eis vituperet [d], quod ibi non videt ». Ergo vitia naturarum non videt Deus in arte.

Respondeo: 1. Ad hoc dicendum, secundum Cassiodorum. Propheta dicit [4]: *Nec ab oriente, nec ab occidente* deest Deus; quod exponens Cassiodorus dicit [e] [5]: « Nec a bonis nec a malis deest Deus, sed omnibus praesens et cognitor est ». Cognoscit ergo Deus bona et mala per scientiam, sed bona etiam cognoscit per approbationem et per [f] beneplacitum, mala vero non. Unde Cassiodorus, *Super Psalmum*, dicit [6]: « Peccata abscondita sunt Deo, quia non novit, id est non [g] approbat ». Et ex eo sensu Augustinus [7] dixit ea abscondi a lumine Dei. Haec verba sunt 36 dist. I libri *Sententiarum* [8]. Dicendum ergo quod est scientia approbationis et [h] scientia simplicis notitiae. Scientia approbationis non cognoscit Deus mala, ut habetur Matth. 25, 12: *Non novi vos* etc. et in Psalmo [9]: *Quae ignorabam, interrogabant me* etc. Sed scientia simplicis notitiae scit ipse mala [10], et eadem, scilicet se ipso, scit bona et mala [i]. Et est exemplum Augustini [11] in arte: Deus enim ita scit malum sicut ars novit vitium. Quaedam enim sunt in arte ut approbanda, quaedam ut reprobanda, sicut in grammatica congruum et incongruum: congruum, ut approbandum; incongruum, ut reprobandum. Ita Deus in se ipso arte scit malum ut reprobandum, bonum vero [k] ut approbandum. Et exemplum huius patet in luce: ut si lux videret se et suam operationem, videret bene quod hoc esset receptivum luminis sui, aliud non, scilicet tenebra, et ita se ipsa videret et se et tenebras. Unde Dionysius [12]: « Sicut lux secundum causam in se tenebrarum notitiam percipit, aliunde non cognoscens tenebras quam a lucis defectu », eodem modo rectum est principium cognoscendi se et obliquitatem. Et sic est in scientia Dei.

2. Quod ergo obicitur quod 'scientia est assimilatio intellectus ad rem scitam': dicendum quod quaedam sunt res quae sciuntur per se, et quaedam quae [l] per accidens. Quaedam enim [m] res scitur ut positio: et haec scitur ut assimilatio intellectus ad rem; quaedam scitur ut privatio: et haec non scitur ut assimilatio, sed ut dissimilitudo; similitudo vero [n] principium est cognoscendi simile et dissimile. Bonum ergo, quod est simile, scitur a Deo per similitudinem; malum vero, quod est dissimile, per eamdem similitudinem.

3. Ad aliud [o] quod obicitur [p] 'scientia Dei est per causam': dicendum quod malorum scientia est in Deo non per causam malorum, sed per causam bonorum [13]. Quaedam enim sciuntur per causam suam, sicut illa quae habent causam, ut bona; quaedam non per causam propriam, sed alienam, ut mala, quae non habent causam: non enim cognoscuntur nisi per defectum a causa.

4. Ad aliud quod quaeritur 'utrum videat in se mala' etc.: dicendum quod [q] mala cognoscit in se; non tamen sequitur quod malum sit in ipso, sed quod bonum vel exemplar boni sit in ipso, per quod cognoscit bonum sicut effectum, malum vero ut deficiens ab illo.

5. Item, ad illud Augustini quod obicitur « naturae vitiosae » etc.: dicendum quod mala non sunt in arte divina, quamvis reprobentur et sciantur; sunt tamen in scientia: ars enim addit supra [r] scientiam causalitatem [14]; Deus autem non est causa malorum, et ideo non sunt mala in arte divina, quamvis sint in scientia.

---

[a] PVS om. [b] S add. *est nec*. [c] PVS *et*; codd. *ita* pro *in eis*. [d] PVS *vituperat*, F *sibi* pro *ibi*. [e] BRLF *inquit*. [f] B om. [g] L om. [h] S add. *est*. [i] BR *bona*. [k] PVS *scit vero bonum* pro *b. v.* [l] S om. [m] PVS *autem*. [n] R *non*. [o] PVS *illud ergo*. [p] V add. *quod*. [q] F add. *ex*. [r] F *in*.

1 Cf. II Cor. 6, 15; Guil. Altissiod., loc. cit.
2 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 23b.).
3 Lib. III, c. 15, n. 42 (PL 32, 1292).
4 Psalm. 74, 6.
5 *Expos. in Psalter.*, in Ps. 74, 6 (PL 70, 538).
6 Loc. cit., in Ps. 16, 16 (PL 70, 122).
7 Sub n. 1.
8 Cap. 2 (p. 226) a verbis supra cit.: *Propheta dicit* usque ad *Dei*.
9 Psalm. 34, 11.
10 Cf. Lombard., loc. cit. (p. 227); Guil. Altissiod., loc. cit., I, c. 8, q. 2 (f. 23b).
11 Cf. *Enarr. in Psalm. 34*, n. 2 (PL 36, 334); *Quaest. in Heptat.*, II, q. 152 (PL 34, 647).
12 *De divin. nomin.*, c. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).
13 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., I, c. 8, q. 1 (f. 23b).
14 Cf. Aristot., *Ethic. ad Nicomach.*, VI, c. 4 (II, 68).

171

CAPUT IV.

UTRUM SCIENTIA DEI SIT NECESSARIORUM ET CONTINGENTIUM.

Consequenter quaeritur utrum scientia Dei sit necessariorum vel contingentium.

Ad quod sic proceditur: 1. Certior est necessariorum cognitio quam contingentium, quia certius est omne [a] necessarium quam contingens; et quod perfectius est Deo est tribuendum; ergo etc.

2. Item, perfectior est divina scientia quam humana; sed de perfectione humanae scientiae est quod est necessariorum tantum [b]; ergo scientia divina est solum [c] necessariorum.

3. Item, proportio est scientis [d] ad scibile; ergo sicut necessarium scitur per causam necessariam, ita contingens per causam contingentem; sed Deus scit res per se et non scit [e] per se causam contingentem; ergo non scit contingentia.

4. Si dicatur quod contingens habet causam inferiorem, ut naturam vel voluntatem, et haec est causa contingens, et habet causam superiorem, scilicet Deum, quae [f] est causa necessaria – contra: in quantum habet causam necessariam, necesse est evenire; in quantum habet causam [g] contingentem, non est necesse evenire; ergo idem necesse est evenire et non evenire: quod est inconveniens. — Item, Deus scit hoc futurum contingens; et si est futurum, contingens necessario erit, ut loquamur de necessitate consequente [h]; praeterea, si est contingens, non de necessitate eveniet; ergo de necessitate eveniet et non de necessitate eveniet.

Contra: *a.* Perfectius est cognoscere mutabilia et immutabilia per causam necessariam quam cognoscere solum necessaria per causam necessariam; sed quod [i] perfectius est Deo est tribuendum [k]; ergo etc.

[Sólutio]: Quod concedendum est et dicendum secundum Dionysium [1], ut supra.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud autem [l] quod obicitur quod 'certior est cognitio necessariorum' etc.: dicendum quod est scientia a rebus et est scientia ad res. Scientia nostra, quae est a rebus, est secundum conditiones rerum; sed divina scientia, quae est ad res, non sequitur conditiones rerum. Sequitur ergo in nostra scientia necessarias res cognitio necessaria; si autem res sit contingens, cognitio contingens est [m] de ipsa. Quia ergo scientia dicit cognitionem immutabilem, et nos non possumus habere de contingentibus immutabilem cognitionem [2], ideo scientia nostra solum est necessariorum; sed scientia Dei, quae est ad res, non est per res, sed se ipso; unde cum ipse sit causa immutabilis, per causam immutabilem et necessariam cognoscit etiam contingentia [3].

2. Ad aliud quod obicitur quod 'nos cognoscimus necessaria necessario, contingentia contingenter': dicendum quod hoc [n] non est de perfectione scientiae nostrae, sed de imperfectione. Quia enim scientia nostra est accepta a rebus et ipsa res est contingens, oportet quod cognoscamus contingenter; sed de perfectione divinae scientiae est, quae [o] cognoscit se ipsa, quod contingentia scit necessario. Exemplum patet in artifice et in me: cognoscimus domum ego et artifex, sed cognitio mea de domo mutatur secundum mutationes domus, sed cognitio artificis de domo non mutatur, etiam ante aedificationem domus et post destructionem, etiam si fiat vel si non fiat [p].

3. Ad illud quod obicitur quod 'proportio debet esse scientis [q] ad scibile, ergo sicut necessarium scitur per causam necessariam, ita contingens per causam contingentem': dicendum quod est ens per se et ens per aliud, et ens per aliud [r] reducitur ad ens per se; ita causa contingens ad causam necessariam est reducibilis: omne enim per accidens reducitur ad aliquid [s] per se [4].

4. Ad illud [t] quod obicitur de duplici causa, scilicet inferiori et superiori [u]: dicendum quod est causa superior, Deus, et est causa inferior, natura vel voluntas. Quaedam autem sunt immutabilia secundum causam inferiorem, ut caelum moveri usque ad finem mundi: Deus enim ita disposuit et etiam natura motrix ad hoc est necessario disposita; unde est causa immutabilis ad hoc, tam superior quam inferior. Item, quoddam est immutabile secundum causam inferiorem, quod tamen est mutabile secundum superiorem, ut solem moveri,

---

[a] R *esse.* [b] PVS add. *ergo scientia* (V om.) *divina est necessariorum tantum.* [c] L *tantum.* [d] PVS *scientie.* [e] F om. [f] F *qui.* [g] BRLF om., F om. *non.* [h] BR *consequentie,* F *contingente.* [i] R om. [k] PVS *attribuendum,* S om. *est.* [l] L om. [m] F om. [n] BR om. [o] PVS *quod.* [p] PV om. *v. s. n. f.,* quod in S est add. marg.; L *et* pro *vel,* RF om. *vel;* B (corr.) *sive* pro *v. s.* [q] PV *scientie.* [r] F om. *e. e. p. a.* [s] VBRL om., F *esse;* P om. *ad,* quod in S est add. mg. [t] BRL *aliud.* [u] R om. *e. s.*

[1] *De divin. nomin.*, c. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154); cf. supra, p. 247, sub *Respondeo.*

[2] Cf. Aristot., *Periherm.*, c. 9 (I, 28sq.); *Sent. ex Aristot. collectae* (PL 90, 989): « De futuris contingentibus non est determinata veritas ».

[3] Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 9, q. 5 (f. 25b). De differentia inter scientiam divinam et humanam vide Augustin., *De Trinit.*, XV, c. 13 (PL 42, 1075 sq.); *De div. quaest. ad Simplician.*, q. 2 (PL 40, 138 sqq.).

[4] Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 6 (II, 269).

quod habet causam immutabilem necessariam inferiorem, quod tamen secundum causam superiorem est mutabile, ut patet in Iosue 10, 12. Item, est quoddam immutabile secundum causam superiorem, tamen mutabile est secundum causam inferiorem: ut si Deus praevidit me iturum Romam, secundum causam superiorem est immutabile, secundum causam inferiorem mutabile est, cum Deus praeviderit et disposuerit quod iste actus [a] eliciatur a [b] voluntate non coacta. Non sequitur ergo: 'hoc est immutabile secundum causam superiorem, ergo est immutabile', immo est quid et simpliciter; quod enim dicitur immutabile secundum causam superiorem, secundum quid dicitur, et ideo secundum quid [c] necesse est evenire. Nam illa causa superior non est determinata causa huius nec cogens [d] inferiorem ad hoc quod res sit.

CAPUT V. 172

UTRUM SCIENTIA DEI SIT ENUNTIABILIUM.

Consequenter quaeritur an scientia Dei sit enuntiabilium.

Ad quod sic: 1. Scientia enuntiabilium est cum compositione et divisione [1]: est enim acceptio alicuius de aliquo vel alicuius ab aliquo; ergo si compositio et divisio longe relegata est a simplicitate divinae scientiae [e], relinquitur quod non erit enuntiabilium.

2. Item, anima, quoniam simplex est, non potest plura intelligere simul vel cognoscere; unde Philosophus [2]: « Contingit scire multa, intelligere autem unum solum »; ergo cum Primum [f] sit simplicissimum, non potest multa videre simul.

Contra: *a.* Ipse scit res omnes et scit omnes actus animae; sed res sunt de quibus sunt enuntiabilia, actus vero animae est enuntiare sive enuntiatio; relinquitur ergo quod ipse scit enuntiabilia. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Sed notandum quod scientia Dei non est de enuntiabilibus per modum enuntiabilium, sed per modum rerum de quibus sunt enuntiabilia: et per modum rerum, non per modum illum quo sunt in natura propria, sed per modum illum quo sunt in [g] causa sua: et ita enuntiabilia reducuntur ad res, res autem ad [h] causam, quae quidem est sufficiens ad esse [i].

2. Ad illud igitur quod obicitur [k] 'anima est simplex' etc.: dicendum quod simplicitas non impedit quin plura simul et semel intelligantur a simplici; non enim impedit quin plures habeat rerum similitudines; unde convertendo se super diversas rerum similitudines, conferendo sive iudicando de rebus quarum [l] sunt similitudines, non potest non simul plura intelligere. — Ad id quod obicitur quod « contingit intelligere unum solum » secundum Philosophum: dicendum quod loquitur de intellectu prout est acceptio principiorum. Vult enim ostendere differentiam inter scientiam et intellectum, prout scientia est acceptio conclusionum, intellectus principiorum, scilicet quod [m] intelligendo principia non contingit intelligere nisi unicum [n] solum, sed sciendo conclusionem, necesse est scire plura, scilicet principia et conclusionem. Videt igitur anima simul et semel multas res per multas similitudines rerum; unde videt multa non uno, sed multis; Deus vero videt multa uno, scilicet [o] se ipso. Unde in visione Dei non differt quod videt et per quod videt, quia videt se per se, et in se videt omnia, quia est causa illorum; quemadmodum ponit exemplum B. Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [3], de [p] centro et unitate dicens: « In monade omnis numerus subsistit; in quantum autem a monade procedit, discernitur et multiplicatur. Et in centro omnes lineae circuli [q] secundum unitatem primam constitutae sunt, breviter autem distantes breviter discernuntur, et quae scilicet magis, et magis. Sic in tota omnium natura, id est in [r] Deo, omnes rationes naturae singulorum sunt convolutae per unam inconfusam ». — Item, Dionysius, in eodem [4]: « Divina sapientia se ipsam cognoscens, cognoscit omnia materialia immaterialiter, et non partite partita, et finite infinita, et multa universaliter, ipso uno omnia [s] cognoscens et adducens. Etenim si secundum unam causam Deus esse omnibus tradidit, secundum unicam eamdem causam scivit omnia, ut ex ipso existentia et in ipso Primo [t] subsistentia ».

---

[a] L om. *g. i. a.* [b] BRLF add. *tua.* [c] V om. [d] V *cognoscens.* [e] F *essentie.* [f] Ita B (corr.) R, alii *prius.* [g] V om. *natura... in.* [h] V add. *dictam.* [i] V om. *a. e.* [k] BR add. *quod.* [l] Ita BR, alii *quorum.* [m] R add. *in.* [n] L *unum.* [o] BRLF *id est.* [p] BRLF *in.* [q] F om. [r] B om. [s] F om. [t] BRLF *prius.*

1 Cf. Aristot., *De elench.*, c. 7 (I, 283).
2 *Topic.*, II, c. 10 (I, 196).
3 Cap. 5, §§ 6 et 7 (PG 3, 819 sqq., PL 122, 1149 sqq.).
4 Cap. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).

173

CAPUT VI.

UTRUM SCIENTIA DEI SIT SINGULARIUM.

Consequenter quaeritur utrum scientia Dei sit singularium [1].

Ad quod sic: 1. Intellectus humanus non est singularium, sed solum universalium [2]. Et ratio huius est [a], quoniam intellectus humanus [b] immaterialis est et abstractus a loco et tempore, singulare vero est hic et nunc. Cum ergo intellectus divinus sit maxime [c] immaterialis et abstractus a loco et tempore, non potest habere scientiam singularium.

2. Item, ostenditur ab Aristotele, in *Prima Philosophia* [3], quod Deus non cognoscit alia a se, quoniam sic intellectus eius vilesceret.

3. Item, Augustinus, in *Enchiridion* [d 4]: « Melius est quaedam nescire quam scire », ut vilia. Si ergo ista sunt vilia respectu divinae scientiae et bonitatis, melius est ignorare ista quam scire.

Contra: *a.* Augustinus, XI *De civitate Dei* [5]: « A terrenis usque ad caelestia, a visibilibus usque ad invisibilia, sunt aliqua bona, aliquâ meliora, ad hoc inaequalia ut essent omnia; Deus autem ita est artifex in magnis ut minor non sit in parvis ». Ergo ipse Deus aequaliter est artifex [e] magnorum et parvorum; ergo in arte sua aequaliter cognoscit magna et parva.

b. Item, quod potest cognoscere creatura, non potest Deus ignorare. Si ergo creatura potest cognoscere singularia, Deus non potest ignorare singularia. — Quòd concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum dicunt quidam quod hoc est ex imperfectione intellectus nostri quod non potest intelligere singulare, non autem ex eius immaterialitate. Aliter tamen dicendum et verius quod intellectus humanus intelligit singularia; intellectus enim accipit speciem rei et intelligit rem ipsam: « lapis enim non est in anima, sed species lapidis [6] », qua quidem intelligitur ipse lapis. Quod ergo insinuat [f] Boethius [7], quod non intelligitur singulare, sed universale, hoc intelligitur quantum ad speciem acceptam in intellectu, quae, in quantum huiusmodi, rationem habet universalis, qua quidem specie intelligitur res cuius est species, scilicet singulare.

Nota [g] igitur quod intellectus humanus intelligit singulare per speciem vel [h] similitudinem eius acceptam adminiculo sensus; angelicus intellectus accipit singulare per speciem vel similitudinem eius non acceptam adminiculo sensus: virtus enim intellectus angelici tantum potest in cognitione universalis et singularis per intellectum, quantum potest cognitio animae rationalis divisa per sensum ad cognitionem singularis et per intellectum ad cognitionem universalis. Tam igitur humanus intellectus quam angelicus intelligit singularia per speciem sive similitudinem quae est in ipso, quae non est ipse intelligens; sed in hoc differenter, quod hic manuductione a sensu, ille per se. Intellectus divinus intelligit singulare non adminiculo sensus nec per speciem sive similitudinem quae sit alia ab intelligente, sed se ipso sive similitudine quae est ipse.

Ad hoc igitur quod obicitur quod 'intellectus humanus non est singularium, quia est immaterialis': respondendum est per interemptionem [8] et addendum est quod immaterialitas non est ratio quare non intelligitur singulare, quia tunc angelus non intelligeret; sed immaterialitas est causa quare species sive similitudo rei accepta in intellectu, ut huiusmodi, non est singularis, sed potius universalis, in quantum est exemplar sive similitudo multorum consimilium.

2. Ad secundum vero dicendum quod illud quod dicit Philosophus quod 'Deus non potest cognoscere aliud a se, nisi vilescat': dicendum quod non intendit per hoc quod ipse non cognoscat alia a se, sed quod [i] non cognoscat ea extra se, sed in se, causa ipsorum [k], et cognoscendo se [l], causam omnium, cognoscat omnia, et ideo sua cognitio non dependet a rebus scibilibus quemadmodum cognitio humana: ut [m] si punctus vel centrum haberet intellectum sui a quo ducerentur multae lineae, cognoscendo se, causam et principium omnium linearum, cognosceret omnes illas [n] lineas [9].

---

[a] V om. [b] BRLF om. [c] B om. [d] F om. *l. E.* [e] F add. *in.* [f] R add. *ipse.* [g] B *notandum.* [h] BRLF *sive.* [i] S om. [k] V *ipso.* [l] PV om., in S est add. marg. [m] BRLF *quemadmodum*, LF om. *sl.* [n] PVS *alias.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 35, a. un., q. 4 (I, 609 sqq.); Maimon., *Doctor perplex.*, III, cc. 16 et 17 (pp. 372-384).

2 Cf. Aristot., *Phys.*, I, c. 5 (II, 255): « Universale enim secundum rationem notum est, particulare vero secundum sensum ».

3 *Metaph.*, XI, c. 9 (II, 609).

4 Cap. 17 (PL 40 239).

5 Cap. 22 (PL 41, 335).

6 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 8 (III, 470).

7 Rectius Aristoteles, loc. supra cit. ad notam 2. Cf. Boeth., *In Porphyr.*, II (PL 64, 85); *De consol. philos.*, V, pr. 4 (PL 63, 849 sqq.).

8 Cf. supra, p. 11b, nota 1.

9 Cf. supra, p. 255b, *ad 2.*

3. Ad tertium dicendum quod Augustinus in illa auctoritate *Enchiridii* sumit 'ignorare' pro 'non approbare', secundum quem modum [a] dicitur ipse Deus ignorare peccata; unde hoc quod dico [b] 'vilia' supponit ibi peccata, non creaturas infimas [c] vel minus nobiles.

CAPUT VII. 174

UTRUM SCIENTIA DEI SIT OPPOSITORUM.

Consequenter quaeritur utrum scientia Dei sit oppositorum.

Ad quod sic: 1. Si nihil est quod non [d] semper videat Deus — sicut dicit Augustinus [1]: « Omnia simul videt, quorum nullum est quod non semper videat » — ergo cum contingat utrumque oppositorum esse, ut te sedere et [e] non sedere, utrumque [f] istorum videt Deus; sed non videt hoc post illud, ita ut sit successio in videndo; ergo simul videt hoc et illud; sed utrumque istorum esse simul est falsum et impossibile; ergo Deus videt vel scit falsum.

2. Item, posito uno oppositorum removetur alterum; ergo si ponitur scire unum oppositorum, ponitur non scire alterum [2].

Contra: *a.* Oppositorum eadem est [g] disciplina [3]; ergo et eadem scientia; ergo et multo magis [h] scientia Dei poterit esse oppositorum.

Respondeo: Dicendum quod scientia Dei potest esse oppositorum sine oppositione et falsitate, quia non sciuntur opposita a Deo secundum modum ipsorum enuntiabilium, sed magis per [i] modum comprehensionis rerum de quibus sunt enuntiabilia; quae quidem comprehensio omnino abstracta est a compositione et oppositione enuntiabilium: et dico rerum enuntiabilium non per modum illum quo [k] sunt in propria natura, sed per modum illum quo sunt in sua causa, ut tactum est supra [4].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicit, dicendum quod haec est duplex: 'utrumque oppositorum simul videt Deus', quia si haec dictio 'simul' determinet hoc verbum 'videre' in comparatione ad videntem, vera est; et est sensus: Deus utrumque oppositorum simul videt, quia eodem praesenti aeternitatis simul videt utrumque. Si vero determinet hoc verbum 'videre' in comparatione ad rem visam, falsa est; et est sensus: Deus utrumque [l] oppositorum simul videt [m], simul scilicet [n] esse; et in hoc sensu procedit, cum accipit: 'utrumque oppositorum esse simul est falsum'.

2. Ad secundum dicendum quod non est similis modus essendi, cum dicuntur opposita esse in rerum natura et cum [o] dicuntur esse in scientia Dei. In rerum enim natura impossibile est quod simul ponantur opposita in eodem subiecto, sed tamen simul sunt in scientia. Nota tamen quod etiam in rerum natura differt [p], cum dicuntur contraria esse in aliquo secundum veritatem et cum dicuntur esse [q] in aliquo secundum speciem sive intentionem. Nam contraria secundum veritatem non possunt [r] esse in eodem subiecto simul per [s] naturam, velut contrarii colores in eadem parte parietis, et tamen simul possunt esse in medio [5] per intentionem; sicut patet quod intentiones innumerabilium [t] contrariorum colorum possunt esse et sunt in una et [u] eadem parte aëris.

MEMBRUM IV.

De modo scientiae Dei.

Consequenter quaerendum est [v] de modo scientiae Dei, quomodo scit. Et cum cognoscat res in se ipso et per se ipsum, quaeritur quomodo res sint in Deo; ratione cuius quaeritur:

De ideis rerum et rationibus secundum quas dicuntur esse in Dei sapientia;

secundo, cum mala non habeant esse in Deo, quomodo cognoscuntur a Deo;

tertio, quomodo omnia praesenter [x] scit;

quarto, quomodo scit omnia simul;

quinto, quomodo scit omnia perfecte;

sexto, quomodo scit omnia immutabiliter.

---

[a] P *quemadmodum* pro *q. m.*, quod B corr. [b] F add. *ibi.* [c] S *infinitas*, quod V corr. [d] F om.; P in mg.: *Versus: Cum quid turpe facis quod me spectante ruberes, Cur spectante Deo non magis facere rubes?* [e] BRLF *te.* [f] P *utrum*, quod L corr. [g] L om. [h] LF add. *etiam.* [i] B *secundum.* [k] B *que.* [l] R add. *scilicet.* [m] S om. *s. v.*, BR om. *simul.* [n] S om., V om. *in.* [o] BR om. [p] L *differunt*, F om. *etiam.* [q] Ita L add. interl., alii om. [r] V add. *simul.* [s] V add. *eamdem.* [t] F *numerabilium.* [u] S *in*, L om. *una et.* [v] L *queritur* pro *q. e.* [x] P *presentia.*

1 *De Trinit.*, XV, c. 14, n. 23 (PL 42, 1077).
2 Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 63 (PL 210, 652).
3 Cf. Aristot., *Metaph.*, III, c. 2 (II, 501): « Unius [scientiae] est opposita speculari ». Verbotenus in *Sent. ex Aristot. coll.* (PL 90, 1026).
4 Pag. 255, *ad 1.*
5 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 7 (III, 452).

175

CAPUT I.

DE IDEIS RERUM ET RATIONIBUS IN DEI SAPIENTIA [1].

Quantum ad primum quaeruntur plura. **I.** Primo, quaeritur hic [a], si sic est quod idea et ratio et sapientia sint idem secundum substantiam, quae est differentia secundum [b] rationem.

Quod idem sint sic ostenditur: Augustinus, in libro *De civitate Dei* [2]: « Ideae sunt in mente divina », quas qui non credit, infidelem esse non ambigit; sed homo agens secundum artem suam, secundum eam [c] est exemplar operum quae fiunt ab eo; multo fortius Deus omnium creaturarum, quae fiunt ab ipso, exemplar est; idea autem nihil aliud est quam exemplar divinum; ergo idem est exemplar et idea. — Quod autem ideae sint idem quod rationes, dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [d] [3], dicit enim quod ideae sunt « rationes rerum stabiles vel invariabiles et quae divina intelligentia continentur ». — Quod autem sint idem quod ipsa sapientia Dei, patet per hoc quod ipse dicit [4]: « Cum ipsae neque oriantur neque intereant, secundum eas tamen dicitur formari omne quod oritur et interire potest »; sed secundum sapientiam divinam dicitur formari quidquid fit [e], Psalm. [5]: *Omnia in sapientia fecisti;* ergo relinquitur quod sint idem quod sapientia Dei, quae est aeterna et secundum quam formatur omnis creatura.

Respondeo quod licet sint idem secundum rem, tamen differentia est inter haec secundum nomen, quia ratio respicit finem, idea formam, exemplar efficientem, sapientia cognitionem, sicut ars operationem. Unde, in quantum efficiens [f], scit qualiter debeat operari; secundum exemplar dicitur sapiens; in quantum vero potest operari cum vult, dicitur artifex; et quia unum et idem secundum rem est causa exemplaris et finis et causa cognoscens, unum et idem secundum rem est sapientia, idea et ratio.

II. Secundo adhuc quaeritur, cum sit una sapientia Dei, quare sint rationes plures et ideae, una autem sapientia [6].

Quod autem sint rationes plures, patet per hoc quod dicitur in libro *83 Quaestionum* [7]: « Anima non potest intueri eas, nisi rationalis, ex ea parte qua excellit, id est mente et ratione, et haec est anima sancta et pura. Ratione ergo condita sunt, nec ea ratione homo qua asinus: hoc enim esset absurdum; singula igitur sunt propriis creata rationibus. Has autem rationes non est arbitrandum esse nisi in mente Conditoris: non enim extra se quidquam [g] positum intuebatur ». Ex quo habetur quod rationes et ideae plures, tamen una est Dei sapientia.

Respondeo [h] quod licet idem sint secundum rem illa, in hoc tamen differunt secundum dictionis modum. Nam sapientia, exemplar et ars se tenent plus ex parte Dei cognoscentis, quod omnino est unum; ideo illa non recipiunt pluralitatem, ut dicantur [i] plura exemplaria, plures sapientiae, plures artes; ratio vero et idea ex parte rei cognitae: et propter hoc, sicut res cognitae plures, ita et ideae; et propter hoc quia unaquaeque res habet [k] proprium finem, sunt plures rationes, secundum quas fines determinantur. Propter respectum ergo ideae ad formam et rationis [l] ad finem, cum sint formae rerum plures et fines, dicuntur rationes et ideae plures.

III. Sed adhuc tertio quaeritur si temporale non est causa aeterni [m].

Unum enim et multa consequuntur esse; non videtur determinari multitudo secundum nomen in [n] eo quod est aeternum a temporali, et ita non debent dici ideae aut rationes plures propter formas et fines creaturarum plures [o].

Respondeo: Dicuntur ideae aut rationes plures propter respectum creaturarum ad ipsas, non quod sint a creaturis vel ab eis accipiant unitatem aut multitudinem.

IV. Sed adhuc quaeritur de eo quod dicit Augustinus [8] quod « non ea ratione conditus est homo qua equus »: secundum hoc enim videtur quod plura sint ab aeterno, cum « illae rationes

---

[a] VS om. [b] S *propter.* [c] L *eamdem.* [d] S (mg.) BRLF add. *70 questione.* [e] R (corr.) *scit,* F *sit,* LF om. *Psalm.* [f] V *efficieris.* [g] SLF *quoquam,* V *quo quomodo.* [h] BRLF *respondendum.* [i] B *nec dicuntur* pro *n. d.* [k] BRLF add. *suum.* [l] PVS *rationes.* [m] LF (corr.) *coeterni.* [n] R om. [o] F om.

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 35, a. un., q. 1 et d. 36, a. 1, q. 2 (I, 600 sqq., 620 sqq.); *Quaest. disput. de scientia Christi,* qq. 2 et 3 (V, 6 et 10 sqq.).

[2] Rectius *De div. quaest. 83,* q. 46, n. 2 (PL 40, 30), ad sensum; cf. *De civit. Dei,* VII, c. 28 (PL 41, 218).

[3] Loc. cit. [4] Augustin., loc. cit.

[5] Psalm. 103, 24.

[6] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 25, a. un., qq. 3, 4 et 5 (I, 607 sqq.).

[7] Loc. supra cit. [8] Loc. cit., ubi et sequens.

sint aeternae », ut in eadem auctoritate habetur: « Rationes rerum sunt stabiles ».

Respondeo [a] quod eadem est secundum rem ratio aeterna qua homo est conditus et qua equus, sed non eadem ut ratio. Exemplum de hoc: punctus, ad quem terminantur plures lineae, unus punctus est, sed tamen dicitur 'plures' [b], quia plurium principium. Hoc autem nomen 'ratio' nominat per modum principii; illud autem idem nominat 'sapientia' modo absoluto. — Praeterea, cum loquimur in talibus, proportionaliter loquimur de unitate et multitudine, quemadmodum loquimur de sapientia humana et rationibus fiendorum secundum eam et speciebus quae sunt in ea; dicimus enim quod una est sapientia aedificatoria qua fiunt multae domus: alia tamen [c] ratione fit haec domus, alia [d] illa, et alia est forma exemplaris huius propria et alia propria forma illius.

V. Quinto quaeritur 1. cum omnia sint in ipso ut vita [1] aut lux, quare non sint in ipso omnia sapientia vel potentia [2].

2. Praeterea, sicut habetur Act. 17, 28: *In ipso vivimus, movemur et sumus.* Propter quid ergo [e] non dicuntur omnia in ipso una essentia aut unus motus, sicut omnia in ipso dicuntur una vita.

3. Hoc videtur Anselmus dicere, in *Monologion* [3]: « Omnia, antequam fierent et cum facta sunt et cum corrumpuntur seu aliquo [f] modo variantur, semper in ipso sunt, non quod sunt in se ipsis, sed quod est idem ipse. Etenim [g] in se ipsis sunt essentia mutabilis secundum immutabilem rationem creata; in ipso vero Deo sunt ipsa prima essentia et prima existendi veritas, et prout magis sunt utique illi similia, ita verius et praestantius existunt ». Ex hac auctoritate accipitur quod creaturae in ipso sunt ipsa essentia Dei; quod propinquissimum est illi haeresi [4] quae dicit omnia esse Deum, iuxta illud [5]: « Iupiter est quodcumque vides ».

4. Praeterea, unum et multa sequuntur esse; si ergo omnia sunt [h] in Deo, quaestio est: aut unum aut multa. Si unum: ergo omnia sunt unum; si multa: ergo multitudo est ab aeterno, cum omnia sint in Deo ab aeterno [i].

5. Praeterea, omnia dicuntur esse in Deo; quaeritur: secundum quem modum essendi?

Respondeo [k 6] 1. quod dicuntur omnia in eo esse vita aut lux, propter hoc quod vivere est commune et rerum corporalium et [l] spiritualium; et in quantum corporalia participant a spiritualibus, ut corpus dicitur vivere per animam: ex hac similitudine [m] dicuntur in ipso omnia vivere, quia quoad ipsum non habent esse deficiens; et licet ipsa in se deficiant, cognitio tamen de eis est [n] indeficiens. Dicuntur autem omnia in ipso lux: lux enim est similiter communis dispositio in corporalibus et spiritualibus; sed in corporalibus per participationem, et propter hoc dicuntur omnia in ipso lux esse, quia omnia in Dei cognitione relucent et sunt manifesta. Sapientia autem et cognitio nominant illud quod est proprium Dei cognoscentis: non enim creatura, in quantum creatura, sapit aut cognoscit; potentia autem est dispositio propria agentis: quare non dicuntur omnia in ipso esse potentia, nisi hoc nomen 'potentia' ablative teneatur et accipiatur ibi potentia [o] pro potestate, ad differentiam potentiae materialis.

3. Ne incidamus in illam haeresim quae dixit Deum omnium esse naturam, dicendum est [p] ad auctoritatem Anselmi quod [q] aliud est dicere 'omnia esse divinam essentiam', aliud est dicere 'omnia in ipso sunt divina essentia'. Cum enim dicitur 'omnia sunt divina essentia' [r], supponuntur creaturae prout sunt in suo esse; cum autem dicitur 'omnia sunt in ipso [s] divina essentia', supponuntur rationes aeternae de rebus istis; quae rationes aeternae sunt ipsa Dei sapientia et ita per consequens essentia divina. Nec ex hoc sequitur quod sint in Dei essentia, licet sint in eius sapientia: esse enim in Dei sapientia nihil aliud est quam [t] cognosci ab eo; esse vero in [u] sua essentia est ipsam essentiam vere dici de illis: quod de nulla creatura contingit.

2. Praeterea, quod dicitur: *In ipso vivimus* etc. aequivoce sumitur, et cum dicitur [7] 'omnia in ipso vita erant'. Nam cum dicitur: *In ipso vivimus,* notatur [v] per 'in' causa efficiens, id est ab

---

[a] LF *respondendum.* [b] BRLF *plura.* [c] PVSF om, [d] F om. *ratione... alia,* quod in V est add. mg. [e] B om. [f] B *allo.* [g] LF *et cum.* [h] BR om. [i] F om. *cum ... aeterno.* [k] BRLF *respondendum.* [l] F *aut.* [m] S *et hanc similitudinem* pro *e. h. s.* [n] PVSLF om. [o] P add. *vel,* B *potente* pro *potestate.* [p] PVS om. [q] BRLF add. *aliter vel.* [r] V om. *cum ... essentia.* [s] BR *ipsa,* F om. *i. i.* [t] F *contrarium.* [u] L add. *ipsa.* [v] S *connotatur,* F om. *in.*

1 Cf. Ioan. 1, 4.

2 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 36, c. 3 (p. 227); S. Bonav., I *Sent.*, d. 36, a. 2, q. 1 (I, 623).

3 Cap. 34 (PL 158, 189).

4 Cf. *Ein Traktat gegen die Amalricianer,* c. 9 (p. 42); B. Albert. M., *Summa theol.*, tr. 15, q. 60 (p. 611b): « Quod omnis creatura sit Deus, quod haereticum est: et est haeresis Alexandri Philosophi et quorumdam aliorum, quae etiam ab Aristotele reprobatur in primo *Primae Philosophiae* ».

5 Lucan., *De bello civili,* IX, v. 593.

6 Pro tota solutione cf. Augustin., *In Ioan.*, tr. 1, c. 1, n. 16 (PL 35, 1387).

7 Cf. Ioan. 1, 3sq.

ipso est [a] vivere nostrum; cum dicuntur 'omnia vita in ipso', per [b] 'in' notatur [c] causa exemplaris. Dicuntur autem in ipso vita, non motus aut essentia: nam motus nomen appropriatum [d] est rebus factis et non est commune facienti et facto vel cognoscenti et cognito; essentia, licet sit commune nomen, non recipitur hic, quia unumquodque habet propriam essentiam. Ne ergo credantur omnia non differre in essentia, non admittitur 'in ipso omnia esse [e] essentia', hoc tamen admittitur 'omnia sunt in ipso'. Cum autem dicuntur 'omnia esse in ipso' [f], notatur esse in causa efficiente et cognoscente; dico autem efficientem non actu, sed habitu.

4. Ad aliud respondendum quod non sequitur: 'sunt in Deo, ergo unum vel multa'. Haec enim divisio 'unum [g], multa' consequitur ens, postquam in se ipso est ens, non autem prout habet esse secundum quid. Esse autem secundum quid est creaturae esse, cum dicitur esse in Deo: quod tamen 'in se esse' est esse simpliciter; nam ibi dicitur esse divinum quod divinum esse est esse simpliciter. Nec sequitur: 'omnia sunt [h] in Deo, ergo homo est in Deo': nam 'esse homo' est esse determinatum in specie; 'esse in Deo' autem [i] est esse per indistinctionem generis et speciei.

5. Ad aliud dicimus [k], quod 'esse in' accipitur ibi esse ut in motivo; motivum autem est dupliciter: effectivum vel cognitivum; et utroque modo dicuntur esse in Deo, quasi [l] in causa cognoscente et operante.

VI. Consequenter quaeruntur hic [m] incidenter duo: primo, cum omnia dicantur esse in Deo, utrum sequatur: 'ergo [n] omnia sunt in divina essentia [1]'.

Respondeo quod non. Esse enim in Deo dicuntur, quia Deus supponit causam ratione cuius dicuntur esse in ipso; essentia autem divina, licet sit causa, tamen non dicit respectum [o] ad illud cuius est causa, prout nominatur essentia; et quia Dei essentia non est creaturae essentia, non dicuntur omnia esse in essentia proprie: licet enim dicatur [p] *Deus Abraham* [2] etc., non tamen dicitur [q] 'divina essentia Abraham' etc.

Secundo quaeritur: estne [r] concedendum quod omnes creaturae ab aeterno essent cum [s] Deo?

1. 'Cum' enim associationem notat [t]; associatio autem non est nisi ubi est multitudo, quae non erat ab aeterno [u], creaturarum; ergo etc.

Contra [v]: *a.* Augustinus, super illud Psalmi [3]: *Pulcritudo agri mecum est:* « Ideo inquit *mecum est* [x], quia apud Deum nihil praeterit, nihil futurum est; cum [y] illo sunt omnia futura et ei non detrahuntur iam praeterita et cum illo sunt omnia ».

Respondeo: Improprie sumitur haec praepositio 'cum', et intelligitur hoc ratione ipsarum rationum, quae sunt in ipsa sapientia divina de rebus fiendis. Hae autem rationes sunt ipsa Dei [z] sapientia, quae aeternaliter est; et cum ipso dicitur esse, non quia sit aliud in essentia, sed quia alia [est] ratio dicendi, cum dicitur Deus et cum dicitur sapientia sive ratio.

176 CAPUT II.

QUOMODO MALA COGNOSCUNTUR A DEO.

Consequenter quaeritur, cum mala non habeant esse in Deo, quomodo cognoscuntur a Deo [4].

Nam dicit *a.* Augustinus [5]: « Cum peccata omnium sciat, numquid intelligendum est ea includi in [a] illa generalitate locutionis qua dicit Apostolus omnia esse in Deo, Rom. 11, 36: *Ex ipso,* inquit, *et per ipsum et in ipso sunt omnia?* Sed quis nisi insanus dixerit mala esse in Deo? Illa enim *in ipso* esse intelliguntur quae *ex ipso et per ipsum* sunt; ea vero [b] *per ipsum* sunt et *ex ipso,* quorum auctor est; sed non est auctor nisi bonorum; non igitur *ex ipso et per ipsum* sunt nisi bona; ita ergo nec *in ipso* sunt nisi bona [c]; non ergo mala in Deo sunt [d] ».

b Item. Augustinus, in libro *De natura boni* [6]: « Cum audimus, inquit, *ex* Deo *et per ipsum et in ipso* esse *omnia,* omnes utique [e] naturas intelligere debemus et omnia quae naturaliter sunt: nec enim *ex* [f] *ipso* sunt peccata quae naturam non servant, sed vitiant [g], quae ex voluntate peccantium nascuntur omnia ».

---

[a] B om. [b] B add. *Ie.* [c] S *connotatur.* [d] P *propriatum.* [e] B add. *in.* [f] F om. *o. e. i. i.* [g] R add. *vel.* [h] S *insunt,* V *omnino* pro *omnia.* [i] R om. [k] L *dicendum.* [l] BRLF *quia.* [m] F om., in L est add. interl. [n] V om. [o] B *relationem.* [p] F add. *dicebatur* quod L delev.; BRLF *autem* pro *enim.* [q] BRLF om., S exp. [r] R *est,* B *utrum est.* [s] V corr. ex *in.* [t] L *vocat.* [u] L om. *ubi est.. aeterno.* [v] L om. [x] F om. *i. i. m. e.,* quod in V est add. mg. [y] F add. *in.* [z] L *divina,* L *faciendis* pro *fiendis.*
[a] F *cum,* quod L exp. [b] R om. *e. v.* [c] SR om. *Ita ergo... bona.* [d] BR om. [e] PVS *itaque.* [f] BR add. *eo.* [g] PVS *violant.*

1 Cf. supra, p. 71, num. **46** et p. 48b, II.
2 Gen. 26, 24, Exod. 3, 6, Marc. 12, 26 et alibi.
3 *Enarr. in Psalm. 49,* 11, (PL 36, 577); cf. Lombard., I *Sent.,* d. 35, c. 9 (p. 224).
4 Cf. Lombard., I *Sent.,* d. 36, cc. 2 et 3 (p. 225, 227 sq.); S. Bonav., I *Sent.,* d. 36, a. 3, q. 1 (I, 626 sqq.).
5 Rectius Lombard., loc. cit.
6 Cap. 28 (PL 42, 560).

Ex iis ergo relinquitur quod mala nullo modo sunt in Deo.

Secundum hoc ergo obicitur: 1. Si mala non sunt in Deo nec secundum similitudinem nec secundum causalitatem, quomodo cognoscuntur a Deo? in se ipso non videtur [a].

2. Item, cum mala non dicantur esse in Deo, quaestio est, cum haec sit concedenda 'mala sunt in cognitione Dei', utrum similiter et haec 'mala sunt in Deo cognoscente'; et si hoc, tunc mala sunt in Deo.

3. Item, Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [1]: « Naturae in tantum vitiosae sunt, in quantum ab eius, qua factae sunt, arte discedunt; et in tantum recte vituperantur, in quantum earum vituperator artem, qua, [b] factae sunt, videt, ut hoc in eis [c] vituperet quod ibi non videt ». Ex quo sumitur quod mala non videntur a Deo. — Si dicat aliquis quod non videntur [d] per approbationem, videntur tamen per simplicem notitiam – sed quaeritur adhuc quare bona multipliciter, mala vero tantum uno modo dicuntur cognosci, cum cognitio ad veritatem pertineat, verum autem commune est et bono et malo.

Respondeo: 1. Augustinus, in libro *Confessionum* [2]: Cum Deus praevidet vel praescit mala [e], non est visio in similitudine mali vel a similitudine quae sit in Deo sicut similitudines exemplares dicuntur esse in ipso. Unde notandum quod primo sunt similitudines factae in anima, secundo sunt [f] in mente artificis. Nec hac nec illa similitudine Deus praescit mala, sed in quadam dissimilitudine, sicut medicina morbum, non quia ei assimilatur. Unde Psalm. [3]: *Quae ignorabam, interrogabant me;* Glossa [4]: « Deus novit peccatum, sicut ars vitium ». Et Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [5]: « Non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum unam causae continentiam omnia continens et sciens, sicut lumen [g] secundum causam per semetipsum tenebrarum praeaccepit [h] visionem, non aliunde videns tenebras quam a lumine ».

2. Ad secundum dicendum quod non sequitur: 'mala sunt in Dei cognitione, ergo in Deo cognoscente'. Cum [i] enim dicitur 'mala sunt in Deo cognoscente', duplex notatur 'esse in', scilicet esse in [k] Deo per causalitatem et esse in Deo per cognitionem. Quia vero mala non sunt in Deo per causalitatem, non conceditur haec: 'mala sunt in Deo cognoscente'; similiter non sunt in Deo [l] per exemplaritatem: non enim est exemplar malorum Deus [6].

3. Ad ultimum dicendum quod dupliciter [m] dicuntur bona et mala cognosci. Est enim cognitio intellectiva et cognitio practica: unde intellectus dicitur cognitivus et practicus; utroque autem modo sunt bona in scientia Dei, mala vero altero modo tantum; a malo autem non privatur verum, sed bonum; scientia autem practica respicit bonum, cognitiva verum. Dicuntur autem mala esse simplicissima in cognitione Dei, non quod bona sint composita in eius cognitione vel notitia, sed quia ipsa [n] sunt ibi et per modum veri et per modum boni. — Sed numquid concedendum quod mala sint in cognitione Dei per modum veri? Respondeo: Non per modum veri [o], quod ipsa mala sint, sed veri in bono cui opponuntur.

CAPUT III. 177

QUOMODO DEUS SCIT OMNIA PRAESENTER.

Consequenter quaeritur quomodo Deus scit omnia praesenter [7].

Ad quod sic: 1. Super illud I Cor. 11, 10: *Propter angelos,* Glossa [8]: « Deus non ad tempus videt, nec aliquid novi est in visione eius et scientia, cum aliquid temporaliter et transitorie geritur, sicut inde [p] afficiuntur sensus vel carnales hominum vel caelestes angelorum ». Sensus est auctoritatis quod non est aliqua innovatio vel mutatio in visione Dei a mutatione temporalium, sicut in nobis et in [q] angelis accidit.

2. Item, super illud II Petri ultimo, 8: *Quia unus dies apud ipsum sicut mille anni,* Glossa [9]: « In agnitione divinae veritatis [r] et praesentia et praeterita et futura aequaliter praesentia constant ». — Item, Augustinus [10], super illud Ioan. 8, 24: *Si non credideritis quia ego sum:*

---

[a] S *videntur.* [b] P *antequam* pro *a. q.* [c] Codd. *ita* pro *i. e.* [d] B add. interl. *a Deo.* [e] L *malum.* [f] LF *similitudines.* [g] V *bonum* [h] PVS *preaconcepit.* [i] F om. [k] F om. *e. i.* [l] BRLF *eo.* [m] L *multipliciter.* [n] R add. interl. *bona.* [o] SF om. *R. n p. m* [p] Codd. *si tamen* pro *s. i.* [q] B om. [r] BL (corr. interl.) *virtutis.*

1 Lib. III, c. 15, n. 42 (PL 32, 1291).
2 Cf. lib. VII, c. 13, n. 19 (PL 32, 743), ad sensum.
3 Psalm. 34, 11.
4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 351), ex Augustino, in h. l., *Sermo* 2, n. 2 (PL 36, 334).
5 Cap. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).
6 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 18, q. 1 (f. 23ab).
7 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 39, a. 2, q. 3 (I, 695 sqq.).
8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1635), ex Augustino, *De Trinit.,* XII, c. 7, n 10 (PL 42, 1004).
9 *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 693), ex Beda, in h. l. (PL 93, 81).
10 *In Ioan.,* tr. 38, n. 10 (PL 35, 1680).

« Non est verum esse, ubi est esse et non-esse; praeteritum et futurum invenio [a] in omni motu rerum; in Veritate, quae manet, praeteritum et futurum non invenio, sed solum praesens, et hoc incorruptum: quod non est in creatura ».

Sed quaeritur qualiter praeteritum et futurum sit [b] praesens apud Deum, quoniam videtur contrarium: quia certius est [c] praesens aeternitatis quam praesens temporis; praesens autem temporis est esse, praesens [d] aeternitatis est tantum illud quod est; non ergo praeteritum vel futurum est praesens in aeternitate, cum praesens aeternitatis sit id quod est; ergo praeteritum et futurum non sunt praesentia Deo.

Respondeo: 1. Dicuntur praesentia eo quod sic cognoscuntur ac si essent praesentia; sed hoc non sufficit ad intellectum huius sermonis, sed ideo dicuntur praesentia, quia rationes praeteritorum atque futurorum apud ipsum praesentes sunt.

2. Ad aliud respondendum secundum auctoritatem Anselmi, *De concordia praescientiae et liberi arbitrii* [1], quae dicit: « Quamvis in aeternitate non fuit aut erit aliquid, sed est, ita quod in aeternitate [e] mutari nequit, in tempore aliquando per subiectam voluntatem, antequam [f] sit, mutabile probatur esse. Quamvis autem nihil sit ibi nisi praesens, non est tamen illud praesens temporale ut [g] nostrum, sed aeternum, in quo omnia tempora continentur: siquidem, quemadmodum praesens continet omnem locum et quae in loco sunt, in aeterno praesenti simul omne tempus praesens clauditur et quae sunt in quolibet tempore ». Dicendum ergo quod praeteritum et futurum, licet non aeterna sint in se, ut tamen sunt in causa, non transeunt: sicut nec domus, ut est in mente artificis, transit, licet exterius recipiat mutationem. Ut enim dicit Augustinus, *Super Ioannem*, in principio [2]: « Arca in mente vita est, in opere vero arca est ». Quod ergo [h] in se praeterit vel futurum est, praesens est in sua causa, vel ratione exemplaris vel ratione similitudinis; sicut ergo est praesens, sic est ens; sicut [i] praeteritum vel futurum, sic non est ens [k].

Nota ad maiorem evidentiam. Anselmus, in eodem libro [3]: « Cum autem res tam aliter [l] esse cognoscatur in tempore quam in aeternitate, ut aliquando verum sit quoniam aliquid non est in tempore quod est in aeternitate, et quod fuit in tempore quod ibi non fuit, et erit temporaliter quod non ibi erit: nulla [m] ratione negari videtur posse similiter aliquid [n] esse in tempore mutabile, quod ibi est immutabile, quippe non magis opposita sunt mutabile in tempore et immutabile [o] in aeternitate quam non esse in aliquo tempore et semper esse in aeternitate. Siquidem non dico aliquid nunquam [p] esse in tempore quod semper est in aeternitate, sed tantum in aliquo tempore non esse. Non enim dico actionem meam crastinam nullo in tempore esse, sed hodie tantum nego eam esse, quae tamen semper est in aeternitate. Et quando negamus fuisse vel futurum esse [q] aliquid, quod in tempore fuit aut [r] erit, nullo modo negamus ibi esse, quod ibi indesinenter est suo praesenti modo ».

Sed adhuc dubitatur de auctoritate Anselmi, dicentis [4] quod sicut « praesens tempus continet omnem locum, sic aeterno praesenti clauditur omne tempus praesens et quae sunt in tempore ». Secundum hoc enim [s] videtur quod sicut omne quod est in tempore temporale est, ita omne quod est in aeternitate aeternum; et quae sunt in tempore, secundum auctoritatem praedictam, sunt in aeternitate; ergo quae sunt temporalia sunt aeterna. — Respondeo: Non sequitur: 'quae sunt in tempore clauduntur [t] aeternitate, ergo sunt in aeternitate'. Dicuntur enim claudi, eo quod aeternitas praecedit tempus et erit post tempus et durat dum tempus est; esse vero in aeternitate proprie dicuntur quae suum habent esse durans cum aeternitate; et licet res temporales, ut sunt in causa, aeternaliter sint, non tamen secundum se sunt in aeternitate.

178

CAPUT IV.

QUOMODO DEUS SCIT OMNIA SIMUL.

Consequenter quaeritur quomodo Deus scit omnia simul [5].

Ad quod *a*. Augustinus, XV *De Trinitate* [6]: « Sciunt ergo invicem Pater et Filius, sed ille gignendo [u], iste nascendo. Et omnia quae sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt, non particulatim vel sigillatim [v], velut alternante conspectu hinc illuc et inde huc et rursus inde vel [x] inde in

[a] B om. [b] F *est*, RL *et*. [c] LF om. [d] R om. [e] BR *eternitatem*. [f] V *ante*. [g] F *sic*. [h] P om., in S est add. marg. [i] BRLF om., in V est add. mg. [k] V *si est*. [l] V *causaliter* pro *t. a.*, quod B corr. [m] B *in illa*. [n] LF *ad*. [o] F om. [p] PV *semper*. [q] BR om. [r] PVS *vel*. [s] B om. [t] SR add. *in*. [u] PV *cognoscendo*, quod S corr.; B *me* pro *ille*. [v] P *singulatim*. [x] B *duo*, alii *huc* pro *t. v.*; PVS om. *in*.

1 Quaest. 1, c. 5 (PL 158, 514).
2 Tract. 1, n. 17 (PL 35, 1387).
3 Loc. cit.
4 Loc. cit.
5 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 39, cc. 1 et 4 (p. 246 sq.).
6 Cap. 14, n. 23 (PL 42, 1077); cf. Lombard., loc. cit.

aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit nisi non videns alia, sed omnia simul videt, quorum nullum est quod non semper videat » et sciat.

Contra: 1. « Simul videt omnia quae sunt in eorum scientia, sapientia et essentia [1] ». Cum non omnia, quae sunt in divina essentia, sint, quia esse in causa non ponit esse simpliciter, ergo potest non-existens videri. Sed hoc qualiter, cum visus transeat super existens? — Et si dicatur quod dicitur praesens ratione causae – tunc, cum nos praesenter intelligamus causam aliquam, cum ipsa causa est, videmus effectum: quod est falsum. Praeterea, cum nos videmus rem praesentem, numquid melius videmus quam cum videt ipse futuram [a]?

2. Item, « ille scit [b] gignendo, iste nascendo ». — Contra: scire idem est quod esse; ergo Pater est gignendo.

3. Item, « omnia quae sunt in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt ». — Contra: ergo creatura est in essentia Dei; sed nihil est in Dei essentia quod non sit Deus.

Respondeo: 1. Ad primum dicendum quod videndo se, qui sibi ipsi est praesens, « videt omnia ». Non sic autem est de nostra visione intellectiva vel sensitiva: oportet enim praesentiam rei apud sensum esse, et similitudinis eius vel alicuius ipsum contingentis cum videtur apud intellectum. Nec est nostra visio potior visione ipsius, licet rei praesentis [c], qua videt futuram, quia praesenter [d] videt eam praesentia immutabili, nos vero praesentia mutabili.

2. Ad aliud [e] dicendum quod hoc verbum 'scire' aliquando sumitur respectu creaturae, ut cum dicitur 'Pater scit omnia'; aliquando vero respectu personae, ut cum dicitur [f] 'Pater scit Filium' vel e converso. Quando ergo habet respectum ad creaturam vel ad eamdem personam, haec est falsa 'Pater scit gignendo', nisi gerundivum notet concomitantiam, ut sit sensus: 'Pater scit, dum gignit'. Prout vero [g] respectus est ad aliam personam, quodammodo notionaliter tenetur, et tunc recipit notionalem determinationem; et sic accipitur hic: « Sciunt ergo Pater et Filius, sed ille scit gignendo, hic nascendo ».

3. Ad aliud dicendum quod, cum dicitur « omnia quae sunt in essentia eorum », non universaliter intelligitur de creaturis neque de attributis essentiae, ut sunt essentia [h], bonitas et huiusmodi, sed partim de creaturis, partim de attributis essentiae; et tunc est sensus: « omnia quae sunt in eorum scientia, in eorum sapientia », hoc intelligitur de creaturis, residuum vero de attributis essentiae, et sic ordinatur littera: « unusquisque eorum simul videt omnia quae sunt in eorum scientia » etc. Si vero intelligitur de creaturis, tunc exponendum est « in essentia eorum », id est [i] in ipsis entibus.

CAPUT V. 179

QUOMODO DEUS SCIT OMNIA PERFECTE.

Consequenter quaeritur quomodo Deus scit omnia perfecte, ita quod scientia eius non potest augeri vel minui [2].

Ad quod obicitur sic: 1. « Aliquis est qui non est lecturus hodie; tamen potest esse ut legat hodie; nihil autem potest fieri quod non possit a Deo sciri; potest ergo Deus scire hunc lecturum hodie; potest ergo scire aliquid quod non scit; ergo eius scientia potest augeri ». — Item, « aliquis est lecturus [k] hodie, quem Deus scit lecturum [l]; sed potest esse quod non legat; ergo Deus potest scire hunc non esse lecturum » quem tamen scit lecturum; « ergo Deus potest non [m] scire aliquid quod ipse [n] scit; ergo scientia eius potest minui et mutari ».

Respondeo: Dicimus quod scientia Dei non potest augeri nec minui, sed omnino est immutabilis. Unde Augustinus, in XV [o] *De Trinitate* [3]: « Scientia Dei inamissibilis est per oblivionem et invariabilis; nostra vero scientia et amissibilis est et recuperabilis per disciplinam, quia hoc non est nobis esse quod scire ». Ex hoc [p] patet quod Dei scientia invariabilis est, sicut ipsa essentia invariabilis est.

2. Sed obicitur: scientia relative dicitur ad scibile [4]; sed multiplicatio unius relativorum ponit multiplicationem alterius [5]; si ergo augeri

---

[a] F *futurum*. [b] F *facit*. [c] Ita R, alii add. *quam ea* quod R exp.; PVB *que*, L *quam* pro *qua*. [d] SB (post exp.) *presentem*. [e] P *illud*. [f] F om. *Pater scit... dicitur*, quod in L est add. mg. [g] R (corr.) *ubi*. [h] BR *entia*. [i] F *et* pro *i. e.* [k] L *loculturus*. [l] L *loculturum*. [m] L om. [n] LP add. *non*, quod B exp. [o] F om. *in XV*, L om. *in* et *XV* est add. interl. [p] BR *quo*.

[1] Augustin., loc. cit., ubi et duo loci sequentes.

[2] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 39, c. 1 (p. 245 sq.), ubi et sequens argumentum et *Respondeo*, paucis mutatis; S. Bonav., I *Sent.*, d. 39, a. 1, q. 3 (I, 690 sqq.).

[3] Cap. 13, n. 22 (PL 42, 1076); cf. Abael., *Introd.*, III, c. 5 (PL 178, 1103 et sqq.).

[4] Cf. Aristot., *De categ.*, c. 5 (I, 10).

[5] Cf. Aristot., *Topic.*, I, c. 13 (I, 182).

possunt scibilia Dei, ergo augeri potest scientia Dei.

3. Item, scientia Dei non recipit falsitatem, sed est solum verorum; sed unumquodque sicut se habet ad esse, sic se habet ad veritatem [1]; sed plura possunt esse entia a Deo; ergo plura vera; ergo et plura scita [a]; ergo et maior scientia; ergo aliquo modo augetur scientia Dei, saltem quantum ad [b] scibilia.

Contra: *a.* Scientia Dei est infinita, quia *scientiae eius non est numerus* [2], quia infinitorum est; infinito [c] vel infinitis nihil potest addi; ergo nec potest augeri Dei scientia [d] nec est numerus scitorum.

b. Item, scientia Dei perfectissima est; ergo nec quantum ad rationem sciendi nec quantum ad scita vel [e] scibilia potest augeri vel minui: hoc enim imperfectionis esset; sed nulla imperfectio est ponenda in Deo.

Respondeo: Scientia Dei tribus modis accipitur [3]. Uno modo pro approbatione, Psalm. [4]: *Novit Deus viam iustorum.* Alio modo pro simplici notitia, sed hoc duobus modis: absolute, non connotando existentiam rei scitae, Psalm.: *Scientiae eius non est numerus;* alio modo connotando, secundum quod dicit Eccli. [5]: *A [f] Domino Deo, antequam crearentur, cuncta cognita [g] sunt, et post perfectum* etc., et hoc modo significatur, ut quidam [6] dixerunt, divina scientia ut visio, quasi transiens super rem. Primo modo bona [h] dicuntur subiecta divinae scientiae; secundo modo bona et mala, entia et non-entia; tertio modo, bona et mala, sed entia tantum secundum aliquod tempus, praesens, praeteritum vel [i] futurum. Et secundum hoc scientia Dei tripliciter dicitur: scientia approbationis, intelligentia, visio. Dicendum ergo ad quaestionem quod scientia Dei non augetur, scita tamen bene possunt augeri.

[Ad obiecta]: 1. Et ad hoc quod dicitur: 'Deus [k] potest scire, quae non scivit', dicendum quod [l] verum est de scientia approbationis et de scientia visionis [m]; sed de scientia intellectiva non est verum, quia illi subiecta sunt [n] quaecumque subiecta sunt potentiae divinae. Verumtamen potest videre quae non videt, quia aliqua res potest esse quae non erit; unde scientia, ut dicitur visionis et approbationis, non est infinitorum, sed scientia intellectiva [o] infinitorum est.

2. Ad illud quod obicitur 'multiplicato uno relativorum multiplicatur reliquum': dicendum quod est [p] scientia ad res et est [q] scientia a rebus. Verbi gratia: artifex habet scientiam ad domum faciendam antequam fiat; qui autem factas domos considerat, scientiam habet a domibus vel a rebus. Scientia ergo, quae a rebus est, sequitur conditiones scibilium; scientia vero ad res vel scientia artis non; unde multiplicatis vel diminutis domibus, non augetur vel diminuitur [r] scientia artificis vel artis. Talis autem est scientia Dei, per modum scilicet artis vel exemplaris [s]; unde non sequitur conditiones scibilium.

3. Ad aliud [t] quod obicitur quod 'plura possunt esse subiecta scientiae': dicendum quod verum est scientiae approbationis vel visionis, sed non intelligentiae, quia illa infinitorum est.

180 CAPUT VI.

QUOMODO DEUS SCIT OMNIA IMMUTABILITER.

Consequenter quaeritur quomodo Deus scit omnia immutabiliter [7].

Ad quod sic: 1. Demonstrato quolibet contingente, ut me cras lecturum, vel aliquo [u] huiusmodi, Deus scit hoc; aut ergo mutabiliter aut immutabiliter. Si mutabiliter: habeo propositum; si immutabiliter: tunc erit [v] immutabile me cras lecturum; ergo non potest mutari quin cras legam.

2. Item, Deus scit hoc modo futurum, cras sciet illud praesens, post cras sciet illud praeteritum; sed quod scitur secundum differentias temporis, scitur mutabiliter; ergo scientia Dei est mutabilis.

3. Item, cum est res, Deus scit eam; cum res non est, non scit eam: aliter enim [x] sciret falsum; ergo scientia Dei [y] mutatur, et loquamur de visione.

4. Item, Deus scit me lecturum cras; scientia huius modo est apud Deum; cras, cum legero vel cum mortuus fuero, non sciet [z] me lecturum; ergo mutabilis est eius scientia.

---

[a] V om. *e. e. p. s.* [b] BRLF *quoad* pro *q. a.* [c] V *infinitorum.* [d] BRL (interl.) add. *quia.* [e] B om. *s. v.* [f] RLF om. [g] R *omnia agnita* pro *c. c.*, expuncto *cuncta.* [h] B om. [i] VL *et.* [k] B add. *non.* [l] BRLF om. *d. q.* [m] V om. *e. d. s. v.*, R om. *de.* [n] F add. *sed.* [o] B *intelligentia.* [p] F om. [q] V om. [r] BR *minuitur.* [s] BR *exemplaritatis.* [t] PF *illud.* [u] F *aliquod.* [v] LF *est.* [x] B om. [y] BRLF om., V *de.* [z] R *sciret*, quod B corr.

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, II, c. 1, lectio brevis (II, 486).
2 Psalm. 146, 5.
3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 8, q. 2 (f. 23b).
4 Psalm. 1, 6.
5 Cap. 23, 29.
6 Guil. Altissiod., loc. cit.
7 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 39, c. 2 et d. 41, c. 3 (p. 246 sq., 257 sqq.); Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 13 (PL 211, 843); S. Bonav., I *Sent.*, d. 39, a. 2, q. 2 (I, 693 sqq.).

5. Item, solet obici hoc modo: Deus scit quidquid scivit; sed scivit te [a] nasciturum; ergo scit te esse nasciturum [b]; ergo tu es nasciturus [c] [1].

Contra: *a.* Secundum Boethium [d], in libro *De consolatione* [2]: « Quod comprehenditur est [e] in comprehendente per modum comprehendentis, non per modum rei comprehensae ». Res enim materialis non est in sensu materialiter vel in [f] intellectu, sed immaterialiter. Quod ergo comprehenditur a Deo, in ipso est secundum modum suum; Deus autem est simplex [g], invariabilis et aeternus; ergo quod scit, simpliciter, invariabiliter et aeternaliter scit.

b. Item, Dionysius [h], *De divinis nominibus* [3]: « Non scientia entium Deus cognoscit, sed sua. Etenim angelos nosse, dicunt Eloquia [4], quae sunt super terram, non secundum [i] sensus ea cognoscentes, cum ipsa sint entia sensibilia, sed secundum propriam divini intellectus potentiam et naturam ». Ex hoc [k] relinquitur quod divinus intellectus et angelicus cognoscunt [l] res per naturam sui intellectus, non per modum rerum intellectarum; et ideo immutabiliter cognoscit Deus. — Quod concedendum est [m].

[Ad obiecta]: 1. Et ad illud quod primo obicitur: dicendum quod haec 'Deus scit hoc [n] mutabiliter' duplex est. Adverbium enim potest determinare verbum in comparatione ad suppositum, et sic falsa, et est sensus: 'Deus mutabili modo scit hoc'; vel in comparatione ad appositum [o], et sic vera [p], et est sensus: 'Deus scit me lecturum', quod est mutabile verum vel [q] mutabiliter [5].

3. Ad aliud [r] dicendum quod non valet, sicut non sequitur [s]: 'lux solis vel radius illuminat hanc rem; modo non illuminat, cum pertransit; ergo radius mutatur' [6]. Similiter non valet: 'modo sum dexter ad istum, modo sinister vel non dexter; ponatur quod ille mutet locum suum et ego non; ergo mutor ego' [7]. Et [t] nummus sine sui mutatione fit de non pretio [a] pretium, secundum Augustinum, *De Trinitate* [8]. Sic scientia Dei non est mutabilis, cum est [b] huius rei, cum est [c] et cum [d] non est, sicut non mutatur scientia artificis, cum domus est et cum domus non est.

2. Ad aliud dicendum quod haec determinatio secundum differentias temporis potest determinare verbum 'sciendi' in comparatione ad suppositum sive ad scientem: et sic falsa est, quia non eas scit secundum differentias temporis, sed praesentialiter et secundum aeternum nunc; aut in comparatione ad appositum [e] sive ad scita: et sic vera, quia scit res praeteritas et futuras et praesentes.

4. Ad aliud dicendum quod scientia dicitur dupliciter: active et passive. Scientia passive dicta est [f] aptitudo in scibili ad hoc ut sciatur: haec mutatur; scientia vero active est scientia qua scit: haec non mutatur, sicut scientia artificis non mutatur mutato scibili.

5. Ad illud sophisma: 'Deus scit quidquid scivit' etc.: dicendum quod est figura dictionis. Cum enim dicitur 'Deus scit quidquid scivit', non fit distributio pro enuntiabilibus, sed pro rebus, non pro rebus [g] ut sunt in natura propria, sed prout sunt in divina scientia [h] sive in suis rationibus vel ideis vel exemplaribus; fit ergo distributio pro ipsis rationibus rerum aeternis. Sed cum assumit: 'sed scivit te esse [i] nasciturum', assumit conditionem temporalem, quae non est aeterna; sed sic deberet assumere: 'sed scivit tuam nativitatem, ergo scit tuam nativitatem' [k].

Item, opponitur: omne enuntiabile quodcumque Deus scivit, scit; scivit te esse nasciturum; ergo etc. – Respondeo: Deus scit enuntiabilia non per modum enuntiabilium, sed per modum rei in causa. Cum autem assumit: 'te esse nasciturum', assumit enuntiabile per modum enuntiabilis, quomodo non fiebat primo [l] distributio.

---

[a] BRL (interl. poster.) add. *esse*. [b] B om. *e. s. t. e. n.* [c] F om. *e. t. e. n.* [d] B *Boethius* pro *S. B.* [e] S om. [f] PVSL om. [g] PLF *simpliciter*. [h] BR add. *in libro*. [i] F om. [k] BRL (interl.) add. *ergo*. [l] BRLF *cognoscit*. [m] L om. [n] B om. [o] BR *oppositum*. [p] LF add. *est*. [q] PV *non*, quod S exp.; L *mutabile* pro *mutabiliter*. [r] P *illud*. [s] LF *valet*, BR om. *s. n. s.* [t] BL *etiam*, F om., B *minimus* pro *nummus*. [a] B om. *d. n. p.* [b] F om. [c] L delev. *c. e.* [d] P *circa*. [e] P *oppositum*. [f] B *dicitur* pro *d. e.* [g] PVS om. *n. p. r.*, V om. *in*. [h] S *sapientia*. [i] R om. [k] V *te nasciturum* pro *t. n.* [l] R *prima*.

1 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 41, c. 3 (p. 258).
2 Lib. V, pr. 6 (PL 63, 858).
3 Cap. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1155).
4 Cf. Apoc. 2.
5 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., c. 9, q. 5 (f. 25b).
6 Cf. Praepositin., *Summa*, I (f. 75c).
7 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1254).
8 Lib. V, c. 16 (PL 42, 922).

SECTIO II. — De scientia Dei relative spectata.

QUAESTIO I.

DE SCIENTIA DEI RELATE AD FUTURA

SEU DE PRAESCIENTIA DIVINA.

Quaesito [a] de divina scientia absolute, inquirendum est de ea [b] in comparatione. Secundum enim comparationem ad futura dicitur praescientia; secundum comparationem ad facienda [c], dispositio; secundum comparationem ad regenda [d], providentia; secundum comparationem ad salvanda, praedestinatio, sicut dictum est prius [1]. De iis ergo per ordinem inquirendum est.

Et primo de praescientia, circa quam [e] plures erraverunt antiqui et moderni, in hunc modum deducetur inquisitio ad intelligentiam:

Primo, inquiretur [f] an praescientia sit temporalis vel aeterna;
secundo, utrum [g] causa rerum;
tertio, utrum causata [h] a rebus [i];
quarto, utrum inferat necessitatem rebus;
quinto, an stet cum libero arbitrio;
sexto, utrum sit [k] infallibilis;
septimo, utrum mutabilis.

181

CAPUT I.

AN PRAESCIENTIA SIT TEMPORALIS VEL AETERNA.

Circa primum ergo arguitur hoc modo: *a.* Magister, in *Sententiis* [2]: « Si res futurae essent causa praescientiae Dei, temporale esset causa aeterni ». Ergo praescientia aeterna est.

b. Item, praescientia aut ponit res in sua natura aut in causa. Si in sua natura: ergo non esset ante res; si in causa: sed res in causa est ab aeterno et respectus ad res ab aeterno [l]; ergo praescientia aeterna.

c. Item, cum dico 'praescientiam', duo dico: scientiam et antecessionem [3]. Quantum ad principale significatum, quod est scientia, non est dubium quin [m] sit aeterna. Sed quaeritur quantum ad antecessionem, utrum sit temporalis vel aeterna. Si temporalis: ergo coepit cum rebus; sed constat quod antecessio scientiae Dei est ante creaturam omnem; sed quidquid est ante creaturam omnem est aeternum; ergo antecessio est aeterna et scientia similiter; ergo totum est [n] aeternum.

d. Si dicatur quod antecessio [est] respectu futuri in tempore et quia futurum in tempore est temporale [o] et potest desinere esse, ideo dicitur praescientia posse desinere esse – sed tunc quaeritur: ab aeterno fuit verum dicere 'mundum fore' [p 4]; quamvis ergo [q] illud dicatur respectu futuri, tamen [r] potest dici ab aeterno; ergo praescientia similiter, quamvis dicatur respectu futuri, erit tamen ab aeterno.

Contra: 1. Nihil quod desinit et habet possibilitatem ad non-esse est aeternum; sed praescientia desinit, sicut dicit Magister [5] quod,

[a] VF *questio*, quod L corr. [b] BRLF om. *d. c.* [c] F add. *dicitur.* [d] F *regeneranda dicitur.* [e] F om. [f] BRLF om. [g] L add. *sit.* [h] BL *creata.* [i] F *creata arbor* pro *c. a. r.* [k] BRLF om. [l] R om. *et ... aeterno*, quod in B est add. mg. [m] P *quid.* [n] L *et totum* pro *t. e.* [o] LF om. [p] S *vero.* [q] PVS *vero.* [r] PV om.

1 Cf. p. 245, IV.

2 Lib. I, d. 38, c. 1 (p. 242), ad sensum; cf. Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa*, tr. 1, c. 12 (PL 176, 61).

3 Cf. Petr. Pictav., I *Sent.*, cc. 13 et 14 (PL 211, 840, 845).

4 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 41, c. 3 (p. 258).

5 Loc. cit.

cum res desinit esse futura, desinit esse praescientia; ergo non est aeterna.

2. Item, Augustinus, in libro *Sententiarum*, 35 dist.[1]: « Sicut 'creator' dicitur ad creaturam relative, sic praescientia ad futurum »; sed 'creator' dicitur ad creaturam ex tempore [a] et non ab aeterno; ergo similiter praescientia [b] dicitur de Deo ex tempore sicut 'creator'.

3. Item, si praescientia dicitur in comparatione ad futurum: sed Deo nihil est futurum [c], immo omnia praesentia; non ergo dicitur praescientia respectu futuri in Dei [d] scientia, sed respectu futuri in tempore; ergo praescientia dicitur ex tempore,

4. Item [e], aliquid est carens principio et fine. sicut Deus; aliqua habent principium et finem, ut temporalia; aliqua habent principium, sed non finem, ut sempiterna [f]; ergo est ponere quartum, quod non habet principium, sed habet finem: quod videtur esse praescientia, quia non incepit, sed desinit, ut dicit Magister[2]. Vel si dicatur quod non potest hoc esse, quaeritur ratio quare non potest esse [g].

Respondeo: Est loqui de re aeterna multipliciter. Quaedam enim dicuntur de re aeterna, quae Deus est, ut sine principio et sine fine: ut cum dicitur 'Deus est iustus, bonus, sapiens', quia sine initio et sine fine bonus est. Quaedam dicuntur ut cum principio et cum fine, ut cum dicitur 'Deus creat hanc animam'; Deus enim non ab aeterno creavit hanc animam nec semper creat eam. Quaedam vero [h] dicuntur de eo ut cum principio, sed tamen [i] sine fine, ut cum dicitur 'Deus est dominator'; hoc enim non dicitur de Deo ab aeterno, quia antequam esset creatura, non potuit hoc dici: 'dominator' enim dicit illum cui subiectus est aliquis; dicitur ergo 'dominator' ex tempore, tamen sine fine, quia creatura, cui dominatur, est sine fine. Sicut ergo non est inconveniens aliqua dici de Deo cum principio et cum fine, et quaedam ut cum principio, tamen sine fine, sic non est inconveniens ponere alterum, scilicet quod quaedam dicuntur de Deo ut sine principio, tamen cum fine, ut [k] praescientia.

Ad illud ergo quod [l] quaeritur utrum praescientia sit aeterna vel temporalis: dicendum quod praescientia dicit aeternum, tamen in respectu ad temporale. Est ergo loqui de aeterno absolute vel in comparatione. Absolute, scientia dicit aeternum; praescientia vero dicit aeternum in respectu vel in comparatione. Dicendum ergo quod praescientia ponit res in causa, tamen in respectu ad temporale: unde ponit res [a], quae erunt, in scientia Dei [b]. Dicendum ergo quod antecessio dicit aeternum, sed in respectu ad temporale, sed scientia dicit aeternum absolute.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [c] quod obicitur [d] 'nihil quod desinit [e] est aeternum' etc.: dicendum quod non valet. Aliquid enim dicitur desinere, non propter mutationem quae fit [f] in ipso, sed propter mutationem quae est in alio: sicut possum esse dexter et sinister sive desinere esse dexter et incipere esse sinister, me non mutato, ut posito quod unus modo sit a parte una [g] mei, modo ab alia[3]; dicitur ergo desitio tantum propter respectum qui est ad alterum, non propter mutationem quae sit facta in me. Similiter dicendum [h] de praescientia, quod dicitur desinere non propter ipsam scientiam, sed propter ipsum respectum, quia ipsa res, ad quam est respectus, mutatur vel desinit.

2. Item, ad illud « sicut creator dicitur ad creaturam, ita praescientia ad futurum »: dicendum quod non est simile usquequaque; tantum [i] enim est simile quantum ad hoc quod utrumque dicitur relative, sed unum ab aeterno, aliud ex tempore.

3. Item, ad illud [k] quod obicitur quod 'nihil est Deo futurum [l], et praescientia dicitur respectu futuri' etc.: dicendum quod futurum in praescientia Dei nihil aliud est quam idea rei futurae in Deo; idea autem desinit esse idea, prout dicitur rei futurae, ex quo ideatum est, nec [m] tamen desinit id quod est idea, tamen desinit esse idea huius, id est futuri. Similiter id quod est praescientia non desinit, tamen esse [n] in ratione praescientiae desinit: et hoc est in ratione respectus connotati. Similiter dicendum quod veritas mundi [o] futuri nihil aliud est quam ratio mundi futuri [p], quae ratio non desinit esse simpliciter, sed desinit esse [q] futuri: unde sicut nummus [r] incipit et desinit esse pretium [s] sine sui mutatione [4], ita praescientia desinit esse praescientia sine sui mutatione.

4. Ad illud [t] vero quod quaeritur 'quare non potest aliquid esse sine principio habens finem': dicendum [u] quod illud esset increatum et immutabile; increatum autem et immutabile non potest habere finem.

---

[a] L *temporaliter* pro *e. t.* [b] L add. *Dei.* [c] V om. *s. D. n. e. f.* [d] L *divina.* [e] P *iterum.* [f] PV om. *aliqua... sempiterna,* quod in S est add. marg. [g] B om. [h] B *enim,* L om. *ut.* [i] B om. [k] F *aut.* [l] BRLF *Quod ergo* pro *A. i. e. q.*
[a] L om. [b] L om. [c] BR add. *ergo.* [d] B add. *quod.* [e] BR (interl.) add. *esse.* [f] Ita B, alii *sit.* [g] F om. [h] B add. *est.* [i] S *unum.* [k] BRLF om. *a. i.* [l] F *de futura* pro *D. f.* [m] LF *non* et om. *tamen* ac *e. q. i. e.* [n] B *est,* R *ut est.* [o] Ita BR, alii om. [p] PV *fiendi,* quod S corr. [q] L om. [r] B *mundus.* [s] B *prescientia.* [t] VSLF *aliud.* [u] BRLF *respondeo.*

1 Lombard., I *Sent.*, d. 35, c. 7 (p. 222), ex Augustino, *De Trinit.*, V, c. 16 (PL 42, 922), ad sensum.

2 Cf. supra, n. 1.

3 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1254).

4 Cf. Augustin., *De Trinit.*, V, c. 16 (PL 42, 922); Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 14 (PL 211, 846).

182

CAPUT II.

UTRUM PRAESCIENTIA SIT CAUSA RERUM.

Consequenter quaeritur utrum praescientia sit causa rerum [1].

Et videtur quod sic: 1. Causa enim [a] est cuius esse sequitur aliud [b 2]; sed sequitur: 'si Deus praescit hoc, hoc [c] erit'; ergo praescientia Dei est causa futuri.

2. Item, Augustinus, XV *De Trinitate* [3]: « Non quia sunt, ideo novit Deus res, sed quia praescit vel novit, magis sunt ». Ergo praescientia Dei est causa rerum.

Contra: *a*. Si praescientia Dei est causa, cum ipse praesciat mala, ipse esset auctor et causa mali; quod est inconveniens [4]. Impossibile enim est quod a summo bono sit aliquod malum; posset enim melius excogitari: melius enim est a quo nullum malum quam illud [d] a quo aliquod malum.

b. Item [e], Anselmus, *De concordia praescientiae et liberi arbitrii* [5]: « Cum dico 'si praescit aliquid, necessarium [f] est illud futurum esse', idem est ac si dicam 'si erit, ex necessitate erit' »; hic vero non notatur habitudo causae ad causatum, sed necessitas ordinis; ergo praescientia non dicit causam, sed ordinem.

Respondeo [6]: Sicut dicitur scientia simplicis notitiae et approbationis, sic [g] praescientia dicitur [h] dupliciter. Dicendum ergo quod praescientia approbationis potest dicere causam ratione approbationis intellectae [i], non ratione antecessionis, quae intelligitur per 'prae' [k]. Praescientia vero simplicis notitiae nullo modo dicit causam respectu eius quod est praescitum.

[Ad obiecta]: 1. Quod autem [l] obicitur quod 'causa est cuius esse sequitur aliud', solvitur per distinctionem. Aliquid enim dicitur sequi aliud dupliciter: secundum esse et secundum rationem consequentiae. Secundum quod 'sequi aliud' dicitur [m] secundum esse, sic sumitur in definitione [n] causae: 'causa est cuius esse sequitur aliud'; sed secundum quod sumitur 'sequi aliud' [o] secundum rationem vel ordinem consequentiae, non requirit causam essendi, sed solum consequendi, quia concomitatur [p].

2. Ad secundum dicendum quod Augustinus accipit notitiam practice, non solum speculative, sive pro approbatione, non pro simplici notitia; scientia autem practica sive beneplaciti est causa rerum, sed non scientia [q] simplicis notitiae.

183

CAPUT III.

UTRUM PRAESCIENTIA SIT CAUSATA A REBUS.

Consequenter quaeritur utrum praescientia sit causata a rebus [7].

Quod videtur 1. per auctoritatem Origenis, *Super Epistolam ad Romanos* [8]: « Non propterea aliquid erit, quia Deus scit illud futurum, sed quia futurum est, ideo scitur a Deo, antequam fiat ».

2. Si dicatur, sicut dicit Magister, in *Sententiis* [9], quod res sunt causa sine qua non, non causa proprie – quaeritur an sit concedendum quod futura sint aliquo modo causa praescientiae Dei.

3. Item, quo posito ponitur aliud, quo remoto removetur aliud, illud est aliquo modo causa illius [10]; sed re futura posita, ponitur praescientia Dei, et re futura remota, removetur praescientia; ergo res futura est causa praescientiae Dei.

Contra: *a*. Si hoc est verum, temporale est causa aeterni; futurum enim temporale est, praescientia vero Dei aeterna [11].

---

[a] BRLF om. [b] R *natura*. [c] S om. [d] BRLF om. [e] P add. *ponit*. [f] BRLF *necessario*, S *aliud* pro *illud*. [g] L *similiter*. [h] R *Dei*. [i] LF *intelligentie*. [k] V om., BRLF *ante*. [l] R *ergo*, LF om. [m] BRF *sumitur*. [n] L *distinctione*. [o] VR om. [p] PVR om. *q. c.* [q] PV *prescientia*.

1 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 38, c. 1 (p. 240 sqq.); Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 14 (PL 211, 847); S. Bonav., I *Sent.*, d. 38, a. 1, q. 1 (I, 669 sqq.).

2 Colligitur ex Aristot., *Phys.*, II, c. 3; *Metaph.*, II, lect. brev., c. 2 et IV, c. 2 (II, 264, 487, 515).

3 Cap. 13 (PL 42, 1076).

4 Cf. Lombard., loc. cit. (p. 242); Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa*, tr. 1, c. 12 (PL 176, 61).

5 Quaest. 1, c. 2 (PL 158, 509).

6 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 36, c. 2 (p. 227).

7 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 38, c. 1 (p. 240 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 38, a. 1, q. 2 (I, 671 sqq.).

8 Lib. VII, n. 8 (PG 14, 1126); cf. Lombard., loc. cit. (p. 242).

9 Loc. cit. (p. 242).

10 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3 (II, 265).

11 Cf. Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa*, tr. 1, c. 12 (PL 176, 61).

b. Item, imperfectionis est in modo sciendi quod scientia dependeat a scibili; ergo non potest poni in modo scientiae divinae; sed si res futura esset aliquo modo causa praescientiae Dei, praescientia Dei [a] dependeret a scibili, sicut causatum a [b] causa: et hoc est inconveniens; restat ergo quod praescientia Dei nullo modo est causata a rebus.

Respondeo: Res futura nullo modo est causa praescientiae Dei sive scientiae eius, sicut nec temporale causa aeterni.

[Ad obiecta]: 2. Ad illud autem [c] quod obicitur quod 'res est causa sine qua non': dicendum quod 'causa sine qua non' secundum rem nihil aliud dicit quam rationem concomitantiae; unde licet concedatur quod res futura sit causa sine qua non, non tamen concedendum est quod sit aliquo modo causa aeterni, quia [d] nec per se nec per accidens.

1. Ad aliud dicendum quod, cum dicitur 'quia futurum est, ideo praescitur' etc.: dicendum [e] quod 'ideo' non dicit ibi causam, sed solum rationem vel relationem respectu eius quod dicitur 'prae'; unde futurum ratio est vel causa quare dicatur praescientia, sed non eius quod est praescientia. — Vel dicendum quod Origenes non ponit activam, sed passivam; unde non est concedendum 'quia futurum est, ideo scit Deus', sed 'ideo scitur a Deo': sic enim [f] notatur causa aptitudinis ad sciendum ex parte scibilis; in activa vero magis notaretur causa respectu alicuius in sciente.

3. Ad aliud [g] dicendum quod scientia dicitur absolute, praescientia in ordine [h] ad rem scibilem. Dicendum ergo quod res futura bene dicitur causa praescientiae in dicendo, hoc est quare dicatur praescientia, sed non potest dici causa eius quod est praescientia. Unde [i] proceditur a dictione ad rem; res autem temporalis non potest esse causa rei aeternae ut sit [k], sed potest esse causa ut sic nominetur a nobis.

CAPUT IV. 184

UTRUM PRAESCIENTIA DEI IMPONAT NECESSITATEM REBUS.

Consequenter quaeritur utrum praescientia Dei imponat necessitatem rebus [1].

Ad quod sic: 1. Si Deus praevidet aliquid, illud necessario eveniet; et si necessario eveniet, necessario erit. — Si dicatur quod Deus praevidet aliquid et tamen non [l] necessarium est illud evenire – ergo potest non evenire; ergo potest falli praescientia.

2. Item, quod Deus praescit, de necessitate praescit; sed si Deus aliquid de [m] necessitate praescit, necesse est esse futurum; et si [n] hoc, necessario erit. — Item Anselmus, in libro *De concordia [o] praescientiae et liberi arbitrii* [2]: « Quae praescit Deus, necesse est esse futura ».

3. Item, si aliquid sequitur ad aliud, si antecedens est necessarium, et consequens [3]; sed bene sequitur 'hoc est praescitum, demonstrato aliquo contingente, ergo hoc erit': antecedens est necessarium, scilicet Deum hoc praescivisse, quia semper fuit et est et [p] erit verum; etiam postquam res erit in actu vel praeteriit [q], erit verum dicere 'Deus praescivit hoc [r] et non potest esse falsum'; ergo consequens est necessarium; ergo [s] hoc fore est necessarium. Pari ratione de omni contingente; ergo omnia [t] de necessitate eveniunt.

4. Item, praescitum a Deo impossibile est non evenire. Si enim dicatur quod possibile est, ponatur: non eveniet, et est praescitum, ergo fallitur praescientia; sed hoc est inconveniens; ergo praescitum impossibile est [u] non evenire.

5. Item, 'Deus praescivit hoc', demonstrato aliquo praescito, haec propositio est de praeterito vera; ergo est necessaria; ergo necessarium est hoc esse praescitum; ergo impossibile est non evenire: aut sequitur aut non sequitur. Si sequitur: habeo propositum, quod si Deus praescivit aliquid, impossibile est illud non evenire; si non sequitur, da oppositum: 'possibile est hoc non evenire'; ergo possibile est hoc non esse praescitum; sed istae duae, 'possibile est non esse praescitum' et 'impossibile est non esse praescitum' [v], non possunt simul stare; ergo oppositum conclusionis non potest stare cum prima; ergo argumentatio est necessaria; ergo necessario sequitur: 'impossibile est hoc non esse praescitum'; ergo impossibile est hoc non evenire.

Contra: *a.* Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [4]: « Sicut memoria tua [x] non cogit facta esse quae praeterierunt, sic Deus [y] non cogit praescientia sua facienda quae futura sunt »; sed

---

[a] PVS om. *p. D.* [b] P *ad.* [c] BRLF om. *a. l. a.* [d] BR om. [e] L *dicit.* [f] L *ergo.* [g] P *illud.* [h] PVS *ordinatione*, quod R corr. [i] Ita B, alii *vel.* [k] PVSR om. *u. s.* [l] V om. [m] BLF om. [n] L om. [o] BRLF *concordie* pro *D. c.* [p] PVS om. [q] V *preteriti.* [r] R om., S *hec.* [s] V om. [t] B om. [u] F om. [v] F om. *et... praescitum.* [x] F om. [y] F om.

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 38, c. 1 (p. 240); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 9, q. 5 (f. 25a sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 38, a. 2, q.1 (I, 674 sqq.).

[2] Quaest. 1, c. 1 (PL 158, 508).

[3] Cf. Aristot., *De elench.*, c. 5 (I, 280); Boeth., *De differ. topic.*, III (PL 64, 1200); Alan., *Theol. reg.*, reg. 66 (PL 210, 652sq.); S. Bonav., loc. cit. (I, 674, nota 2).

[4] Lib. III, c. 4, n. 11 (PL 32, 1276).

memoria non cogit facta esse praeterita; ergo praescientia non cogit evenire futura.

b. Item, Anselmus, in libro *De concordia praescientiae et liberi arbitrii*[1]: « Si dico 'necesse[a] est te esse peccaturum [vel non peccaturum][b] sola voluntate, si Deus praescit', non est intelligendum quod aliquid prohibeat voluntatem quae non erit aut cogat illam esse quae erit: hoc ipsum namque praescit Deus, qui praevidet aliquid futurum ex sola voluntate, quod voluntas non cogitur aut prohibetur ». Ergo praescientia Dei non cogit res fore.

Respondeo: Dei praescientia infallibilis est; unde infallibiliter praescit ipsa contingentia, licet ipsa possint non[c] esse, et est necessitas ex parte scientiae et non ex parte rei scitae, nec imponit rebus necessitatem.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem obiectum dicendum, secundum Boethium, in libro *De consolatione*[2], quod est necessitas absoluta, ut eorum quae habent causam determinatam immutabiliter, ut solem oriri cras; et est necessitas conditionalis. Prima necessitas est necessitas simpliciter; secunda[d] est necessitas secundum quid vel[e] cum conditione, ut te sedere dum sedes vel si sedes, est necessarium, non tamen est necessarium simpliciter te sedere. — Vel aliter: Est necessitas consequentis et necessitas consequentiae. Cum ergo dicitur: 'si Deus praescivit hoc, necessario eveniet', si necessitas referatur ad consequentiam, vera est; haec enim consequentia necessaria est: 'Deus praescit hoc, ergo hoc eveniet'; si autem necessitas feratur ad consequens, falsa est.

2. Eodem modo solvitur secundum 'si praescit futurum necessario, necesse[f] est esse futurum': est necessitas antecedens et necessitas « sequens[g] rei positionem », sicut dicit Anselmus, in libro *De concordia*[h] *praescientiae et liberi arbitrii*[3]. Prima est necessitas simpliciter; secunda est necessitas in[i] consequendo et secundum quid: ut[k] si est praeteritum, necesse est esse praeteritum, et si est futurum, necesse est esse futurum[4].

3. Ad aliud dicendum quod est necessitas absoluta, de qua non est verum 'quae Deus praescit, necesse est esse futura'; et est necessitas ordinis, et de hac verum est 'quae Deus praescivit, necesse est esse futura[l]'. Et haec necessitas non opponitur contingentiae eorum quae sunt a libero arbitrio, sed necessitas absoluta opponitur.

4. Ad aliud[m] dicendum quod verum est 'si antecedens est necessarium, et consequens'; sed aliquid esse praescitum ut est antecedens, non est necessarium. Nam secundum Anselmum[5]: « Cum dicimus: 'si Deus praescit futurum', non asserimus rem esse de necessitate futuram, sed rem futuram de necessitate esse futuram. Idem enim est sensus: 'Deus praescit aliquid' quod 'Deus scit aliquid esse futurum'; et praescitum[n] idem est quod scitum esse futurum ». Cum ergo dicitur 'antecedens est necessarium', necessitas potest notari respectu eius quod dicitur 'scitum', ut sit sensus: 'hoc futurum esse est scitum[o] necessario', et hoc modo verum est hoc praescitum esse necessarium; sed ex hoc non sequitur quod sit futurum necessario[p]. Vel potest notari necessitas respectu eius quod dico 'futurum', et est sensus: 'hoc praescitum esse est necessarium', id est hoc scitum est futurum necessario[q]; sed hoc[r] falsum; si autem esset hoc modo necessarium, tunc et consequens esset necessarium.

5. Ad aliud dicendum quod haec est duplex 'praescitum non evenire est impossibile', sicut haec[s] 'sedentem ambulare est impossibile'. Si enim[t] intelligatur de dicto, vera est: notatur enim concomitantia actus ad actum, quae impossibilis est; praescire enim et non evenire, sedere et ambulare incompossibilia sunt. Si intelligatur de re, falsa est: tunc enim notatur[u] concomitantia actus unius ad potentiam actus alterius; et haec concomitantia possibilis est: in eodem[v] enim potest esse actus sedendi et potentia ambulandi; similiter et actus praesciendi stat cum potentia non eveniendi; unde quod est praescitum potest non evenire, sicut[x] qui sedet potest ambulare.

185

CAPUT V.

QUOMODO PRAESCIENTIA POSSIT STARE CUM LIBERO ARBITRIO.

Consequenter quaeritur quomodo possit praescientia stare cum libero arbitrio; et hoc totum fere determinatum est prius[6].

1. Sed propter simplices repetendum est[y] primo, quod dicit Anselmus[7]: « Quaecumque praesciuntur, de necessitate eveniunt »; quaecumque

---

[a] PVS *necessarium*. [b] B add. *in*. [c] S om., in BR est add. interl. [d] B add. *necessitas*. [e] V om. [f] PVS *necessarium*. [g] V *consequens*. [h] L *concordie* pro *D. c.* [i] L om. [k] V *aut*. [l] V om. *n. e. e. f.* [m] P *illud*. [n] PV *prescitur*, quod S corr. [o] V om. *ut sit... scitum*. [p] B *necessarium*. [q] R om. *id est... necessario*. [r] F add *est*. [s] B om. [t] R *autem*. [u] PVS *connotatur*. [x] B repetit *i. e.* [y] BRLF add. *ille*. [v] R om.

1 Quaest. 1, c. 2 (PL 158, 509).
2 Lib. V, pr. 3 et 6 (PL 63, 840, 860); cf. *Scholion* ad S. Bonav., I *Sent.*, loc. cit. (I, 676).
3 Quaest. 1, c. 2 (PL 158, 509).
4 Cf. Anselm., loc. cit. (PL 158, 510).
5 Loc. cit., c. 3 (PL 158, 511).
6 Cf. cap. praeced.
7 *De conc. praesc. et lib. arb.*, q. 1, c. 1 (PL 158, 508).

sunt a libero arbitrio, non de necessitate eveniunt; ergo quaecumque sunt a libero arbitrio, non sunt praescita.

2. Item, omne quod comprehenditur est in comprehendente per modum ipsius [1]; ergo omne quod est in divina scientia [a], est per modum ipsius; sed ipse est immutabilis; ergo contingentia non possunt esse in eius praescientia.

3. Item, quaeritur si haec est vera 'praescitum evenire est necessarium' [b] et dicitur vera de dicto, de re autem falsa – contra: si albedine existente in subiecto aliquo, non sit possibilitas in eodem subiecto ad formam oppositam, ita scilicet ut possit albedini succedere nigredo, nunquam haec erit vera 'album potest esse nigrum'; ergo cum sit similiter ex illa parte, cum dico 'praescitum possibile est non evenire', nunquam [c], existente praescientia in illo, est possibilitas ad non eveniendum; haec non [d] potest esse vera 'praescitum potest non evenire'; ergo etc. — Probatio quod non sit [e] potentia ad non eveniendum, posito quod sit praescitum [f]: praescitum enim dicit scitum futurum; sed semper, posito quod sit scitum futurum, impossibile est non [g] evenire nec est potentia ad non eveniendum [h]; ergo omnia de necessitate eveniunt.

Solutio omnium istorum [i] patet ex dictis [2]. Nam, secundum Anselmum, *De praescientia et libero arbitrio* [3], est necessitas antecedens, quae est secundum praeordinatas causas rei, sicut necesse est solem oriri cras; et est necessitas sequens rei positionem, ut cum dicitur 'te [k] sedere, dum sedes, est necessarium'.

[Ad obiecta]: 1. Quod ergo dicitur «quae praesciuntur, de necessitate eveniunt», hic accipitur necessitas consequens rei positionem. Quod dicitur 'quae sunt a libero arbitrio non de necessitate eveniunt', negatur necessitas antecedens. Potest ergo simul stare quod sit in illo contingentia antecedens et necessitas consequens; necessitas ergo sequens rei positionem [l] non tollit rei contingentiam.

2. Ad aliud dicendum quod Deus immutabiliter comprehendit quidquid comprehendit et non solum necessaria comprehendit immutabiliter, sed etiam contingentia; scit enim contingentia per modum necessarium; unde non sequitur ex illa ratione: 'ergo non scit contingentia', sed 'ergo non scit contingenter' [m] [4].

3. Ad aliud [n] dicendum quod haec est vera 'praescitum necesse est evenire' et haec est falsa 'praescitum potest non [o] evenire'; sed si argumentetur [p]: 'hoc est praescitum, ergo hoc necesse est [q] evenire', non valet, ut dictum est [5], quia ex maiori de necessario et minori de inesse ut nunc [r], non sequitur conclusio de necessario [s], sed de inesse; unde non valet: 'si Sortes currit, necessario movetur, sed Sortes currit, ergo necessario movetur'; bene tamen sequitur: 'ergo movetur [t]'.

CAPUT VI. 186

UTRUM DIVINA PRAESCIENTIA SIT INFALLIBILIS.

Consequenter quaeritur an divina praescientia possit falli [6].

Et videtur quod sic: 1. Praescit enim hoc [u], demonstrato aliquo contingente; sed possibile est hoc non evenire; ponatur ergo quod non eveniat; hoc est praescitum et tamen [v] non eveniet; ergo quod praescitur non eveniet; ergo fallitur praescientia.

2. Item, praescitum potest non esse praescitum, quia potest non esse futurum, cum sit contingens; sed si non erit, non est scitum [x] futurum; nec ergo praescitum; ergo praescientia potest falli.

3. Item, scientia Dei et praescientia sunt eorum quae non sunt; scit enim Deus praesentia, praeterita et futura, sed omnia [y] scit ut praesentia [7]; sed praeterita secundum quod sunt praeterita, non sunt praesentia, similiter nec futura; ergo alio modo scit res quam sint; ergo fallitur praescientia.

Respondeo: Non potest falli praescientia.

[Ad obiecta]: 1. Et ad illud quod primo obicitur: dicendum quod, cum praescientia dicatur [z] in ordine et relatione ad futurum, et amoto uno relativorum amovetur reliquum, eo ipso quo ponit non evenire, ponit non praescitum fuisse.

---

[a] F *essentia.* [b] P repetit *est.* [c] R *quod non potest,* quod B corr. [d] R om. [e] P om. [f] V exp., F *veniendum* pro *eveniendum.* [g] B om. *futurum sed ... non.* [h] L *venteudum.* [i] BR *istorum.* [k] S om. [l] S *peccatum.* [m] F *contingentia.* [n] P *illud.* [o] F om. [p] F *argueretur.* [q] V add. *non.* [r] PVS om. *u. n.* [s] F *necessitate.* [t] P om. [u] F om. [v] V om. [x] R add. *vel,* quod B exp. [y] L *vera,* F *natura,* V om. *sed.* [z] Ita B, alii *dicat.*

1 Cf. Boeth., *De consol.*, V, pr. 4 (PL 63, 848).
2 Cf. cap. praeced.
3 Quaest. 1, cc. 2 et 3 (PL 158, 509 sqq.). Pro hac solutione cf. Lombard., I *Sent.*, d. 38, c. 2 (p. 244).
4 Cf. hic *ad 1* et cap. praeced.
5 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 9, q. 5 (f. 25b).
6 Cf. Lombard., loc. cit.
7 Cf. supra, p. 263, num. 179.

2. Ad aliud dicendum quod haec 'praescitum potest esse non praescitum' distinguenda est, sicut haec 'album potest esse nigrum': potest enim praedicatum attribui subiecto cum forma, et sic est falsa; vel ratione suppositi solum, et sic vera. Primo autem modo falsa est [a]: sicut enim album, manens album, non potest esse nigrum, sic praescitum, in quantum praescitum, non potest non evenire. Secundo modo vera est [b], quia id quod est album potest esse nigrum et id quod est praescitum potest non evenire et non esse praescitum.

3. Ad aliud [c] dicendum quod haec 'Deus non scit praeterita ut praeterita' [d] duplex est: quia haec determinatio 'ut praeterita' potest determinare verbum in comparatione ad scientem, et sic vera, quia praeterita [e] non sunt in Deo per modum praeteriti, sed per modum suum; vel potest determinare verbum in comparatione ad scitum, et sic falsa est: scit enim Deus res praeteritas et [f] quae sunt sub conditione praeteritionis et futuritionis, sed non scit sub iis conditionibus, sed aeternaliter et praesentialiter. — Similiter ad illud [g] 'Deus scit res aliter quam sunt': haec est duplex, quia haec determinatio 'aliter' in duplici comparatione potest determinare verbum. Si [h] in comparatione ad scitum, falsa est; si in comparatione ad scientem, vera [i]. Quod enim comprehenditur est in comprehendente secundum modum ipsius, non secundum modum rei comprehensae.

187

CAPUT VII.

UTRUM DIVINA PRAESCIENTIA SIT MUTABILIS.

Consequenter quaeritur utrum praescientia sit mutabilis [1].

Ad quod sic arguunt: Deus potest praescire quod [k] non praescivit, quia potest facere aliquod futurum, quod non erit futurum; ergo potest aliquid scire de novo et temporaliter; ergo [l] mutabiliter.

Ad quod datur responsio talis in *Sententiis* [2]: quod prima propositio divisa est vera, composita [m] falsa. Nam ista duo simul non possunt esse: 'Deum non praescivisse seu scivisse aliquid' et 'illud scire vel praescire'; potest tamen modo facere quod est futurum, quod tamen non est praescitum, et sic potest illud praescire. — Alii distinguunt illam [n] propositionem: nam haec dictio 'quod' potest notare coniunctionem sive comparationem actus ad actum vel actus ad potentiam. Si notet coniunctionem actus ad actum, videlicet eius quod dico 'scire aliquid' ad hoc quod dico 'non [o] scivisse', falsa est, quia non est possibile Deum scire aliquid et non scivisse illud. Si vero notet coniunctionem actus ad potentiam, ut eius quod dico 'non scivisse aliquid' ad hoc quod dico 'posse scire illud', vera [p], quia haec bene sese compatiuntur 'Deum non scire aliquid', prout [q] scientia dicitur visio, et 'Deum posse scire illud', quia potest facere aliquid quod non faciet, et ita potest scire quod non scivit, id est quod non praevidit [r] se facturum.

Secundum ergo [s] hunc modum, ut accipiatur propositio in sensu in quo vera est, quaeritur an sequatur: 'Deus potest praescire vel scire aliquid quod non scivit vel praescivit [t], ergo potest aliquid scire vel praescire de novo vel ex tempore'.

Probatur quod sic: 1. Quia bene sequitur: 'Deus creat modo aliquid quod prius non creavit, ergo creat aliquid de novo vel ex tempore'; ergo similiter sequitur: 'Deus scit aliquid vel praescit modo quod prius non scivit vel praescivit, ergo scit aliquid vel [u] praescit de novo vel ex tempore'; ergo similiter sequitur: si potest aliquid scire quod prius non scivit, quod [v] potest aliquid scire de novo vel ex tempore, quia si actus sequitur ad actum, et potentia sequitur [x] ad potentiam.

2. Item, in scientia hominis simul est verum praescire hoc et non praescivisse illud; ergo et in scientia Dei simul potest esse verum, Deum praescire aliquid et non praescivisse illud; ergo [y] non est vera praedicta solutio quantum ad unam partem.

3. Item, quantum ad aliam in qua dicitur quod divisa est vera, quia Deus potest praescire [z] aliquid quod tamen non est verum eum praescivisse, et ita contingens est ipsum praescivisse,

---

[a] B add. *sic.* [b] L om. [c] PVS *illud.* [d] B add. *nec futura ut futura.* [e] V om. [f] F *id est*, L om. *est.* [g] P *aliud.* [h] S *scilicet.* [i] F add. *est*, R *sed.* [k] PSBR *que.* [l] F *et.* [m] L add. *est.* [n] F om. [o] L om. [p] B *et*, L (interl.) add. *est.* [q] V *ut* et supra om. *non.* [r] R *providit.* [s] L om. [t] V om. *v. p.* [u] B *quod.* [v] S *vel.* [x] F om. [y] S *quod.* [z] BR *scire.*

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 39, c. 2 et d. 41, c. 3 (p. 246, 257 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 39, a. 2, q. 2 (I, 693 sqq.).

[2] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 39, c. 2 (p. 246 sq.); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 8, q. 2 (f. 23c).

obicitur: omne dictum de praeterito verum est necessarium; ergo cum, demonstrato quolibet futuro contingente, 'Deum praescivisse hoc' sit[a] dictum de praeterito verum[b] est necessarium; ergo[c] non potest non praesciri a Deo. Relinquitur igitur quod non potest non[d] praescire quod praesciverit. — Contra: Quod est praescitum potest non esse futurum, et quod potest non esse futurum potest non esse praescitum, quia concomitantur se invicem 'praescitum' et 'esse futurum'; ergo Deum praescivisse hoc, non est necessarium.

4. Item, quaeritur utrum haec possit esse vera 'Deus potest habere scientiam quam nunquam habuit', sicut haec conceditur in uno sensu 'potest scire quod nunquam scivit', cum scire et habere scientiam idem sit. Quod si dicatur – contra: si Deus potest habere scientiam quam nunquam habuit, ergo augmentari potest eius scientia.

[Solutio]: Circa hoc notandum est quod ad hoc argumentum[1] « 'Deus immutabiliter praescit istum damnandum esse, ergo necessario praevidit istum esse damnandum, ergo necessarium est istum damnari', quidam[e] respondebant sic distinguendo 'Deus immutabiliter praevidet hoc': quia si haec determinatio 'immutabiliter' determinet hoc verbum 'praevidere' in comparatione ad nominativum, verum est, quia in Deo nulla est mutatio; si in comparatione ad rem accusativi, falsa est, quia in re visa est mutabilitas ».

Quam solutionem nituntur[2] improbare hac ratione: « Sicut non potest esse quod Deus praesciat aliquid quod prius[f] non praesciverit, ita non potest esse quod aliquid sit modo praevisum, quod prius non fuerit praevisum, et ita immutabilitas est ex parte rei praevisae in quantum praevisa est; oportet autem immutabilitatem esse rei praevisae, cum hoc adverbium 'immutabiliter' determinat verbum in comparatione ad accusativum ». Unde concedunt quod « utroque modo vera sit ». — Et dicunt « non sequi: 'immutabiliter praevidet hoc, ergo necessario praevidet vel praescit hoc', immo est fallacia consequentis. Non enim omne immutabile verum est necessarium, sed e contrario: unde 'Antichristum fuisse futurum' est verum immutabile, non tamen necessarium ». Praeterea, addunt quod « Deus praevidet res quales futurae sunt: si necessariae, praevidet eas in necessitate; si contingentes, praevidet in contingentia; unde si praevidet contingens futurum, contingens est Deum praevidisse illud ». — Item, addunt quod si « quaeritur in quo sit illa contingentia », dicunt « quod in Deo, et non est aliud quam potentia praevidendi, quae est in Deo secundum quod se habet ad duo opposita: 'praevidere' et 'non praevidere'[g] ». — Item, addunt ad illud quod aliquis obiceret: « si homo scivit aliquid, necessarium est ipsum scivisse; ergo cum certior sit[h] scientia Dei quam scientia hominis, si Deus praevidit aliquid, necessarium est Deum praevidisse illud », et respondent quod « scientia Dei est certior[i] scientia hominis quantum ad infallibilitatem, sed non quantum ad rei fixionem vel determinationem, quia non generatur a rebus ».

Sed istae sententiae quia videntur inducere non sanam fidei confessionem[3], ideo attendendum est primo quod sophistice obicitur contra solventes praedictum sophisma 'Deus immutabiliter praevidet hoc, scilicet istum esse damnandum'. Nam illorum intentio non est dicere quod mutabilitas sit ex parte rei in quantum praevisa est, sed solum in quantum futura est. Et hoc importat ipsum verbum 'praevidere', si resolvatur secundum Anselmum[4], scilicet 'videre futurum', et si compleatur sensus 'videre futurum esse'. Si autem sic explicite diceretur: 'Deus immutabiliter videt vel scit esse vel fore futurum illud', nullus dubitaret distinguendam esse locutionem: nam hoc adverbium 'immutabiliter' posset ferri ad hoc[k] verbum 'videre', et hoc modo vera; vel ad hoc verbum 'esse vel[l] fore', et hoc modo falsa, quia sic designatur immutabilitas ex parte rei futurae, non ex parte videntis. In hoc autem quod dicitur 'praevidere hoc' totum includitur, scilicet 'videre futurum esse[m] vel fore'. Sophistica igitur est contra dictam solutionem oppositio.

Item, quod secundo dicunt quod 'non omne[n] immutabile verum est necessarium', hoc videtur manifeste falsum. Nam contingens verum non potest esse immutabile verum: contingens enim ex eo est[o] quod potest esse et non esse; sed omne[p] tale est mutabile; omne ergo contingens verum est verum mutabile; ergo si est immutabile verum, non est verum contingens. Cum ergo omne quod est verum, est necessarium vel contingens, si est immutabile verum, est necessarium. — Item, cum omnis contingentia ponat

---

[a] V *Sic.* [b] PVS add. *ergo.* [c] RLF add. *hoc.* [d] Ita R (interl.), alii om. [e] R add. *etiam.* [f] V *Deus.* [g] V *non potest videre* pro *e. n. p.* [h] V om. [i] L add. *quam.* [k] BR om. [l] LF om. [m] V om. [n] SF *esse.* [o] P *eodem* pro *e. e.* [p] F *esse*, item subinde.

[1] Haec et sequentia quasi verbotenus apud Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 9, q. 5 (f. 25b).

[2] Alii scilicet, inter quos Lombard. et Guil. Altissiod., loc. cit.

[3] Inter articulos « in quibus Magister non tenetur communiter ab omnibus » occurrit sequens: « Deus semper potest quidquid aliquando potuit, et vult quidquid voluit, et scit quidquid scivit », ex I *Sent.*, d. 44, c. 2 (p. 270 et LXXIX).

[4] *De conc. praesc. et lib. arb.*, q. 1, c. 3 (PL 158, 511).

mutabilitatem [a] ad esse et non-esse, sicut impossibilitas [b] immutabilitatem in non-esse, necessitas immutabilitatem in esse: si non est sana enuntiatio qua diceretur mutabilitas in Deo, ergo non erit sana locutio qua dicitur contingentia in Deo, *apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio,* Iac. 1, 17.

Item, quod dicitur quod [c] ' illa contingentia non est nisi indifferentia potentiae praevidendi et non praevidendi ', non videtur recte dictum. Nam quid est aliud potentia praevidendi quam potentia videndi futurum, vel, completiori intellectu, potentia videndi aliquid fore vel futurum esse? Sed constat quod non dicitur indifferentia potentiae ratione visionis, quae non potest non esse quantum est ex parte videntis; ergo dicetur indifferentia ratione visionis in quantum transit super rem futuram, quae potest esse et non esse et ideo potest esse subiecta visioni vel non esse subiecta; sed secundum hoc nulla ponitur contingentia in actu visionis, sed in subiecto ipsi visioni. Et est exemplum [d] in illuminatione solis [1]. Relinquitur ergo quod contingentia illa non ponitur in Deo ut potentia praevidendi et non praevidendi.

Item, ad illud quod dicunt quod [e] ' certior est scientia humana quantum ad rei fixionem vel determinationem [f], quamvis non quantum ad infallibilitatem ', nullo modo videtur dicendum, quia ex hoc sequeretur quod aliqua certitudine excederet scientia humana divinam, quod est error. Propterea, cum ipsa divina intelligentia magis sit intima rebus quam humana, quia in omnibus essentialiter est et omnia sunt in ipso causaliter, etiam quantum ad rerum fixionem vel determinationem certior est, quamvis nullo modo sit a rebus.

Item, in hoc fuit deceptio considerationis, quod cum dicitur ' Deum praescivisse aliquid ', duo asseruntur: unum de praeterito, scilicet scientiam fuisse, et aliud de futuro, scilicet scitum futurum esse, et tamen [g] uno dicto utrumque asseritur. Quia ergo contingentia est ex parte sciti, quamvis non in quantum scitum est, sed in quantum [h] futurum, ideo ipsum dictum contingenter est verum. Et similiter contingit in ipsa praescientia humana, quia licet, antequam res contingens futura eveniat, mutabilis est et potest evenire et non evenire, sicut in praescientia prophetali, non sequitur quod praescientia sit mutabilis. Nam secundum quod est in praescientia, ipsum futurum est immutabiliter [i]; hoc tamen non est simpliciter, sicut dixerunt, sed solum secundum quid.

Dicendum igitur secundum B. Anselmum, in libro *De concordia praescientiae et liberi arbitrii* [2]: « Deus non fallitur nec videt nisi veritatem, sive ex libertate sive ex necessitate veniat, dicitur constituisse apud se immutabiliter quod apud hominem [k], prius quam fiat, mutari potest »: non tamen in Deo, qui omnino immutabilis est, cadit [l] mutatio.

[Ad obiecta]: 1. Respondendum autem ad primum quod non est similis ratio in hoc verbo ' scire vel praescire ' et in hoc verbo ' creare '. Nam hoc verbum ' creare ' connotat effectum in creatura in [m] tempore, hoc verbum vero ' scire vel praescire ' non connotat [n] effectum sive respectum secundum actum in tempore. Quamvis ' praescire ' dicatur respectu futuri in tempore, tamen respectus ille non est temporalis; et inde est quod ' scire vel praescire ' dicitur de Deo ab aeterno, ' creare ' vero ex tempore. Unde notandum est quod, quamvis ' scire et praescire et creare ' haec verba dicant respectum ad creaturam, cum dicitur ' Deus scit res, praescit res, creat res ', tamen differenter dicunt, quia hoc quod dico ' scire ' dicit respectum ad res secundum esse in potentia, hoc quod dico ' praescire ' [o] dicit respectum ad res secundum esse [p] in praeordinatione, hoc quod dico ' creare ' dicit respectum ad res secundum esse in actu. Hinc est quod praescientia vel scientia non ponit res in esse secundum temporalem existentiam, sed ponit secundum quod sunt per praevisionem in causa; creatio vero ponit res [q] actu, secundum quod actualiter sunt a causa. Et ideo sequitur: ' creat modo aliquid quod prius non creavit, ergo creat [r] aliquid ex tempore ', non tamen sequitur cum hoc verbo ' scire '; et similiter sequitur [s] cum ' potentia ': ' potest aliquid creare quod prius non creavit, ergo potest aliquid creare ex tempore '; non tamen sequitur cum hoc verbo ' scire [t] vel praescire ': ' potest scire vel praescire [u] quod prius non scivit vel praescivit [v], ergo potest aliquid scire vel praescire ex tempore '.

2. Ad secundum dicendum quod non est simile de praescientia Dei et de praescientia [x] hominis. Nam cum dicitur ' praescire ' de homine, notatur ordo rei temporalis ad tempus praecedens; sed antecessio temporis ad tempus non est infinita [y]; et ideo dicendum quod non sequitur: ' homo praescit hoc [z], ergo prius praescivit illud '. Sed cum dicitur ' praescire ' de Deo, notatur ordo rei temporalis ad aeternitatem; antecessio autem aeternitatis ad tempus est infinita; et ideo sequitur: ' Deus praescit hoc, ergo praescivit hoc prius '.

---

[a] PVS *immutabilitatem.* [b] V *possibilitas.* [c] B add. *in.* [d] F *exemplar.* [e] RF om., V om. *est.* [f] L *determinativam.* [g] S *non.* [h] V om. *s. t. q.* [i] B *mutabiliter.* [k] B (corr.) F *homines.* [l] SLF *eadem.* [m] B *ex.* [n] B *notat.* [o] R *scire.* [p] P om. *s. e.* [q] L add. *in.* [r] B om. [s] F om. [t] F *creare.* [u] VS om. *p. s. v. p.* [v] R om. *v. p.* [x] R om. *d. p.* [y] S *finita.* [z] B om.

[1] Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 9, q. 4 (f. 25a). | [2] Quaest. 1, c. 5 (PL 158, 513).

3. Ad tertium dicendum quod [a] cum dico 'praescivisse', ratione ipsius verbi consignifico tempus praeteritum, ratione ipsius praepositionis 'prae' consignifico futurum; unde 'Deum praescivisse' nihil aliud est quam scivisse hoc esse futurum. Unde patet quod hoc dictum non est simpliciter de praeterito, sed est de praeterito respectu futuri; et ideo [b] quia futurum est contingens, respectus [c] ipsius scientiae, quae significatur praeterite, contingens est. Unde quamvis ipsa scientia sit necessaria, tamen, quia respectus ad futurum est contingens, ideo ipsum dictum de praeterito, quod dicit ipsum respectum ad futurum contingens, erit contingens, non necessarium. — Tamen ista posset distingui 'Deum praescivisse hoc est necessarium' quemadmodum et haec in quam resolvitur 'Deum scivisse hoc esse futurum est necessarium'. Nam necessitas potest notari respectu huius verbi 'esse', quod intelligitur cum dicitur 'necessarium est Deum scivisse hoc esse futurum sive [d] hoc fore', et hoc modo falsa est [e], quia tunc est sensus: 'Deus scivit hoc necessario esse futurum sive necessario fore'; vel respectu huius verbi 'praescire', et sic est vera, et est sensus: 'scientia Dei, quae est respectu futuri, est necessaria'.

4. Ad quartum dicendum quod huiusmodi locutiones non sunt eiusdem virtutis 'Deus potest scire quod non scivit' et 'Deus [f] potest habere scientiam quam nunquam habuit'. Cum enim dicitur 'Deus potest scire quod non scit', potentia transit in rem temporalem, ratione cuius temporalis conceditur haec locutio: res enim temporalis, licet futura sit, potest tamen [g] non esse. Cum autem [h] dicitur 'Deus potest habere scientiam quam non habet', notatur respectus potentiae ad actum transeuntem in rem aeternam: scientia enim Dei aeterna est, quae nunquam ab eo separatur; unde quia tangitur ibi temporale respectu scientiae vel actus aeterni, non est concedenda.

Item, obicitur, quia [i] videtur illa negari simpliciter a Magistro [1] 'Deus potest aliquid scire ex tempore' – contra: Deus scit et potest aliquid scire quod incipit esse ex tempore; ergo potest aliquid scire ex tempore. — Respondeo: Haec determinatio 'ex tempore' potest determinare hoc verbum 'potest', et sic est falsa, quia sensus est: 'Deus potest ex tempore scire aliquid, quod non scivit ab aeterno'; vel potest determinare hoc verbum 'scire' in comparatione ad accusativum super quem transit, scilicet 'aliquid', et hoc modo vera est, et est sensus: 'Deus potest aliquid scire quod existit in tempore' [2].

QUAESTIO II.

DE SCIENTIA DEI RELATE AD FACIENDA

SEU DE DISPOSITIONE DIVINA.

Consequenter quaeritur de dispositione divina:
Et primo, an sit;
secundo, quid sit;
tertio, cuius sit;
quarto, quomodo sit;
quinto, secundum quid sit.

CAPUT I. 188

AN SIT DISPOSITIO.

Ad primum sic: Videtur quod in Deo sit dispositio rerum faciendarum: *a.* Sap. 11,21: *Omnia in numero, pondere et mensura disposuisti.*

Contra: 1. Ioannes Damascenus, II [k] libro, 35 cap. [3]: «Consilium est appetitus inquisitionis de iis quae sunt in nobis; secundo, est iudicium quid bonum, quid malum [l] vel melius; tertio, est dispositio, cum disponit et amat quod ex

---

[a] BRLF om. [b] F *in Deo.* [c] P *respectu.* [d] F *cum.* [e] PVS om. [f] V add. *non.* [g] S om. [h] L om. [i] VL *quod.* [k] F *I*, alii *in.* [l] BR om. *q. m.*

1 I *Sent.*, d. 39, c. 2 (p. 247): «Non potest ergo noviter vel ex tempore scire vel praescire aliquid».

2 Cf. supra, p. 273b et 274b.

3 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 946).

consilio iudicatum est.; deinde est electio [a], quae est duobus praeiacentibus alterum praeoptare. Dispositio ergo est amor eius quod ex consilio iudicatum est »; sed in Deo non est iudicium ex consilio; ergo nec dispositio. — Probatio mediae: « Ignorantis enim naturae est consiliari [1] »; nam, sicut ipse Damascenus dicit, « consilium est appetitus inquisitionis ». Cum autem aliquis scit [b] aliquid, non quaerit illud; sed in Deo non cadit ignorantia; ergo in Deo non est consilium; ergo nec iudicium ex consilio; ergo nec amor eius quod est [c] ex consilio iudicatum [d]; ergo nec dispositio.

2. Item, dispositio nihil aliud videtur nisi unius faciendi post aliud excogitatio; sed ubi hoc est, est volubilis cogitatio; sed in Deo non est volubilis cogitatio, ut dicit Augustinus [2]; ergo nec dispositio.

3. Item, dispositio dicitur quasi diversorum [e] positio: est autem loqui de dispositione interiori et exteriori, et in utraque videtur diversorum positio; ergo in [f] intellectu dispositionis est intellectus positionis, in [g] intellectu positionis intellectus situs; « situm autem et positionem non oportet in Deo requiri », ut dicit Boethius, in libro *De Trinitate* [3]; ergo in Deo dispositio non est.

Respondeo: In Deo est dispositio, aliter tamen accipitur in Deo et in nobis.

[Ad obiecta]: 1. Quod ergo obicit quod 'in Deo non est consilium': dicendum quod consilium est uno modo [h] in Deo, alio modo non. Consilium enim potest dici vel [i] appetitus inquisitionis vel appetitus cognitionis, sicut desiderium dicitur dupliciter: appetitus rei habendae vel continuationis [k] rei habitae. Si ergo consilium dicitur appetitus rei cognoscendae: sic non est [l] consilium in Deo, sed in nobis, quia sic « est consilium ignorantis naturae ». Item, consilium alio modo dicitur appetitus cognitionis rei [m] habitae: et sic est consilium in Deo, sicut etiam dicitur [n] desiderium boni in ipso, non boni quod ei desit, sed desiderium boni quod habet. Sic ergo est consilium in Deo et dispositio secundum hoc; et quamvis idem sint in Deo consilium et dispositio, differunt tamen secundum rationem intelligentiae.

2. Et ad illud quod obicitur 'ubi est dispositio, est unius post aliud excogitatio': dicendum quod cum nos disponimus aliquid, duplex est ibi successio: una enim successio est ex parte ipsius rei quae disponitur, alia successio in ipsis cogitationibus. Secundum hoc dicendum quod si [o] loquamur de successione quae est in re facienda, sic est in Deo, scilicet unius faciendi post aliud [p] excogitatio: disposuit enim et cogitavit [q] facere unum post aliud. Sed si dicatur successio in ipso Deo cogitante vel in ipsis cogitationibus, falsum est: non enim in ipso succedit cogitatio cogitationi, sed omnia simul videt et cogitat [4].

3. Ad aliud dicendum quod in Deo non est positio vel situs diversorum in re: hoc enim dicitur materialium solum, et hoc modo loquitur Boethius; tamen in Deo est ratio positionis diversorum: unde etiam in Deo est ratio collocationis corporum, quare caelum sursum, terra deorsum et huiusmodi; et sic de aliis rationibus rerum quae ponuntur in Deo [5].

189

CAPUT II.

QUID SIT DISPOSITIO.

Ad secundum, scilicet quid sit [r] dispositio:

1. Dicit Magister [6] quod dispositio est praescientia faciendorum, Psalm. [7]: *Omnia in sapientia fecisti;* hoc non ob aliud dicitur nisi quia scientia [s] faciendorum erat in Deo; sed si dispositio est praescientia faciendorum, ergo idem sunt sapientia et dispositio.

Contra; *a.* Dicit Hugo de S. Victore [8]: « Sapientia est aeternorum, dispositio temporalium ». Ergo non sunt idem, secundum rationem intelligentiae, sapientia et dispositio.

2. Item, Sap. 8, 1: *Attingit a fine usque ad finem* [t], id est a termino initiali usque ad terminum finalem, *fortiter* [u], *et disponit omnia suaviter.* Ergo dispositio est eorum quae iam facta sunt;

---

[a] L *lectio.* [b] V om., R om. *aliquid.* [c] R om. *q. e.* [d] R *iudicatur.* [e] L *diversarum.* [f] SBF om. [g] P *aut*, BF *intellectus* pro *intellectu.* [h] V *consilium* pro *u. m.* [i] V om. [k] Ita BR, LF om., PVS *et appetitus cognitionis* pro *v. c.* [l] L om. [m] BRLF om. [n] F om. [o] V om. [p] BLF add. *successio.* [q] BR *excogitavit*, quod L corr. [r] L om. [s] L *sapientia.* [t] PVS add. *fortiter.* [u] PV om., in S est add. mg.

[1] Damascen., loc. cit., ubi et sequens.
[2] Cf. *De Trinit.*, XV, c. 16 (PL 42, 1079).
[3] Cap. 4; cf. Gilb. Porret., in h. l. (PL 64, 1254, 1291).
[4] Cf. Augustin., *De Trinit.*, XV, c. 14 (PL 42, 1077).
[5] Cf. Hugo de S. Vict., *Erud. didasc.*, VII, c. 5 (PL 176, 816).
[6] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 35, cc. 3 et 7 (p. 220sq.); Hugo de S. Victore, *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 9 (PL 176, 210).
[7] Psalm. 103, 24.
[8] Loc. cit. et cap. 10, ad sensum; cf. Augustin., *De Trinit.*, XII, c. 15, n. 25 (PL 42, 1012).

dispositio autem suavis eorum quae iam facta sunt, est providentia vel gubernatio rerum; ergo idem est dispositio et providentia.

Contra: *b.* Sap. 11,21: *Omnia* [*in*] *numero, pondere et mensura disposuisti;* sed sic disponit antequam fiant res; providentia autem est rei factae; igitur non sunt idem.

Respondeo: Dispositio est praescientia [a] faciendorum [b] ut fiant.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [c] ergo quod obicitur '*omnia in sapientia fecisti*' etc., dicendum quod scientia de faciendo dicitur [d] dupliciter: vel quoniam dignum est fieri vel ut fiat. Sapientia ergo dicit scientiam faciendi, quia est dignum fieri; dispositio scientiam faciendi ut fiat. Sapientia igitur dicit iudicium, quia bonum est ut fiat, dispositio [e] addit intentionem faciendi.

2. Item, ad illud [f] quod obicitur, quod '*disponit omnia suaviter,* sed non disponit omnia [g] suaviter nisi postquam facta sunt, ergo dispositio est factorum', respondendum: dispositio est de esse rei, similiter providentia; sed dispositio respicit esse rei ut fiat, providentia ipsum esse rei postquam factum est ut perficiatur vel ut permaneat.

b. Ad illud quod [h] obicitur, dicendum quod est fieri in esse et est fieri ad esse: fieri ad esse, cum primo creatura exit de non-esse ad esse; fieri in esse quod etiam factum indiget continuatione ipsius esse. Dicendum ergo quod dispositio, ibi: *Omnia in numero, pondere et mensura* [i] etc., respicit fieri ad esse, quod est de exitu rei de non-esse in esse; ibi autem: *Disponit omnia suaviter,* respicit fieri in esse sive fieri quod est in continuatione esse, sive fieri quod est [k] in ordinatione esse. Primo modo dicitur idem quod gubernatio, secundo idem quod providentia.

CAPUT III. 190

CUIUS SIT DISPOSITIO.

Ad tertium, scilicet [l] cuius sit dispositio, utrum sit malorum [1],

Proceditur sic: 1. Et primo, videtur quod non sit mali culpae: quia dispositio est faciendorum a Deo; sed mala non sunt facienda a Deo; ergo dispositio non est malorum.

2. Item, *Super Genesim,* IV [2]: « *Omnia in numero, pondere et mensura disposuisti,* nihil aliud intelligitur nisi quia omnia [m] in te disposuisti »; sed non potest dici quod Deus in se disposuerit mala; ergo dispositio non est malorum culpae.

3. Item, nec [n] videtur malorum poenae: Sap. 15,1 dicitur quod Deus *in misericordia disposuit* [o] *omnia;* sed mala poenae non sunt ex misericordia, sed ex iustitia; ergo mala poenae vel malum [p] non est in dispositione divina.

Contra: *a.* Videtur esse dispositio malorum culpae: Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [3]: « Cum dicitur *omnia disposuisti in numero, pondere et mensura,* veraciter Deus ita est [q] qui terminat omnia, format omnia, ordinat omnia [r] ». Ergo quaecumque Deus ordinat, disponit; sed Deus ordinat mala; ergo disponit [s] illa. — Probatio mediae: Augustinus, *Super Genesim,* III [4]: « Deus naturarum optimus creator, peccantium vero iustissimus ordinator est ». Item, in *Enchiridion* [5]: « Malum bene ordinatum et [t] suo loco positum eminentius commendat bona ».

b. Item, videtur malum poenae in dispositione: Eccli. 33,14: *Omnes viae eius secundum dispositionem eius* etc., et sequitur [u]: *Et reddet illis secundum iudicium suum;* sed *universae viae Domini misericordia et veritas* [6]; poena autem est secundum viam iustitiae vel veritatis; ergo malum poenae est in dispositione divina.

Respondeo: Malum est dupliciter [v]: malum culpae et malum poenae, sicut dicit Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [7]. Similiter 'disponere' dicitur dupliciter [8]: uno modo ordinare, alio modo excogitare ut res in se [x] fiat ordinate. Primo modo potest dici quod Deus disponit mala culpae, id est ordinat: quaedam enim ordinat Deus et facit, ut bona; quaedam vero ordinat, sed non facit, ut mala: peccantes enim suppliciis ordinantur [y] [9]. Secundo modo non [z]

---

[a] PVS *providentia.* [b] PVSF *fiendorum.* [c] BRLF om. *A. i.* [d] L om. [e] PVS add. *sive attendit,* R *attendit* pro *addit,* quod B corr. [f] BRLF om. *a. i.* [g] LF om. [h] V om. [i] PVS om. *e. m.* [k] F om. *q. e.* [l] BRLF om. [m] L om. [n] B *ut.* [o] BRLF *disponit.* [p] L om. *v. m.* [q] L om. [r] P om. *o. o.* [s] L om. *sed Deus... disponit.* [t] VL *in.* [u] BR om. *e. s.* [v] V *duplex.* [x] BR *esse,* S *ipso,* BF *fiant* pro *fiat.* [y] P add. *ut quod iniuste et inordinate egerunt in peccatis, iuste Deus ordinavit in penis.* [z] V om.

1 Cf. Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.,* I, p. 2, c. 20 et Pseudo-Hugo, *Summa,* tr. 1, c. 12 (PL 176, 213, 64).
2 Augustin., *Super Gen. ad litt.,* IV, c. 3 (PL 34, 299).
3 Loc. cit.
4 Cap. 24, n. 37 (PL 34, 296).
5 Cap. 11 (PL 32, 236).
6 Psalm. 24, 10.
7 Lib. I, c. 1 (PL 32, 1222).
8 Cf. Hugo de S. Vict., loc. cit.
9 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt. lib. imperf.,* c. 5, n. 25 (PL 34, 229 sq.).

dicitur Deus disponere malum culpae, quia non excogitat illud facere, sed malum poenae [a] utroque modo disponit Deus.

[Ad obiecta]: 1-2. Et per hoc patet solutio ad illud quod obicit de malo culpae.

3. Ad illud [b] quod obicitur de malo poenae quod 'non est ex misericordia': dicendum quod etiam illud disponitur in misericordia. Sed duplex est effectus misericordiae: liberare et relaxare. Poena damnatorum disponitur in misericordia [c] quantum ad effectum relaxationis, non liberationis [1].

191

CAPUT IV.

QUOMODO SIT DISPOSITIO.

Ad quartum, quomodo sit dispositio, utrum temporalis vel aeterna,

Proceditur sic: 1. Sap. 8,1: *Disponit omnia suaviter;* ista suavis dispositio non videtur esse rerum nisi postquam factae sunt; sed factio creaturarum temporalis est; ergo et dispositio est temporalis, non aeterna.

2. Item, dispositio aut est facti, et sic idem quod prius, aut est fiendi; sed fiendum est temporale; ergo dispositio temporalis est, non aeterna, quia dicitur ad temporale.

3. Item, tria sunt opera prima, scilicet [d] creationis, distinctionis et dispositionis sive ornatus. Opus autem creationis primo narratur, deinde opus distinctionis, tertio opus dispositionis [2]; sed creatio et distinctio solum ex tempore dicuntur et non ab aeterno; ergo similiter dispositio.

4. Item, Sap. 7,17: *Dedit mihi Deus [e] scientiam veram [f] ut sciam dispositionem orbis terrarum.* Constat autem quod dispositio orbis terrarum est dispositio Dei; dispositio autem terrarum est temporalis; ergo et dispositio divina.

5. Item, Augustinus, in libro *De civitate Dei* [3]: «Ordo est parium dispariumque sua cuique tribuens loca dispositio»; sed tribuere sua cuique loca est ex tempore [g]; ergo et dispositio.

Contra: *a.* Augustinus, *Super Genesim* [4]: «*Omnia in numero* etc. nihil aliud intelligitur nisi quia omnia in te disposuisti»; sed haec dispositio, quae est in Deo, non est temporalis, sed illa quae est in creatura; ergo dispositio Dei est aeterna.

Respondeo: Dispositio Dei dicitur multipliciter: uno modo dispositio Dei dicitur dispositio quae est a Deo, alio modo dispositio quae est in Deo, sicut dicitur dispositio disponentis et dispositio dispositi. De dispositione Dei quae est a Deo, dicitur illud Sap. 7,17: *Dispositionem orbis terrarum,* etc. Dispositio Dei disponentis adhuc dicitur multipliciter: potest enim considerari fieri rei ut faciendum est et ut est in fieri et ut iam factum est. Similiter dispositio quandoque respicit fieri rei ut in futuro est, et sic potest accipi illud Sap. 11,21: *Omnia in numero, pondere et mensura disposuisti* etc.; sic dicitur dispositio rei ante fieri. Alio modo dicitur dispositio rei cum ipso fieri [h], et sic dicitur tantum opus primae conditionis, quia illa tria concurrunt ad fieri. Tertio modo dicitur dispositio rei, ut iam facta est [i], et sic dicitur Sap. 8,1: *Disponit omnia suaviter;* sed huiusmodi dispositio sequitur fieri rei ad esse, tamen dicitur respectu fieri in esse, sicut dictum est [5]. Sic ergo dicitur dispositio tripliciter. Dispositio primo modo est aeterna, secundo modo et tertio temporalis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur primo per illud Sap. 8,1: *Disponit omnia suaviter:* dicendum quod intelligitur de dispositione quae est rei secundum quod est in facto esse, et tamen tunc est quoddam fieri: et de illa bene conceditur quod sit temporalis, non aeterna.

2. Item, ad aliud quod obicitur [k] quod 'dispositio est fiendi': dicendum quod dispositio quandoque [l] respicit fiendum. Sed notandum quod quandoque connotatur [m] temporale intemporaliter: ut cum dicitur praescientia et praedestinatio; quandoque [n] temporale temporaliter: ut cum dicitur creator, dominator. In illis ergo ubi connotatur [o] temporale intemporaliter, non sequitur: 'dicitur ad [p] temporale, ergo est [q] temporale'.

3. Ad illud de tertio opere, quod dicitur dispositio: dicendum quod verum est, sed illa est dispositio quae concomitatur [r] ipsum fieri; et similiter de illa conceditur quod sit temporalis. Et si quaeritur differentia horum trium 'creatio, distinctio, dispositio', dicendum: esse rei aut consideratur secundum se aut in comparatione. Si absolute: sic dicitur ens, et creatio secundum hoc

---

[a] P om. [b] SBRLF om. [c] S om. *i. m.* [d] BRLF *opus.* [e] BRLF om. [f] PV om., in S est add. mg. [g] L *temporale* pro *e. t.* [h] V om. *Alio... fieri.* [i] L om. [k] PVS *dicitur*, BR om. *Item.* [l] LF om. *d. q. d. q.* [m] PVS *dicitur.* [n] L add. interl. *connotatur.* [o] PVS *notatur.* [p] F *aliquid.* [q] R add. *ad*, quod B delev. [r] BR *comitatur.*

[1] Cf. supra, p. 221b, *ad 3.*
[2] Cf. Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 29 (PL 176, 204).
[3] Lib. XIX, c. 13 (PL 41, 640).
[4] Lib. IV, c. 3, n. 7 (PL 34, 299).
[5] Cf. p. 277, *ad 2.*

est eius. Item, si consideratur in comparatione: aut hoc erit secundum differentiam, et sic distinctio; aut secundum convenientiam [a], et sic ordo vel dispositio. Et secundum hoc dicit Augustinus [1] quod non est nisi triplex quaestio, cum quaeritur veritas: an sit res, et haec est naturalis; quid sit, et haec est rationalis; an ordinata sit, et haec est moralis.

CAPUT V.

SECUNDUM QUID SIT DISPOSITIO.

Ad quintum secundum quid sit dispositio, proceditur sic:

Sap. 11,21, per illud quod ibi dicitur [b] videtur esse dispositio secundum numerum, pondus et mensuram. Et secundum hoc quaeruntur tria [2]:

Primo, utrum numerus, pondus et mensura sint quid creatum vel increatum;

secundo, utrum res spirituales sint creatae numero, pondere et mensura, an tantum corporales;

tertio, quid sint haec tria, utrum substantia vel accidens.

ARTICULUS I. 192

Utrum numerus, pondus et mensura sint quid creatum vel increatum.

Ad primum sic: 1. Augustinus, *Super Genesim* [3]: « Si in illis disposuit omnia [c] facere, illa ergo ubi disposita? Si in aliis, quomodo in ipsis omnia, quando ipsa in aliis? » Non est igitur [d] dubitandum illa esse extra omnia, quibus omnia disposita sunt; ergo sunt increata.

2. Item, Augustinus [4]: « Iste Primus veraciter omnia [e] est qui terminat omnia, format omnia, ordinat omnia; secundum id quod mensura est, omni rei modum praebet; secundum quod numerus, omni rei speciem praebet; secundum quod pondus, omnem rem ad quietem et stabilitatem trahit ». Nam mensura, qua Deus disponit omnia, non potest dici nisi [f] mensura qua omnia mensurantur: similiter de numero et pondere; sed constat quod illud quo omnia terminantur, quo omnia formantur, quo omnia moventur ad suam inclinationem vel terminum, est Deus; ergo Deus est numerus, mensura et pondus.

Contra: *a.* Augustinus, *Super Genesim*, IV [5]: « Fateamur ita dictum esse *omnia in* [g] *numero* etc. tamquam dictum esset: ita disposita ut habeant proprias mensuras, proprios numeros, propria pondera ». Ergo creatum quid sunt.

b. Item, Glossa super 11,21 Sap. [6]: « In mensura quantitas, in numero qualitas, in pondere ratio: in iis Deus omnia constituit »; sed qualitas [et] quantitas sunt creata; ergo numerus, mensura et pondus sunt creata.

Respondeo: Cum dicitur *omnia in numero, pondere et mensura* etc., haec praepositio 'in' dicit causam formalem; causa autem formalis dicitur dupliciter: causa formalis exemplaris vel causa formalis exemplata. Si ergo haec praepositio 'in' dicat causam formalem exemplarem, numerus, pondus et mensura dicunt quid increatum, secundum quod dicit Augustinus [7] quod Deus dicitur mensura terminans omnia, numerus formans omnia, pondus ordinans omnia; sed si haec praepositio 'in' dicat causam formalem exemplatam, sic pondus, numerus, mensura dicunt creatum, secundum quod dicit Augustinus [8] « ut habeant proprias mensuras » etc.

ARTICULUS II. 193

Utrum res spirituales sint creatae in numero, pondere et mensura [9].

Ad secundum, utrum res spirituales sint creatae in [h] numero, pondere et mensura,

Proceditur sic: 1. In illis non est pondus nec mensura, quae non habent quantitatem nec molem;

---

[a] PVS *disconvenientiam*. [b] P om. [c] F *contra*. [d] BR om. [e] F om., PV *omnium*, quod S corr. [f] V om. [g] BR om. [h] BRLF om.

1 *Confess.*, X, c. 10 (PL 32, 786).
2 De his tribus cf. supra, p. 173 sqq., num. 111-115.
3 Lib. IV, c. 4, n. 10 (PL 34, 300).
4 Loc. cit., c. 3 (PL 34, 299), ordine inverso.
5 Cap. 5, n. 12 (PL 34, 300).
6 Rabani, in h. l. (PL 109, 723), ex Pseudo-Augustino, *Hypognosticon*, VI, c. 4, n. 6 (PL 45, 1660).
7 Cf. supra, n. 2.
8 Cf. supra, litt. *a*.
9 Cf. supra, p. 179 sq., num. 114.

in spiritualibus creaturis non est quantitas neque moles; ergo nec pondus nec mensura.

Contra: *a.* Augustinus[1]: « In anima est mensura aliquid agendi ne sit immoderata transgressio; et est numerus et affectionum et virtutum, quo a stultitiae deformitate ad sapientiae formam decusque colligitur; et est pondus voluntatis et amoris, ubi apparet quanti quidque in appetendo et fugiendo ponderatur ».

Respondeo: Sicut quantitas dicitur dupliciter, sic et mensura: est enim quantitas molis et quantitas virtutis, sicut dicit Augustinus, in libro *De quantitate animae*[2]. In corporibus ergo est quantitas molis, in spiritibus quantitas virtutis: determinatum est enim quantum se possit extendere in actionibus; similiter est mensura molis et virtutis. Dicendum ergo quod mensura molis est in corporibus, mensura virtutis in spiritibus [a]. Item similiter, pondus dicitur dupliciter: pondus molis et pondus virtutis. Unde Augustinus, VI *De Trinitate*[3]: « Pondera collocationes corporum sunt [b] [atque] amores et delectationes animarum ». Amor ergo pondus est spirituale et virtuale.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet solutio ad obiecta.

194 ARTICULUS III.

An numerus, pondus et mensura sint substantia vel accidens.

Ad tertium, scilicet quid sint numerus, pondus et mensura, proceditur sic, et quaeritur utrum sint substantia vel accidens.

Et videtur quod accidens: 1. Glossa Sap. 11,21[4]: « In mensura quantitas, in numero qualitas ». Ergo [c] etc.

Contra: *a.* Videtur quod substantia. Accidens enim non potest dici forma substantiae: substantia enim de natura sua habet formam qua terminatur [d], habet formam qua distinguitur, habet formam qua inclinatur vel movetur. Sed illud quo res terminatur, est mensura; quo distinguitur, numerus; quo inclinatur vel movetur, pondus. Ergo haec tria sunt substantialia ipsi rei sicut forma. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: *a.* Ad illud quod obicitur habita est responsio supra [e], Quaestione de bonitate[5]. Tamen advertendum est quod aliquando aliquibus visum est quod mensura rei nihil aliud intelligitur quam forma [f] rei mensurans, terminans et limitans ipsam rem; similiter ipsa forma est numerus, in quantum distinguit [g] a re alia; ipsa etiam dicitur pondus: per ipsam [h] enim est inclinatio ad operationes.

1. Ad illud [i] quod obicitur 'quod mensura est quantitas, numerus qualitas, pondus ratio': dicendum quod quidam[6] volebant haec distinguere, scilicet mensuram, numerum et pondus, ut sumerentur secundum quod [k] est rem considerare in fieri; unitas, veritas, bonitas secundum quod est ipsam considerare in facto esse; modus, species et ordo, secundum quod res consideratur in bene esse suo. Voluerunt ergo dicere quia sicut in esse rei est materia, forma, compositum, et hoc [l] de esse substantiae, post consequenter accidentia, et quaedam intra substantiam, ut quantitas, qualitas, relatio, alia extra substantiam, ut alia sex praedicamenta: voluerunt ergo haec tria, numerum, pondus et mensuram, ponere ut consequentia substantiam, ut numerus acciperetur iuxta qualitatem, mensura iuxta quantitatem, pondus iuxta rationem vel relationem; et volebant dicere quod quantitas sequitur substantiam ratione materiae, numerus ratione formae, ratio vel relatio ratione comparationis, quia ratio vel relatio semper dicit in comparatione. — Distinguuntur autem haec tria melius, quia forma aut consideratur in esse absoluto: et sic dicitur mensura dans esse rei et limitans ipsam; aut consideratur in comparatione, et hoc dupliciter: per differentiam, et sic dicitur numerus dans esse distinctum ipsi rei; vel secundum convenientiam, et sic dicitur pondus sive ordo.

---

[a] P add. marg.: *Unde Augustinus, in libro De [videndo] Deo: Propter hoc Deus invisibilis est, ne, si forte videretur, homo esse crederetur.* G [b] BR om. [c] Ita BR, alii om. [d] L *determinatur*, S *que* pro *qua*. [e] V add. *in*. [f] PVS *formam*, F om. *nihil aliud... rei*. [g] B add. interl. *rem*. [h] R *ipsum*. [i] BRLF om. *A. i*. [k] V om. [l] LF *hec*.

1 *De Gen. ad litt.*, IV, c. 4 (PL 34, 299).
2 Cap. 3 (PL 32, 1037).
3 Cap. 10, n. 12 (PL 42, 932).
4 Cf. supra, p. 279, nota 6.
5 Cf. pag. 174 sqq., num. 112.
6 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 9, q. 2 (f. 62 sqq.).

QUAESTIO III.

DE SCIENTIA DEI RELATE AD REGENDA.

TITULUS I.

DE PROVIDENTIA DIVINA.

Consequens est inquirere de divina providentia. Est autem inquisitionis hic modus: Quia fuerunt qui negaverunt providentiam esse, primo ostendendum est quod providentia sit;

secundo, quid sit;

tertio, quomodo sit;

quarto, quorum sit;

quinto, per quid sit [1];

sexto, quaerendum esset quis eius effectus, sed haec quaestio coincidit in Tractatu de praedestinatione et reprobatione et voluntate et ideo ibi determinabitur [2];

ultimo vero [a] quaeretur de fato.

CAPUT I. 195

AN SIT PROVIDENTIA.

Ad primum sic: *a.* Sap. 14,3: *Tu autem, Pater, gubernas omnia providentia.* Ergo providentia est apud Patrem.

b. Item, Gen. 22,8: *Dominus providebit sibi victimam holocausti* etc.

c. Item, Ioannes Damascenus [3]: « Necesse est eumdem esse factorem eorum quae sunt et provisorem: neque enim decens neque consequens est alium esse factorem, alium provisorem, quia si hoc esset, in [b] imbecillitate essent utrique [c], hic faciendi, ille providendi; Deus igitur est factor et provisor ». Ex [d] hoc potest elici ratio.

d. Item, Damascenus, ibidem ad idem « Homines et irrationabilia provident propriis filiis naturaliter, et qui non providet, exprobratur ». Si igitur opprobrium est non providere ei qui est ab ipso et bonitatis est providere, ergo providentia est [e] in Deo, quia bonus est et non potest ei opprobrium obici.

e. Item, Eccle. 5,5: *Ne dicas coram angelo: non est providentia, ne forte Deus iratus super sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Ex quo patet quod divina providentia est.

f. Item, hoc patet ex ratione: quoniam videmus res istas in universo habere ordinem, sicut elementa et quae sunt super elementa; quod ergo sic ordinate currunt, non posset esse nisi esset aliquid nobilius illis, quia non a se ipsis hoc habent. Similiter videmus de creaturis spiritualibus: quoniam videmus ordinatos motus [f] angelorum; ergo aliquid est super illos nobilius illis [g]. Haec ergo ordinatio eorum quae sunt in universo et motuum rerum ostendit aliquid nobilius omni creatura, cuius est ordinare illas, cum a se ipsis non habeant illam ordinationem [h].

g. Item, sapientis non est facere domum nisi et ipsam factam conservet [4]; ergo et summe [i] sapientis Artificis erit non tantum producere universum, sed et productum gubernare: quod quidem est providere.

h. Item, Ioan. 5,17: *Pater meus usque modo operatur et ego operor;* constat [k] quod intelligit de illa gubernatione quae nunquam deficit.

Ex iis ergo patet divinam providentiam esse in rerum universitate.

Contra: 1. Damascenus [5]: « Necesse est omnia, quae providentia fiunt, secundum rectam

---

[a] BRLF om. [b] F om. [c] P *utraque*, V *utrumque*. [d] BR *et*. [e] S om. [f] F *metus*. [g] L om. [h] P add. mag.: *Unde Ieronimus: Que virtus si omnino non staret, simul omnium rerum species et natura concideret; unde in Thimeo Platonis: Dii deorum, quorum ego opifex etc., omnia secundum naturam dissolubilia, voluntate autem mea indissolubilia: voluntas enim mea maior est nexus. G.* [i] F *me* pro *e. s.* [k] L om.

1 Insuper agitur etiam *de modis providentiae* (p. 298, num. 207), et *de fide providentiae* (p. 303, num. 210-211).

2 Plenius scilicet, cum hic etiam aliqua determinentur; cf. infra, p. 301 sqq., num. 208-209.

3 *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 963), ubi et sequens; cf. Nemes., *De nat. hom.*, c. 43 (PG 40, 791).

4 Cf. Ambros., *De offic.*, I, c. 13, n. 48 (PL 16, 38).

5 Loc. cit.

rationem et optima et Deo decentissima fieri et ut non est[a] melius fieri »; sed ea quae sunt in mundo confusa sunt: quod enim inferius est dignitate, superius est loco et e converso. Unde Eccle. 10,5: *Vidi quasi malum sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis, stultum positum in dignitate sublimi et divites sedere deorsum* — et dicuntur ibi divites moribus, secundum quod dicitur Isai. 33,6: *Divitiae salutis sapientia et scientia* — item, in Eccle.[1], post illud: *Vidi servos in equis et principes ambulantes quasi servos super terram* etc. Si[b] ergo stultitia est in superiori loco, divitiae sapientiae et scientiae in inferiori — et haec est confusio et inordinatio, quoniam e contrario erit post iudicium, quando ordinabuntur et meliorabuntur res — ergo non est providentia eorum quae sunt in mundo; et constat quod si esset, illorum esset; ergo providentia divina non est.

2. Ad idem facit illud[c] quod habetur Prov. 30,21-23: *Per tria movetur terra, et quartum quod non potest sustinere: per servum cum regnaverit, per stultum cum saturatus fuerit, per odiosam mulierem cum in matrimonio fuerit assumpta*[d] *et per ancillam cum heres fuerit dominae suae.* Hoc autem est quia inordinatum est quod est in terra; ergo eorum quae sunt in mundo non est providentia.

3. Item, si esset providentia eorum quae sunt in mundo, ergo bonis bona redderentur et malis mala; sed non est ita, immo malis quibusdam redduntur bona et bonis mala. Unde exclamat Propheta Ierem. 12,1: *Quare via impiorum*[e] *prosperatur? bene est omnibus qui praevaricantur et inique agunt.* Et similiter Habac. exclamat[2]: *Quare non respicis super inique agentes, et taces, devorante impio iustiorem se*[f]? Et constat quod haec omnia sunt inordinationes. Ex iis[g] ergo patet quod non est divina providentia eorum quae sunt in mundo.

4. Praeterea, cum Deus sit pronior ad miserendum quam ad condemnandum, si esset providentia, non tot crearentur mali. Nam ponatur quod aliquis debeat providere domui suae, non esset bona providentia, si plures haberet in carcere et paucos in[h] quibus confideret in domo, ex quo posset habere plures; sed maior pars mundi tenet illos qui sunt deputati carceri divino, quia minima est pars electorum eorum qui sunt in mundo; ergo non est providentia eorum.

5. Item, cum Deus suam imaginem, quae tam pretiosa est, in malis impressit sicut in bonis, nullatenus, si provideret, vellet aut permitteret suam imaginem in tot deturpari et in paucis reformari.

Respondeo, secundum Boethium, qui eamdem movet quaestionem, in libro *De consolatione,* dicens[3]: « Quae vero, inquies[i], potest esse ulla iniquior confusio quam ut bonis tum[k] adversa tum[l] prospera, malis etiam tum optata tum odiosa contingant? » Et dicit ad hoc, ponens simile: « Non dissimile est miraculum nescienti cur sanis[m], iis quaedam dulcia, illis vero amara communicant, cur aegri quidam etiam lenibus[n] medicinis, quidam vero acribus curantur. At hoc[o] medicus, qui sanitatis ipsius atque aegritudinis modum temperamentumque dignoscit, minime miratur. Quid vero aliud animarum[p] salus videtur esse quam probitas? quid aegritudo quam vitia? quis autem alius est vel servator[q] bonorum vel malorum dispulsor quam rector atque medicator[r] mentium Deus? qui cum ex alta providentiae specula respicit, quid unicuique conveniat agnoscit, et quod convenire agnovit[s], accommodat ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo quod obicitur de Eccle. in contrarium: dicendum quod, licet ea quae sunt in mundo, illo modo in se ipsis considerata videantur esse inordinata in mundo, respectu tamen ipsius providentiae sunt bene ordinata; unde respectu ipsius non est ibi confusio nec inordinatio. Et ponit Augustinus[4] exemplum: sicut quando est[t] collisio nubium, videtur esse ibi quaedam confusio in ipsis vaporibus, quia quod terrestre est videtur superius et quod est igneum inferius; nihilominus haec quae videtur[u] esse confusio est recta ordinatio secundum considerationem ipsius universi; unde respectu ipsius ordinatum est et ipsi ordini universitatis congruit. Similiter quando pluit in aliqua parte mundi, licet noceat illi parti et sit forte ad malum ipsius, tamen secundum ordinationem universi prodest: unde non est hoc malum ipsi universo, licet illi parti videatur esse malum, quia nocet illi et non ipsi universo[5]. Eodem[v] modo dicimus quod in hoc mundo ita fit quod mali sursum sint[x] dignitate et stulti, sapientes inferius, licet non sit in se bene ordinatum, tamen respectu divinae providentiae est ordinatum, quae semper ordinat ad bonum, sive ut eliciatur[y]

---

[a] B om. [b] PS *sic.* [c] V *Ad idem facit idem,* L *Item ad illud facit illud* pro *A. i. f. i.*; V *obicitur* pro *habetur.* [d] BRLF om., in V est add. interl. [e] L *eorum.* [f] BLF om. [g] R *hoc.* [h] PVS om., L om. *in carcere.* [i] P *inquiens.* [k] PS *tamen*; R om. *ut,* in B est add. interl. [l] P hic et deinceps *tam.* [m] F add. *in.* [n] Ita VF, alii *levibus*; codd. *cum* pro *cur.* [o] R *ac hic* pro *a. h.*; B *acrioribus* pro *acribus.* [p] L *anima.* [q] R *salvator.* [r] P *mediator,* quod V corr. [s] B *agnoscit.* [t] B om. [u] V *videntur.* [v] V *eo.* [x] P *sunt.* [y] LF *eliciat,* BR om. *sic.*

1 Cap. 10, 7.
2 Cap. 1, 13.
3 Lib. IV, pr. 6 (PL 63, 817 sq.).
4 Cf. *De Gen. ad litt.,* III, c. 10 et V, c. 21 (PL 34, 285, 336); *Enarr. in Psalm. 148,* nn. 9-12 (PL 37, 1943 sqq.).
5 Cf. Augustin., *Enarr. in Psalm. 148,* n. 10 (PL 37, 1944).

sic bonum, sive sint[a] bona sive mala. Unde quod mali sint sursum, istud prodest[b] bonis qui sunt deorsum; item potest prodesse illis, scilicet malis. Hoc autem facit totum providentia quae sic ordinat; unde semper respectu divinae providentiae bene ordinata sunt et non confusa.

2. Ad secundum de Prov. similis[c] est responsio; unde Psalm.[1]: *Et in eo paravit vasa mortis,* Glossa[2]: « Hoc autem divinae dispositioni tribuitur, non quia ipsa peccatores faciat, sed quia ipsa de malis eorum ordinat, cum peccaverint ». Et sic respectu divinae providentiae sunt omnia bene ordinata, quia secundum ipsam ordinantur sic, licet videantur aliquando[d] hominibus confusa. Unde Psalm.[3]: *Avertit faciem suam, ne videat in finem,* dicit[e] Glossa[4]: « Terra finis est et ultimum elementum, in quo nil agitur sine ordine, sed homines eum non vident, quia pertinet[f] ad *occulta*[5] Filii » vel consilii.

3. Ad illud ergo quod quaeritur[g] ' si est providentia, quare bonis redduntur mala ': dicendum quod hoc est a divina providentia quae sic ordinat. Quod enim bonis veniunt mala poenae, hoc est ad probationem illorum et ad meritum ipsorum. Unde Tob. 12,13 dicitur: *Quia acceptus eras Deo*[h], *necesse fuit ut tentatio probaret te;* unde ex hoc elicitur maius bonum. Et hoc est[i] quod dicit Boethius[6]: « Est alius[k] cunctis virtutibus absolutus, sanctus ac[l] Deo proximus; hunc contingi[m] quibuslibet adversis nefas esse providentia iudicat, adeo ut nec corporeis quidem morbis sinat agitari ». Et post dicit[7]: « Alios duris agitari patitur, ut virtutes animi[n] patientiae usu atque exercitatione confirment ». Sed alius est cui Deus nunquam infert mala sive adversitates; et reddit rationem Boethius, dicens[8]: « Si sit aliquis ita bene morigeratus ut de eo divinum iudicium pariterque humanum consentiat, sed est animi viribus infirmus, cui si quid adveniat adversi, desinet colere forsitan innocentiam[o], per quam non potuit retinere fortunam[p]: parcit itaque sapiens dispensator ei quem deteriorem facere possit adversitas, nec cui[q] non convenit, laborare patitur ». Et sic illud est divinae providentiae.

Ad illud autem quod exclamat Propheta Ierem.: ' *Quare mali prosperantur?*[a] ': dicendum quod hoc[b] est ab ordine providentiae quae bonum intendit; ex hoc aliquando enim contigit quod dat eis[c] prospera, ut per haec revocentur a malo suo: quia considerant beneficium Dei revocantur citius, et hoc est magnum bonum; unde ad hoc[d] bonum ordinat, quod ipsis dat aliquando prospera. Et hoc est, quod dicit Boethius[9]: « Credo quod est forsitan alicuius tam[e] praeceps atque importuna natura ut eum[f] in scelera potius exacerbare[g] possit rei familiaris inopia: huiusmodi morbo providentia collatae pecuniae remedio medetur. Hic foedatam probris conscientiam spectans et se cum fortuna sua comparans, forsitan pertimescit ne eius[h] rei, cuius usus iucundus est, sit tristis amissio. Mutabit igitur mores, ac dum fortunam metuit amittere, nequitiam derelinquit ». — Item, ponatur quod permaneat adhuc in suo malo cum illis prosperitatibus[i]: adhuc Dominus ponit ibi finem et ordinat de illis, quia aliquando contingit quod haec bona, quae proveniunt ipsis malis et quae acquirunt per suum laborem, aliquando postea utuntur illis boni et redeunt ad usus[k] et profectum bonorum. Et hoc est quod dicitur Iob 27,16-17, ubi loquitur de impio: *Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum praeparaverit vestimenta, praeparabit*[l] *quidem, sed iustus vestietur illis et argentum innocens dividet.*

Similiter, ad illud Habac.: *Quare impius devorat* et subicit[m] *iustiorem se?* dicimus quod hoc est ab ordinatione[n] divinae providentiae, quae hoc totum ordinat ad magnum bonum. Et hoc[o] dicit Boethius[10]: « Quibusdam permissum est puniendi ius, ut exercitii[p] bonis, et malis esset causa supplicii[q] »; et sic Dominus non sinit[r] hoc esse inordinatum, immo ordinat hoc vel ad[s] exercitium bonorum in bono vel ad supplicium malorum. — Item, nota: similiter dicit Boethius quod aliquando est ita quod Dominus permittit inter malos iurgia et discordias, et hoc totum ordinat ipsa Dei providentia, quia aliquando ex hoc elicit magnum bonum, scilicet conversionem malorum. Unde dicit: « Nam ut probis atque improbis nullum foedus est, ita ipsi inter se improbi

---

[a] BR om. [b] L om. [c] F *illius.* [d] V *aliqua.* [e] V om. [f] PS *pertinent;* codd. *qui* pro *quia.* [g] F *sequitur.* [h] BRLF *Domino.* [i] L om. [k] S *aliud.* [l] SLF *a.* [m] L *contingit.* [n] BR *anime.* [o] I. *innominium.* [p] F om. *innocentiam... fortunam.* [q] V *cor.* [a] P add. marg. *et florent in hoc mundo,* LF *malis prosperantur,* B *malis prosperatur.* [b] L *hic.* [c] R *ei,* quod B corr. [d] Ita BR, alii add. *quod.* [e] VLF *causa,* BR om. *est.* [f] P *est.* [g] S *acerbare.* [h] VL *huius.* [i] R *perspicacibus,* quod B corr. [k] L *usum.* [l] PSBR *preparabis.* [m] P add. *inferiorem.* [n] BRLF *ordine,* BR om. *divinae.* [o] B add. *est quod.* [p] Ita BR, alii *exercitiis;* BR *esse* pro *esset.* [q] P add. marg.: *Vexatio enim dat intellectum auditui. G.* [r] R *scivit.* [s] BRLF add. *bonum.*

1 Psalm. 7, 14.
2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 118), ex Augustino, in h. l. (PL 36, 106).
3 Psalm. 10, 11.
4 Lombardi, in Psalm. 9, n. 34 (PL 191, 142), ex Augustino, in h. l., n. 29 (PL 36, 128).
5 Cf. Psalm. 50, 8.
6 *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 818).
7 Loc. cit. (PL 63, 819).
8 Loc. cit. (PL 63, 818).
9 Loc. cit. (PL 63, 819).
10 Loc. cit., ubi et sequens.

nequeunt convenire. Quid mirum? cum a semetipsis discerpentibus conscientiam vitiis quique dissentiant [a], faciantque saepe quae congesserint, non fuisse gerenda decernant [b]? Ex quo saepe illa summa providentia protulit insigne miraculum, ut malos mali bonos facerent: nam dum iniqua sibi a pessimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes [c] ad virtutis frugem rediere [d], dum se eis dissimiles student [e] esse quos oderant [f] ».

4. Ad illud quod obicitur de multitudine [g] reproborum et [h] paucitate electorum: dicimus quod non omnes sunt electi nec omnes sunt reprobi, et hoc secundum ordinem providentiae determinatur; unde ordinatio est et non confusio. Et ratio huius habetur Rom. 9,21: *Deus sustinuit vasa quaedam in honorem* etc. Dicit Glossa Augustini[1]: « Bene dispensavit Dominus, ut nec omnes damnaret nec omnes liberaret: si enim omnes liberarentur, lateret quid pro peccato per iustitiam deberetur; si vero nulli liberarentur, lateret quid gratia largiretur, quia proculdubio, quantum pertinet ad originale peccatum, omnes pares erant, sed misericordia quos voluit discrevit [i] » liberandos [2].

Sed iterum est quaestio quare Dei providentia sunt reprobi aliqui [k]; item quare plures quam electi.

Respondeo: Ad primum dicendum quod Apostolus hoc ostendit, II Tim. 2,20, per quamdam similitudinem dicens: *In magna domo non solum sunt [l] vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia:* per *vasa aurea et argentea* boni significantur, per *lignea et fictilia* mali; et « sicut *vasa lignea et fictilia* valent ut purgentur *aurea et argentea*, sic mali prosunt ad profectum bonorum [3] ». Et dicit Psalm.[4]: *Dum superbit impius, incenditur pauper;* Glossa[5] dicit ibi quod « ex iis patet vel liquet quod mire providentia Dei de malis operatur. Comparatione namque peccantium boni magno studio bonae spei accenduntur [m] ad recte vivendum ». Et sic expedit ipsis bonis quod mali sunt et est ad bonum eorum.

Ad secundum quod quaeritur quare [n] plures sint mali quam boni: dicimus quod hoc non est a Deo quod plures sint mali quam boni in universo, immo a libertate liberi arbitrii, deficiente scilicet, quia liberum arbitrium de [a] se sufficiens est ad cadendum, sed non ad proficiendum [b] sine gratia: nam ex ipsa corruptione originalis culpae trahitur ad cadendum, et ita de se habet homo quod cadat per peccatum, sed non quod proficiat sine gratia Dei miserente [c]; et ideo maior est multitudo malorum quam bonorum, quia de se habent quod sint mali, non solum de se quod sint boni vel electi. Et hoc est quod Augustinus dicit. Super illum locum Rom. 9,21: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere quidem aliud vas in honorem?* etc., dicit Augustinus[6]: « Deus, cum omnes [d] ex una eademque massa simus in substantia et cuncti peccatores, alii miseretur ex misericordia et alterum despicit non sine iustitia. In figulo enim sola voluntas est, in Deo autem voluntas cum iustitia. Sicut igitur vas, quod fit non in honorem, si vile est, ex se luto habet, non ex figulo: sic tota massa humani generis non ex Deo, sed [e] suo vitio iuste corrupta et lutosa est. Ideoque si [f] inde vas fit in honorem, misericordia est; si in contumeliam, iustum est, quia hoc erat ex materia: tota enim nostra natura, in radice ipsa vitiata, divino iudicio debitae damnationi est subiecta [g], et merito peccati universa damnata est ».

Ad exemplum supra[7] positum: dicendum [h] quod aliud est de ordine iustitiae, aliud de ordine misericordiae. Si enim aliquis homo plures haberet in sua [i] potestate, qui ab ipso recederent ex [k] sua propria perversitate et non ex [l] perversitate domini, et adhaererent adversario ipsius, numquid iustum esset quod illos incarceraret, etsi tamen ex [m] misericordia posset illos dimittere? Constat quod sic; sed si ex domini sui perversitate recederent, non esset iustum. Ita dicimus hic: quia quod [n] homines sint mali et recedentes a Deo, hoc est ex propria sua [o] perversitate et non ex Deo, ut dictum est; cum multiplicati sunt in [p] malitia sua et impietate[8], quod ipsa Dei providentia ordinet illorum impietates et ex illis eliciat

---

[a] Codd. *quisque dissentiat* pro *q. d.* [b] F *discernant.* [c] BR *flagrantis.* [d] R *redire*, B *diverse* pro *dum se.* [e] PV om., in S est add. mg. [f] P add. marg.: *Unde Gregorius: Mala quc hic nos premunt ad Deum nos ire compellunt.* [g] F *multiplicatione.* [h] L add. *a.* [i] Ita BR, alii *decrevit.* [k] P add. marg.: *Ut patet in duobus geminis Rebecce, ut dicit Augustinus in Enchiridion et in sermone de Iacob et Esau; ibi enim dicit: Cui vult miseretur Deus et quem vult indurat. G.* [l] BR om. [m] S *acceduntur.* [n] BRLF om. *q. q.* [a] L *per.* [b] R *perficiendum*, quod B corr. [c] B *miserante.* [d] L *crescens* pro *c. o.* [e] VBR add. *ex.* [f] PVS *quia*, F om. *inde.* [g] B *subdita.* [h] BR add. *est.* [i] F om. [k] V *et.* [l] L om. [m] BRLF *de.* [n] P add. *vel.* [o] BR *sui.* [p] S add. *malorum.*

[1] *Epist.* 194, n. 5 (PL 33, 875) usque ad *largiretur;* haec et sequentia ap. Lombard., in h. l. (PL 191, 1466).

[2] Continuatur haec solutio in col. sequenti.

[3] *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 114, 635), et Lombardi, in h. l. (PL 192, 372); cf. Augustin., *Sermo* 15, cc. 2 et 3 (PL 38, 116 sqq.); *De Baptismo*, (PL 43, 165).

[4] Psalm. 10, 2.

[5] *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 859), et Lombardi, in h. l. (PL 191, 138), ex Augustino, in h. l. (PL 36, 126).

[6] Rectius Ambros., in h. l. (PL 17, 138), usque ad *cum iustitia;* haec et sequentia in *Glossa* Lombardi, in h. l. (PL 191, 1465).

[7] Hic continuatur solutio quartae obiectionis.

[8] Cf. Psalm. 24, 19; 37, 20; 68, 5.

bonum. Et hoc est quod dicit Augustinus, in libro *De agone christiano*[1]: « Omnis creatura [a], velit nolit, uni Deo et Domino suo subiecta est ». Et post dicit: « Omnes providentiae divinae serviunt: sed alii obediunt tamquam filii et faciunt quod bonum est, alii vero ligantur tamquam servi et fit de illis quod iustum est [b]. Ita Deus omnipotens, Dominus universae creaturae, quae fecit, sicut scriptum est[2], *valde bona*, sic ea ordinat ut et de bonis et de malis bene faciat: quod enim iuste fit, bene fit; iuste autem sunt beati boni et iuste mali poenas patiuntur; ergo et de bonis et de malis bene facit Deus, quoniam omnia iuste facit; boni autem sunt qui tota virtute Deo serviunt vel voluntate [c], mali vero qui necessitate [d] serviunt ».

5. Ad ultimum dicendum quod ipsius providentiae non est nec ab ipsa est quod deturpetur ipsa imago Dei in malis hominibus, immo ab ipsis, quoniam a se est quod cadunt; sed ipsius providentiae est ordinare illud malum, et hoc etiam de ordine iustitiae, et ex [e] illo elicere bonum.

Sic igitur patet quod divina providentia est et quod « ordo ipsius cuncta complectitur »[3] nec ipsam aliqua evadunt.

CAPUT II. 196

QUID SIT PROVIDENTIA.

Ad secundum, scilicet quid sit divina providentia, proceditur sic:

I. Et videtur quod sit ipsa sapientia vel quod spectat ad sapientiam in Deo: *a.* Dicit enim Ioannes Damascenus, in cap. *De* [f] *providentia*[4], definiens ipsam, dicens quod « providentia est quae ex Deo ad existentia [g] fit cura »; sed cura, secundum quod sic est, est ipsius sapientiae disponentis; ergo providentia est ipsius sapientiae; ad ipsam igitur spectat.

b. Item, providere est videre; sed videre importat cognitionem; ergo providentia dicit cognitionem, quam etiam non minuit praepositio addita, sed auget; ergo si cognitio spectat vel pertinet ad sapientiam, relinquitur quod et providentia similiter.

c. Item, tria attribuuntur Deo [h], scilicet potentia, sapientia, bonitas vel voluntas. Potentia ei [i] attribuitur, in quantum ipse est causa efficiens; sapientia, in quantum est causa formalis exemplaris rerum[5]; voluntas vel bonitas determinatur ex parte finis. Si ergo secundum Boethium, *De consolatione*[6], providentia est forma — quia ponit comparationem inter providentiam et fatum, et dicit quod providentia est forma ex qua disponuntur res fiendae, sub iis verbis: « Manifestum est immobilem simplicemque gerendarum [k] formam rerum esse providentiam » — sed forma reducitur ad causam formalem, et haec est sapientia in Deo; ergo providentia reducitur ad sapientiam.

d. Item, Boethius[7]: « Ab aeterno cuncta prospiciens, providentiae cernit intuitus ». Ergo providentiae est cernere et intueri; sed istud est ipsius divinae sapientiae; ergo providentia est sapientiae.

II. Quod autem reducatur ad voluntatem, videtur [l]: *a.* Quoniam dicit Damascenus[8] quod « providentia est voluntas Dei, propter quam omnia quae sunt [m] convenientem deductionem suscipiunt ». Ergo reducitur ad ipsam voluntatem.

b. Item, Damascenus: « Factiva [n] eius virtus et contentiva et provisiva bona eius voluntas est ». Ergo provisiva virtus sive providentia ad voluntatem pertinet.

c. Item, Damascenus: « Solus Deus bonus est natura et sapiens. Ut igitur bonus providet: qui enim non providet, non est bonus ». Ergo ex parte bonitatis ipsius est providentia, sicut habetur Sap. 14,3; sed bonitas spectat ad voluntatem; ergo et providentia.

d. Item, gubernare est actus ipsius providentiae, sicut habetur Sap. 14,3: *Tu autem, Pater, gubernas omnia providentia;* sed gubernatio et conservatio est bonitatis divinae, quae conservatrix et gubernatrix est omnium; et ideo dicitur

---

[a] B *christiana*, L om. *uni.* [b] S om. [c] P *per voluntatem* pro *v. v.* [d] PV *vanitate*, quod S corr. in margine. [e] S *de.* [f] S *ut.* [g] PVS *existentium*, BRLF *existentiam*; P *curam* pro *cura.* [h] F om. [i] R *enim*, F *sapientia* pro *potentia.* [k] PF *generandorum*, SLF om. *formam.* [l] Ita P, alii om. [m] PVS *sunt que* pro *q. s.* [n] Ita LF, PVS add. *est*, quod R exp.; VBR om. *eius.*

1 Cap. 7 (PL 40, 294), ubi et sequens. 2 Gen. 1, 31.
3 Cf. Boeth., *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 820).
4 *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 963): « Πρόνοια τοίνυν ἐστὶν ἡ ἐκ θεοῦ εἰς τὰ ὄντα γινομένη ἐπιμέλεια »; cf. Nemes., *De nat. hom.*, c. 43 (PG 40, 791).
5 Cf. supra, p. 72 sqq., III.
6 Lib. IV, pr. 6 (PL 63, 816).
7 Loc. cit., V, pr. 2 (PL 63, 837).
8 *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 963), ubi et sequentes duo textus; cf. Nemes., *De nat. hom.*, (PG 40, 786).

Sap. 12,13 quod ipsi *est cura de omnibus;* haec autem cura nihil aliud est quam gubernatio omnium. Unde ad Heb. 1,3, super illud: *Portans omnia verbo virtutis suae,* dicit Glossa[1]: « Continens et gubernans omnia solo imperio potentiae et voluntatis suae, quae non minor apparet gubernando quam creando: omnia enim continet bonitate ». Ergo si ipsius providentiae est gubernare, continere, constat[a] quod ipsa pertinet ad ipsam bonitatem, et ita ad voluntatem cui appropriatur bonitas.

e. Item, Sap. 11,26: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* quasi diceret: nullo modo. Ex[b] hoc patet quod ipsius voluntatis est quod res conservantur et gubernantur et permanent; ergo providentia pertinet ad voluntatem.

III. Quod autem providentia pertineat ad potentiam, videtur: *a.* Quoniam ratio subsistendi res pertinet ad potentiam. Unde Heb. 1,3: *Portans omnia verbo* etc., Glossa[2]: « Creatoris omnipotentia causa est subsistendi omni creaturae »; sed providentia est causa subsistendi creaturis, sicut vult Boethius; ergo providentia reducitur ad potentiam. Dicit enim Boethius[3] quod « providentia est illa divina ratio in[c] summo omnium Principe constituta, quae cuncta disponit ». Unde est ratio et subsistendi[d] et permanendi res, et ita ad potestatem pertinet.

IV. Item, quaeritur utrum providentia sit dispositio[4]:

1. Boethius, IV *De consolatione*[5]: « Providentia est ipsa divina ratio, in summo omnium Principe constituta, quae cuncta[e] disponit ». Ergo providentia est dispositio.

Contra: *a.* 35 dist., I libri[6]: « Dispositio est de faciendis, providentia de gubernandis ».

Et respondetur quod dispositio dicitur dupliciter. Dispositio enim respicit fieri rei; sed est fieri rei ad esse rei, quod fit ad hoc ut res sit, et est fieri in esse rei[f], quod est in continuatione. Primo modo dicitur dispositio respectu fieri, Sap. 11,21: *Omnia disposuisti in numero, pondere et mensura.* Secundo modo dicitur dispositio respectu[g] fieri in esse, Sap. 8,1: *Disponit omnia suaviter;* sed continuatio ipsius esse nihil aliud videtur quam gubernatio[h] vel permanentia ipsius esse, quae est[i] providentia; ergo providentia est dispositio, ad minus secundum quod dicitur respectu fieri in esse.

V. Item, quaeritur utrum idem sit providentia quod fatum.

Et videtur quod sic: *a.* Boethius, IV *De consolatione*[7]: « Quidquid aliquo modo movetur, causas, ordinem, formas ex divinae mentis stabilitate sortitur: haec in suae simplicitatis arte composita[k] multiplicem gerendi modum statuit; qui modus, cum ipsa divinae intelligentiae puritate conspicitur, providentia nominatur; cum ad ea quae movet aut quae disponit refertur, fatum a veteribus appellatur ». Idem ergo est[l] modus qui dicitur providentia et fatum.

Contra: 1. Idem, in eodem: « Fatum est inhaerens mobilibus rebus dispositio, per quod providentia suis quaeque nectit ordinibus ». Vult dicere quod omnia connexa sunt et quod connexio causarum sit fatum; ergo fatum est dispositio in re mutabili; sed providentia est in ipsa re immutabili[m]; non ergo idem sunt fatum et providentia.

2. Item, idem[n] ibidem: « Ordo fatalis ex providentiae simplicitate procedit ». Ergo fatum est ex providentia; ergo non est providentia, quia « nec intellectus capit nec natura permittit[o] illum, qui de alio[p] est, esse illum de quo est », ut dicit Anselmus[8].

3. Item, idem ibidem[9]: « Providentia est forma rerum agendarum simpliciter et immutabiliter; fatum vero est eorum, quae divina simplicitas gerenda disposuit[q], mobilis nexus atque ordo temporalis ». Ergo providentia est aeterna et fatum temporale.

4. Item, Boethius: « Providentia immobilis, fatum mobile ». Ergo non sunt idem.

5. Item, Boethius: « Non quaecumque subiecta sunt providentiae, subiecta sunt fato, sed e converso quaecumque fato subiecta sunt, et providentiae subiecta sunt ». Ergo non sunt idem.

Solutio: I-II. Ad hoc intelligendum est quod providentia reducitur et spectat ad sapientiam et bonitatem secundum differentes rationes, et secundum hoc etiam[r] traduntur eius differentes definitiones sive descriptiones a Damasceno. Sicut

---

[a] S om. [b] R *et,* quod B corr. [c] F om. [d] BRL (corr.) F *existendi.* [e] BRLF om. [f] BRLF om. [g] L om. [h] BRLF add. *ergo,* F om. *vel.* [i] BR *vel* pro *q. e.* [k] R om. [l] F om. [m] F om. *sed... immutabili.* [n] F om. [o] LR *promittit.* [p] BR *aliquo.* [q] PVS *disponit.* [r] L om.

[1] Lombardi, in h. l. (PL 192, 406), ex Chrysost., *In Epist. ad Hebr.,* hom. 2, n. 3 (PG 63, 23).

[2] *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 644), et Lombardi, in h. l. (PL 192, 405), ex Augustino, *De Gen. ad litt.,* IV, c. 12, n. 22 (PL 34, 304).

[3] *De consol. philos.,* IV, pr. 6 (PL 63, 814).

[4] Cf. supra, p. 277b et 278b.

[5] Loc. cit.

[6] Lombard., I *Sent.,* d. 35, cc. 3 et 5 (p. 220sq.).

[7] Prosa 6, ubi et sequentia ex Boethio allata (PL 63, 814 sqq.).

[8] *De process. S. Spir.* (PL 158, 289).

[9] Boeth., loc. cit., ubi et sequentia (PL 63, 815sq.).

enim videmus quod scientia beneplaciti in Deo importat in se quod est scientiae et voluntatis — quia ratione notitiae importat quod est scientiae [a], ratione vero [b] placentiae vel approbationis importat quod est voluntatis et spectat ad voluntatem — ita dicimus de providentia, quoniam [c] in providentia duo sunt, scilicet videntia sive cognitio, quia providere est videre; item est ibi superadditum, scilicet causalitas: providentia enim dicit causalitatem quamdam ordinationis sive gubernationis [d] et regiminis. Ratione ergo videntiae [e] importat cognitionem vel scientiam; ratione autem eius quod superadditur ex praepositione, quae notat causalitatem gubernationis sive ordinationis, dicit bonam Dei voluntatem, quia ipsa est quae est gubernatrix rerum: et sic ratione primi pertinet ad sapientiam, ratione [f] secundi ad voluntatem; et ideo differenter definit eam Damascenus, cum dicit quod « providentia est cura » et cum dicit quod « providentia est bona voluntas Dei ». Et Hugo [1] dicit quod « providentia est qua Deus curat de omnibus quae fecit et nihil derelinquit ex omnibus quae pertinent ad ipsum et quae subiecta sunt ipsi, et [g] providet singulis ut habeant unumquodque quod sibi debetur et convenit ». Et ratione huius curae, quia cura [h] importat cognitionem et scientiam sive circumspectionem quamdam, spectat ad sapientiam; sed ratione superadditi, quod dicit causalitatem in ordinando vel gubernando, cum haec bonitas ordinis sit a summa voluntate, mota ab ipsa summa bonitate, hoc modo spectat ad voluntatem. Et propter hoc prima definitio datur magis secundum quod se trahit ex parte sapientiae, licet forte utrumque respiciat; secunda autem secundum quod respicit additum; et sic providentia providet et ordinat sive gubernat: hoc videre ad sapientiam pertinet, hic autem ordo et gubernatio est a summa bonitate et voluntate. Unde dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [2]: « Omnia quae sunt, in quantum sunt, bona sunt; summe enim [i] illud est bonum cuius participatione cetera sunt bona. Porro [k] illud, cuius participatione cetera sunt bona, per se ipsum bonum est, quam divinam providentiam vocamus ». Et sic bonitas ordinis est a divina providentia in rebus; et hoc in quantum dicitur « bona voluntas », sicut dicit Damascenus.

III. Ad illud quod quaeritur utrum ad potentiam reducatur: dicendum [a] quod non secundum proprietatem vocabuli, immo proprie respicit [b] sapientiam et bonitatem sive voluntatem, secundum quod dictum est [3]. Si autem reducatur ad potentiam, hoc non est ad potentiam prout distinguitur a sapientia et voluntate, immo prout cointelligitur in illis, secundum quod dictum est quod ad sapere oportet quod sit posse [c] sapere. In gubernatione ergo est ipsum gubernare et virtus sive potentia gubernandi; et secundum hoc posse spectat providentia ad potentiam. Sed istud posse non distinguitur ab ipsa voluntate et sapientia; ita nec haec [d] potentia ad quam reducitur; unde etiam cum appellat Damascenus providentiam « virtutem provisivam [e] », non sumitur hic [f] virtus prout distinguitur ab ipsa sapientia et voluntate, sed prout cointelligitur in illis.

IV. Ad aliud dicendum [g] quod dispositio accipitur communiter, et sic idem [h] est quod providentia, secundum quod dicitur in *Sententiis* [4], quod « providentia est gubernandorum », quae etiam [i] quandoque dicitur dispositio. Alio modo dicitur dispositio [k] stricte, ut dispositio respiciat fieri, providentia factum esse. Sed duplex est esse et duplex [l] fieri et duplex permanentia. Est enim esse naturae sive primum esse, quantum ad quod dicitur puer homo perfectus; et [m] est esse secundum, quantum ad quod non est perfectus, quia nondum perceptibilis [n] scientiae, et huiusmodi. Similiter est duplex fieri: est enim fieri quoad esse primum et fieri quoad esse secundum. Similiter dispositio Dei dupliciter dicitur: uno modo secundum quod respicit fieri quantum ad esse primum, alio modo secundum [o] quod respicit fieri quantum ad esse secundum. Similiter duplex permanentia necessaria: est enim permanentia [p] primi esse et permanentia secundi esse. Secundum hoc est [q] duplex providentia; nec est oppositio [r] quod sit completio primi esse et quod secundum esse adhuc sit in fieri.

V. Ad ultimum [s] quaesitum dicendum, secundum Boethium [5]: sicut dispositio dicitur dupliciter — dispositio quae est in disponente et dispositio quae est in re disposita: dispositio in disponente est exemplar, dispositio in disposito est ordo deductus ab ipso exemplari et est forma exemplata in ipsa [t] re — similiter est de providentia.

---

[a] S add. *et voluntatis.* [b] L add. *que est.* [c] F add. *dicimus.* [d] S om. *s. g.* [e] F *providentie.* [f] L om. [g] V add. *que.* [h] PV *cure.* [i] L *autem,* F om. *est.* [k] Codd. *pone.*

[a] BR add. *est.* [b] L *recipit.* [c] BL om. [d] V *est.* [e] F *provisuram.* [f] BR *hec.* [g] BR add. *est.* [h] B *ibidem.* [i] PV om. *q. e.,* quod in S est add. mg. [k] PV om *A. m. d. d.,* quod in S est add. marg. [l] VL add. *est.* [m] BRLF *sed,* F om. *secundum.* [n] SBRL *perfectibilis.* [o] SF om. [p] R *necessaria.* [q] V om. [r] F *compositio.* [s] F *ultimo.* [t] B om.

[1] Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 19 (PL 176, 213).
[2] Quaest. 24 (PL 40, 17).
[3] Cf. hic in *Solutione*, I-II.
[4] Lib. I, d. 35, c. 5 (p. 221).
[5] *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 815), ubi et sequentia ex eo allata.

Secundum ergo quod exemplaris ratio consideratur in arte divina, dicitur providentia; secundum quod consideratur in re vel in effectu operis, dicitur fatum. Unde Boethius ponit exemplum in artifice qui conspicit opus, et uno aspectu respicit dispositionem totam simul, sed in opere non simul, sed particulariter. Similiter in Deo ordo ille, qui est in mente divina, simul omnia conspicit, sed [in] opere non simul, sed particulariter [a] et temporaliter. Unde verba Boethii sunt haec: « Sicut artifex, faciendae [b] formam rei mente percipiens, movet [c] operis effectum, et quod simpliciter praesentarieque prospexerat [d], per temporales etiam [e] ordines ducit: ita Deus providentia quidem [f] singulariter stabiliterque facienda disponit, fato [g] vero haec ipsa quae disposuit, multipliciter ac temporaliter administrat ». Sicut ergo dispositio in disponente et dispositio in disposito non sunt idem, sed unum exemplar, aliud imago vel exemplatum: sic est [h] de providentia et fato. Unde illa relatio cum dicit: « qui modus » etc. fit relatio non pro identitate simpliciter, sed pro convenientia similitudinis. — Dicitur [i] tamen fatum dupliciter: uno modo lex astrorum [k], per quam inducitur necessitas rebus singularibus [1], etiam libero arbitrio, sic [l] nihil est fatum nisi error; alio modo dicitur fatum « dispositio inhaerens rebus mobilibus » etc., sicut dicit Boethius [2].

CAPUT III.

QUOMODO SIT PROVIDENTIA.

Consequenter quaeritur de providentia quomodo sit, in hunc modum:

Primo, utrum sit temporalis vel aeterna;

secundo, utrum [m] simplex vel multiplex;

tertio, utrum sit causa rerum, et in quo genere causae.

197

ARTICULUS I.

Utrum providentia sit temporalis vel aeterna.

Ad primum sic: Videtur quod sit aeterna: 1. Boethius, in libro *De consolatione* [3]: « Ab aeterno cuncta prospiciens, providentiae cernit intuitus ». Ergo providentia cernit ab aeterno; ergo est ab aeterno [n].

2. Item, in eodem [4]: « Ut bonus est, providet: qui enim non providet, non est bonus »; sed ab aeterno bonus est; ergo ab aeterno providet. — Si dicatur quod non valet – contra: da oppositum: non providet ab aeterno; ergo non est bonus ab aeterno, quia, sicut dicit Ioannes Damascenus [5]: « Qui non providet, non est bonus ».

3. Item, in eodem, Boethius [6]: « Uti [o] ad intellectum est ratiocinatio, ad id quod est id [p] quod gignitur, ad aeternitatem tempus, ad punctum medium circulus: ita est series fati mobilis ad providentiae stabilem simplicitatem ». Ergo sic se habet fatum ad providentiam sicut tempus ad aeternitatem; ergo providentia est aeterna, fatum temporale,

Contra: *a.* Providentia est cura [q] qua Deus ministrat subditis bona vel mala poenae [r 7]; hoc autem est ex tempore.

b. Item, Ioannes Damascenus [8]: « Providentia est ad existentia cura »; ergo solum positis existentibus est providentia; sed hoc [s] est ex tempore.

c. Item, « providentia est gubernandorum » [9]; gubernanda autem sunt temporalia; ergo providentia temporalis: si enim non sunt gubernanda, non est cura gubernandorum et ita nec [t] cura.

Respondeo: 1. In intellectu providentiae sunt duo: cognitio et causalitas. Si restringimus providentiam ad cognitionem [u], qua gubernanda praecognovit, sicut obicit Boethius, sic est aeterna. Si vero dicat causalitatem, adhuc hoc [v] potest esse dupliciter: in actu vel in habitu, sicut 'Dominus' potest dicere respectum ad creaturam in actu vel in habitu. Si in habitu, sic dicitur Dominus ab aeterno: est enim [x] talis qui ab aeterno habilis est dominari; si in actu, sic ex tempore,

---

[a] BRL (corr.) F *particulatim.* [b] P *faciendo,* BL *et ei* pro *rel.* [c] Codd. *movens.* [d] PVS *prospexerit,* B (corr.) RL *perspexerat.* [e] F *et in.* [f] BRL *siquidem.* [g] V *facto,* F om. *haec.* [h] F *ergo.* [i] F *dicendum:* [k] F *a falsorum.* [l] F *sed.* [m] B add. *sit.* [n] SF om. *e. e. a. a.* [o] RLF *ut.* [p] Ita BR (corr.), alii *ad.* [q] RLF *causa.* [r] S om. [s] PV *hec.* [t] R add. interl. *est,* F *ideo* pro *ita.* [u] B om. *a. c.* [v] V *hic,* L om. [x] B *et* pro *e. e.*

[1] Cf. Gregor. M., *In Evang.*, hom. 10, n. 4 (PL 76, 1112).

[2] De fato fusius infra, p. 305 sqq.

[3] Lib. V, pr. 2 (PL 63, 837).

[4] Rectius Damascen., *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 963. Cf. Boeth., loc. cit., IV, pr. 5 (PL 63, 810).

[5] Loc. cit.

[6] *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 817).

[7] Cf. Boeth., *De consol. philos.*, IV, pr. 5 (PL 63, 810).

[8] Loc. cit. ad notam 4.

[9] Lombard., I *Sent.*, d. 35, c. 5 (p. 221).

ex quo servum habuit in actu. Similiter si dicatur providentia cura in habitu, sic potest dici ab aeterno, quia dicit divinam essentiam ut habilem ad gubernandum creaturam; sed [a] si dicatur cura in actu, sic dicitur ex tempore. Dicendum [b] ergo quod intuitus providentiae est ab aeterno, sicut dicit Boethius; sed causalitas, secundum quod dicitur in actu, ex tempore.

3. Ad illud Boethii ultimo: dicendum quod fit comparatio providentiae ad fatum [c] non quantum ad durationem, sed quantum ad simplicitatem et compositionem. Et ponit exemplum in materialibus, ut [d] in puncto et circulo, et exemplum in immaterialibus [e], ut in intellectu et in [f] ratiocinatione. Vult ergo dicere quod sicut intellectus simplex est respectu ratiocinationis — tamen ratiocinatio est ab intellectu similiter et de aliis sic providentia se habet ad fatum, ut providentia sit ipsa divina dispositio rerum gubernandarum, fatum ipsa deductio gubernationis, et est haec ab illa, et ipsa providentia immobilis stat, fatum [g] vero mobile.

2. Et per hoc patet solutio ad secundo obiectum.

ARTICULUS II. 198

Utrum providentia sit simplex vel non.

Ad illud quod secundo quaeritur, utrum providentia sit simplex vel non,

Proceditur sic: 1. Omne contentivum multitudinis, in quantum huiusmodi, non habet simplicitatem; sed providentia est contentiva multitudinis, quia providentia tot rerum est [h] contentiva quot capit et e converso; multas autem res capit et amplectitur, immo omnia, sicut dicit Boethius[1]; ergo providentia non habet simplicitatem.

Ad oppositum: *a.* Boethius, in libro *De consolatione*[2]: « Illud certe manifestum est: immobilem simplicemque gerendarum [i] formam rerum esse providentiam ». Ergo providentia est simplex.

Respondeo: Dicendum [k] quod providentia est [l] simplex et omnimoda simplicitate.

1. **Ad obiectum** [m] in contrarium dicendum [n] quod providentia continet rerum species fiendarum sicut causa, non sicut universum, in quo continentur tamquam [o] partes constituentes ipsum et ideo ponunt in ipso multitudinem; non sic autem est [p] de providentia. Continere autem ut causa non repugnat simplicitati causae, maxime in Deo, in quo continentur omnia sicut in sua causa. Unde Boethius[3]: « Sicut artifex, faciendae domus vel rei formam mente percipiens, movet operis effectum, et quod simpliciter praesenterque prospexerat [q], per temporales ordines ducit, ita Deus providentia quidem singulariter stabiliterque fienda disponit ». Et hoc est quod dicit Augustinus, super illud Rom. 11,36[4]: *Ex ipso et per ipsum* etc.: « Ars omnipotentis atque sapientis dicitur plena omnium rationum et incommutabilium [r] viventium, et omnes unum in ea ». Sunt enim in ipsa causa secundum modum causae: unde cum sit causa simplicissima, non compatiens multiplicitatem aliquam, sunt ibi modo simplicissimo.

ARTICULUS III. 199

Utrum providentia sit causa rerum et in quo genere causae.

Ad illud quod quaeritur, utrum providentia sit causa rerum [s] et in quo genere causae,

I. Proceditur sic: *a.* Boethius, in IV libro *De consolatione*[5]: « Omnium generatio rerum cunctusque [t] mutabilium naturarum progressus et quidquid aliquo movetur modo, causas, ordines, formas ex divinae mentis stabilitate sortitur; haec in suae [u] simplicitatis arce composita multiplicem [v] rebus gerendis modum statuit: qui modus, cum [x] in ipsa divinae intelligentiae puritate conspicitur, providentia nominatur ». Ex hac auctoritate patet quod providentia respicit res gerendas sive fiendas ab ipso Artifice primo, et ita est causa rerum.

II. Sed quod sit causa formalis, ostenditur: *a.* Quoniam dicit Boethius, in eodem[6]: « Manifestum est immobilem simplicemque

---

[a] F om. [b] BR add. *est.* [c] S *factum*, F om. *quantum.* [d] L *et*, F om. [e] SL *materialibus*, S om. seq. *in.* [f] R om. [g] S *statum.* L om., in B est add. interl. [h] F om. [i] BR add. *est.* [k] BL om., R om. *et.* [m] BRLF *rationem.* [n] BR add. *est.* [o] BR *sicut.* LF add. *hec*, BR add. *hic.* [p] BRL *prospexerit.* [r] L *immutabilium*, F *ideo mutabilis.* [s] Ita R, alii om. [t] PV *cunctisque.* Codd. *fine.* [u] P *multiplicationem.* [x] RL om., in B est add. interl.

[1] *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 815).
[2] Loc. cit. (PL 63, 816).
[3] Loc. cit. (PL 63, 815).
[4] *De Trinit.*, VI, c. 10 (PL 42, 931).
[5] Prosa 6 (PL 63, 814).
[6] Loc. cit. (PL 63, 816).

gerendarum [a] rerum formam esse providentiam ». Ex quo sic arguitur [b]: Providentia est forma rerum gerendarum; sed forma rerum gerendarum est ipsa causa formalis exemplaris; ergo providentia est causa formalis exemplaris rerum.

b. Item, Boethius, in eodem [1]: « Providentia est ipsa illa divina ratio in summo omnium Principe constituta, qua cuncta disponit »; et post dicit [2]: « Deus providentia quidem singulariter stabiliterque facienda disponit ». Sed quod est huiusmodi in efficiente est causa formalis exemplaris [c], quia huiusmodi ratio sive ars est exemplaris causa; ergo et providentia in Deo est causa formalis exemplaris rerum.

Quod autem sit causa efficiens, patet: *a.* Quia dicit Damascenus [3]: « Providentia est bona voluntas Dei »; sed voluntas Dei est causa efficiens rerum: unde dicit Augustinus, *Super Genesim* [4], quod « voluntas Dei ponit necessitatem rebus », et dicit etiam [d] in *Enchiridion,* quod « voluntas Dei [e] est causa omnium motionum et specierum ». Providentia ergo est causa efficiens rerum.

b. Item, Boethius, in III [f] *De consolatione* [5], dicit quod « dedit providentia a se creatis hanc maximam manendi causam, ut quoad [g] possint, naturaliter [manere] desiderent ». Ex hac auctoritate habetur quod providentiae sit creare; sed creare est ipsius efficientis causae, quia creare dicit producere res ad esse, quod proprium est efficientis causae; ergo providentia est causa efficiens.

Quod autem sit causa finalis, videtur: Quoniam dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [6]: « Summe illud bonum est [h] cuius participatione cetera sunt bona; porro illud cuius participatione cetera sunt bona [i] per se ipsum bonum est: quam [k] divinam providentiam vocamus ». Providentia ergo est summum bonum; sed summum bonum est finis omnium, sicut etiam [l] probat Boethius [7]; ergo providentia est finis rerum; ergo et [m] causa finalis rerum.

Solutio: I-II. Dicendum, sicut dictum est supra [8], quod in providentia sunt duo: ipsa cognitio quae determinatur ex parte videntiae; item, est ibi causalitas superaddita ipsi cognitioni vel videntiae, quae notatur per praepositionem additam. Concedimus ergo [n] quod providentia est causa; sed quantum ad cognitionem vel videntiam, quam importat, est causa formalis exemplaris, quia sicut in [o] scientia aedificandi in artifice est causa exemplaris domus, ita in [p] scientia divina est causa exemplaris formarum fiendarum; unde ipsa dicitur idea rerum. Et quod se habeat providentia ad modum rationis vel causae [q] exemplaris in artifice, dicit Boethius [9]: « Sicut artifex faciendae rei formam mente [r] prospiciens vel percipiens [s] movet operis effectum [et quod simpliciter] praesenterque prospexerat per temporales ordines ducit: ita Deus providentia quidem singulariter stabiliterque facienda disponit ». Sed ratione causalitatis superadditae se habet in ratione efficientis: et hoc modo dicitur providentia « bona voluntas Dei », qua cuncta gubernantur atque reguntur.

Ad illud autem quod obicitur de causa finali: dicimus quod providentia non est causa finalis rerum. — Et ad illud quod obicitur quod ' ipsa est summum bonum ': dicendum quod in fine duo sunt, scilicet terminare et finire ipsas res et ordinem [t] rerum; item, finis est movere efficientem, sicut dicit Philosophus [10]; propria tamen ratio finis, in quantum finis, determinatur in [u] hoc quod terminat res et quod ad ipsum velut ad terminum ordinantur res: et sic summum bonum habet has [v] duas rationes. In providentia ergo est illud finis, quod est movere efficientem, et sic habet in se virtutem ordinandi omnes res, sicut finis; sed non dicitur in ratione terminantis res. Verumtamen per [x] hoc quod habet de ratione finis, magis refertur ad ipsam efficientem. Providentia ergo est summum bonum, et summum bonum habet praedictas duas rationes, quarum una convenit providentiae. De causa autem materiali non habet locum quaestio. — Vel potest dici quod summum bonum dicitur finis et efficiens: efficiens autem dicitur in quantum est sui communicativum vel diffusivum, et per hanc rationem dicitur providentia bonum. Quod patet ex illo verbo

---

[a] L *fiendarum.* [b] PVS *Ambrosius,* F *ambet,* BRL *obicitur.* [c] L add. *rerum.* [d] BRL om. [e] F om. *ponit... Dei.* [f] V add. *libro.* [g] PVSB *qua,* L *quo.* [h] PVS add. *ex.* [i] P add. *et.* [k] PV *quod.* [l] RL *ergo,* quod B corr. [m] L *est.* [n] L om. [o] V om. [p] F om. [q] PF *causa.* [r] L om. [s] V *perspiciens.* [t] PS *ordines.* [u] F *ad.* [v] R om. [x] S *de.*

1 Loc. cit. (PL 63, 814).

2 Loc. cit. (PL 63, 815).

3 *De fide orthod.,* II, c. 29 (PG 94, 963); cf. Nemes., *De nat. hom.,* c. 43 (PG 40, 791).

4 Hic in locis allatis habetur confusio. Etenim quod « voluntas Dei est causa efficiens rerum » eruitur ex *Enchiridion,* c. 95 (PL 40, 276); quod « voluntas Dei ponit necessitatem rebus » habetur *Super Gen. ad litt.,* VI, c. 15 (PL 34, 350): « Cuius [creatoris] voluntas rerum necessitas est »; quod sequitur sumptum est ex *De Trinit.,* III, c. 4 (PL 42, 873): « Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium specierum atque motionum ».

5 Prosa 11 (PL 63, 774).

6 Quaest. 24 (PL 40, 17).

7 *De consol. philos.,* II, pr. 6 (PL 63, 685).

8 Cf. p. 288b, sub *Respondeo.*

9 *De consol. philos.,* IV, pr. 6 (PL 63, 815).

10 Cf. Avicen., *Sufficientia,* I, c. 11 f. 19c): « Finis movet efficientem ut sit efficiens ». Aristot., *Metaph.,* IV, c. 2 (II, 515).

Augustini, in libro *83 Quaestionum*[1]: « Summe illud bonum est, cuius participatione cetera bona sunt, quam divinam providentiam vocamus ». Non igitur sequitur: 'providentia[a] est summum bonum, ergo est finis', sed est peccatum[2] secundum accidens.

CAPUT IV.

QUORUM SIT PROVIDENTIA.

Consequenter quaeritur quorum est providentia, hoc modo:

Primo, utrum bonorum et malorum;

secundo, utrum casualium;

tertio, utrum voluntariorum;

quarto, utrum nobilium et vilium.

ARTICULUS I. 200

Utrum providentia sit bonorum et malorum.

Ad primum sic: 1. Creationis actus est quasi fundamentum ad producendum res in esse; gubernare vero[b] et continere et multiplicare et consimiles actus sunt quasi aedificia apposita super illud fundamentum; sed aedificium non se extendit ultra quam fundamentum; creare autem[c] tantum se extendit ad bona[d], Gen. 1,31: *Vidit Deus cuncta quae fecerat* etc.; ergo gubernare, continere et multiplicare et huiusmodi actus, quae sunt quasi superaedificia, tantum se extendent ad bona; sed gubernatio est providentiae; ergo providentia erit tantum bonorum.

2. Item, Augustinus, *83 Quaestionum*[3]: « Providentia est summum bonum, a quo cetera bona sunt »; sed a summo bono non descendunt nec derivantur nisi tantum bona; ergo providentia se extendit tantum ad bona.

3. Item, Damascenus[4]: « Omnino necesse est omnia, quae providentia fiunt, secundum rectam ordinationem et optima[e] et Deo decentissima fieri »; sed mala non sunt optima nec Deo decentissima[f]; ergo mala non sunt sub divina providentia.

4. Item, hoc probatur per simile. Si enim esset aliquis rex magnus et potens, numquid permitteret in regno suo aliquod malum quod destrueret regnum? Non utique, si cognosceret illud malum et potentiam haberet expellendi illud[g] vel etiam destruendi; sed Deus, *Rex regum*[5], est omnipotens et omnisciens; si igitur aliqua sunt mala[h] in regno eius, non sunt sub eius providentia.

Contra: *a.* Hugo, in suis *Sententiis*[6]: « Utrumque operatur providentia in suo et in alieno: in suo quod fecit, in alieno quod permisit »; sed illud alienum est malum; ergo providentia operatur circa malum; ergo se extendit etiam ad malum.

b. Item, super illud Num. 22,20: *Venit autem Dominus*, Glossa Origenis[7]: « Nos dicemus, sapientia Dei », id est providentia, « omnia ita esse disposita ut nihil otiosum sit apud Deum, nec bonum nec malum; malitiam Deus non fecit, cum tamen ab aliis inventam prohibere possit, non prohibuit, sed ea utitur ad necessarias causas ». Ergo mala sunt sub divina providentia.

c. Item, Boethius, *De consolatione*[8]: « Sola divina vis est cui mala bona sunt », mala, inquam, ipsi creaturae, « cum, eis competenter utendo, alicuius boni elicit effectum: ordo enim in divinis ita cuncta complectitur ut qui ab assignato ordine recesserit », scilicet misericordiae, « in alium ordinem relabatur », scilicet iustitiae, iuxta illud Prov. 16,4: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Ergo mala subsunt providentiae divinae et etiam bona.

d. Item, Dionysius[i], *De divinis nominibus*[9]: « Etenim malum ad universitatem boni conferens est, non imperfectum ei esse largiens »; sed quidquid est conferens ad universitatem, est ordinatum; esse autem ordinatum est sub providentia; ergo malum est sub providentia.

---

[a] R *providentie*, L add. *divina.* [b] L add. *et conservare.* [c] V *creatum* pro *c. a.* [d] F om. *creare... bona.* [e] B om. *e. o.* [f] F om. *fieri... decentissima.* [g] BRLF om. [h] F add. *neque.* [i] BR add. *in libro.*

1 Quaest. 24 (PL 40, 17).
2 Id est *fallacia* seu *sophisma.*
3 Quaest. 24 (PL 40, 17), ad sensum.
4 *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 963); cf. Nemes., *De nat. hom.*, c. 43 (PG 40, 791).
5 Cf. I Tim. 6, 15; Apoc. 17, 14 et c. 19, 16.
6 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 19 (PL 176, 213), ad sensum.
7 *In Numer.*, hom. 14, n. 2 (PG 12, 677); *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 420).
8 Lib. IV, pr. 6 (PL 63, 820).
9 Cap. 4, § 19 (PG 3, 718, PL 122, 1139).

Solutio: Quod concedimus. Sed notandum quod dupliciter dicitur aliquid esse sub divina providentia: uno modo, ut ab ipsa creatum vel factum, et sic sunt bona tantum sub providentia; alio modo, non ut ab ipsa factum, sed cum factum est ab homine vel angelo malo, ab [a] ipsa ordinandum [b], et sic sunt mala sub divina providentia. Sic ergo sub divina providentia sunt bona tamquam ab ipsa facta, et etiam mala tamquam ab ipsa ordinata. Unde Hugo, in suis [c] *Sententiis* [1]: « Secundum [d] hanc universalem providentiam cunctorum non solum suis quae bona fecit [e], sed alienis quae mala ipse non fecit, sed permisit, quod debitum est dispensat: nihil enim in regno suo hanc ordinationem evadet. Nam et ipsa iniquitas ex hac providentia stipendia habet, et non poterit vel ipsa malitia in oblivionem venire apud [f] provisorem omnium ».

[Ad obiecta]: Secundum hoc ergo respondendum est ad omnia quae obiciuntur in contrarium, quod scilicet mala non sint sub divina providentia, quia omnes illae rationes procedunt illa via [g] qua mala non sunt sub providentia divina tamquam ab ipsa creata et [h] facta.

1. Ad primum dicendum quod non est simile de creatione et gubernatione. Creatio enim est de nihilo; unde non ponit rem praeexistentem, immo est de non-esse ad esse sive de nihilo in aliquid; malum autem e converso, scilicet de aliquo in nihil sive de esse in non-esse, et hoc est quia malum est corruptio ipsius naturae, quae est [i] ens et bonum [2], et ideo contrario modo procedunt creatio et malitia; unde non potest trahi creatio ut dicatur mala; sed malum non se habet e contrario gubernationi, quia gubernatio ponit rem existentem, malum autem non est de nihilo, sed de aliquo. — Nec tamen ex hoc sequitur quod ad plus se extendat gubernatio quam creatio, quia sicut creatio semper terminatur ad bonum, cuius esse est ex nihilo [k], ita gubernatio, sive respiciat bonum sive malum, semper terminatur ad bonum, quia non respicit mala propter se, sed ut ex illis eliciat bonum. Bonum enim est mala ordinari, ut nihil in regno providentiae maneat inordinatum. Et hoc est quod dicit Boethius [3] quod « sola vis divina est cui mala bona sunt ». Unde providentia circa [l] malum semper ulterius intendit trahere [m] bonum; et in hoc terminatur eius aspectus. — Item, cum dicitur quod 'gubernatio non potest plus se extendere quam creatio, quae est fundamentum eius', hoc est ita intelligendum quod ab ipsa providentia, cuius est gubernatio, non sint [n] aliqua quae non subsint creationi: ab ipsa [o] enim non sunt aliqua nisi bona, nec creata sunt nisi bona; non tamen per hoc privatur aspectus [p] ad aliqua quae non sunt creata, sed per defectum voluntatis educta, ut ex ipsis semper ulterius bonum eliciat.

2. Ad illud quod obicitur quod 'a summo bono non descendit nisi bonum': dicendum quod verum est [q] sicut ab ipso factum; nec dicimus quod malum procedat a providentia sicut ab ipsa factum, sed subest ei tamquam ab ipsa ordinatum.

3. Similiter dicimus quod auctoritas Damasceni loquitur de illis quae facta sunt a divina providentia, et non de illis quae reguntur a providentia; de illis enim quae fiunt [r] ab ipsa, verum est illud quod fiunt « decentissima et optima et ut non est melius fieri », supple 'secundum quod sunt in universitate', quia sic congruentissime sunt, supple 'quantum ad conditionem universi', licet singula in statu suo possent meliora fieri. Similiter dicendum est ad alias auctoritates.

4. Ad illud quod obicitur quod 'aliquis potens non permitteret malum fieri in terra sua, si sciret illud': similiter dicendum est de Deo quod rem illam [s], quam malam praesciret, nec crearet nec etiam gubernaret nisi ex ea aliquod bonum elicere intenderet. Et hoc bene determinat Augustinus, super 9,22 ad Rom.: *Sustinuit* [t] *in multa patientia*, Glossa [4]: « Nullum Deus vel hominum vel angelorum crearet quem malum esse praesciret, nisi pariter nosset quibus bonis usibus eos accommodaret ». Sicut [u] etiam facit rex terrenus, cum habet aliquos de filiis suis qui nolunt commodari ad aliquem bonum usum, transmittit eos ad alium usum, et sic de ipsis [v] elicit bonum. Et haec est ratio, quare etiam Dominus sustinet malos. — Item, ostenditur auctoritate Origenis, *Super Num.* 22 [5]: « Malitia utitur Deus [x] ad necessarias causas, per quam probat eos qui ad virtutum gloriam tendunt ». Si enim non esset malitia, non esset qui contrairet virtutibus; virtus autem, si contrarium non haberet, non claresceret. Sic ergo ad exercitium bonorum et probationem virtutum sustinet Deus malos.

---

[a] F *sub.* [b] BR *ordinatur.* [c] BRLF om. [d] R *super.* [e] Codd. *sunt.* [f] F *ad.* [g] F om. [h] BRL *causata vel* pro *c. e.* [i] P om. [k] R add. *ergo.* [l] PSLF *contra*, V *mala* pro *malum.* [m] R *contrahere.* [n] Ita BL, F *sit*, PVSR *sunt.* [o] BR *ipso.* [p] V *respectus.* [q] V om. [r] PVSB *sunt.* [s] B om. [t] VB *sustinuit.* [u] R *sic.* [v] RLF add. *semper.* [x] B om.

1 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 19 (PL 176, 213).
2 Cfr. supra, p. 194, num. 124.
3 Loc. cit., ad litt. *c.*
4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1466), ex Augustino, *De civit. Dei*, XI, c. 18 (PL 41, 332).
5 Homil. 14, n. 2 (PG 12, 677), ad sensum.

ARTICULUS II.

Utrum providentia sit casualium. 201

Consequenter quaeritur an providentia sit casualium.

Ad quod sic: *a.* Boethius, in V [a] *De consolatione* [1]: « Ordo [b] ille inevitabili connexione procedens [c], qui de providentiae fonte descendens, cuncta suis locis temporibusque disposuit »; et agit ibi [d] de casualibus; ergo casualia sunt a providentia.

b. Item, Boethius [2]: « Licet definire casum esse inopinatum, ex confluentibus causis in iis quae ob [e] aliud geruntur, eventum ». Sicut aliquis facit domum et alius transit per illum locum et cadit lapis super caput eius et occidit ipsum; neque hic facit domum ut lapis cadat super ipsum, nec hic transit ut occidatur a lapide: neuter enim [f] hoc intendit, istud autem [g] dicitur casuale. Illud autem subest provisioni et gubernationi divinae: quod enim lapis cadat in illum locum, subest providentiae et gubernationi divinae; similiter [h] quod iste vadat ad forum per illum locum et illa hora, hoc subest ordinationi divinae et gubernationi: et ex iis duabus causis confluentibus [i] est casus; ergo casualia subsunt divinae providentiae. — Similiter iste abscondit thesaurum [3], et hoc praeter intentionem quod alius [k] inveniat; iste arat illam terram praeter intentionem quod illum inveniat [l], et tamen ipsum invenit: istum reponere thesaurum, hoc subest providentiae, et similiter istum arare, et hae sunt causae illius inventionis; si ergo istae causae subsunt providentiae, ergo casualia subsunt providentiae divinae [m].

c. Item, Boethius [4]: « Si quidem aliquis eventum temerario motu nullaque causarum connexione productum, casum esse definiat, nihil omnino casum esse confirmo ». Ergo casus est ex causarum connexione, cum sit aliquid; sed omnis connexio causarum, faciens aliquid, subest ordinationi [n] divinae; ergo casus subest ordinationi vel provisioni divinae [o].

d. Item, Boethius [5]: « Providentia cuncta pariter, quamvis diversa, quamvis infinita, complectitur ». Ergo complectitur casualia.

e. Item, Boethius [6]: « Haec actus fortunasque [p] hominum indissolubili causarum connexione constringit ».

Contra: 1. Augustinus, *83 Quaestionum* [7]: « Quidquid [q] casu fit, temere fit; sed quidquid temere fit, non providentia fit; si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus administratur; ergo, si casu aliqua fiunt, est aliqua substantia quae ad opus providentiae non pertinet ». Casualia ergo non subsunt providentiae divinae.

Solutio: Dicendum quod casualia dicuntur dupliciter. Uno modo, potest dici casus ex aliquibus confluentibus causis, quae non habent aliquam ordinationem [r], inopinatus eventus [8]; et hoc modo vult Augustinus [9] quod nihil casu fit, quia nihil inordinate sive [s] absque omni ordine fit [t], immo si fit aliquid [u] casu, hoc modo temere fit. Alio modo, secundum quod dicit Boethius [10]: « Aristoteles inquit in *Physicis* [11], quotiens aliquid cuiuspiam rei gratia geritur aliudque quibusdam de causis quam quod intendebatur, obtingit, casus vocatur, ut si quis colendi agri causa fodiens humum, defossi auri pondus inveniat. Hoc igitur fortuito quidem creditur accidisse, verum non de nihilo est, quia [v] proprias causas habet, quarum improvisus inordinatusque concursus casum videtur operari. Nam nisi cultor agri humum foderet, nisi eo loco pecuniam suam depositor [x] obruisset, aurum non esset inventum. Hae igitur sunt fortuiti causae compendii, quod ex obviis sibi confluentibus causis, non ex gerentis intentione, provenit. Neque enim qui aurum obruit neque qui agrum exercuit, ut ibi pecunia inveniretur, intendit; sed, ut dixi, quod iste obruit, hunc fodisse contingit atque concurrit. Licet igitur definire casum esse inopinatum, ex confluentibus causis in iis quae ob aliud geruntur, eventum; concurrere vero atque confluere

---

[a] BR add. *libro*, F om. *in*. [b-B] B *solum ordo*. [c] P *precedens*. [d] F om. [e] V *ab*. [f] S *autem*. [g] S om. [h] L *sed*. [i] S *influentibus*. [k] BR *aliquis*, F *illum*. [l] F om. *iste arat... inveniat*. [m] V om. [n] S add. marg. *vel provisioni*. [o] V om., S om. *ergo... divinae*, B om. *vel provisioni*. [p] L *fortunansque*. [q] L add. *ex*. [r] F *inordinationem*. [s] R om. [t] P add. *quia nihil in ordine fit*. [u] P add. *ad*. [v] BRLF *nam*, F om. *est*. [x] L *repositor*.

1 Prosa 1 (PL 63, 832).
2 Loc. cit.
3 Cf. Boeth., loc. cit.; Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 25 (PG 14, 958); Abael., *Introd.*, III, c. 7 (PL 178, 1109).
4 *De consol. philos.*, V, pr. 1 (PL 63, 830 sq.).
5 Loc. cit., IV, pr. 6 (PL 63, 815).
6 Loc. cit. (PL 63, 817).
7 Quaest. 24 (PL 40, 17).
8 Cf. Boeth., *De consol. philos.*, V, pr. 1 (PL 63, 832).
9 Cf. supra, n. 1.
10 Loc. cit. (PL 63, 831 sq.).
11 Lib. II, c. 6 (II, 269).

causas [a] facit ordo ille inevitabili connexione procedens [b], qui de providentiae fonte descendens, cuncta suis locis temporibusque disponit ». Ex quo patet quod casualia subiecta sunt divinae providentiae, quoniam ab ipsa est quod [c] confluunt causae ad talem eventum.

202 ARTICULUS III.

Utrum providentia sit voluntariorum.

Consequenter quaeritur [d] utrum providentia sit voluntariorum.

Ad quod sic: *a.* Augustinus, *83 Quaestionum* [1]: « Omne quod est, in quantum est, bonum est. Illud enim est summe bonum, cuius participatione cetera sunt bona. Porro illud, cuius participatione cetera sunt bona, per se ipsum bonum est, quam divinam providentiam vocamus »; sed aliqua quae sunt a libero arbitrio sunt bona; ergo sunt a summo bono, quod est divina providentia.

b. Item, mala quae sunt a libero arbitrio sunt ordinata a [e] Deo; ergo subsunt divinae providentiae; ergo [f] voluntaria sunt a divina providentia.

c. Item, Boethius [2]: « Rector ac mediator mentium, Deus, qui cum ex alta providentiae specula respicit, quod unicuique conveniat agnoscit, et quod convenire agnovit [g] accommodat ». Ergo tribuit Deus omnibus quae sunt a libero arbitrio, sive sint bona sive sint [h] mala, quod eis convenit; sed omnia talia subiecta sunt providentiae; ergo voluntaria subiecta sunt [i] providentiae.

Contra: 1. Boethius [3] dicit quod « ordo ille, qui a providentiae fonte [k] descendit, inevitabili connexione procedit »; sed ea [l] quae procedunt a libero arbitrio non procedunt inevitabili connexione, quoniam voluntarie et libere procedunt ab ipso; ergo non procedunt ab ipso secundum ordinem providentiae; non igitur providentiae subiecta sunt.

2. Item, Damascenus [4]: « Oportet noscere quod omnia quidem praenoscit Deus, non autem praedeterminat [m]; cognoscit autem quae in nobis sunt [n], non autem praedeterminat ea »; sed omnia, quae sunt providentiae, praedeterminat, quia suum providere [o] est praedeterminare [p]; ergo ea quae sunt liberi arbitrii [q] non subsunt divinae providentiae.

3. Item, Gregorius [5] quaerit unde est quod in faciendo hominem quaeritur et advocatur [a] consilium, cum dicitur: *Faciamus hominem* etc., Gen. 1,26, et non in faciendo alia. Et respondet quod aliud est quando aliquis debet facere aliquam [b] rem magnam et quando debet facere aliquam rem modicam [c]: rem enim magnam [d] facit cum magna diligentia et circumspectione; similiter, quia homo est in quo [e] est impressa imago Dei, cum magna diligentia dicitur: *Faciamus*. Unde dicit: anima regale quid est; hinc demonstratur quod nullius [f] subdatur imperio, habens in se libertatem arbitrii, suoque nutu et moderamine se dispensans. Ergo non requiritur dispensatio providentiae divinae; ergo ea quae sunt a libero arbitrio non subsunt providentiae.

Solutio: Notandum quod aliter subsunt providentiae ea quae sunt liberi arbitrii quam naturalia. Nam, sicut dicit Damascenus [6]: « Duplex est providentia; una est secundum acceptationem [g], alia est secundum concessionem [h] ». Et dicit [7] quod providentia secundum acceptationem [i] est ubi non contingit esse resistentiam nec contradictionem; unde haec providentia est de iis, ubi non contingit resistentia: et hoc modo est de ipsis naturalibus [k], quae sunt ordinata nec aliter possunt esse, sicut solem oriturum cras. Providentia autem secundum concessionem [l] est de iis, ubi contingit esse resistentiam et contradictionem: sic [m] est in libero arbitrio; Deus enim dedit libero arbitrio [n] ut consentiat vel non consentiat bono, et ipsi [o] malo consentiat si velit; et quidquid faciat, sive bonum sive malum, semper ordinat ipsum providentia. Unde subicitur [p] providentiae secundum concessionem, quia non cogit liberum arbitrium, licet sub ipsa sit, sed permittit ei [q] facere quidquid vult; sed in bono ipsum adiuvat instinctu gratiae, in malo autem non, sed tamen malum perpetratum ordinat. Unde, I Tim. 1,20, super illud: *Quos tradidi Satanae* etc.,

---

[a] Codd. *casum*. [b] S add. *Deus*. [c] L om. [d] RL om. [e] LF *cum*. [f] L *et*. [g] PVS *agnoscit*. [h] PS om. [i] F add. *divine*. [k] F *forte*. [l] LF *eque*. [m] S *preterminat*. [n] SBR om. [o] PS *previdere*. [p] S *preterminare*, L *quia* pro *ergo*. [q] V *a libero arbitrio* pro *l. a.*, R *subsistunt* pro *subsunt*.

[a] V *adducatur*. [b] PVS om., L *vult* pro *debet*. [c] B *moderatam*. [d] F om. [e] S om. *i. q.* [f] PVS *nullus*. [g] PVLF *acceptionem*. [h] V *accessionem*, BRLF om. *est*. [i] Ita B et L (corr.), alii *acceptionem*. [k] BRLF add. *et*. [l] B add. *non*. [m] BRF *sicut*. [n] PV om. *D. e. d. l. a.* [o] BR om. [p] BRLF *subsunt*. [q] R om.

1 Quaest. 24 (PL 40, 17).
2 Loc. cit., IV, pr. 6 (PL 63, 818).
3 Loc. cit., V, pr. 1 (PL 63, 832).
4 *De fide orthod.*, II, c. 30, n. 1 (PG 94, 971).
5 *Moral.*, IX, c. 49, n. 75 (PL 75, 900).
6 Loc. cit., II, c. 29 (PG 94, 966). Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 10 (f. 25d).
7 Loc. cit., ad sensum.

dicit Augustinus[1]: « Nulla creatura est, sive quae in veritate manet, *dans gloriam Deo*[2], sive quae *in veritate non stetit*[3], quaerens gloriam suam[4], quae, velit nolit, divinae providentiae non serviat; sed volens facit cum ea quod bonum est, de illa vero quae hoc non vult, fit quod [a] iustum est. Non tamen rependitur [b] quod de ipsa iuste fit, sed quo animo ipsa [c] facit, quia neque liberam voluntatem rationali creaturae Deus negavit et tamen potestatem, qua [d] iniustos iuste ordinat, sibi retinuit ».

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod dicit Boethius patet responsio ex iis quae dicta sunt supra, in [e] Quaestione de praescientia[5].

3. Ad illud quod dicit Gregorius, quod ' est sibi [f] liberum arbitrium dispensans et non cadit sub imperio alicuius ': dicendum quod verum est [g], per coactionem, ita quod auferatur ei consensus et libertas faciendi quidquid vult, nec cogitur a Deo ad hoc vel [h] illud faciendum; quidquid tamen faciat, semper subest divinae providentiae, quae in bonum ipsum ordinat et adiuvat in bonum per gratiam; in malo autem non, sed solum ordinat illud malum.

2. Ad auctoritatem Damasceni dicendum quod ipsemet [i] solvit, dicens[6]: « Non praedeterminat ea quae sunt in nobis, quia non compellit ipsam virtutem », id est non cogit liberum arbitrium, « ad faciendum hoc vel illud, tamen praenoscit quae fient ».

ARTICULUS IV. 203

Utrum providentia sit indifferenter nobilium et vilium.

Deinde quaeritur utrum divina providentia sit indifferenter nobilium et vilium[7].

Ad quod sic: *a.* Sap. 6,8: *Aequaliter est ei* [k] *cura de omnibus;* sed providentia eius est cura, sicut dicit Hugo[8] et Damascenus[9]; ergo aequaliter est de omnibus, nobilibus et vilibus.

b. Item, Sap. 12,13: *Nec est alius quam tu, cui cura est de omnibus.*

Contra: 1. I Cor. 9,9: *Numquid de bobus cura est Deo?* quasi diceret: non.

2. Item, dicit Augustinus[10] et Philosophus[11]: « Melius est quaedam nescire quam scire, sicut vilia, et hoc est ratione vilitatis ». Ergo de talibus non est cura Deo.

3. Item, Hieronymus, in *Expositione super Habacuc*[12]: « Absurdum est ad hoc deducere [l] maiestatem Dei ut sciat per momenta singula, quot culices [m] nascantur quotve moriantur, quota pulicum et muscarum multitudo, quotve pisces nascantur in aquis, et similia. Non simus tam fatui adulatores Dei ut dum providentiam [n] eius etiam ad ima retrudimus, in nos ipsos iniuriosi simus, eamdem irrationabilium et rationabilium providentiam esse dicentes ». « Hic videtur dicere quod Deus [o] illorum minimorum scientiam sive providentiam non habeat[13] ». Nam [p] si omnia subsunt providentiae Dei, nota sunt ab ipso; ergo non est [q] eius providentia respectu istorum vilium.

Solutio: 1-2. Dicendum[14] quod duplex est cura providentiae divinae. Una est cura divinae providentiae, quae generalis est, qua res pro tempore sibi debito et determinato conservantur [r] in suo esse a divina providentia, et hoc modo verum est quod *est ei cura de omnibus.* Alia est cura specialis providentiae, quam specialiter habet de rationali creatura, secundum quam erudit ipsam, dando ei praecepta et legem, et secundum hanc non *est ei cura de omnibus.* Et de hac loquitur Apostolus, cum dicit[15]: *Numquid cura est ei de bobus?* unde Glossa[16]: « Non de bobus cura est Deo ut de eis in lege praecipiat: non pro bobus hoc dicit, sed propter nos tantum ». Sed generali cura providet tam nobilibus quam ignobilibus, quia omnia conservat [s], gubernat, et huiusmodi.

3. Ad [t] illud quod obicitur per Hieronymum, habetur solutio I [u] *Sententiarum,* dist. 39[17]: « Scit itaque Deus quanta sit multitudo pulicum, culicum et muscarum et piscium, quot nascantur quotve [v] moriantur; sed non scit hoc [x] per

---

[a] PVSF *quia.* [b] L *reprehenditur.* [c] PVS *ipse.* [d] BR *que,* PVS *iniustus* pro *iniustos.* [e] BRLF om. [f] P *in,* V om. *est.* [g] S add. *quod.* [h] PR add. *ad.* [i] PVR *ipsam.* [k] L *eidem,* F om.; S om. *cura,* quod in B est add. interl. [l] S *inducere.* [m] PVS *pulices.* [n] L om., S *Dei* pro *eius etiam.* [o] L exp. [p] P *non.* [q] L om. [r] Codd. add. *et,* V om. *in.* [s] S *servat.* [t] L *Item ad.* [u] L *in.* [v] P *quove.* [x] R om.

1 *Exposit. in Epist. ad Gal.*, n. 32 (PL 35, 2128 sq.); cf. *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 114, 626) et verbotenus apud Lombard., in h. l. (PL 192, 335).
2 Cf. Ioan. 9, 24.
3 Cf. Ioan. 8, 44.
4 Cf. Ioan. 8, 50.
5 Cf. p. 270, num. 185.
6 *De fide orthod.*, II, c. 30 (PG 94, 971).
7 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 39, c. 4 (p. 247 sq.).
8 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 19 (PL 176, 213).
9 *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 963); cf. Nemes., *De nat. hom.*, c. 43 (PG 40, 791).
10 *Enchirid.*, c. 17 (PL 40, 239).
11 *Metaph.*, XI, c. 9 (II, 609).
12 Lib. I, c. 1, 14 (PL 25, 1286).
13 Lombard., loc. cit. (p. 248), ubi etiam textus Hieronymi.
14 Cf. Lombard., loc. cit.
15 I Cor. 9, 9.
16 *Interlin.* et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1607); cf. Augustin., *Enarr. in Psalm. 145,* n. 13 (PL 37, 1893); *De agone christ.*, c. 8 (PL 40, 296).
17 Cap. 4 (p. 248).

momenta singula, immo simul ». Unde Rom. 11,36 super illud: *Ex ipso et per ipsum* etc., Glossa[1]: « Ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei plena omnium rationum viventium[a] et omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum, ubi novit[b] omnia Deus quae fecit [per] ipsam, et ideo cum decedant et succedant tempora, non discedit aliquid vel succedit scientiae[c] Dei. Non enim quae creata sunt ideo sciuntur a Deo quia facta sunt, at vero potius ideo[d] facta sunt quia immutabiliter sciuntur a Deo ». Et hoc satis habetur super illud Psalmi[2]: *Velociter scribentis,* ubi dicit Glossa[3]: « Non unum post aliud, sed omnia simul in uno verbo aeterno Pater disposuit ». Et sic simul et immutabiliter et sine successione providet mutabilibus.

CAPUT V.

PER QUID SIT PROVIDENTIA.

Sequitur inquirere per quid sit providentia; et hoc modo:

Primo, quaerendum an possit Deus conferre creaturae ut se gubernet sine Deo;

secundo, utrum provideat per creaturas;

tertio, utrum operari per malos[e] conveniat providentiae.

204 ARTICULUS I.

Utrum possit Deus conferre creaturae ut se gubernet sine Deo.

Ad primum sic proceditur[f]: 1. Videtur enim, cum sit omnipotens, quod possit omnia conferre; ergo potest conferre creaturae ut gubernet se.

Contra: *a.* Deus non posset dare creaturae quod non dependeret a Creatore secundum esse, sicut nec posset quod esset a se; sed si daret creaturae quod gubernaretur a se, daret illi quod non dependeret a Creatore; ergo etc.

b. Item, Damascenus[4]: « Necesse est eumdem[g] esse factorem eorum quae sunt et provisorem ». Ergo cum nulla creatura[h] sit a se, nulla creatura poterit se regere.

[Solutio]: Quod concedimus, dicentes quod nulla creatura potest esse sufficiens ad se regendum.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud vero[i] quod obicitur quod ' Deus est omnipotens, ergo potest creaturae conferre potentiam regendi se ': dicendum, secundum Augustinum[5], quod quoddam est non-posse, quod magis est posse quam non-posse; unde quod Deus non potest peccare, quod non potest facere aliquam creaturam aequalem sibi, quod non potest creaturae conferre quod sit sufficiens ad regendum se[k], non dicunt impotentiam in[l] Deo, sed magis potentiam. Unde sicut derogaret potentiae Dei[m] qui poneret creaturam aliquam a se ipsa, ita derogat sapientiae vel bonitati divinae[n] qui ponit creaturam esse sufficientem ad regimen sui; unde quod non potest creatura se regere[o] non est de impotentia Dei, sed de impotentia creaturae quae tantam virtutem non potest capere.

205 ARTICULUS II.

Utrum Deus provideat per creaturam.

Secundo quaeritur utrum Deus provideat per creaturam.

Ad quod sic: *a.* Augustinus, *Super Genesim ad litteram,* VIII[6]: « Gemina operatio providentiae reperitur, partim naturalis[p], partim voluntaria: naturalis per occultam Dei administrationem, per quam dat lignis et herbis incrementum; voluntaria per angelorum opera et hominum ». Ergo providentia divina expletur[q] per creaturas.

---

[a] L om. [b] Codd. *univit* pro *u. n.* [c] BRLF add. *vel sententie.* [d] L om. [e] B *malas.* [f] BRLF om. [g] F om. [h] L om., BRF om. *sit.* [i] BRLF om. *A. i. v.* [k] R om. [l] R om. [m] BRLF om. [n] BRLF om. [o] V (corr.) *dirigere.* [p] B om. *p. n.* [q] L *completur,* quod V corr.

1 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1495), ex Augustino, *De Trinit.,* VI, c. 10 (PL 42, 931).

2 Psalm. 44, 2.

3 *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 909), ex integro apud Lombard., in h. l. (PL 191, 439). Cf. Augustin., *Enarr.,* in h. l. (PL 36, 498); *Confess.,* XI, c. 7 (PL 32, 813); *De Gen. ad litt.,* II, c. 6, n. 12 (PL 34, 268).

4 *De fide orthod.,* II, c. 29 (PG 94, 963).

5 Cf. supra, pp. 229b, 237a, 238a.

6 Cap. 9 (PL 34, 379), ubi et sequens.

b. Item, Augustinus, in eodem: « Secundum primam differentiam providentiae [a] est quidquid in rebus naturali interiorique motu congeritur [b]; secundum aliam, signa dare, docere, discere et quaecumque alia sive in hac terrena sive in illa caelesti societate aguntur ».

c. Item, Boethius, IV *De consolatione* [1]: « Fato haec ipsa quae disponit, multipliciter ac temporaliter administrat; sive igitur famulantibus quibusdam providentiae divinis spiritibus fatum exercetur, sive anima seu tota inserviente natura seu caelestibus siderum motibus seu angelica virtute seu daemonum varia solertia seu aliquibus horum seu omnibus fatalis series texitur: illud certe manifestum est, immobilem simplicemque gerendarum rerum esse providentiam ».

Contra: 1. Boethius [2]: « Providentia est divina ratio in summo omnium Principe constituta, quae [c] cuncta disponit »; sed ordinatio [d] cunctorum non est per creaturam, nec [e] dispositio quae est secundum illam; ergo nec providentia.

2. Item, per simile in rege temporali: quod enim non providet in regno suo [f] per se, sed per alium, hoc [g] est ex defectu; sed in Rege aeterno non est defectus; providet ergo per se, non per alium.

Respondeo: Providentia Dei dicitur proprie divina ratio qua cuncta gubernantur: et hoc modo providentia Dei se ipsa solum est; alio modo executio providentiae, scilicet ipsa gubernatio: et haec in pluribus est per creaturam. Tamen distinguendum, quia cum dicitur 'providere, gubernare per creaturam', 'per' potest dicere [h] subauctoritatem: et hoc modo verum est et significatur quod [i] una creatura gubernat aliam, et hoc habet a Deo, quemadmodum diceretur 'rex gubernat civitatem per praepositum', hoc est praepositus gubernat et hoc habet a rege; vel potest dicere auctoritatem: et hoc modo [k] falsum est, quia esset sensus quod Deus gubernaret et hoc haberet [l] a creatura; sed [m] e converso esset verum 'creatura gubernat aliam per Deum', similiter [n] 'praepositus regit civitatem per regem'.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [o] quod obicitur quod « providentia est divina ratio in summo omnium Principe constituta, quae [p] cuncta disponit »: dicendum quod duo dicuntur ibi, scilicet divina ratio, quantum ad quod non famulatur ibi creatura; et dicitur dispositio, cui famulatur creatura [q], et per creaturam potest esse dispositio, id est executio dispositionis et gubernationis creaturarum inferiorum per superiores.

2. Ad aliud dicendum quod non providere per se, sed per alium, potest esse triplici ex causa: vel ex defectu illius qui debet providere vel ex defectu illius cui debet fieri provisio vel ex parte illius per quem est provisio. Ex defectu providentis: ut cum ille non est potens per se explere quod vult, ut patet in exemplo posito de rege. Ex parte illius cui debet fieri provisio: ut patet, quia providentia divina administrat inferiores creaturas per superiores [3], quia inferiores propter defectum suum non sunt immediate susceptibiles divinae actionis; sicut patet in oculo, qui non potest videre solem in rota et videt eum in medio, scilicet in aqua vel in speculo: similiter providentia Dei administrat inferiores creaturas per superiores, rationales autem creaturas [r] per se, et etiam quasdam per alias, ut homines per angelos [s], et alios angelos per angelos [4]. Item, propter utilitatem illius per quem est [t] providentia, fit provisio per alium: ut Deus vult administrari pauperibus a divitibus propter utilitatem divitum, vult etiam quosdam doceri per alios. Istis [u] duabus ultimis rationibus providet Deus per alios, non propter primam, quia hoc non est ex defectu qui sit in Deo, sed propter defectum creaturae cui administratur vel propter utilitatem illius per quem [v] alii administratur vel providetur.

ARTICULUS III. 206

Utrum operari per malos conveniat providentiae.

Tertio quaeritur utrum operari per malos conveniat providentiae.

Ad quod sic: *a.* Augustinus, *83 Quaestionum* [5]: « Fieri potest uf per bonum hominem et malum divina providentia opituletur ».

Contra: 1. Melior est providentia qua providetur bonum et per bonum quam illa qua providetur bonum et [x] per malum, quia totum ibi bonum; sed dicit Damascenus [6] quod quaecumque fiunt per providentiam, convenientissime fiunt; ergo divina providentia providet bonum per bonum, non per malum.

---

[a] PVS *providentia.* [b] Ita BR, alii add. *quia.* [c] Ita BR, alii *qua.* [d] BR *ordo.* [e] F *scd.* [f] S *scilicet.* [g] PV *hec.* [h] L om. [i] L *ad,* BRLF om. *una.* [k] B om. [l] V om. *e. h. h.* [m] V om. [n] RLF *simile.* [o] BRLF om. *A. l.* [p] Ita BR, alii *qua.* [q] B om. *t... creatura.* [r] L om. [s] B om. *p. a.* [t] PVS *fit.* [u] F add. *autem.* [v] Ita VL, alii *quam.* [x] V om. *per... et.*

1 Prosa 6 (PL 63, 815).
2 Loc. cit. (PL 63, 814).
3 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* IX, c. 14 (PL 34, 402).
4 Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hierarch.,* passim.
5 Quaest. 27 (PL 40, 18).
6 *De fide orthod.,* II, c. 29 (PG 94, 963).

2. Item, quaerit Origenes[1] qua ratione Deus providit quod spiritus prophetiae loqueretur per malos et infideles et etiam per gentiles, cum tamen contrarium videatur, Sap. 1,5: *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu*[a]. Cum ergo infideles et gentiles habeant cogitationes sine intellectu veritatis, non deberet Spiritus Sanctus per ipsos loqui. Quare ergo locutus est per Balaam, Num. 23,16, et per Caipham, Ioan. 11,50?

Solutio[b]: Dicendum quod Deus etiam providet per malos.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur in contrarium: dicendum, secundum Augustinum[2], quod melius dicitur dupliciter: melius enim dicitur quantum ad aliquid, vel melius simpliciter vel universaliter. Dicendum ergo quod etsi melius esset quantum ad aliquid providere bonum per bonum, quia melius quantum ad illum per quem provideret, non[c] tamen universaliter, quia malum in universitate etiam est ad maiorem pulcritudinem universitatis et maiorem gloriam bonorum; et ponit Augustinus[3] exemplum in sonis et in[d] coloribus, sicut dicetur infra in[e] Quaestione de permissione voluntatis divinae[4]. In hoc enim est magna[f] pulcritudo universi et magna laus bonitatis divinae, quod malos facit servire bonis.

2. Ad aliud respondet Origenes[5] dicens: « Agebatur mira dispositione providentiae divinae ut Prophetarum verba ea quae intra Israeliticam aulam continebantur, per Balaam ad gentes pervenirent, cum ei omnes gentes crederent, et nationibus secreta de Christo mysteria revelarentur ». Ratio ergo huius est quia Spiritus Sanctus volebat loqui per illum cui magis crederetur; unde quia[g] gentes infideles magis credebant Balaam infideli quam alii, licet malus esset, ideo Spiritus Sanctus per eum voluit loqui gentibus. Vel etiam ratio potest esse ut veritas ab[h] adversariis veritatis nuntiaretur, et in hoc excellentior appareret quod etiam adversarii eius eam[i] confiterentur. Similiter de Caipha, qui erat summus sacerdos, cui Iudaei credebant, ut credentes ei Iudaei inexcusabiles fierent, et alii, scilicet electi[k], reverterentur ad cor, Ioan. 15,22: *Si non venissem et eis locutus non fuissem, peccatum non haberent; nunc*[l] *autem non habent excusationem de peccato suo.* — Ad hoc quod obicitur dicendum quod Spiritus Sanctus longe est ab infidelibus et aliis malis, quia non format eorum affectum, sed tamen nihilominus illuminat intellectum eorum et[m] instruit ad veritatem proferendam, et hoc non propter ipsos, sed propter utilitatem aliorum; unde Philip. 1,18: *Sive per occasionem sive per veritatem Christus annuntietur*[n], *in hoc gaudeo* etc. Similiter, sive[o] per iustos sive per iniustos Christus annuntietur[p], semper gaudendum est.

207

CAPUT VI.

DE MODIS PROVIDENTIAE.

Post haec quaeritur de modis providentiae divinae, scilicet quot modis.

Ad quod nota quod dicit Damascenus[6] quod « providentia haec quidem secundum acceptationem, haec[q] secundum concessionem: secundum acceptationem », ut eorum quae per se bona, sive quae « incontradictive[r] sunt bona; secundum concessionem », quam ipse vocat derelictionem, « respectu eorum quae sunt mala ». Distinguit autem derelictionem in duas species: una est « derelictio dispensativa », id est castigativa « sive eruditiva »; alia[s] est « finalis, desperativa. Dispensativa vero est quae ad directionem et gloriam et salutem patientis fit, sive ad alterius zelum et imitationem, vel ad gloriam Dei. Desperativa vero derelictio est quando, Deo omnia quae[t] ad salutem faciente, homo insensibilis et incurabilis[u] ex proprio proposito permanet, et tunc traditur[v] in finalem perditionem ». — Item, derelictionem dispensativam sive eruditivam dividit in septem species, quarum « prima est cum concedit iustum incidere in calamitates, ut in eo latentem virtutem aliis manifestam faciat, ut in Iob[7]; secunda est, cum concedit inconvenientium quid agi, ut per operationem aestimatam inconvenientem[x], magnum quid et mirabile dirigatur, ut per crucem salutem hominum; tertia, cum concedit pati[y]

[a] In P nota marg.: *Prava enim cogitatio separat a Deo, ut dicitur in Prov. G.* [b] F add. *in contrarium.* [c] L om. [d] S om. [e] BRLF om. [f] R *magis.* [g] B om. [h] S om. [i] F om. [k] V om. [l] P *non.* [m] PVS *ad*, F *instituit* pro *instruit*, quod L corr. [n] BR *nuntietur.* [o] B om. [p] S *autem nuntietur.* [q] BRLF *acceptionem hec quidem* pro *a. h.* [r] VS *in contradictione.* [s] F *id.* [t] F om. [u] F *increabilis*, R add. *vel.* [v] P *traditus.* [x] Codd. *convententem.* [y] P *parti iustum.*

[1] *In Numer.*, hom. 14 (PG 12, 678).
[2] Cf. *De civit. Dei*, XI, c. 23 (PL 41, 336); *De lib. arbit.*, III, c. 5, n. 13 et c. 9, n. 26 (PL 32, 1277, 1283).
[3] *De Gen. ad litt. lib. imperf.*, c. 5, n. 25 (PL 34, 229).
[4] Cf. tract. sequens.
[5] *In Numer.*, hom. 14, n. 3 (PG 12, 681).
[6] *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 966); cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 10 (f. 25d sq.).
[7] Iob. 1, 12 sq.

sanctum, ut non ex recta conscientia vel ex data sibi virtute in superbiam incidat, ut in Paulo, II Cor. 12,7; quarta, quando derelinquitur quis ad tempus in directionem [a] aliorum, ut quod secundum ipsum est intuentes alii instruantur, ut in Lazaro [1]; quinta est, quando derelinquitur quis in alterius gloriam, non propter proprium vel parentum peccatum, ut in caeco nato propter gloriam Christi, Ioan. 9,3; sexta est, cum conceditur quis pati in alterius zelum, ut, gratia eius qui passus est considerata, impigra [b] aliis passio fiat, ut in martyribus; septima est, quando [c] conceditur quis in nefariam incidere operationem, in directionem [d] alterius deterioris passionis, ut elatus in virtutibus incidere [e] in adulterium ut ex casu humilietur ».

Sed quaeritur multipliciter. I. *a.* Cum enim sit duplex providentia, ut dictum est [2], secundum acceptationem [f] et secundum concessionem, similiter possumus considerare voluntatem beneplaciti dupliciter: uno modo secundum se, et sic eadem est cum providentia; item, quantum ad sua [g] signa, quae sunt quinque, scilicet praeceptio, prohibitio, permissio, consilium, impletio. Si igitur providentia sit eadem cum voluntate beneplaciti, signa eiusdem erunt eadem; ergo providentia secundum concessionem se extendit ad haec quinque signa.

Contra: 1. Providentia secundum concessionem totaliter continetur in septem differentiis, quae dictae sunt; sed omnes istae septem [h] differentiae aut respiciunt malum culpae aut poenae, quae utraque sunt in permissione Dei et impletione [i] tantum; non ergo est eadem [k] providentia secundum concessionem cum signis voluntatis Dei, cum totaliter adaequetur impletioni et permissioni; ergo nec providentia secundum acceptationem [l] erit eadem cum voluntate beneplaciti.

II. Item, cum duplex sit voluntas in Deo, secundum quod distinguit Damascenus [3], una antecedens, qua *vult omnes homines salvos fieri* [4], et alia consequens, qua vult electos esse in gloria et reprobos in poena, quaeritur de prima voluntate utrum ad providentiam reducatur.

Et videtur quod non reducatur ad providentiam secundum acceptationem: 1. Nam dicit Damascenus [5] quod voluntas antecedens est secundum acceptationem; sed quaecumque sunt sub [m] huiusmodi providentia incontradictive [n] sunt; ergo necessarium est *omnes homines salvos fieri;* sed hoc falsum [o], quia quidam praedestinati sunt ad gloriam, quidam vero ad poenam praesciti; ergo illa, qua *vult omnes homines salvos fieri,* non reducitur ad providentiam secundum acceptationem; reducitur ergo ad providentiam secundum concessionem; sed talis providentia est respectu eorum quae sunt a libero arbitrio et requiritur semper ibi aliquid de nostra voluntate; ergo voluntas Dei secundum hoc dependeret a nostra voluntate: quod est inconveniens; ergo voluntas, qua *vult omnes salvos fieri,* non erit a providentia secundum acceptationem, nec a providentia secundum concessionem.

III. Item, quaeritur: quae est ratio quare providentia, quae est secundum acceptationem, secundum quod proprie sumitur, manet indivisa, providentia vero quae est secundum concessionem, dividitur in septem? Similis quaestio est de voluntate beneplaciti, quae non dividitur; voluntas vero signi dividitur in quinque, sicut dictum est [6].

Respondeo: Providentia semper respicit bonum; sed est bonum incontradictive, et illud est bonum absolute et simpliciter; et est bonum in comparatione, hoc est quantum ad aliquid. De bono absolute et simpliciter est providentia secundum acceptationem; de bono in comparatione est providentia concessionis, secundum quod distinguitur voluntas beneplaciti et permissionis. Est enim bonum quod elicitur ex bono, cuius est acceptatio [p]; est bonum quod elicitur ex malo, cuius est concessio. — Item, bonum elicitur ex malo castigativo [q] vel ex malo desperativo; malum castigativum est malum praesens, malum desperativum est malum aeternae damnationis. Potest ergo elici bonum ex malo temporali, quod respicit providentia quae est secundum derelictionem, dispensationem et eruditionem [r]; item, potest elici bonum ex malo aeterno, scilicet iustitia Dei et laetitia sanctorum, et illud respicit providentia quae est secundum derelictionem et desperationem. — Item, bonum quod elicitur ex malo temporali aut est bonum proprium [s] aut bonum proximi vel gloria Dei: et [t] ex verbis Damasceni [7] accipiuntur hae differentiae. Si est bonum quod elicitur ad gloriam Dei: sic est quinta differentia,

---

[a] PS *direptionem.* [b] F *in gratia.* [c] BRLF *quia.* [d] PS *direptionem.* [e] PVS *incidat.* [f] PVS *acceptionem.* [g] R *alia.* [h] L om., B om. *differentiae.* [i] BL *in plenitudine,* F *plenitudine.* [k] B om. [l] L *acceptionem.* [m] F *in.* [n] PV *in contradictione,* quod S corr. F add. *est.* [o] F add. *est.* [p] F *castigando.* [q] L om. *e. e.* [r] PV *proprii.* [s] R *ut.*

[1] Cf. Luc. 16, 23 sqq.
[2] Cf. hic parum supra.
[3] *De fide orthod.,* II, c. 29 (PG 94, 970).
[4] Cf. I Tim. 2, 4.
[5] Loc. cit. (PG 94, 966, 970).
[6] Cf. supra, num. I.
[7] Cf. supra, p. 298.

scilicet quando « derelinquitur quis in alterius gloriam, ut in caeco nato ». Si elicitur bonum ex malo: aut hoc est propter bonum [a] alterius generale, ut derelictio Christi in cruce, aut propter bonum alterius speciale, quod est duplex [b], scilicet in declinando malum vel faciendo bonum, vel aliter, in agendo et in patiendo [c]; si bonum in agendo: sic fuit derelictio in Lazaro; si bonum in sustinendo, hoc modo derelicti sunt martyres. Item, bonum proprium est tripliciter, et ita propter bonum proprium est triplex [d] derelictio: vel in malo [e] poenae, ut in Iob; vel in malo tentationis, ut in Paulo; vel [f] in malo culpae, ut in illo qui permittitur cadere « in adulterium ut de casu humilietur [g] ». Et sic patet ratio septem [h] differentiarum providentiae quas ponit Damascenus.

I. Ad primo quaesitum dicendum quod providentia [i] secundum acceptationem tripliciter dicitur: uno modo, secundum quod [k] est aliquorum quae incontradictive bona sunt nec subsunt libero arbitrio, sicut [l] sunt illa quae ipse Deus per se et immediate operatur, et etiam naturalia; alio modo, subsunt aliqua divinae providentiae, quae egrediuntur non tantum a divina providentia, sed ad hoc ut sint requiritur alterius consensus [m] vel non resistentia, ut est virginem parere; tertio [n], subsunt aliqua divinae providentiae, quae egrediuntur in esse non tantum a Deo, sed etiam [o] alio operante vel cooperante, ut sunt boni actus, qui sunt a libero arbitrio. Iis tribus modis se habet ad res providentia secundum acceptationem, et similiter ipsa [p] voluntas beneplaciti. Nihilominus tamen ipsa providentia se extendit ad aliqua, ad quae non se extendit voluntas beneplaciti, ut patet de aliquibus praeceptis: quod enim Abraham *immolaret filium suum* [1], istud datum fuit ei a divina providentia, nec tamen fuit voluntas beneplaciti quod ipsum immolaret; similiter de libello repudii [2], quamvis a divina providentia permitteretur, non tamen fuit voluntas beneplaciti. Sic igitur aliqua subsunt [q] providentiae secundum acceptationem quae non subsunt voluntati beneplaciti, cum tamen haec duo eadem sint; et hoc ideo est quia voluntas beneplaciti se habet ad res ut creans, providentia vero non tantum ut creans, sed aliquando ut ordinans.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicit quod 'providentia secundum concessionem se extendit tantum aut ad malum culpae aut poenae, ergo tantum est sub permissione et adimpletione', dicendum quod concessio dicitur dupliciter: uno modo, prout est idem quod permissio, et sic verum est quod obicit; alio modo dicitur concessio illa libertas quae conceditur libero arbitrio faciendi quod vult, sive bonum sive malum, et hoc modo, sicut ipsum liberum arbitrium se extendit ad omnia illa [a] quinque quae dicta [b] [3] sunt, ita ad omnia illa se extendit providentia secundum concessionem. Sed notandum [c] quod providentia ipsa se habet ad res prout iam sunt in esse constitutae: et sic respicit impletionem et permissionem in quantum sic sunt, quia dicunt rem in esse; alia vero tria signa dicuntur respectu eorum quae fienda sunt, non ut iam facta: sicut praeceptum [d], consilium et prohibitio, et ideo in ratione qua sic sunt, nondum sunt sub providentia, sed illa eadem, cum ad esse vel completionem venerint, tunc sub providentia sunt.

II. Ad aliud dicendum quod [e] providentia, qua *vult omnes homines salvos fieri*, reducitur ad providentiam secundum acceptationem; sed haec providentia multipliciter comparatur ad res, ut dictum est [f] [3]. Uno modo comparatur ad res quarum ipse Deus est tota causa, nec ad esse huiusmodi rerum coexigitur [g] aliqua concausa, sicut liberum arbitrium vel huiusmodi; et in huiusmodi inducit providentia necessitatem et similiter ipsa voluntas: et talia sunt [h] incontradictive [i] bona; unde Rom. 9, 19: *Voluntati eius quis resistet?* quasi diceret: nullus. Sed de hac providentia vel voluntate non intelligitur illud: *Vult omnes homines salvos fieri* [k]. Istud enim, scilicet aliquem salvum fieri, non est tale quod habeat tantum esse a divina providentia vel voluntate, sed etiam a libero arbitrio cooperante vel coadiuvante [l]; et in talibus non inducit providentia vel voluntas necessitatem; unde non sequitur: '*Vult omnes homines salvos fieri*, ergo omnes salvabuntur'. Nihilominus tamen vult hoc voluntate beneplaciti antecedenti, id est paratus est omnibus dare gratiam, etiam finalem, qua salvabuntur, dummodo liberum arbitrium, prout debet, cooperetur [m]; quae ideo voluntas antecedens dicitur propter [n] gratiam bene faciendi, quam praeparat nobis Dominus et praetendit. Et est simile de luce, quae, quantum in se est [o], omnes illuminat, nec tamen illuminantur propter aliquod impedimentum ex parte [p] ipsorum.

---

[a] F *malum.* [b] PVS *dupliciter.* [c] P add. *bonum.* [d] BRLF om. [e] BRLF *malum.* [f] PVS *aut.* [g] In P nota marg.: *[Cas]us enim Petri sibi profuit [et] aliis. G.* [h] S (corr.) B *octo*, alii *in libro.* [i] F *providentie dicendum* pro *d. q. p.* [k] V om. [l] BR *que.* [m] V *sensus.* [n] BR om. [o] R add. *ab.* [p] F *ista*, S *ut* pro *et.* [q] F *sunt divine.*

[a] S *alia.* [b] L *predicta.* [c] BRLF add. *est.* [d] B *preceptio.* [e] F *quoniam.* [f] L om. [g] V *exigitur.* [h] PVS add. *etiam.* [i] V (corr.) *in contradictione.* [k] BR *facere.* [l] F *adiuvante.* [m] PVS *operetur.* [n] S om. [o] BLF om. [p] B om. *e. p.*; in P nota marg.: *Augustinus exponit in Enchiridion verbum istud: Vult omnes homines salvos fieri. G.*

[1] Cf. Gen. 22, 10. [2] Cf. Deuter. 24, 1; Matth. 19, 7. [3] Cf. p. 300a.

III. Ad aliud dicendum quod providentia secundum acceptationem et etiam voluntas beneplaciti referuntur et terminantur [a] etiam in ipso Deo; unde haec est voluntas qua quiescit in se [b] Deus, de qua Rom. 12,2: *Ut probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta;* et de hac providentia dicitur Prov. 12,2: *Universa propter se ipsum* [c] *operatus est Dominus.* Quia igitur haec duo referuntur et dicuntur terminari in Deum, qui in se manet indivisus, ideo ipsa indivisa manent [d]; voluntas vero [e] signi et providentia secundum concessionem referuntur ad creaturas, sicut patet de praeceptis, prohibitionibus et huiusmodi, et ideo dividuntur.

CAPUT VII.

DE EFFECTU PROVIDENTIAE.

Consequenter quaeritur de effectu providentiae [f]. Et quaeruntur duo:

Primo, quis sit effectus providentiae;

secundo, utrum effectus providentiae inferat necessitatem [g] rebus.

ARTICULUS I. 208

Quis sit effectus providentiae.

Quantum ad primum quaeritur utrum effectus providentiae sit quod producantur res in esse vel quod permaneant [h] res in esse aut quod gubernentur, vel se extendat ad omnia ista.

a. Quod autem ad effectum providentiae pertineat productio rerum in esse, probatur per Boethium, *De consolatione* [1], qui loquens de differentia providentiae et praevidentiae [i], dicit quod providentia est rerum ut sint. — Item, Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [2]: « Gemina est providentiae operatio: naturalis et voluntaria; naturalis per occultam administrationem naturae [k], voluntaria per angelorum et hominum administrationem; secundum primam arbusta et animalia habent concipi et nasci, caelestia et terrestria ordinari ». Ergo per providentiam nascuntur res et producuntur in esse.

b. Item, quod ad effectum providentiae pertineat permanentia vel subsistentia, iam [l] probatum est [3] auctoritate Augustini super illud [4]: *Requievit Deus.*

c. Item, quod se extendat ad gubernationem, probatur per Damascenum [5]: « Generatio nostra est virtutis conditivae [m], permanentia virtutis contentivae, gubernatio et salus virtutis provisivae ».

Sic ergo providentiae effectus se extendit ad esse rerum et permanentiam et gubernationem.

Contra: 1. Penes esse rerum et gubernationem et provisionem distinguitur virtus conditiva, contentiva et provisiva a [n] Ioanne Damasceno, in praedicta auctoritate; ergo cum ibi virtuti provisivae attribuitur rerum gubernatio tantum [o], se extendit providentia ad rerum gubernationem.

Solutio: Providentia aliquando accipitur communiter, et sic pertinet ad virtutem conditivam et contentivam et provisivam: secundum hoc res ab ipsa sunt, permanent et gubernantur; et sic accipitur a Boethio, in libro *Consolationis* [6], cum determinat de providentia per comparationem ad fatum. Aliquando autem sumitur proprie: et secundum hoc ei [p] attribuitur gubernatio tantum, et tunc etiam distinguitur virtus provisiva a [q] contentiva et conditiva.

ARTICULUS II. 209

Utrum providentia inducat necessitatem rebus.

Consequenter quaeritur utrum providentia inducat necessitatem ipsis rebus provisis.

Ad quod sic: 1. Boethius [7]: « Ordo ille, inevitabili connexione procedens, a fonte providentiae

---

[a] Ita BR, alii *creantur.* [b] BR add. *ipse.* [c] F *semetipsum* pro *s. i.* [d] BLF *manet.* [e] B *ergo.* [f] V add. *divine.* [g] R add. *in.* [h] L *maneant.* [i] P *vel providentia* pro *e. p.*, quod VLF om. [k] R om., VLF om. *naturalis per... voluntaria.* [l] R om. [m] V (corr.) *contentive.* [n] F om. [o] F *tamen.* [p] V om. [q] P om.

1 Lib. IV, pr. 6 (PL 63, 814).
2 Lib. VIII, c. 9 (PL 34, 379).
3 Cf. supra, p. 175a, litt. *b.*
4 Gen. 2, 2.
5 *De fide orthod.*, II, c. 28 (PG 94, 962).
6 Lib. IV, pr. 6 (PL 63, 815).
7 *De consol. philos.* V, pr. 1 (PL 63, 832).

descendens, cuncta suis locis temporibusque disponit». Ex hac auctoritate patet quod inevitabilis connexio est in ipsis provisis a providentia; sed inevitabilis connexio est necessitas; ergo necessitas inest ipsis provisis a providentia.

2. Item, Boethius[1] dicit: «Haec actus fortunasque[a] hominum indissolubili causarum connexione constringit, quae cum ab immobilis providentiae proficiscantur exordiis, ipsas quoque immutabiles esse necesse est». Ex hac auctoritate plane apparet quod providentia inducat rebus necessitatem.

3. Item, quorum causae sunt immutabiles et necessariae, ipsa quoque sunt immutabilia et necessaria: ob hoc enim dicitur causa necessaria, quod producit effectum necessarium; sed providentia est causa immutabilis et necessaria; ergo res quae ab ipsa sunt, necessariae sunt[b] et immutabiles; ergo inducit necessitatem rebus.

Contra: *a*. Ea quae sunt liberi arbitrii subsunt divinae providentiae; sed ea quae sunt liberi arbitrii non sunt ex necessitate; ergo providentia non inducit necessitatem eis quae providet. — Quod autem illa quae sunt liberi arbitrii non sunt ex necessitate patet: quoniam si essent ex necessitate, tunc[c] peccatum non imputaretur ipsi libero arbitrio; et haec ratio sumitur ex dictis Boethii[2]: «Si apud illum rerum[d] omnium certissimum fontem nihil incerti esse potest, certus est eorum eventus quae futura firmiter ille praescierit. Quare nulla est humanis consiliis actionibusque[e] libertas, quas divina[f] mens, sine falsitatis errore cuncta prospiciens, ad unum alligat et constringit eventum. Frustra enim bonis malisque praemia poenaeve proponuntur, quae nullus meruit liber et voluntarius motus animorum, idque omnium videbitur iniquissimum[g], quod nunc aequissimum iudicatur: vel puniri[h] improbos vel remunerari probos, quos ad alterutrum propria non mittit voluntas, sed futuri cogit certa necessitas». Ex iis inconvenientibus videtur quod divina providentia non imponat rebus[i] sibi subiectis necessitatem.

Solutio: Dicendum quod divina providentia, secundum quod huiusmodi, inducit rebus necessitatem ordinis; nec dico necessitatem quod haec res sit vel illa, sed necessitatem quod ordinetur postquam est. Et hoc etiam facit in iis quae sunt a libero arbitrio: licet mutabiliter procedant in esse a libero arbitrio, tamen inducit[k] necessitatem ordinis, postquam sunt ab illo, non necessitatem ad hoc quod sint.

Circa quod notandum quod[l] multiplex est necessarium[3]. Uno modo dicitur necessarium, quod impossibile est aliter se habere vel esse, et hoc est necessarium simpliciter: et hoc modo dicitur Deus necessario esse et ea quae semper sunt et principia philosophiae, et istud est necessarium absolute. — Item, aliter dicitur necessarium respective, et hoc dicitur[m] multipliciter: quia est 'necessarium ab hoc', et sic dicitur necessarium quod per violentiam inducitur, sicut quod grave ascendit sursum, est necessarium, sed hoc per violentiam: unde ab illo, qui elevat ipsum sursum, est ista[n] necessitas; item, est 'necessarium cum hoc': sicut necessarium est spirare animali habenti cor et pulmonem; item, est 'necessarium ad hoc': et hoc modo dicitur medicina necessaria ad sanitatem, non quia sine ipsa non possit esse sanitas, sed[o] necessaria est ad illam habendam. In iis ergo quae fiunt[p] a providentia est 'necessarium ad hoc', non 'ab hoc'; unde providentia inducit necessitatem 'ad hoc', non 'ab hoc', quoniam providentia non cogit liberum arbitrium; unde non possum ibi dicere necessitatem 'ab[q] hoc', quae est necessitas per violentiam vel coactionem. Unde dicit Damascenus[4]: «Praecognoscit quae in nobis sunt, sed non praedeterminat; non enim compellit virtutem», id est non providet cum coactione faciendi. Unde 'necessarium ab hoc' non est in iis quae providentur ab ipsa providentia, quantum ad voluntaria dico, sed 'necessarium ad hoc', quia cum res est a libero arbitrio, sive bonum fuerit sive malum, ordinatur necessario ab ipsa providentia ad aliquod bonum: non dico ad istud determinate vel ad illud, sed indefinite ad aliquod.

[Ad obiecta]: 1-2. Et dico quod illae auctoritates Boethii non ponunt necessarium eventum ipsius rei mutabilis quae mutabiliter procedit, sicut in voluntariis, sed solum ponitur per hoc immutabilitas ex parte[r] divinae providentiae, quae singulariter stabiliterque facienda[s] disponit.

3. Ad illud quod obicitur dicendum quod non sequitur: 'si providentia est causa necessaria et immutabilis, quod propter hoc res omnes sint immutabiles', quoniam non solum dependet res ex[t] hac causa immutabili, immo ex causa mu-

---

[a] Ita B, alii *fortunas*. [b] R om. [c] PV om., in S est add. marg.; in P nota marg.: *Unde Augustinus, ad* [cod. *apud*] *Publicolam: Que non ex voluntate fiunt, non imputantur, alioquin non liceret habere ferramenta in domo. G.* [d] F *ex*. [e] B *actibusque*. [f] L *divinas*. [g] V *inquisitionum*. [h] F *muniri*. [i] S om. [k] F *inducunt*. [l] F om. [m] V add. *necessarium*. [n] F *ipsa*. [o] L add. *quia*. [p] V *sunt*. [q] L *aliquid*, F *ad*. [r] R om. [s] F *faciendi*. [t] L *ab*.

1 Loc. cit., IV, pr. 6 (PL 63, 817).
2 Loc. cit., V, pr. 3 (PL 63, 841).
3 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 5 (II, 518).
4 *De fide orthod.*, II, c. 30 (PG 94, 971),

tabili sibi immediata et propinqua, sicut a libero arbitrio, secundum cuius dispositionem exeunt, cum immediate exeant ab ipsa, et a prima causa mediante ipsa; et ideo trahunt mutabilitatem ab ipsa ut dicantur mutabiles [a]. — Si obiciatur quod prima causa plus influit quam secunda [1], ergo plus debet trahi ad immutabilitatem primae causae: verum est, plus influit quantum ad esse, quia illa non sine ista, immo ab ista; sed non plus quantum ad dispositionem esse, quoniam etsi prima causa plus influat quam alia, secunda tamen influit plus, id est [b] ampliori conformitate; ideo ei, scilicet secundae causae, conformatur res in dispositione.

CAPUT VIII.

DE FIDE PROVIDENTIAE.

Restat quaerere de fide providentiae. Et quaeruntur duo:

Primo, quaeritur [c] quare non ponitur in Symbolo pro articulo;

secundo, de errore circa providentiam [d].

ARTICULUS I. 210

Quare providentia non ponitur in Symbolo pro articulo.

Quantum ad primum quaeritur: I. Cum in Symbolo sit unus articulus 'Deum esse omnium creatorem', quare non ponitur similiter unus articulus [e] 'Deum esse omnium gubernatorem'?

Et videtur quod deberet esse, quia sicut fides supponit quod Deus sit omnium creator, ita tenet quod ipse est omnium gubernator et conservator.

II. Item, quaeritur: Cum in Symbolo sint diversi articuli ut excludantur per ipsos haereses incidentes contra veritatem fidei; sed sicut erant haereses incidentes circa creationem, videlicet Manichaeorum, qui ponebant duplex esse rerum principium, scilicet deum lucis et [f] deum tenebrarum, ita errabant aliqui circa gubernationem seu providentiam, sicut Epicuraei, qui ponebant omnia esse a casu et nihil esse providentiam; sicut ergo fuit articulus excludens errorem Manichaeorum circa creationem, ita debuisset esse articulus excludens errorem Epicuraeorum [g] circa providentiam.

[Solutio]: Dicimus [h] quod verum est quod per articulos positos in Symbolo debent excludi haereses. Inter [i] articulos igitur quidam sunt qui pertinent ad opera creationis; quidam ad opera recreationis, sicut illi qui sunt de incarnatione et passione; quidam vero ad opera iustificationis et glorificationis, sicut ultimi articuli Symboli.

Quoniam autem circa articulum creationis ab initio error erat circa principium creationis, quoniam quidam [2] ponebant quod unum erat [k] principium boni et aliud mali; alii [3] quod unum erat principium superiorum, aliud inferiorum; item, alii [4] quod unus erat creator spiritualium, alius [l] corporalium: istis igitur erroribus, quia vigebant quasi a principio, oportuit opponi [m] articulos explicite per quos excluderentur. Sed quia haeresis circa gubernationem vel providentiam non erat ita a principio, sufficit quod huiusmodi error excludatur [n] implicite per aliquem articulorum. Unde dicimus quod bene excluditur cum ponimus Deum creatorem: cum enim dicimus eum creatorem, dicimus similiter eum gubernatorem et provisorem, sicut dicit Damascenus [5]. Et est simile, quod Deus sex diebus creavit universum: ibi enim per creationem intelligitur distinctio pariter et ornatus; similiter cum dicimus Deum creatorem, innuimus simul creationem, gubernationem et providentiam. — Et sic patet responsio ad illud quod quaerebatur.

Ad excludendum autem errorem eorum [o] qui ponebant unum principium boni et aliud mali, dicimus sufficere articulum de creatore. Cum enim dicimus eum creatorem, intelligimus per hoc esse principium omnium quae per creationem in esse producuntur, secundum quod dicitur, Eccli. 18,1: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.*

---

[a] F *mutabilitates.* [b] R *quasi* pro *i. e.* [c] BR om. [d] B *evidentiam.* [e] L add. *scilicet.* [f] S *ut.* [g] Ita LF, alii *Epicurorum.* [h] F *dicendum.* [i] R *item.* [k] BRLF om. [l] VBR *aliud,* F *et.* [m] BRF *apponi.* [n] F *includatur.* [o] F om.

1 Cf. *Lib. de causis,* § 1 (p. 163).
2 Ut Gnostici Syrii.
3 Ut Marcion.
4 Ut Gnostici Alexandrini.
5 *De fide orthod.,* II, c. 29 (PG 94, 963).

211 ARTICULUS II.

De errore circa providentiam.

Consequenter quaeritur de errore circa divinam providentiam. Et quaeritur qui magis peccant: an [a] qui negant divinam providentiam esse, an illi qui ipsam ponunt, sed ipsum auctorem, scilicet Deum, accusant, scilicet de malis, dicendo quod non bene regit permittendo mala fieri.

Ad quod sic: Ostenditur quod illi qui [b] negant providentiam, deterius peccant: 1. Quia tales sunt infideles, quia [c] credunt Deum non omnia scire vel gubernare; ergo si infidelitas est maximum peccatum [d], quia est contra fundamentum totius boni, ergo tales deterius peccant.

2. Item, I Cor. 3,14: *Si cuius* [e] *opus manserit, quod superaedificavit* etc. Dicit Glossa [1] quod «cum perfidi in aeternum pereant, prodest illis ex parte credidisse Christum». Ergo illis prodest quod credunt et ponunt providentiam; ergo illi magis peccant qui negant ipsam providentiam.

Contra: *a.* Isai. 18,1: *Vae terrae cymbalo alarum!* Glossa Hieronymi [2]: «Dicit Epicurus non esse providentiam, et [f] voluptatem esse summum bonum; sed illi peiores qui providentiam recipiunt, sed auctorem accusant, quasi errando [g] inutilia fecerit Dominus». Ergo isti secundi peius peccant quam alii.

Respondeo: 1. Dicendum quod illi peius peccant et deterius qui ponunt providentiam, sed auctorem accusant.

2. Et quod obicitur quod «prodest illis credidisse»: dicimus [h] quod haec Glossa vult dicere quod [i] pro illo quod crediderunt non punientur, sed alii punientur qui non crediderunt; isti autem non punientur pro illo, tamen gravius et acerbius punientur simpliciter, quia scientia fidei in ipsis aggravat peccatum suum ratione contemptus. Unde Iac. 4,17: *Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi*; et Luc. 12,47: *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui* [k] *et non facit, vapulabit plagis multis; qui autem non cognovit, vapulabit paucis.* Unde patet quod gravius est peccatum illud, quia gravius punietur [l], et hoc propter contemptum. Nihilominus tamen alius punietur ratione ignorantiae eorum quae sunt necessaria ad salutem, pro qua non alius; unde I Cor. 14,38: *Ignorans ignorabitur,* quia cum posset scire [m] quae sunt necessaria ad salutem, ignoravit tamen illa: ex quo punietur; alius autem ratione contemptus, qui occasionaliter ex scientia generatur.

TITULUS II.

DE FATO.

Consequenter quaerendum est de fato:
Primo, an sit;
secundo, quid sit;
tertio, quorum sit;
quarto, in quibus radicaliter sit;
ultimo, de concordantia liberi arbitrii cum fato.

212 CAPUT I.

AN SIT FATUM.

Circa primum sic proceditur: *a.* Boethius, in libro *De consolatione* [3]: «Fatum est rebus mobilibus inhaerens dispositio, per quam providentia suis quaeque nectit ordinibus»; sed dispositio existens in rebus mobilibus aliquid est; ergo fatum aliquid est.

---

[a] V add. *illi.* [b] L om. [c] V *qui.* [d] R om. [e] F *eius.* [f] P add. interl. *dicit.* [g] L *quam creando* pro *q. e.*, R *quare* pro *quasi*, [h] L *dicit.* [i] V om. [k] V *servi.* [l] V *puniuntur*, BRLF *punitur*, S om. *hoc.* [m] R om.

[1] Lombardi, in h. l. (PL 191, 1561), ex Ambrosio, in h. l. (PL 17, 200).

[2] *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 1259), ex Hieronymo, in h. l. (PL 24, 247).

[3] Lib. IV, pr. 6 (PL 63, 815).

Contra: 1. Gregorius, in *Homilia Epiphaniae* [1]: « Absit hoc a fidelium cordibus ut fatum aliquid esse dicant ». Ergo [a] fatum nihil est.

2. Item, providentia divina est [b] cognoscitiva eorum quae sunt futura; praecognitio autem Dei nihil relinquit [c] in rebus futuris — quoniam si relinqueret, cum ipsa sit ab aeterno, esset aliquid in rebus futuris ab aeterno [d]; ergo ex providentia nihil relinquitur in rebus provisis — quare si fatum, sicut dicit Boethius, est « dispositio in mobilibus » relicta ex divina providentia, cum nihil aliud a providentia relinquatur in rebus futuris: aut [e] fatum simpliciter nihil erit vel non erit aliud [f] a divina providentia.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod fati duplex est acceptio [2]. Una, secundum quam dicitur lex astrorum, quae rebus singularibus dicitur inducere necessitatem et etiam [g] libero arbitrio; et secundum hanc acceptionem dicit Augustinus [3] quod « fatum est vis positionis siderum, qua existente quando quis concipitur vel nascitur, cognoscitur qualis futurus sit »; et sic acceptum ' nihil est ', ut dicit Gregorius [4]. Alia est acceptio fati, secundum quam dicitur quaedam dispositio sive connexio [h] relicta in rebus temporalibus a summo Artifice sive a divina providentia; et secundum hoc sic definitur a Boethio [5]: « Fatum est eorum, quae divina simplicitas gerenda disposuit, mobilis nexus atque ordo temporalis »; et sic sumptum aliquid est et definitur a Boethio, sicut dictum est [6]: « Fatum est rebus [i] mobilibus inhaerens dispositio » etc.

2. Ad hoc quod obicitur quod ' providentia nihil relinquit in rebus provisis [k] sicut nec praecognitio ': dicendum quod providentia habet [l] et rationem cognoscitivae et rationem factivae. Quantum ergo ad rationem cognoscitivae, nihil relinquitur nec sic ab ea dicitur relinqui fatum. Sed ulterius habet rationem faciendi; virtus autem factiva relinquit aliquid in factis; unde etiam Boethius [7] dicit quod non dicitur praevidentia, sed providentia [m], et Damascenus [8] etiam dicit quod est voluntas, et non ponit eam tantum in cognitiva. Ab hac ergo, prout est factiva et non entium tantum, sed mobilium, supra [9], et non factiva tantum, sed etiam gubernativa, relinquitur fatum. Et ideo fatum est aliquid, scilicet ipsa dispositio relicta in rebus mobilibus, non solum ratione eius quod erat factiva providentia, sed ratione eius quod erat gubernativa: in gubernatione enim sonat hoc verbum « nectit », quod ponitur in definitione fati [n] supra posita [10].

CAPUT II.

QUID SIT FATUM.

Secundo quaeritur quid sit fatum: Primo, quid sit secundum rem; deinde [o], quid sit secundum definitionem.

ARTICULUS I. 213

Quid sit fatum secundum rem.

Circa primum quaeritur quid sit fatum secundum [p] essentiam, utrum sit quid creatum vel increatum.

Quod [q] **sit quid increatum** [r] **videtur sic**: 1. Augustinus, V *De civitate Dei* [11]: « Prorsus [s] divina providentia regna constituuntur humana; quae si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat ». Ex iis verbis videtur quod secundum veritatem fatum nihil aliud est quam divina voluntas, haec autem increata.

2. Idem [t], in eodem libro [12]: « Ordinem causarum, ubi voluntas Dei plurimum potest, nec negamus neque fati vocabulo appellamus, nisi forte fatum a fando dictum intelligamus, id est a loquendo; non enim abnuimus [u] scriptum esse: *Semel locutus est Deus* [13], id est [v] incommutabiliter locutus est, sicut novit omnia quae futura sunt vel quae ipse facturus est. Hac utique [x] ratione

---

[a] P om. [b] V *et*. [c] PVS *derelinquit*, V *de* pro *in*. [d] F om. *esset... aeterno*. [e] V *ut*. [f] PVS *aliquid*. [g] B om. *e. e.* [h] BR *cognitio*. [i] B *rerum*. [k] L *previsis*. [l] V om. [m] PV om. *s. p.* [n] BR *Boethii*, LF *boni*; LF *supposita* pro *s. p.* [o] F add. *queritur*. [p] BRLF *per*. [q] V *Et quod*. [r] L *creatum*, R om. *sic*. [s] LF om. [t] VB *Item*, S *Item idem*. [u] VB *habuimus*. [v] V *vel* pro *i. e.* [x] LF *itaque*.

1 *In Evang.* hom. 10, n. 4 (PL 76, 1112).
2 Cf. supra, p. 288b.
3 *De civit. Dei*, V, c. 1 (PL 41, 141).
4 Cf. ad n. 1.
5 Loc. cit. (PL 63, 816).
6 Cf. ad litt. *a*.
7 Loc. cit., V, pr. 6 (PL 63, 860).
8 *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 963); cf. Nemes., *De nat. hom.*, c. 43 (PG 40, 791).
9 Cf. Boethii textus, sub n. 2.
10 Cf. ad litt. *a*.
11 Cap. 1 (PL 41, 141).
12 Loc. cit., c. 9, n. 3 (PL 41, 150).
13 Psalm. 61, 12.

possemus a fando [a] fatum appellare, nisi hoc nomen iam in alia re soleret intelligi ». Ergo si fatum est aliquid, illud est verbum quo Deus immutabiliter dicit creaturas [b].

Contra: *a.* Secundum Boethium [1]: « Fatum est rebus mobilibus inhaerens dispositio »; sed dispositio rebus inhaerens mobilibus est quid creatum; ergo fatum est quid creatum.

Respondeo quod fatum, sumptum in propria significatione, dicitur quid creatum.

[Ad obiecta]: Ad illa autem [c] quae obiciuntur in contrarium: dicendum quod Augustinus [d] non dicit ea quae dicit determinando sive asserendo, sed potius interpretando sive insinuando [e] quae ex dictis loquentium de fato intelliguntur.

1. Dicendum ergo ad primum, quod non [f] intendit Augustinus dicere quod fatum sit divina voluntas, sed quod ille qui productionem rerum in esse fato tribuit, quia dicit fatum esse divinam voluntatem, verum dicit — referendo intellectum ad rem, quia divina voluntas est causa rerum — sed errat in nomine; unde subiungit: « Sententiam teneat, linguam corrigat [g] ».

2. Ad aliud similiter dicendum quod non vult dicere quod fatum, usualiter dictum, sit illud verbum divinum quo omnia dicuntur et [h] ordinantur [2], sed intendit dicere fatum non debere dici connexionem sive ordinationem causarum omnium, nisi modo inconsueto etymologizando diceretur a fando [i].

214 ARTICULUS II.

Quid sit fatum secundum definitionem.

Deinde quaeritur quid sit fatum secundum definitionem.

Ad quod sic: *a.* Boethius, in libro *De consolatione* [3]: « Fatum est rebus mobilibus inhaerens dispositio, per quam providentia suis quaeque nectit ordinibus ».

b. Item, idem, in eodem [4]: « Fatum est eorum, quae divina simplicitas gerenda disposuit, mobilis nexus atque ordo temporalis ».

c. Item, Augustinus, V *De civitate Dei* [5]: « Fatum est vis positionis siderum, qua existente quando quis concipitur vel nascitur, cognoscitur qualis futurus sit ».

Cum igitur definitio dicat esse rei, sicut unius rei unum est esse, ita et una definitio [6], quaeritur igitur qualiter istae tres definitiones differenter habeant assignari.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod 'esse' non solum dicit essentiam sive naturam rei absolute, sed etiam ordinem sive relationem; unde Boethius [7]: « Esse est quod ordinem retinet servatque naturam ». Fatum autem est dispositio sive nexus quidam relictus in rebus fatalibus ex divina providentia ordinante et connectente fatalia ad invicem. Potest igitur fatum describi vel in relatione [k] ad fatalia tantum, scilicet ut [l] est dispositio eorum et nexus, et sic describitur a Boethio [8]: « Fatum est eorum quae divina simplicitas » etc.; vel in relatione non [m] ad fatalia tantum, sed etiam ad causam suam, scilicet divinam providentiam, ut sit dispositio per quam divina providentia fatalia nectit ad invicem et ordinat. Prout igitur consideratur in ista duplici relatione, definitur a Boethio [9], cum dicitur fatum « rebus mobilibus inhaerens dispositio » etc. Unde una describit fatum ut est nexus ab altero; altera, ut est nexus [n] simpliciter; tertia vero, quae ponitur in V *De civitate Dei* [10], scilicet « fatum est vis positionis siderum » etc., non est fati secundum [o] acceptionem fidelem, sed potius erroneam, scilicet eorum qui [p] ponebant a lege siderum necessitatem esse in rebus; unde Augustinus [q] definit ibi fatum secundum positionem [r] quorumdam errantium.

Item, obicitur contra istas definitiones. 1. Et primo contra primam partem primae definitionis qua dicitur: « Fatum est rebus mobilibus » etc. Nam si ex divina providentia est relicta dispositio tam in [s] immobilibus quam in [t] mobilibus, quare non dicitur dispositio relicta in [u] immobilibus fatum, sicut in [v] mobilibus?

---

[a] VBRF *fato*, quod L corr. [b] L in textu omisit totum hoc argumentum, sed in margine inferiori addidit et ponendum indicat post *Prorsus divina... increata.* F omnia habet ut L, sed in ipso textu. Alii codd. ordine inverso ponunt hos duos textus Augustini. [c] BRLF om. [d] F *secundum Augustinum* pro *q. A.* [e] P *insinuendo*, V *quod* pro *quae.* [f] S om. [g] F *contingat.* [h] BRLF add. *omnia.* [i] F add. *ordinem causarum;* B add. mg. *ordinem causarum ubi voluntas Dei plurimum potest*, quod L exp. [k] B *ratione.* [l] F *sic* pro *s. u.* [m] VF om. [n] F om. *ab... nexus.* [o] F om. [p] V *que*, quod B corr. [q] S om. [r] B *rationem.* [s] RLF om., B corr., V exp. [t] BRLF om. [u] S om. [v] B *etiam*, RLF *et.*

1 *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 815).
2 Cf. Augustin., *Confess.*, XI, c. 7 (PL 32, 812); Anselm., *Monolog.*, c. 34 (PL 158, 188).
3 Lib. IV, pr. 6 (PL 63, 815).
4 Loc. cit. (PL 63, 816).
5 Cap. 1 (PL 41, 141).
6 Cf. Aristot., *Topic.*, VII, c. 2 (I, 258): « Neque enim duarum rerum una definitio, neque duae unius rei definitiones esse possunt ».
7 Loc. cit., pr. 2 (PL 63, 795).
8 Cf. supra, litt. *b.*
9 Cf. supra, litt. *a.*
10 Cf. supra, litt. *c.*

2. Item, contra[a] secundam partem eiusdem definitionis, qua dicitur: « Per quam providentia » etc., obicitur. Nam sicut divina potentia vel voluntas sine medio aliquo[b] producit res de non-esse in esse, ita sine medio, ut videtur, debet conservare[c] in esse; sed « esse est quod ordinem retinet[1] », ordo autem dicit nexum ordinatorum; ergo, ut videtur, sine medio res connectit; ergo non exigitur dispositio media; ergo si fatum est aliquid, non erit « dispositio per quam divina providentia suis quaeque nectat ordinibus ».

3. Item, contra definitionem secundam obicitur ratione eius quod dicitur: « Mobilis nexus atque ordo temporalis ». Nam nexus iste sive ordo videtur esse immobilis; nam[d] postmodum loquens de fato, dicit[2]: « Haec », scilicet[e] series fatalis, « actus fortunasque hominum indissolubili[f] causarum connexione constringit, quae cum ab immobilibus providentiae proficiscantur exordiis, ipsas quoque immutabiles esse necesse est ». Ergo iste nexus, qui dicitur fatum, erit immobilis.

4. Item, obicitur de tertia definitione: quia videtur quod illi subsit veritas. Nam « vis positionis siderum » operatur aliquid in nativitate et conceptione hominum; unde ex influentia corporum supercaelestium relinquuntur dispositiones in corporibus hominum, in quibus posset cognosci qualis ille, in quo relinquitur, sit futurus, scilicet ingeniosus vel hebes: « nam molles carne apti mente », ut dicit Philosophus[3]; nam per mollitiem carnis vel aliud signum sciret expertus in astrologia qualis natus postea sit futurus. Ergo positio fati, secundum intentionem qua definitur ab Augustino, non est error.

5. Item, videtur quod fatum, secundum quod definitur ab Augustino, continetur sub fato secundum quod definitur a Boethio. Nam Augustinus definit fatum « vim positionis siderum »; Boethius vero, loquens de fato, dicit[4] quod « ea series caelum et sidera movet ». Ergo fatum acceptum in definitione Augustini continetur sub fato accepto in definitione Boethii; ergo illa positio fati non est erronea.

Solutio[g]: 1. Ad primum dicendum quod haec est[h] differentia inter providentiam et fatum, quod providentia indivisione quadam et immutabilitate res[i] connectit; fatum autem connectit eas ut sunt distinctae[k] et mutabiles: unde de eius esse et positione[l] est nexus mobilium, sicut providentia immobilium. Unde Boethius[5]: « Providentia cuncta pariter, quamvis diversa, quamvis infinita, complectitur. Fatum vero singula digerit, in motu[m], locis, formis ac temporibus distributa, ut haec temporalis[n] ordinis explicatio, in divinae mentis adunata prospectum, providentia sit, eadem vero[o] adunatio, digesta atque explicata temporibus, fatum vocetur ». Ad hoc ergo quod quaeritur quare dispositio, relicta in[p] immobilibus, non dicatur fatum, respondeo quod hoc debetur esse rei ipsius fati, quod est determinatum ad motum, ut infra patebit[6].

2. Ad hoc quod obicitur quod ' sicut divina providentia sine medio producit res in esse, ita sine medio debet[q] connectere et ordinare ': dicendum quod non sequitur. Non enim similiter se habet universum et quae universi sunt quantum ad esse quod primo sortiuntur et quantum ad esse quod secundo, scilicet esse in ordine. Esse enim in ordine connexionem ordinatorum dicit; propter quod non est ex indifferenti relatione ad causam primam, sed ex earum relatione ad invicem.

3. Ad hoc quod obicitur contra secundam definitionem, quia videtur quod ' fatum sit nexus immobilis, per illud Boethii[7]: « Haec actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit » ' etc.: dicendum quod non loquitur ibi de serie fatali, sed de divina providentia. Unde dicendum quod hoc pronomen demonstrativum « haec » non[r] refertur ad immediate dictum, sed mediate. — Aliter tamen potest dici iuxta expositionem[s] quorumdam Expositorum[8], quod hoc pronomen demonstrativum[t] « haec » demonstrat ' seriem fatalem ', quae[u] dicitur constringere res « indissolubili causarum connexione », quia[v] continet res indissolubiliter sub periodo ordinata a divina providentia. Quod patet ex littera consequenti, quae dicit[9]: « Quae cum ab immobilis providentiae proficiscantur exordiis, ipsas quoque immutabiles esse necesse est ». Unde et haec indissolubilitas connexionis causarum est incommunicatio suarum virtutum respectu suorum effectuum, prout provisum[x] est a divina providentia. Dicitur igitur fatum constringere res incommutabili connexione causarum, quia coercet illas[y] ut una non habeat quod alterius est; nec potest evagari extra id quod ordinatum est sive provisum a divina providentia. Haec igitur indissolubilitas omnis non est contraria mobilitati[z] nexus, secundum quam fatum res connectit.

---

[a] BRF *circa*, et item subinde. [b] F om. [c] B *conservat re* pro *d. c.*, LF om. *sed.* [d] B *temporalis non* pro *i. n.* [e] S *si.* [f] V *dissolubili.* [g] BRLF om. [h] R om. [i] L *incommutabilitate* pro *i. r.* [k] V *indistincte.* [l] R *opinione.* [m] F vacat, R *dirigit* pro *digerit.* [n] F *unde intemporalis* pro *u. h. t.* [o] V *nec.* [p] SF om. [q] F om. [r] F om. [s] S *oppositionem.* [t] BRLF om. [u] L *cum.* [v] V *que.* [x] R *visum.* [y] Codd. *illa.* [z] F *mobilis.*

1 Cf. supra, p. 306, nota 7.
2 Boeth., loc. cit., pr. 6 (PL 63, 817).
3 *De anima*, II, c. 9 (III, 456).
4 Loc. cit.
5 Loc. cit. (PL 63, 815).
6 Cf. infra p. 308, *ad 5* et p. 309, num. 215.
7 Loc. cit.
8 In brevi glossa interlin. aliquando ad hoc alluditur. Cf. infra, p. 314, nota 6.
9 Boeth., loc. cit.

4. Ad illud quod obicitur de tertia definitione, quod 'illi subsit veritas, eo quod ex vi positionis siderum [a] relinquuntur dispositiones in rebus': dicendum quod sunt tria genera dispositionum in hominibus. Sunt enim quaedam quae ita pure sunt naturales quod non [b] subsunt libero arbitrio, sicut quod aliquis sit longus vel brevis, albus vel niger; et in iis bene possunt positiones siderum. — Sunt etiam aliae quae, licet sint naturales, in [c] iis tamen potest iuvare liberum arbitrium, sicut sanitas vel aegritudo: potest enim per liberum arbitrium adiuvari et regi natura; et in iis etiam potest vis positionis siderum, quatenus [d] naturales sunt. — Sunt praeter has etiam aliae quae non sunt naturales, sed subsunt libero arbitrio vel ipsius hominis, vel quibusdam spiritibus vel etiam causae primae, ut quod aliquis sit fur: hoc enim subest voluntati hominis vel etiam maligno spiritui suggerenti, et non naturae [e]; similiter quod aliquis sit religiosus: hoc enim non subest naturae, sed voluntati Dei gratiam infundentis; et in iis simpliciter loquendo non habet posse vis positionis siderum.

Cum ergo dicebant illi [f] philosophi [1]: « Fatum est vis positionis siderum », intelligebant quod per fatum posset cognosci, non solum qualis quis esset futurus primo genere dispositionum aut secundo, sed etiam tertio. Hoc autem non est verum, quia in illas non potest vis positionis siderum simpliciter loquendo. Non negamus tamen quin aliquo modo ibi haberet vim ad inclinationem [g] ipsius animae ex dispositionibus corporis propter colligationem animae ad corpus: utpote si natus est sub Marte, relinquitur quaedam dispositio in corpore ut sit calidus vel alicuius qualitatis, quae existens in corpore apta esset ad inclinandum animam eius sive voluntatem ad hoc ut esset iracundus. Sed ista vis nullo modo necessitatem inducit; hoc autem putabant ipsi; unde fallebantur.

Unde contra tales opponit B. Gregorius [2], in homilia Matth. 21 super illud: *Cum natus esset Iesus* etc., et dicit sic: « Absit hoc a fidelium cordibus ut fatum esse aliquid dicant; vitam quippe hominum solus, qui creavit, Conditor administrat: neque enim propter stellas homo, sed stellae propter hominem factae sunt ». — Obicit etiam ipse [h] Gregorius [3] et Augustinus [4] de duobus geminis, qui simul concepti et simul [i] nati sunt, quorum alter bonus [k], alter malus, ut [l] Iacob et Esau [5], alter servus, liber alter, ut in filio ancillae et filio regis simul conceptis et natis [6]. — Et quia possent respondere quidam quod virtus constellationis quasi in instanti mutatur, Iacob autem et Esau non in eodem instanti nati sunt, opponit Gregorius [7]: si [m] propter diversitatem instantium diversum est fatum Iacob et Esau, ergo cum nec [n] eodem instanti egrediatur unum membrum et alterum, « necesse iam erit ut tot dicant fata quot sunt membra nascentis »: quod non dicitur. — Obicit etiam aliter Gregorius sic: « Fateri mathematici solent quod quisquis sub signo Aquarii nascitur, in hac vita piscatoris [o] ministerium sortiatur; piscatores vero, ut fertur, Getulia [p 8] non habet [q]; quis ergo dicit quia nemo illic in stella Aquarii nascitur, ubi piscator omnimodo non habetur »? Similiter etiam obicit, quia dicitur quod qui « sub signo Librae nascuntur, trapezetae [9] sunt futuri »; in multis autem locis sub Libra multi nascuntur, ubi trapezetae penitus ignorantur.

Refert tamen Augustinus, V *De civitate Dei* [10], de duobus de quibus dixerat Hippocras quod eodem tempore infirmabantur et eodem ingravescebant et eodem [r] alleviabantur. Quaesitum fuit ab astrologo Possidonio quare hoc esset, qui respondit quia in eadem constellatione nati essent; Hippocras autem dixit quod hoc erat quia ab eisdem parentibus et eodem conceptu et eodem partu erant editi. Et tunc opponit contra astrologum Augustinus et dicit quod, si causa huius requirenda erat, magis debuit accipi causa intrinseca sive minus remota, sicut ex parte humorum complexionis et alimentorum et aliorum medicinalium, quam causa remota et extrinseca, sicut ipsae stellae. Propter hoc ergo secundum illam acceptionem, contra quam disputat Augustinus, recte fatum non est.

5. Ad aliud quod obicitur quod 'fatum secundum quod accipitur ab Augustino, continetur sub fato secundum quod accipitur a Boethio': dicendum quod aliter et aliter accipitur secundum intentionem Boethii et Augustini. Sicut enim vult Boethius, quemadmodum est

---

[a] R om. [b] B add. *pure*, VF *que* pro *quod*. [c] S *et*. [d] B *quamvis*. [e] F *naturale*. [f] R om. [g] V *intimationem*. [h] L om. [i] F om. [k] VB add. *et*. [l] R *unde*, S *et*. [m] F om. [n] RLF add. *in*. [o] F *prescitoris*. [p] PVB *genitalia*, quod S corr. per exp., LF *gatalia*. [q] PVSB *habent*. [r] F om. *i. e. e.*

[1] Contra quos disputat Augustin.; cf. supra ad litt. *c.*
[2] *In Evang.*, hom. 10, n. 4 (PL 76, 1112).
[3] Loc. cit. [4] *De civit. Dei*, V, c. 4 (PL 41, 144).
[5] Cf. Gen. 25, 24 sq.
[6] Cf. Gregor. M., loc. cit., n. 5.
[7] Loc. cit., ad sensum, ubi et sequentes loci.
[8] Getulia Africae pars mediterranea est, quae raro pluvia irrigatur. Cf. Isidor., *Etymol.*, XIV, c. 5, nn. 6, 8, 17 (PL 82, 510 sqq.); Augustin., *Enarr. in Psalm. 148*, 8, n. 10 (PL 37, 1944); *De ordine*, II, c. 5 (PL 32, 1001): « Cur Itali semper serenas hiemes orent, et item semper Getulia nostra misera sitiat... ».
[9] Seu *trapezitae*, id est *nummularii*.
[10] Cap. 2 (PL 41, 142).

quidam ordo increatus in ipso Deo — et hic est divina providentia — ita est ab illa providentia relictus quidam ordo ipsarum causarum ad suos effectus in ipsis rebus: causarum, dico, potentium per se ad ponendum suos effectus, et intelligimus hic 'per se', id est 'sufficienter', ut sit voluntas per se causa voluntariorum, sicut et natura [a] naturalium. Sed intelligendum quod adhuc ex divina providentia relinquitur in rebus duplex ordo sive ordo quoad duo, scilicet quoad essendum et quoad movendum. Non ergo quilibet ordo a divina providentia relictus in rebus debet dici fatum secundum Boethium, sed tantum ille ordo sive illa dispositio quae est quantum ad movendum. Et hoc patet ex definitione Boethii, cum dicit: « Fatum est rebus mobilibus inhaerens dispositio » etc., non dicit 'entibus'; et similiter in alia descriptione dicit quod est « mobilis nexus ». Secundum hanc ergo rationem fati, cum nullus motus in mobilibus accidat sine causa ordinata ad illum effectum, recte possunt dici omnes motus rerum istarum mobilium esse sub dispositione fati secundum Boethium. Secundum autem acceptionem Augustini, quae sua non est, sed accipit illam a philosophis [b], ut contra illam disputet, non continetur fatum sub fato secundum quod accipit Boethius. Quod [c] patet, quia philosophi illi non accipiebant fatum nisi circa homines et in vi positionis siderum, et in hoc errabant quod ipsi ponebant necessitatem sive [d] certitudinem inevitabilitatis in ipsis effectibus relinquendis in hominibus: unde volebant dicere quod si iste [e] nascitur sub tali positione siderum vel concipitur, inevitabiliter erit fur vel religiosus vel huiusmodi; sic autem non est. Unde patet quod hoc modo non est fatum contentum sub fato secundum Boethium; nam Boethius non intendebat aliquem effectum necessario relinqui in hominibus, per quem inevitabiliter esset bonus vel malus.

CAPUT III.

QUORUM SIT FATUM.

ARTICULUS I. 215

An fatum sit omnium quorum est providentia.

Consequenter quaeritur quorum sit fatum. Primo, an omnium quorum est divina providentia.

Et videtur quod sic: 1. Boethius[1]: « Fatum est rebus mobilibus inhaerens dispositio, per quam providentia suis quaeque nectit ordinibus ». Si autem providentia quaeque nectit per dispositionem, quae est fatum: sed quaecumque dispositione, quae est fatum, nectuntur, sunt fatalia; ergo quaecumque nectit [f] providentia nectuntur per fatum.

2. Item, idem [g] Boethius[2]: « Fatum est [h] eorum, quae divina simplicitas gerenda disposuit, mobilis nexus ». Ergo fatum est eorum quae cadunt sub divina dispositione; sed quaecumque subsunt divinae providentiae, subsunt divinae dispositioni; ergo fatum est omnium eorum quorum est providentia.

3. Item, in hoc videtur esse differentia inter providentiam et fatum, quantum ad illa quae illis subsunt, quod providentia est dispositio simul omnia disponens; fatum est per quod unumquodque ad effectum perducit [i]: sicut artifex digerit mente quaecumque vult ad effectum ducere, et post operatur unumquodque secundum quod primo in mente digessit[3]. Et hoc est quod dicit Boethius[4]: « Providentia cuncta pariter, quamvis diversa, quamvis infinita, complectitur; fatum vero singula digerit in motu, locis, formis, temporibus distributa: ut haec temporalis ordinis explicatio, in divinae mentis adunata prospectum [k], providentia sit, eadem vero adunatio, digesta atque explicata temporibus, fatum vocetur ». Ex iis patet quod non est differentia inter haec in numero eorum quae illis subsunt. — Praeterea, nonne dicit Boethius[5] quod fatum « singula digerit [l] », quae scilicet cadunt sub providentia? Ergo fatum est [m] omnium quorum est providentia.

4. Item, dicit Boethius[6] quod Deus « omne malum de reipublicae suae [n] terminis per fatalis seriem necessitatis eliminat ». Ergo, ut videtur,

---

[a] P om. [b] V *physicis*. [c] F *ut*. [d] F *sue*. [e] P om. [f] L add. *divina*. [g] SBLF add. *scilicet*, R *secundum Boethium* pro *Boethius*
[h] L om. [i] Codd. *producit*. [k] R *prospectu*. [l] R *dirigit*. [m] R add. *eorum*. [n] B *sive rei*, F *sive*, L om. *per*.

1 *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 815).
2 Loc. cit. (PL 63, 816).
3 Cf. Boeth., loc. cit. (PL 63, 815).
4 Ibidem.
5 Ibidem.
6 Loc. cit. (PL 63, 820).

nihil excluditur a serie fatali nisi malum; ergo omne bonum cadit sub fato sicut sub providentia; ergo etc.

Contra: *a.* Boethius[1]: « Manifestum[a] est immobilem simplicemque gerendarum[b] formam rerum esse providentiam, fatum vero eorum[c], quae divina simplicitas gerenda disposuit, mobilem[d] nexum atque ordinem temporalem. Quo[e] fit ut omnia, quae fato subsunt, providentiae quoque subiecta sint, cui ipsum etiam subiacet fatum; quaedam vero, quae sub providentia locata sunt, fati seriem superent ». Et dicit Expositor[2] quod fatum subest providentiae, sicut species generi; unde quaecumque sunt sub fato sunt sub providentia, et non e converso; ergo non omnium est fatum quorum est providentia.

[Solutio]: Quod concedimus, dicentes quod quaedam exeunt simpliciter de non-esse in esse, quorum Deus est tota causa; quaedam de non-esse[f] in esse simpliciter, quorum Deus non est tota causa, sed concurrentibus causis inferioribus illa producit in esse, sicut est de omnibus illis quae mediantibus causis inferioribus producuntur in esse. Quae primo modo sunt, quantum ad esse quod sunt, non subiacent fato, subiacent tamen[g] quantum ad actus et operationes consequentes, quorum ipsa sunt causae vel concausae; unde generaliter operationes et operata, quae sunt immediate a divina providentia sive a Deo ut a tota causa, non subiacent fato[h]. Alia vero, sive sint operata sive operationes, aliquo modo subiacent[i] secundum quod esse vel operatio eorum motione vel motu decernitur[k]. Et hoc est quod dicit Boethius[3] quod « ea quae primae[l] propinqua divinitati stabiliter fixa sunt, fatalis ordinem mobilitatis[m] excedunt »; illa autem sunt divinitati[n] stabiliter fixa, quae ab ea[o] sunt ut a tota causa, ut sunt angeli et animae, quantum ad esse dico, et haec excedunt ordinem mobilitatis fatalis. Unde dicit Expositor Boethii, exponens illud[4]: « Quaedam, quae sub providentia locata sunt, fati seriem superant », dicit[5]: quaedam sunt sub providentia, quae non subsunt[p] fato, sicut angelici spiritus et alia quae simplicitatem divinitatis circumsunt. Istud patet exemplo Boethii de orbibus vertentibus circa eumdem cardinem; dicit enim sic[6]: « Ut orbium[q] circa eumdem cardinem sese vertentium, qui est intimus[a] ad simplicitatem medietatis accedit, ceterorumque[b] extra locatorum velut cardo quidam, circa quem versentur, existit; extimus vero maiori ambitu rotatus, quanto a[c] puncti media individualitate discedit, tanto amplioribus spatiis explicatur; si quid vero illi se medio connectat et societ, in simplicitate cogitur, diffundique ac diffluere cessat. Simili ratione quod longius a prima[d] mente discedit, maioribus fati nexibus implicatur ac[e] tanto aliquid a fato liberum est, quanto illum rerum cardinem vicinius petit. Quod si supernae mentis haeserit firmitati motu carens, fati quoque supergreditur necessitatem ». Concedimus igitur quod non omnia quae subsunt divinae providentiae, subsunt fato, ut sunt illa quae illi coniuncta sunt vicinissime, cuiusmodi sunt illa quae sunt ab illo ut a tota causa, et hoc dico in quantum huiusmodi.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur quod ' providentia dispositione, quae est fatum, « suis quaeque nectit ordinibus » ': dicendum quod hoc, quod dico « quaeque », non habet pronuntiationem generalem simpliciter, sed pro illis quae producuntur in esse cooperatione[f] causae causatae; earum enim operationum et operatorum fatum est nexus.

2. Ad aliud quod obicitur quod « fatum est eorum quae divina simplicitas gerenda disposuit[g] » etc.: dicendum quod haec auctoritas est potius[h] ad contrarium quam ad propositum. Ponit enim auctor ibidem differentiam inter providentiam et fatum: quod providentia quadam simplicitate, id est simultate et immobilitate, omnes formas rerum continet sive complectitur; sed fatum est eorum quae multipliciter et temporaliter digeruntur; unde et divina providentia formas rerum complectitur quocumque modo producendarum in esse, sed fatum solum eorum quae mobiliter et temporaliter[i] producenda sunt in esse. Unde cum dicit: « fatum est eorum » etc., hoc quod dico « eorum » est ibi partitive[k] intellectum: fatum est[l] aliquorum eorum nexus quae divina simplicitas etc. Unde ex hoc et ex praedictis concludit Boethius quod fatum non complectitur omnia quae complectitur providentia[m].

3. Ad aliud dicendum quod cum dicitur, secundum Boethium, quod haec est[n] ' differentia inter providentiam et fatum, quod providentia est

---

[a] PVSB *manifestissimum*. [b] RLF *gerendarumque*. [c] L *earum*. [d] L (corr.) F *nobilem*. [e] V *ergo*. [f] Ita L (corr.), PVSBR add. *quo*, F *que scilicet* pro *quorum... esse*. [g] L *vero*. [h] F *futuro*, R *alie* pro *alia*. [i] RLF add. *scilicet*. [k] BR *discernitur*. [l] Ita R, alii *primo*; PV om. *propinqua*, quod in S est add. posterior. [m] F *ordinatio nobilitatis* pro *o. m.* [n] RL *deitati*, V *sub* pro *sunt*. [o] Codd. *eo*, V om. *a*. [p] RLF *sunt sub*. [q] R *urbium*.

[a] S *vicinius*. [b] B *ceterorum*. [c] R *ad*. [d] Codd. *primo*. [e] S *an*. [f] Ita R (corr.) F, PVSB *comparatione*, L *cooperative*. [g] R om. [h] B *totius*. [i] S add. *solum*; BRLF *productura* pro *producenda*. [k] R *participatione*. [l] F om. [m] S om. *q. c. p.* [n] LF om.

1 *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 816).

2 Cf. cod. Vindobon. lat. 53, f. 132a: « Et sic apparet quod providentia sit genus, fatum sit species ». Cf. infra, p. 314, nota 6.

3 Loc. cit.

4 Cf. Boeth., loc. cit. (PL 63, 816).

5 Cf. cod. Vindobon. lat. 3245 « Multa subsunt divinae providentiae quae non subsunt fato ». Ad cetera in glossis interlin. quandoque alluditur. Cf. infra, p. 314, nota 6.

6 Loc. cit.

« dispositio disponens omnia simul, fatum est per quod unumquodque ad effectum producitur »: dicendum quod haec differentia intelligenda est quantum ad illa quae cooperatione causarum [a] causatarum producuntur [b] in esse. Et hoc patet [c] per verba Expositoris [in] verba Boethii, quae sunt [1]: « Fatum singula digerit »; dicit enim exponendo [2]: Fatum est per quod [d] Deus unamquamque rem ad effectum perducit suis [e] locis et suis temporibus. Ex iis patet quod verbum Boethii intelligi habet de iis quae aliquo modo mediate fiunt a Deo. Non enim dicendum quod quae omnino immediate exeunt in esse a Deo, sicut sunt illa quae sunt a Deo ut a tota causa, producuntur [f] in esse per fatum; non enim producuntur in esse per fatum nisi illa inter quae et causam primam aliquo modo cadit medium [g]. Ex iis patet qualiter respondetur ad illud Boethii: « Fatum singula digerit »; quod enim dico « singula », distribuit pro iis quae exeunt in esse cooperatione causae causatae [h].

4. Ad illud Boethii: « Deus malum omne de reipublicae suae [i] terminis per fatalis seriem necessitatis eliminat »: dicendum quod hoc potest dici ratione multiplici, scilicet quia fatum nihil mali intendit sive causa mali agit, sicut habetur a Boethio dicente [3]: « Hic ordo », scilicet fatalis, « res mutabiles et alioquin temere fluituras [k] propria incommutabilitate coercet. Quo fit ut tametsi nobis, hunc ordinem minime considerare valentibus, confusa omnia perturbataque videantur, nihilominus suus modus ad bona dirigens cuncta disponat; nihil est enim quod mali causa nec ab ipsis quidem improbis fiat ». — Alia ratione potest illud dici, scilicet quia necessitatem malitiae fiendae [l] non imponit, sicut ponebant quidam dicentes malitiae humanae causam esse seriem fatalem ex necessitate. Ponebant enim quod si aliquis esset fur vel religiosus, quod talis esset a necessitate fati; cuius contrarium ponens Boethius dicit quod « malum omne de reipublicae suae terminis per fatalis [m] seriem necessitatis eliminat », id est eliminat malum necessario contingere per seriem fatalis necessitatis; ex hoc autem non sequitur aliquo modo quod omnia, quae non [n] sunt mala, subsunt fato. — Alia etiam ratione potest istud dici, scilicet quia fatalia, prout ordinantur a divina providentia, bona sunt, id est ex illis elicitur bonum. Unde Boethius: « Deus malum omne de reipublicae suae terminis per fatalis seriem necessitatis eliminat. Quo fit ut [o] ea quae in terris abundare [p] creduntur, si disponentem providentiam spectes, nihil usquam mali esse perpendas ».

ARTICULUS II. 216

An naturalia omnia inferiora subiaceant fato.

Consequenter quaeritur utrum naturalia omnia inferiora, ut corporalia, subiaceant fato, secundum quod fatum dicitur vis positionis siderum.

Quod videtur: *a.* Nam si illa quae inter naturalia sunt nobilissima, ut corpora humana, subiacent positioni siderum et motui [q] corporum supercaelestium [4] — nam « homo generat hominem, et sol [5] » — ergo multo fortius alia naturalia; si ergo huiusmodi positio sive constellatio habet effectum in conceptu et partu hominum, ergo habebit effectum respectu brutorum et vegetabilium et omnium etiam naturalium, et [r] maxime respectu corporalium.

Contra: 1. Augustinus, V *De civitate Dei* [6]: « Quid tam ad corpus pertinens quam corporis sexus? et tamen sub eadem positione siderum diversi sexus gemini [s] concipi potuerunt ». Si ergo illud, quod est maxime pertinens ad corpus, non subiacet fato, videtur quod nec alia debeant subiacere vel ad minus non omnia naturalia seu corporalia debent dici subiacere positioni siderum.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod omnia naturalia inferiora subiacent fato, secundum quod fatum dicitur vis positionis siderum. Unde secundum quod consideratur radicatio quaedam in vi positionis siderum, ex qua apta nata sunt quaedam derelinqui in [t] inferioribus, non solum ponenda [u] est respectu hominum, sed etiam respectu aliorum inferiorum. Tamen secundum quod philosophi ponebant fatum radicari in stellis, scilicet [v] eo modo quo dictum est supra [7], nec fatum aliquid est, nec usquam [x] est.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur 'quod [y], secundum Augustinum [z], non omnia naturalia seu corporalia subiacent constellationi, ut corporis

---

[a] VSF om. [b] R *producitur*, F om. *in esse*. [c] F om. [d] VB *quam*. [e] L add. *etiam*, R add. *et*; VB *producit* pro *perducit*. [f] F *perducuntur*, item infra. [g] RLF *fatum*. [h] F *creature*. [i] R *sive*, F *sive de*. [k] F vacat. [l] R *faciende*. [m] PVSB *fatalem*. [n] Ita R, alii *quando* pro *q. n.* [o] Ita RLF, alii *quod*. [p] V *humane*. [q] PVB *motuum*. [r] R add. *etiam*. [s] B *generum*. [t] V om. [u] LF *posita*. [v] F om. [x] R *usquequaque*; in P nota marg.: *De hoc satis disputat Philosophus in Periar[menia], c[ap.] in singularibus et futuris; si enim fatum esset de necessitate, periret negotiari, periret consiliari, ut dicit hic.* [y] L om. [z] F add. *quod*.

1 Loc. cit. (PL 63, 815),
2 Hoc nullibi invenimus. Cf. infra, p. 314, nota 6.
3 Loc. cit. (PL 63, 817).
4 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, V, c. 1 (PL 41, 141).
5 Aristot., *Phys.*, II, c. 2 (II, 263).
6 Lib. V, c. 6 (PL 41, 146).
7 Cf. p. 308a.

sexus': dicendum quod Augustinus non intendit dicere quin sexus subiaceat positioni siderum aliquo modo — nam sexus est ex operatione naturae; operatio autem naturae aliquo modo subiacet operationi corporum supercaelestium — sed intendit dicere quod constellatio non est tota [a] causa diversitatis sexus, sed etiam alia quae concurrunt ad hoc; nec [b] oportet quod [c] si diversi sexus nascuntur vel concipiuntur sub [d] eadem constellatione, quin constellatio ibidem [e] aliquid operetur: nam eadem virtute imprimuntur diversi effectus, secundum quod sunt diversa receptibilia [f]; et ideo quia alio modo disposita est materia huius conceptus quam sit illa, alium effectum recipit a corpore supercaelesti quam illa; unde eadem vis potest operari ad diversum sexum.

217 ARTICULUS III.

Utrum corpus Christi aliquo modo fuerit fato subiectum.

Deinde quaeritur utrum corpus Christi in suo conceptu vel partu aliquo modo fuerit [g] fato subiectum [1]. Et appello fatum vim positionis siderum, non sicut [h] accipiebant philosophi, sed secundum quod illa vis habet potentiam aliquo modo disponendi vel habilitandi corpus humanum; nam sic aliquo modo habet intentionem entis.

Quod sic: 1. Arguunt quidam ex stella quae apparuit Magis, Matth. 2,1, et ex illo verbo Ioan. 2,4: *Nondum venit hora mea,* et Ioan. 8,20 similiter: *Nondum venerat hora eius.*

2. Praeterea, hoc ipsum videtur per rationem. Assumpsit enim Christus omnes defectus nostros et miserias praeter ignorantiam et peccatum [2], sicut famem, sitim, lassitudinem et huiusmodi. Si ergo in istis habet vim positio siderum, videtur quod Christus, quantum fuit ex parte corporis, quantum ad aliquid subiectus fuerit positioni siderum.

Contra: *a.* Augustinus, in *Sermone de Epiphania* [3]: « De Christo verum non esset, etiam si [i] sub decreto stellae alii homines nascerentur; nam Christus Dei Filius [k] propria voluntate, homines mortales conditione naturae nascuntur »

b. Item, super illud Ioan. 2,4: *Nondum venit hora mea,* Augustinus [4]: « Si fatum est sub sideribus, non poterat esse sub necessitate siderum Conditor siderum ». Ergo Christus non subcrat vi positionis siderum.

c. Item, super illud [l] Ioan. 8,20: *Nondum venerat hora eius,* Augustinus [5]: « Non Dominus sub fato natus est; hoc nec de te credendum est, quanto magis de illo per quem factus es [m]! » Ergo Christus [n] non fuit subiectus positioni siderum. — Quod concedimus.

[Ad obiecta]: 1. Dicimus ergo quod non ideo quia stella in eius ortu apparuit, dicendus est natus esse sub decreto stellae, immo, sicut dicit ibi Glossa [6]: « Stella, antequam nasceretur, non erat, immo propter [o] ministerium eius facta, ministerio [p] eius expleto, statim desiit esse ». — Similiter autem quod [q] dicitur Ioan. 8,20: *Nondum venerat hora eius,* non est referendum ad fatum. Unde ibidem dicit Interlinearis [7]: « Hora eius, non fatalis »; et super illud idem dicit Augustinus [8]: « Si tua hora voluntas illius », id est Christi, « fuit, illius hora quae est nisi voluntas sua? Non ergo horam dixit qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi; tempus enim expectavit quo moreretur, quia tempus expectavit quo nasceretur [r]. Nec hora cogebatur mori, sed horam expectabat qua opportune fieret voluntas, non qua inviti [s] expleretur necessitas ». — Et similiter intelligendum [t] illud Ioan. 2,4: *Nondum venit hora mea,* non fatalis, sed qua facere volebat aliqua quae facturus erat.

2. Ad illud autem quod obicitur quod [u] 'assumpsit miserias nostras, positio autem siderum vim habet in [v] nostras miserias': respondeo quod, cum dicitur 'positio siderum vim habet super miserias nostras', hoc est verum quando miseriae naturaliter sunt contractae; similiter, etsi [x] dispositiones fatales dicuntur esse in aliquo, hoc est per relationem [y] ad conceptum vel nativitatem. In Christo autem nec conceptio fuit per naturam, immo de Spiritu Sancto conceptus est, nec nativitas omnino per naturam, quia clauso utero exivit; unde talis conceptus vel partus non fuit subiectus positioni siderum. Similiter autem si habuit defectus nostros et miserias, non eas

---

[a] F *tanta.* [b] S *quod.* [c] RLF *quin.* [d] S *si de.* [e] V om. [f] R *receptiva.* [g] BR *subfuerit,* BRLF om. *subiectum.* [h] R *sic.* [i] F om. [k] F add. *in.* [l] B om. [m] F *est.* [n] P om. [o] B *post.* [p] VS *mysterio.* [q] F om. [r] F om. *q. t. e. q. n.* [s] PVS *in via,* F *in* et seq. lac. [t] V *intelligitur,* RLF add. *est.* [u] P om. [v] F *super.* [x] F om. [y] R *religionem.*

[1] De his et de tota hac quaest. cf. Augustin., *Contra Faust. Manich.,* II, c. 5 (PL 42, 211 sqq.).

[2] Cf. Hebr. 4, 15.

[3] *Sermo* 199, c. 2 (PL 38, 1028).

[4] *In Ioan.,* tr. 8, n. 10 (PL 35, 1457).

[5] Loc. cit., tr. 31, n. 5 (PL 35, 1638).

[6] *Ordin., in Matth.,* c. 2, 2 (PL 114, 73) et Rabani, in h. l. (PL 107, 759). Cf. Origen., *Contra Celsum,* I, n. 58 (PG 11, 767); Augustin., *Contra Faust. Manich.,* II, c. 5 (PL 42, 212 sq.).

[7] Ex Augustino, *In Ioan.,* tr. 37, n. 9 (PL 35, 1674 sq.).

[8] Loc. cit., tr. 31, nn. 5 et 6 (PL 35, 1638 sq.).

naturaliter contraxit, sed voluntarie assumpsit; in voluntariis autem non sequitur quod si voluit assumere illos defectus, qui in aliis aliquo modo subiciebantur positioni stellarum [a], quod ideo subiciebatur [b] positioni siderum; unde etsi nos aliquo modo subiciamur quantum ad conceptum et nativitatem, eo modo quo expositum est supra [1], ipse tamen nullatenus fuit subiectus.

CAPUT IV. 218

IN QUIBUS TAMQUAM IN CAUSIS RADICETUR FATUM.

Consequenter quaeritur in [c] quibus tamquam in causis radicetur fatum.

Et videtur quod in astris: *a.* Si enim ex impressione siderum relinquuntur [d] effectus in inferioribus, impressio autem effectus tamquam in causa radicetur in imprimente: ergo fatum, quod consistit in vi positionis siderum, radicatur in astris.

b. Item, hoc videtur sonare auctoritas [e] Augustini [2], super illud Ioan. 2,4: *Nondum venit hora mea:* « Si [f] fatum est sub sideribus, non poterat esse sub necessitate siderum Conditor siderum ».

[Solutio]: Ad quod dicendum, quod plus intelligebant philosophi [3] sub nomine fati quam rationem imprimendi, videlicet rationem inevitabilitatis. Et quantum ad hoc nusquam radicatur sicut in causa; sidera enim non sunt tota causa eventus inferiorum, immo sunt multae aliae causae inferiores ex quibus dependet ratio effectuum [g] inferiorum sicut ex sideribus, vel magis. Praeterea, qui vellet vim facere in hoc quod dico ' causa efficiens ' [h], corpora superiora non proprie possent dici causa efficiens respectu inferiorum. Dicit enim [i] Augustinus, V *De civitate Dei*, cap. 9 [4], quod quaedam est causa « quae facit et non fit », sicut Deus; sunt aliae causae facientes et factae, sicut creati spiritus et maxime rationales; sunt autem aliae [k] « quae magis fiunt quam [l] faciunt », sicut sunt « corporales causae »; unde dicit [5] quod « iam non sunt inter causas efficientes adnumerandae [m] » huiusmodi. Unde [n] corpora superiora, cum per suum motum relinquatur aliquis effectus in inferioribus, ipsa autem non a se moveantur, sed ab aliis, etsi dicantur causae inferiorum, non tamen hoc est secundum totam et propriam rationem causae efficientis. Tamen intelligendum est [o] quod cum dicuntur superiora quantum ad suum motum esse causa inferiorum, non est similis ratio istius causalitatis respectu omnium inferiorum. Aliter enim potest dici quod actio [p] elementorum causatur ex motu superiorum, et aliter mutationes circa ista inferiora corruptibilia: comparatio enim motus corporum superiorum ad elementa immediatior est sive minus mediata; unde frequentius relinquuntur dispositiones in ipsis elementis secundum motum corporum superiorum quam in istis inferioribus. Et ex hoc decipiebantur ipsi philosophi, quia putabant sicut videbant ibi esse, sic debere esse in nobis; non autem sic est, quoniam longe remotior est comparatio [q] ista quam illa. Sicut ergo ipsi accipiebant fatum, nusquam radicatur; secundum autem id quod habet de ente, bene potest radicari in astris, secundum illam acceptionem fati quam accipit Augustinus [6], hoc tamen semper intellecto [r] quod illa radicatio fati nullam inevitabilitatem dicat respectu inferiorum.

CAPUT V. 219

DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII ET FATI.

Consequenter quaeritur de concordia liberi arbitrii et fati.

Et est oppositio 1. Tullii Ciceronis [s] [7], quam recitat Augustinus, V *De civitate Dei* [8], talis: « Si praescita sunt omnia futura, hoc ordine evenient quo futura esse praescita sunt; et si hoc ordine evenient, certus est ordo rerum, praesciente Deo; et si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum: non enim fieri [t] aliquid potest quod

---

[a] B *siderum.* [b] RF *subiciebantur.* [c] F om. [d] VB *relinquitur.* [e] F om. [f] V add. *autem.* [g] R *defectum.* [h] F *efficientis.* [i] F om. [k] L add. *cause.* [l] Ita VR, alii *vel.* [m] RLF *annuntiande.* [n] V *vero.* [o] LF om. [p] V *ratio.* [q] LR *compositio*, F om. [r] L *intelligo.* [s] L corr. ex *citationis*, F *cicionis.* [t] F om. *certus... fieri.*

1 Cf. p. 308a et p. 311, num. 216.
2 *In Ioan.*, tr. 8, n. 10 (PL 35, 1457).
3 Cf. p. 308a.
4 Num. 4 (PL 41, 151), multa potius ad sensum.
5 Augustin., loc. cit.
6 Loc. cit.
7 *De divinat.*, II, c. 7; *De fato*, c. 17.
8 Cap. 9, n. 2 (PL 41, 149).

non efficiens aliqua causa praecesserit; si autem certus est ordo causarum quo fit omne quod fit, fato fiunt omnia quae fiunt. Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est [a] liberum arbitrium voluntatis. Quod si ita est, frustra leges dantur, frustra obiurgationes, laudes, vituperationes adhibentur et frustra bonis praemia, malis supplicia constituta sunt ». Quomodo ergo stabunt simul fatum et liberum arbitrium? Et currit ista oppositio non secundum acceptionem philosophorum, sed secundum acceptionem Boethii [1]; sic enim omnia mobilia fato reguntur, neque potest dici quod fatum illo modo acceptum non sit.

2. Item, Boethius [2]: « Haec », scilicet series fatalis [b], « actus, fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit ». Et secundum Expositorem [3], « actus » concernit actus corporis, scilicet bellum et agriculturam, et actus animi, ut actus quibus exercitamur circa liberales artes; sed [c] constat quod huiusmodi opera sunt liberi arbitrii; si ergo huiusmodi actus hominum « constringit indissolubili connexione », videtur quod non potest libere exire in actum aliquem, sed necessitate coercetur ad illud.

[Solutio]: 1. Ad primum respondendum, secundum Augustinum, V *De civitate Dei* [4], quod cum dicitur « certus ordo causarum », dupliciter potest illa certitudo accipi, sicut est duplex necessitas. Est [d] enim quaedam necessitas « quae non est in nostra potestate, sed etiam si nolumus, efficit [e] quod potest, sicut est necessitas mortis »: et haec est inevitabilitatis; et talis ordo causarum non est in omnibus quae sunt. Si autem ita esset, tunc posset aliquid valere obiectio prius facta [5]; sub tali enim necessitate non sunt ea quae sunt a voluntate nostra. Est autem alia necessitas, secundum [f] quam dicimus in voluntariis quod si volumus [g], necesse est illa fieri, et intelligimus de actu interiori qui non potest impediri; et certitudo ab ista necessitate sumpta bene sufficit in ordine causarum ordinatarum sub serie fati. Sed tunc non sequitur: 'certus est ordo causarum, ergo nihil potest [h] liberum arbitrium'; hoc enim modo fatum et liberum arbitrium non opponuntur, immo ipsum liberum arbitrium nostrum est una causarum, secundum cuius [i] ordinationem ad suos effectus currit series fati, sicut currebat similiter secundum ordinationem causarum naturalium ad suos effectus [k] et huiusmodi.

2. Ad aliud dicendum quod non dicitur constringi per fatum « indissolubili connexione », quia necesse habet exire in actus suos vel non exire, et hoc quantum ad actus [l] liberi arbitrii, sed quia connexione fatali coercetur ab evagatione limitum divinae providentiae, scilicet determinatorum a divina providentia [6].

---

[a] L add. mg. *nostrum*. [b] R *fata vel*. [c] B om. [d] L *et*. [e] R *facit*. [f] B om. [g] L *nolumus*. [h] B *prodest*. [i] PVSBL *eius*. [k] L om. *currit series... effectus*. [l] PV *est* pro *a. a.*, B *in* pro *ad*, F om. *ad*.

1 *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 816).

2 Loc. cit. (PL 63, 817).

3 In glossis interlin. ad talia alluditur. Cf. infra, nota 6.

4 Cap. 10 (PL 41, 152), ad sensum.

5 Cf. ad n. 1.

6 In inquirendo Expositore *De consolatione philosophiae*, quem saepius in quaestione de Fato citat Alexander, nihil intentatum reliquimus. Non minus quam 47 codices ad hunc finem examinavimus. At frustra. Ne unum quidem textuum hic allatorum ad verbum invenimus in ullo ex multis codicibus a nobis inspectis, alios vero nonnisi remote ad sensum vel nullatenus conformes. Illud pro certo statui posse videtur: non esse Guillelmum de Conchis expositorem citatum, quia quae in suo Commentario invenimus, nonnisi a longe vel saepius nullo modo consona sunt textibus hic allatis. Ex quo sequeretur non esse necessario admittendum quod Guillelmus de Conchis, tempore Alexandri, fuerit ille Expositor κατ' ἐξοχήν, ut aliqui dixerunt. Usque dum nova inveniantur circa citatum Expositorem, nobis prudentius videtur nihil de eo in hac materia ut certum asserere. En elenchus codicum quos diligenter, sed frustra, inspeximus, tum anonymorum (cum glossis interlin. et margin.) tum sub nomine Guil. de Conchis, Guil. de Cortumelia, Lincolniensis, Remigii etc.: Parisienses, Bibl. Nationalis, codd. latini 6401a, 6402, 6403, 6406, 6410, 6411, 6639, 6643, 6645, 6646, 6769, 6770, 6773; Nouv. acquis. lat. 13334, 13953, 14416, 14380, 14381, 15104, 16094, 17815, 17816 — Vindobonenses, Bibl. Status (prius Imperialis), codd. latini 53, 84, 3143 (ff. 1-39), 3146, 3150 (ff. 1-69), 3223 (ff. 44-204), 3245 (ff. 1-119), 3251 (ff. 151-203), 3252, 4989 — Monacenses, Bibl. Status, codd. latini 4603 (ff. 156-176), 9659 (ff. 125-132), 16119 (fl. 1-118) — Trecenses, Bibl. Municip., 1381, 1101 — Trevirensis 1093 — Florentini, Bibl. Laurent., Plut. 77, cod. 4; Plut. 78, codd. 16, 17, 18, 19, 20, 21; cod. Gadd. Sup. Plut. 89, cod. 82; Aedil. 162; S. Crucis Plut. 25, Sin., cod. 2. — Pro memoria adiungimus aliquot codices Commentarii Nicolai Triveth, O. P., in Boeth. *De consolatione philosophiae*. Sunt autem: Parisienses, Bibl. National., codd. latini 6404, 6408, 6409, 6641; Nouv. acquis. lat. 10045, 11856, 12962, 18424 — Florentini, Bibl. Laurent., Plut. 76, codd. 46, 47, 56; Plut. 77, cod. 3; Gadd. Sup. Plut. 89, cod. 87; Aedil. 163; S. Crucis Plut. 25, Sin., cod. 1 et Plut. 33, Sin., cod. 7. Cf. Ch. Jourdain, *Excursions historiques et philosophiques à travers le Moyen-âge*, Paris 1888, pp. 31-68: *Des commentaires inédits de Guill. de Conches et de Nicolas Triveth sur la Consolation de la philosophie de Boëce;* Peiper, *Boetii Philos. consolat. libri quinque*, n. VI (Lipsiae 1871, pp. XXXXI-XXXXVI); Grabmann, *Die Geschichte der scholastischen Methode*, Friburgi in Br. 1909, I, pp. 160sqq.

QUAESTIO IV.

DE SCIENTIA DEI RELATE AD SALVANDA.

TITULUS I.

DE PRAEDESTINATIONE DIVINA.

Ordine [a] consequenti, adiuvante Domino, quaerendum est de praedestinatione et eius opposito, scilicet reprobatione, simulque de divina electione et dilectione. Praedestinatio enim divina ponit electionem et dilectionem; omnis enim praedestinatus a Deo est electus et dilectus, sed non convertitur: electus enim aliquis dicitur tantum quantum ad praesentem iustitiam, sicut Iudas, quamvis sit reprobus; item, omnis electus est dilectus; haec [b] non convertitur: electio enim respicit gratiam, dilectio vero [c] non solum gratiam, sed naturam; gratia autem ponit naturam, sed natura non ponit gratiam: unde dilectus dicitur adhuc qui malus est ratione naturae. Praedestinatio ergo semper respicit gloriam; electio non semper respicit gloriam, sed semper gratiam; dilectio non semper gratiam vel gloriam, sed semper naturam. Quaerendum est igitur [d]:

Primo de praedestinatione divina;
secundo, de reprobatione;
tertio, de electione;
quarto, de dilectione.

Quantum ad primum:

Primo quaeritur de praedestinatione quid sit;
secundo, quorum sit;
tertio, si causa vel ratio eius sit;
quarto, quae causalitas eius sit.

MEMBRUM I.

Quid sit praedestinatio.

Quaeritur igitur in primis de praedestinatione quid sit, in hunc modum:

1. Quid sit secundum nomen;
2. quid [e] secundum rationem;
3. quid [f] secundum rem.

CAPUT I. 220

QUID SIT PRAEDESTINATIO SECUNDUM NOMEN.

Ad primum sic: Dicitur [1] quod salvandi sunt praedestinati et dilecti [g], Malach. 1,2: *Iacob dilexi,* etc., et sunt electi, unde Rom. 11,5: *Secundum electionem reliquiae salvae fient,* et etiam sunt vocati, iustificati, magnificati, ad Rom. 8,30: *Quos praedestinavit* etc. Praedestinatio est ab aeterno, vocatio, iustificatio et magnificatio ex tempore. Dilectio dicitur ab aeterno, Malach. 1,2, et

---

[a] B add. *vero.* [b] R *sed,* quod V exp. et corr. in mg. [c] R om. [d] B om., F add. *de primo.* [e] B add. *sit.* [f] B add. *sit.* [g] R *electi.*

[1] Cf. Augustin., *In Ioan.,* tr. 26, n. 15 (PL 35, 1614).

ex tempore, Ioan. 14,21: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Similiter electio aeterna, Matth. 20,16: *Pauci electi,* et ex tempore, Ioan. 6,71: *Nonne duodecim vos elegi?* etc., sic enim Iudas electus fuit.

Quaeritur unde hoc [a], scilicet quod praedestinatio semper est aeterna, dilectio et electio aeterna et temporalis [1], vocatio vero et iustificatio et magnificatio tantum temporalis.

Respondeo [2]: In nomine praedestinationis duo sunt: antecessio et destinatio, et in destinatione tria: oportet enim quod sit [b] alicuius et de aliquo et ad aliquid. Et ideo in praedestinatione sunt tria: unum ut principium, scilicet ' praeparatio ', a quo est; quod dicitur ' gloriae in futuro ', dicit ut terminum ad quem est; quod dicitur ' gratiae in praesenti ', dicit ut medium per quod [c] est; destinatio ergo dicitur ex tempore; sed praedestinatio ratione antecessionis est aeterna: haec enim praepositio ' prae ' dicit antecessionem aeternitatis ad tempus.

Notanda ergo est differentia aliter quam prius, secundum quod [d] haec nomina respiciunt gratiam [e]; nam salvandi ab aeterno dicuntur praedestinati, similiter dilecti et electi: nam praedestinatio est gratiae, similiter dilectio et electio; gratia autem primo datur, postea habetur, postea ipsa aliquis utitur. Praedestinatio autem respicit quod conferatur gratia: quod notatur, cum dicitur [f] ' praeparatio gratiae '. Dilectio respicit gratiam habitam: bonum enim est ratio dilectionis; cum ergo Deus diligit hunc, videtur aliquod bonum [g] in eo, ratione cuius Deus diligit ipsum; unde etiam dicitur gratia gratum faciens. Electio vero dicitur secundum duos modos: uno modo, ut connotet [h] effectum separationis boni a malo, et hoc modo prior est intentio electionis intentione dilectionis; alio modo, ut connotet effectum assumptionis a minus bono ad melius, et hoc modo sequitur intentio electionis intentionem dilectionis. Electio vero connotat usum gratiae: « electio enim est de duobus oppositis alterum praeoptare [i 3] »; unde etiam respicit usum liberi arbitrii. — Item, differunt vocatio, iustificatio et magnificatio: quia non est nisi bonum gratiae et gloriae, magnificatio est respectu gloriae, vocatio et iustificatio respectu gratiae. Sed gratia [k] habet duos effectus: unum revocare a malo, quod dicitur vocatio; alium ordinare ad bonum, quod dicitur iustificatio.

Si ergo quaeritur quare praedestinatio est [l] solum aeterna, dilectio et electio aeterna et temporalis, vocatio et iustificatio ex tempore: dico quod praedestinatio dicit approbationem Dei aeternam, secundum quod est respectu boni, etiam ante omne tempus; dilectio autem et electio dicunt divinam approbationem, sed non determinant eam utrum boni ab aeterno vel ex tempore; vocatio et iustificatio determinant divinam approbationem vel [m] voluntatem respectu boni secundum quod confertur in tempore.

221

CAPUT II.

QUID SIT PRAEDESTINATIO SECUNDUM RATIONEM INTELLIGENTIAE.

Consequenter quaeritur quid sit praedestinatio secundum rationem intelligentiae [4].

I. Et videtur quod sit in genere scientiae: *a.* Dicitur enim 35 dist. I libri *Sententiarum* [5] quod « scientia Dei propter varios effectus diversa sortitur nomina: dicitur enim non tantum scientia, sed sapientia, providentia, praescientia, dispositio, praedestinatio ». Ex quo videtur quod praedestinatio sit in genere scientiae.

b. Item, nisi praedestinatio esset in genere scientiae [n], male definiretur ab Augustino [6]: « Praedestinatio est praescientia beneficiorum Dei ».

Contra [o 7]: 1. « Praedestinatio est praeparatio gratiae »; sed praeparatio pertinet ad potentiam, non ad scientiam vel voluntatem; ergo praedestinatio est in genere potentiae.

2. Item, adhuc obicitur in contrarium quia [p] praedestinatio definitur « propositum miserendi » [8];

---

[a] F *quare hec* pro *Q. u. h.*, B om. *scilicet.* [b] F om. [c] Ita PB, alii *quem.* [d] F *sed* pro *s. q.* [e] R add. *salvandi,* in F sequitur lacuna et om. *nam.* [f] R om. [g] R om. [h] L *notet.* [i] Ita V (corr.) R, alii *precipitare,* R om. *etiam.* [k] F om. [l] Ita V, alii om. [m] B *per.* [n] F om. *Item... scientiae.* [o] Codd. *item.* [p] F om.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 40, a. 1, q. 1 (I, 702 sqq.).
2 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 9, q. 1 (f. 23c).
3 Damasc., *De fide orthod.,* II, c. 22 (PG 94, 946).
4 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 40, a. 1, q. 2 (I, 704 sq.); Praeposit., *Summa,* I, (f. 76cd.)
5 Cap. 1 (p. 220); cf. Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa,* tr. 1, c. 12 (PL 176, 61).
6 *De dono persever.*, c. 14, n. 35 (PL 45, 1014); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 40, c. 2 (p. 252).
7 Augustin., *De praedest. Sanct.*, c. 10, n. 19 (PL 44, 974); cf. Fulgent., *De verit. praedest.*, III, c. 3 (PL 65, 654); Lombard., I *Sent.*, d. 40, c. 1 (p. 249).
8 Cf. Augustin., loc. cit., c. 17 (PL 44, 985 sq.). Innititur verbis Apostoli ad Rom. 9, 15-18 et ad Eph., 1, 5.

sed propositum est voluntas [a]; ergo praedestinatio est in genere voluntatis.

3. Item, scientia non est causa rei scitae; praedestinatio est causa gratiae [b] praeparatae; causa autem non est ponenda in genere eius quod non est causa; ergo praedestinatio non est ponenda in genere scientiae.

4. Item, scientia prior est ratione ipsa voluntate; praedestinatio vero posterior est ratione ipsa voluntate [c]; ergo non est in genere scientiae.

5. Item, non praedestinat Deus aliquos nisi quos proponit voluntate fore salvandos; ergo praedestinatio est voluntas vel in genere voluntatis.

II. Item, quaeritur cum assignentur quatuor definitiones praedestinationis — quarum una est [1]: « Praedestinatio est praescientia beneficiorum Dei »; alia [2]: « Praedestinatio est praeordinatio alicuius ad gloriam »; tertia [3]: « Praedestinatio est propositum miserendi »; quarta [4]: « Praedestinatio est praeparatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro » — quomodo differunt istae definitiones.

[Solutio]: I. 1-5. Ad hoc dicendum quod praedestinatio est in genere scientiae beneplaciti sive approbationis. Est enim scientia, sicut dicitur dist. 35, I *Sententiarum* [5]; scientia autem dicitur dupliciter [d]: scientia simplex et scientia cum approbatione sive approbationis [6]. Scientia autem simplex non est causa [e] scitorum, sed scientia approbationis est causa scitorum, id est approbatorum. In scientia beneplaciti vel approbationis intelligitur scientia in rectitudine et voluntas sive approbatio in obliquitate; et quia voluntas divina est sufficiens [f] causa eorum quae ei subsunt, cointelligitur [g] potentia. Secundum hoc ergo dicendum quod praedestinatio est secundum rectitudinem in genere scientiae, non scientiae quae est per modum speculativum, quae est simplex notitia, sed scientiae practicae, quae est per modum practicum, quae coniuncta est voluntati et causa operationis. Et inde est quod quandoque in ratione praedestinationis ponitur [h] praescientia, quandoque propositum, quandoque praeparatio. — Et sic patet solutio ad obiecta.

II. Ad secundum quod quaeritur de differentia definitionum [i]: dicendum quod cum praedestinatio ponatur in genere scientiae practicae sive approbationis, quatuor autem actus differentes secundum rationem intelligentiae intelliguntur in ratione praedestinationis, licet non differant secundum actum — primus est cognoscere sive iudicare; secundus eligere sive disponere, hoc est cogitare ad faciendum; tertius est velle sive proponere facere; quartus est voluntate firma in finem dirigere — secundum primum actum data est haec definitio « praedestinatio est praescientia »; secundum actum secundum ista « praedestinatio est praeordinatio »: praeordinatio enim secundum rationem intelligentiae praecedit voluntatem et sequitur scientiam et attenditur in dispositione consequente scientiam; secundum [k] actum tertium datur ista « praedestinatio est propositum » etc.: propositum enim in nobis nihil aliud est quam voluntas firmata [l] deliberatione, sed quia in Deo non est deliberatio, quia nec ignorantia, ideo propositum in Deo est firma eius voluntas; secundum actum ultimum [m] datur ista « praedestinatio est praeparatio » etc.: praeparatio enim est velut in finem directio.

Aliter sumitur istorum differentia et forte melius, ut dicatur quod scientia in nobis dicitur dupliciter [n]: scientia speculativa et practica; similiter in Deo dicitur scientia simplicis notitiae et scientia approbationis. Dicendum ergo quod praedestinatio est in genere scientiae approbationis; propter hoc dicitur ratio praedestinationis ratione scientiae vel ratione approbationis; et utrobique dupliciter: scientia enim operandorum potest esse dupliciter, ut sint operanda vel ut fiant. Ratione igitur scientiae dupliciter [o] sumitur ratio praedestinationis: ratione scientiae [p] simpliciter vel ratione scientiae inclinatae ad opus, sive cum inclinatione ad opus. Primo modo dicitur praedestinatio « praescientia » etc.; secundo modo « praeordinatio » etc. Ratione voluntatis dupliciter est similiter: est enim voluntas proponens et voluntas exequens. Ratione voluntatis proponentis dicitur praedestinatio « propositum miserendi »; ratione voluntatis exequentis dicitur praedestinatio « praeparatio gratiae » etc.

---

[a] L *voluntatis.* [b] R *rei.* [c] F om. *praedestinatio... voluntate.* [d] V *duplex* pro *d. d.* [e] S add. *scientiarum.* [f] L om. [g] PVS *intelligitur,* quod B corr. [h] F *proponitur.* [i] VLF *definitionis,* L om. *cum.* [k] R add. *autem.* [l] L *firma.* [m] B *secundum vel tertium.* [n] R *multipliciter.* [o] S add. *dicitur et.* [p] S add. *dicitur.*

[1] Cf. supra, sub n. 1.

[2] Cf. *Hypognost.*, VI, c. 2 (inter opp. Augustini, PL 45, 1657); Anselm., *De conc. praesc. Dei et lib. arbit.*, q. 2, c. 1 (PL 158, 519).

[3] Cf. supra, sub n. 3.

[4] Cf. supra, sub n. 2; Alan., *Dist. dict. theol.*, v. *praedestinatio* (PL 210, 909); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 9, q. 2 et III, c. 2 (f. 24a et 126c).

[5] Cap. 1 (p. 220).

[6] Cf. supra, p. 253, sub *Respondeo.*

222

CAPUT III.

QUID SIT PRAEDESTINATIO SECUNDUM REM.

Consequenter quaeritur quid sit praedestinatio secundum rem.

Ad quod sic: 1. Augustinus, in libro *De vocatione Sanctorum* [1]: « Praedestinatio est praeparatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro ». In hac definitione tangitur quod est ante tempus, scilicet praeparatio aeterna, et quod est post tempus, scilicet gloria futura, et quod concomitatur [a] tempus praesens, scilicet gratia in praesenti. Secundum hoc ergo quaeritur an praedestinatio sit aeterna aut [b] temporalis: nam cum praedestinatio sit « praeparatio gratiae in praesenti », gratia autem in praesenti non est ab aeterno, ergo nec praeparatio gratiae in praesenti erit ab aeterno; ergo nec praedestinatio.

2. Item, artifex domus non diceretur praeparare domum nisi haberet aliquid quod ad ipsam faciendam vel ad ipsius esse pertineret, ut ligna, lapides et huiusmodi; ergo si praedestinatio est praeparatio gratiae ab aeterno, oportet quod ab aeterno sit aliquid de re praeparanda; sed nihil de gratia dicitur ab aeterno fuisse; ergo praeparatio huius non fuit ab aeterno.

3. Item, quaeritur quid subest praeparationi, propter [c] quod praeparatio ab aeterno est, quia licet artifex faciendi domum scientiam habeat et voluntatem, non tamen dicitur praeparatio domus esse; ergo si voluntas Dei et scientia sit respectu alicuius cui daturus sit gratiam in praesenti, quia [d] finaliter bene usurus est, non propter hoc dicetur praeparatio gratiae esse; ergo non dicetur [e] praeparatio gratiae ab aeterno.

Respondeo: Praeparatio [f] dicitur dupliciter: praeparatio enim dicitur cum datur gratia et antequam detur, scilicet cum est scientia quod aliquis bene usurus est finaliter et est voluntas dandi ei. Secundum primum modum, quantum est ex parte praeparatae gratiae, quod est connotatum dicitur praeparatio temporalis; secundum modum secundum [g] dicitur aeterna praeparatio, quia hoc modo importat voluntatem ab aeterno, voluntatem scilicet dandi isti gratiam cum praescientia quod bene sit usurus ea finaliter.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet solutio ad primum.

2. Ad secundum dicendum quod non est simile de artifice homine et de [h] Deo, quia artifex homo non est sibi sufficiens ad totam suam operationem, et ideo requirit [i] materiam subiectam; artifex Deus sibi per omnia est sufficiens nec indiget materia subiecta; unde Artifex summus habet vim agendi [k] sine materia: agit enim ac si materia suae actionis sit, sive sit sive non sit, et ideo quod est ex parte eius, dicitur praeparatio, dummodo concurrat sapientia, scientia et voluntas: quod non est ex parte hominis [l]. — Et ad illud quod dicitur 'nihil est [m] gratiae ab aeterno': dico quod nihil est gratiae in effectu, sed tamen aliquid est gratiae [n] in sua causa, sive in suo principio sufficienti et completo.

3. Et per hoc patet solutio ad tertio obiectum.

MEMBRUM II.

Quorum sit praedestinatio.

Consequenter quaeritur quorum sit praedestinatio:

Primo, an sit entis vel non-entis;

secundo, utrum sit omnium, reproborum et electorum;

tertio, an possit esse reproborum;

quarto, utrum sit angelorum;

quinto, utrum sit beatorum [o];

sexto, quomodo sit Christi; sed [p] illud determinabitur infra, De incarnatione Christi [q] [2].

223

CAPUT I.

AN PRAEDESTINATIO SIT ENTIS VEL NON-ENTIS.

Ad primum sic: *a.* Praedestinatio est ab aeterno et praedestinatio est creaturae; sed creatura non est ens ab aeterno; ergo praedestinatio est non-entis.

---

[a] Ita VB, alii *comitatur*. [b] P *an*. [c] S add. *hoc*. [d] V *qua*. [e] PSLF om. *praeparatio... dicetur*. [f] R add. *enim*. [g] F add. *quod*. [h] R om. [i] S add. *sibi*. [k] RLF *agentis*. [l] F *bonis* [m] V add. *ex parte*. [n] RLF *gratia* et om. *aliquid*. [o] LF *bonorum*. [p] VB *et*. [q] L om.

[1] Cap. 10, n. 19 (PL 44, 974).

[2] In libro III huius *Summae*.

Contra: 1. Super illud ad Rom. 1,4: *Qui praedestinatus est* etc. dicit Origenes[1]: « Destinatio[a] est eius qui est »; sed dicit Augustinus, in libro *De vocatione Sanctorum*[2]: « Quid est praedestinatio? nisi destinatio alicuius ». Ergo praedestinatio non est nisi eius qui est; ergo praedestinatio solum est entis.

2. Item, praedestinatio qua Deus praedestinat dicitur ad praedestinationem qua res praedestinatur, sicut relatio et correlatio; sed duae relationes non possunt esse in eodem supposito[3]; ergo si praedestinatio praedestinantis est in Deo, sua correlatio non erit in Deo, sed in creatura; sed[b] creatura non est ab aeterno; ergo nec praedestinatio, qua iste praedestinatus est, est[c] ab aeterno; ergo praedestinatio est solum entis actu vel in tempore.

Respondeo: Res dicitur 'ens' dupliciter: in sua natura et in Dei praescientia sive praeordinatione[4]. Esse rei in propria natura non est aeternum, sed temporale; sed esse rei in praescientia[d] sive in praeordinatione est aeternum et non differens ab esse divino, quia esse rei huiusmodi non est aliud quam esse ideae sive rationis aeternae in Deo; esse rei in sua natura est esse simpliciter, esse rei in causa sive in praescientia est esse rei secundum quid. Secundum hoc ergo dicendum quod praedestinatio dicitur respectu rei entis in causa sive in praescientia[e], non respectu rei existentis in sua natura propria: et ita praedestinatio potest esse respectu rei entis secundum quid et respectu rei non entis simpliciter.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod obicitur de auctoritate Origenis: dicendum quod Origenes loquebatur de praedestinatione sive destinatione[f] Christi, cui convenit esse ab aeterno ratione personae, licet[g] non ratione humanae naturae: et sic destinatio[h] Christi « est eius qui est ». Non sic autem est de[i] nobis, quibus non convenit esse ab aeterno nec ratione personae nec ratione naturae.

2. Ad secundum dicendum quod sicut est idem in re, quantum est ex parte principalis significationis 'Deus praescit istum' et 'iste praescitur a Deo', tamen diversus est modus in dicendo ratione connotati in creatura, quia eadem est[k] praevisio vel praescientia quae subest ei quod dicitur active et quod dicitur passive — tamen quod dicitur passive[l] et active, hoc est ex parte creaturae connotatae, quae consideratur in habitudine ad divinam praescientiam: aut ut subiectum illi, et secundum hoc designatur active, ut cum dicitur 'Deus praescit istum'; aut ut ens in illa, et sic designatur passive, ut cum[m] dicitur 'iste est praescitus a Deo' — similiter praedestinationi, sive dicatur active sive passive, idem subest quantum ad principale significatum, sed solum differt quantum ad connotatum. Unde ad illud quod obicitur quod 'praedestinatio praedestinati non est in Deo': respondendum est quod si loquitur de principali significatione, falsum est, quia est in Deo; praedestinatio enim praedestinati idem est quod praedestinatio praedestinantis.

CAPUT II. 224

UTRUM PRAEDESTINATIO SIT OMNIUM.

Ad secundum, utrum sit praedestinatio omnium,

Proceditur sic: 1. Nihil aliud est praedestinatio nisi[n] praescientia cum approbatione: unde[o] ibi est scientia Dei et voluntas; sed scientia Dei est respectu omnium, et voluntas salutis respectu omnium; ergo praedestinatio est respectu omnium. — Probatio mediae: scit enim Deus et bona et mala, similiter Deus *vult omnes homines salvos fieri*, I Tim. 2,4; ergo respectu salutis omnium est voluntas Dei et scientia, ergo et praedestinatio; ergo omnes sunt praedestinati.

2. Item, de perfectione solis est quod illuminet aeque caecum et videntem: aeque enim irradiat super utrumque; sed sicut dicit Dionysius[p 5]: « Bonum supersummum magis diffundit suam bonitatem quam sol suum lumen ». Si ergo, quantum est de se, sol communicat lumen suum omnibus, ergo et Deus suam bonitatem, scilicet gratiam et gloriam; ergo omnes sunt praedestinati.

3. Item[q], prima causa aequaliter se habet ad omnes, non tamen omnes similiter vel aequaliter se habent ad eam. Unde Augustinus[6]: « Sicut lux praesens est caeco, tamen caecus absens est luci, ita gratia Dei praesens est omnibus, non tamen

---

[a] S *predestinatio*, F *destinatione* pro *d. e.* [b] R add *in.* [c] R om. [d] L add. *Dei.* [e] PV om. *i. p.*, quod in S est add. marg. [f] B om. *s. d.* [g] L *sed.* [h] L *predestinatio.* [i] B add. *omnibus.* [k] R om. [l] Ita R, alii om. *t. q. d. p.* [m] F om. [n] R *quam.* [o] L *ubi.* [p] B *Boethius*, quod L corr. [q] S om.

[1] *In Epist. ad Rom.*, l, n. 5 (PG 14, 849).
[2] Cf. cap. 18 (PL 44, 986); *De corrept. et grat.*, c. 9, n. 23 (PL 44, 930); *De div. quaest. ad Simplic.*, I, q. 2, nn. 4 et 6 (PL 40, 114 sq.); *Sermo* 26, c. 4 (PL 38, 173).
[3] Cf. Aristot., *De categ.*, c. 5 (I, 9).
[4] Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, V, c. 18 (PL 34, 334).
[5] *De divin. nomin.*, c. 4, § 1 (PG 3, 694, PL 122, 1129).
[6] *In Ioan.*, tr. 1, n. 19 (PL 35, 1388).

mali praesentes sunt ei [a] »; tota autem causalitas est penes Deum; si ergo scientia Dei est respectu omnium et causalitas similiter, ergo omnes sunt [b] praedestinati.

Contra: *a.* Non omnes salvabuntur; ergo non omnes sunt praedestinati.

Respondeo: 1. Praescientia se habet aequaliter ad omnes, voluntas similiter uno modo se habet ad omnes; sed voluntas cum praescientia non se habet aequaliter ad omnes. Non tamen [c] hoc est propter diversitatem quae sit [d] in praescientia, sed quia nos non habemus nos aequaliter ad ipsam; unde praedestinatio non solum dicit voluntatem Dei, sed voluntatem cum praescientia quod [e] bene usuri sunt dono suo. Unde, secundum Ioannem Damascenum [1], dicendum [f] quod est duplex voluntas: est enim voluntas antecedens et voluntas [g] consequens; voluntate antecedente *vult Deus omnes homines salvos fieri:* haec enim est voluntas quae respicit creaturam rationalem salvabilem; voluntas consequens cum praescientia quod bene usurus est dono Dei: sic non *vult omnes homines salvos fieri,* sed electos solum, et sic dicitur voluntas Dei rationabilis; si enim vellet alicui finaliter salutem qui male usurus est per liberum arbitrium, non esset iusta.

2. Quod ergo obicit quod ' sol aequaliter se habet ad [h] omnes ': dicendum quod aequaliter se habet ad omnes, sed non omnes aequaliter ad ipsum; et secundum hoc non est praedestinatio omnium, quia praedestinatio ponit praescientiam quod iste sit bene usurus; et ideo non est simile.

3. Ad aliud [i] dicendum quod haec est duplex ' tota causa salutis est penes Deum '; nam tota causa effectiva principaliter est apud Deum, sed tota causa susceptiva non est apud eum [k]: non enim cogit nos salvari; et hoc est quod dicitur 41 dist. I libri *Sententiarum* [2]: totum [l] est Dei, totum est nostrum etc.

225

CAPUT III.

UTRUM PRAEDESTINATIO POSSIT ESSE REPROBORUM.

Consequenter ad tertium, utrum possit esse aliorum quam electorum praedestinatio [3],

Proceditur sic: 1. Luc. 5,6: *Rumpebatur rete.* Glossa [4]: « Non tot [m] intrant de Iudaeis, quot sunt praedestinati ». Ergo minui potest numerus; ergo et augeri.

2. Item, Deuter. 1,11: *Addat Deus ad hunc numerum multa millia.* Glossa [5]: « Ad hunc numerum definitum in praescientia Dei, qui novit *qui* [n] *sunt eius* [6] ». Ergo etc.

3. Item, Iob 34,24: *Conteret multos* etc. Glossa Gregorii [7]: « Locum vitae, aliis [o] cadentibus, alii sortiuntur ». Item, Apoc. 3,11: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* [p]. Ergo potest praedestinari qui non est [q] praedestinatus.

4. Item, iste praescitus potest facere quod in se est, et si fecerit, Deus dabit gratiam; potest etiam [r] perseverare in gratia, quia nec Deus auferet gratiam nec diabolus potest auferre; ergo potest perseverare; ergo et potest salvari; ergo et potest esse praedestinatus.

Contra: *a.* Est numerus numerans et numerus [s] numeratus [8]. Si quaeritur de numero numerato vel de numero numerante, videtur verum utrumque, quia Deus scit qui salvabuntur et quot salvabuntur; ergo certus est numerus; ergo non potest augeri vel minui: sic [t] enim augeretur divina scientia [u] vel minueretur.

Respondeo: Certus est [v] numerus electorum apud Deum [9].

Et ad obiecta dicendum quod auctoritates intelliguntur de statu gratiae in praesenti.

1. Sed ad primum dicendum quod intelligitur Glossa secundum quod refertur ad diversos status: fuerunt enim quidam praedestinati ut crederent in primo adventu, quidam in fine. Vult ergo dicere quod non tot de Iudaeis intraverunt ad fidem in primitiva Ecclesia quot sunt

---

[a] PV om., in S est add. mg., in B est add. interl. [b] L add. *Dei.* [c] L om. [d] RF *fit,* L *si.* [e] Codd. *qua.* [f] P add. *est,* L om. seq. *est.* [g] F om. *est... voluntas.* [h] L om. [i] P *illud.* [k] LF *Deum.* [l] PV *dicitur;* PVS *esse* pro *est,* quod B corr. [m] B om. [n] PSB *que.* [o] R (corr.) *illis.* [p] L om. [q] SB *erit.* [r] VSB *enim.* [s] L *numerans.* [t] L *si.* [u] V *essentia.* [v] L om.

1 *De fide orthod.,* II, c. 29 (PG 94, 970).

2 Cap. 2 (p. 255), non verbotenus. Cf. Augustin., *Retract.,* I, c. 23, nn. 2 et 3 (PL 32, 621 sq.); *De praedest. Sanct.,* c, 3 (PL 44, 965): *De div. quaest. ad Simplic.,* I, q. 2, n. 10 (PL 40, 117).

3 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 40, a. 2, q. 2 (I, 711 sqq.),

4 *Ordin.* ap. Lyran. 5 *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 450).

6 II Tim. 2, 19.

7 *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 840), ex Gregorio M., *Moral.,* XXV, c. 8, n. 19 (PL 76, 331).

8 Cf. Aristot., *Phys.,* IV, c. 11 (II, 301).

9 Cf. Augustin., *De corrept. et grat.,* c. 13, n. 39 (PL 44, 940); *Epist.* 186, c. 7, n. 25 (PL 33, 825); Fulgent., *De verit. praedest.,* III, c. 4, n. 6 (PL 65, 654).

praedestinati, sed alii intrabunt in fine. — Vel aliter: non tot intrant [a] in statu Iudaismi quot sunt praedestinati, sed intrant facti Christiani.

2. Item ad aliud [b] Deuter. 1,11: dicendum quod numerus definitus est apud Deum et illorum qui habent in praesenti gratiam, sed [c] non finaliter, et [d] numerus illorum qui finaliter. Quod ergo dicitur Deuter. 1,11, intelligitur de numero quantum ad praesentem iustitiam.

3. Item, ad illud « locum vitae alii sortiuntur »: dicendum quod locus iustitiae vel vitae dicitur status praesentis iustitiae, et de vita gratiae, non [e] de vita gloriae.

4. Item, ad aliud dicendum quod iste potest salvari et potest esse praedestinatus; sed si fiat argumentatio: 'iste potest esse praedestinatus et iste est praescitus, ergo praescitus potest esse praedestinatus', non valet, sed est fallacia secundum accidens, quoniam aliud est loqui de isto, aliud de isto [f], secundum quod praescitus est [g] vel praedestinatus: cum enim dicitur 'praedestinatus' [h], notatur [i] divina praevisio immutabilis sive [k] praefinitio, et ideo non debet concedi 'praedestinatus [l] potest damnari' vel 'praescitus potest salvari'; tamen potest concedi 'iste potest salvari' et 'iste potest damnari'.

CAPUT IV. 226

UTRUM PRAEDESTINATIO SIT RESPECTU BEATORUM ANGELORUM.

Consequenter quaeritur utrum praedestinatio sit respectu beatorum [m] angelorum.

1. Cum enim [n] praedestinatio sit « propositum miserendi [1] », in beatis autem angelis non est miseria nec fuit, ergo respectu eorum non est praedestinatio.

2. Item, praedestinatio est « praeparatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro »; sed in angelis beatis simul est gratia et gloria; ergo ipsi non sunt praedestinati.

Respondeo: Cum diversae sint rationes praedestinationis assignatae a Sanctis, considerationis respectus habitus est differens. Nam cum praedestinatio sit rationalis naturae, rationalis autem natura est angelica et humana, potest ergo accipi communiter secundum quod convenit angelicae naturae et humanae, vel specialiter secundum quod convenit humanae. Secundum quod communiter accipitur, dicitur praedestinatio « praescientia beneficiorum Dei [2] », « praeordinatio alicuius ad gloriam ». Secundum quod convenit humanae, dicitur « propositum miserendi » et etiam « praeparatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro »; quia in angelis beatis non fuit miseria, ideo nec « propositum miserendi » dicitur respectu illorum, nec etiam in ipsis antecessit gratia gloriam. Sed status humanus fuit duplex: ante peccatum et post peccatum; secundum quod ante peccatum, dicitur praedestinatio « praeparatio gratiae in praesenti » etc., sed post peccatum dicitur « propositum miserendi ». Item, aliae duae differunt: nam beneficium dicitur magis communiter quam gloria; unde una est magis communis alia: unde illa, quae dicit quod praedestinatio est « praeordinatio alicuius ad gloriam », datur per differentiam propriam, altera per differentiam communem: et dicitur differentia propria quae per se est praedestinationis proprie sumptae; haec autem differentia, scilicet beneficiorum, non est propria: aliis enim convenit quam praedestinatis, proprie sumpta praedestinatione; unde non datur per convertentiam.

CAPUT V. 227

UTRUM PRAEDESTINATIO SIT ILLORUM QUI SUNT IN GLORIA.

Consequenter quaeritur utrum praedestinatio sit illorum qui sunt in gloria.

Et videtur quod non: *a.* Non enim est illis gloria futura.

b. Praeterea, non sunt in miseria; unde nec de illis est « propositum miserendi ».

[Solutio]: Responderunt [o] aliqui [3] quod 'praedestinatus' potest sumi nominaliter vel participialiter. Nominaliter sumendo non sunt praedestinati

---

[a] PVSB *erant.* [b] F *illud.* [c] F *et.* [d] PF *sed.* [e] F *et.* [f] SL om. *a. d. l.* [g] RLF om. [h] P om. *c. e. d. p.* [i] R add. *enim.* [k] V add. *divina.* [l] Ita B (corr.), alii add. *non.* [m] LF *bonorum.* [n] L om. [o] BR *respondent.*

1 De hac et seq. definitione cf. supra, p. 316, num. 221.
2 Augustin., *De dono persever.*, c. 14, n. 35 (PL 45, 1014).
3 Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 9, q. 3 (f. 24d); Praepositi., *Summa*, I (f. 76b).

— sic enim est « praeparatio gratiae praesentis et gloriae futurae » — quia non est illis gloria futura. Sed participialiter, verum est, ut sit sensus: quia aliquando verum fuit dicere quod isti praedestinati sunt, quia praeteriti temporis est 'praedestinatus'; vel aliter: quia gloria est infinita, unde semper sunt in gloria et semper adhuc est illis gloria futura.

MEMBRUM III.

An praedestinationis sit causa vel ratio.

Consequenter quaeritur an praedestinationis sit causa vel ratio. Et quaeruntur tria communiter quantum ad praedestinationem et reprobationem:

Primo, an [a] causam habeat ex meritis propriis;

secundo, an causam habeat ex meritis alienis;

tertio, an causam habeat ex parte Dei.

228

CAPUT I.

AN PRAEDESTINATIO ET REPROBATIO CAUSAM HABEANT EX MERITIS PROPRIIS.

Quantum ad primum obicitur sic [1]: 1. Constans est quod aliquis potest facere quod habeat gratiam, quia si facit quod in se est, habebit gratiam; et habens gratiam potest facere quod finaliter habeat gratiam; et si finaliter habet gratiam, praedestinatus est; ergo potest aliquis facere quod sit praedestinatus [2].

2. Item [b], ad Rom. 9,13: « Esau, subtracta gratia, est reprobatus [3] »; sed subtractio gratiae est ex meritis; ergo reprobatio est ex meritis.

3. Item, Rom. 9,14 super illud: *Numquid iniquitas apud Deum?* Glossa [4]: « Esau per iustitiam est reprobatus ». Ergo ex meritis.

4. Item, super Malach. 1,2: *Cuius vult miseretur* etc., Augustinus [5]: « Haec voluntas iniusta esse non potest, quia venit de occultissimis meritis ».

5. Item, ad Rom. 9,15: *Miserebor cui miserebor.* Glossa Ambrosii [6]: « Dabo illi gratiam quem [c] scio ad me toto corde post errorem reversurum, et hoc est dare cui dandum ». Ergo propter futurum servitium datur misericordia.

Contra: *a.* Esse praedestinatum est esse ab aeterno [7]; merita nostra habent esse temporale, et temporale non est causa aeterni; ergo nec merita causa praedestinationis.

b. Item, ad Tit. [8]: *Non [d] ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

c. Item, ad Rom. 11,6 probat Apostolus quod gratia non potest esse ex meritis, *alioquin gratia non esset gratia.* Si ergo infusio gratiae, quae est temporalis, non potest esse ex meritis, ergo nec praedestinatio quae est aeterna.

d. Item, Glossa [9] ad Rom. 9,13: *Iacob dilexi* etc. [e]: « Sine meritis unum dilexi, alium reprobavi ».

Respondeo: In nomine praedestinationis et reprobationis intelliguntur plura. In praedestinatione enim intelligitur praescientia et gratia et gloria respectu quorum est praedestinatio. Similiter in reprobatione sunt tria: praescientia et praesens iniquitas et poena futura [10]. Cum ergo invenitur in auctoritatibus Sanctorum [11] quod praedestinatio vel reprobatio sit ex meritis, respondendum [f] quod si hoc dicatur quantum ad principale significatum, sic non sunt ex meritis; si [g] quantum ad connotatum, sic sunt ex meritis, sed differenter ex parte praedestinationis et reprobationis. Nam ex parte praedestinationis nec [h] principale significatum [i] est ex meritis, nec etiam primum connotatum, quod est 'infusio gratiae',

---

[a] BRLF *utrum.* [b] R om. [c] R *quam.* [d] LF *nec.* [e] Ita P, alii repetunt *Glossa.* [f] V add. *est*, BR om. *hoc.* [g] V *sed.* [h] V add. *etiam*, F add. *ex.* [i] PVS add. *quod.*

1 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 41, cc. 1 et 2 (p. 253 sqq.); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 9, q. 1 (f. 23c sq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 41, a. 1, q. 1 (I, 728 sqq.).

2 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., q. 4 (f. 25a).

3 *Glossa* Lombardi, in h. l. (PL 191, 1458).

4 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 501), et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1459).

5 *De div. quaest. 83*, q. 68, n. 4 (PL 40, 72).

6 *In Epist. ad Rom.*, c. 9, 5 (PL 17, 136), apud Lombard., in h. l. (PL 191, 1459).

7 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 25a).

8 Cap. 3, 5.

9 *Interlin.* et *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 501), item Lombardi, in h. l. (PL 191, 1459).

10 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. I, c. 9, q. 1 (f. 23c); Praeposit., *Summa*, I (f. 76c).

11 Cf. Ambros., *De fide*, V, c. 6, n. 83 (PL 16, 665); Hilar., *Tract. in Psalm. 64*, n. 5 (PL 9, 415); Chrysostom., *Homil.* 79, alias 80, *in Matth.*, n. 2 (PG 58, 719); Theodoret., *In Epist. ad Rom.* 8, 29 (PG 82, 142).

sed 'collatio gloriae' ex meritis est. Ex parte autem reprobationis aliter est: nam principale significatum est 'praescientia [a] et praeparatio', connotatum 'praesens iniquitas et futura poena'. Patet ergo quod reprobatio quantum ad principale significatum non est ex meritis, sed quantum ad connotata potest dici quod est ex meritis. Si ergo inveniantur auctoritates quae dicant quod praedestinatio et reprobatio sint ex meritis, non est referendum ad principale significatum, sed ad connotatum, sed differenter in praedestinatione et reprobatione, ut dictum est [1].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod [b] obicitur 'iste potest facere quod habeat gratiam Dei', dicendum quod hoc intelligitur sic: quod potest facere aliquid, quo facto, habeat gratiam, sicut iste aperiendo fenestram facit quod illuminetur domus, non quod eam illuminet, sed quia aliquid facit, quo facto, illuminatur [2]; eodem etiam [c] sensu intelligitur 'potest etiam facere, quod perseveret in gratia'. Nec ex hoc sequitur quod hic sit praedestinatus, quia primae sunt impropriae, sed ultima nullo modo est vera: nam habere gratiam est temporale, et ideo possumus aliquid facere antecedens ad gratiam; sed praedestinatio aeterna [est], et ideo nihil possumus facere antecedens ad illam.

2. Item [d], ad illud Rom. 9,13, in Glossa: '« Subtractio gratiae ex meritis est », ergo et reprobatio', patet solutio per praedicta. — Vel [e] potest dici quod subtractio gratiae non est causa reprobationis; unde si ablativus [f] causam notet, falsa est; sed si notet concomitantiam, vera est.

3. Item, ad illud: « Esau per iustitiam est [g] reprobatus », vel iuste etc.: dicendum, secundum [h] quod supra [3], quod notatur iustitia non respectu principalis significati, sed respectu connotati. Exponatur ergo quod dicitur 'Deus praeparat alicui poenam aeternam ex meritis': quod dicitur 'ex meritis' potest referri ad praeparationem absolute, et sic falsa; vel in comparatione ad poenam et sic vera, quia poena pro [i] meritis infligitur. — Vel aliter: uno modo dicitur iustitia divina [k] aequitas reddens unicuique quod suum est, alio modo exigentia meritorum; primo modo sumitur hic iustitia: ratio enim reprobationis est iustitia, ratio praedestinationis est misericordia; habent enim praedestinatio et reprobatio rationem, etsi non causam.

4. Item, ad illud quod « voluntas venit de [l] occultissimis meritis » etc.: respondeo quod 'de' potest dicere causam originalem, et sic falsa; vel materialem, et sic vera. Unde per hoc significatur quod reprobationis effectus quasi materialis exigentia sint mala merita.

5. Item [m], ad illud Ambrosii: dicendum [4] quod Ambrosius non vult dicere quod merita sint causa quare datur gratia, sed quod sint [n] congruentia ut illi detur gratia; unde non posuit verbum notans causam, sed congruentiam; unde dicit [o]: « Dabo ei gratiam, 'quem' scio ad me reversurum », non 'quia' scio ad me reversurum.

CAPUT II. 229

UTRUM ALIENA MERITA SINT CAUSA PRAEDESTINATIONIS.

Consequenter quaeritur utrum aliena merita sint causa ipsius praedestinationis.

Et arguitur sic: 1. Per merita sanctorum impetratur gratia prima et potest etiam impetrari perseverantia et etiam vita aeterna; ergo et potest impetrari praedestinatio [5].

2. Item, Ambrosius [6]: « Praedestinatio orationibus sanctorum iuvatur »; sed qua [p] ratione iuvatur [q], potest impetrari.

3. Item, Gregorius [r 7]: « In Isaac facta est promissio; sed sanctorum precibus adiuvanda est praefinitio Dei ».

4. Item, Augustinus, in libro *De perseverantia* [8]: « Si qui nondum vocati sunt, pro illis ut vocentur oremus; fortasse enim praedestinati sunt ut nostris orationibus concedantur ». Ergo etc.

Respondeo [9]: In verbo 'praedestinationis' sunt duo: unum [s] quia est ibi [t] praescientia vel praeparatio vel praeordinatio; aliud [u] est collatio gratiae

---

[a] S *scientia.* [b] BRLF *Quod ergo* pro *A. i. e. q.* [c] R *enim.* [d] BR om. [e] B add. *aliter*, L om. *quod.* [f] L add. *ibi*, F om. *si.* [g] Ita LF, alii om. [h] F om. [i] BR *ex.* [k] Ita BR, alii add. *est.* [l] Codd. *ex*, F om. *item.* [m] BRF om. [n] PVS *sit.* [o] LF *dixit.* [p] F *que.* [q] R *iuvari potest.* [r] L *Augustinus.* [s] Codd. *una.* [t] BRLF add. *Dei.* [u] Ita V, alii *alia.*

1 Cf. hic parum supra.
2 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., I, c. 9, q. 4 (f. 25a).
3 Cf. sub *Respondeo.*
4 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., I, c. 9, q. 5 (f. 25bc).
5 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., I, c. 9, q. 4 (f. 25a).
6 Sic habet Guil. Altissiod., loc. cit., ex Ambrosio; sed Ambrosius agit in genere de sola intercessione Sanctorum ad salutem nostram. Cf. Ambros., *De Ioseph*, c. 12, n. 71 (PL 14, 668); *Exposit. in Luc. Evang.*, V, n. 11 (PL 15, 1638); *De vid.*, c. 19, n. 55 (PL 16, 251).
7 *Dialog.*, I, c. 8 (PL 77, 188), ad sensum. Cf. Gen. 21, 12; ad Rom. 9, 7.
8 Cap. 22, n. 60 (PL 45, 1029). Cf. *In Ioan.*, tr. 26, n. 2 (PL 35, 1607); *Epist.* 217, c. 4, n. 13 (PL 33, 983).
9 Pro hac solutione cf. Guil. Altissiod., loc. cit., I, c. 9, q. 4 (f. 25a); Praeposit., *Summa*, I (f. 76c).

vel gloriae. Ad primum non est referendum quod adiuvetur praedestinatio sanctorum precibus; sed ad secundum, quia effectus praedestinationis, qui est collatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro, impletur precibus sanctorum.

[Ad obiecta]: 1. Quod obicitur quod 'sancti impetrant gratiam, perseverantiam [a] et gloriam', non sequitur: 'ergo praedestinationem', quia respectu gratiae, perseverantiae et gloriae potest aliquid esse antecedens, quia temporalia sunt; sed praedestinatio [est] aeterna, et ideo nihil potest esse antecedens.

2-3. Per [b] hoc patet solutio [c] ad alia duo quae sequuntur [d].

4. Ad illud Augustini ultimum: dicendum quod vocatio interior semper est temporalis, ad Rom. 8,30: *Quos praedestinavit, hos et vocavit.* Ad hanc vocationem, scilicet gratiae infusionem, possunt iuvare orationes sanctorum, non ad praedestinationem quae est aeterna.

230

CAPUT III.

UTRUM PRAEDESTINATIO ET REPROBATIO HABEANT CAUSAM EX PARTE DEI.

Consequenter quaeritur utrum praedestinatio et reprobatio habeant causam ex parte Dei, scilicet praescientiam, id est utrum praescientia, qua scit istum bene usurum gratia, sit causa praedestinationis, et praescientia, qua scit illum male usurum, sit causa reprobationis.

Ad hoc Augustinus [1]: « Voluntas Dei ex ratione est »; similiter Ioannes Damascenus [2]: « Voluntas est rationalis appetitus », ergo voluntas Dei maxime [e]: semper enim quod nobilius est [f] Deo est tribuendum [g]; sed voluntas operans ex ratione praeferenda est illi [h] quae operatur sine [i] ratione. Quaeritur ergo quae sit ratio voluntatis divinae.

Videtur quod praescientia: *a.* Voluntatis enim, quae est [k] ex ratione, scientia praecedens [l] ratio est. Cum ergo in praedestinatione intelligam voluntatem, scilicet praeparativam, erit [m] eius ratio praescientia.

b. Ad hoc facit illud Rom. 8,30: *Quos praescivit, hos praedestinavit.*

c. Ad hoc etiam est ratio, quia scientia semper est ratio [n] voluntatis operantis ex ratione.

d. Item, ad idem [o] patet ratio, quia [p] si aliquis esset largitor bonorum et sciret quod iste non bene uteretur dono suo, sed male, non esset bonus et rationabilis dispensator, si daret illi qui male esset usurus et non illi qui bene esset usurus; sed ipse Deus praescit omnia; ratio ergo est ut det illi qui bene usurus est et non illi qui male.

Contra: 1. Augustinus, in libro [q] *De praedestinatione sanctorum* [3]: « Non quia nos tales futuros esse praescivit, ideo elegit ».

2. Item, si dicatur quod meritum in praescientia sit causa praedestinationis et reprobationis: aut ergo merita in praescientia sunt idem quod Deus aut non. Si idem: ergo idem est causa sui; nam praedestinatio [r] etiam idem est quod Deus praedestinans [s]. Si merita in praescientia vel in causa non sunt idem quod Deus: sed merita in suo esse sunt temporalia; ergo temporale est causa aeterni.

3. Item, Deus gratiam dat illi quem scit male usurum, ut Iudae proditori, non tamen ex hoc dicitur irrationabiliter agere; ergo a simili non est ratio quare dicatur agere irrationabiliter, quia non dat illi qui bene est [t] usurus gratia; ergo non est causa vel ratio praedestinationis. — Item, « voluntas Dei est prima ratio et causa omnium [4] »; sed primae rationis vel causae non est causa vel ratio; ergo voluntatis divinae non est quaerenda causa vel ratio.

Respondeo: Secundum rem idem est in Deo praescientia et praedestinatio secundum principale [u] significatum; tamen secundum rationem intelligentiae differunt, et ideo unum potest dici [v] ratio alterius, non causa. Et hoc voluit dicere Augustinus, cum dixit: « Voluntas Dei ex ratione est ».

[Ad obiecta]: 1. Quod ergo obicitur « non ideo elegit » etc.: si 'ideo' [x] dicit causam, verum est; si rationem, falsum est, quia praescientia meritorum dicit rationem voluntatis, non tamen

---

[a] S om. [b] BRLF *Et per.* [c] BRLF *responsio.* [d] V *sequentia* pro *q. s.* [e] F om. [f] BRF om. [g] PVS *attribuendum.* [h] L *illa.* [i] L *ex.* [k] S om. [l] P *procedens.* [m] L om. [n] F om. [o] R *id.* [p] BRLF om.; in P nota marg.: *Nota contra prelatos dantes scienter dyscolis beneficia. G.* [q] B om. *l. l.* [r] B *ubi destinatio*, P *non* pro *nam.* [s] BRLF om., VRF *sed* pro *si.* [t] R om. [u] R add. *proponitur.* [v] L om. [x] BF *ratio.*

1 Ita *Glossa interl.* et Lombard., *In Eph.*, 1, 11 (PL 192, 174), sed videtur potius esse Hieronymi, *In Eph.*, 1, 11 (PL 26, 455); cf. Anselm., *Cur Deus homo*, c. 8 (PL 158, 369).

2 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 946); cf. Maxim. Conf., *Ad Marin.* (PG 91, 14).

3 Cap. 19, n. 38 (PL 44, 988).

4 Augustin., *De Trinit.*, III, c. 4 (PL 42, 873).

ex hoc sequitur quod ipsa [a] merita sint ratio vel causa voluntatis.

2. Ad aliud dicendum quod nihil aliud sunt merita in praescientia quam praescientia meritorum; praescientia autem meritorum idem est quod Deus; non est autem idem ratio [b] sui: nam etsi quantum ad principale significatum sint [c] idem praescientia et voluntas, differunt tamen secundum rationem intelligentiae quantum ad connotata; nam collationis gratiae et gloriae potest esse ratio [d] praescientia meritorum.

3. Ad illud quod obicitur quod 'Dominus dat illi qui non bene est usurus': dicendum quod hoc est ex ratione bonitatis quia dat illi qui facit quod in se est; sed ex ratione aequitatis est quod dat illi quem scit bene usurum.

MEMBRUM IV.

De causalitate praedestinationis.

Consequenter quaeritur de causalitate praedestinationis. Et quaeruntur tria:

Primo, cuiusmodi [e] causa sit;

secundo, si ponat aliquem effectum in praedestinato;

tertio, si effectus eius possit cassari.

CAPUT I. 231

CUIUSMODI CAUSA SIT PRAEDESTINATIO [1].

Quantum ad primum: 1. Rom. 8,30: *Quos praedestinavit* etc. Glossa [2]: « Praedestinatio est causa, cuius effectus est gratia ». Quaeritur [f] ergo utrum sit causa necessaria vel contingens. Non contingens: quia nihil contingens cadit in Deo. Si necessaria: sed causa [g] necessaria posita, ponitur effectus [3]; sed praedestinatio est aeterna; ergo et gratia.

2. Item, est causa propria et communis. Si ergo praedestinatio est causa gratiae, quaeritur an sit causa [h] propria vel communis. Si communis [i]: ergo per aliquod additum efficietur propria; illud additum aut est temporale aut aeternum. Si temporale: ergo adhuc illius temporalis esset causa praedestinatio; sed quaeritur, ut prius, eius causa vel propria vel communis, et sic in infinitum. Vel illud additum erit aeternum; ergo totum aeternum: causa ergo propria erit aeterna; ergo effectus aeternus. — Si est causa propria: ergo ipsa posita, ponitur effectus, scilicet gratia.

3. Item, quaeritur in quo genere causae sit posita praedestinatio. Non [k] in genere causae materialis, quia illa non cadit in Deum [l]; nec in genere causae finalis, quia praedestinatio non est finis gratiae; item, nec in genere [m] causae efficientis, quia praedestinatio est praescientia beneficiorum Dei, praescientia vero non est in genere efficientis causae, sed potius in genere causae formalis exemplaris; item, neque [n] in genere causae formalis, quia est « praeparatio gratiae in praesenti [o] » sive « propositum miserendi [4] »: et haec est in genere causae efficientis.

Respondeo: Praedestinatio est causa necessaria, non contingens. Causa enim contingens dicitur cuius effectus potest prohiberi [p], vel quae exigit causam aliam ut exeat in actum, vel quae de se est mutabilis, ut voluntas creaturae [5]; nullo istorum modorum potest poni contingentia in Deo vel causalitas contingens.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod [q] obicitur 'causa est necessaria, ergo effectus necessarius': respondeo quod [r] non sequitur quod [s], posita causa quacumque necessaria, quod ponatur effectus, quia cum dicitur 'praedestinatio' sive 'Deus causa necessaria', non refertur necessitas ad actum causandi, sed ad essentiam causae. Dicendum ergo quod est causa dicta secundum habitum et secundum actum. Causa dicta secundum habitum non ponit effectum, sed causa dicta secundum actum. Quod ergo dicitur Deus causa necessaria, non refertur necessitas ad actum causandi, quia ex defectu susceptibilis est quod non semper causa [t]: sicut patet in sole, qui est causa necessaria illuminationis; unde quod non illuminet non est ex eo, sed ex defectu susceptibilis. Ita hic ex defectu susceptibilis [u] gratiae est quod praedestinatio [v] non semper est actualiter causans [x] gratiam.

---

[a] L om. [b] L *causa*. [c] L *sicut*. [d] R add. *vel*. [e] PVS *cuius*. [f] L *quod*. [g] L om. *s. c.* [h] PVS om. [i] F om. *s. c.* [k] F *nam*. [l] L *est in Deo pro c. i. D.* [m] R add. *finalis*, P *causa* pro *causae*. [n] F om. [o] L add. *et gloriae in futuro*. [p] F om. [q] BRLF *Quod ergo pro A. i. e. q.* [r] BRL om., in V est add. mg. [s] F om. [t] F *causatur*. [u] F om. *i. h. e. d. s.* [v] R add. *est*. [x] Ita L, alii *creans*.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 40, dub. 7 (I, 723).
2 Lombardi, *In Rom.* 8, 29 (PL 191, 1449), ex Augustino, *De praedest. sanct.*, c. 10, n. 19 (PL 44, 975).
3 Cf. Aristot., *Metaph.*, X, c. 8 (II, 593).
4 Cf. supra, p. 316, num. 221.
5 Cf. Aristot., *Magn. Moral.*, I, c. 11 (II, 140).

2. Ad aliud dicendum quod praedestinatio est causa propria, sed non semper oportet quod, posita causa propria; ponatur effectus, quia causa potest esse domina sui actus, ut patet in voluntate, qua posita non oportet semper [a] poni actum, sed sufficit quod ponatur in aliquo [b] tempore alio.

3. Ad illud quod quaeritur ad quam causam reduci habeat: dicendum quod praedestinatio dicit praescientiam et voluntatem; ratione praescientiae potest dici praedestinatio [c] esse in genere causae formalis; ratione voluntatis, in genere causae efficientis. Sed quia voluntas immediatius se habet ad opus quam potentia vel praescientia, ideo magis proprie [d] poni debet in genere causae efficientis [e].

232

CAPUT II.

AN PRAEDESTINATIO PONAT ALIQUEM EFFECTUM IN PRAEDESTINATO.

Quantum ad secundum proceditur sic: 1. Ioan. 1,50, Glossa Augustini[1]: « Melius fuit Nathanaëli cognoscere utramque naturam in Christo quam esse praedestinatum »; sed non fieret comparatio nisi praedestinatio esset aliquod bonum in praedestinato; ergo etc.

2. Item, Augustinus[2]: « Praedestinatio multis [f] fuit causa standi ».

3. Item, Luc. 10,20: *Gaudete, quia nomina vestra* etc.; sed [g] gaudium non est nisi de bono; ergo praedestinatio est aliquod bonum in praedestinato.

Contra: *a.* Praedestinatio est non-entis [h 3]; in non-ente nihil ponitur; ergo praedestinatio nihil ponit in praedestinato.

b. Item, Augustinus, in libro *De fide ad Petrum*[4]: « Nisi non esses, non praedestinareris ». Ergo praedestinatio est non-entis.

c. Item, si [i] praedestinatio ponit aliquod bonum, ergo reprobatio ponit aliquod malum; ergo in Esau fuit aliquod malum antequam esset; sed hoc [k] falsum.

Respondeo: Praedestinatio nullum bonum [l] ponit secundum actum, sed secundum habitum tantum, hoc est secundum aliquod tempus. Non enim sequitur: 'est praedestinatus, ergo est', sed sequitur: 'ergo erit habens gratiam et gloriam'; unde ponitur potentia ad gratiam et gloriam: potentiam dico non in recipiente, sed in agente. Secundum actum ergo praedestinatio nihil ponit in praedestinato, sed in Deo ponit secundum actum praeparationem, sicut cum dicitur 'Caesar laudatur', nihil ponitur in Caesare, sed in laudante.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [m] de Nathanaële volunt quidam[5] dicere quod impropria sit [n] comparatio. Sed melius dicendum, secundum illud quod sequitur in illa Glossa[6]: « Melius fuit Nathanaëli etc. quam esse praedestinatum et esse in umbra mortis ». Unde vult comparare electos ante incarnationem electis post incarnationem; et multo melius est electis post incarnationem [o], quia non sunt in umbra mortis.

2. Ad illud Augustini: « Praedestinatio multis fuit causa standi », respondeo quod ita debet intelligi: praedestinatio, id est [p] Deus praedestinans, vel [q] praedestinatio, id est gratia quae est ex praedestinatione.

3. Ad aliud dicendum quod gaudium non solum est de bono habito, sed habendo; unde non [r] sequitur: si gaudendum est de praedestinatione, quod praedestinatio aliquid ponat coexistens [s] praedestinato, sed quod aliquo tempore ponat [t] aliquid.

233

CAPUT III.

UTRUM EFFECTUS PRAEDESTINATIONIS POSSIT CASSARI.

Consequenter quaeritur utrum effectus praedestinationis possit cassari, hoc est utrum aliquis praedestinatus possit damnari[7].

Ad quod sic: I. *a.* Augustinus, *De correptione et gratia*[8]: « Certus est numerus electorum ». Ergo certum est de praedestinato quod

---

[a] F om. [b] R om. [c] R *prodestinatus*. [d] R om. [e] PVB om. totam hanc solutionem *Ad illud... efficientis;* SRL haec omnia habent in margine, F habet in textu. [f] F *mulieris*. [g] B om. [h] VS om. *non*. [i] B om. [k] V add. *est*. [l] F om. [m] PVS *aliud*. [n] VBR *fit*, B om. *dicere*. [o] V om. *e. m. e. e. p. i.*, F *quam* pro *quia*. [p] R om. *i. e.* [q] S *quod*. [r] S om., PVS *non* pro *si*. [s] BR add. *in*. L *poterat*.

1 *Ordin.* apud Lyran., ex Augustino, *In Ioan.*, tr. 7, n. 22 (PL 35, 1449) sed longe aliter. Ita fere ad litteram apud Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 9, q. 3 (f. 24c); cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 76a).

2 Rectius Prosper Aquit., *Resp. ad capit.*, ad obiect. 12 (PL 45, 1847).

3 Cf. Augustin., *Sermo* 26, c. 4, n. 4 (PL 38, 173).

4 Rectius *Sermo* 158, c. 3 (PL 38, 863).

5 Guil. Altissiod. et Praeposit., loc. cit. 6 Cf. ad n. 1.

7 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 40, c. 1 (p. 249); S. Bonav., I *Sent.*, d. 40, a. 2, q. 2 (I, 711 sqq.).

8 Cap. 13 (PL 44, 940).

est praedestinatus; ergo non potest non salvari.

Contra [1]: 1. Deus posset apponere gratiam quibus non apponit et subtrahere quibus non subtrahit; sed si subtraheret, damnarentur [a]; possent ergo isti damnari qui tamen salvabuntur; ergo praedestinati possunt damnari [b].

Ad hoc respondet Magister, in *Sententiis* [2], per distinctionem illius propositionis 'praedestinatum impossibile est damnari', quia potest esse coniuncta vel divisa. Secundum quod intelligitur coniuncta, sic fit sermo de supposito cum forma: et hoc modo est vera; quemadmodum haec est vera 'album non potest esse nigrum', id est non potest esse ut album sit et [c] nigrum simul, et ita haec est vera composita 'praedestinatus non potest damnari', quia non potest esse [d] ut praedestinatus sit et damnetur. Secundum vero quod intelligitur divisa, fit sermo de supposito tantum, et secundum hoc, sicut haec est vera 'album potest esse nigrum', quia hoc quod est album potest esse nigrum, ita haec est vera 'praedestinatus potest damnari' [e], quia ille potest damnari qui est praedestinatus.

Contra: Secundum quod composita intelligitur illa, verum est quod non potest esse simul ut aliquis praedestinatus sit et damnetur; sed alterum istorum non potest non esse, scilicet quin iste sit praedestinatus, quia ab aeterno est praedestinatus; ergo impossibile est alterum esse, scilicet quod iste damnetur, quia ab aeterno est praedestinatus [f] et non potest non esse praedestinatus [3].

Ad hoc [g] respondet Magister, in *Sententiis* [4], distinguens istam ex compositione et divisione 'non potest esse quin iste modo sit praedestinatus, qui [h] ab aeterno est praedestinatus', quia si intelligitur composita, vera est, et est sensus: 'non potest simul esse quod iste modo non sit praedestinatus et ab aeterno sit praedestinatus'. Si vero intelligatur divisa, falsa est, et est sensus: 'non potest esse non praedestinatus qui est ab aeterno praedestinatus', quia accidit istum esse praedestinatum: accidit enim quod iste praevisus sit futurus salvari, quod intelligitur cum dico 'praedestinatum'. — Si opponitur: est dictum de praeterito verum; ergo est necessarium: dico quod non valet, quia non est simile in dictis et factis hominum et praescientia et praedestinatione Dei, quia in dictis vel factis hominum impossibilitas refertur ad naturam rei, in praescientia et praedestinatione refertur possibilitas vel impossibilitas ad potentiam Dei, quae [i] eadem semper fuit et erit: praedestinatio enim et potentia in Deo idem sunt.

II. Sed opponitur de hac propositione 'praedestinatum impossibile est damnari' [l], et secundum quod intelligitur composita et secundum quod intelligitur divisa: dicit enim Magister, in *Sententiis* [5], quod composita [est] vera, divisa falsa.

Sed videtur quod vera sit etiam divisa: 1. Quia causa et causatum dicuntur relative, et posita se ponunt; ergo si causa est immutabilis, et effectus; ergo si praedestinatio est causa salutis, et immutabilis; ergo necessario consequitur effectus salutis.

2. Item, videtur ratio syllogistica: omnem praedestinatum necesse est salvari; iste est praedestinatus; ergo istum necesse est salvari. — Probatio primae: in hoc quod dicitur 'praedestinatus' intelligitur futurus salvandus; sed omnem futurum salvandum necesse est salvari; ergo omnem praedestinatum necesse est salvari.

3. Item, omnem immutabiliter salvandum necesse est salvari; iste immutabiliter est salvandus; ergo necesse est istum salvari. — Probatio primae: immutabiliter est praedestinatus, quia ab aeterno fuit praedestinatus et semper erit praedestinatus et non potest non esse praedestinatus; ergo immutabiliter est praedestinatus; ergo immutabiliter est [k] salvandus.

Item, obicitur quod [l] videtur falsa composita: *a.* Quia si forma albedinis non posset succedere nigredini, nunquam aliquo sensu esset haec vera 'album possibile est esse nigrum'; sed in parte ista non potest forma succedere formae; ergo nullo modo potest esse vera, quia praedestinationi non potest succedere damnatio, quia praedestinatio ponit futuram salvationem; ergo haec est falsa, sive intelligatur composita sive divisa.

b. Item, ad hoc quod haec sit vera 'album possibile est esse nigrum', exigitur [m] quod existente una forma, altera possit inesse. Si ergo haec esset vera aliquo modo 'praedestinatum possibile est damnari', sequeretur quod existente praedestinatione huius [n], posset esse damnatio huius: quod est falsum, quia existente immutabili ordinatione salutis huius, impossibilis est damnatio huius.

---

[a] S *damnaretur.* [b] S *salvari.* [c] PVS om. [d] PV *non esse non potest* pro *n. p. e.*, S exp. *esse non.* [e] LF om. [f] L om. [g] F *quia.* [h] V *quia.* [i] R add. mg. alia manu *istum predestinatum necesse est salvari, de hac sententia opponit.* [k] PSLF om. [l] Ita LF, alii *quia.* [m] F *est.* [n] F *hac.*

[1] Sequens argumentum quasi ad litteram sumitur ex Lombardo, loc. cit.
[2] Loc. cit. (p. 250).
[3] Cf. Lombard., loc. cit.
[4] Loc. cit. (p. 250 sq.).
[5] Loc. cit. (p. 250).

c. Item, posito possibili, nullum accidit impossibile [1]. Si ergo praedestinatum est possibile damnari, si poneretur inesse [2], nullum accidit [a] inconveniens, sicut si poneretur inesse albedo cui inest nigredo, nullum accidit [b] inconveniens [c], quia sensus erit: 'hoc est nigrum quod fuit album'; ergo similiter si ponitur inesse praedestinatum damnari, nullum erit inconveniens, et erit sensus [d]: 'iste damnabitur, qui fuit praedestinatus'; et constat quod hoc est falsum: ista enim incompossibilia [e] sunt 'istum damnari' et 'fuisse praedestinatum'. Relinquitur igitur quod haec est falsa utroque modo 'possibile est praedestinatum [f] damnari'. — Quod concedendum est.

Respondeo: In huiusmodi locutionibus aliter est cum fit sermo de supposito tantum, et cum fit [g] de supposito cum [h] forma [3]. Cum enim fit sermo de supposito cum forma, sive intelligatur composita sive divisa, omnes sunt falsae; si vero fit sermo de supposito tantum, verae sunt, ut [i] haec 'istum possibile est damnari, qui tamen est praedestinatus'.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur 'si causa immutabilis, et [k] effectus consequitur immutabiliter': dicendum [l] quod aliter est in causa suprema et in [m] causis inferioribus. Causae enim inferiores perficiuntur ex suis effectibus, et ideo alligatae sunt effectibus; sed causa superior nulli effectui [n] est alligata, quia non perficitur ex suo effectu; unde sicut necessitas in effectu non ponit necessitatem in causa suprema — ut solem moveri, cum sit necessarium, non tamen est necessarium quantum ad causam supremam, quia causa suprema potest eum facere stare, ut patet in Iosue [4] — sic necessitas in causa suprema non ponit necessitatem in effectu inferiori [5].

2. Item, ad illud quod 'videtur syllogistica ratio' [o]: dicendum quod est coniugatio inutilis, quia ex maiori de necessario et minori de inesse [p] non sequitur conclusio de [q] necessario, sed de inesse; unde non sequitur: 'omnis currens de necessitate movetur; iste currit; ergo [r] de necessitate movetur', sed sequitur: 'ergo movetur'.

3. Item, ad illud [s] quod obicitur quod 'iste immutabiliter est praedestinatus, vel necessario est praedestinatus, quia semper fuit verum et erit verum [t], et quia est dictum [u] de praeterito verum, ergo est necessarium': dicendum quod haec est duplex 'iste est necessario praedestinatus', sicut haec in quam resolvitur 'iste est necessario praevisus salvandus'. Si necessitas referatur ad praevisionem, vera est; si ad salvationem, falsa; nec est dictum simpliciter de praeterito, et ideo non simpliciter [v] est necessarium nisi dictum quantum ad praeteritum.

TITULUS II.

DE REPROBATIONE DIVINA.

Consequens est breviter inquirere de reprobatione; et hoc modo:
Primo, quomodo intentio praescientiae appropriatur reprobationi;
secundo, quid sit reprobatio;
tertio, de effectu reprobationis qui est subtractio gratiae;
quarto, de effectu qui est excaecatio;
quinto, de effectu qui est obduratio.

234

CAPUT I.

QUOMODO INTENTIO PRAESCIENTIAE APPROPRIETUR REPROBATIONI.

Circa primum proceditur sic: Cum enim [x] hoc nomen 'praescientia' ita [y] extendatur ut aliquando sumatur communiter respectu bonorum et malorum, aliquando vero appropriatur respectu malorum, quaeritur quare non similiter appropriatur [z] respectu bonorum.

---

[a] BL *accideret.* [b] F *erit*; BRL *non* pro *nullum.* [c] PSF add. *et erit sensus: non accidet inconveniens.* [d] Ita BR, L delev., alii om. *nullum... sensus.* [e] Ita B (corr.) F, alii *impossibilia*; L om. *sunt*, quod in B est add. interl. [f] L *istum predestinatum*; S add. *salvari et*, L exp. *salvari.* [g] L add. *sermo.* [h] F *in.* [i] L *et* ac om. *verae.* [k] L *est*, BRLF om. *ad illud.* [l] L add. *est*; V *immutabilis*, F *immutabile* pro *immutabiliter.* [m] BRLF om. [n] L om. [o] F *est*, BRLF om. *ad illud.* [p] P *esse.* [q] V om. [r] L add. *ille.* [s] BRLF om. *a. t.* [t] B om. *e. e. v.*, quod in L est add. mg. [u] L om. [v] L add. *non*, quod BR exp. [x] B om. [y] PV om., in S add. interl. [z] V om.

1 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 5 (II, 351).
2 Cf. Aristot., *Anal. prior.*, I, c. 35 (I, 81 sq.).
3 Cf. supra, p. 327a.
4 Cf. Ios. 10, 13.
5 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 76c).

Respondeo: Quod divina notitia respectu bonorum non tantum scientiam habet, sed etiam causam; plus autem est esse causam quam praescire. Est autem impositum nomen [a] quod continet utrumque in se, scilicet praedestinatio: praedestinatio enim est praescientia bonorum cum causalitate eorumdem. Respectu autem malorum non sic est, quia solum praecognitionem habet respectu eorum, non causalitatem; causalitas autem [b] residet penes liberum arbitrium. Quia ergo nihil superadditur scientiae ultra cognitionem in malis, nomen generis appropriatur respectu malorum; quia vero scientiae superadditur causalitatis [c] ratio in bonis, ideo nomen proprium dicitur respectu bonorum.

CAPUT II. 235

QUID SIT REPROBATIO.

Consequenter quaeritur quid sit [d] reprobatio.

Ad quod *a.* Augustinus dicit, et habetur in *Sententiis* [1], quod « est praescientia iniquitatis quorumdam et praeparatio damnationis eorumdem ». Secundum hoc videtur poni in duplici genere.

Contra: 1. Praescientia et praeparatio sunt diversa genera et non subalternatim posita; ergo eorum diversae sunt species et differentiae.

2. Item, si diceretur quod ponitur in genere praeparationis – contra: praeparatio non continet totum esse reprobationis, quia reprobatio est respectu iniquitatis, praeparatio autem non; relinquitur ergo quod praeparatio non est genus reprobationis.

3. Item, si diceretur quod praescientia est genus: aut ergo praescientia simplicis notitiae sive speculativa aut praescientia [e] approbationis sive practica; prima non: quia praescientia primo modo dicta nullam importat causalitatem, reprobatio autem importat.

Respondeo [f]: Ipsa est in genere praescientiae practicae, et non in genere praescientiae simplicis notitiae, sed in genere praescientiae, non cum approbatione solum, sed etiam cum detestatione: est enim scientia cum approbatione poenae et cum detestatione iniquitatis; in [g] praedestinatione solum est scientia cum approbatione [2]. — Item in praedestinatione sunt tria [3]: primum est causa secundi, primum [h] et secundum causa tertii; similiter in reprobatione tria, sed aliter: primum enim non est causa secundi, sed primum et secundum causa tertii. Quaeritur unde hoc. Et ratio est: quia Deus non est causa malorum et ideo [i] primum non [k] potest esse causa secundi; sed poena cadit in genere [l] boni, et ideo Deus potest esse causa effectiva illius, culpa autem est causa meritoria illius. Sed in praedestinatione secundum et tertium bona sunt, et ideo Deus est causa illorum.

CAPUT III. 236

DE EFFECTU REPROBATIONIS QUI EST SUBTRACTIO GRATIAE.

Consequenter quaeritur de effectu reprobationis, qui est subtractio gratiae. Quaeritur ergo utrum sit a Deo.

Et videtur quod sic: 1. Omne enim [m] iustum a Deo; sed iustum est ut peccatori subtrahatur gratia.

2. Item, Augustinus, in libro *De gratia et libero arbitrio* [4]: « Deus obduravit Pharaonem iusto iudicio, ipse Pharao per liberum arbitrium ».

3. Item, ad Rom. 9,17 [5]: *In hoc ipsum excaecavi te* etc.

4. Item, Rom. 1,21: *Obscuratum est* [n] *insipiens cor eorum.* Augustinus [6]: « Ista obscuratio poena et vindicta sunt, per quam poenam, id est cordis caecitatem, quae fit deserente luce sapientiae, in plura peccata lapsi sunt [o] ».

---

[a] F *nisi.* [b] L add. *non.* [c] L *causalitas.* [d] L om. [e] F *practica.* [f] F add. *quod.* [g] L *item.* [h] PVS om. [i] F *etc.* pro *e. i.* [k] L *enim.* [l] BL habuerunt *non cadit in generatione,* sed B exp. *non* et corr. *generatione*; L exp. *non,* sed reliquit *generatione.* [m] BRLF om. [n] L om. [o] In P nota marg.: *Dicit enim Gregorius quod peccatum unum pondere suo trahit ad aliud; unde in Osee: sanguis sanguinem tetigit. G.*

[1] Lib. I, d. 40, c. 2 (p. 251); apud Augustinum non invenimus, sed Lombardus videtur hanc definitionem composuisse ex Pseudo-Augustino, *Hypognost.*, VI, c. 6, n. 8 (PL 45, 1662).

[2] Cf. supra, p. 317, *Solutio.*

[3] Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 9, q. 1 (f. 23cd); Praeposit., *Summa,* I (f. 76d).

[4] Cap. 23 (PL 44, 911).

[5] Cf. Exod. 9, 12 sqq.

[6] *De nat. et grat.*, c. 22 (PL 44, 258).

5. Item, Augustinus, *Contra Felicianum*[1]: « Una lucis substantia noctem videtur facere et diem ». Ergo similiter lux spiritualis, Deus, erit causa noctis spiritualis [a], id est obdurationis, et diei, id est illuminationis gratiae.

Contra: *a.* Dionysius[2]: « Optimi est optima facere »; sed obduratio nunquam est bona [b] rationali creaturae; ergo non est ab optimo.

b. Item, Anselmus[3]: Homo « non habet gratiam, non quia Deus non dat, sed quia homo non accipit »: ipse enim *stat ad ostium et pulsat*[4].

c. Item, Augustinus[5], [super] Ioan. 1,5: *Lux in tenebris lucet:* « Sicut [c] caeco posito in sole praesens est ei lux et ipse absens est ab illa, ita omnis [d] iniquus caecus corde, praesens est ei sapientia et ipse absens est ab illa ».

d. Item, Augustinus, *in Soliloquiis*[6]: « Domine, si deseris, peritur; sed non deseris, quia tu es summum bonum ».

e. Item, Is. 59,2: *Iniquitates nostrae diviserunt inter nos et Deum* [e].

Respondeo: Quidam[7] dixerunt quod sicut natura est principium motus et quietis — sed motus per se, quietis per cessationem — ita Deus est causa appositionis gratiae et non subtractionis nisi cessando ab appositione [f]. — Alii[8] dixerunt quod de istis non est causa quaerenda nisi defectus; nullus autem defectus [g] ex parte Dei ponendus est [h], sed solum ex parte nostra. — Alii dicunt quod non-appositio gratiae potest considerari dupliciter: in esse absoluto et in esse ordinato. Si consideretur in esse absoluto, obduratio non est a Deo; sed secundum quod habet esse [i] in ordine et habet esse poenae, sic est a Deo: ex iustitia enim sua ordinat hanc privationem [k], quae poena est.

237 CAPUT IV.

DE EFFECTU REPROBATIONIS QUI EST EXCAECATIO.

Consequenter quaeritur de excaecatione.

Ad quod sic: I. 1. II Cor. 4,4: *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium.* Glossa[9]: « *Deus huius saeculi,* id est Deus qui non solum bonos regit, sed et malos pro merito praecipitat, *excaecavit mentes infidelium* »; sed huiusmodi Deus est verus Deus; ergo excaecatio est ab ipso summo Deo, et ita a divina providentia, et sic effectus eius.

2. Item, ibidem dicit Glossa[10]: « *Deus* verus et [l] iustus *excaecavit mentes infidelium huius saeculi* ».

Ad oppositum: *a.* Sap. 2,21: *Excaecavit eos malitia eorum.* Non ergo Deus.

b. Item, Augustinus, in libro *83 Quaestionum*[11], dicit quod opus Dei est illuminare: ipse enim ostendit ibi opera Domini, et dicit quod « quaedam sunt quae ipse per se facit, quae ab illo solo sunt et illi soli conveniunt, sicut illuminare animas et se ipsum ad perfruendum praestare »; sed illuminare et excaecare [m] sunt contraria, quia illuminare est lumen in aliis imprimere, contrarium autem dicit excaecatio; ergo excaecare non est opus Dei; igitur excaecatio [n] non est effectus divinae providentiae.

II. Praeterea, si Deus excaecat et diabolus excaecat et superbia excaecat[12], quaeritur [o] differentia, qualiter differenter [p]. Item, cui debemus excaecationem istorum dare tamquam causae? numquid [q] quodlibet istorum est causa per se?

Solutio: I. Dicendum quod duobus modis est loqui de excaecatione: uno modo, prout est culpa; alio modo, prout est poena iuste inflicta propter culpam. Primo modo, nullo modo est a Deo, sed ab homine deficiente: et de ista non loquimur. Si autem loquamur de excaecatione, prout est [r] poena propter peccatum [s] inflicta: hoc est dupliciter, quia contingit loqui de ipsa absolute, alio modo prout est in ratione poenae iuste sequentis ex peccato. Notandum [t] enim quod est duplex poena: una est poena illata, ut poena gehennae,

---

[a] B om. *De e. c. n. s.*, quod in L est add. mg. [b] L *bonum.* [c] VS *sed.* [d] PV *enim*, quod S corr. [e] In P nota marg.: *Unde in Osee: posuisti nubem, id est peccatum, inter te et Deum ne transeat oratio. Et ideo est remedium in Prov.: Fili, peccasti, quare et de pristinis deprecare ut tibi indulgeat. G.* [f] PS *oppositione.* [g] S add. *est.* [h] R om. [i] L *se.* [k] B add. *enim.* [l] P *est.* [m] R *exsecare.* [n] L *excecare*, F om. *ergo... excaecatio.* [o] V *qua.* [p] V *differant.* [q] L *nisi quod.* [r] P om. [s] S *rationem.* [t] V add. *est*, F *ergo* pro *enim.*

1 Cap. 14 (inter opp. Augustini, PL 42, 1170).
2 *De divin. nomin.*, c. 4, § 19 (PG 3, 715, PL 122, 1138).
3 *De casu diab.*, c. 3 (PL 158, 329), ad sensum, sed Anselm. agit de angelo.
4 Cf. Apoc. 3, 20.
5 *In Ioan.*, tr. 1, n. 19 (PL 35, 1388).
6 Lib. I, c. 1, n. 6 (PL 32, 872).
7 Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 9, q. 2 (f. 24a).
8 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 77a).
9 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 556), et Lombardi, in h. l. (PL 192, 30), ex Augustino, *Contra adv. Leg. et Proph.*, II, c. 7, n. 29 (PL 42, 655).
10 Loc. cit.
11 Quaest. 53, n. 2 (PL 40, 36 sq.).
12 Cf. Lombard., loc. cit.

et haec absolute dicitur esse a Deo, quia Deus punit illa poena; unde absolute dicitur esse a Deo quia iste damnabitur, prout nominatur poena illata. Alia autem [a] est poena, quae dicitur poena [b] contracta: haec est illa quae contrahitur cum peccato, et talis poena est excaecatio; ipsa enim cum peccato mortali contrahitur, quia peccatum est in voluntate, excaecatio vero in ratione, quae comes est voluntatis, quia « liberum arbitrium facultas est voluntatis et rationis [1] ». Et de tali poena non dicitur quod sit a Deo absolute, sed a Deo permittente vel a Dei permissione, quia ut est contracta, est causaliter a peccato. Ideoque Scriptura sic [c] consuevit loqui: *Excaecavit eos Dominus* [d], id est permisit excaecari.

II. Ad aliud [e] quod quaeritur de diversitate causae ' quomodo differenter a Deo, a [f] diabolo et a [g] superbia ': patet responsio, quia est a peccato tamquam [h] a causa simpliciter meritoria; a diabolo tamquam suggerente [i] illud unde venit excaecatio; a Deo autem est ut est [k] iusta, tamquam a iusto puniente vel permittente [l].

CAPUT V.

DE EFFECTU REPROBATIONIS QUI EST OBDURATIO.

ARTICULUS I. 238

Quid sit obduratio.

Consequenter quaeritur de effectu qui est obduratio. Et quaeritur quid sit obduratio.

I. Videtur quod obduratio sit reprobatio: 1. Rom. 9,18: *Ergo cuius vult, miseretur, et quem vult, indurat;* dicit [m] Glossa [2]: « Obduratio est nolle misereri »; sed haec est reprobatio; ergo obduratio est reprobatio. — Minor patet, quoniam sicut dicit Augustinus [3]: « Reprobatio est propositum non miserendi »; sed hoc est nolle misereri.

Ad oppositum: *a.* Reprobatio est aeterna, sed obduratio solum est temporalis; nullum autem temporale est aeternum; ergo obduratio non est reprobatio [4].

b. Item, Rom. 9,18: *Ergo cuius vult, miseretur* etc. Glossa [5]: « Miseretur utique secundum gratiam quae gratis datur; obdurat autem secundum iudicium quod meritis redditur ». Obduratio ergo est ex meritis; sed reprobatio non est ex meritis; ergo unum non est aliud.

Respondeo: Dicendum [n], sicut habetur in Glossa [6] Rom. 9,18: « Notandum enim est quod obduratio Dei tantum temporalis est: obdurat enim temporaliter, non ab aeterno; reprobatio vero alia est ab aeterno, alia temporaliter; quae autem temporaliter est, idem est quod obduratio, id est desertio a Deo; quae autem ab aeterno est, est praescientia qua Deus praescit aliquem damnandum ». Secundum ergo [o] quod accipitur reprobatio pro reprobatione temporali, hoc modo idem sunt reprobatio et obduratio; secundum autem quod sumitur pro reprobatione aeterna, non sunt idem, immo sequitur obduratio solum finalis ex ipsa reprobatione [7].

II. Item, ad maiorem declarationem de obdurationе [p] quaeritur utrum sit culpa vel poena.

Quod sit culpa videtur: *a.* Rom. 2,5, super illud: *Secundum duritiam autem tuam* etc. dicit Glossa [q 8]: « Obduratio est induratae [r] in malitia mentis pertinacia, per quam fit homo

---

[a] L *enim.* [b] S om. [c] B om., F *sibi;* in P nota marg.: *[Cum] alibi scriptum sit: excecavit [illos] malitia. G.* [d] RF *Deus.* [e] S *illud.* [f] BRLF om. [g] BRLF om. [h] LF om. [i] In P nota marg.: *Dicit enim Gregorius et Damascenus: dyabolus non est malarum cogitationum immissor, sed incensor, est etiam suggestor.* [k] VSLF add. *pena,* quod P exp. [l] BR om. *v. p.* [m] P exp. [n] F om. [o] BR *hoc,* F *hoc ergo.* [p] B *obumbratione.* [q] F add. *quod.* [r] V add. *mentis;* in P nota marg.: *Unde in Canone dicitur: peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit etc. Ecce remedium mirabile in Nahum 1: Descende in Babylonem et ibi liberaberis; quod verbum intelligebat Petrus Parvus sic: verum est, si Deo placet. G.*

1 Lombard., II *Sent.*, d. 24, c. 3 (p. 421); cf. Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa,* tr. 3, c. 8 (PL 176, 101).

2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1463), ex Augustino, *De div. quaest. ad Simplician.*, I, q. 2, n. 15 (PL 40, 120).

3 Cf. *De div. quaest. ad Simplician.*, I, q. 2, n. 16 (PL 40, 121).

4 Cf. Lombard., *In Rom.*, q. 18 (PL 191, 1463).

5 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1463), ex Augustino, *Contra Iulian. op. imperf.*, I, c. 141 (PL 45, 1140); *Epist.*, 194, c. 8, n. 39 (PL 33, 888).

6 Lombardi, loc. cit.

7 Cf. Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 16 (PL 211, 860).

8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1339), et *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.

impoenitens ». Ergo idem sunt obduratio et obstinatio; sed obstinatio est peccatum in Spiritum Sanctum, sicut dicit ibi Glossa[1] quod « haec impoenitentia est blasphemia in Spiritum Sanctum »; sed blasphemia in Spiritum Sanctum est[a] peccatum in Spiritum Sanctum[b], sicut habetur Matth. 12,31; ergo obduratio est peccatum in Spiritum Sanctum.

Contra: 1. Augustinus, in libro *De gratia et libero arbitrio*[2]: « Deus indurat per iustum iudicium »; sed iustum iudicium respicit poenam, non culpam; ergo obduratio est poena, non culpa. — Si dicatur quod sit culpa et[c] poena – obicitur: si obduratio est culpa, constat quod est quid malum; constat autem quod si ipsa est poena, quod est[d] quid iustum, et ita bonum[3], et ita idem simul bonum et malum: quod est inconveniens; ergo vel non est culpa vel non est poena.

Solutio[e]: 1. Obduratio accipitur dupliciter. Uno modo prout est affectio voluntaria[f], et sic obduratio est voluntas resistendi mandatis Dei et persistendi in suo peccato[4]: et hoc modo obduratio est peccatum sive culpa ponens in numerum quantum ad speciem peccati vel genus cum peccato praecedenti, quia sic ipsa est peccatum in Spiritum Sanctum. Aliter accipitur obduratio, prout est passio nociva libero arbitrio; et hoc modo dicit passionem relictam ex[g] peccato, quae est corruptio bonorum naturalium: et hoc modo obduratio est affectio involuntaria, quia nullus vult obdurari. Et de hac loquitur Augustinus, cum dicit quod « Deus indurat per iustum iudicium », quia non dimittit peccatum impunitum, et hoc modo obduratio proprie est poena et non culpa.

Item, secundum quod est culpa, duobus modis est loqui de ipsa obduratione: uno modo secundum quod est dispositio peccati praecedentis, scilicet relicta ex peccato praecedenti; alio modo secundum quod est peccatum[h] speciale per se. Et similiter est dicendum de obstinatione[i] et huiusmodi, quae satis pro eodem accipiuntur. Secundum autem quod accipitur obduratio, prout est dispositio peccati praecedentis, hoc modo secundum Augustinum, in libro *De praedestinatione sanctorum*[5]: « Obduratio nihil aliud est quam Dei obviare mandatis »; unde Act. 7,51: *Dura cervice et incircumcisi corde, vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Alio modo potest dici obduratio, quando homo non solum fit durus ex peccato et resistens bonis, immo cum hoc ulterius habet specialem voluntatem resistendi mandatis Dei et bonis per quae potest ad poenitentiam duci, et pugnat contra illa, ita quod placet ei suum peccatum ut habeat propositum permanendi in ipso et non poenitendi. Unde[k] obduratio non est solum dispositio peccati praecedentis, immo est speciale peccatum, ponens in numerum quantum ad genus peccati cum peccato praecedenti. Obduratio ergo primo modo, scilicet prout dicit duritiam quamdam et resistentiam eis per quae homo ducitur ad poenitentiam, sic non mutat genus peccati respectu peccati praecedentis, cuius est dispositio. Secundum autem quod est specialis voluntas resistendi per se Spiritui Sancto praecipienti[l] sive divinis mandatis, hoc modo est speciale peccatum, et sic est peccatum[m] in Spiritum Sanctum.

239

ARTICULUS II.

Cui per se opponitur obduratio.

Consequenter quaeritur cui per se opponitur obduratio.

1. Nos videmus quod reprobatio per se opponitur ipsi[n] praedestinationi. Cui ergo per se opponitur obduratio? Quia ex[o] Scriptura[6] videtur quod obduratio nihil aliud sit quam elongatio gratiae, quia obduratio est non-appositio gratiae: dicitur enim hoc modo Deus indurare, quia scilicet gratiam non apponit[7]; sed elongatio sive non-appositio gratiae opponitur per se ipsi praesentiae gratiae; ergo et obduratio.

Sed ad oppositum[p] **obicitur sic**: *a.* Peccatum et praesentia gratiae per se et directe habent oppositionem; sed obduratio est dispositio sequens

---

[a] PVS *ad.* [b] PVS add. *reditur.* [c] L *non.* [d] LF om. [e] L add. *dicendum quod.* [f] R *voluntatis.* [g] LF om. [h] Ita V, F om., alii *quoddam.* [i] BRL *affirmatione*, F *firmatione.* [k] LF *vel.* [l] R *precipientis.* [m] PS om. [n] V om. [o] PVS *in.* [p] L *primum*, F *opponitur* pro *obicitur.*

1 Loc. cit.; cf. Augustin., *Sermo* 71, c. 12, n. 20 (PL 38, 455).
2 Cap. 23 (PL 44, 911).
3 Cf. Augustin., *Enchir.*, c. 96 (PL 40, 276).
4 Cf. Rich. de S. Vict., *De spir. blasph.*, (PL 196, 1187).
5 Pseudo-Augustin., *De praedest. et grat.*, c. 4 (PL 45, 1688).
6 Locis in praec. artic. citatis et hic infra allegandis.
7 Cf. Augustin., *In Ioan.*, tr. 53, n. 6 (PL 35, 1777).

ad peccatum mortale; ergo obduratio non opponitur directe praesentiae [a] gratiae.

Solutio: Dicendum, sicut dicit Augustinus [1], quod Deus « delinquentes deserit, resistentes indurat, contemnentes condemnat ». Ita enim est [b] progressus in peccatis, quod homo primo delinquit, postea induratur contra bona, tertio contemnit facere ipsa bona. Eodem modo est progressus ex parte Dei, quoniam ipsos delinquentes deserit, id est non apponit eis gratiam: sed hoc non est ex parte sui, sed ex parte ipsius peccatoris; sed postea poena indurat illos; ulterius ipsos contemnentes finaliter condemnat. Unde sicut est progressus in dispositionibus peccati, ita est et in poenis. Induratio ergo est ex parte ipsius resistentiae [c], quando resistit peccator [d] mandatis Dei. — Et dicendum quod ipsa per se opponitur emollitioni, quia Deus dicitur indurare et emollire. Indurare vero [e] dicitur, non aliquam malam dispositionem apponendo, sed quia contrahitur haec poena cum ipso peccato mortali [2], cum Deus subtrahit gratiam vel non apponit. Item, ipse Deus emollit cor ad poenitentiam; unde Ezech. 11,19: *Auferam a vobis cor lapideum,* id est cor durum ad poenitentiam, *et dabo vobis cor carneum,* id est cor molle et habile ad poenitentiam [3]. Sicut ergo peccatum per se et directe opponitur praesentiae [f] gratiae, quia Deus delinquentes deserit, scilicet non apponendo gratiam, ita obduratio directe [g] opponitur ipsi emollitioni, quia Deus resistentes indurat; haec autem resistentia et obduratio vel induratio est contra emollitionem gratiae. Unde Augustinus, in libro *De praedestinatione sanctorum* [4]: « Indurare dicitur Deus eum quem emollire noluerit; sic [h] etiam dicendus est excaecare eum quem illuminare noluerit et repellere eum quem vocare noluerit ». Et sic patet responsio: cui per se opponitur obduratio.

ARTICULUS III. 240

Utrum obduratio sit generalis omnibus.

Consequenter quaeritur utrum obduratio sit generalis [i] omnibus, tam parvulis quam adultis peccatoribus.

a. Rom. 9,18: *Ergo cuius vult, miseretur, et quem vult, indurat.* Dicit Augustinus, in Glossa [5], quod « meritum obdurationis est peccatum totius massae damnatae ». Corruptio ergo originalis peccati est meritum obdurationis; sed hoc meritum est universaliter in parvulis et adultis; ergo obduratio est poena consequens universaliter quemlibet.

Contrarium videtur: *b.* Quoniam si sic, ad quid diceret Dominus, Exod. 4,21: *Ego induravi cor Pharaonis;* item, Deuter. 2,30: *Induravit Dominus spiritum Sehor?*

Solutio: Dicendum quod duplex est obduratio. Una est generalis omnium qui ab Adam per concupiscentiam seminalem descendunt, et haec sequitur peccatum originale, et de hac loquitur Apostolus, Rom. 9,18 et Glossa Augustini, super illum locum. Alia est [k] specialis, quae, inquam [l], est in adultis qui habent voluntatem et propositum resistendi beneficiis Dei provocantibus ad poenitentiam, et permanent in peccato suo: de hac dicitur quod *induravit Dominus cor Pharaonis,* « id est indurari permisit [6] »; haec non est in parvulis, sed in adultis solum qui habent hanc voluntatem et [m] haec est peccatum in Spiritum Sanctum. Alia autem [n] est poena sequens ex originali peccato, et de hac loquitur Augustinus, et haec omnes concomitatur qui sunt ab Adam per concupiscentiam seminalem, ut [o] dictum est [7].

---

[a] P *prescientie.* [b] F om. [c] P *residentie.* [d] L *peccato.* [e] BRLF om., PVS om. *non.* [f] BR *prescientie.* [g] F *recte.* [h] PVS *sicut.* [i] V *communis.* [k] P om. [l] VS *nunquam.* [m] PVS om. [n] L *enim.* [o] L om.

1 Pseudo-Augustin., *De praedest. et grat.,* c. 9 (PL 45, 1671).

2 Cf. supra, p. 332, *Solutio.*

3 Cf. *Glossa interlin.*

4 Pseudo-Augustin., *De praedest. et grat.,* c. 4 (PL 45, 1668).

5 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1462), ex Augustino, *Epist.* 194, c. 3, n. 14 (PL 33, 879).

6 *Glossa interlin.* in Exod. 4, 21, ex Augustino, *De grat. et lib. arbit.,* c. 23 (PL 44, 910).

7 Cf. hic parum supra; Petr. Pitav., I *Sent.,* c. 16 (PL 211, 858).

TITULUS III.

DE ELECTIONE DIVINA.

Ordine sequenti [a], ut supra tactum est [1], quaerendum est de divina electione [b] in hunc modum:

Primo, an in Deo electio ponenda sit;
secundo, ad quid sit electio divina ex parte nostra;
tertio, ad quid sit ex parte Dei;
quarto, secundum quid sit ex parte Dei;
quinto, secundum quid [c] sit ex parte nostra;
sexto, cuius sit [d].

241

CAPUT I.

AN IN DEO SIT PONENDA ELECTIO [2].

Circa primum sic proceditur [e]: 1. Electio est dissimiliter entium [3]; sed Deus [f] semper similiter est ens; ergo ad ipsum non pertinet electio.

2. Item, si affectus [g] hominis similiter se habet et aequaliter ad hoc et ad [h] illud, neutrius [i] erit electio; sed aeque est voluntas Dei respectu omnium ut salventur, quia *vult omnes homines salvos fieri* [4], et aequa [k] est ratio, constat, respectu omnium; ergo restat quod apud ipsum non sit electio.

3. Item, Damascenus [5]: « Non cadit electio in Deum, quia electionem praecedit consilium; consilium autem est ignorantis; Deus autem non est possibilis ad ignorantiam ». Ergo in Deo, non est electio.

4. Item, si stetisset Adam, omnes essent boni, et sic non esset boni a malo separatio; sed electio est boni et mali separatio; ergo non esset electio; ergo si modo est electio in Deo, ex aliquo eventu temporali est [l].

Contra: *a.* Eph. 1,4: *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.*

b. Item, ibidem: *Sorte vocati sumus.* Glossa [6]: « Divina electione ».

c. Item, Ioan. 15,16: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

d. Item, Ioan. 13,18: *Ego scio quos elegerim.*

Respondeo: « Electio est duobus praeiacentibus alterum praeoptare » [m 7]; sed hoc potest esse dupliciter: praecedente deliberatione vel praecedente certa cognitione. Primo modo est [n] electio in nobis, secundo modo in Deo. Dicendum ergo quod electio non cadit [o] in Deo eo modo quo in nobis.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad illud autem [p] quod obicitur quod ' electio est affectus [q] dissimiliter se habentium ' etc.: dicendum quod voluntas Dei aequaliter se habet ad omnes, sed non omnes aequaliter se habent ad ipsum [8]. Dissimilitudo ergo non notatur respectu [r] principalis significati, sed respectu connotati, quia iste finaliter manet in gratia, ille non: et ideo iste eligitur [s], ille non.

4. Ad aliud dicendum quod non solum est electio separatio bonorum a malis, sed etiam separatio meliorum a minus bonis, cuiusmodi electio fuisset, si Adam [t] non peccasset.

3. Et per hoc patet solutio ad alia.

---

[a] F *consequenti.* [b] LF add. *et.* [c] LF *cuius* pro *s. q.* [d] LF *secundum quid* pro *c. s.* [e] BRLF om. [f] L om. [g] V *effectus.* [h] RLF om., in B est add. interl. [i] B *neutrum.* [k] L *eque*, B om. *ratio.* [l] Ita BR, alii add. *eterna si Adam stetisset.* [m] PVS *precipitare.* [n] R om. [o] S *addit*, BR *eadem.* [p] BRLF om. *A. i. a.*, V *aliud* pro *illud.* [q] PVS *effectus*, L om. *est.* [r] P *respecta.* [s] F *eligit.* [t] PVS *in Adam si* pro *s. A.*

1 Cf. supra, p. 315.
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 40, a. 3, q. 1 (I, 714 sq.).
3 Cf. Augustin., *De div. quaest. ad Simplician.*, I, q. 2, nn. 4 et 6 (PL 40, 113 sq.).
4 Cf. I Tim., 2, 4.
5 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 946).
6 *Interlin.*; cf. Augustin., *Enarr. in Psalm. 30*, n. 13 (PL 36, 246).
7 Cf. Damasc., loc. cit.; Nemes., *De nat. hom.*, c. 32 (PG 40, 735).
8 Cf. *Lib. de causis*, § 23 (p. 184).

CAPUT II. 242

AD QUID SIT ELECTIO DIVINA EX PARTE NOSTRA.

Sequitur ad quid sit electio divina[a] ex parte nostra.

a. Ioan. 15,16: *Elegi vos, ut eatis et fructum afferatis,* etc.; item, ad Eph. 1,4: *Elegi vos, ut essetis sancti.* Ergo electio est vel ad faciendum fructum vel ad esse sanctum.

Sed obicitur: 1. Ioan. 6,71: *Nonne duodecim vos elegi? et unus ex vobis diabolus est;* et loquitur de Iuda, de quo constat quod ad neutrum istorum fuit electus, scilicet[b] ut faceret fructum qui maneret, vel ut[c] esset sanctus; ergo non fuit electus Iudas.

Respondeo: Duplex est electio, scilicet praesentis iustitiae, et haec est ad faciendum fructum; et electio iustitiae finalis[1], et haec est ad esse sanctum. Et sic differentes sunt fines differentis electionis.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur de Iuda, respondeo[2]: Iudas dicebatur electus vel ratione praesentis iustitiae quam aliquando habuit, vel ratione illius optimi quod de eo dispositurus fuit Dominus; et ratione huius a multitudine malorum fuit separatus in consortio Domini, ut per ipsum congruentius traderetur Dominus et ad instructionem Ecclesiae. Unde Marc. 3, 19, ubi enumeratur electio Apostolorum, super illud[d]: *Et Iudas Iscarioth qui tradidit eum,* Glossa[3]: « Hic inter Apostolos eligitur, quia magna est veritas quam nec adversarius minister infirmat: voluit Dominus tradi a discipulo, ut tu, a socio proditus, modeste feras tuum errasse iudicium, periisse beneficium ».

CAPUT III. 243

AD QUID SIT ELECTIO DIVINA EX PARTE DEI.

Sequitur ad quid sit divina electio ex parte Dei[e], utrum scilicet ad manifestationem bonitatis divinae: electione[f] enim Dei fit separatio bonorum a massa perditorum, quae non fieret, si Adam stetisset. Quaeritur igitur utrum electione Dei aeque manifestata[g] esset divina bonitas, si stetisset Adam, et modo.

Quod non aeque manifestaretur[h] **videtur**: *a.* Quia maior est gratia quae datur homini qui demeruit quam qui non demeruit; ergo maior est gratia data homini post massam corruptionis quam quae daretur in tempore innocentiae; sed in collatione maioris gratiae[i] magis ostenditur perfectio divinae bonitatis; ergo magis nunc ostenditur quam si Adam stetisset.

b. Item, Augustinus[4]: « Bene dispensavit Dominus ut nec omnes damnaret nec omnes liberaret; si enim salvarentur omnes, lateret quid peccato per iustitiam deberetur; si nemo, lateret quid gratiae largiretur ». Ergo cum manifestatio bonitatis sit in manifestatione iustitiae et gratiae, et maior gratia vel iustificatio ostenditur nunc quam si stetisset homo, relinquitur ergo quod ista electio est ad maiorem manifestationem divinae bonitatis.

Sed tunc videtur 1. quod rationalis creatura reportet commodum ex peccato. Quod etiam videtur, ad Rom. 8,28: *Omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Glossa[5] ibi dicit quod lapsus cooperatur eis in bonum. Numquid ergo ex peccato reportabitur commodum?

Respondeo: 1. Ex peccato non reportant commodum, sed ex misericordia Dei, licet[k] peccatum sit occasio ad hoc commodum. Unde sequitur in Glossa[6]: « Quod vocati sunt sancti[l], non aliunde est quam Dei praedestinatione, et ideo

---

[a] BLF om. [b] BR om. [c] B om. [d] BRLF om. [e] BRLF om. *e. p. D.* [f] BF *electio.* [g] PVSB *manifesta.* [h] B *manifestare.* [i] F om. [k] LF *sed.* [l] R om.

1 Cf. Ambros., *In Epist. ad Rom.*, c. 9, n. 13 (PL 17, 135).
2 Cf. Ambros., loc. cit., c. 8, n. 29 (PL 17, 128).
3 *Ordin.*, ap. Lyran., ex Ambrosio, *Exposit. in Luc. Evang.*, V, n. 45 (PL 15, 1648); cf. Augustin., *De corrept. et grat.*, c. 7, n. 14 (PL 44, 925); Beda, in h. l. (PL 92, 161).
4 *Epist.* 194, c. 2, n. 5 (PL 33, 875); cf. *De civit. Dei,* XII, c. 12 (PL 41, 727); Lombard., *In Epist. ad Rom.*, c. 9, 19-21 (PL 191, 1466).
5 Pseudo-Augustin., *Soliloq. animae ad Deum,* c. 28 (PL 40, 886): « Quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata »; cf. Bernard., *Sermo de diversis,* 1, n. 6 (PL 183, 540).
6 *Ordin. in Epist. ad Rom.*, c. 8, 28 (PL 114, 498); Lombardi, in h. l. (PL 191, 1448), ex Augustino, *De corrept. et grat.*, c. 9, n. 24 (PL 44, 930), ad sensum.

omnia eis cooperantur in bonum »; unde ex praedestinatione Dei est quod *omnia cooperantur eis in bonum* [a]. Dicendum ergo quod ex [b] misericordia Dei est quod [c] *omnia cooperantur eis in bonum,* eliciente de quolibet malo bonum. Concedendum [d] est ergo quod ad perfectam manifestationem bonitatis Dei est electio. — Sed numquid imperfecta esset haec manifestatio, si Adam stetisset? Dicendum quod non, immo secundum statum illum esset perfecta.

244 CAPUT IV.

SECUNDUM QUID SIT ELECTIO EX PARTE DEI.

Consequenter quaeritur secundum quid sit [e] electio ex parte Dei.

Ad quod sic: *a.* Ad Eph. 1,11: *Praedestinavit secundum propositum voluntatis;* sed praedestinare est praeeligere; ergo praeelegit secundum propositum voluntatis; ergo propositum est ratio electionis.

Sed oppositum huius dicitur [f] 1. Rom. 9,11, ubi dicitur: *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Ergo electio est ratio propositi permanendi; non ergo secundum propositum est electio.

Respondeo: 1. Aliter sumitur electio hic et ibi [1]. Est enim sensus eius quod dicitur ad Rom. 9,11: *Ut secundum electionem propositum Dei* etc., id est ut secundum gratiam qua [g] elegit, maneret propositum in effectu suo; propositum enim Dei manet in effectu secundum gratiam qua elegit. Cum autem dicitur: '*Praedestinavit* [h] *secundum propositum voluntatis*', haec destinatio [i] est a proposito aeterno. Unde '*propositum*' dicit rationem electionis, ad Eph. 1,11; ad Rom. [2] vero dicit effectum propositi qui causatur a gratia eligente.

245 CAPUT V.

SECUNDUM QUID SIT ELECTIO EX PARTE NOSTRA.

Deinde quaeritur secundum quid sit electio ex parte nostra.

Nam dicitur 1. Matth. 25,15: *Unicuique secundum propriam virtutem* distribuit. Ergo electio videtur esse secundum capacitatem eius qui eligitur in praesenti.

2. Item, Hilarius [3]: « Munus, quod in Christo est, omnibus patet unum: et quod ubique non deest, tantum datur quantum quis volet [k], et in tantum residet quantum quis volet promereri ». Ergo secundum capacitatem recipientis erit istud; ergo ratio electionis videtur esse ex parte creaturae.

3. Si dicatur quod capacitas haec suscipientis non dicitur respectu gratiae gratum facientis, sed gratiae gratis datae – contra: Deus creavit animam [l] rationalem ad gloriam et ut esset capax gloriae; sed ad gloriam non pertingit nisi per gratiam gratum facientem; ergo capax est principaliter gratiae gratum facientis.

4. Item, Augustinus [4], Malach. 1,2 super illud: *Iacob dilexi* etc., Glossa: « Venit de occultissimis meritis » etc. Haec autem occultatio non consistit nisi in rationibus insertis creaturae; merita enim sunt in merente [m]; ergo rationes electionis temporalis vel aeternae sunt in creaturis.

5. Item, si istae rationes essent in Deo, essent aeternae; rationes autem aeternae aequaliter se habent ad Deum, quia quaelibet est Deus et aequaliter se habet haec ratio ad suum actum sicut illa ad suum; ergo si aequaliter se habet ad Deum et ad electa, relinquitur quod aequaliter est omnium electorum electio, et ita non est ordo in electione. — Si dicatur quod est praeeminentia [n] in rationibus, sicut est praeeminentia in electis – sed tunc Deus multiplex esset, non simplex; haec enim non [o] posset esse a rebus, cum aeterna sit et aeternum non accipit a temporali; ergo a solo Deo; ergo in ipso est multiplicitas, cum in eo sit plus et minus.

Contra: *a.* Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [5]: « Habet Deus absconditas in semetipso quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non eo opere

---

[a] BR om. *unde ex... bonum.* [b] V om. [c] B om. *e. q.* [d] R *dicendum.* [e] Ita P, alii *est.* [f] R om., in B est add. interl. [g] L om. [h] PVS *predestinatio ut.* [i] L *predestinatio.* [k] Ita BR, alii *valet.* [l] R *hominem.* [m] Ita BR, alii *mente.* [n] F *eminentia.* [o] F om.

[1] Cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 1457); Augustin., *De div. quaest. ad Simplician.*, I, q. 2, n. 6 (PL 40, 115).
[2] Cap. 9, 11.
[3] *De Trinit.*, II, n. 35 (PL 10, 75).
[4] *De div. quaest. 83*, q. 68, n. 4 (PL 40, 72).
[5] Lib. IX, c. 18 (PL 34, 406).

providentiae quo naturas constituit [a] ut sint, sed eo quo illas administrat ut voluerit »; unde sequitur: « Ibi est gratia, per quam salvi fiunt peccatores ». Ergo ratio gratiae est in absconditis rationibus, quae sunt ab aeterno absconditae in Deo; non ergo est [b] in rationibus creatis.

Respondeo [1] quod causa electionis est ex parte Dei, non ex parte nostra; ratio autem electionis potest esse ex parte hominis, scilicet cooperatio liberi arbitrii, sicut supra dictum est in Quaestione de praedestinatione [2].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod '*unicuique dedit secundum propriam virtutem*': dicendum quod non dicitur ibi virtus capacitas creaturae, sed potius exitus virtutis in opus gratiae collatae; qui autem efficacius cooperatur gratiae [c] datae, affluentius [d] ei confertur a Deo, — Vel potest dici quod 'virtus propria' dicitur [e] ordinatio respectu gratiae gratis datae, non gratum facientis.

4. Ad illud [f] quod obicitur per Glossam Malach. 1,2 quod 'venit de occultissimis meritis, sed merita sunt merentium' etc.: dicendum quod aliud est dicere merita occultissima, et merita [simpliciter]; merita autem occultissima dicuntur [g] merita in Dei praescientia, merita vero simpliciter sunt in merente [h].

3. Ad hoc quod obicitur [i] quod 'capacitas hominis est respectu gratiae gratum facientis', respondeo: gratia gratum faciens excedit omnem naturae capacitatem, quae est ex natura; unde capacitas gratiae est a gratia. Quod enim natura elevetur supra se et diligat supra se et se ipsam abneget, hoc non est ex [k] natura, immo ex gratia; unde [l] supra naturam est capacitas quae capit gratiam gratum facientem. Capacitas ergo hominis est respectu gratiae gratis datae. Ex complexione enim ordinatur aliquis magis ad unam virtutem moralem quam ad aliam, sed ad gratiam gratum facientem nullus ex natura ordinatur.

2. Ad illud quod dicit Hilarius « quantum volet accipiet »: dicendum quod non notatur causa per hoc quod dicitur [m] « quantum » etc., sed concomitantia gratiae advenientis et liberi arbitrii capientis gratiam advenientem, Eccli. 1,9-10: *Ipse creavit illam,* et sequitur: *Secundum* [n] *datum suum praebet illam diligentibus se;* unde ly '*secundum*' notat rationem [o] ex parte sui et non ex parte creaturae.

5. Ad illud quod obicitur quod 'paritas est rationum aeternarum' etc.: dicendum quod uno modo est ibi ordo, alio modo paritas. Secundum quod rationes sunt aeternae, sic paritas; in quantum vero rationes [p] [rerum] temporalium in se ordinatarum, dicitur ibi ordo [q] esse, sicut possum dicere: 'multae sunt rationes et tamen una essentia Dei, quae est ratio [r] omnium'. Quod ergo multae sunt, hoc dicitur ratione rerum quae multae sunt: et sic ordo dicitur in electione propter relationem [s] rerum ordinatarum, quae referuntur ad electionem; licet enim ratio in se sit una et sic non [t] praeemineat ratio rationi, est tamen ratio una [u] rei praeeminentis alteri rei.

CAPUT VI. 246

CUIUS SIT ELECTIO PRAEDESTINATIONIS UTRUM SCILICET REPROBORUM.

Consequenter quaeritur cuius sit electio praedestinationis, utrum scilicet reproborum.

Ad quod proceditur sic: 1. Saul et Iudas [3] aliquando habuerunt gratiam; « nullum autem bonum irremuneratum [4] »; omnis autem motus procedens a caritate per se ordinat [v] ad vitam aeternam. Aut ergo illi qui agunt istud opus praemiabuntur aut non; si non: ergo aliquod bonum irremuneratum. Item inutilis est gratia ista vel gratia ista data est frustra.

2. Item, Saul habens gratiam potest mori. Ponatur: iste moritur et habet gratiam, ergo remunerabitur in aeternitate; sed non potest finaliter permanere in ista gratia nisi praedestinatus; ergo praescitus potest esse praedestinatus.

---

[a] BR *instituit.* [b] PVS om. [c] PV om. *collatae... gratiae,* quod in S est add. marg. [d] P *affluentibus,* L om. *ei.* [e] L om. BR *aliud.* [f] V *sunt.* [g] Ita B, alii *mente.* [h] PVS *dicitur.* [i] F *a.* [k] B *ut.* [l] V *id quod dicit* pro *h. q. d.* [m] L om. PVS *causam,* quod L exp. et corr. [n] PVS *rationum,* F *et ideo* pro *vero.* [o] F *ideo ibi* pro *i. o.* [p] Ita BR, alii om. [q] F *electionem.* PV om. [r] B om. [s] F *ordinatum.*

[1] In hac quaestione notanda est propositio 9, anno 1241, die 13 ian., a Guillelmo, Parisiensi episcopo, damnata: 'Qui habet meliora naturalia, de necessitate plus habebit de gratia et de gloria ». Contra quam asseritur « quod Deus, secundum quod preelegit et preordinavit, dabit unicuique gratiam et gloriam ». Cf. Denifle-Chatelain, *Chartular. Univ. Paris.*, I, 170, n. 128; N. Valois, *Guillaume d'Auvergne,* Paris 1880, p. 26; S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 3 (II, 547), alium errorem ex eadem serie referens, ait: « Nam hic est unus de decem articulis reprobatis ab universitate magistrorum Parisiensium tempore Episcopi Gulielmi et Odonis Cancellarii et fratris Alexandri de Hales, patris et magistri nostri ».

[2] Cf. supra, p. 322, sub *Respondeo.*

[3] Cf. I Reg. 9, 2 sq. et Matth. 10, 4.

[4] Cf. Innoc. III, *De contemptu mundi,* III, c. 15 (PL 217, 745); Boeth., *De consol. philos.*, IV, pr. 3 (PL 63, 797); Lombard., *In Rom.*, c. 2, 6 (PL 191, 1341).

4. Praeterea, Iacob eligitur, alter, scilicet Esau, reprobatur [1]; unde est hoc? cum gratia se offerat omnibus quantum est de se. Quare ergo non eligitur Esau, immo reprobatur?

Respondeo: 1. « Nullum bonum irremuneratum », digne [a] Deo oblatum; sed digne Deo oblatum non est sine perseverantia. Praeterea, non est frustra, quia etsi non sit ad salutem accipientis, est tamen ad ostensionem divinae largitatis et eruditionem humilitatis, quantum ad praedestinatos, ut non superbiant de meritis.

2. Ad hoc quod obicitur quod ' possibile est ipsum mori [b] in praesenti iustitia, et tunc gratia est in anima; nec propter separationem animae a corpore separatur gratia ab anima, ergo [c] finaliter manet in gratia, et ita decedit in gratia finali [d], ergo est praedestinatus ': dicendum quod cum dico ' possibile est istum decedere in finali gratia ', dico totum quod est ex libero arbitrio; sed quando dico ' praedestinatus ', dico quod est ex parte praedestinationis Dei. Unde licet haec sit vera ' iste potest decedere in finali gratia ', tamen haec non est vera ' praescitus potest decedere in gratia finali ', quia sensus est: ' praevisus non decedere in finali gratia, decedit in finali gratia '; hic autem est oppositio. Unde haec non possunt simul stare, scilicet quod sit praescitus et quod decedat in finali gratia. Unde aliud [e] est bene possibile, sed non compossibile, sicut dicit Magister, in *Sententiis* [2]; quia cum ponitur ipsum praescitum esse, ponitur ipsum non habere gratiam finalem; cum autem ponitur ipsum mori in gratia finali, hoc repugnat.

TITULUS IV.

DE DILECTIONE DIVINA.

Consequenter quaeritur de dilectione Dei qua diligit creaturam. Tamen haec quaestio supponit [f] voluntatem Dei; tamen propter cohaerentiam praecedentium et [g] manifestationem hic anticipabitur.

Et primo quaeritur de dilectione qua diligit generaliter quamlibet creaturam; secundo, de dilectione qua diligit specialiter rationalem creaturam.

MEMBRUM I.

De dilectione Dei erga creaturas generaliter.

Circa primum quatuor [h] quaeruntur:

Primo quaeritur utrum [i] eadem sit dilectio respectu creaturae et personarum ad invicem;

secundo, utrum dilectio Dei, quae est respectu creaturae, sit summa;

tertio, utrum Deus omnem creaturam aeque diligat;

quarto, quid sit dictum: Deum diligere creaturam.

247

CAPUT I.

UTRUM EADEM SIT DILECTIO DEI RESPECTU CREATURAE AC PERSONARUM AD INVICEM.

Circa primum ergo [k] quaeritur utrum eadem sit dilectio Dei respectu creaturarum cum ea quae est unius personae respectu alterius [3].

Et videtur quod sic: 1. Quia quidquid est in divinis essentiale, unum est, quia una est essentia. Et hoc est quod dicit Damascenus [4];

---

[a] B *dignum.* [b] F *non.* [c] R add. *si.* [d] V *finaliter.* [e] F *aliquando.* [f] SR *superponit.* [g] P *ut.* [h] BR *tria.* [i] V *an* PVS om. *respectu.* [k] R om.

[1] Cf. Malach. 1, 2sq.; Rom. 9, 13; Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa,* tr. 1, c. 12 (PL 176, 63).

[2] Lib. I, d. 40, c. 1 (p. 250 sq.); cf. Pseudo-Hugo de S. Vict., loc. cit.

[3] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 10, c. 1 et d. 17, c. 1 ac III, d. 32, c. 1 (p. 73, 106, 694).

[4] *De fide orthod.*, I, c. 2 (PG 94, 791); cf. Gregor. Naz., *Homil.* 23, n. 11 (PG 35, 1162).

« Omnia unum sunt praeter generationem [a], ingenerationem et processionem ». Sed quidquid convenit omnibus personis per se et divisim et [b] in summa, omnibus, secundum Augustinum [1], est essentiale, quia non habent commune nisi essentiam; ergo quidquid convenit omnibus personis est unum. Inde sic: quidquid convenit omnibus personis est unum [c]; sed diligere quamlibet creaturam omnibus personis convenit; similiter diligere, quod est respectu personae, omnibus convenit, sicut patet, quia Pater diligit, Filius diligit, Spiritus Sanctus diligit; ergo haec dilectio et illa idem sunt.

Contra: *a.* Deus diligit creaturam diligendo bonum quod est in [d] creatura: unde diligit aliquod bonum creatum quod [e] est in ea, quia non diligit in ea nisi quod in ea posuit [2]; sed non posuit [f] ibi nisi ens creatum; ergo non diligit ibi nisi ens creatum [g]; sed omne ens creatum incipit cum tempore vel in [h] tempore; ergo dilectio huius, in quantum huiusmodi, incipit cum tempore. Alia autem dilectio, quae est respectu personarum, aeterna est. Inde sic: nullum temporale est idem cum aeterno; ergo haec dilectio non est eadem cum illa.

Solutio: Cum dico 'Deus diligit creaturam', in hoc verbo 'diligit' duo intelliguntur, scilicet principale significatum et connotatum. Principale significatum est Dei voluntas vel affectus sive [i] quasi affectus: et quoad hoc est haec dilectio eadem cum dilectione illa quae est respectu personarum, quia Dei voluntas est sua [k] essentia. Connotatum autem est aliquis effectus in creatura, et quoad hoc non est eadem [l] haec dilectio cum illa quae est respectu [m] personae. Et hac via procedit secunda obiectio [3]; et primo modo procedit prima obiectio [4], scilicet ratione voluntatis divinae, quae praecedit omnem effectum in creatura. — Praeter hoc autem notandum quod alio modo connotat hoc verbum 'diligit', secundum quod dicitur modo quando res sunt, quod 'Deus diligit creaturam', et secundum quod dicitur 'diligebat' antequam essent: quia cum dicitur 'nunc diligit creaturam', notatur aliquid simul actu ens cum ipsa dilectione; cum autem accipitur 'diligit creaturam' pro dilectione quae fuit ante omnem creaturam, secundum quod dici potest quod 'ab aeterno dilexit creaturam' [5], similiter connotatur aliquid, sed non simul actu ens cum ipsa dilectione, sed postea futurum. Unde semper [n] cum dicitur 'Deus diligit creaturam', connotatur aliquid secundum aliquam [o] differentiam temporis, scilicet vel praesens vel futurum, aliter dicitur per alia verba, sed eadem est sententia.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum [dicendum] quod scilicet dilectio potest considerari ex parte diligentis, et sic est eadem haec et illa; vel ex parte dilecti, et sic non est eadem: quia hoc est temporale et illud aeternum, sicut obiciebatur.

CAPUT II. 248

UTRUM DILECTIO DEI RESPECTU CREATURAE SIT SUMMA.

Consequenter quaeritur utrum dilectio Dei respectu creaturae sit summa, sicut illa quae est respectu personarum ad invicem, quia dicitur quod summe diligit se.

Et videtur quod sic: 1. Quia summum dicitur quod non potest esse maius vel quo non potest esse maius [6]; sed dilectio, qua Deus diligit creaturam, non potest esse maior, quia Dei dilectio non potest intendi; ergo ipsa est summa. Similiter non potest aliqua maior esse illa.

Contra: *a.* Dilectio est respectu boni proprie; ergo maior dilectio est respectu [p] maioris boni, et maxima sive summa respectu maximi boni sive [q] summi [7]; ergo summa est dilectio respectu summi boni et non-summa respectu non-summi; sed Deus est summum bonum, creatura non-summum; ergo respectu Dei summa est dilectio, non respectu creaturae.

Solutio: Idem est diligere aliquid quod velle bonum illi [8]. Dicendum ergo quod diligere Dei habet duplicem comparationem [9]: unam ad ipsam

---

[a] V add. *et.* [b] R *ut*, F om. [c] S om. *inde sic... unum.* [d] PVS om. [e] F add. *non.* [f] F om. *s. n. p.* [g] V om. *ergo... creatum.* [h] L *ex.* [i] PVS *vel.* [k] V *illa.* [l] F *eidem.* [m] L *idem.* [n] F om. [o] F om. [p] BRLF om. [q] L om. *m. b. s.*

1 *De Trinit.*, V, c. 8 (PL 42, 917).
2 Cf. Augustin., *Contra Iulian. op. imperf.*, IV, c. 124 (PL 45, 1422); *In Ioan.*, tr. 110, n. 6 (PL 35, 1924).
3 Sub litt. *a.* 4 Sub n. 1.
5 Cf. Augustin., *In Ioan.*, tr. 110, n. 6 (PL 35, 1923); *De Trinit.*, V, c. 16 (PL 42, 924).
6 Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, V, c. 16 (PL 196, 961).
7 Cf. Augustin., *De Trinit.*, VIII, c. 10 (PL 42, 960).
8 Cf. Lombard., III *Sent.*, d. 32, c. 2 (p. 695); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 7 (f. 19d).
9 Cf. Lombard., loc. cit., c. 3 (p. 695).

voluntatem Dei, aliam ad ipsum volitum. Cum ergo dicitur 'Pater diligit Filium' vel e converso, ibi est summum bonum ex parte voluntatis et ex parte voliti, quia Pater Filio non potest velle maius bonum quam vult: hoc enim esset impossibile quod maius bonum vellet Filio, sicut probatum est alibi [1]. Cum vero dicitur 'Deus diligit creaturam', haec dilectio est summa per comparationem ad voluntatem diligentis, quia non potest maior esse nec intendi nec remitti; sed per comparationem ad volitum, non est summa, sed potest maior esse, quia potest huic creato velle maius bonum, sicut potest ipsum facere melius quam sit, secundum quod ly 'melius' nominaliter accipitur. Unde dicimus quod dilectio Dei qua diligit creaturam, si comparetur ad Deum diligentem sive ad [a] voluntatem Dei diligentis, summa est et in termino; si autem ad creaturam dilectam sive ad ipsum volitum quod ex dilectione Deus efficit in creatura vel quod iam factum [b] ei placet, sic non est summa.

Sed contra hoc obicitur: Si, quantum est ex parte diligentis, summa est dilectio Dei respectu creaturae et similiter respectu personarum summa est — Pater enim [c] summe diligit Filium — ergo aeque diligit Filium et creaturam; quod videtur falsum, cum nulla sit proportio dilectionis Dei respectu creaturae in aliquo sensu.

Ad quod dicendum [2] quod nulla est proportio dilectionis Dei respectu creaturae et respectu personarum, quia [d], quantum est ex parte diligentis et etiam voluntatis, idem omnino est [e] utrobique, cum dico 'Pater diligit creaturam' et cum dico 'Pater diligit Filium', quia una est essentia diligens in se: et quia idem non est sibi [f] proportionale, ideo in hac via non [g] proportionantur. — Item, neque proportionales sunt ex parte dilectorum: bonum enim creatum improportionabile est bono increato; nec unquam [h] potest creatum ascendere ad hoc [i] quod sit unum in essentia [k] cum bono increato, etsi possit uniri in persona, sicut fuit in Christo; et ideo ex parte dilecti similiter sunt improportionabiles.

Sed obicitur contra hoc sic: Bonum, in ratione boni, est diligibile; ergo magis [l] bonum magis diligibile; sed bonum increatum est magis [m] bonum quam creatum; ergo magis diligi debet; et Deus facit quidquid debet; ergo magis diligit bonum increatum; et sic ex parte dilectorum est ibi proportio.

Dicendum quod verum est quod Deus magis diligit bonum increatum quam creatum, sicut Pater [n] plus diligit Filium quam creaturam; sed [o] illud 'magis' dicit comparationem extra genus nec unquam potest haec comparatio ad genus aliquod accedere. Unde cum proportio [p] sit rerum eiusdem generis, sicut duorum alborum aut duorum nigrorum, et non sit comparatio rerum diversorum generum: manifestum est [q] quod non est proportio in proposito ex parte dilectorum, quaecumque sit illorum [r] habitudo.

249

CAPUT III.

UTRUM DEUS AEQUE DILIGAT OMNEM CREATURAM.

Consequenter quaeritur utrum Deus aeque diligat omnem creaturam [3].

Et videtur quod sic: 1. Cum enim dico 'Deus diligit creaturas', in hoc verbo 'diligit' duo notantur [4], scilicet Dei dilectio, quae est ipsa [s] eius essentia, et connotatum ex parte creaturae. Constat autem quod ex parte essentiae est aequalitas vel paritas, immo omnino unitas, cum dico [t] 'diligit hanc creaturam, diligit illam vel illam'. Quantum ex parte connotati probatur ibi esse aequalitas sic: illud connotatum videtur esse conservatio vel cura [u] conservandi creaturas; sed haec cura aequalis est respectu omnium secundum illud Sap. 6,8: *Aequaliter est illi cura de omnibus;* ergo tum [v] ex parte principalis significati tum ex parte connotati est ibi aequalitas et non sunt ibi plura; ergo vere potest dici quod Deus aequaliter diligit omnem creaturam.

2. Item, secundum rationem cognitionis vel notitiae est dilectio, secundum illud 'quantum aliquis cognoscit, tantum diligit' [5]; sed constat quod Deus aequaliter novit [x] omnia; ergo aequaliter diligit omnia.

---

[a] F om. [b] F add. *est.* [c] PVS *autem.* [d] R *et.* [e] R om. [f] F om. [g] V om. [h] B *nunquam.* [i] BRLF om. *a. h.* [k] F *esse.* [l] S *magnum* om. *bonum,* F *maius,* item infra. [m] R *maius.* [n] PS *patet.* [o] V *si.* [p] L om. [q] B om. [r] B *illarum.* [s] L om. [t] PVS om. [u] PVL *causa,* quod B corr., idem subinde. [v] PV *tunc.* [x] V *cognoscit,* PVS *noscit;* LF om. *ergo.*

1 Cf. infra, *De generatione divina.*

2 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 32, a. un., q. 3 (III, 701 sqq.); Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, III, c. 2 (PL 196, 916).

3 Cf. S. Bonav., loc. cit.

4 Cf. supra, p. 339a, *Solutio.*

5 Cf. Augustin., *De spir. et litt.*, c, 36, n. 64 (PL 44, 242 sq.); *De Trinit.*, X, cc. 1 et 2 (PL 42, 971 sqq.).

Contra: *a.* Bonum ratione boni diligibile est[1]; ergo quantum est in qualibet creatura de bono, tantum diligibilis est; sed plus est in una de bono quam in alia; ergo una plus est[a] diligibilis quam alia; ergo plus diligitur ab eo qui habet voluntatem bene mensuratam et ordinatam; sic autem est in Deo; ergo plus diligit Deus[b] unam quam aliam.

b. Praeterea, non esset bene mensurata hominis voluntas, si aeque diligeret quod plus esset diligendum; ergo similiter nec voluntas Dei; ergo etc.

[Solutio]: Quod concedimus, dicentes quod secundum quod meliores sunt creaturae in ordine suo et gradu, secundum hoc magis et magis diligit eas Deus, prout ly 'magis' dicit comparationem respectu eorum quae connotantur[c] in creaturis.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur quod '*aequaliter est ei*[d] *cura de omnibus*': dicimus quod, quantum est ex parte Dei, ipse aeque conservat omnia, quia[e] quantum in se est[f], omnibus dat vel offert[g] effectum conservationis, sed non omnia[h] aeque recipiunt istum effectum nec omnia aeque capacia sunt illius: quia res quaedam habent esse defectibile de se, ut res corruptibiles; aliae vero res, quamvis in eo quod creatae[i] sunt, defectibiles sint, tamen ex voluntate Creatoris indefectibile habent esse, ut res[k] incorporales. Ita enim ordinavit Deus ut post essentiam quae non habet principium nec finem, scilicet Deum, sit[l] essentia habens principium et non finem, scilicet essentia rerum immutabilium, et post hanc sit essentia habens principium et finem, scilicet essentia rerum corruptibilium. Tertia autem coniunctio est irritabilis, quia non potest esse quod aliqua essentia non habeat principium et habeat finem: quidquid enim[m] caret principio, caret fine. Ex parte ergo rerum, quae non aeque capaces sunt conservationis, est quod non aeque conservantur; tamen ex parte Dei indifferentia est. Et sic potest intelligi illud Sap. 6,8: *Aequaliter est illi cura de omnibus*, scilicet quantum in se est. — Tamen illud posset exponi breviter, ut ly 'aeque' dicat similitudinem, non mensuram; sub hoc sensu aeque *est illi cura de omnibus*, id est similiter est illi cura de omnibus[n], de hoc scilicet et de illo, quia de omnibus habet curam, non tamen tanta est ei cura de hoc quanta de illo. Simile est: demonstratis duobus pannis bonis[o], alio tamen meliore altero, potest dici quod sicut[p] iste pannus est bonus, similiter ille, non tamen tantum est bonus iste quantum est[q] ille. Dicimus ergo exponendo quod non sequitur: 'aeque conservat quantum est de se, ergo aeque diligit', quia 'diligere' ultra huiusmodi 'conservare' addit et connotat bonum quod est in creatura; et ideo secundum quod[r] plus vel minus participat de bono, secundum hoc plus vel[s] minus diligitur.

2. Ad hoc quod obicitur 'si[t] aeque novit[u] omnia, ergo aeque diligit omnia': dicendum quod duplex est Dei cognitio vel notitia; est enim notitia simplex et est notitia beneplaciti. Notitia simplex dicitur per modum intellectus speculativi: et de hac verum est quod aeque novit omnia, quia novit ea[v] prout in ipso relucent; et de hac non est verum quod quantum quis novit, tantum diligit. Secunda autem cognitio est beneplaciti, et haec est per modum intellectus practici: et de hac, quae est coniuncta cum actu beneplaciti, intelligitur illud 'quantum cognoscit quis, tantum diligit'; sed de hac non est verum quod Deus[x] aeque novit omnia, sicut non aeque diligit omnia; immo meliora magis novit, id est magis approbat, minus bona minus. Et intelligatur istud 'magis et minus' non in comparatione ad principale significatum, quia ex illa parte est aequalitas, sed in comparatione ad connotatum. Et hoc modo dicitur Deus nescire mala, secundum quod dicturus est in iudicio quibusdam: *Nescio vos*, Luc. 13,25, Matth. 25,12.

CAPUT IV. 250

QUID SIT DEUM DILIGERE CREATURAM.

Consequenter quaeritur quid sit dictu: Deum diligere creaturam[2].

Videtur enim quod non sit aliud dicere quam Deum diligere se ipsum: 1. Et loquamur de dilectione secundum quod praecessit omnem[y] effectum, secundum quod dicimus quod Deus dilexit ab aeterno creaturas; loquamur ergo pro[z] illo statu ante mundi creationem: 'Deus diligit creaturam', constat quod nullus Dei effectus est;

---

[a] B om., F om. *in una... est.* [b] L om. [c] PS *notantur.* [d] P om., V *illi.* [e] BRLF add. *in.* [f] BRLF add. *et.* [g] R *affert.* [h] P *omnino.* [i] PS *creature*, F om. *defectibiles sint.* [k] F *vires* pro *u. r.* [l] R *sic.* [m] B om. [n] PVS add. *et.* [o] B om. [p] R *sic.* [q] LF om. [r] PSB om. [s] R om., B *quod plus* pro *h. p. v.* [t] P om., VS *quod.* [u] PVS *noscit.* [v] VL *omnia*, R add. *que.* [x] V add. *non.* [y] B *esse in.* [z] PVS *de.*

[1] Cf. Aristot., *Eth. ad Nicomach.*, VIII, c. 2 et *Magn. Moral.*, II, c. 11 (II, 91, 175).

[2] Cf. Lombard., III *Sent.*, d. 32, c. 3 (p. 695); S. Bonav., III *Sent.*, d. 32, a. un., q. 1 (III, 697 sqq.).

unde nihil est nisi ipse Deus; ergo, ut videtur, nihil est diligibile nisi ipse; ergo pro illa duratione [a] ante creationem rerum non videtur aliud dicere 'Deum diligere creaturam' quam 'Deum diligere se ipsum'.

2. Item Hugo [1]: «Ea est vis amoris quod necesse est amantem talem esse quale est id quod amat». Ergo si Deus diligeret creaturam in esse proprio, necesse esset illum transformari in creaturam vel in similitudinem creaturae; quod cum sit impossibile, non diligit creaturam nisi secundum quod est in se ipso.

3. Item, si aliud connotatur, quaeritur quid sit illud.

Solutio: Dicimus quod ab aeterno Deus diligebat creaturas, sicut ab aeterno cognoscebat antequam fierent, secundum illud Eccli. 23,29: *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita.* Et sicut in Deo est ratio exemplaris omnium, et haec erat quasi ratio cognitionis eius, ita in ipso erat ratio causalis omnium, et haec erat quasi ratio dilectionis eius. Cum ergo dicitur 'Deus diligebat creaturam ab aeterno', ultra hoc quod est 'Deum [b] diligere se' connotatur creaturas esse in Deo per rationem causae. Unde hoc quod est [c] 'Deum diligere creaturam' potest sic intelligi: id est Deum diligere creaturam in se ipso, et sic fuit ab aeterno, vel Deum diligere se in creatura, vel etiam creaturam in se ipsa [d], et haec dilectio est cum tempore vel in tempore. Nota tamen quod aliter est de [e] cognitione Dei et dilectione Dei ab aeterno, quia ipse novit ab aeterno tam bona quam mala simplici notitia [2], sed dilexit tantum bona, quia tantum bonorum ipse est causa.

[Ad obiecta]: 1. Per [f] hoc patet solutio ad primum obiectum.

2. Ad secundum dicimus quod illa auctoritas Hugonis: «Ea est vis amoris» etc. proprie intelligitur, ubi amans est minus nobile amato vel simpliciter vel secundum quid, sicut est in hominibus. Aliquis enim homo amans aliquid [g], quamvis sit minus nobile simpliciter, sicut est nummus vel aliquid tale, tamen in eo quod illud affectat [h] et circa illud afficitur, subponit se [i] ipsum amato, et sic quodammodo [k] transformatur in illud. Sic autem non est in Deo; unde non oportet quod transformetur in amatum. — Vel aliter potest dici quod verbum Hugonis intelligitur de dilectione quae est affectio, non de illa quae est voluntas boni, qualis est dilectio Dei; amor enim qui [l] est affectio, transformat quodammodo amantem in amatum [3].

3. Ad illud quod quaeritur de connotato, iam patet responsio [4], quia connotatum est causalitas in Deo respectu creaturae.

MEMBRUM II.

De dilectione Dei erga rationalem creaturam.

Consequenter quaeritur de dilectione Dei quae specialis est respectu rationalis creaturae. Et circa hoc quaeruntur quatuor:

Primo, utrum [m] Deus plus diligat angelos quam homines, vel e converso;

secundo, utrum inter homines plus diligat praescitum qui nunc iustus est, quam praedestinatum qui nunc peccator est;

tertio, utrum inter praedestinatos plus diligat eum qui nunquam cecidit, scilicet iustum, aut [n] eum qui cecidit et surrexit [o];

quarto, utrum necesse sit de congruo quod Deus plus diligat diligentem se vel non.

251

CAPUT I.

UTRUM DEUS PLUS DILIGAT ANGELOS QUAM HOMINES.

Circa primum [p], utrum Deus plus diligat angelos quam homines, vel e converso [5], proceditur sic:

Quod [q] plus diligat angelum probatur sic:

a. Dilectio est per convenientiam amati [r] cum amante; sed plus convenit et minus distat angelus a Deo quam homo; ergo Deus eum magis diligit: si enim dilectio est per convenientiam, ergo maior dilectio per maiorem convenientiam.

---

[a] V corr. mg. *dilectione*, non deleto *duratione*. [b] V *dictu*. [c] B *in*. [d] V *ipso*. [e] R *in*. [f] BF *Et per*. [g] BRLF *aliud*. [h] P add. *et circa illud affectat*. [i] F om. [k] B add. *etiam*. [l] F *qua*, RL *que*. [m] L *an*, F om. [n] BRLF *an*. [o] BR *resurrexit*. [p] BR add. *queritur*. [q] BRLF *Et quod*. [r] PV add. *quam*, quod S exp.

1 Hugo de S. Vict., *De arrha anim.* (PL 176, 954).
2 Cf. supra, p. 252, num. 170.
3 Cf. Augustin., *De Trinit.*, VIII, c. 10 (PL 42, 960).
4 Cf. *Solutio*.
5 Cf. Lombard., III *Sent.*, d. 32, c. 3 (p. 695); S. Bonav., III *Sent.*, d. 32, a. un., q. 4 (III, 703).

b. Item, dilectio Dei dicitur maior vel minor propter maiorem effectum vel minorem, quia, quantum in se est, non « intenditur nec remittitur [1] »; ergo ubi est maior effectus eius, et maior dilectio; sed maiorem effectum confert vel contulit angelo quam homini, quia angelo contulit gratiam, qua habita statim movebatur in ipsum et confirmabatur, non sic homini; ergo plus angelos diligit.

Contra: 1. Humana natura unibilis fuit divinae: et hoc quod dico ' unibile ' non tantum dicit possibilitatem obedientiae, quia hanc possibilitatem habebat asinus [2], et sic esset unibilis, quod falsum est [a]; dicit ergo possibilitatem congruitatis vel congruentiae; haec autem possibilitas [b] congruentiae praecessit actum uniendi, sicut patet, quia antequam uniretur, dici poterat ' humana natura unibilis est '; coepit ergo haec potentia esse cum humana natura et collata est [c] ei et non angelicae naturae: actus enim huius potentiae, id est unio ipsa, fuit beneficium summum creaturae collatum; ergo maior est effectus dilectionis collatus homini quam angelo; ergo per hanc viam patet quod magis diligitur a Deo homo [d] quam angelus.

Solutio: Dicendum quod natura humana potest dupliciter considerari: uno modo, in sua specialitate, prout non descendit ad individuum; alio modo, prout descendit ad individuum, et proprie ad individuum, quod est Christus sive quod est natura Christi [e] vel in Christo. Cum ergo dicitur quod potentia congruitatis ad uniendum collata est humanae naturae: si loquamur de natura humana, prout non descendit ad individuum naturae Christi, sic dicimus quod illa potentia nihil addit ultra illam [f] naturam; non enim possum dicere quod Deus ita creavit hominem quod ultra naturam suam daret ei hanc potentiam; unde [g] non propter hanc potentiam dicetur homo nobilior angelo nec magis diligi, sed e converso, sicut probant primae rationes [3]. Si autem loquamur de humana natura, prout descendit ad individuum naturae Christi: sic dicimus quod illa potentia congruitatis addit aliquid ultra naturam humanam; et in hac consideratione concedimus quod nobilior est et magis dilecta a Deo, quia sic non tango naturam puram, sed cum conditionibus individui, quod scilicet individuum nobilius est omni [h] individuo angelicae naturae.

Item, notanda est alia distinctio, quia angelica natura et humana possunt considerari dupliciter: primo modo, in statu creationis, et sic nobilior est angelica natura, et praedicta potentia congruitatis non addit ultra naturam humanam, ut dictum est [4]; secundo modo [i], in statu recreationis, et sic quamvis angelica natura receperit statim confirmationem suam, sicut obicitur [5], tamen humana natura in quodam sui individuo [k] superexcellit, scilicet in [l] Christo, quia omnino [m] simul habuit naturam et gratiam confirmationis, angeli vero non, sed primo naturam, deinde gratiam; huiusmodi autem excellentia, quae est propter Christum, non fuit in statu creationis, sed recreationis.

CAPUT II. 252

UTRUM DEUS PLUS DILIGAT IUSTUM PRAESCITUM QUAM PECCATOREM PRAEDESTINATUM.

Consequenter quaeritur utrum inter homines plus diligat Deus praescitum, qui est in praesenti iustitia, quam praedestinatum nunc existentem peccatorem.

Et videtur quod plus diligat praedestinatum: *a.* Praedestinatio enim est praeparatio gratiae finalis [6]; sed nullum donum nullaque gratia in praesenti est comparabilis finali [n] in bonitate [7], multo magis autem nec [o] gloriae. Cum ergo Deus maius bonum simpliciter magis [p] diligat, magis diligit praedestinatum quam praescitum: non enim Deus decipitur ut credat minus bonum maius esse vel maius minus, sicut aliquando homo credit, quamvis sanctus sit, et ideo maius [q] bonum minus diligit.

Contra: 1. In praescito [r] nunc iusto est tam bonum naturae quam bonum gratiae, quorum utrumque Deus diligit; et nihil est in ipso quod odiat, quia Deus nihil odit nisi peccatum. In praedestinato autem peccatore est tantum [s] bonum naturae quod revera Deus diligit; sed non est bonum

---

[a] L om. [b] R add. *congruitatis vel.* [c] Ita V, R *fuit*, alii om. [d] F om. [e] L om. [f] F om. [g] Ita BR, alii *vel.* [h] PS *cum*, L *enim.* [i] BR om. [k] P add. *duo*, quod S exp. [l] BRLF om. [m] V *omnia.* [n] PVS *finaliter.* [o] PV add. *angelice*, quod S exp. [p] S om. [q] P *magis.* [r] PVS *presenti.* [s] B om.

1 Cf. Lomb., loc. cit., c. 2 (p. 694).
2 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 1, q. 1 (f. 26c).
3 Sub litt. *a* et *b*.
4 Hic parum supra.
5 Sub litt. *b*.
6 Cf. Augustin., *De dono persev.*, c. 14, n. 35 (PL 45, 1014); cf. supra, p. 318, num. 222.
7 Cf. Augustin., loc. cit., cc. 1 et 2 (PL 45, 993 sqq.).

gratiae quod diligit ut nunc in eo existens: praedestinatio enim non ponit bonum in actu circa praedestinatum [1]; est autem peccatum, quod odit in eo. Ergo minus debet diligere hunc praedestinatum.

Solutio: Uterque diligitur a Deo, differenter tamen, quia praedestinatus simpliciter magis diligitur, praescitus autem ut nunc magis diligitur: praedestinatio enim respicit tempus simpliciter, non tempus ut nunc. Unde bonum praedestinationis non est bonum ut nunc, sed simpliciter, et ideo simpliciter a Deo diligibile; bonum autem, quod est in praescito, est bonum ut nunc, non simpliciter, illo modo quo bonum praedestinationis est bonum ut nunc. Unde haec differentia maioris dilectionis et minoris est ex parte dilecti, non ex parte diligentis; et secundum hanc diversitatem procedunt rationes contrariae.

253 CAPUT III.

UTRUM DEUS INTER PRAEDESTINATOS PLUS DILIGAT ILLUM QUI NUNQUAM CECIDIT.

Consequenter quaeritur utrum inter praedestinatos plus diligat illum qui nunquam cecidit, an [a] poenitentem post casum, aliis paribus.

Videtur quod [b] **plus diligat iustum qui nunquam peccavit**: *a.* Quia quod diuturnius est, magis est eligendum, ergo magis diligibile; sed bonum gratiae diuturnius est in iusto isto quam in poenitente illo, quia hic semper perseveravit, ille autem aliquando cecidit; ergo [c] etc.

Contra: 1. Luc. 15,7: *Maius est gaudium super uno peccatore poenitentiam agente* etc.; 'iustos' vocat ibi illos qui semper steterunt, et loquitur de gaudio Ecclesiae triumphantis, quod omnino est conforme gaudio Dei; ergo et Deus plus gaudet [d] etc.

Solutio: Dicimus quod, omnibus aliis paribus, Deus [e] plus diligit eum qui semper stetit, sicut obicitur. Sed plerumque contingit quod peccatores conversi plus fervent [f] in bono quam qui semper steterunt, et sic iam non sunt pares in ceteris; ideo dicitur illud Luc. 15,7. Et hoc plane dicit in Glossa Beda [g 2], et ponit exemplum dicens: « Dux in praelio eum militem plus diligit qui post fugam conversus fortiter hostem premit quam qui nunquam fugit nec unquam fortiter egit [h] ». Aliud exemplum est [i] de igne, quia si apponitur in illum aqua et ipse eam superet, magis post fervet quam prius. Unde quoad hoc melior est iste poenitens quam ille iustus et magis a Deo diligitur. Sed si pares essent in hoc [k] et in aliis praeterquam in hoc quod iste est poenitens, ille iustus: dicimus quod praeponitur iustus poenitenti simpliciter [l]; ergo status iusti potior est quam status poenitentis; sed descendendo ad personas contingit esse sic et e converso. Unde Beda, in eadem Glossa [3]: « Sunt iusti [m] de quibus tantum est gaudium ut eis nullus poenitens praeponi possit, qui etsi non sint sibi [n] conscii malorum, tamen bona respuunt [o] et in omnibus se humiliant ».

254 CAPUT IV.

UTRUM NECESSE SIT DE CONGRUO QUOD PLUS DILIGAT PLUS DILIGENTEM EUM.

Consequenter quaeritur utrum necesse sit de congruo quod Deus plus diligat plus [p] diligentem eum [4].

Et videtur quod sic: *a.* Quia Prov. 8,17: *Ego diligentes me diligo;* sed si [q] simpliciter ad simpliciter et magis ad magis [5] etc., ergo videtur quod magis diligentes magis diligat.

b. Praeterea, hoc esset culpandum in homine quod magis diligentes se minus diligeret et e converso; ergo [r] hoc non est in Deo, in quo non est aliquid culpabile vel reprehensibile [6].

Contra: 1. In Evangelio Ioannis [7] saepe dicitur quod diligebat eum Iesus; in quo innuitur quod ille [s] magis diligebat eum quam alios, et ita magis quam Petrum; et hoc plane dicit Augustinus,

---

[a] PVSL *aut.* [b] F *quidem.* [c] F om. [d] L add. *ergo.* [e] F om. [f] F *ferunt.* [g] Codd. *Bede.* [h] R om. *n. u. f. e.*, quod in B est add. mg. [i] B om. [k] B *hac*, V om. seq. *in.* [l] F *sed impliciter.* [m] BRLF add. *quidem*, VS *sicut* pro *sunt.* [n] PV om., S (mg.) *filii.* [o] PVS *recipiunt*, BRLF *respiciunt.* [p] PVS om., BRLF om. *Deus.* [q] F om. [r] R om. [s] F om.

1 Cf. supra, p. 326, sub *Respondeo.*

2 *Glossa ordin.*, ap. Lyran., ex Beda, in h. l. (PL 92, 520); cf. Gregor. M., *In Evang.*, hom. 34, n. 4 (PL 76, 1248).

3 Loc. cit.; cf. Augustin., *Confess.*, VIII, c. 3 (PL 32, 752).

4 Cf. S. Bonav., III *Sent.* d. 32, a. un., q. 6 (III, 706 sqq.); Praeposit., *Summa*, III (f. 126b).

5 Cf. Aristot., *Topic.*, II, cc. 10 et 11 (I, 196sq.).

6 Cf. Anselm., *Cur Deus homo*, c. 20 (PL 158, 392).

7 Ioan. 13, 23; 19, 26 et 21, 7-20.

super illud Ioan. 21 [1]: *Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus,* Glossa [2]: « Tacito nomine, hoc signo discernitur Ioannes a ceteris, non quod solum eum, sed quod [a] plus ceteris diligebat eum ». Cum igitur [b] Petrus plus diligeret illum, scilicet Christum, quam Ioannes — sicut dicit [c] super illud [3]: *Simon Ioannis, diligis me plus his* etc., Glossa Augustini [4]: « Quod scit, interrogat » — ergo Christus plus diligebat minus diligentem se et e converso.

c. Sed contra hoc videtur quod Ioannes plus diligebat Christum quam Petrus vel alii. Sicut enim dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [5], secundum rationem notitiae est ratio dilectionis; sed Ioannes plus cognoscebat quam alii, quia de ipso dominici pectoris fonte potavit [6]; ergo et plus dilexit; et ita restat quod prius, scilicet quod plus diligentem se magis diligit Deus.

Solutio: 1. Secundum litteram revera magis diligebat Petrum, sed plus dicitur diligere Ioannem, quia plura signa dilectionis ei ostendit et maiorem familiaritatem ei [d] exhibuit [7]. Et hoc videtur dicere [e] plane Augustinus, super finem Ioannis [8], in Magna Glossa [9], post [f] verbum supradictum, dicens: « Huius maioris dilectionis indicium est quod solus supra pectus Iesu recubuit; porro Petrus Christum plus aliis dilexit. Unde sciens quod interrogabat, dicit: *Diligis me plus his?* » — Aliter potest dici et subtilius sic: dilectio potest dici maior vel minor simpliciter vel quantum [g] ad eius effectus. Est [h] autem multiplex effectus dilectionis Dei, quia eius effectus sunt quaedam donata in praesenti excellentia, per quae contingit mereri, ut est excellentia cognitionis et huiusmodi, de quibus I Cor. 12,4: *Divisiones gratiarum sunt;* est autem [i] aliud donum in praesenti excellentissimum in suo genere, scilicet caritas [10], de quo I Cor. 12,31: *Adhuc excellentiorem viam* etc.; est autem effectus dilectionis Dei in futuro, scilicet vita aeterna, quod maximum donum est; per caritatem autem, quae est maximum donum in praesenti, essentialiter meremur vitam aeternam, quae maximum est donum simpliciter. Possumus ergo loqui de dilectione Dei dupliciter: vel secundum quod respicit effectum vitae aeternae et caritatis per quam est meritum illius vitae, et sic verum est quod Christus plus dilexit Petrum quam Ioannem, quia ad maius, quia maiorem caritatem [k] ei contulit et maiorem gloriam praeparavit, et sic dicitur illud Prov. 8,17: *Ego diligentes me diligo;* aut possumus loqui de dilectione Dei [l] secundum quod respicit huiusmodi dona excellentia in praesenti, ut cognitionem et huiusmodi: et sic plus dilexit Ioannem, quia haec dona ei contulit [m] in maiori excellentia quam Petro vel aliis, ut obicitur.

c. Ad illud quod obicitur quod 'simpliciter plus diligebat Ioannes [n], quia plus cognovit' [o]: dicendum, ut supra [p] [11], quod duplex est cognitio: una speculativa, et quoad hanc fuit Ioannes excellens respectu Petri et aliorum, sed de hac non intelligitur illud 'quanto plus diligit, plus cognovit' [q]; est alia cognitio practica, et haec duplex: quaedam ante actum, et de hac adhuc non intelligitur illud [r]; quaedam coniuncta cum ipso actu, et de hac intelligitur; sed quantum ad hanc non excellebat Ioannes Petrum, sed potius e converso [12].

---

[a] L om. [b] F *enim.* [c] Codd. add. *Glossa*, B om. *Ioannis.* [d] V om. [e] S *Dominus.* [f] R *super.* [g] F *qualiter.* [h] L *et.* [i] F *aliud.* [k] L om. [l] L om. [m] B add. *ut.* [n] BRLF *Ioannem.* [o] BR add. *dicitur.* [p] L om. *u. s.* [q] L *cognoscit plus diligit* pro *d. p. c.* [r] R om.

1 Conflatum ex Ioan. 21, 7 et 24.

2 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 425), ex Augustino, *In Ioan.*, tr. 124, n. 4 (PL 35, 1971).

3 Ioan. 21, 15.

4 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 424), ex Augustino, *In Ioan.*, tr. 123, n. 5 et tr. 124, n. 4 (PL 35, 1967, 1972).

5 Cf. lib. IX, cc. 3 et 12, n. 18 (PL 42, 962, 970 sqq.).

6 Cf. 2 Responsor. I Nocturni in festo S. Ioan. (27 dec.); cf. Hieronym., *In Matth.*, prolog., et *In Eph.*, prolog. (PL 26, 18, 442).

7 Cf. Praeposit., loc. cit.

8 Ioan. 21, 20.

9 Id est *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 425), ex Augustino, *In Ioan.*, tr. 124, n. 4 (PL 35, 1971).

10 Cf. Augustin., *De Trinit.*, XV, c. 18, n. 32 (PL 42, 1082).

11 Cf. p. 341b, *ad 2.*

12 Cf. Chrysost., *In Ioan.*, hom. 87, n. 2 et hom. 33, n. 3 (PG 59, 475, 192); Hieronym., *Ad Iovinian.*, I, n. 26 (PL 23, 247)

TITULUS V.

DE LIBRO VITAE.

Post quaestionem de praedestinatione, electione, dilectione divina, quaerendum est de libro vitae [1], in quo scribuntur praedestinati, electi et dilecti ab aeterno. Nam sicut dilectio est omnium futurorum bonorum, praedestinatio salvandorum et electio eorumdem in quantum separantur a malis, ita liber vitae est ipsorum remunerandorum. Quaeritur ergo in hunc modum:

Primo, quid sit liber vitae;
secundo, quid dicatur liber vitae;
tertio, quorum sit liber vitae;
quarto, quomodo se habet liber vitae.

MEMBRUM I.

Quid sit liber vitae.

Quantum ad primum quaeruntur duo:

Primum est, utrum liber vitae sit [a] quid creatum vel increatum;

secundum est, supposito quod increatum, utrum una persona vel [b] omnes.

255

CAPUT I.

UTRUM LIBER VITAE SIT QUID CREATUM VEL INCREATUM [2].

Circa primum sic obicitur: 1. Eccli. 24,32: *Haec omnia liber vitae.* Glossa [3]: « Hic est liber vitae [c], Novum scilicet et Vetus Testamentum, in quo est agnitio [d] veritatis »; sed constat quod liber Novi et Veteris Testamenti est quid creatum; ergo liber vitae est quid creatum [e].

2. Si dicatur quod liber vitae dicitur dupliciter, scilicet Dei Filius et Scriptura Novi et Veteris Testamenti: liber enim vitae dicitur in quo est cognitio vitae, et sic Filius Dei dicitur liber vitae; liber etiam [f] vitae dicitur quod est ordinans vel instruens ad vitam, et sic dicitur liber vitae Novum et Vetus Testamentum – contra: videtur quod Christus etiam secundum humanam naturam, et non tantum secundum divinam, dicatur liber vitae, Apoc. 20,12: *Alius liber apertus est, qui est vitae,* « id est Christus, qui tunc apparebit patens [g] omnibus [4] »; sed hoc erit secundum humanitatem: non enim tunc mali videbunt [h] divinitatem [5]; ergo Christus secundum humanitatem est liber vitae; ergo liber vitae est quid creatum et non solum quid increatum.

3. Item, liber dicitur [i] in quo est scriptura; ergo ibi [k] est intentio causae materialis; quamvis autem tres causae possint inveniri in Deo, ratio [l] efficientis et formalis exemplaris et finalis, nunquam tamen in eo cadet ratio causae materialis [6]. Si ergo in libro est intentio sive ratio causae materialis, non poterit liber vitae dici proprie quid increatum.

Contra: *a.* Super illud Psalmi [7]: *Deleantur de libro viventium,* Glossa [8]: « Liber iste est notitia

---

[a] F *secundum.* [b] F *hec.* [c] SBRLF om. [d] B *cognitio.* [e] PV om. *ergo... creatum,* quod in S est add. marg. [f] L *enim.* [g] F *parens.* [h] P add. *humanatam.* [i] L *est.* [k] F *non.* [l] V add. *cause.*

1 Cum quaestionibus de libro vitae hic exponendis magnam affinitatem habent quae, tacito nomine auctoris, occurrunt in cod. Assisiensi 182, ff. 4b-5a. Cf. etiam Bibl. Nation. Paris. cod. lat. 16406, ff. 121a-123a.

2 Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 43, a. 2, q. 1 (IV, 896 sq.).

3 *Interlin.* Cf. Raban., in h. l. (PL 109, 941); Augustin., *De civit. Dei,* XX, c. 14 (PL 41, 680).

4 *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 114, 745); cf. Haymo, in h. l. (PL 117, 1190).

5 Cf. supra, p. 24, num. 15.

6 Cf. supra, p. 71, num. 46.

7 Psalm. 68, 29.

8 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 950); cf. Cassiodor., in h. l. (PL 70, 488).

Dei, qua *praedestinavit* ad vitam *quos praescivit conformes fieri imagini Filii sui* [1] »; sed notitia Dei est increata; ergo liber vitae est quid increatum.

[Solutio]: 1-2. Ad hoc dicendum quod liber vitae dicitur tripliciter. Uno modo liber vitae dicitur exemplar vitae; alio modo dicitur liber vitae exemplum vitae; tertio modo dicitur liber vitae signum vel significatio vitae. Primo modo dicitur notitia Dei liber vitae, sicut dicit Glossa [2] super illud Psalmi: *Deleantur de libro viventium.* Secundo modo dicitur Filius Dei secundum humanitatem liber vitae, quia fuit exemplum expressissimum [a] ad exemplar divinum; unde in Psalmo [3]: *In libro tuo omnes scribentur,* loquitur Filius ad Patrem; Glossa [4]: « Id est in me, qui dedi formam iustitiae hominibus, *scribentur,* id est instruentur, *omnes,* non modo perfecti, sed etiam [b] imperfecti ». Tertio modo dicitur liber vitae sacra Scriptura, sicut dicit Glossa [5] Eccli. 24,32: *Haec omnia liber vitae:* « Liber iste est sermo Novi et Veteris Testamenti ». Dicendum ergo quod liber vitae, secundum quod dicitur primo modo, est increatum; prout vero secundo modo et tertio, creatum quid est.

3. Ad illud quod obicit quod 'in intentione libri est intentio causae materialis, quae nullo modo cadit in Deo' [c]: dicendum quod liber vitae non dicitur secundum intentionem causae materialis, immo secundum rationem causae exemplaris. Non enim transfertur ratio libri quantum ad hoc quod ab eo fit [d] aliquid, sed quantum ad hoc quod in eo est aliquid, sicut libri exemplares [e] iuxta quos fiunt alii libri [6].

CAPUT II. 256

UTRUM LIBER VITAE SIT UNA PERSONA VEL OMNES.

Secundo quaeritur, cum liber vitae sit uno modo quid increatum, utrum una persona sit tantum liber vitae an omnes.

Et videtur quod solus Filius sit liber vitae: *a.* Psalm. [7]: *In capite libri scriptum est de me;* Glossa [8]: « *Scriptum est de me* [f], id est praefinitum, *in capite libri,* id est apud Patrem qui est caput mei ». Sed cum dicitur caput Christi, dicitur notio Patris, secundum quam est [g] principium Filii; ex hoc ergo videtur quod solus Filius sit liber vitae in Trinitate.

b. Item, liber dicitur in habitudine eius quod est esse ab alio, quia omnis liber ab alio est scriptus; sed nihil quod sit [h] ab alio, in quantum tale, potest convenire Patri; ergo Pater nullo modo potest dici liber.

c. Item, liber, in quantum huiusmodi, dicit notitiam [i] expressam ab alio; per hoc quod est notitia [k] expressa, non potest convenire Spiritui Sancto, quia Spiritus Sanctus non est imago vel similitudo expressa Patris; ergo solum convenit Filio quod sit liber, cum solus [l] sit notitia expressa ab alio.

Contra: 1. Cum dicitur liber vitae, dicitur quid divinum et effectus in creatura; effectus in creatura [m] communis est toti Trinitati, quia indivisa sunt opera Trinitatis; ergo toti Trinitati convenit quod sit liber.

2. Item, liber vitae nihil aliud est quam « visio iudicis », sicut dicit Gregorius [9]; sed tota Trinitas facit [n] videre iudicem; ergo tota Trinitas est liber vitae.

3. Item, Apoc. 20,12: *Alius liber apertus est* [o] *qui est vitae;* quod exponens Augustinus, XX *De civitate Dei,* cap. 14 [10], dicit [p]: « Liber ille quaedam vis est intelligenda divina, qua fiet ut cuique opera sua [q] vel bona vel mala in memoriam revocentur, quae nimirum libri nomen accepit: in ea quippe quodammodo legitur quod ea faciente recolitur ». Sed vis divina convenit toti Trinitati; ergo esse liber convenit toti Trinitati.

4. Item, XX *De civitate Dei,* cap. 15 [11]: « Praescientia Dei, quae falli non potest, liber vitae est [r] »; sed praescientia, quae falli non potest, tota Trinitas est; ergo tota Trinitas est liber vitae [s].

---

[a] F *expressivum.* [b] Ita BL, alii om. [c] PVS *Deum.* [d] Ita R, alii *in eo sit* pro *a. e. f.* [e] F *liber exemplaris* pro *l. e.* [f] R om. *s. e. d. m.* [g] P om. [h] BR *fit.* [i] Codd. *notam.* [k] Codd. *nota,* item infra. [l] B *scilicet.* [m] S om. *e. i. c.* [n] L om. [o] L om. [p] BR om., F *dicitur.* [q] L om. *o. s.* [r] L om. [s] F om. *sed... vitae,* S om. *est.*

1 Cf. Rom. 8, 29.
2 Cf. sub litt. *a.*
3 Psalm. 138, 16.
4 Conflatum ex Lombardo, in h. l. (PL 191, 1216), *Ordin.* in h. l. et *In Psalm.* 39, 3 (PL 113, 1061 et 903), ac *Interlin.*
5 Cf. sub n. 1.
6 Cf. Remig. Altissiod., *Enarr. in Psalm.* 39, 8 (PL 131, 355): « Ego secundum humanitatem sum liber, ad quod exemplar omnes libri scribuntur, id est ad cuius conformationem omnes iusti fiunt ».
7 Psalm. 39, 8.
8 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 903); Lombardi, in h. l. (PL 191, 403).
9 *Moral.*, XXIV, c. 8, n. 16 (PL 76, 295).
10 PL 41, 680.
11 PL 41, 681.

5. Si dicatur quod secundum rem tota Trinitas dicitur liber vitae, sed Filius per appropriationem – contra: videtur quod potius Spiritui Sancto debeat appropriari, quia liber iste dicitur liber vitae, vita autem pertinet ad bonitatem, bonitas autem [a] Spiritui Sancto appropriatur, quia *Spiritus est, qui vivificat,* Ioan. 6,64; ergo liber vitae debet appropriari Spiritui Sancto. — Similiter videtur quod debeat appropriari Patri: proprium enim est libri continere scripturam ad memoriam; sed memoria appropriatur Patri; ergo ei debet liber appropriari.

Respondeo: 1-4. Liber potest duobus modis considerari et eius intentio duobus modis ad divina transferri, scilicet quantum ad scriptionem et quantum ad lectionem. Si consideratur quantum ad scriptionem, dicitur liber vitae notitia expressa ab alio; si vero consideratur quantum ad lectionem, sic dicitur liber vitae notitia expressa ad alium. Primo modo convenit Filio quod sit liber vitae, quia Filius est notitia expressa ab alio [1], quia est imago Patris et similitudo expressa; et hoc modo loquitur illa Glossa, super illud Psalmi: *In capite libri scriptum est de me* [b] etc.; convenit ergo hoc modo [c] soli Filio quod sit liber vitae. Alio modo dicitur notitia expressa ad alium: hoc modo tota Trinitas dicitur liber vitae, quia connotat respectum ad creaturam. — Et per hoc patet responsio ad obiecta.

5. Ad illud tamen quod obicitur de appropriatione: dicendum quod Spiritus Sanctus dicitur donum vitae; quia ergo liber vitae dicit potius notitiam vitae quam donum vitae, potius debet appropriari liber vitae Filio quam Spiritui Sancto. — Ad illud quod obicitur quod 'debet appropriari Patri [d] ratione memoriae', dicendum quod duplex est memoria: est enim quaedam [e] memoria non facta, quae est principium notitiae, prima scilicet similitudo veritatis impressa in anima, ex qua generatur notitia, et non est ab alio aliquo quod sit in anima eo [f] modo essendi quo dicitur quod notitia est a memoria et amor sive voluntas a notitia et memoria; alio modo dicitur memoria facta quae sequitur ad notitiam. Memoria ergo primo modo dicta [g] appropriatur Patri, non secundo modo; liber autem vitae dicitur ad similitudinem illius memoriae quae fit ex notitia: et ideo non convenit Patri [h] quod ei approprietur liber ratione memoriae, quia illa memoria, ad cuius similitudinem dicitur liber, non appropriatur illi.

257

MEMBRUM II.

Quid dicatur liber vitae.

Deinde quaeritur quid dicatur liber vitae. Et est [i] ista quaestio de intentione nominis libri secundum quod dicitur liber vitae in Deo.

Circa hoc sic obicitur: I. 1. « Omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt [2] »; liber autem materialis dicitur a scriptura; scriptura autem fit tripliciter: in cera, in libro, in speculo; et dicatur large scriptura, quia secundum consuetum modum loquendi non dicimus quod scribatur in speculo, sed liceat ita loqui. Quaeritur ergo ad cuius similitudinem dicatur aliquid scribi in libro vitae sive in Deo. Non enim videtur posse transferri per similitudinem quae est in cera, quia illa est secundum divisionem partium; in Deo autem non cadit ratio partis [k] et totius. Similiter nec videtur fieri per similitudinem scripturae [l] quae fit in libro, quia illa est per receptionem et compositionem; nihil autem [m] Deo potest addi nec aliquid de novo potest recipere. Item, nec secundum similitudinem istius scripturae sive repraesentationis quae fit in [n] speculo, quia quod quandoque apparet in speculo, postea disparet [3]; non autem [o] sic est in Deo, quia *apud* Deum *non est transmutatio* [4]. — Praeterea, de illo de quo magis videretur, scilicet quod legatur [p] in libro vitae sicut in speculo, ostenditur quod non potest esse. Quamvis enim vestigium Creatoris reluceat in creatura, quia Creator imprimit aliquid quod ipsum repraesentat, non tamen potest dici e converso, quod scilicet a [q] creatura aliquid reluceat in Creatore [r]: nullam enim actionem [s] potest habere creatura in Creatorem nec aliquam facere impressionem; in speculo vero relucet idolum obiecti ex oppositione obiecti; non ergo dicitur liber vitae, prout est in Deo, ad similitudinem speculi.

---

[a] L om. [b] BRLF om. *s. e. d. m.* [c] PVS om. *h. m.* [d] L om. [e] BRLF om. [f] S om. [g] PV *tantum,* quod S corr. [h] PV om. *non secundo... Patri,* quod in S est add. mg. [i] S om. [k] PVS *partium.* [l] L om. [m] PVS add. *in,* P post *Deo* add. *est.* [n] PV (exp. *in*) *a.* [o] F *quando.* [p] F *legat.* [q] R om. [r] BRLF *creatorem.* [s] Ita BR, alii *activam.*

1 Cf. Abael., *In Epist. ad Rom.,* c. 8 (PL 178, 906).
2 Aristot., *Topic.,* VI, c. 2 (I, 236).
3 Cf. Iac. 1, 23 sq.
4 Cf. Iac. 1, 17.

2. Item, mens divina est exemplar in quo sunt rationes omnium creaturarum, illae autem rationes sunt aeternae [1]; sed quod scribitur, de novo advenit et imprimitur; in Deo autem nihil de novo advenit vel imprimitur [a], immo omnia in eo relucent ab aeterno; ergo intentio scripturae seu libri repugnat Deo.

3. Item, quaeritur quare dicitur liber iste liber vitae. Cum enim liber iste pertineat ad sapientiam, potius deberet dici liber sapientiae quam liber vitae.

4. Item, nos dicimur in Deo vivere tripliciter: proprie, vita gloriae, Ioan. 17,3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum et quem misisti, Iesum Christum;* item communiter, vita naturae, Act. 17,28: *In ipso vivimus, movemur et sumus;* item, tertio modo, communissime [b], scilicet vita exemplari sive causali, Ioan. 1,3-4: *Quod factum est, in ipso vita erat* [2]. Quaeritur ergo secundum quam intentionem seu rationem vitae dicitur liber vitae.

II. Item, quaeritur utrum iste liber possit dici liber mortis sicut liber vitae.

Et videtur quod sic: 1. Quia « liber vitae est praescientia Dei [3] »; sed praescientia Dei [c] aeque est respectu mortis sicut [d] respectu vitae; ergo liber iste potest dici liber mortis sicut dicitur [e] liber vitae.

2. Item, liber iste lucidissime monstrat vitam; ergo simul [f] ex opposito monstrat mortem; sed quia monstrat vitam, dicitur liber vitae; ergo quia monstrat mortem, dicetur liber mortis.

3. Item, contrariorum eadem est ars et disciplina [4]; unde eodem [g] cognoscitur sanum et aegrum, rectum et obliquum: unde etiam rectum est [h] iudex sui et obliqui [5]; ergo similiter eodem [i] cognoscitur vita et mors; sed dicitur liber, eo quod in ipso legitur aliquid et [k] cognoscitur, et [l] dicitur liber vitae, quia in eo cognoscitur vita; ergo similiter dicetur liber mortis, cum in eo cognoscatur mors.

4. Si dicatur quod liber vitae dicitur et non mortis, quia causa est vitae et non mortis, liber autem non solum importat notitiam, sed cum notitia sonat in causam – contra: Rom. 9,23, super illud: *Ut ostenderet divitias gloriae suae,* Glossa [6]: « De iustitia iudicat Deus, non de praescientia, quia iustitia, non praescientia, causa est quare aliquis apud Deum dignus sit vita ». Ergo praescientia non dicit causam [7]; sed liber vitae est praescientia Dei; ergo liber vitae non dicit causam; ergo aeque potest dici quod sit liber mortis sicut vitae, nec remanet propter rationem causae.

Respondeo: I. Ad primum quod quaeritur 'secundum quam rationem transferatur ad divina': dicendum quod liber in divinis dicitur et ratione scripturae et ratione lectionis. Ratione scripturae, non quae fiat temporaliter, sed quae stat aeternaliter. Nec dicitur hoc penes similitudinem exteriorem alicuius scripturae exterioris, sed penes similitudinem scripturae interioris, scilicet speculi seu imaginis, hoc est penes imaginem in anima, ut dicatur una potentia in anima, in qua primo est similitudo Dei indita, scilicet memoria, et ex ipsa generatur intelligentia, et ex istis duobus procedit amor. Unde non dicitur liber in Deo secundum similitudinem scripturae quae fit in cera vel in pergameno, sed ad similitudinem illam quae fit in speculo; Filius enim Dei speculum dicitur, Sap. 7,26: *Candor est* [m] *enim lucis aeternae et speculum sine macula* [8]. Et dicitur speculum, non ad similitudinem speculi exterioris, sed interioris [n], scilicet imaginis quae est in anima [9], hoc modo: ut intelligatur Pater primus fons formarum [10] in sua essentia, ista eadem potest considerari ut est in Filio habente istas formas a Patre et ut a Patre resultant in Filio, et secundum hoc potest dici Filius speculum, non quia aliquid resultet in eo a creatura, sed quia resultant in eo rationes aeternae a Patre. Et ita patet quomodo liber dicatur ratione scripturae quae est in speculo.

Item, dicitur liber ratione lectionis quae est in libro, quia ibi leguntur et repraesentantur omnes formae sive rationes viventes et aeternae. Et notandum quod Dei notitia dicitur pluribus modis [11]: dicitur enim scientia et praescientia et sapientia, dicitur etiam providentia, dispositio, et tamen idem est quod subest, scilicet divina essentia ut notitia. Sed scientia dicit divinam notitiam absolute, ut est praesentium et absentium, bonorum et malorum; praescientia vero, ratione praepositionis 'prae', dicit notitiam futurorum tantum; sapientia vero dicit notitiam bonorum tantum [o],

---

[a] S om. *in Deo... imprimitur.* [b] V *convenientissime*, L om. *modo.* [c] BRLF om. [d] L *et.* [e] F om. [f] V *similiter.* [g] PVS add. *modo.* [h] P om. [i] V add. *modo.* [k] L om *l. a. e.*, F om. *aliquid.* [l] L *ergo.* [m] PVS om. [n] F *interioris sed exterioris* pro *e. s. i.* [o] L om. *sapientia vero... tantum*, quod in V est add. mg.

1 Cf. supra, p. 258, num. 175.
2 Cf. supra, p. 259b, *ad 2* et infra, num. 259.
3 *Glossa ordin., In Apoc.* 20, 12 (PL 114, 745).
4 Cf. Aristot., *Anal. prior.*, I, c. 1 (I, 39).
5 Cf. Aristot., *De anima*, I, c. 5 (III, 443).
6 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1468), ex Ambrosio, in h. l. (PL 17, 135).
7 Cf. supra, p. 268, num. 182.
8 Cf. Augustin., *Sermo* 117, c. 8 (PL 38, 667).
9 Cf. Augustin., *De Trinit.*, X, c. 12 (PL 42, 984).
10 Cf. Augustin., *De div. quaest. 83*, q. 23 (PL 40, 16 sqq.); *Sermo* 117, c. 2 (PL 38, 662).
11 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 35, cc. 1-6 (p. 220 sq.); et supra, p. 245b, IV.

quia Deus non sapit, id est non approbat mala, suum autem sapere est suum approbare; dispositio autem dicit notitiam, ut est ars faciendorum; providentia, ut [a] est gubernandorum eorum [b] quae iam facta sunt, rationalium et irrationalium, generaliter omnium [1]; praedestinatio vero dicit notitiam rationalium tantum ordinandorum ad gratiam in praesenti et gloriam in futuro [2]. Liber vitae dicit notitiam remunerandorum in gloria, et differt a praedestinatione, quia praedestinatio est « praescientia beneficiorum Dei [3] », liber vitae meritorum vitae aeternae. Unde liber vitae proprie respicit quod est in nobis, ut merita nostra; praedestinatio dicit magis quod est in Deo, unde Philip. 4,3: *Quorum nomina sunt in caelis,* Glossa [4]: « Id est merita ».

[Ad obiecta]: 1-2-4. Et per hoc patet solutio ad ea quae opponuntur, quare et quomodo dicitur liber et secundum quam rationem vitae dicitur vita, quia vita accipitur ibi pro vita gloriae, ad quam ordinantur scripti in hoc libro, sicut postea [5] videbitur.

3. Ad illud quod obicitur 'quare non dicitur liber sapientiae, sed vitae': dicendum quod liber vitae dicitur, quia in eo scripta sunt merita vitae aeternae [c]; quia ergo non solum dicit notitiam, sed respectum etiam ad vitam, ideo non dicitur liber sapientiae, sed liber vitae.

II. Ad illud quod quaeritur 'utrum dici debeat liber mortis': dicendum quod non, quia in illo libro non est scripta mors, nec legitur ibi aliquid nisi vita, quia liber vitae dicitur in quantum exemplar, secundum quod dicitur in Psalmo [6], super illud: *In capite libri scriptum est de me,* id est in Deo Patre, qui est caput Christi [7], qui fuit forma iustitiae hominibus. Quia ergo liber iste non est exemplar nisi vitae, non debet dici liber mortis, sed vitae. — Et si obiciatur ex eo quod dicitur Apoc. 20,12: *Alius liber apertus est, qui est vitae* etc., Glossa [8]: « Liber est praescientia Dei, quia tunc scient mali se non esse praedestinatos ad vitam »; ergo in illo libro [d] legent mali quod non sunt praedestinati; ergo legent ibi suam damnationem sive mortem – dicendum quod sicut luce cognoscuntur tenebrae, non tamen ibi videntur [9], sic in libro vitae cognoscetur mors, nec tamen ibi videbitur vel legetur, quia non cognoscetur ibi per essentiam, sed per privationem: quia enim non videbunt ibi [e] se scriptos ad vitam, scient se praescitos ad mortem; et ita non potest dici per se nec proprie liber mortis, sed vitae.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur per illam Glossam Apoc. 20,12: « Liber vitae est praescientia Dei » etc.: dicendum quod liber vitae dicitur praescientia ratione notitiae vitae, non mortis; unde in illa argumentatione est fallacia consequentis. Tamen concedi potest, sicut dictum est [10], quod in libro vitae cognoscuntur mali praesciti ad mortem, sed hoc non est proprie et per se, sed per privationem: sicut rectum est ratio cognoscendi se ipsum et obliquum.

2-3. Similiter dicendum ad illud quod 'contrariorum est eadem disciplina' etc.: quod ex libro vitae intelligitur mors ex opposito, non tamen ibi videtur, quia non est ibi scripta, sed per privationem intelligitur solum.

4. Et per hoc patet responsio ad sequens obiectum.

MEMBRUM III.

Quorum sit liber vitae.

Deinde quaeritur quorum sit liber vitae. Et circa hoc quaeruntur ista:

Primo, utrum [f] liber vitae sit respectu Dei et respectu creaturarum aut [g] respectu creaturarum solum;

secundo, si respectu creaturarum, utrum respectu omnium vel rationabilium solum;

tertio, si respectu [h] rationabilium solum, utrum respectu bonorum et malorum;

quarto, si respectu bonorum tantum, utrum bonorum tantum [i] secundum electionem aut etiam bonorum secundum praesentem iustitiam.

---

[a] R *prout.* [b] R om., in B est add. interl. [c] F *nostre.* [d] R om. [e] PVS om. [f] L *an.* [g] PVS *vel* pro *et... aut.* [h] PVS om. [i] PVS om.

1 Cf. supra, p. 295, num. 203.
2 Cf. supra, p. 318, num. 222.
3 Cf. supra, p. 316b.
4 *Interlin.*; cf. Ambrosiaster, in h. l. (PL 17, 418).
5 Cf. infra, p. 357, num. 263. 6 Psalm. 39, 8.
7 Cf. supra, p. 347, litt. *a* et 348 sub *Respondeo.*
8 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 745); cf. Augustin., *De civit. Dei,* XX, c. 15 (PL 41, 681).
9 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154). 10 Hic parum supra.

CAPUT I. 258

UTRUM LIBER VITAE DICATUR RESPECTU DEI.

Primo igitur quaeritur utrum liber vitae dicatur respectu Dei.

Et videtur quod sic: 1. Quia « liber vitae est notitia Dei », sicut habetur in Glossa[1] super illud Psalmi[2]: *Deleantur de libro viventium;* sed notitia Dei dicitur respectu sui, quia Deus cognoscit se; ergo liber iste dicitur respectu Dei, quia in eo legit se.

2. Item, liber dicitur in quantum repraesentat se; sed Deus maxime repraesentat se sibi et prius repraesentat se quam alia quae sunt in ipso; ergo liber iste dicitur respectu Dei.

Contra: *a.* Philip. 4,3, super illud: *Quorum nomina sunt in libro vitae,* Glossa[3]: « Id est [a] in praedestinatione Dei »; sed praedestinatio non dicitur respectu Dei ita quod praedestinetur; ergo nec liber vitae dicetur respectu Dei.

Respondeo: Liber vitae dicit divinam notitiam, non tamen secundum quamcumque rationem, sed dicit notitiam meritorum vitae aeternae, sicut habetur ex Glossa[4], Philip. 4,3: *Quorum nomina,* « id est merita et praemia, quia veritatem tenent, *sunt scripta in libro vitae,* id est in [b] praedestinatione Dei, quia pro diversitate meritorum diversas habebunt mansiones in aeterna domo ». Quia ergo Deus ex meritis non habet vitam, sed ex se ipso, non potest dici respectu eius liber vitae; sed si extenso nomine diceretur liber vitae [c] in quo legitur vita, ut non dicatur solum vita ex meritis, sed vita quae Deus est, sic potest dici liber respectu Dei, quia in eo legitur vita quae ipse est.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo [d] quod obicitur quod « liber vitae est notitia Dei »: dicendum quod liber vitae non dicitur notitia Dei absolute, sed dicitur notitia respectu meritorum vitae, quae non est in Deo respectu sui, sed respectu creaturae, et ideo non dicitur liber vitae [e] respectu Dei.

2. Ad illud [f] quod obicitur quod 'liber vitae repraesentat se' etc.: dicendum quod Deus [g] repraesentat se sibi et sibi maxime notus est, et ipse est vita; non tamen propter hoc dicitur liber vitae, quia liber vitae est notitia meritorum vitae; unde potius repraesentat liber iste merita vitae quam ipsum Deum. Unde Augustinus, XX *De civitate Dei,* cap. 15[5], exponens illud Apoc.[6]: *Qui non sunt inventi scripti in libro vitae, missi sunt in stagnum ignis et sulphuris,* dicit: « Non Deum [h] liber iste commemorat ne oblivione fallatur, sed praedestinationem eorum significat quibus aeterna dabitur vita; neque enim eos non noscit [i] Deus et in hoc libro legit [k] ut sciat, sed potius eius praescientia de illis, quae falli non potest, liber vitae est, in quo sunt scripti, id est ante praecogniti ».

CAPUT II. 259

UTRUM LIBER VITAE SIT RESPECTU OMNIUM CREATURARUM.

Deinde quaeritur utrum liber vitae [l] sit omnium aut solum rationalium.

Ad quod sic: 1. Ioan. 1,3-4: *Quod factum est, in ipso vita erat,* quia rationes omnium viventium sunt in ipso[7]. Sicut enim arca in mente artificis vivit vita artificis, arca tamen in opere non vivit[8], ita omnia vivunt in Deo et sunt vita in ipso, licet multa [m] non vivant in natura sua; si ergo omnia [n] sunt vita in ipso, quia rationes omnium vivunt [o] in ipso et possunt legi illa in ipso, ergo ipse potest dici liber vitae respectu omnium.

2. Item, Apoc. 3,5, super illud: *Qui vicerit, non delebo eum de libro vitae,* Glossa[9]: « Liber

---

[a] LF *et* pro *i. e.*, quod R om. [b] F om. [c] S om. *sed si... vitae.* [d] B *vero.* [e] LF om. *quae non est... vitae.* [f] F om. [g] F om. [h] P *Domini.* [i] R *nescit.* [k] F *elegit.* [l] Ita V, alii *iste.* [m] R *merita.* [n] PVS om., B add. *ista.* [o] L *sunt.*

1 Cf. supra, p. 346, ad litt. *a.*
2 Psalm. 68, 29.
3 *Interlin.*
4 Lombardi, in h. l. (PL 192, 252); partim etiam habetur in *Interlin.*
5 PL 41, 681.
6 Cap. 20, 15.
7 Cf. Augustin., *De Trinit.*, VI, c. 10 (PL 42, 931), ubi Christus dicitur « ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium ».
8 Cf. Augustin., *In Ioan.*, tr. 1, c. 1, n. 17 (PL 35, 1387); Avicen., *De Intellig.*, c. 1 (f. 64c).
9 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 716).

vitae est praescientia Dei, in quo omnia sunt constantia ». Ergo liber vitae est respectu omnium, quia *omnia constant in ipso* [1].

Contra: *a.* Augustinus, XX *De civitate Dei* [2]: « Liber vitae est praedestinatio eorum quibus aeterna dabitur vita »; sed vita aeterna non omnibus dabitur, sed solum electis hominibus; non ergo liber vitae dicitur respectu omnium creaturarum, sed solum rationalium.

Respondeo: Liber vitae non dicitur [a] respectu cuiuscumque creaturae, sed respectu rationalium tantum. Et notandum quod quaedam dicuntur vivere in se, quaedam in alio. Res enim inanimatae non vivunt in se, sed solum [b] in alio, quia non habent principium vitae in se, sed solum in Deo; et cum dicuntur res vivere in Deo, non dicuntur vivere in sua natura seu in proprio genere, sed in mente divina. Animata vero vivunt in se seu in proprio genere [c]; sed istorum quaedam vivunt vita non libera, quaedam vero vita libera: vita non libera [d] vivunt vegetabilia et sensibilia, quia vegetabilia de necessitate ordinantur ad quosdam actus, sensibilia etiam [e] non moventur secundum libertatem, sed secundum impetum, et ideo nec anima vegetabilis nec sensibilis habet vitam liberam, quia non est domina sui actus: sola enim anima rationalis habet liberam vitam, quia est domina sui actus, et ideo actus eius sunt laudabiles et vituperabiles, et circa hos consistit meritum vel demeritum. Liber ergo vitae non dicitur respectu cuiuscumque vitae, sed respectu vitae quae [f] meritoria potest esse vitae aeternae.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet solutio ad primum.

2. Ad secundum dicendum quod omnia quae sunt in praescientia Dei sunt in ipsa constantia, sicut dicit Glossa Apoc. 3,5. Nec propter hoc sequitur quod omnia sint in libro vitae, quia licet idem sint in essentia liber vitae et praescientia, non tamen quaecumque sunt in praescientia sunt in libro vitae, quia praescientia est respectu futurorum, liber vitae tantum respectu electorum, et ideo non tenet argumentatio.

260 CAPUT III.

UTRUM LIBER VITAE SIT RESPECTU BONORUM ET MALORUM.

Tertio quaeritur utrum liber vitae sit respectu bonorum et malorum.

Et videtur quod non dicatur respectu malorum: *a.* Rom. 9,23 super illud: *Ut ostenderet divitias gloriae suae*, Glossa [3]: « De iustitia iudicat Deus, non de praescientia, quia iustitia, non praescientia, est causa quare aliquis dignus sit vita apud Deum; unde Moysi dixit, Exod. 32,33: *Si quis peccaverit in me, delebo eum de libro meo* etc., ut secundum iustitiam iudicis videatur deleri cum peccat ». Ex hac auctoritate obicitur sic: Si « iustitia [g], non praescientia, est causa quare aliquis dignus sit vita apud Deum », et omnis qui scriptus est in libro [h], in quantum huiusmodi, « dignus est vita », quia liber vitae est notitia dignitatis vitae, ergo solum boni et iusti scripti sunt in libro vitae.

b. Item, qui peccat deletur de libro illo; sed qui deletur non est ibi scriptus; ergo nullus peccator est ibi scriptus; ergo liber vitae non est respectu malorum.

Contra: 1. Luc. 10,20, super illud: *Nomina vestra scripta sunt in caelis*, Glossa [4]: « Si quis terrestria sive caelestia opera gesserit, per hoc quasi litteris annotatus [i] apud Dei memoriam aeternaliter est affixus »; sed nihil aliud est [k] « quasi litteris annotari apud Dei memoriam » quam scribi in libro vitae; ergo qui facit terrestria opera scriptus est in libro vitae [l]; sed qui facit terrestria opera malus est; ergo mali scripti sunt in libro vitae.

2. Item, Philip. 4,3: *Quorum nomina sunt in libro vitae*. Glossa [5]: « Liber vitae est praedestinatio »; sed praedestinatio est de bonis et malis.

3. Item [m], Apoc. 3,5, super illud: *Non delebo eum de libro vitae*, Glossa [6]: « Delet reprobos »; sed quicumque delentur scripti fuerunt; ergo reprobi aliquando scripti sunt in libro vitae.

---

[a] F add. *solum*. [b] F om. [c] B om. *sed in... genere*. [d] F om. *v. n. l.* [e] PVS *autem*. [f] F add. *est*. Huic codici, utpote iam nimis erroribus scatenti, substituitur deinceps codex G, id est Bibl. Nation. Florent. Conv. Sopp., I. III. 9. [g] V add. *et*. [h] L add. *vite*. [i] G *annotatis*. [k] L om. [l] G om. *ergo qui... vitae*. [m] R om.

1 Cf. Colos. 1, 17.
2 Cap. 15 (PL 41, 681).
3 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1468), et *Ordin.*, ap. Lyran., in h. l.
4 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 268), ex Beda, in h. l. (PL 92, 466).
5 *Interlin.*, ex Augustino, *De civit. Dei*, XX, c. 15 (PL 41, 681).
6 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 716).

Solutio: Dicendum quod liber vitae [a] dicitur solum respectu bonorum. Illud enim solum dicitur scribi [b] in libro vitae quod habet notitiam et exemplar in Deo; sed mali, in quantum mali, non habent notitiam et exemplar [c], et ideo mali non possunt dici scripti in libro vitae.

Et si obiciatur [d] quia « liber vitae est praedestinatio », sicut dicit Glossa [1] Philip. 4,3; sed quandoque [e] contingit quod aliquis praedestinatus est malus, ut patet de Magdalena [2] in statu peccati, et ita aliqui mali scripti sunt ibi; non ergo universaliter est verum quod liber vitae sit respectu bonorum – ad hoc dicendum quod malorum alii sunt electi et alii [f] reprobi, et aliter est in his et in illis: quia mali, qui sunt reprobi, nullo modo sunt scripti in libro vitae; mali vero electi [g], etsi quandoque cadant a iustitia, adhuc tamen dicuntur scribi in libro vitae, quia etiam ille casus ordinat eos ad vitam, etsi non causaliter, materialiter tamen sive occasionaliter. Unde Rom. 8,28: *Omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*, Glossa [3]: « Etiam casus, quia post peccata sunt humiliores et etiam ferventiores aliquando, ut patet in Magdalena », « quae etiam recedentibus discipulis non recedebat [4] ». Unde super illud I Esdr. 2,1: *Hi sunt provinciae filii*, Glossa [5]: « Nullus praedestinatus perire in perpetuum potest; si quando enim in Babylonem, id est in confusionem peccatorum, abducuntur [h], divina provisione ad pacem Ecclesiae reducuntur ».

[Ad obiecta]: 1. Ad aliud quod obicitur [6] de malo praedestinato quod « secundum iustitiam iudicis videtur deleri »: dicendum quod facienda est vis in hoc quod dicit [i] « videtur »: videtur enim deleri, sed non deletur. Unde dicit Glossa [7] ibidem sic: « Dicit Dominus [k 8]: *Si quis peccaverit in me, delebo eum de libro meo*, ut secundum iustitiam iudicis videatur deleri, cum peccat; iuxta praescientiam autem nunquam ibi scriptus fuerat », intellige de peccante finaliter. Et sequitur [l]: « E contrario vero [m] aliquis videtur scribi, qui tamen secundum praescientiam nunquam fuit », intellige de praescitis, « qui tamen secundum praesentem iustitiam aliquando sunt boni ». Vult ergo quod praesciti sive reprobi, cum a iustitia praesenti cadunt, videntur deleri de libro vitae, cum tamen ibi nunquam fuerint; similiter cum sunt in statu [a] praesentis iustitiae, videntur ibi [b] scribi, et tamen apud Dei praescientiam nunquam ibi scripti [c] fuerunt. Similiter dicendum [9] de praedestinatis: quia semper scripti sunt, etsi aliquando cadant et ita deleri videantur, nunquam tamen simpliciter [d] vel in veritate delentur. Est enim considerare meritum istius praedestinati ut nunc, scilicet dum est in peccato mortali, vel meritum simpliciter, ut est in praedestinatione aeterna sive [e] divina. Si consideretur meritum istius ut nunc, secundum hoc non potest dici quod [f] sit scriptus in libro vitae; sed si consideretur meritum istius simpliciter, sive ut est in praedestinatione divina [g], sic potest dici scriptus in libro vitae, nec potest deleri quoad meritum; ergo ut nunc videtur deleri, sed tamen quoad meritum [h] simpliciter non deletur.

2. Ad aliud dicendum quod praedestinatio est solum de bonis finaliter, quorum [i] tamen aliqui possunt esse mali ut nunc et cadere a iustitia praesenti, sed tamen resurgent et finaliter erunt boni.

3. Ad ultimum dicendum quod non potest dici proprie quod reprobi scripti sunt in libro vitae. Et ratio huius est quia in libro vitae non dicitur aliquid scribi nisi quod cum effectu ordinat ad vitam; et ideo praedestinati dicuntur scribi [k] in libro vitae, quia tota vita eorum ordinat ad vitam, etiam peccata [l], ut dicitur Rom. 8,28 [10]: ordinat, dico, non ut causa, sed ut occasio vel ut materia. Eodem modo in reprobis tota vita eorum ordinat ad poenam: quod enim creati sunt possibiles [m] ad salutem et quod habent [n] gratiam, totum cedit eis ad poenam propter ingratitudinem. Illud autem quod ordinatur ad poenam, de se non potest dici [o] ordinari ad vitam; solum autem illud quod ordinat [p] ad vitam dicitur scribi in libro vitae: et ideo reprobi non possunt scribi [q] in libro vitae [r], licet sint in praescientia divina. Verumtamen praesens iustitia potest dupliciter considerari: secundum se vel secundum suum exitum. Secundum quod consideratur secundum se, quoad quid potest dici reprobus scriptus in libro vitae: quoad quid vero et non simpliciter dico,

---

[a] GL om. [b] BRGL *scriptum*. [c] S add. *in Deo*, quod V exp. [d] BRGL om. *E. s. o.* [e] B *aliquando*. [f] B add. *sunt*. [g] G *reprobi*, BRGL *et* pro *etsi*. [h] BL *adducuntur*. [i] BRGL *dico*. [k] L *Dionysius*. [l] PV om. [m] B add. *et cum*, R add. *cum*, expuncto *et*, G *autem et cum*, L add. *tunc*, quod V exp.

[a] L *libro*. [b] G *sibi*. [c] S om. [d] G *similiter*, BRGL *nec* pro *vel*. [e] BRGL om. *a. s.* [f] R *ut*. [g] L *divine*. [h] S om. *ergo... meritum*. [i] L *quo*, G *quarum*. [k] BRG *scripti*. [l] G vacat. [m] BRGL *creatus est possibilis* pro *c. s. p.* [n] BRG *habuit*, L *habet*. [o] R om. [p] V *ordinatur*. [q] L om. *n. p. s.* [r] G om. *et ideo... vitae*, quod in V est add. mg.

1 Cf. supra, p. 352, nota 5.
2 Cf. Luc. 7, 37 sqq.
3 Pseudo-Augustin., *Soliloq. animae ad Deum*, c. 28 (PL 40, 886).
4 Cf. Gregor. M., *In Evang.*, hom. 25, n. 1 (PL 76, 1189).
5 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 693), ex Beda, in h. l. (PL 91, 817).
6 Sub litt. *a*.
7 *Ordin.*, ap. Lyran., in Rom. 9, 23, et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1468), ex Ambrosiastro, in h. l. (PL 17, 135).
8 Exod. 32, 33.
9 Cf. Richard. de S. Vict., *In Apoc.*, I, c. 9 (PL 196, 732).
10 Potius in *Glossa* Pseudo-Augustini; cf. supra, nota 3.

id est quoad nunc, non simpliciter, quia gratia nunquam facit simpliciter dignum vita aeterna nisi sit gratia finalis. Si vero consideretur secundum suum exitum, id est quantum ad [a] abusum habentis gratiam, non dicetur propter illum scriptus, quia sequitur casus.

261

CAPUT IV.

UTRUM LIBER VITAE SIT BONORUM TANTUM SECUNDUM ELECTIONEM.

Quarto quaeritur utrum liber vitae sit bonorum tantum secundum electionem aut etiam bonorum secundum praesentem iustitiam.

Ad quod sic: 1. Super illud [b] Rom. 9,23: *Ut ostenderet divitias gloriae suae* [c], dicit Glossa [1]: « Sunt quidam quibus data est gratia [d] in usum, ut Sauli et Iudae et [e] illis discipulis quibus Dominus in Evangelio [f] dixit: *Gaudete et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in caelis,* Luc. 10,20, et postea *abierunt retro,* Ioan. 6,67. Sed haec Dominus de istis dixit propter iustitiam cui deserviebant, ac si diceret 'digni estis vita aeterna', quia erant tunc boni ». Ergo et illi qui sunt reprobi, cum sunt in statu iustitiae, sunt ibi scripti.

Contra: *a.* Super illud Psalmi [2]: *Deleantur de libro viventium,* dicit [g] Glossa [3]: « Non sic accipiendum est tamquam in hoc libro aliquem scribat Deus quem postea deleat, sed sic accipiendum est *de libro viventium* secundum spem illorum qui scriptos se putant, id est constet illis ipsos non esse scriptos ibi ». Ex hoc arguitur: quidquid scribitur in libro vitae, scribitur ibi secundum veritatem; reprobi autem non sunt ibi scripti secundum veritatem, sed secundum suam opinionem, sicut dicit illa Glossa; ergo reprobi non sunt ibi scripti.

b. Item, Apoc. 13,8: *Quorum nomina non sunt scripta in libro vitae* etc.; Interlinearis: « Reprobi tantum ».

c. Item, Apoc. 20,15-9: *Qui non est inventus in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis et sulphuris.* Glossa [4] ibi: « Ad vitam praedestinatus ». Ergo esse scriptum est esse praedestinatum; ergo solum praedestinati sunt scripti; non ergo reprobi.

Solutio: Dicendum, secundum Glossam [5] Rom. 9,23: dicitur aliquid scribi in libro vitae dupliciter: simpliciter et secundum quid. Simpliciter ibi scribuntur illi qui habent perseverantiam finalem in gratia. Secundum quid vero dicuntur ibi scribi reprobi, cum habent praesentem iustitiam, quia sunt ibi scripti secundum suam et aliorum opinionem, sicut patet ex Glossa Rom. 9,23, quae etiam posita est [h] in Problemate praecedenti [6]. Dicendum ergo quod aliqui dicuntur scribi in libro vitae secundum praesentem iustitiam, aliqui secundum praescientiam. Illi enim qui dicuntur scribi secundum praescientiam, scripti sunt simpliciter; qui vero secundum praesentem iustitiam, secundum quid solum, scilicet [i] secundum suam opinionem, sicut dicitur in Glossa, super illud Psalmi: *Deleantur* [7] etc.

Si vero opponatur quod [k] in Deo est praescientia iustitiae praesentis sicut et finalis, ergo simpliciter possunt dici scripti [l] in libro vitae [m] propter iustitiam praesentem; ibi etiam est praescientia poenarum: numquid etiam iuxta hoc dicuntur scripti [n]? Dicendum iuxta illud quod dicitur, Apoc. 20,12: *Et alius liber apertus est, qui est vitae: et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris.* Unde proprie dicitur liber iste liber vitae: Deus enim habet proprium quod secundum ipsum est, scilicet salvare et praemiare; ex ipso vero proprie sive secundum ipsum non est punire, sed ex nobis et ex meritis nostris: *Non enim ex corde humiliavit Deus* [o] *et abiecit filios hominum,* Thren. 3,33; sed quia nihil relinquit inordinatum, quia mali nolunt esse sub ordine misericordiae salvantis, cadunt sub ordine iustitiae punientis. Unde Boethius [8]: « Ordo quidem omnia complectitur, ut si quis ab assignato ordine recesserit, in alium ordinem relabatur ». Non est ergo simile de poena et [p] praemio, quia praemia secundum ipsum sunt: et ideo proprie dicitur liber vitae et praemia scripta in ipso; poenae vero non primo ab ipso, sed secundum nos sunt: ideo poenae non dicuntur proprie scribi in eo; non ergo ita est de poena sicut de praemio, nec dicitur ita liber poenarum sicut [q] praemiorum. — Ad aliud dicendum quod est in Deo praescientia

---

[a] L *in quantum* pro *i. e. q. a.* [b] R om. *s. i.* [c] BRG om. [d] PVSBG add. *ut,* quod L om., R exp. [e] BL *ut.* [f] PVS om. *i. E.* [g] BRGL om. [h] L om. [i] B *id est,* R om. [k] B om. [l] PVS *potest dici scriptus* pro *p. d. s.* [m] BRGL om. [n] PVS *dicetur scriptus* pro *d. s.* [o] PVS om. [p] R add. *de.* [q] V *et,* G *sive,* L add. *liber.*

[1] *Ordin.*, ap. Lyran., in h. l. et Lombardi, in Rom. 9, 13 (PL 191, 1467), ex Ambrosiastro, in h. l. (PL 17, 135); cf. Abael., *Sic et non,* c. 26 (PL 178, 1386).

[2] Psalm. 68, 29.

[3] Lombardi, in h. l. (PL 191, 639), ex Augustino, *Enarr.*, in h. l., n. 13 (PL 36, 862sq.).

[4] Haymo, in h. l. (PL 117, 1191); cf. Richard. de S. Vict., *In Apoc.*, VI, c. 8 (PL 196, 858).

[5] Cf. nota 1.

[6] Cf. supra, p. 352, nota 3.

[7] Cf. sub litt. *a.*

[8] *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 820).

iustitiae praesentis; nec dicitur scribi in libro vitae, quia non est [a] finalis, sed ad tempus [1]; quidquid autem scribitur, inviolabiliter ibi scribitur [b].

[Ad obiecta]: 1. Ad aliud quod obicitur ex auctoritate Luc. 10,20: dicendum [c] quod aliud est scribi in caelo, aliud [d] scribi in libro vitae. Nam in caelo bene dicuntur scribi quicumque habent iustitiam et gratiam, sicut dicit Glossa illa Rom. 9,23; in libro autem vitae solum scribuntur, qui habent iustitiam finalem.

MEMBRUM IV.

Quomodo se habeat liber vitae.

Consequenter quaeritur quomodo se habet liber vitae.
Et quaeruntur tria:

Primo, quomodo se habeat ad scriptionem;
secundo, quomodo [e] ad deletionem;
tertio, quomodo [f] ad lectionem.

CAPUT I. 262

QUOMODO SE HABEAT LIBER VITAE QUANTUM AD SCRIPTIONEM.

Quantum ad primum quaeritur utrum aliquis, qui non est scriptus, possit facere quod sit scriptus.

Et videtur quod sic: 1. Quia potest facere quod in se est; sed si faciat quod in se est, Deus dabit ei [g] gratiam; et si habet gratiam, potest eam custodire et ita perseverare; et si perseverat, habebit vitam aeternam [2]; ergo praescitus potest habere vitam aeternam; sed omnis qui habebit vitam aeternam, scriptus est in libro vitae; et iste potest habere vitam aeternam; ergo potest scribi in libro vitae qui non est scriptus.

2. Item, Apoc. 3,11: *Tene quod habes,* ne alius *accipiat coronam tuam.* « Corona dicitur vita aeterna [3] ». Ergo potest aliquis, qui non est scriptus [h], accipere coronam alterius; ergo potest scribi.

Contra: *a.* Praescitus non potest salvari; ergo non potest scribi [i]. — Si dicatur quod haec est [k] duplex 'praescitus potest salvari', sicut haec 'album possibile est esse nigrum': nam si intelligatur de re, vera est; si de dicto, falsa [4] — contra: haec distinctio solum vera est, ubi formae contrariae sibi possunt succedere. Si enim istae formae [l], albedo et nigredo, non sibi possent circa idem subiectum succedere, nunquam esset ista vera 'album potest esse nigrum' nec de re nec de dicto; sed 'esse praescitum' et 'esse praedestinatum' non possunt sibi succedere circa idem subiectum; ergo ista [m] nullo modo potest esse vera 'praescitus potest esse praedestinatus sive salvari'; ergo praescitus nullo modo potest facere quod [n] sit scriptus in libro vitae.

b. Item, si aliqua conditionalis est vera, si antecedens est necessarium, et consequens [5]; sed ista conditionalis est vera 'si iste est praescitus, damnabitur', et antecedens est necessarium, scilicet quod iste sit praescitus — qui enim praescitus est non potest non esse praescitus [6]: ista enim est de praeterito vera; ergo est necessaria — ergo similiter consequens erit necessarium, scilicet quod iste damnabitur; ergo nullo modo potest salvari; ergo nullo modo potest [o] in libro vitae scribi.

c. Item, I Esdr. 2,1 super illud: *Hi sunt provinciae filii* etc., Glossa [7]: « Nullus praedestinatus [p] perire in perpetuum [q] potest: si quando enim in Babylonem, id est in confusionem peccati, abducuntur [r], per societatem iustorum ad pacem Ecclesiae reducuntur ». Si ergo nullus praedestinatus perire potest, ergo similiter nullus praescitus salvari potest [s]; ergo neque scribi in libro vitae.

Respondeo quod nullus reprobus [t] secundum veritatem potest scribi in libro vitae nec potest facere quod scribatur ibi; tamen [u] secundum suam opinionem potest ibi esse scriptus, sicut dicitur in Glossa: *Deleantur* [v 8] etc.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod 'iste praescitus potest salvari, ergo potest scribi in libro vitae': dicendum [9] quod haec est duplex 'iste praescitus potest salvari'. Si enim composita intelligatur, falsa est; si divisa, vera: sicut

---

[a] G om. [b] PVSL *dicitur.* [c] RG add. *est.* [d] R add. *enim est,* G om. *i. c. a. s.* [e] L add. *se habeat.* [f] L add. *se habeat.* [g] G *sibi,* L *illi.* [h] PV *prescriptus.* [i] PV *prescribi.* [k] G om. [l] P add. mg. *contrarie.* [m] B om. [n] BRGL *ut.* [o] PVS om. [p] BRG *prescitus.* [q] L *infinitum.* [r] PVSL *adducuntur.* [s] BR om. [t] L *prescitus.* [u] G *non.* [v] L add. *de libro.*

1 Cf. Richard. de S. Vict., *In Apoc.*, l, c. 9 (PL 196, 731).
2 Cf. supra, p. 322, n. 1.
3 Alan., *Dist. dict. theol.* (PL 216, 752).
4 Cf. supra, p. 327sq.
5 Cf. supra, p. 269, nota 3.
6 Cf. supra, p. 272a, *ad 2.*
7 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 693), ex Beda, in h. l. (PL 91, 817); cf. supra, p. 353, nota 5.
8 Cf. supra, p. 354, sub litt. *a.*
9 Cf. supra, p. 327sq.

haec 'album potest esse nigrum'; nam in isto praescito est potentia ut salvetur, quia quantum est de se, salvabilis [a] est; sed si ponitur quod salvetur, iam ponitur non esse praescitus, et ita ponitur quod sit scriptus.

2. Ad illud Apoc. 3, 11: *Ut nemo accipiat coronam tuam* [b]: dicendum quod loquitur habito respectu ad praesentem iustitiam. Alicui enim secundum praesentem iustitiam debetur corona, si perseverat [c], quam accipiet alius si cadat finaliter, quia dicit Hilarius [1]: Cum «certus sit numerus electorum», aliis per negligentiam cadentibus alii in locum illorum subrogantur [d], in locum illorum, dico, quem haberent si stetissent. Sermo igitur ille: *Tene quod habes* conditionem importat, quasi dicat: 'si perseveres, locus, qui iam secundum praesentem iustitiam tuus est, non auferetur tibi'; sed ex hoc non sequitur quod non-scriptus in libro vitae possit [e] scribi, quia si scriptus est, stabit; si non, non stabit. — Vel, ut dicunt [2], loquitur pro statu [f] Iudaeorum et Gentium, non autem pro statu singularis [g] personae: Iudaeis enim fuit corona promissa cum [h] conditione tamen si Deo adhaererent, quam, illis a Deo recedentibus, acceperunt Gentes, Rom. 11, 17: *Aliqui ex ramis fracti sunt; tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis;* et infra dicitur ibidem [3]: *Caecitas contigit ex parte in Israel, donec plenitudo Gentium intraret* [i].

a. Ad illud [k] quod obicitur quod istae formae 'esse praescitum' et 'esse praedestinatum' non sibi invicem possunt succedere etc.: dicendum quod praescientia vel praedestinatio nihil ponunt in praescito vel [l] praedestinato [4], sicut laudatum non [m] ponit aliquid in eo qui laudatur, sed in eo qui laudat. Cum ergo dicitur 'iste est praescitus', non ponitur aliquid in isto, sed in Deo; unde praescientia non est causa aliqua in damnandis quare damnantur: «sicut enim memoria non cogit ea quae [n] praeterierunt, sic nec praescientia [o] ea quae futura sunt [5]»; Deus tamen necessario scit istum esse damnandum, quia omnia sunt in scientia Dei immutabiliter [6]; sed tamen iste non est necessario damnandus, immo contingenter, quia a suo libero arbitrio. Nec est simile de istis formis 'albedo' et 'nigredo', quia aliquid ponunt in subiecto, praedestinatio autem et praescientia nihil ponunt; ideo si istae formae non succederent, albedo et nigredo, non posset haec esse vera 'album potest esse nigrum'; haec autem potest esse vera 'iste qui est praescitus potest salvari', licet formae illae non sibi succedant in subiecto, quia illae nihil ponunt in subiecto, sed in Deo [p].

b. Ad aliud [b] quod obicitur quod haec [c] est necessaria 'iste est praescitus': dicendum quod si necessitas referatur ad praescientiam in comparatione vel [d] relatione ad praescientem sive ad illum cuius est praescientia, vera [e] est; si in comparatione ad praescitum sive de quo est praescientia, falsa est. Praescientia enim semper una est et invariabilis, quantum in se est, sicut ipse est, tamen praescitum de contingentibus est. Unde a parte istius de quo est praescientia non est necessitas, quia iste operatur secundum liberum arbitrium et operatur contingenter; et contingentia sunt merita vel [f] demerita, et potest, si vult, facere opera pro quibus damnabitur et opera pro quibus salvabitur. Unde [g] haec est duplex 'iste praescitus necessario damnabitur' et haec similiter 'iste [h] praedestinatus necessario salvabitur': compositae enim falsae sunt, divisae verae, ut habitum est supra [7].

Ad aliud [i] quod obicitur quod haec conditionalis est vera 'si Deus praevidit istum [k] damnandum, iste damnabitur; sed antecedens [l] est necessarium; ergo et consequens': dicendum quod iste est sensus huius locutionis: 'Deus praescivit istum [m] damnandum', id est 'Deus scit istum [n] futurum damnandum', et ex hoc bene sequitur: 'iste [o] damnabitur'; hoc autem non [p] est ratione scientiae, quia ipse scit *ea quae non sunt* sicut *ea quae sunt* [8]; sequitur tamen ratione futuritionis, quia 'si est futurus damnandus, damnabitur'; haec autem intentio importatur per praepositionem [q] 'prae', cum dicitur 'praescit istum damnandum'. Cum ergo dicitur [r] 'antecedens est necessarium, ergo consequens', distinguendum est [s]: quia cum dicitur 'antecedens est [t] necessarium', scilicet [u] 'Deus scit istum futurum sive fore [v] damnandum', necessitas potest referri ad hoc verbum 'scit', et sic est vera, quia Deus immutabiliter scit istum damnandum; vel [x] potest

---

[a] P *sanabilis.* [b] G *Tene quod habes etc.* pro *Ut... tuam.* [c] VG *perseveraret.* [d] G *subiunguntur.* [e] G add. *ibi.* [f] P *post status* pro *p. s.*, quod V corr. [g] P *singulari.* [h] VG *de*, quod P corr. [i] BRL om. totum hoc argumentum: *Ad illud Apoc.... intraret;* in G est add. mg. littera cursiva. [k] PS *aliud.* [l] L add. *in.* [m] V (corr.) *laudatio nihil* pro *l. n.* et om. *aliquid.* [n] L *eos qui* pro *e. q.* [o] S *scientia*, G *vero* pro *nec.*

[a] B om. *s. i. D.* [b] V *illud.* [c] L om., PVSL add. *non.* [d] G add. *in.* [e] PVSL *verum*, RG *sed si* pro *si.* [f] P *et.* [g] P om. [h] G add. *prescitus.* [i] PS *illud.* [k] PV add. *necessario*, quod S exp. [l] L add. *non.* [m] V add. *esse.* [n] G om. [o] BRGL *ergo.* [p] B om. [q] G *privationem.* [r] RG om., in B est add. interl. [s] BRGL om. [t] PVS om. [u] PVS *si*, quod L corr. [v] BRGL om. *s. f.* [x] BR add. *hoc*, G *nihil.*

1 *Tract. in Psalm. 138*, n. 39 (PL 9, 812); cf. Augustin., *De corrept. et grat.*, c. 13, n. 39 (PL 44, 940); Lombard., I *Sent.*, d. 40, c. 1 (p. 249).

2 Cf. Richard. de S. Vict., *In Apoc.*, I, c. 9 (PL 196, 732).

3 Rom. 11, 25.

4 Cf. supra, num. 184 et 232.

5 Cf. Augustin., *De lib. arbit.*, III, c. 4, n. 11 (PL 32, 1276).

6 Cf. supra, num. 180.

7 Cf. p. 327 sq.

8 Rom. 4, 17.

referri ad hoc verbum 'fore' sive ad hoc participium 'futurum', et sic est falsa, quia tunc is est sensus: 'Deus scit istum necessario futurum sive fore damnandum'; consequentia vero unius propositionis ad alteram non erat ratione scientiae, sed ratione futuritionis, necessitas vero est [a] in scientia, non in futuritione; et ideo non tenet cum necessitate illa consequentia, sicut sine [b]: ideo non valet illa argumentatio. Similiter distinguenda est passiva haec, scilicet 'iste est [c] necessario scitus futurus damnandus'. — Aliter autem potest distingui, sed forte [d] in idem redit: 'Deus scit necessario istum futurum damnandum', quia si haec dictio 'necessario' determinet hoc verbum 'scire' per comparationem ad scientem, sic est vera; si per comparationem ad scitum, falsa. Similiter potest distingui in omnibus contingentibus quae exprimuntur sciri scientia Dei. Similiter distinguenda est haec 'istum praescitum est necessarium damnari', quia cum dico 'iste praescitus necessario damnabitur', potest de isto 'necessario' affirmari quod dicitur de praeterito vel quod dicitur de futuro, et necessitas ad hoc vel ad [e] illud referri. Si enim referatur necessitas ad id quod dicitur de praeterito, vera est; si ad id quod dicitur de futuro, falsa.

CAPUT II. 263

QUOMODO SE HABEAT LIBER VITAE QUANTUM AD DELETIONEM.

Deinde quaeritur quomodo se habet liber vitae quantum ad deletionem. Et quaeritur si aliquid, quod sit scriptum in libro vitae, possit deleri de illo.

Et videtur quod sic: 1. Exod. 32,33: *Qui peccaverit in me, delebo eum de libro meo;* sed multi peccant; ergo multi delentur.

2. Item, Psalm. [1]: *Deleantur de libro viventium.*

3. Item, Apoc. 3,5: *Qui vicerit, non delebo* eum *de libro* meo. Glossa [2]: « Delet reprobos, secundum illud [3]: *Induravit Dominus cor Pharaonis* ».

4. Item, hoc idem videtur per rationem: quia praedestinatus potest peccare et non est necessitate bonus, et potest in peccato perseverare; ergo potest damnari; ergo potest non esse scriptus in libro vitae; et fuit scriptus, quia omnis praedestinatus est scriptus; ergo aliquis scriptus potest deleri.

Contra: *a.* Apoc. 3,5, super illud: *Non delebo* eum *de libro vitae;* Glossa [4]: « Liber vitae est praescientia Dei, in quo omnia sunt constantia ». Ergo nihil potest deleri de illo.

b. Item [f], Iac. 1,17: *Apud* ipsum *non est transmutatio.* Ergo nullus scriptus in eo [g] potest deleri.

Respondeo: Dicendum [h] quod dupliciter potest aliquis [i] dici deleri de libro vitae: vel quantum ad ordinem subiectum divinae praescientiae vel quantum ad notitiam divinae praescientiae. Quantum ad notitiam divinae praescientiae, nunquam contingit aliquem deleri de libro vitae, quia divina scientia non potest mutari [5]; quantum vero ad ordinem subiectum divinae praescientiae, sic contingit deleri et non deleri. In divina enim praescientia est quod quilibet homo ex conditione sua est possibilis ad vitam: « non enim in puniendo plasmavit nos Deus », sicut dicit Damascenus [6]. In natura ergo [k] est quidam ordo ad vitam beatam; sed in multis ista possibilitas nunquam disponitur, ut in illis qui nunquam habent gratiam; in quibusdam vero disponitur, in illis scilicet [l] quibus dispositio datur, scilicet gratia qua digni sunt vita beata; sed ulterius in aliquibus ponitur quasi [m] necessitas ad vitam, scilicet in illis qui habent perseverantiam finalem. Unde sicut ponitur materiae triplex status, quo primo est ut potentia, deinde ut dispositio, tertio ut necessitas ad formam: similiter est in parte ista quod [n] ex conditione naturae est potentia ad vitam, ex superadditione gratiae est dispositio, ex perseverantia finali est necessitas ad vitam. Primus ergo ordo frustratur in reprobis postquam sunt damnati, quia iam non sunt possibiles ad vitam; secundus vero ordo [o] frustratur in illis qui nunquam habent gratiam et in illis qui cadunt a gratia quam habuerunt; cadunt ergo ab ordine quo dispositi erant ad vitam et quantum ad hoc delentur: in ratione enim aeterna erat quod faceret istum possibilem [p] ad vitam et quod etiam adderet ulterius gratiae dispositionem: et [q] ista duo possunt frustrari. Nam tertius ordo nunquam frustratur, quin scilicet iste qui habet perseverantiam, habeat vitam; et ideo quantum ad istum ordinem non potest dici quod fiat deletio. Sed, quia alii duo ordines frustrantur, ideo quantum

[a] BG om., in R est add. interl. [b] G *in fine.* [c] L om. [d] PV add. *non,* quod S exp. [e] P om., RG *aliud.* [f] PVS om. [g] S *Deo,* L *illo.* [h] R om. [i] Ita L, alii *aliquid,* GL om. *dici.* [k] S om. [l] S om. [m] G *quod.* [n] V *quia.* [o] P om. [p] G *principalem.* [q] PVS om.

[1] Psalm. 68, 29.
[2] *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 716).
[3] Cf. Exod. 10, 20.
[4] *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 716); cf. Colos. 1, 17.
[5] Cf. supra, num. 187.
[6] *De fide orthod.,* II, c. 29 (PG 94, 970).

ad illos fit deletio: unde subtractio gratiae est quaedam deletio, secundum quod dicitur in Glossa[1] super illud Apoc. 3,5: *Qui vicerit, non delebo* eum *de libro* meo, « id est non subtraham gratiam »; similiter damnatio est quaedam deletio, quia tunc frustratur possibilitas ad vitam, quae semper fuit in homine dum viveret, quia de nemine desperandum est dum est in via, sicut dicit Augustinus[2]; et ita accipitur deletio [a] in Psalmo[3], cum dicitur: *Deleantur de libro viventium.* Glossa[4]: « Secundum [b] spem illorum qui scriptos se putant, id est constet ipsis non ibi [c] esse scriptos »; tunc enim ulterius non habebunt spem de salute. Sed quantum ad tertium ordinem numquam est deletio: et ideo [cum] dicitur quod nullus praedestinatus potest perire in perpetuum, hoc quod dico 'praedestinatum' importat gratiam finalem.

Ad obiecta ergo respondendum. 1. Ad primum quod obicitur per illud: *Qui peccaverit in me, delebo eum* etc.[d]: dicendum quod hoc [e] verum est quantum ad secundum ordinem subiectum divinae notitiae, quia erat dispositus ad vitam; nec etiam mutatur divina notitia, cui hoc semper fuit notum.

2. Similiter patet responsio ad secundum quod obicitur. Cum enim dicitur: *Deleantur de libro viventium,* hoc dicitur secundum primum ordinem, quo [f] salvabiles facti erant et ideo spem de salute habere poterant; sed dum damnantur, frustratur [g] illa potentia et spes [h] per consequens; unde dicit Glossa[5] super illud: *Deleantur:* « Scilicet [i] quantum ad spem suam ».

3. Similiter [k] ad tertium quod dicit Glossa Apoc. 3,5 « delet [l] reprobos »: verum est quantum ad primum ordinem vel quantum ad secundum, cum, meritis eorum exigentibus, gratia subtrahatur.

4. Ad quartum quod obicitur quod 'praedestinatus potest peccare, ergo potest deleri': dicendum quod est loqui de isto qui est praedestinatus vel de isto ut est praedestinatus. Loquendo enim de isto qui [m] est praedestinatus [n], verum est quod potest peccare; tamen loquendo de isto ut est praedestinatus, non potest finaliter peccare. Et dicendum quod secundum primum modum [o] potest non esse scriptus in libro vitae, non tamen mutatur scientia vel notitia, sed mutantur subiecta divinae scientiae sive praescientiae, quia praescientia non est causa rerum nec etiam causata a rebus[6].

CAPUT III.

QUOMODO SE HABEAT LIBER VITAE QUANTUM AD LECTIONEM.

Consequenter quaeritur quomodo liber vitae se habet quantum ad lectionem [p]. Circa hoc autem quaeruntur duo:

Primo, utrum uniformiter legatur in eo et indistincte;

secundo, utrum reprobi legant in libro vitae.

264

ARTICULUS I.

Utrum in eo legatur uniformiter et indistincte.

Ad primum obicitur sic: 1. « Liber vitae est Dei notitia[7] » sive sapientia eius; sed in notitia vel in sapientia Dei [q] uniformiter sunt contraria [r]; ergo secundum unum modum; non ergo potest [s] ibi videri multiplicitas [t] sive diversitas; non ergo in libro vitae possunt videri [u] diversitates sive distinctiones meritorum. Et ponitur exemplum beati Dionysii[9] de lineis et centro, quia omnes lineae, sive finitae sive infinitae, uniuntur in centro: similiter omnia considerantur ut unum in Dei sapientia.

Contra: *a.* Augustinus, XX *De civitate Dei,* cap. 14[10]: « Liber vitae est quaedam vis divina, qua fiet ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur et mentis [v] intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset [vel excuset] scientia [w] conscientiam, atque ita simul omnes et singuli iudicentur. Quae nimirum vis divina libri nomen accepit: in ea quippe quodammodo legitur quidquid ea faciente recolitur ». Ergo in libro vitae videbunt distinctiones meritorum; non ergo

[a] PVS om. [b] PVS *scilicet.* [c] PVS *sibi,* V add. *se,* R om. *scriptos.* [d] L *de libro meo* pro *etc.* [e] PVS om. [f] BR *qua.* [g] R *frustrantur.* [h] BRGL *spe.* [i] BRG *id est.* [k] R add. *quantum.* [l] B *Non delet.* [m] PV *ut.* [n] S om. *loquendo enim... praedestinatus.* [o] S om. [p] P *deletionem,* quod S corr., G *electionem.* [q] L *eius.* [r] L om., B *possunt.* [s] L add. *sive distinctio.* [t] B om. *multiplicitas... videri.* [u] L *meritis.* [v] P (corr.) S *conscientia.*

1 *Interlin.*

2 *Sermo* 71, c. 13, n. 21 (PL 38, 456); cf. Guil. Altissiod., *Summa,* III, tr. 5, q. 2 (f. 152b).

3 Psalm. 68, 29.

4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 639), ex Augustino, *Enarr.,* in h. l., n. 13 (PL 36, 862sq.).

5 Cf. nota 4.

6 Cf. supra, num. 182 et 183.

7 *Glossa interlin.,* et Rabani, in h. l. (PL 109, 941); cf. Augustin., *De civit. Dei,* XX, c. 14 (PL 41, 680).

8 Cf. supra, num. 174.

9 *De divin. nomin.,* c. 5, § 6 (PG 3, 822, PL 122, 1149).

10 PL 41, 680.

ibi legitur uniformiter vel indistincte [a], sed potius distincte.

Solutio: Dicendum quod unumquodque quanto simplicius in natura, tanto multiplicius in virtute [1]. Unde [b] ubi est summa simplicitas in natura, bene potest esse multiplicitas virtutis, scilicet in Deo: unde potentia Dei simplicissima est, sicut substantia, tamen ad infinita potest [2]; similiter et sua sapientia, cum simplicissima sit, infinita tamen cognoscit [3]. Similiter est de libro vitae; quamvis ergo unicus sit liber vitae simplicissimus et uniformis, et unus dicatur [c] in essentia et natura, tamen multiplex est in virtute, quia ad multa est; et ex hoc est videre in ipso omnia [d] distinctissime sicut ipse operatur distinctissime [e]. Et est simile optimum ad hoc quod adducebatur ad contrarium, scilicet de lineis et [f] centro [4]. Ponatur quod aliquod centrum intelligat se totum et suam essentiam et suam virtutem [5]: in essentia sua videbit simplicitatem, in virtute autem multiplicitatem; in lineis etiam [g] esset videre unitatem et multiplicitatem: unitatem secundum quod sunt ad centrum et uniuntur et reducuntur ad ipsam, multiplicitatem secundum quod sunt ab ipso. Similiter est in Deo et [h] creaturis: Deus enim est quasi centrum [6], creaturae quasi lineae exeuntes ab ipso; videt ergo in se [i] unitatem essentiae et multiplicitatem [k] virtutis, qua omnes creaturae exeunt ab ipso.

ARTICULUS II. 265

Utrum mali legant in libro vitae.

Deinde quaeritur utrum mali legant [l] in libro vitae.

Et videtur quod non: *a.* « Liber enim vitae [m] est notitia Dei [7] »; Dei autem notitia est sua essentia [8]; sed mali non videbunt divinam essentiam, Isai. 26,10: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei,* secundum aliam litteram [9]; ergo mali non videbunt [n] in libro vitae; ergo legere non poterunt in libro vitae.

Contra: 1. Apoc. 20,12: *Alius liber apertus est, qui est vitae.* Glossa [10]: « Id est [o] Christus, qui tunc omnibus apparebit »; ergo et malis; ergo mali legent in libro vitae.

2. Item, ibidem, alia Glossa [11]: « Liber, id est praescientia Dei, quia tunc aperte scient mali se non esse praedestinatos ad vitam ». Ergo in libro vitae videbunt se non esse praedestinatos; ergo legent ibi.

Respondeo: 1. Liber vitae dicitur multipliciter, scilicet divina praescientia, sicut habetur Apoc. 3,5; dicitur etiam liber vitae Christus secundum humanitatem, in Psalmo [12]: *In libro tuo omnes scribentur* — loquitur Filius ad Patrem: *In libro tuo,* « id est [p] in me, quem dedisti formam iustitiae hominibus [13] » — item, « liber vitae dicitur vis divina in iudicio, qua fiet ut [q] unicuique opera sua, bona vel [r] mala, in memoriam revocentur [14] ». Dicendum ergo quod primo modo sumendo librum vitae, nunquam legent ibi mali, scilicet in divina sapientia, quae [s] idem est quod divina essentia, secundum quod dicitur Isai. 26,10 quod non videbunt *gloriam Dei:* proprie enim legere in libro vitae est in divina praescientia merita sua bona aspicere. Secundo modo legent et videbunt in libro vitae, quia videbunt mali in iudicio Christum secundum humanitatem, gloriam tamen suae humanitatis vel divinitatis [t] non videbunt, secundum quod in Isaia dicitur [u], ut dictum est [15]. Tertio vero modo sumendo librum vitae, secundum quod dicit Augustinus [16], pro illa virtute [v] divina quae erit in iudicio, « per quam singuli legent in conscientiis suis bona vel mala merita »: sic dicentur mali legere in libro vitae; sed hoc non est proprie legere in libro vitae, sed [x] virtute divina in mente sua merita sua legere.

2. Ad illud quod obicitur quod 'scient se [y] non esse praedestinatos per librum vitae': dicendum quod est scire scientia privativa et scientia positiva, sicut aliter cognoscit videns se videre lumen, et aliter scit caecus se non videre lumen [17]: ille scientia positiva seu experientiae [z], iste scientia privativa. Similiter mali scient se non esse praedestinatos, sicut caecus scit se non videre lumen.

---

[a] P *distincte.* [b] V om. [c] BG *dico,* L *dicat;* R *unicus dico* pro *c. u. d.* [d] B *omnino,* P om. *distinctissime.* [e] P om. [f] S add. *de.* [g] B om., L *autem.* [h] B add. *in,* G om. *est.* [i] R om. *i. s.* [k] S add. *mentis et,* R *quia* pro *qua.* [l] L *legantur.* [m] PVS om. [n] PS *videbuntur,* S om. *in,* quod in P est add. posterior. [o] S om. *i. e.* [p] V om. *i. i. e.* [q] G om. [r] P *et.* [s] PVS *quod.* [t] BRG *deitatis.* [u] L *Isaias* pro *i. I. d.* [v] V *veritate.* [x] RGL add. *est.* [y] PS om. [z] S (corr.) *experientia,* PVS *ille* pro *iste.*

[1] Cf. *Lib. de causis,* § 6, (p. 179).
[2] Cf. supra, num. 140-142.
[3] Cf. supra, num. 169.
[4] Cf. supra, sub n. 1.
[5] Cf. supra, p. 249 sub *Respondeo,* et num. 172.
[6] Cf. supra, p. 18, nota 6; Alan., *Reg. theol.,* reg. 7 (PL 210, 627).
[7] Cf. p. 358, nota 7.
[8] Cf. Augustin., *De Trinit.,* XV, c. 13 (PL 42, 1076).
[9] Ita etiam apud *Septuaginta.*
[10] *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 745).
[11] *Ordin.,* loc. cit.; cf. Augustin., *De civit. Dei,* XX, c. 15 (PL 41, 681).
[12] Psalm. 138, 16.
[13] Cf. supra, p. 347, nota 4.
[14] Cf. Augustin., *De civit. Dei,* XX, c. 14 (PL 41, 680).
[15] Hic parum supra.
[16] Loc. cit., nota 14.
[17] Cf. Augustin., *In Ioan.,* tr. 1, n. 19 (PL 35, 1388).

TRACTATUS SEXTUS

DE VOLUNTATE DIVINA

QUAESTIO I.

DE INTENTIONE VOLUNTATIS DIVINAE.

Expeditis per Dei gratiam quaestionibus de potentia et scientia Dei, restat cum Dei adiutorio inquirere de voluntate, quod est ultimum in [a] inquisitione huius partis. Erit autem inquisitionis talis modus:

Primo, de intentione divinae voluntatis;
secundo, de quidditate [b] divinae voluntatis;
tertio, de differentiis divinae [c] voluntatis;
quarto, de subiectis [d] divinae voluntatis;
quinto, de impletione divinae voluntatis;
sexto, de conformatione [e] voluntatis creatae [f] ad divinam voluntatem.

Quantum ad primum quaeruntur plura:

Primo, utrum [g] intentio voluntatis conveniat Deo;
secundo, quid sit secundum rationem dicendi;
tertio, quae sit comparatio intentionis [h] voluntatis ad intentiones potentiae et scientiae secundum extensionem [i] et ordinem.

266

CAPUT I.

UTRUM INTENTIO VOLUNTATIS CONVENIAT DEO [1].

Ad primum arguunt [k] **sic**: 1. Bonum et finis idem [2]; unde qui removet naturam finis, removet naturam boni; ergo ubi non est ponere finem, nec [l] bonum; sed sicut verum est cognitum, ita bonum est volitum; sed in Deo non est ponere finem, quia non habet finem; ergo non est in Deo ponere voluntatem.

2. Item, Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [3]: « Voluntas est rationalis motus sensui praesidens et appetitui »; sed in Deo non est ponere motum nec sensum nec appetitum sensibilem; ergo nec est ponere ibi [m] voluntatem.

Contra: *a*. Voluntas est vis cognoscens, domina sui actus [4], super bruta animalia quae moventur secundum impetum, et licet habeant sensitivam cognitivam, non tamen est domina sui actus, quia non possunt prohibere suos actus; sed melior est vis cognoscens et domina sui actus quam natura ignorans nec domina sui actus; sed quod melius est semper est Deo tribuendum; ergo voluntas est in Deo. Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 2. Et dicendum [n] quod est voluntas qua volumus et est voluntas quod [o] volumus,

---

[a] G om. [b] Id est *causalitate*, cf. 363. [c] Ita L, alii om. [d] V *subiecto*. [e] PVS *conformitate*. [f] PB *creature*. [g] BRG *an*. [h] G *intentio*. [i] Codd. *comparationem*. [k] L *arguitur*. [l] V *non est*. [m] BRG om. [n] G add. *est*. [o] V *qua*.

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 45, a. 1, q. 1 (I, 798 sqq.).

[2] Cf. Aristot., *Rhetor.*, I, c. 6 (I, 323).

[3] Haec definitio, communiter a Scholasticis Augustino adscripta, verbotenus occurrit apud Bernard., *De grat. et lib. arbit.*, c. 2, n. 3 (PL 182, 1003). Erui videtur ex Augustino, *De lib. arbit.*, I, cc. 8-11, nn. 18-21, et III, c. 1, nn. 1-4 (PL 32, 1231 sqq. et 1269 sqq.); cf. *De duab. animab. c. Manich.*, c. 10, n. 14 (PL 42, 104 sq.): « Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non omittendum vel adipiscendum ».

[4] Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 943, 946).

licet improprie[1]; sed voluntas qua volumus adhuc tripliciter: substantia, virtus, operatio[2]. [Voluntas dicitur operatio] sive motus sive[a] actus elicitus a potentia, secundum quod dicit Augustinus[3] quod « voluntas est rationalis motus » etc.; dicitur etiam voluntas virtus sive potentia qua volumus; voluntas etiam dicitur substantia: et isto ultimo modo dicitur voluntas in Deo, non primo nec secundo modo, ut scilicet sit differens vis vel operatio a substantia.

1. Ad illud autem[b] quod obicit quod 'in Deo non est finis, ergo nec bonum nec voluntas': respondeo quod haec est falsa 'in Deo non est finis', quia ipse est finis omnium non habens finem, sicut est principium omnium non habens principium. Est autem voluntas finis et eorum quae sunt ad finem. Cum ergo dicitur 'Deus vult se', significatur voluntas finis, non qui sit alius a se, sed qui sit idem quod ipse; cum dicitur 'Deus vult omnia', dicitur voluntas in Deo eorum quae sunt ad finem qui est ipse.

CAPUT II. 267

QUID SIT VOLUNTAS SECUNDUM RATIONEM DICENDI.

Secundo quaeritur quid sit voluntas secundum rationem dicendi. Unde quaeritur quid addit voluntas[c] supra essentiam.

1. Si enim penitus idem sunt[d] velle et esse, ergo eodem addito utrobique, adhuc erunt idem; ergo[e] sicut dicitur 'omnia vult', poterit dici 'omnia est'[4].

2. Item, voluntas aut dicitur relative aut secundum essentiam. Dicit Magister[5] quod non dicitur relative; sed videtur quod immo, quia sicut creator dicitur ad creaturam, ita voluntas ad volitum.

3. Item, quaeritur utrum volendo se velit omnia, sicut sciendo se scit omnia.

4. Item[f], quare dicitur Deus omnipotens, omnisciens, non omnivolens[6]?

Respondeo: 1. Dicunt quidam quod[g] divina essentia significatur multipliciter. Quandoque enim significatur ut substantia, quandoque ut quantitas, quandoque ut qualitas[h]. Significatur ut substantia per hoc nomen 'Deus' et 'deitas'; similiter quandoque significatur ut potentia[i] per hoc nomen 'potentia'; quandoque ut habitus, per hoc nomen 'scientia'; quandoque ut actus, per hoc nomen 'voluntas', per quod significatur essentia ut[k] actus liber ab omni coactione[l] in omne quod libet[m]. Unde 'cum idem sit velle et esse, si vult omnia, ergo est omnia', non valet: est enim commutatio praedicamenti in ratione dicendi; nam cum dico 'vult omnia', dico divinam essentiam ut actum; cum dico 'est omnia', dico divinam essentiam ut substantiam.

Vel aliter potest dici quod, licet in Deo sit idem essentia quod voluntas, tamen quia voluntas Dei, prout exprimitur in verbo 'volendi', connotat quandoque effectum in creatura, ut quando[n] exprimitur respectu creaturae, essentia Dei, prout exprimitur verbo 'essendi', nihil connotat; unde non valet argumentum: 'idem est essentia quod voluntas, ergo si vult omnia[o], est omnia'.

2. Ad aliud dicendum quod 'dici relative' in divinis est dupliciter. Nam dicitur relative persona ad personam, ut Pater ad Filium; dicitur essentia[p] relative ad creaturam, ut Dominus ad servum et Creator ad creaturam. Dicendum ergo quod ubi est relatio ad personam, nihil dicitur secundum substantiam; sed ubi est relatio ad creaturam, significatur essentia, sed connotatur respectus in creatura, ut cum dicitur 'Dominus, Creator' et huiusmodi. Cum ergo quaeritur utrum voluntas dicatur relative de Deo, dicendum quod voluntas quandoque dicitur absolute, quandoque in comparatione: absolute, cum[q] dicitur 'Deus vult se' vel 'Deus vult', non importatur aliquis respectus ad creaturam nisi in potentia; sed cum dicitur 'Deus vult omnia', sic dicitur in comparatione et dicitur in relatione ad creaturam. Quod ergo negatur hic, quod « nunquam dicitur relative »: dicendum quod non dicitur relative, id est ut significet relationem, sed tamen[r] dicitur in respectu.

3. Ad aliud dicendum quod aliter est[s] in scientia, aliter in voluntate connotationis[t] respectus ad creaturas. Nam cum dicitur 'vult res esse', sequitur res esse, et hoc quia respectus

---

[a] P (corr.) L *sui.* [b] BRGL om. *A. i. a.* [c] L om. *secundum rationem... voluntas*, BRGL *super* pro *supra.* [d] PVS *esset.* [e] R *unde.* [f] B add. *queritur*, PVS om. *Deus.* [g] BG om. 'in R add. *interl.* [h] L om. *q. u. q.* [i] B om. *per hoc nomen... potentia.* [k] S *et*, PVS add. *voluntas.* [l] G *actione.* [m] PV *vult*, quod S corr. [n] PVS *unde quandoque*, L *unde quando* pro *u. q.* [o] L *vera.* [p] S corr. mg. *unam.* [q] L om. [r] L om. [s] R exp. [t] BRG *connotatur.*

---

[1] Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 77b).

[2] Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hierarch.*, c. 11, § 2 (PG 3, 283, PL 122, 1059).

[3] Cf. p. 360, n. 2.

[4] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 45, cc. 1 et 2 (p. 271 sq.).

[5] Loc. cit., c. 2 (p. 272): « Relative enim nunquam dicitur ».

[6] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 45, a. 1, q. 2 (I, 800 sqq.).

est ad res entes in[a] actu; cum ergo dicitur 'Deus vult se', non connotatur respectus rerum entium in actu: et ideo volendo se, non vult omnia, quia aeternaliter se vult[b], temporaliter vult[c] esse omnia. Sed cum dicitur 'scit res', non sequitur res esse, quia per hoc res sciuntur a Deo non secundum esse in rerum natura sive[d] in actu, sed in causa, et hoc non est aliud quam ipsam causam esse, et ideo sciendo se, scit omnia [1].

4. Ad aliud[e], quod quaeritur, patet solutio ex praedictis[f] de potentia [2].

268

CAPUT III.

DE COMPARATIONE VOLUNTATIS AD POTENTIAM ET SCIENTIAM.

Tertio quaeritur de comparatione intentionis voluntatis ad intentiones potentiae et scientiae secundum extensionem et ordinem.

I. Quaeritur ergo utrum voluntas sit respectu omnium eorum respectu quorum est scientia et potentia [3].

Et videtur quod sic: 1. Voluntas enim est respectu[g] bonorum, et omne quod potest, vult se posse; similiter omne quod scit, vult se scire; ergo ad eadem se extendit voluntas ad quae scientia et potentia.

2. Item, verum et bonum convertuntur [4]; sed sicut se habet verum ad scientiam, ita se habet bonum ad voluntatem; ergo sicut omne verum est scibile, ita omne bonum est volitum.

Contra: *a.* Voluntas est respectu bonorum entium tantum, scientia respectu bonorum et malorum, potentia respectu bonorum entium et non-entium; ergo non ad omnia se extendit voluntas ad quae scientia et potentia.

II. Item, quaeritur de ordine voluntatis, sapientiae et scientiae, scilicet quid horum[h] sit prius intentione.

Et videtur quod voluntas: 1. Quia dicit Hugo [5] quod « haec tria, scilicet potentia, sapientia et voluntas, ad omnem effectum concurrunt; sed voluntas movet, sapientia disponit, potentia operatur ». Ergo voluntas praecedit scientiam et potentiam.

2. Item, idem [6]: « Bonitate voluit, sapientia disposuit, potentia fecit ».

Contra: *a.* Richardus, in libro *De Trinitate* [7]: « Quibus inest sapientia, inest potentia », sed non convertitur, ut patet in plantis, in quibus est potentia, sed non scientia; sed ubi est scientia, est potentia, quia omnis scientia egreditur ab aliqua potentia. Similiter, ubi est voluntas, est scientia et potentia, sed non convertitur: in aliquibus enim est scientia et potentia, sed non voluntas. Ergo potentia et sapientia praecedunt voluntatem.

b. Item[i], Hugo [8]: « In anima rationali primo est potentia, secundo sapientia, tertio amor; et hic est ordo naturalis: quia potentia non est ab alio, sed sapientia est ab alio, amor vero est a sapientia et potentia; secundum haec tria anima est ad similitudinem Trinitatis: Patris per potentiam, Filii per sapientiam, Spiritus Sancti per amorem ». Ergo idem quod prius.

[Solutio]: I. Ad hoc patet solutio in Tractatu de potentia [9]. Nam voluntas uno modo dicitur[k] respectu actuum temporalium et aeternorum, ut cum dicitur 'Deus vult se' etc.: et sic est respectu eorum quorum est scientia, quia vult se scire quidquid scit[l], similiter et posse; alio modo dicitur respectu temporalium tantum: et sic non se extendit voluntas ad omnia ad quae scientia et potentia.

II. Ad illud quod quaeritur de ordine, patet responsio ex dictis in Tractatu de potentia [10].

---

[a] G om. [b] S om. *omnia quia .. vult.* [c] S exp. [d] L *sui.* [e] BRGL add. *vero.* [f] R om. *d. p.* [g] VBRG om., L om. *e. r.* [h] BRGL om.; G *plus* pro *prius.* [i] PVSL *solutio*, G *Augustinus* pro *Hugo.* [k] Ita S (mg.) B (interl.), V exp., alii om. [l] R *sit.*

1 Cf. supra, p. 247, num. 164.
2 Cf. supra, p. 211, num. 137.
3 Cf. S. Bonav., loc. cit.
4 Cf. Aristot., *Metaph.*, I, lect. brev., c. 1 (II, 486).
5 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 6 (PL 176, 208).
6 Loc. cit., c. 10 (PL 176, 210).
7 Lib. VI, c. 15 (PL 196, 979), cetera ad sensum.
8 Loc. cit., p. 3, c. 27 (PL 176, 229).
9 Cf. supra, p. 206, num. 135.
10 Cf. supra, num. 134 et 135.

QUAESTIO II.

DE CAUSALITATE VOLUNTATIS DIVINAE.

Consequenter quaeritur de causalitate divinae voluntatis. Nam dicit Augustinus, in III[a] *De Trinitate*[1]: « Voluntas Dei est prima et summa causa omnium specierum et motionum[b] »; et subditur[2]: « Haec igitur est unde ortum habet quidquid est, et ipsa non est orta ». Circa quam quaeruntur tria:

Primo, quare magis definiatur divina voluntas per causam quam potentia vel sapientia;

secundo, cuiusmodi causa sit;

tertio, si habeat rationem.

CAPUT I. 269

QUARE MAGIS DEFINIATUR VOLUNTAS PER CAUSAM QUAM POTENTIA VEL SAPIENTIA.

Quantum ad primum sic proceditur: 1. Deus dicitur[c] causa in triplici genere causae, scilicet efficientis, formalis exemplaris et finalis[3]. Causa finalis dicitur ratione bonitatis, formalis exemplaris ratione sapientiae; ergo causa efficiens dicitur ratione potentiae, non ratione bonitatis vel voluntatis; ergo voluntas non magis debet definiri in ratione causae efficientis quam potentia.

2. Item, Augustinus, VIII *De civitate Dei*[4], commendat Platonem, quia dixit quod « in Deo intelligitur causa subsistendi, ratio intelligendi, ordo[d] vivendi, secundum quae tria sunt tres partes Philosophiae: nam ordo vivendi ad Moralem, ratio intelligendi ad Rationalem, causa subsistendi ad Naturalem »; sed ordo vivendi ad bonitatem, ratio intelligendi ad sapientiam; ergo causa subsistendi ad potentiam potius pertinet quam ad[e] voluntatem vel bonitatem, et ita voluntas non[f] magis debet definiri in ratione causae quam potentia.

3. Item, Augustinus[5], in eodem: « Illos qui de Deo senserunt quod rerum creatarum[g] sit effector, quod lumen cognoscendorum et bonum agendorum, et quod ab illo in nobis sit principium naturae et veritas[h] doctrinae et felicitas[i] vitae, ceteris anteponimus »; sed « bonum agendorum » dicitur ratione voluntatis, « lumen cognoscendorum » ratione sapientiae; « effector[k] » ergo dicitur[l] ratione potentiae.

Respondeo: « Ad agendum vel[m] operandum concurrunt tria: posse, scire et velle[6] ». Sed de potentia est loqui dupliciter: vel secundum quod est ad actum interiorem vel secundum quod est ad actum exteriorem; actus interior: velle, scire et huiusmodi; actus exterior: ipsa operatio. Si ergo accipiatur potentia[n] communiter ad actus interiores, sic non dicitur potentia in causalitate: sic enim est aeterna; sed si referatur ' posse ' ad[o] ' facere ', sic dicit potentia causam et est posterior scientia et voluntate in ratione intelligentiae, sed secundum alium modum prior est[p]. Item, in aliquibus est potentia, ubi non est scientia, et in aliquibus est[q] scientia, ubi non est bonitas sive voluntas[7]; sed ubi est voluntas, necessaria sunt scientia et potentia: propter hoc voluntas dicit totam causam, non potentia vel scientia, quia ad ipsam concurrunt scientia et potentia. Ideo potius definitur voluntas per causalitatem quam potentia vel scientia.

---

[a] L *libro*. [b] P om. *e. m.*, in S est add. mg. [c] BRG *dicitur Deus est* pro *p. D. d.*, L om. *proceditur*. [d] G *ratio*. [e] P om. [f] B om. [g] PVG *causatarum*. [h] L *veritatis*. [i] PVS *fidelitas*, L *felicitatis*. [k] PVS *effectio*. [l] PVS om. [m] P add. *ad*. [n] L om. [o] PS *aliquid*, V *ad aliquid*. [p] G *priorem* pro *p. e.* [q] BRGL om.

1 Cap. 4, n. 9 (PL 42, 873); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 45, c. 5 (p. 274).

2 Apud Lombard., loc. cit., ex Hugone de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 4, c. 1 (PL 176, 235).

3 Cf. supra, p. 71, num. 46.

4 Cap. 4 (PL 41, 228 sq.).

5 Loc. cit., c. 9 (PL 41, 233 sq.).

6 Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 4, c. 6 (PL 176, 208).

7 Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, VI, c. 15 (PL 196, 979).

270 CAPUT II.

CUIUSMODI CAUSA SIT DIVINA VOLUNTAS.

Consequenter quaeritur cuiusmodi causa sit divina voluntas.

I. Quaeritur ergo primo an sit causa universalis omnium quae fiunt [1].

Ad quod 1. introducitur auctoritas Augustini, ex III *De Trinitate* [2], 45 dist. I libri *Sententiarum* [3]: « Nihil fit quod non de intelligibili atque interiori aula summi Imperatoris egrediatur secundum ineffabilem iustitiam »; aulam vero intelligibilem appellat divinam voluntatem; universaliter ergo omnium [a], quae fiunt, causa est divina voluntas.

Contra: *a.* Mala fiunt et tamen non egrediuntur de aula summi Imperatoris; non enim malorum est causa divina voluntas.

Respondeo: 1. Dicendum quod corrupte accipitur auctoritas libri *Sententiarum.* Nam [b] ita est in originali [4]: « Nihil fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiori atque invisibili aula summi Imperatoris aut iubeatur aut permittatur secundum [c] ineffabilem iustitiam praemiorum atque poenarum, gratiarum et retributionum in ista totius creaturae [d] amplissima quadam immensaque republica ». Non ergo concedendum est quod « nihil fit [e] quod non egrediatur de aula summi Imperatoris », quia ex hoc sequeretur quod malum egrederetur de aula, quod esset dicere quod malum culpae haberet exemplar in Deo et quod Deus esset eius causa; sed secundum Augustinum dicendum quod [f] « nihil fit quod non de intelligibili [aula] aut [g] iubeatur » quantum ad bona, « aut permittatur » quantum [h] ad mala.

Ad illud ergo quod quaeritur utrum sit universalis causa respectu omnium: concedendum est [i] quod est universalis causa respectu omnium quae fiunt ex causa efficiente, et haec tantum sunt bona; nam malorum non proprie est causa efficiens, sed deficiens, sicut ostendit Augustinus, XII *De civitate Dei* [5], et Dionysius, in libro [k] *De divinis nominibus* [6].

II. Item quaeritur utrum sit causa coniuncta sive immediata.

Ad quod sic obicitur: 1. Augustinus, in libro *Confessionum* [7]: « Non temporibus variatur voluntas tua, Domine ». Ergo idem est in Deo velle et voluisse; ergo ' velle Caesarem esse ' et ' voluisse Caesarem esse ' idem erit [l] Deo; si ergo voluntas est causa [m] coniuncta rei ut sit, ergo modo Caesar est sicut fuit: quod est falsum.

2. Item, Augustinus, XII *Confessionum* [8]: « Non vult quod prius nolebat, quia talis voluntas esset mutabilis [n] ». Ergo ab aeterno voluit quod aliquando voluit. Cum ergo, causa coniuncta posita, ponatur eius [o] effectus, cum velit mundum esse, et ab aeterno voluit mundum esse, ab aeterno mundus est; ergo non est causa coniuncta.

Contra: *a.* Si non est causa [p] coniuncta, erit mediata. Quaeritur ergo de illo medio: aut est creatum aut increatum; quia si increatum [q]: est idem quod Deus et ita idem quod divina voluntas, et ita non est medium inter effectum et divinam voluntatem [r]; si creatum: ergo illud est medium inter effectum et divinam voluntatem, et iterum quaeritur de illo medio.

III. Item, similiter quaeritur utrum sit causa propria vel communis.

1. Si propria: ergo, illa posita, poneretur effectus. Si communis: quaeritur de illo superaddito, utrum creatum vel increatum, et ita ut prius.

2. Item, Augustinus [9]: « Idem est Deo auctore fieri et Deo volente ». Ergo divina voluntas dicit actionem; ergo, ipsa posita, ponetur [s] effectus, et ita ut prius.

3. Item, voluntati Dei nihil resistit [10]; sed [t] voluit mundum fore: aut ergo ab aeterno aut ex tempore. Si ex tempore: ergo aliquando noluit; ergo voluntas Dei est temporalis, non aeterna. Si ab aeterno voluit, et [u] nihil resistit voluntati eius: ergo voluntas eius fuit ab aeterno.

Respondeo: II. Voluntas Dei est causa immediata rerum nec intercidit medium inter voluntatem Dei et effectum [v].

[Ad obiecta]: Ad illud ergo quod obicit dicendum quod, licet voluntas Dei sit causa

---

[a] G om. [b] G *non.* [c] L *per.* [d] G *isto totius creatore* pro *i. t. c.* [e] PV *sit.* [f] L om. *d. q.* [g] L om. [h] L om. [i] BRG om. [k] G om. *i. l.* [l] S add. interl. *in.* [m] RG om. [n] G *immutabilis.* [o] BRGL om., V *suus.* [p] BRGL om. [q] BRG add. *est.* [r] L om. [s] PVS *ponitur*, L *poneretur.* [t] BRGL om. [u] G *ut.* [v] G *effectivum.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 45, a. 2, q. 1 (I, 803 sqq.).
2 Cap. 4 (PL 42, 873).
3 Cap. 4 (p. 274).
4 Id est apud Augustin., loc. cit.
5 Cap. 7 (PL 41, 355).
6 Cap. 4, § 21 (PG 3, 723, PL 122, 1140 sq.).
7 Lib. XII, c. 15 (PL 32, 832).
8 Loc. cit.
9 *De div. quaest. 83*, q. 3 (PL 40, 11).
10 Cf. Rom. 9, 19.

coniuncta, non tamen sequitur quod si voluntas ab aeterno, quod res [a] ab aeterno, quia voluntas non dicit rationem causae coniunctae, sed voluntas faciendi tunc cum facit; bene ergo sequitur: 'vult facere nunc, ergo nunc fit'; licet ergo sit aeterna voluntas, volitum tamen est temporale.

1. Ad illud ergo Augustini dicendum quod voluntas Dei dicitur [b] dupliciter [1]: 'qua vult', et hoc modo intelligit quod non variatur temporibus; et 'quod vult', scilicet ipsum volitum, quod variatur. Et ideo non sequitur quod obicitur [c]. Sed si argueretur: 'vult aliquid esse nunc, quod non ab aeterno voluit esse nunc, ergo voluntas eius [d] est mutabilis', bene sequitur. Sed simul et semel vult omnia quae vult ab aeterno; unde Augustinus, in libro *Confessionum* [2]: « Eadem Dei voluntas non est extra Dei substantiam, sed simul et semel vult omnia quae vult »; et ibi dicitur 'semel' aeternitatis, quemadmodum dicitur 'semel genuit Filium'.

2. Ad illud [e] quod obicit quod 'causa proxima et immediata posita, ponitur effectus': dicendum quod causa quaedam incompleta est et dependet ab effectu; completur enim in effectu et habet dependentiam ad illum, et ideo de ipsa tenet quod, posita ipsa [f], ponitur effectus. Sed non est ita in causa completa, quae non habet dependentiam ad effectum [g], ut in causis voluntariis quae in potestate sua habent cohibere actum suum. Unde immediata causa, nullo modo dependens ab effectu, antecedens erat secundum naturam et secundum actum existendi, quemadmodum aeternitas [ad] tempus; sed causa dependens immediata non est antecedens ad actum [h] secundum actum existendi, sed secundum naturam.

III. 1. Ad aliud etiam dicendum quod non sequitur quod, causa propria posita, ponitur effectus: sicut patet in sole, qui est causa propria illuminationis, non tamen semper illuminat: ut si subtrahatur illuminabile. Similiter divina voluntas irradiat super creaturas; unde quod non irradiat [i], est quia non sunt creaturae.

2. Ad aliud dicendum quod voluntas Dei dicitur dupliciter, scilicet voluntas beneplaciti et voluntas signi. Ad illud ergo quod [k] dicitur « idem est Deo volente et Deo auctore »: dicendum quod sumitur ibi voluntas pro voluntate signi, quae est impletio.

3. Ad aliud dicendum quod haec est duplex 'Deus [l] voluit ab aeterno mundum fieri', quia haec determinatio 'ab aeterno' potest determinare hoc verbum 'voluit', et sic vera; vel hoc verbum 'fieri', et sic falsa. — Sed si quaeritur quare non fuit mundus ab aeterno, cum voluntas sit causa proxima et sufficiens, et ab aeterno voluit mundum fieri: respondeo [m] quod in [n] intellectu creaturae est ens ab alio [o] de nihilo; et omne [p] ens de nihilo habet esse post non-esse; unde in intellectu creaturae est aliquid quod repugnat aeternitati; et ratio est: quia sicut creatura non potest aequari Creatori in potentia vel essentia, sic nec in duratione; esset autem aequalis in duratione, si esset aeterna. Et sicut [q] in sole sunt duo actus — unus in se, qui est lucere, alius in alio, scilicet illuminare — et posito sole, non est intelligere sine actu primo, sed bene sine alio: sic in Deo sunt actus aeterni, ut generare [r] et huiusmodi, sine quibus non est summa bonitas; sunt alii, ut creare et huiusmodi, sine quibus potest intelligi.

CAPUT III. 271

UTRUM DIVINAE VOLUNTATIS SIT CAUSA VEL RATIO.

Consequenter quaeritur utrum divinae voluntatis sit causa vel ratio.

I. Ad quod: *a.* Augustinus, in [s] *83 Quaestion.* [3]: « Qui quaerit quare Deus voluit mundum facere, causam quaerit voluntatis Dei. Omnis autem [t] causa efficiens maior est eo quod efficitur; nil autem maius voluntate [Dei]; non ergo causa eius quaerenda est ». Ex quo relinquitur quod voluntatis divinae non est causa.

b. Ad hoc fuerunt qui dixerunt quod voluntatis divinae non est causa efficiens, sed finalis. — Contra: causa finalis alicuius melior est eo cuius est causa vel ratio; sed nihil melius est voluntate divina; ergo voluntatis divinae non est causa finalis.

[Solutio]: Quod indistincte concedimus [u].

II. Sed quaeritur utrum voluntatis divinae sit aliqua ratio.

---

[a] V add. *sit.* [b] L om. [c] L om. *quod variatur... obicitur.* [d] BRGL om. [e] BRGL om. *A. i.* [f] G *causa.* [g] BRG *ab effectu* pro *a. e.* [h] B om. *a. a.*, RGL om. *ad.* [i] G *radiat.* [k] RGL *Quod ergo* pro *a. i. e. q.* [l] BRGL om. [m] P (corr.) add. *dicendum*, V *respondendum.* [n] P om. [o] PV *eterno.* [p] BGL *esse.* [q] L *sic.* [r] L add. *creare,* [s] V *libro,* PSL om. [t] S *enim.* [u] BRG *concedendum;* L *concedendum est.*

[1] Cf. supra, p. 361, *Solutio.*

[2] Lib. XII, c. 15, n. 19 (PL 32, 832).

[3] Quaest. 28 (PL 40, 18); cf. *De Gen. c. Manich.*, I, c. 3, n. 4 (PL 34, 175).

Ad quod sic: 1. Super illud Eph. 1,5: *Propositum voluntatis eius,* Glossa[1]: « Voluntas divina ex ratione est ». Ergo voluntas divina habet rationem nec est sine ratione.

2. Item, cum nobilior et melior sit voluntas cum ratione quam sine ratione, quod autem nobilius est semper est Deo tribuendum: ergo voluntas Dei habet rationem.

Contra: *a.* Ratio et voluntas idem, sicut dictum est supra[2]: « Ratio prohibuit, id est divina voluntas »; ergo divina voluntas non est ex ratione.

b. Item, ratio est finis; finis autem est[a] melius quam id[b] quod est ad finem; nihil autem divina voluntate melius.

Respondeo, secundum Anselmum[3]: Voluntas divina proprie non est ex ratione, ne aliquid sit ei principium; nec praeter rationem, ne irrationabilis esse videatur; dicitur tamen habere rationem, sicut idem dicitur habere se ipsum: idem enim est in Deo[c] voluntas et ratio; sed si dicatur ratio[d] aliquis finis extra, nullo modo habet rationem.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur dicendum quod ratio dicit divinam voluntatem connotando respectum ad creaturam. Quod ergo dicitur « voluntas divina est ex ratione », non dicitur hoc quantum ad principale significatum, immo[e] quantum ad connotatum; unde sensus est: « voluntas divina est ex ratione », id est ' volitum est ex ratione ', id est[f] est ad bonitatem summam.

2. Ad aliud[g] quod obicitur quod ' voluntas cum ratione nobilior est ' etc., dicendum quod voluntas sine ratione dicitur duobus modis: vel sine ratione concomitante, et sic nobilior est voluntas cum ratione quam sine; vel sine ratione movénte vel inducente, et sic melior est voluntas sine ratione[h].

QUAESTIO III.

DE DIFFERENTIIS VOLUNTATIS DIVINAE.

Consequenter quaeritur de differentiis voluntatis divinae[i]: quae quidem differentiae non accipiuntur secundum rem, sed secundum denominationem. Quaeritur ergo de differentiis primo in generali, secundo in speciali.

272

TITULUS I.

DE DIFFERENTIIS VOLUNTATIS DIVINAE IN GENERALI[4].

Quantum ad primum nota secundum Hugonem[5], in suis *Sententiis,* et secundum[k] Lombardum, in suis[6], quod « voluntas Dei dicitur proprie, quae in ipso est et ipsius essentia, et dicitur voluntas beneplaciti, de qua in Psalmo[7]: *Omnia, quaecumque voluit, fecit,* et Rom. 9,19: *Voluntati eius quis resistet?* et Rom. 12,2: *Ut probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta.* Et haec non recipit multiplicitatem et mutabilitatem », sicut dicitur 45 dist. I libri *Sententiarum.*

Item, dicitur voluntas improprie sive figuraliter[8], et hoc modo voluntatis divinae signa dicuntur eius voluntas. Et haec recipit multiplicitatem[l] in quinque: voluntas enim Dei[m] dicitur permissio[n] et operatio, praeceptum, prohibitio, consilium, de quibus intelligitur illud Psalmi[9]: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* — Quod permissio Dei et eius operatio dicantur voluntas Dei, dicit Augustinus, in *Enchiridion*[10]: « Non fit[o] [aliquid] nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat vel ipse faciendo »; et de hoc accipitur illud Rom. 9,18: *Cuius vult, miseretur, et quem vult, indurat.* — Item, quod voluntas Dei dicatur eius praeceptum, prohibitio et consilium, habetur ex Matth. 6,10: *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*[p].

---

[a] G om. [b] RG add. *ad.* [c] BRGL om. *i. D.* [d] L om. [e] L *item,* BRG *sed.* [f] SB om. *i. e.* [g] V *illud.* [h] BRGL om. totum hoc argumentum: *Ad aliud... ratione.* [i] Ita R, alii om. [k] BRGL om. [l] GL *multiplicationem.* [m] BG om. [n] G *permissiva.* [o] L *fuit.* [p] P add. *etc.*

1 *Interlin.*, et Lombardi, *In Eph.* 1, 11 (PL 192, 174).
2 Cf. supra, p. 206b, sub litt. *b.*
3 Cf. *Cur Deus homo,* I, cc. 10 et 12 (PL 158, 375, 378).
4 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 45, a. 3, q. 1 (I, 807 sqq.).
5 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 4, c. 2 (PL 176, 235).
6 Lib. I, d. 45, c. 5 (p. 275).
7 Psalm. 113, 11.
8 Cf. Lombard., loc. cit., c. 6 (p. 275); Hugo de S. Vict., loc. cit.; Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 12, q. 1 (f. 29a).
9 Psalm. 110, 2; cf. Lombard., loc. cit.
10 Cap. 95 (PL 40, 276); cf. Lombard., loc. cit., c. 7 (p. 277).

I. Circa has autem differentias positas dubitatur multipliciter. 1. Primo, cum scientia sit respectu veri sicut voluntas respectu boni, et ponuntur subiecta divinae scientiae sicut subiecta [a] voluntati: quare ex parte scientiae non est talis differentia, ut divideretur per scientiam proprie et per se et per scientiam signi? sicut dicitur voluntas beneplaciti [b], quae est voluntas proprie, et voluntas signi.

2. Item, cum definiat Augustinus, *De doctrina christiana* [1], signum [c] « quod praeter illud quod ingerit sensibus, aliud facit in cognitionem venire »: ergo [d], cum praeceptio, prohibitio non sint sensibilia, sed [e] intelligibilia, non sunt [f] signa voluntatis divinae [g].

5. Item, si [h] signum est multiplex, et signatum; sed signa sunt multiplicia; ergo et ipsa voluntas beneplaciti; et cum non sint sensibilia, sed potius intelligibilia, non dicentur esse signa [i].

3. Item, quaeritur: quae est ratio dicendi voluntatem beneplaciti? Nam quod praecipit et quod prohibet et quod operatur videntur esse beneplacita.

4. Item, quaeritur an voluntas beneplaciti recipiat [k] multiplicitatem. Nam sapientia Dei dicitur 'multae ideae vel rationes' secundum multitudinem rerum cognitarum; ergo similiter voluntas beneplaciti dicetur esse 'multae voluntates' secundum differentiam volitorum.

6. Item, quaeritur [l], cum dicatur in Psalmo [2]: *Exquisita in omnes voluntates eius,* et dicuntur voluntates pluraliter respectu diversorum volitorum, quae sunt signa divinae voluntatis, et ita voluntas Dei dicetur multiplex, quaeritur quare non dicitur mutabilis secundum mutationem volitorum.

7. Item, si dicatur, secundum Gregorium [3], quod « Deus mutat sententiam, sed non consilium », et ita voluntas divina in sententia [m] dicitur mutabilis, non in consilio, quaeritur quare dicitur mutari [n] sententia, non consilium.

II. Item, quaeritur de illis quinque differentiis: 1. Primo quia videtur [o] quod debeant esse plures. Nam praeceptum et consilium sunt respectu boni, ut fiat; sed praeceptum est respectu boni necessarii ad salutem, consilium respectu boni non necessarii; quare ergo non ponuntur duo ex opposito respectu mali [p]? ut sicut ponitur inter signa prohibitio, quae est contraria ei quod praecipitur, poneretur differentia contraria ei quod consulitur.

2. Item, tres sunt differentiae respectu boni: praeceptum, consilium, operatio; prohibitio, permissio [q] respectu mali: prohibitio respectu [r] mali ne fiat. Cum pluris divisionis sit malum quam bonum, quia bonum uno modo, malum multifariam: ergo deberent poni plures differentiae respectu mali quam respectu boni.

4. Item, videtur quod deberent assignari pauciores. Nam, cum dicat Augustinus, in *Enchiridion* [4]: « Non fit aliquid nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat vel ipse faciendo »: ergo universaliter non sunt nisi duo signa voluntatis divinae, scilicet permissio et operatio.

5. Item, Hugo, in suis *Sententiis* [5]: « Voluntatem [s] beneplaciti duae sequuntur voluntates sicut signa harum voluntatum: una permittens vocatur, alia faciens. Et duo ista sunt quasi consequentia voluntatis summae et quasi explicatio eius et [t] effectus illius et paria illi, non [u] coaeterna: quidquid enim in illa semper est, in istis aliquando est, et quidquid in istis aliquando non est, in illa nunquam est ». Ex hoc relinquitur quod universaliter signa divinae voluntatis sunt operatio et permissio. — Item, Hugo, in eodem [6]: « Beneplacitum universale, quod aeternum est, perficitur et consummatur et manifestatur iis duobus quae subsequuntur [v] in tempore: permissione et operatione divina ».

6. Item [x], praeceptum et prohibitio non videntur facere differentiam: nam in praeceptis Decalogi annumerantur octo prohibitiones pro octo praeceptis.

7. Item, non faciunt differentiam 'motus a' et 'motus ad' [7]; sed prohibitio est motus a malo, praeceptum motus ad bonum; non different ergo praeceptum et prohibitio.

8. Item, praeceptum et permissum [y] concurrunt in eodem [z], quia, sicut dicitur super illud [8]: *Eduxit eos cum argento et auro,* Glossa [9]: « Asportare vasa Aegyptiorum fuit praeceptum et permissum ». Ergo non debent distingui in signis divinae voluntatis.

9. Item, cum permissio non semper sit mali, ut patet I Cor. 7,25 super illud: *De virginibus*

---

[a] G add. *divine.* [b] PV add. *et voluntas,* quod S exp. [c] S add. *est.* [d] BRGL om. [e] BRG add. *potius.* [f] BRG *dicentur esse.* [g] BRG om. *v. d.,* L om. *non sint... divinae.* [h] L om., in G est add. mg. [i] BRG om. *et cum non... signa.* [k] S add. *mutabilitatem et.* [l] S om. [m] BG om. *i. s.,* L *summa,* V add. *est.* [n] L *mutabilis.* [o] BRGL *enim* pro *q. v.* [p] PVSL *malitie.* [q] B om. [r] BGL om., in R est add. interl. [s] PV *voluntates.* [t] G *ut.* [u] BRGL *nunquam.* [v] PVSL *consequuntur.* [x] P *ita.* [y] VL *permissio.* [z] R *eadem.*

1 Lib. II, c. 1 (PL 34, 35).
2 Psalm. 110, 2.
3 *Moral.,* XVI, cc. 10 et 37 (PL 75, 1127, 1144).
4 Loc. supra cit., p. 366, nota 10.
5 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 4, c. 4 (PL 176, 235).
6 Loc. cit., c. 8 (PL 176, 237).
7 Cf. Aristot., *Phys.,* V, c. 4 (II, 313).
8 Psalm. 104, 37.
9 Lombardi, in h. l. (PL 191, 955), ex Augustino, *Enarr.,* in h. l. (PL 37, 1400); cf. *De doctr. christ.,* II, c. 40 et *Quaest. in Heptat.,* II, q. 39 (PL 34, 63 et 607).

autem [a] etc., Glossa [1]: « Virginibus permittit nubere » — nubere autem non est malum — quomodo distinguetur a signis ceteris?

10. Item, secundum quod permissio dicitur mali, cum divina voluntas nunquam sit mali, non significabit [b] quod est in divina voluntate, sed magis quod non est in ipsa.

11. Simili modo opponitur de prohibitione. Nam cum prohibitio sit eius quod Deus non vult, prohibitio [c] magis est signum divinae noluntatis [d] quam voluntatis [e].

12. Item, dicit Damascenus [2] quod « in Deo non est consilium: ignorantis enim naturae est consiliari ». Ergo differentia signorum divinae voluntatis non debet poni consilium.

Haec ergo quaeruntur circa [f] numerum differentiarum.

III. 1. Item, quaeritur [g] quid praedicatur, cum dicitur 'Deus permittit mala fieri' vel 'praecipit bona [h] fieri': aut creatum, aut increatum. Si creatum, ergo creatura praedicaretur de Creatore; si increatum – contra: Augustinus [3]: « Mala fiunt praeter eius voluntatem, quae ipse est, sed non praeter eius permissionem, quae ipse non est ». Permissio ergo non est divina essentia; ergo non praedicatur increatum.

2. Item, nihil est signum sui [4]; si ergo praeceptio [i], prohibitio etc. [k] sunt signa divinae voluntatis, ergo non sunt divina voluntas.

3. Item, quaeritur, cum diversa sint signa, numquid idem habent significatum aut diversa? Et cum omnia sint signa voluntatis beneplaciti, voluntas autem [l] beneplaciti per omnia est eadem et una, ergo idem significatum.

Contra: *a.* Cum aliud sit volitum a Deo voluntate operationis et voluntate permissionis et ceteris, et ipsa volita a Deo sint significata iis signis, operatione, permissione etc., ergo plura sunt [m] significata.

Respondeo: Sicut dicitur Rom. 12 [5], super illud: *Ut probetis potiora*, Glossa [6]: « Nota quod voluntas Dei dicitur sive ipsa qua vult, quae in Deo [n] Deus est, sive illud quod vult; hic vero accipitur voluntas qua vult, quae semper impletur, quae beneplacitum [o] Dei et dispositio Dei [p] interdum appellatur ». Dicendum ergo secundum hoc quod voluntas beneplaciti est voluntas qua vult, voluntas signi est id quod vult; quia ergo 'quo vult' et 'quod vult' dicuntur voluntas, sed 'quo vult' proprie, 'quod vult' improprie, secundum illum modum quo dicit Hugo [7], quod « signa irae dicuntur ira [q] et signa dilectionis dilectio appellantur », sic signum voluntatis Dei dicetur voluntas.

[Ad obiecta]: I. 1. Et per hoc patet responsio ad primum. Scientia enim non dicitur iis duobus modis; magis enim abstracta est ab actu scientia quam voluntas, et ideo actus, qui est signum scientiae, non dicitur scientia, quamvis actus, qui est signum voluntatis, dicatur voluntas propter immediationem actus ad voluntatem.

2. Ad secundum dicendum quod voluntas signi dicitur secundum illam rationem Augustini, *De doctrina christiana*: « Signum est quod praeter id quod sensibus ingerit » etc.; sed sensus non tantum accipitur vis exterior, sed etiam [r] interior, quae dicitur intellectus; haec autem dicuntur signa ratione cointellectorum, quae indicant aliquid esse volitum voluntate beneplaciti; in quo volito, sicut in effectu, voluntas Dei, quae aeterna est, quae est eius causa, indicatur; et ita per medium sunt ista signa beneplaciti, scilicet per ipsa volita a Deo, circa quae sunt praeceptio [s], prohibitio etc.

3. Ad tertium [t] quod quaerit, 'secundum quam intentionem dicatur voluntas beneplaciti': dicendum, secundum Augustinum, *De Trinitate* [8]: « Beneplacitum est [u] quieta voluntas ». Cum ergo dicit Apostolus, Rom. 12,2: *Voluntas Dei bona* [v], significat quod bonum est semper volitum voluntate divina; cum vero [x] dicit '*beneplacens*', significat immobilitatem sive quietem ex parte voluntatis; cum dicit '*perfecta*' [y], significat complementum ex parte utriusque, scilicet voluntatis et voliti, ut nihil desit quin fiat quod vult et prout vult.

4. Ad quartum vero quod quaerit de multiplicitate: dicendum quod voluntas qua vult non est multiplex, quamvis dici possit multiplex in effectu, sicut dicitur de Spiritu Sancto, Sap. 7,22: *Unicus, multiplex.* — Ad illud quod obicitur quod 'sapientia dicitur multae ideae et rationes': notandum quod in iis intentionibus 'causa, principium, voluntas' et ceteris essentialibus, non

---

[a] L om.; P add. mg. *Immo dicit Apostolus: melius est nu[bere] quam uri, inquiens: consil[ium] do, non precipio; utinam enim essetis sicut e[go] sum! Plus enim diligit Deus [pau]cos habere pudicos quam [mul]tos impudicos.* [b] B *significatur id.* [c] PVS add. *non.* [d] PV *voluntatis.* [e] V *noluntatis.* [f] R *secundum.* [g] BRGL *Queritur etiam* pro *I. q.* [h] PVS *mala.* [i] R add. *interl. est.* [k] RG *et cum.* [l] PVS om. [m] BRGL om. [n] V om. *i. D.* [o] R *placitum,* [p] V om. [q] G *signa,* quod L exp. [r] V om. [s] V *precepta.* [t] G add. *dicendum.* [u] P om. [v] BRGL *voluntatem Dei bonam* pro *v. D. b.* [x] BRG *ergo.* [y] BRGL *perfectam.*

1 *Interlin.*, et *Ordin.*, in cap. 7, 39 (PL 114, 531).
2 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 946).
3 Cf. *Enarr. in Psalm. 16*, 4 (PL 36, 146); verbotenus ap. Lombard., I *Sent.*, d. 47, c. 2 (p. 289).
4 Cf. supra, p. 365, n. 2.
5 Textus est Philip. 1, 10, sed *Glossa* in Rom. 12, 2.
6 Lombardi, *In Rom.* 12, 2 (PL 191, 1497).
7 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 4, c. 2 (PL 176, 235); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 45, c. 6 (p. 276).
8 Lib. X, c. 10 (PL 42, 981).

importatur aliqua multiplicitas ex parte principalis significati, quae est divina essentia, neque ex parte connotati. Connotatur ergo [a] in huiusmodi intentionibus aliquando esse absolutum, aliquando esse distinctum [b], aliquando esse ordinatum ad proprium naturae terminum, aliquando vero esse ordinatum ad finem ultimum. Quando ergo connotatur esse absolutum, cum in esse absoluto [c] non differant res, intentio illa [d], quae connotabit esse absolutum, non poterit dici pluraliter: hinc est quod non possunt dici plures causae vel plura rerum principia, quia principium et causa nec ex parte significati, quod [e] est divina essentia, nec ex parte connotati, quod est esse absolutum, non esse [f] tale vel tale, dicunt pluralitatem. Quando vero connotatur esse distinctum vel esse ordinatum ad proprium terminum naturae, dicetur pluraliter, non respectu significati, sed connotati, quod est in pluralitate et distinctione: hinc est quod dicuntur 'plures ideae', quia idea connotat esse distinctum, et 'plures rationes', quia ratio connotat esse ordinatum ad proprium naturae terminum. Unde dicit Augustinus, in *83 Quaestion.* [1]: « Non ea ratione conditus est homo qua equus ». Quando vero connotatur esse ordinatum ad finem ultimum, quod est summum bonum, nullo modo dicetur pluraliter, quia in fine [g] ultimo non differunt. Quia igitur voluntas, cum dicat [h] esse rerum ordinatum, connotat ordinem rerum [i] ad finem ultimum, non dicetur proprie plures voluntates, secundum quod dicitur voluntas qua Deus vult.

5. Ad quintum quod obicitur 'si signum [k] multiplex, et signatum': dicendum quod de voluntate [l] 'quod Deus vult' tenet, sed non de voluntate 'qua [m] vult', ut dictum est [2].

6. Ad sextum quod quaeritur de multiplicitate [n]: dicendum quod multiplicitas [o], secundum quod se extendit ad quamcumque pluralitatem, non repugnat simplicitati divinae, in qua est pluralitas personarum in una essentia [3], sed mutabilitas repugnat; proprium enim creaturae est mutari, in quantum cedit de non-esse in esse vel de esse in non-esse vel simpliciter vel aliquo modo.

7. Ad ultimum [p] dicendum quod sententia dicitur mutabilis, non consilium circa divinam voluntatem, quia consilium notat aeternam Dei dispositionem, sententia vero executionem rerum temporalem. Cum ergo dicitur sententia mutabilis, hoc est [q] ratione executionis temporalis, non ratione voluntatis divinae [a] in illa; quia vero consilium non respicit temporale, ideo dicitur immutabile.

Hoc igitur modo solvuntur obiecta circa positam divisionem [b] voluntatis in voluntatem beneplaciti et voluntatem signi.

II. Ad obiecta vero [c] contra divisionem voluntatis signi quantum ad numerum, respondendum. Secundum quosdam accipitur hoc modo [d] numerus signorum [e] beneplaciti, quae sunt operatio, permissio, praeceptio, prohibitio, consilium. Nam voluntas divina aut respicit actum dum fit aut dum est faciendus. Si dum fit: aut igitur iste actus est bonus aut malus; si bonus: eius operatio est signum voluntatis divinae; si malus: eius permissio est signum voluntatis divinae. Si vero [f] dum est faciendus: aut igitur est bonus aut [g] malus; si malus [h]: sic prohibitio illius est signum divinae voluntatis; si bonus: aut igitur necessarius est ad salutem, et sic praeceptum illius est voluntatis divinae signum; aut non est necessarius, sed tamen conferens saluti, et sic consilium illius est signum voluntatis divinae. — Vel sicut quidam correxerunt: si est actus faciendi, aut igitur est absolute faciendus, et secundum hoc est [i] praeceptum; aut absolute vitandus, et secundum hoc est [k] prohibitio; aut est in comparatione faciendus vel vitandus, et sic est consilium, quia consilium non solum est respectu melioris boni faciendi, sed minoris mali declinandi, sicut respectu culpae venialis; et hoc modo accipitur divinum consilium in Scriptura. — Aliter visum est aliis, ut accipiantur differentiae primo secundum differentiam [l] boni et mali. Signum igitur divinae voluntatis aut est respectu boni aut respectu mali. Si respectu boni: hoc est dupliciter, in dictando, in exequendo; si in exequendo: sic signum voluntatis divinae est operatio; si in dictando: aut igitur dictatur [m] necessarium saluti, et sic praeceptum; aut non necessarium saluti [n], sed expediens, et sic consilium.

Aliter dicendum [et] melius, secundum Hugonem de S. Victore, in *Sententiis* suis [4], quod signum voluntatis divinae aut accipitur generaliter aut specialiter [o]. Si generaliter: secundum hoc signa sunt permissio et operatio, sed operatio bonorum, permissio malorum. Si specialiter, videlicet respectu [p] rationalis creaturae: secundum hoc est praeceptum et prohibitio, sed praeceptio [q] bonorum, prohibitio malorum. Et hoc est quod dicit [5]: « Nam sicut operatio Dei et permissio eius per

---

[a] L om. [b] G *disiunctum*. [c] PVS *in esse* pro *c. i. e. a.* [d] V om. [e] BRGL *que*. [f] R om. [g] G *summe*. [h] BRGL *dicetur*. [i] PVS om. *c. o. r.*, BRGL om. *ordinatum*. [k] L add. *est*. [l] PVS add. *que est*. [m] PVS add. *Deus*. [n] BRGL *mutabilitatè*. [o] L *mutabilitas*. [p] BRGL *septimum*. [q] L om.

[a] PVS om. [b] G *divinam*. [c] B *ergo*. [d] R om. *h. m.* [e] PVS add. *que sunt*. [f] PV add. *notatur*. [g] RG add. *igitur*. [h] P om. *s. m.* [i] P om. [k] BRGL om. [l] G *definitionem*. [m] L *dictura*. [n] PVS om. [o] P *spiritualiter*. [p] PVS om. [q] V *preceptum*.

[1] Quaest. 46, n. 2 (PL 40, 30).
[2] Cf. supra, sub *Respondeo*. [3] Cf. supra, num. 81.
[4] *De sacram. christ. fid.* I, p. 4, c. 10 (PL 176, 237).
[5] Hugo de S. Vict., loc. cit.

omnia tenduntur, quia sine iis non fit aliquid, sic et praeceptum eius et prohibitio; sed ad rationalem creaturam diriguntur haec duo ». Consilium vero non ponitur inter signa ab Hugone, sed additur a Magistro Petro, in *Sententiis* [1], velut medium inter praeceptum et prohibitionem, sicut supra dictum est [2].

1. Ad illud ergo quod primo obicitur, dicendum quod sicut ex parte virtutis animae cognitivae ponitur duplex acceptio — una in assertione unius partis contradictionis cum negatione alterius, et dicitur scientia, cum est acceptio recta; alia, quae est in assertione [a] unius partis, non tamen cum negatione alterius, sed magis inclinans ad alteram, et dicitur opinio — ita ex parte virtutis animae motivae est duplex inclinatio: una, quae est in approbatione unius partis cum reprobatione contrarii, et hanc respicit praeceptum; alia, quae est in approbatione unius partis, non cum reprobatione alterius, et hanc ordinat consilium. Sicut ergo ex parte cognitivae, acceptioni [b] determinatae, quae est scientia, est species acceptionis contraria, scilicet error contrarius rectae scientiae, acceptioni vero indeterminatae, quae est opinio, non est [c] species acceptionis contraria, quia error non est contrarius opinioni, sed opinioni opinio: ita ex parte motivae, inclinationi [d] determinatae in bonum [e], quam ordinat praeceptum, est inclinatio contraria quae est in [f] malum, quam respicit prohibitio; inclinationi vero [g] indeterminatae in bonum [h], quam ordinat consilium, non est inclinatio contraria, et ideo non est ponere contrarium consilio, sed praecepto.

2. Ad secundum dicendum quod, si respiciatur bonum et malum secundum se, pluris divisionis est malum quam bonum: nam « bonum ex una causa, malum autem ex multis defectibus [3] ». Sed secundum quod [i] bonum et malum referuntur ad divinam voluntatem, pluris divisionis est bonum quam malum: nam bonum, quod significat divinam voluntatem, aut attenditur quantum ad illud ad quod omnes tenemur, et est necessitatis [k]; aut attenditur quantum ad illud ad quod non omnes tenemur, et est utilitatis [l] et consilii. Et etiam utrumque potest considerari vel ut faciendum vel ut iam factum. Si ut faciendum [m]: sic respicit praeceptum aut consilium; si iam factum: sic respicit [n] operationem. Ex parte vero mali secundum quod respicit non-faciendum, est una sola differentia, quia, sicut dictum est [4], consilio non est oppositum aliquid ut malum; secundum vero quod respicit malum factum: sic est permissio. Pluribus ergo modis significatur voluntas divina [o] in bonis quam in malis.

4-5. Ad quartum et quintum obiectum [p] ex auctoritate Augustini et Hugonis quod 'solum erunt duo signa, scilicet [q] permissio et operatio': patet responsio secundum Hugonem quod duo sunt signa generalia, quae respiciunt omnem creaturam, scilicet operatio et permissio; et hoc intendunt Augustinus et Hugo. Sed praeter hoc adduntur alia specialia quae respiciunt rationalem creaturam, scilicet praeceptum, prohibitio et consilium. Signum autem divinae voluntatis debet multiplicari secundum actum in quo significatur: et secundum hoc generaliter signa sunt operatio et permissio; et secundum respectum actus ad illum cui significatur: et secundum hoc multiplicatur signum per consilium, prohibitionem et praeceptionem; iis enim modis significatur rationali creaturae divina voluntas. In omni ergo creatura significatur permissione et operatione, sed rationali creaturae soli significatur praecepto, prohibitione, consilio divina voluntas: de fugiendo per prohibitionem, de operando per praeceptum, de eligendo per consilium.

6. Ad sextum dicendum quod praeceptum dicitur communiter et proprie: communiter comprehendit iussionem de faciendo et prohibitionem de non faciendo; proprie vero accipitur pro iussione, quae est de bono faciendo, et ex opposito prohibitio de malo vitando. Hic autem accipitur proprie secundum quod dividitur contra prohibitionem.

7. Ad septimum dicendum quod 'motus a' et 'motus ad', secundum quod dicuntur respectu eiusdem termini, non faciunt differentiam in motu secundum speciem; sed cum dicuntur respectu diversorum introducunt differentiam secundum speciem [r], secundum quem modum sunt differentes motus secundum speciem motus timoris et amoris. Quamvis [s] amor dicat ut 'motum [t] ad', timor vero ut 'motum a', differens tamen est [u] terminus et motivum proximum timoris et amoris, quemadmodum dicitur [v] bonum differens positivum, ut vivere, privativum, ut non mori. Motus autem amoris terminum habet bonum positivum, ut vivere; motus autem timoris et fugae [x] terminum habet bonum [y] privativum, ut non mori: ideo enim [z] aliquis ex timore fugit gladium ut non

---

[a] G *assignatione.* [b] GL *acceptum.* [c] PVS om. [d] PVS om. [e] PVG add. *et in,* quod S exp., L add. *est et in.* [f] PVS om. [g] PVSG om. [h] B om. *i. b.,* G om. *praeceptum est... ordinat.* [i] G om. [k] V *necessitas,* R om. *tenemur.* [l] L *voluntatis.* [m] G add. *vero,* BRGL om. *si.* [n] BRGL om. *s. r.,* PVS om. *mali.* [o] PVS add. *tam.* [p] BG add. *dicendum,* quod R exp. [q] B om. [r] G om. *sed cum... speciem.* [s] L *quam.* [t] PV *motus.* [u] S om., G *sit.* [v] B om. [x] L *effugere* pro *e. f.,* P add. *et.* [y] V om. [z] BRGL om.

[1] Lib. I, c. 6 (p. 275).
[2] Cf. p. 369b.
[3] Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.,* c. 4, § 30, (PG 3, 730, PL 122, 1144).
[4] Cf. supra, p. 370a, *ad 1.*

moriatur. Secundum hoc ergo dicendum quod similis est differentia praecepti et prohibitionis: nam praeceptum respicit bonum positivum, ut facere bonum, prohibitio vero bonum privativum, ut declinare a malo [1].

8. Ad octavum dicendum quod in eodem actu in genere potest concurrere praeceptum et permissum, sed in eodem actu in numero non potest esse. Unde asportare vasa Aegyptiorum, quoad illos qui asportaverunt ex cupiditate, fuit permissum, quoad illos vero qui ex obedientia, erat praeceptum. Praeterea, asportare simpliciter fuit praeceptum; sed asportare sic, scilicet ex cupiditate, non praeceptum, sed permissum fuit. Quantum ergo ad genus actus concurrunt in eodem praeceptum et permissum, sed nunquam quantum ad circumstantias actus.

9. Ad nonum dicendum [a] quod verbum permissionis dicitur multipliciter: positive et privative. Positive dicitur pro indulgentia, quae est minoris boni, et hoc modo accipitur in Glossa I Cor. 7, 25: « Virginibus permittit nubere »; privative, et hoc tribus modis: uno modo per privationem poenae temporalis, secundum quem modum dicitur Moyses permisisse repudium [b] [2], quia non puniebat temporaliter, licet peccarent mortaliter; alio modo per privationem prohibitionis, secundum quod dicitur in Psalmo [3]: *Irascimini*, Glossa [4]: « Quod necessitatis [c] est permittit », scilicet venialem [d] motum irae, id est non prohibet. Quarto modo dicitur per privationem cohibitionis, cum cohibere possit, et hoc modo dicitur proprie; et sic accipitur cum dicitur permissio esse signum divinae voluntatis, ut dicit Augustinus, in *Enchiridion*, ut supra dictum est [5]. Quatuor ergo modis dicitur aliquid permitti, scilicet cum indulgetur, cum non punitur, cum non prohibetur, cum non cohibetur.

10-11. Ad decimum et undecimum quod obicitur de prohibitione et permissione: dicendum quod prohibitio et permissio non indicant voluntatem Dei circa illud quod permittitur et prohibetur, sed circa oppositum eius, sicut patet in prohibitione, cum scilicet Deus prohibet falsum testimonium dicere, significat quod vult nos verum dicere; vel significatur circa aliquid quod ex permisso vel prohibito elicitur, sicut patet in permissione. Verbi gratia Deus permittit malos persequi bonos, et ex persecutione elicitur quod boni sunt patientiores [e] vel aliquod aliud bonum; vult ergo Deus non ipsum 'persequi', sed patientiam, quae ex persecutione elicitur [f].

12. Ad ultimum dicendum quod consilium dicitur dupliciter: uno modo appetitus inquisitionis eius quod ignoratur, sicut dicit Damascenus, et secundum hoc consulere est consilium quaerere, quo modo dicit Damascenus consilium non esse in Deo; alio modo dicitur consulere consilium dare, et hoc modo dicitur consilium signum divinae voluntatis et non est ignorantis, sed scientis; tertio modo dicitur consilium ipsa dispositio sive praeordinatio de agendis, et secundum hoc consilium non dicitur signum divinae voluntatis, sed aeterna Dei dispositio, secundum quem modum dicit Gregorius [6]: « Mutat sententiam, sed non mutat consilium ».

III. Ad obiecta vero circa praedicationem et designationem signorum voluntatis respondeo: 1. Ad primum, quod permissio et praeceptio Dei etc. possunt dici duobus modis: active, et secundum hoc permissio Dei [g] nihil aliud est quam voluntas permittens, nec praeceptio quam voluntas praecipiens, et sic de aliis, et sic [h] idem significant [i] quantum ad principale significatum, scilicet divinam essentiam; tamen connotant [k] in creatura: vel secundum positionem, ut operatio connotat effectum, praeceptio iussum etc., vel secundum privationem, sicut permissio noncohibitionem et prohibitio fugam aut [l] non-sectationem. Item dicuntur passive, et secundum hoc praeceptio accipitur pro re praecepta, prohibitio pro re prohibita, permissio pro re permissa; et secundum hoc non significatur divina essentia, sed significatur signum voluntatis: vel in ipso actu, ut in operatione et praeceptione et consilio, vel in opposito actus [m], ut in prohibitione, vel in eo quod elicitur, ut in [n] permissione. — Ad illud ergo quod obicitur ex auctoritate Augustini, quod 'permissio Dei non est ipse Deus': secundum rem, si permissio accipiatur passive, verum est; secundum vero rationem intelligentiae, non secundum rem, si permissio accipiatur active, adhuc iterum verum est quod permissio non est Deus, id est ratio permissionis non dicit idem omnino quod Deus sive divina voluntas, immo addit ad [o] intentionem voluntatis non cohibere malum.

2. Ad illud vero quod obicitur 'nihil est signum sui', iam patet responsio: nam voluntas signi dicitur in eo quod Deus vult, scilicet quod

---

[a] BRGL *respondeo*. [b] P (corr. marg.) *libellum repudii*. [c] Ita VL, alii *necessitas*. [d] VS *velocem*. [e] PV *patientes*, quod S corr. [f] P add. mg. *Unde versus: Nobile vincendi genus est patientia: Vincit qui patitur; si vis vincere, disce*. [g] S om., L *Deo*. [h] S *hic*. [i] SBRG *significat*. [k] VS add. *effectum*. [l] R *prohibitam fugam* pro *p. f. a*. [m] L om. [n] BRGL om. [o] Ita R, alii om.

[1] Cf. Lombard., *In Rom.* 12, 2 (PL 191, 1497); Psalm. 36, 27.
[2] Cf. Deuter., 24, 1 sqq. et Matth. 19, 7 sq.
[3] Psalm. 4, 5.
[4] *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 849). ex Cassiodoro, in h. l. (PL 70, 49).
[5] Cf. p. 370b, *ad 4-5*.
[6] Cf. supra, p. 367a, n. 7.

est signum voluntatis beneplaciti qua Deus vult quidquid vult.

3. Ad illud quod obicitur 'utrum sint signa eiusdem signati, id est eiusdem voluntatis', respondeo: voluntas aut accipitur pro eo quo [a] Deus vult aut pro volito, scilicet pro eo quod Deus vult. Si pro eo quo [b] Deus vult, est idem significatum per haec quinque; si vero pro eo quod [c] Deus vult, non est idem significatum [d]: nam aliud placet Deo in consiliis, aliud in praeceptis, aliud in permissis.

Hoc igitur modo absolvitur quaestio de differentiis voluntatis in generali.

TITULUS II.

DE DIFFERENTIIS VOLUNTATIS DIVINAE IN SPECIALI.

Consequenter quaeritur de differentiis voluntatis in speciali. Primo igitur [e] quaeritur de voluntate beneplaciti; secundo, de voluntate signi.

MEMBRUM I.

273 De voluntate beneplaciti [1].

Quaeritur ergo **I.** primo an voluntas beneplaciti possit frustrari [2].

Ad quod sic: *a.* In Psalmo [3]: *Omnia, quaecumque voluit, fecit;* et constat quod intelligitur de voluntate beneplaciti; ergo non potest frustrari.

b. Item, Rom. 9,19: *Voluntati eius quis resistet?* « quasi diceret: nihil [4] ».

c. Praeterea, si frustraretur divina voluntas, hoc non posset esse nisi aut ratione ignorantiae vel impotentiae, quorum utrumque longe relegatur a Deo et divina voluntate.

Contra: 1. I Tim. 2,4: *Vult omnes homines [f] salvos fieri;* sed constat quod non omnes salvi fiunt, immo plures damnantur; ergo frustratur et cassatur divina voluntas.

2. Item [g], Matth. 23,37 et Luc. 13,34: *Quotiens volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos [h] sub alas, et noluisti!* Ex quo videtur quod divina [i] voluntas impedita sit hominum voluntate.

3. Ad haec est responsio Magistrorum [5], quod est voluntas beneplaciti et est voluntas signi: voluntate beneplaciti non *vult omnes homines salvos fieri* nec Ierusalem congregare; voluntate vero signi *vult omnes homines salvos fieri* [k], quia praecipit et consulit omnibus omnia [l] quae pertinent ad eorum salutem [m]. — Contra: Damascenus [6] distinguit voluntatem beneplaciti in antecedentem et consequentem. Dicit ergo quod « oportet scire [n] quod voluntate antecedenti *vult* Deus *omnes homines salvos fieri* et regno eius potiri; non enim in puniendo plasmavit nos, sed ad participationem bonitatis eius, ut bonus ». Si ergo voluntas antecedens est voluntas beneplaciti, voluntate beneplaciti vult omnes salvari [o]; ergo voluntas beneplaciti quantum ad aliquid frustratur.

4. Propterea [p] fuerunt, qui distinguerent voluntatem beneplaciti dupliciter: est enim voluntas absoluta et voluntas conditionalis. Voluntate ergo absoluta vult solum praedestinatos salvari, quos scit bene usuros sua gratia; voluntate vero [q] conditionali vult omnes salvari, quia vult sub hac conditione: si ipsi volunt. — Sed contra hoc obicitur de parvulis non baptizatis [7]. Nam constat quod in ipsis non est voluntas contradicens divinae voluntati; ergo, secundum ipsos, vult salvari omnes parvulos: quod constat esse falsum,

---

[a] VG *quod.* [b] PVSL *quod.* [c] PVSL *quo.* [d] L om. *per haec... significatum.* [e] B om. [f] B om. [g] BRGL add. *in.* [h] VL add. *suos.* [i] L om. [k] G om. *nec Ierusalem... fieri.* [l] L *ea.* [m] P add. mg. *Dicens per Apostolum: Voluntas mea hec est sanctificatio vestra; et in Enchiridion: Vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. G.* [n] Codd. *sciri.* [o] G *salvos fieri.* [p] PVS *preterea.* [q] B *ergo.*

1 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 46, cc. 1 et 2 (p. 278 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 46, a. un., q. 1 (I, 819 sqq.).

2 Cf. supra, p. 299 sqq.

3 Psalm. 113, 11.

4 Cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 1464).

5 Cf. Hugo de S. Vict. *De sacram. christ. fid.*, I, p. 4, c. 8 (PL 176, 237); Lombard., I *Sent.*, loc. cit., Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 12, q. 1 (f. 28c); Praeposit., *Summa*, I (f. 77a).

6 *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 970).

7 Cf. Augustin., *Enchir.*, c. 7 (PL 40, 276).

nisi tantum regeneratos. Non est igitur verum quod [a] conditione dependente a parte nostri arbitrii velit omnes salvari.

5. Item obicitur: cum parvuli non baptizati damnentur, aut igitur causa damnationis est ex parte parvulorum aut ex parte divinae voluntatis. Non potest poni ex parte parvulorum, *cum nihil boni vel mali* [1] egerint; ergo ponetur ex parte divinae voluntatis; sed hoc quomodo? cum velit *omnes* [b] *salvos fieri.*

6. Item, II Tim. 2, 13: *Negare se ipsum non potest;* sed ipse est summa bonitas et summa salus rationalis creaturae; ergo summam bonitatem et salutem rationali creaturae negare non potest; sed de summa bonitate est communicare se omnibus; ergo, quantum est de se, omnibus paratus est communicare suam bonitatem et salutem. Ex quo relinquitur quod *vult omnes salvos fieri.*

Ad hoc est responsio secundum Damascenum, libro II [2], et tamen ingerit difficultatem. Dicit enim: « Oportet enim scire quod Deus voluntate antecedenti vult omnes salvari [c]: non enim in puniendo plasmavit nos, sed ad participationem bonitatis suae, ut bonus; peccantes autem vult puniri, ut iustus ». Secundum hoc ergo distinguit voluntatem divinam in antecedentem, de qua dicit quod est « acceptatio ex ipso existens », et consequentem, de qua dicit quod est « concessio ex nostra causa »; et hanc subdividit in dispensativam et eruditivam ad salutem, qua scilicet vult et concedit bonos puniri, ut Iob, et desperativam ad finalem perditionem, secundum quam vult damnatos puniri. — Item, nota quod dicit [3] quod voluntas consequens est « eorum quae non sunt in nobis; eorum autem quae [d] sunt in nobis [e] », id est in potestate [f] nostri arbitrii, « quae quidem sunt bona, antecedenter vult et acceptat », hoc est vult voluntate antecedenti; « quae vero sunt perniciosa et mala nec antecedenter [g] nec consequenter vult », hoc est nec [h] vult voluntate antecedenti nec consequenti. Secundum ergo Damascenum dicendum quod voluntas beneplaciti uno modo dicitur respectu naturae rationalis possibilis [i] ad beatitudinem quantum est de sua conditione: et hanc dicit voluntatem antecedentem, qua scilicet *vult omnes homines salvos fieri,* quia de voluntate eius est ut de natura conditionis eius sit homo ordinatus ad beatitudinem; alio modo est respectu nostri meriti quod est ex nobis: et haec dicitur voluntas consequens [k], qua scilicet non vult omnes salvari, nisi solum illos quorum [l] merita exigunt salutem.

II. Sed circa proposita [m] verba Damasceni dubitatur multipliciter. 1. Primo, cum in divina voluntate non sit prius vel posterius, ergo inconvenienter assignantur differentiae voluntatis in antecedentem et consequentem.

2. Item [n], quare ponit ipse « eorum quae sunt in nobis et eorum quae non sunt in nobis [o] » voluntatem Dei antecedentem, « eorum vero quae non sunt in nobis [p] » voluntatem consequentem?

3. Item, cum voluntas antecedens et consequens videatur esse respectu bonorum, quorum Deus est initium, ergo videtur [q] quod utraque sit voluntas [r] antecedens.

4. Item, cum voluntas sequens sit « concessio ex nostra causa », sicut ipse dicit, sed nostra causa est respectu « eorum quae sunt in nobis »; ergo voluntas sequens [s] est respectu « eorum quae sunt in nobis [t] ». Qualiter ergo stabit [u] illud quod dicit postea quod « voluntas sequens est [v] respectu eorum quae non sunt in nobis »?

5. Item, in nobis est bene facere, gratia assistente, male, gratia desistente [x 4]; sed ad hoc sequitur poena aut praemium; ergo in nobis est salvari aut puniri: in quo enim est [y] causa proxima antecedens, in eo est effectus proximus consequens; ergo voluntas consequens est « eorum quae sunt in nobis ».

6. Item, dubitatur de hoc quod dicit quod « eorum quae sunt in nobis non est voluntas antecedens vel consequens ». Nam dicit Augustinus, in *Enchiridion* [5]: « Nihil fit, sive bonum sive malum, quod Omnipotens fieri non velit ». Cum ergo haec divisio sit sufficiens voluntatis divinae in antecedentem et consequentem, vult [z] mala fieri voluntate antecedente vel consequente.

Respondeo I. quod voluntas beneplaciti nunquam frustratur, sicut dicit iuxta Apostolum B. Augustinus.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod obicitur ex auctoritate Apostoli: *Vult omnes homines salvos fieri,* respondetur multipliciter. Uno modo,

---

[a] S add. *de;* R *pendente* pro *dependente,* quod V corr. [b] R add. *homines.* [c] G *salvos fieri.* [d] Codd. add. *non.* [e] R om. *eorum autem... nobis.* [f] P add. *nostra.* [g] R om. *vult et acceptat... antecedenter.* [h] RG om. [i] PG om., in SR est add. mg. [k] BRGL *sequens.* [l] L add. *solum.* [m] BRGL *posita.* [n] S add. *queritur.* [o] V om. *et eorum... nobis.* [p] G om. *voluntatem Dei... nobis.* [q] V *notatur.* [r] L om. [s] S *consequens,* G om. *respectu.* [t] R om. *ergo voluntas... nobis.* [u] PV *verum est.* [v] Ita PV, alii om. [z] L *malum gratia absente* pro *m. g. a.* [x] P om. [y] L *vel.*

1 Rom. 9, 11.
2 *De fide orthod.,* II, c. 29 (PG 94, 970).
3 Damasc., loc. cit.
4 Cf. Pseudo-Hugo de S. Vict., *Summa,* tr. 3, c. 8 (PL 176, 101); Lombard., II *Sent.,* d. 24, c. 3 (p. 421).
5 Cap. 100 (PL 40, 279).

secundum Augustinum, in *Enchiridion*[1], ut intelligatur sic: *Vult omnes*[a] *salvos fieri*, id est « nullus salvatur nisi quem vult salvare[b] »; in quem modum accipitur illud Ioan. 1,9: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quod sic intelligitur[2]: « Non quia nullus hominum est qui non illuminetur, sed quia nullus nisi ab ipso illuminatur »; ita et ex ista parte intelligendum est. Et est exemplum Augustini, in libro *De vocatione sanctorum*[3]: « Si esset unus solus magister in una civitate qui doceret pueros, posset dici quod iste magister docet omnes pueros huius civitatis, non quod omnes doceantur, sed quia nullus docetur nisi qui docetur ab ipso[c] ». Sic ex parte ista unus est qui *vult omnes*[d] *salvos fieri*, nec tamen omnes salvi fiunt, sed qui salvi fiunt, per ipsum salvantur. — Aliter respondet Augustinus, in *Enchiridion*[4], distinguens hanc: *Vult omnes homines salvos fieri*, quia potest fieri distributio pro singulis generum, et hoc modo falsa est: non enim vult singulos homines salvos fieri; vel potest fieri distributio pro generibus singulorum, et hoc modo vera est et intelligenda ut sit sensus: vult de omni genere hominum salvos fieri. Et habetur simile[e] Matth. 23[5]: *Decimatis omne olus*, id est omne olerum genus; non enim singula olera decimabant[f], quae in diversis mundi partibus oriuntur[6]. — Aliter, secundum Damascenum, sicut supra tactum est[7]: voluntate antecedenti *vult omnes salvos fieri*[g], voluntate vero[h] consequenti non.

3. Et ad quaestionem, qua quaeritur utrum voluntate beneplaciti velit omnes salvari, per hoc est responsio. Nam voluntas beneplaciti potest dici respectu possibilitatis rationalis creaturae ad salutem, quae quidem[i] possibilitas est in ipsa[k] a Deo: et hoc modo voluntate beneplaciti *vult omnes*[l] *salvos fieri*. Alio modo voluntas beneplaciti dicitur respectu effectus salutis, qui[m] redditur a Deo rationali creaturae pro meritis: et sic voluntate beneplaciti non *vult omnes salvos fieri*, sed solum praedestinatos. Primo modo dicit Damascenus voluntatem antecedentem, et hoc ratione bonitatis quae est in Deo; secundo modo dicit voluntatem consequentem, secundum rationem iustitiae quae respicit merita, quae sunt in nobis vel a nobis. Patet igitur quod semper impletur voluntas Dei beneplaciti, sive dicatur antecedens sive consequens.

2. Simili modo respondetur[n] ad illam auctoritatem: *Quotiens volui congregare filios* etc. Secundum autem Augustinum, in *Enchiridion*[8], exponitur sic: *Quotiens congregare volui filios tuos, et noluisti*, « id est quotquot congregavi voluntate mea semper efficaci, te nolente, feci; non enim ex eo sensu dictum est quasi[o] Dominus voluerit colligere[p] filios Ierusalem et non sit factum quod voluit, quia ipsa noluerit, sed potius[q] illa quidem ab ipso filios suos colligi[r] noluit, qua tamen nolente, filios eius collegit omnes quos voluit ». De voluntate ergo beneplaciti illa intelliguntur, sicut iam patet, non de voluntate signi, sicut illi[s] dixerunt.

4. Ad illud vero quod dixerunt alii quod de voluntate conditionali esset intelligendum, non de voluntate absoluta[t]: dicendum quod sic potest dici, sed conditio non debet talis apponi: *Vult omnes salvos fieri*, 'si ipsi volunt', propter parvulos; sed debet apponi: *Vult omnes salvos fieri*, 'quantum in se est'[9], vel 'si sunt digni vel susceptibiles salutis'. Quemadmodum *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*[u], quantum est de se, qui est illuminabilis vel susceptibilis illuminationis, sic vult omnes salvare, quantum est[v] in se, qui sunt susceptibiles salutis; sed parvuli non sunt susceptibiles propter culpam originalem; quia ergo in illis non servatur conditio, ideo non consequuntur effectum salutis.

5. Et per hoc patet responsio ad illud quod quaerebatur 'quae est causa damnationis parvulorum': causa enim non est ex parte voluntatis, sed ex parte corruptionis[x] animae, quae contrahitur ex massa peccatrice.

6. Ad illud quod obicitur quod '*negare se ipsum non potest*': sic intelligendum est ut quod dicit 'non posse' non dicat necessitatem[y] qua adstringatur suam bonitatem communicare, sed immutabilitatem suae liberalitatis qua, quantum in se est[z], paratus est communicare nisi impedimentum ex parte suscipientis invenerit.

II. Ad illa vero quae quaeruntur circa verba Ioannis Damasceni per ordinem respondendum.

---

[a] BRG add. *homines*. [b] G add. *id est*. [c] V *isto*. [d] L add. *homines*. [e] BRG add. *in*, PVS *decimabilis* pro *decimatis*. [f] L *determinabant*. [g] L *salvari* pro *s. f.* [h] B *ergo*, L *contingenti* pro *consequenti*. [i] B *quidam*. [k] B *ipso*. [l] BL add. *homines*. [m] V *quc*. [n] P *responderetur*. [o] R *quod*. [p] PVS *congregare*. [q] Codd. *potutt*. [r] Codd. add. *sed*. [s] PS add. *qui*, V *aliqui*. [t] BRGL *absolute*. [u] BRGL om. *v. i. h. m.*, V om. *hunc*. [v] BGL om. [x] PV *corporis*, S add. *corporis*; PVS *quia* pro *quae*. [y] S add. *suam*. [z] B om.

1 Cap. 103 (PL 40, 280); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 46, c. 2 (p. 279).

2 Cf. Augustin. et Lombard., loc. cit.

3 Seu *De praedest. sanct.*, c. 8, n. 14 (PL 44, 971), ad sensum; cf. *De nat. et grat.*, c. 41 et *De nupt. et concup.*, II, c. 27, n. 46 (PL 44, 271 et 463).

4 Cap. 103 (PL 40, 280 sq.).

5 Rectius Luc. 11, 42; cf. Matth. 23, 23.

6 Cf. Augustin., loc. cit. (PL 40, 281).

7 Cf. p. 373a.

8 Cap. 97 (PL 40, 277), ad sensum, sed tota solutio verbotenus apud Lombard., I *Sent.*, d. 46, c. 2 (p. 278 sq.).

9 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 12, q. 1 (f. 29a).

1. Ad primum quod obicit quod 'non debent esse huiusmodi differentiae voluntatis, antecedens et consequens': dicendum quod 'antecedere' et 'sequi' non dicuntur in divina voluntate respectu prioritatis et posterioritatis in ipsa, sed respectu prioritatis et posterioritatis in nobis; voluntas enim antecedens dicitur respectu boni antecedenter collati nobis non ex merito nostro, voluntas vero [a] consequens respectu boni quod est [b] nobis conferendum ex merito nostro.

2. Ad illud quod quaeritur 'quare [c] ponit « eorum quae sunt in nobis et eorum quae non sunt in nobis [d] » voluntatem antecedentem, « eorum vero quae non sunt in nobis » voluntatem consequentem', respondeo [e]: primo, creatura rationalis exit in esse ordinabilis ad salutem per usum liberi arbitrii; deinde est usus liberi arbitrii; tertio est remuneratio liberi arbitrii. In nobis autem non est constitutio nostri arbitrii [f], sed a Deo est; similiter remuneratio [f] nostri arbitrii, scilicet gloria, a Deo est; medium est in nobis, scilicet usus liberi arbitrii. Voluntas ergo antecedens est respectu constitutionis liberi arbitrii, voluntas consequens [g] respectu remunerationis liberi arbitrii. Item, usus liberi arbitrii aut erit bonus aut erit [h] malus; si bonus: illum respicit divina voluntas; si malus: illum non respicit divina voluntas, quia illius non est causa; voluntas ergo antecedens est respectu boni usus. Voluntas ergo Dei, secundum quod est causa « eorum quae non sunt in nobis », dupliciter dicitur: antecedens et consequens; secundum quod est « eorum quae sunt in nobis », solum uno modo [i], scilicet antecedens.

3. Ad illud quod obicitur 'quare non dicitur utraque antecedens', iam apparet responsio, quoniam antecedens dicitur ratione boni conditionis quod praecedit, et etiam perfectionis voluntatis ad merendum; consequens vero ratione retributionis, quae [k] consequitur conditionem et meritum.

4. Ad illud quod obicitur quod 'voluntas sequens debeat dici « eorum quae sunt in nobis », propter hoc quia « est concessio ex nostra causa' »: dicendum quod « concessio ex nostra causa » dicitur voluntas consequens, quae respicit retributionem et praemium, non quia simus causa illius, sed solum in hoc notatur ordo, ut dicatur voluntas sequens, quae est respectu boni sequentis [l] meritum nostrum; quamvis autem nos simus nostri meriti causa, non tamen gloriae quae consequitur ad meritum nostrum; nostram ergo causam ibi dicit nostrum meritum. — Ideo [m] nota quod voluntas antecedens dicitur respectu boni quod antecedit nostrum meritum. Antecedit autem nostrum meritum [n] bonum duplex: unum, quod non est in nobis, scilicet constitutio nostri [o] liberi arbitrii; aliud [p] quod est ex nobis, scilicet consensus liberi arbitrii ad gratiam. Ideo ergo dicitur voluntas antecedens respectu « eorum quae sunt in nobis » et respectu « eorum quae non sunt in nobis »; voluntas vero consequens dicitur respectu boni quod consequitur nostrum meritum, quod est bonum retributionis, et ideo dicitur « eorum quae non sunt in nobis ».

5. Ad illud quod obicit quod 'in nobis est bene facere et male, et ita salvari et damnari', respondeo: in nobis est salvari ut in causa meritoria vel disponente, non ut in causa agente vel efficiente; unde non valet argumentatio: 'si nos sumus causa primi, quod nos simus causa secundi', quia quamvis ordinemur ad nostrum meritum sicut causa efficiens, meritum tamen nostrum non ordinatur ad praemium [q] ut causa efficiens, sed ut aliquid ad suam causam finalem, hoc est in ratione disponentis vel meritorii; sed ipsum praemium est finis meriti nostri.

6. Ad ultimum dicendum quod voluntas Dei, secundum quod dicitur malorum, non dicitur voluntas beneplaciti, sed solum signi; mala enim non fiunt voluntate beneplaciti Dei, sed voluntate signi, quae dicitur permissio; et ideo non fiunt nec voluntate antecedente nec voluntate consequente, quia hae nominant voluntatem beneplaciti.

Multa [r] alia quaerenda sunt de voluntate beneplaciti secundum comparationem ad reprobationem, excaecationem, obdurationem, quae competentius in Quaestione de reprobatione determinata sunt [1].

MEMBRUM II.

De voluntate signi.

Consequenter quaerendum est de signis voluntatis divinae in speciali:

Et primo de prohibitione et praeceptione;

secundo de permissione;

tertio, de operatione: nam de consilio satis patebit iis determinatis.

---

[a] V om. [b] P add. *in*. [c] L om. [d] G add. *in*. [e] PV *respondendum*. [f] S om. *n. a.* [g] PV *consensus*. [h] R om. [i] P delev., V om. *uno*. [k] BRGL *quod*. [l] RL om. *q. e. r. b. s.* [m] B *item*, G *et ideo*. [n] S add. *unum*. [o] P *nostra*. [p] P *alii*. [q] B *primum*, quod R corr. [r] V *muta*, G add. *autem*.

[1] Cf. p. 328, num. 234 sqq.

CAPUT I.

DE PRAECEPTIONE ET PROHIBITIONE DIVINA.

In primis igitur quaeritur insimul de praeceptione et prohibitione divina. Et quaerenda sunt tria:

Primo, an possit[a] praecipere quod non vult vel prohibere quod vult;

secundo, an possit praecipere contra ius naturale;

tertio, an possit praecipere aut[b] prohibere contra ius morale Decalogi.

274

ARTICULUS I.

An Deus possit praecipere quod non vult vel prohibere quod vult[1].

I. Quantum ad primum obicitur sic: *a.* Gen. 22,2 praecepit Dominus Abrahae quod immolaret filium, et tamen noluit quod immolaretur; ergo praecepit quod noluit.

b. Si dicatur quod non praecepit immolare, sed quod praepararet ad immolandum et ut ad offerendum tolleret, et haec bene volebat Dominus – contra hoc obicitur: Ad Hebr. 11,8, in Glossa[2]: « Promissionem pius pater tenens, quam per hunc oportebat impleri quem Deus iubebat occidi, non haesitabat quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus ». Ergo praecepit Dominus Abrahae Isaac immolare[c], quod tamen ipse nolebat.

Contra[3]: 1. Aut Dominus praecepit Abrahae quod noluit aut quod voluit; non quod voluit, quia revocavit; ergo quod[d] noluit; ergo aliud fuit in signo, aliud in voluntate, sive aliud in ore, aliud in mente; sed quando sic est[e], est duplicitas; ergo in Deo fuit duplicitas; sed hoc est inconveniens.

2. Item, imperium sive praeceptum est signum voluntatis divinae[f] circa illud quod praecipitur; sed[g] imperium fuit de immolando Isaac; ergo si non vellet quod immolaretur, esset falsitas signi et mendacium[h] in Deo; hoc autem est inconveniens; ergo praecepit quod voluit.

Solutio: Dicendum, sicut dicit Ambrosius, in libro *De Patriarchis*[4]: « Quandoque[i] aliquid iubendo significamus velle fieri quod tamen fieri nolumus, sed tamen experimentum obedientiae quaerimus, sicut[k] Abraham a Domino tentatus legitur et[l] iussus filium immolare, quem Dominus ab eo nolebat occidi ». Et hoc probat Ambrosius[5], quia dixit ei Dominus[6]: *Non mittas manum in puerum* etc.: « Affectum inquisivi, non factum exegi; tentabat affectum patris, si Dei praecepta praeferret filio ». Ex quo accipitur haec distinctio, « quod est praeceptum probationis et est praeceptum executionis[m 7] »; et vult[8] quod in praecepto probationis « significamus fieri[n] quod fieri nolumus, sed tantum experimentum quaerimus », in praecepto executionis significamus fieri quod fieri volumus. Unde in praecepto probationis est voluntas de praeparatione ad actum solum et non de actus impletione; in praecepto executionis est voluntas de impletione actus. Praeceptum ergo, quod fecit Dominus Abrahae, fuit praeceptum probationis, non executionis; unde nolebat nisi quod praepararet filium ad immolandum, sicut et fecit. Propter hoc dicit Ambrosius: « Affectum inquisivi, non factum exegi »; et sic non praecepit nisi quod voluit.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur de duplicitate[o] respondent distinguendo[9]: « quod est quaedam duplicitas in intellectu[p], ut large accipiatur intellectus etiam pro vi interpretativa, et haec est in indicativis locutionibus. Verbi gratia:

---

[a] R *sit*. [b-b] L *an*, G om. *ius*. [c] Ita PV, alii *immolari*. [d] L om., G add. *non*. [e] B om. [f] BRGL *Dei*. [g] L *hoc*. [h] L *mendacii*. PVSL *quando*. [k] PS add. *in*. [l] G *ut*. [m] L *equitationis*. [n] PV om. [o] P *duplici* pro *d. d.* [p] R *intelligitur* pro *i. i.*

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 45, c. 7 (p. 276sqq.); Praepositi., *Summa*, II (f. 111b); Guil. Altissiod., *Summa*, III, tr. 8, c. 3, q. 1 (f. 184a sq.), sed praesertim Phil. Grevius, *Summa*, III (f. 193b sqq.), apud quem multa hic et in sequentibus afferenda verbotenus et alia ad sensum occurrunt.

[2] Lombardi, in h. l. (PL 192, 494), ex Augustino, *De civit. Dei*, XVI, c. 32, n. 1 (PL 41, 511).

[3] Pro seqq. duobus argum. cf. Phil. Grevius, loc. cit.

[4] Potius glossa Gratiani super sequentem locum Ambrosii, *Decret.*, p. II, C. 22, q. 2, c. 20 (PL 187, 1137).

[5] *De Abraham*, I, c. 8, nn. 76 et 66 (PL 14, 448, 445), etiam ap. Gratian., loc. cit.

[6] Exod. 22, 12.

[7] Phil. Grevius loc. cit. (f. 193c): « Alii distinguunt dicentes etc. ». Cf. Lombard., loc. cit., et Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 184b): « Et nota quod istud non fuit preceptum ad *executionem*, immo forma verborum communis fuit ad preceptum quod est ad *probationem* et preceptum quod est ad *executionem* ».

[8] Gratian., loc. cit.

[9] Quae sequuntur verbotenus apud Phil. Grevium occurrunt, loc. cit. (f. 193d).

quando cogito in intellectu de aliqua re quod sit et dico quod non est, vel e converso, quia contrarium dico ei quod cogito, et ideo [a] quia ad eamdem vim pertinet, recte huiusmodi contrarietas duplicitatem facit. Item, est quaedam duplicitas in affectu, ut in [b] optativis locutionibus, ut si dicam ' utinam legerem ', et per hanc locutionem significatur desiderium legendi sive voluntas; unde si non est voluntas legendi, comparatione eiusdem vis, scilicet affectus, erit contrarietas, et ita duplicitas; sic autem non est in divina voluntate. Item, sicut [c] optativum significat desiderium, ita imperativum significat imperium ex parte praecipientis, ut cum dico ' occide illum '; ipsum autem verbum significat ex natura sui occisionem, modus autem significat imperium ex parte praecipientis, et ita significatur me imperare de occisione illius. Praeterea, notandus [d] est ordo iste: prius autem est opus rationalis et post voluntatis, tertio irascibilis. Cognoscit enim quod optat, consequenter et post voluntatem sequitur imperium: nullus enim recte imperat nisi ob [e] aliquod volitum, et ideo imperium, quod est virtutis imperativae, significat voluntatem praeambulam imperantis; et voluntas semper est circa actum imperandi et non semper circa imperatum, quia non semper est illius quod imperatur, licet ita accipiat ille cui fit imperium ». Dicendum ergo quod voluntas Domini fuit ut praepararet [f] occidere, non ut occideret [1].

2. Ad aliud dicunt quod verba duplicem habent sensum, scilicet quem faciunt et in quo fiunt; in praecepto ergo semper debet attendi sensus in quo fit, sed non semper sensus quem facit; unde obediendum est semper praecepto in sensu [g] in quo fit, et non semper in sensu [h] quem facit [2]. Unde iuxta hoc sumitur quaedam *Decretalis* [3], quod in omni praecepto, quantumcumque distincto, legitimae exceptiones sunt admittendae. Sicut ergo in voluntate Domini [i] erat quod Abraham praepararet se ad immolandum filium, ita in hoc sensu dedit ei praeceptum, et non in sensu quem faciebat; et sic non fuit falsitas nec mendacium in ipso neque in signo suae voluntatis.

Sed adhuc [k] obicitur sicut prius: Dominus [4] « praecepit quod Abraham occideret, et verbo praecipiendi significavit se velle hoc: praeceptum enim est signum voluntatis eius qui praecepit; et non voluit hoc; ergo duplex fuit ».

« Item, cum vires ordinatae sint, prius est opus rationis in cognoscendo [l], deinde opus voluntatis in operando, tertio opus irascibilis in imperando: nullus enim imperat nisi ob aliquod volitum; ergo imperium est signum voluntatis circa aliquod volitum; et videtur quod potius de ipso imperato quam de alio; ergo imperando significavit se velle aliquid quod imperabat; et non volebat; ergo videtur duplicitas ».

« Respondeo: dicendum quod imperium signum est voluntatis eius qui imperat, sed [m] non semper signum est voluntatis de ipso imperato. Unde dicimus quod haec est falsa ' verbo praecipiendi significavit se velle quod praecipiebat, scilicet Abraham immolare Isaac '. Quandoque enim verbum imperandi significat voluntatem imperantis de ipso imperato, ut in praecepto executionis: ut si dicam [n] servo ' fac ignem ', et revera volo quod faciat ignem; aliquando significat voluntatem imperantis non de ipso imperato, sed de aliquo in imperato, et tunc non est ipsum imperatum volitum secundum se, sed aliquid in imperato [5]. In praesenti autem [o] casu ita est quod voluntas imperantis non fuit de ipso imperato, sed de aliquo in imperato; et hoc proprium est in praecepto probationis, scilicet ut non velit quod praecipit secundum se, sed velit aliquid in illo. Dicitur autem aliquid esse in illo quod praecipitur, quod ita [p] est in illo quod necessario est in illo: unde differentia est inter haec duo ' velle immolare Isaac ' et ' praeparare se ad immolandum '. Non enim in ' immolare Isaac ' [q] necessario continetur ' velle immolare Isaac ': nam posset hoc facere aliquis compulsus; sed [r] in ' immolare Isaac ' necessario est ' praeparare se ad immolandum ' [s]: et hanc praeparationem [t] voluit Dominus, licet non voluerit actum immolandi. Unde fuerunt ibi duo, de quibus fuit [u] voluntas: primum est imperium immolandi Isaac, voluit enim

---

[a] S *dico*. [b] P om., L om. *ut*. [c] G om. [d] L *nobilius*. [e] PVS *ad*, G add. *hoc*. [f] P *propararet*. [g] R om. *i. s.* [h] G *sensus pro i. s.* [i] BRG *Dei*. [k] S *ad hoc*. [l] L *cogitando*. [m] Ita BR, alii *et*. [n] GL *dicatur*. [o] PVS *enim*. [p] PVS om. [q] G om. *et praeparare... Isaac*, B om. *in*. [r] L add. *si*. [s] L add. *Isaac*. [t] S *immolationem*. [u] PVS *dicitur*, L *fuerit*.

[1] Cf. Phil. Grevius, *Summa*, III (f. 194a); Guil. Altissiod., (f. 184b).

[2] Cf. *Decret. Gregor. IX*, lib. V, tit. 40, c. 8; *Cod. Iustiniani*, I, tit. 17, *De legib. et constit.*, c. 4: « Non dubium est in legem committere eum qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem ».

[3] Cf. *Decret. Gregor. IX*, lib. I, t. 14, c. 13 (Innoc. III), Glossa mg. *b*: « Quantumcumque absolute scribatur, exceptiones legitimae sunt admittendae »; et tit. 29, c. 13.

[4] Quae sequuntur verbotenus et eodem ordine occurunt apud Phil. Grevium, loc. cit. (f. 193d-194ab).

[5] Phil. Grevius, loc. cit. (f. 194a) ita prosequitur: « Quandoque significat voluntatem imperantis de ipso imperato non simpliciter, sed secundum quid, scilicet respectu alicuius, et ibi contingit quod illud quod est volitum ab eo qui facit praeceptum est oppositum ei quod praecipitur; et licet sit volitum, non tamen significatur verbo imperantis quod sit volitum, immo cum sit contrarium sive oppositum quodammodo ei quod praecipitur, videtur significari non esse volitum eo quod non significatur esse volitum; et de hoc casu dicemus postea. In praesenti autem casu » etc.

imperare quod imperavit; alterum est praeparatio ad immolandum; tertium est, quod non fuit volitum secundum se, scilicet actus immolandi: secundum se dico, quia in illo aliquid voluit, non illud quod fuit quasi [a] imperatum, et est quasi [b] inter praedicta duo. Et secundum hoc non valet illa [c] argumentatio: 'praecepit immolationem Isaac, et non voluit illam, ergo fuit duplex', et hoc, quia voluit aliquid in illa, scilicet praeparationem. Et si addatur quod significavit se velle immolationem, illa neganda est, quia non significavit hoc; tamen bene concedimus quod Abraham credidit quod Dominus vellet istud tertium, scilicet actum immolandi Isaac, et ita plus fuit in voluntate recipientis quam praecipientis ».

« Et per hoc patet solutio ad sequentem obiectionem, scilicet qua ostendit quod in praecepto illo fuit signum falsi ». Unde nota quod « aliter est in optativis locutionibus: ut si diceret 'utinam occideres Isaac'; verbum enim optandi proprie et directe significat optationem sive voluntatem de illo quod dicitur optari, et si non optatur, est ibi duplicitas. Verbum autem imperandi secundum se et directe non significat [d] voluntatem, sed ex propria significatione significat imperium, sicut ex propria significatione [e] optativum voluntatem. Et ideo sicut optativum non potest significare voluntatem nisi [f] de eo quod dicitur optari, ita verbum imperandi non potest significare imperium de alio quam de illo quod imperatur; sed cum eius significatio non sit propria et directa de voluntate, non est mirum si significare potest voluntatem, non de eo quod imperatur, sed de alio ».

II. Deinde quaeritur de prohibitione.

« **Videtur** [1] **autem quod Dominus praeceperit quod non voluit** [g]: 1. Matth. 8,4, super illud: *Vide, nemini dixeris,* Glossa [2]: "Taceri iussit, nec tamen taceri potuit, non quia voluit quod non potuit, sed dat exemplum, ut sui in magnis, quae faciunt, latere velint". Et tamen non dicitur, Matth. 8,4, quod illud promulgaverit, sed Marc. 1,45 dicitur quod *egressus coepit praedicare et diffamare sermonem;* et dicit ibi Glossa [3]: "Non quia voluit quod non potuit, quia *omnia* [h], *quaecumque voluit, fecit* [4], sed docet nostra beneficia reprimi non tantum a mercede [i] pecuniae, sed etiam gratiae". Ex Glossa autem videtur quod praecepit quod non voluit, quia ex quo *omnia, quaecumque voluit, fecit,* et istud secutum est quod non [k] tacuit; ergo non voluit ut taceret ».

2. Item [l], praecepit taceri. « Aut ergo voluit taceri aut non voluit. Si voluit taceri, et effectus non est secutus, quia iste non tacuit: ergo voluit quod non potuit; sed hoc esse non potest; ergo in veritate non voluit taceri, et praecepit taceri; ergo praecepit quod non voluit; ergo duplex fuit, si praecepit quod non voluit; ergo [m] habetur propositum ».

3. « Item, quaeritur qualiter intelligatur Glossa [5] illa super Matth.: "Taceri iussit" etc.; si enim iussit taceri et [n] non potuit taceri, ergo praecepit quod non potuit fieri, et ita impossibile ».

« Sed contra hoc est sequens Glossa quae dicit: "Non quod aliquid voluit et non potuit". Ergo praecepit quod potuit et ita possibile [o] ».

Respondeo: 1. « Ex fine Glossae [6] patet solutio, ubi dicitur: "Dat exemplum, ut sui in magnis quae faciunt, latere velint, sed ut prosint aliis prodantur [p] inviti". Per hoc patet quod fuit ibi aliquid quod voluit, scilicet taceri, quantum ad laudem suam pertinebat in quantum erat homo, et de hoc [q] aliis dabat exemplum; et hoc dicit illa pars: "ut sui in magnis, quae faciunt, latere velint". Et fuit ibi quod voluit, scilicet non taceri, sed praedicari [r] ad proximi utilitatem et Dei honorem; et hoc dicit illa pars: "sed ut [s] prosint aliis prodantur inviti". Primum dicit quantum ad suam laudem [t], secundum quantum ad proximorum utilitatem quam quaerebat ».

3. « Ad hoc ergo quod obicitur 'taceri iussit et taceri non potuit, ergo iussit impossibile', respondeo quod non sequitur, quia is est sensus: iussit taceri fugiendo propriam laudem, quod non potuit utiliter fieri quantum ad proximorum utilitatem; et quod non potest utiliter fieri dicitur [u] secundum ius non posse fieri, licet alias esset possibile [v]. Unde dicitur postea [7]: "Non aliquid voluit quod non potuit"; voluit autem [x] quod potuit: voluit enim hoc praedicari ad proximi utilitatem et Dei laudem ».

---

[a] BRGL om. [b] L *quod fuit et est quod* pro *quasi*. [c] PV *ista*. [d] G *directivam significat secundum se* pro *d. n. s.* [e] L *voluntate* [f] L *nec.* [g] V *noluerit*, R *noluit* pro *n. v.* [h] P om. [i] PVS *enim tantum est beneficium* pro *n. t. a. m.* [k] G *Domino*. [l] G om. [m] BRGL om. [n] PV om. *t. e.* [o] V *impossibile*. [p] Ita L (corr.), alii *pandantur*. [q] PVS om. [r] BRL add. *scilicet*. [s] PVS *si*. [t] G om. *pertinebat in quantum... laudem*. [u] BRGL *dicit*, BRG om. *fieri*. [v] B *impossibile*. [x] PVS *ergo*.

1 Omnia sequentia, prout iacent, verbotenus occurrunt apud Phil. Grevium, loc. cit. (f. 194bcd, 195a).

2 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 112), ex Beda, *In Marc.*, c. 1, 45, et repetit, *In Luc.*, c. 5, 14 (PL 92, 145, 386), ex Gregor. M., *Moral.*, XIX, c. 23 (PL 76, 120).

3 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 185), ex Beda, in h. l., et repetit, *In Luc.*, c. 5, 14 (PL 92, 114sq., 386), ex Ambrosio, in h. l. (PL 15, 1637).

4 Psalm. 113, 11.

5 Supra citata, nota 2, ubi et sequens *Glossa*.

6 Cf supra, nota 2.

7 Cf. nota 3.

2. « Item, ad illud quod obicit[a] 'praecepit taceri: praeceptum enim[b] fuit signum quod voluit illud taceri; et voluit oppositum eius quod est taceri, quia voluit clamari; ergo fuit ibi duplicitas', respondeo[c]: iam diximus supra[1] quod praeceptum, licet sit signum voluntatis, non tamen semper est signum eius quod praecipitur, sed signum est[d] quod subest aliquod 'volitum' circa illud; unde quodammodo sive secundum quid est volitum, scilicet quantum ad hoc quod aliquid in illo vel circa illud est volitum, simpliciter autem non; et ita est hic: nam taceri fuit volitum hic secundum quid, scilicet quantum ad propriae laudis vitationem; oppositum eius, scilicet non taceri et praedicari, volitum fuit simpliciter propter proximi utilitatem et Dei gloriam ».

a. Item, « praeceptum fuit leproso ut taceret, et fuit praeceptum obligatorium, maxime cum esset licitum quod praecipiebatur ». — Quod patet: « Abraham tenebatur occidere filium ex praecepto Domini, quia praeceptum erat obligatorium, et etiam quia credebat Deum velle illud, non tantum ex praecepto, sed ex conscientia sua tenebatur; sed hoc malum erat in genere; ergo si ad illud tenebatur Abraham ex praecepto, ergo multo magis tenebatur leprosus ».

« **Contra:** 1. Tenebatur ex illo praecepto tacere, et non tacuit; ergo transgressor fuit praecepti; ergo peccavit mortaliter; pari ratione ita erit[e] in caecis[2]; hoc autem est contra Glossam[3], quae dicit quod " praecepit taceri quod taceri[f] non potuit "; ergo ei imputandum non fuit, et etiam cum maius bonum proveniret ex manifestatione quam ex taciturnitate ».

2. « Item, instinctu caritatis hoc fecerunt caeci; unde[g] super illum locum Matth. 9,31: *Egressi coeperunt praedicare;* " Non possunt tacere, memores prioris gratiae "[4]. Restat ergo quod non peccaverunt ».

3. « Item, voluntas Dei fuit non quod tacerent, sed quod clamarent; obedire autem est voluntati superioris satisfacere[5]; ergo non fuerunt inobedientes; ergo non peccaverunt ».

« **Respondeo:** A principio ex praecepto tenebantur tacere, sed postea, Domino inspirante, intellexerunt causam praecipiendi, scilicet vitationem laudis humanae; intellexerunt etiam utilitatem futuram aliis ex praedicatione sive[h] manifestatione, et propter maiorem fructum perceperunt Dominum hoc velle, licet non deceret eum dicere: multa enim volumus, dicere tamen erubescimus et etiam dicere nos non decet. Et ideo dicimus nec leprosum nec caecos peccasse. Et non valet praedicta argumentatio 'tenebantur tacere ex praecepto et non tacuerunt, ergo transgressi sunt': quia addendum esset 'et voluntatem Domini non intellexerunt'; tamdiu ergo tenebantur tacere, quamdiu non adverterunt Domini voluntatem; unde eleganter dictum est[6]: " Iustum iusto contrarium est ", quoniam[i] iustum est tacere quod praeceptum est, et iustum est[k] illud praedicare ad laudem Dei ».

« Item, sicut Veritas tenuit duplicitatem in verbo, ita et in facto et in signo, quia in factis loquimur suo modo sicut et[l] verbis[7]. Quaeritur ergo[m] de hoc quod Dominus videtur fuisse duplex in facto, Luc. ultimo, 28, ubi *finxit se longius ire* ».

« **Respondeo** quod nulla fictio dicenda est ex parte eius, sed ex parte accipientis. In hoc enim quod ostendit *se longius ire,* ostendit verum, quia ita fuit postea, scilicet quod longe ivit ab eis, sed non tunc. Ipsi autem accipiebant quod tunc esset longe iturus ab eis, sed hoc falsum, et ita [fictio] ex parte accipientium. Et attende quod haec est duplex 'ostendit se tunc[n] longius ire ab eis', quia ly 'tunc' potest determinare ly[o] 'iturum', et sic est falsa; vel potest determinare ly 'ostendit', et sic vera. Unde dicendum quod significavit se habere in proposito iter ulterius, ut significaret quod in resurrectione non fuit

---

[a] BRGL *Item quaeritur* pro *I. a. i. q. o.* [b] S *hoc.* [c] PVS *responsionem.* [d] BRG *eius.* [e] P *erat,* S om. *i. e.* [f] R *tacere,* G om. *q. t.* [g] G om. [h] PVS add. *ex.* [i] G *quia.* [k] L om. *e. i. e.* [l] V *in.* [m] BR *etiam.* [n] G om. [o] V *se.*

1 Cf. p. 377b.

2 Cf. Matth. 9, 31.

3 *Ordin.,* supra cit., p. 378, nota 2.

4 *Glossa interlin.,* in h. l., ex Hieronymo, in h. l. (PL 26, 59).

5 Phil. Grevius, parum supra, loc. cit. (f. 190c), iam dixerat: « Item, quaerebatur a sancto Francisco quid esset obedire, qui respondit quod perfecte obedire est satisfacere voluntati superioris ». In opusculis S. Francisci, tit. *Admonitiones* (ed. Ad Claras Aquas 1904, in *Bibl. Franc. Ascetica medii aevi,* I, p. 7) legitur sub rubrica *De perfecta et imperfecta obedientia:* « Quidquid facit aut dicit, quod ipse sciat quod non sit contra *voluntatem* eius [superioris], dummodo bonum sit quod facit, vera obedientia est... Nam haec est vera et caritativa obedientia, quae Deo et proximo *satisfacit* ». Apud Thomam Celan., I *Legenda,* c. 17, n. 45 legitur: « Dicebat enim eis ipse beatus Pater veram obedientiam fore non solum prolatam, sed excogitatam, non solum imperatam, sed desideratam: hoc est, si frater fratris praelati subditus non solum audiat vocem, sed comprehendat *voluntatem...* ».

6 In *Glossa interl. in Matth.* 9, 31; cf. Guil. Altissiod., *Summa,* III, tr. 3, c. 3, q. 3 (f. 185d).

7 Cf. Gregor. M., *In Evang.,* hom. 17, n. 1 (PL 76, 1139).

completio, sed oportuit sequi ascensionem, et hoc dicit Augustinus[1]; et ita fuit verum signum, scilicet alicuius ulterius; unde ipse post *evanuit ab oculis eorum*[2], ad hoc designandum quod non esset diu cum eis quantum ad conversationem corporalem ».

275 ARTICULUS II.

An Deus possit praecipere contra legem naturalem.

Secundo quaeritur an possit Deus praecipere contra legem naturalem[3].

Ad quod sic: 1. Rom. 13,1: *Omnis anima potestatibus sublimioribus* etc., Glossa[4]: « Mandatum superioris solvit mandatum inferioris »; sed lex [a] aeterna superior est lege naturali; ergo solvit mandatum legis naturalis; ergo Deus potest praecipere contra legem naturalem.

2. Item, Anselmus, in libro [b] *Cur Deus homo*[5]: « Nihil decens est aut iustum nisi quod Deus vult ». Si ergo vult aliquid, illud est iustum; sed vult illud quod praecipit; ergo si praecipit aliquid, illud est iustum; ergo si praecipit contra legem naturalem, illud est iustum [c]; sed quidquid est iustum, potest praecipere; ergo contra legem naturalem potest praecipere.

Contra: *a.* Quicumque praecipit suam inhonorationem, praecipit contra se; si ergo Deus non potest praecipere contra se, non potest praecipere suam inhonorationem; sed inhonoratio Dei esset ut creatura non subiceretur Creatori; ergo non potest illud praecipere; sed hoc [d] est de lege naturali et mandatum eius, scilicet quod creatura obediat et subiciatur Creatori; ergo non potest praecipere contra legem naturalem.

b. Item, in libro *De regulis Theologiae*[6], sumitur quaedam propositio ab Augustino[7] quod « Creator naturae nihil facit contra naturam », quia sic faceret contra se; et sicut se habet Creator ad naturam, sic lex aeterna Creatoris ad legem naturae; ergo Creator per legem aeternam non potest praecipere contra legem naturae.

Solutio: Dicendum[8], sicut habetur Rom. 11,24: *Contra naturam insertus* [e] *es,* ibi[9] distinguitur '*contra naturam*' tripliciter, et sumitur distinctio illa ab Augustino, *Contra Faustum*[10]: « Id esse *contra naturam* dicit Apostolus quod est contra consuetudinem naturae, quam notitia humana comprehendit », « ut quod surculus fructum ferat radicis[11] ». In originali[12] habetur: « Ut oleaster [f], insertus in olea, non [g] oleastri baccas, sed olivae [h] pinguedinem ferat ». Et hoc modo facere '*contra naturam*' est facere contra vim insitam naturae, secundum quod natura appellatur naturalis vis vel principium naturale inditum a creatione, quod est principium motus et quietis[13], sicut ignis, quod feratur sursum, ad hoc habet naturalem vim sibi inditam [i]. Alio modo dicitur '*contra naturam*' contra naturalem possibilitatem inditam [k] ut de illa possit Deus facere quidquid vult; et quantum ad hanc dicit Augustinus, ibi[14]: « Deus, creator et [l] conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit; id enim erit cuique rei naturale [m] quod ille fecerit, a quo omnis modus, numerus et ordo naturae ». Alio modo dicitur '*contra naturam*', id est contra summae naturae legem: et haec est summa natura quae est in Deo, regulans alias naturas; et de hac dicit[15]: « Contra illam vero [n] summae naturae legem a notitia humana remotam tam Deus nullo modo facit quam contra se ipsum non facit ». Lex ergo naturalis potest dici vel secundum illam summam naturam in Deo, quae regulat alias: et sic contra legem naturae non potest Deus, quia haec natura summa idem est quod ipse. Vel lex naturae potest dici secundum ordinem creaturae ad Creatorem secundum subiectionem, ut de ea faciat Creator quidquid vult et ei obediat natura: vel naturaliter, ut irrationalis, vel voluntarie, ut rationalis; et contra hanc similiter non potest, sicut nec contra se. Vel potest dici lex naturae lex secundum ordinem cursus naturae inditi: et hoc modo contra legem naturae [o] potest praecipere.

---

[a] L om. [b] BRGL om. *i. l.* [c] G om. *ergo si praecipit contra... iustum.* [d] G om. [e] P *insecutus,* quod S corr., B *miscrtus.* [f] L add. *sunt.* [g] B *nam.* [h] S *olee.* [i] P add. mg: *que est vis insita rebus.* [k] B om. [l] B *est.* [m] L *nature,* R om. *rei.* [n] BG *nec.* [o] L om.

1 *Sermo,* 89, n. 7 (PL 38, 558). Cf. *Quaest. in Evang.,* II, c. 51 (PL 35, 1362); *Contra mendac.,* c. 13 n. 28 (PL 40, 538).
2 Luc. 24, 31.
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 47, a. un., q. 4 (I, 845 sqq.); Guil. Altissiod., *Summa,* III, tr. 7, q. 5 (f. 171a sqq.)
4 Cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 1505), ad sensum.
5 Lib. I, c. 12 (PL 158, 378).
6 Reg. 58 (PL 210, 655).
7 Cf. infra, nota 9.
8 Cf. supra, p. 233sq., num. 152.
9 In *Glossa* Lombardi, in h. l. (PL 191, 1488).
10 Lib. XXVI, c. 3 (PL 42, 480).
11 Haec sunt verba Lombardi, loc. cit.
12 Id est apud Augustin., loc. cit., non apud Lombardum.
13 Cf. Aristot., *Phys.,* II, c. 1 (II, 260).
14 Loc. cit.
15 Augustin., loc. cit. (PL 42, 481).

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum, intelligendum secundum B. Bernardum [1], qui distinguit necessarium tripliciter — et ibi idem est 'necessarium' quod praeceptum — dicens: « Necessarium in haec tria subdividitur: stabile, inviolabile sive immobile, incommutabile. Stabile [a], quod ita est necessarium ut [b] non cuilibet [c] hominum illud mutare fas sit, nisi solis *dispensatoribus mysteriorum* [d] *Dei* [2]: ut regulae sanctorum et ecclesiastica instituta. Necessarium immobile [e] intelligo quod non ab homine institutum, sed divinitus promulgatum, nisi ab eo qui tradidit, mutari omnino non patitur: ut *non occides, non moechaberis, non furtum facies* [3]. Necessarium incommutabile videtur congruentius [f] quod ita constat divina ratione firmatum, ut nulla ex causa possit ab ipso Deo aliquatenus immutari: ut mandatum caritatis et mandatum primae tabulae ». Praecipere ergo contra caritatem vel fidem est praecipere contra legem naturae quae est ipse: et ideo ad talia non potest se extendere divinum praeceptum vel prohibitio, ut scilicet praecipiat contraria istis vel prohibeat ista.

2. Ad secundam rationem dicendum quod non procedit ratio illa, sicut nec ista 'si homo est, est rationalis; ergo si est [g] homo mortuus, est rationalis'. Licet enim 'rationale' sequatur ad 'hominem', tamen non sequitur ad ipsum tractum extra propriam rationem; 'mortuum' autem trahit 'hominem' extra rationem propriam. Eodem modo dicimus quod ad divinam voluntatem sequitur iustum esse, quando non additur ei [h] aliquid quod [i] trahat ipsum extra propriam rationem; sed cum dicitur 'Deus vult praecipere contra legem naturae', si lex naturae accipiatur secundo et tertio modo, iam trahitur extra rationem propriam.

ARTICULUS III. 276

An Deus possit praecipere aut prohibere contra ius morale Decalogi.

Consequenter quaeritur an Deus possit praecipere aut prohibere contra ius morale Decalogi, et maxime quantum ad praecepta secundae tabulae [4].

Ad quod sic: *a.* Anselmus, in libro [k] *Cur Deus homo* [5], et Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [6]: « Libertas non est nisi ad id quod expedit vel decet ». Ergo si non decet Deum aliquid inordinate [l] agere, non faciet hoc ex libertate; sed similiter non decet ipsum praecipere inordinate; ergo si non potest facere nisi quod liberum est et decens, constat quod non potest malum praecipere, cum non possit praecipi nisi inordinate; ergo ista 'fornicari, occidere, furtum facere', cum sint mala de se, non potest ista praecipere; et sic non potest praecipere [m] contra praecepta Decalogi, quae sunt [7]: *Non fornicaberis, non furtum facies* etc.

b. Item, videtur quod non possit facere contra illud [8]: *Non falsum testimonium dices,* quoniam Deus non potest praecipere contra suam voluntatem; sed ipse non potest velle falsum, sicut dicit Augustinus, *Contra Faustum* [9]: « Quoniam non est in Dei voluntate ut in eo sit aliquod falsum quod verum est » etc. Ergo non potest praecipere contra hoc praeceptum: *Non falsum testimonium dices.*

c. Item, videtur quod non possit praecipere [n] contra hoc praeceptum [10]: *Non occides,* sicut nec praecipere potest fornicari nec moechari, quoniam 'occidere' dicit deformitatem sicut 'fornicari'; ergo si non potest illa praecipere, nec istud, quia Deus non potest praecipere deformitatem [o].

d. Item, concupiscentia avertit animum a bono incommutabili [11]; sed Deus non potest praecipere ut aliqua creatura [p] avertatur ab eo; ergo non potest praecipere contra hoc [12]: *Non concupisces.*

e. Item, similis est deformitas in furto et in coitu cum aliqua virgine, quia in utroque usurpatur res non sua; ergo sicut non potest praecipere coire cum virgine, ita nec furtum facere.

---

[a] L om. [b] L *quod.* [c] BRG *cuique.* [d] PVL *ministeriorum,* G *ministrorum.* [e] RL *inviolabile.* [f] Ita B, alii add. *quam.* [g] G exp. [h] S om. [i] L add. *non.* [k] BRLG om. *l. l.* [l] S *inordinatum,* BRG om. *agere* pro quo L *facere.* [m] R om. *e. s. n. p. p.*; P add. mg. *Sunt enim talia que nullo bono animo fieri possunt, ut dicit papa Innocentius. G.* [n] BRGL om. [o] P add. mg. *Nomine mechie omnis concubitus illicitus intelligitur, ut canones dicunt et Magister in Sententiis; set cum quis viderit mulierem, ad concubitum scilicet, iam mecatus est, in corde scilicet: cum non sit ibi illicitus concubitus, quero quomodo ibi est mechia.* [p] L *aliquis* pro *a. c.*

1 *De praec. et dispens.*, cc. 2-3, nn. 4, 6 et 7 (PL 182, 863sqq.); quae etiam affert Phil. Grevius, *Summa,* III (f. 195bd).

2 Cf. I Cor. 4, 1.

3 Exod. 20, 13-15.

4 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* III, tr. 8, c. 3, q. 2 (f. 184c).

5 Lib. II, c. 12 (PL 158, 378), unde sequentia sumuntur.

6 Cf. lib. II, c. 1, n. 3 (PL 32, 1241): « Si enim homo aliquod bonum est, et non posset, nisi cum vellet, recte facere, debuit habere liberam voluntatem, sine qua recte facere non posset. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deus dedisse credendum est ».

7 Exod. 20, 14 et 15.

8 Exod. 20, 16.

9 Lib. XXVI, c. 4 (PL 42, 481).

10 Exod. 20, 13.

11 Cf. Augustin., *De lib. arbit.*, II, c. 19, n. 53 (PL 32, 1269).

12 Exod. 20, 17.

Contra: 1. Furtum dicit contrectationem rei alienae; si autem Dominus, cuius res sunt, vellet quod non esset ibi contrectatio rei alienae, sed [a] propriae, non esset ibi peccatum in contrectando; ergo similiter videtur quod de voluntate Domini permittente [b] possem coire cum virgine: quod est inconveniens; ergo nullo modo etc. — Item, Deus est supra ius naturae; superior autem non alligatur iure inferiori; ergo non arctatur Deus ad ista; ergo potest praecipere contra haec omnia.

2. Item, Exod. 11,2 praecepit Hebraeis exspoliationem Aegyptiorum; ergo praecepit contrectare rem alienam, invito domino; ergo contra illud praeceptum [1]: *Non furtum facies;* ergo similiter potest praecipere contra alia.

4. Item, Bernardus, in libro *De dispensatione et praecepto* [2], dicit [c]: « Necessarium inviolabile intelligo quod non ab homine institutum [d], sed divinitus promulgatum, nisi a Deo qui tradidit, mutari omnino non patitur, ut: *non occides, non moechaberis* et reliqua [e] praecepta secundae tabulae; nec cuiquam hominum aliquid ex aliquo horum solvere licuit aut licebit. Deus tamen aliquod horum, quando voluit, solvit, sicut cum ab Hebraeis Aegyptios [f] spoliari [g] sive quando Prophetam cum muliere [h] fornicaria misceri praecepit [3] ». Ex quo patet quod potest praecipere contra omnia praecepta secundae tabulae.

4. Item, Augustinus [i], in *Quaestionibus super Exodum*, 23 [4]: « Lex aeterna in medio [k] posuit aliqua ut in eis usurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis iuste laudetur obedientia ». Et ponit exemplum de Abraham immolante filium suum ex Dei obedientia. Quaedam enim [l] sunt mala secundum se [5], quae nullo modo possunt bene fieri; quaedam autem sunt indifferentia; quaedam media, sicut occidere, quod bene potest fieri [m], sicut Abraham bene potuisset immolare [n] filium suum. Sed eiusdem auctoritatis sunt omnia praecepta secundae tabulae; ergo sicut potest praecipere contra illud: *Non occides,* quia posuit 'occidere' in medio, ita potest contra alia.

« Quidam [6] autem distinguunt hic et dicunt quod est natura ut natura, quae dictat aliquem cognoscere aliquam ad conservandam speciem »: unde haec natura dictat conservationem speciei et singularis; et est « natura ut ratio, quae dictat cognoscere unam suae speciei et non plures; et est ratio ut ratio, quae dictat cognoscere unam sibi coniugatam ». Contra naturam primo modo est praeceptum occidendi; contra naturam secundo modo fuit quod Iacob habuit quatuor uxores [7]; contra naturam tertio modo [o] fuit quod Abraham cognovit Agar [8]. Dicunt ergo quod contra naturam primo modo non potest Deus praecipere, et contra illam est moechari, quia non est propter conservationem speciei vel individui, sed propter delectationem solam: et ideo non potest praecipere moechiam. Sed contra naturam secundo modo et tertio potest praecipere, ut scilicet quod Iacob plures uxores habuerit et quod Abraham concubuerit cum Agar. Et sic contra praecepta, prout emanant a iure naturali secundo modo et tertio, potest praecipere, non prout primo modo [9].

Contra: Occidere est contra conservationem speciei et individui; si ergo potest praecipere occidere, sicut patet ex dictis, ergo potest praecipere contra naturam primo modo et contra praecepta emanantia ab illa. Et hoc etiam confirmatur: quoniam in Evangelio [10] consulit Dominus quod se castrent [p] homines *propter regnum caelorum;* sed hoc est [q] contra conservationem speciei; ergo potest praecipere contra naturam primo modo, et sic universaliter contra praecepta secundae tabulae.

Alii [11] « dicunt quod est quoddam malum quod Deo non convenit praecipere, propter illam, quae in ipso est, deformitatem, et tale est moechari [12]; et est [r] aliquod bonum contra quod Deo non convenit praecipere, quia tale bonum est et tantum, quod non recipit compensationem. Unde dicunt [13] quod Abrahae non potuisset Dominus praecepisse quod non crederet Deum incarnandum, eo quod tale [s] erat quod non recipit compensationem. Occidere autem hominem, licet sit malum in genere, tamen in se non habet deformitatem, sicut moechari; item, tale est quod recipit [t] compensationem, sicut pacem reipublicae quantum ad interfectionem furum et maleficorum [u], et [v]

---

[a] G *si.* [b] P om., in SBR est add. mg. [c] S *Dei,* PVS add. *enim.* [d] L add. *est.* [e] V *cetera.* [f] S *egyptiacis.* [g] PVS add. *precepit.* [h] P add. mg. *Iezabel.* [i] S om. [k] S (mg.) L add. *quedam.* [l] PVS om. [m] G om. *quaedam autem... fieri.* [n] BRGL *immolasse.* [o] G om. [p] P add. mg. *i. e. quod sint eunuchi.* [q] BRGL om. [r] BRG om., G *aliud* pro *aliquod.* [s] PVS add. *bonum.* [t] Ita S post exp., alii add. *Dei.* [u] P add. mg. *Idcirco scriptum est: Maleficos non permittes vivere. G.* [v] PVSB add. *quantum ad.*

1 Exod. 20, 15.
2 Cap. 3 (PL 182, 864).
3 Cf. Osee, 1, 2.
4 *Contra Faust.*, XX, c. 73 (PL 42, 446).
5 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* III, tr. 8, c. 3, q. 1 (f. 184b).
6 Phil. Grevius, *Summa,* III (f. 195c), ubi etiam exempla infra afferenda.
7 Cf. Gen. cc. 29 et 30.
8 Cf. Gen. 16, 4.
9 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. q. 3 (f. 185a).
10 Cf. Matth. 19, 12.
11 Quae sequuntur usque ad *Solutionem* verbotenus occurrunt apud Phil. Grevium, loc. cit. (f. 195ab).
12 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 184d).
13 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.

multiplicationem Ecclesiae quantum ad interfectionem [a] haereticorum et eorum qui impediunt multiplicari Ecclesiam; et non est simile de illo actu, scilicet moechari, et de isto ».

« Sed non videtur hoc esse verum, scilicet quia istud 'Deum [b] esse incarnandum' non recipit compensationem, quod Deus non possit praecipere oppositum istius [c]: quia recipit compensationem; nam [d] dicit Augustinus [1] quod "alius modus nostrae [e] salutis fuit Deo [f] possibilis, sed nullus convenientior"; et in quantum nullus convenientior, non recipit compensationem, sed tamen recipere poterat commutationem [g] et sic Dominus potuisset praecepisse oppositum; et tunc illud, scilicet 'Deum fuisse incarnandum', non fuisset articulus ».

« Item, ad hoc quod dicunt [2] quod istud 'moechari' habet in se deformitatem et non convenit praecipere Deo, quaeritur pro quanto dicetur habere deformitatem. Nam pari ratione, cum Isaac esset innocens, 'Isaac innocentem occidere' habebat in se deformitatem; ergo cum esset innocens, non conveniebat Deo praecipere Isaac occidi ».

« Item, quod in se non est malum, sed indifferens vel licitum, per [h] praeceptum potuit fieri malum, ut comedere pomum [3]; ergo e converso quod in se est malum, per praeceptum, scilicet Dei, potest fieri bonum; ergo tam moechari quam occidere et huiusmodi per praeceptum possunt fieri bona [i] ».

Sed contra: « Licet Deus praeciperet quod Abraham immolaret Isaac, tamen volebat Abraham non immolare Isaac, et non volebat nisi bonum; ergo illud erat bonum; ergo eius oppositum erat malum, scilicet immolare Isaac; non ergo ex praecepto Dei factum est bonum; multo magis nec alia ».

Solutio: Dicendum quod ius Decalogi emanat a iure naturali; ius autem [k] naturale respicit ordinem creaturae ad se vel ad aliam creaturam, item respicit ordinem [l] creaturae ad Deum. Supra ius naturae primo modo dictum est lex aeterna, quae respicit ordinem creaturae ad Deum, ut scilicet quaelibet creatura Deo subiciatur et ad Deum tendat tamquam ad finem. Supra autem istud ius non est aliud, quia hoc est quod [m] dictatur ut Deus sit finis omnis creaturae et Dominus: et sic contra istud ius non potest aliquo modo praecipere nec contra praecepta emanantia ab eo, hoc est quae respiciunt ordinem in ratione subiectionis vel finis; sed contra praecepta emanantia a primo iure potest praecipere, hoc est contra ea quae respiciunt ordinem ad se vel ad aliam creaturam, sicut ipse est [n] supra creaturam.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo « quod obicitur [o] quod 'Deus est supra ius naturale': dicendum quod verum est », secundum quod respicit ordinem creaturae ad creaturam vel creaturae ad se; sed non est supra ius aliud sicut nec supra se.

2. Ad secundum dicendum secundum Philosophum [4] quod quaedam sunt quae statim dicta sonant in malum, sicut illa quae imponuntur a privatione ordinis creaturae ad Deum, sicut moechari, fornicari, quae imponuntur ab inordinatione qua creatura rationalis avertit se a summo bono [5], qui est finis eius [p], et convertit se ad bonum commutabile; sed spoliatio non privat ordinem ad Deum, sed solum ad creaturam; similiter concubinatus dicit defectum ordinis ad creaturam et non ad Deum, et ideo, licet possit praecipere spoliationem et coitum, sicut fecit Prophetae, non tamen fornicationem neque moechiam.

3. Ad tertium dicendum quod non sequitur: 'si praecepit Prophetae misceri mulieri fornicariae, quod propter hoc praeciperet fornicari'; neque praecepit furtum, quando Hebraeis spoliationem praecepit, quia non praecepit [q] ut hoc facerent ex libidine, quam important fornicari et furari; unde hoc fuit ex obedientia Dei, et sic non fuit contra ordinem [r] ad Deum. In furto enim et fornicatione similis est deformitas, quia in utroque est usurpatio rei alienae, quia fornicari dicit coire cum non sua ex libidine, et similiter moechari; cum dico 'coire cum non sua', hic privo ordinem ad creaturam, sed dicendo 'ex libidine', privo ordinem ad Deum. Similiter furtum dicit quod accipiat rem alienam ex cupiditate; cum dico 'accipere rem alienam', privo ordinem ad creaturam, sed dicendo 'ex cupiditate', privo ordinem ad Deum. Et propter hoc licet potuerit praecipere coitum sive concubitum et exspoliationem, non tamen fornicationem et furtum.

4. Ad quartum dicendum [6] quod sunt quaedam dispositiones actuum humanorum respectu finis proximi, quaedam respectu finis ultimi. Finis proximus est in creatura, ut quod aliquis coeat propter multiplicationem speciei et

---

[a] B om. *furum... interfectionem.* [b] S (interl.) BRGL add. *non.* [c] BG om. [d] BRGL *ut.* [e] P *vestre*, BRGL om. [f] BRGL om. [g] BRG *compensationem.* [h] PV *vel*, quod S corr. [i] P *bonum.* [k] G *enim.* [l] L *ordinationem.* [m] S *ut.* [n] L om. [o] BRG add. *dicendum.* [p] P add. mg. *Est enim finis omnium ad iustitiam et consummatio ad salutem; unde Psalmus: Omnis consummationis vidi finem etc. G.* [q] G om. *q. n. p.* [r] L *ordinationem.*

1 *De Trinit.*, XIII, c. 10, n. 13 (PL 42, 1024).
2 Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 184d).
3 Cf. Gen. 2, 16, et Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 184b).
4 Aristot., *Ethica ad Nicomach.*, II, c. 6 (II, 20).
5 Cf. Augustin., *De lib. arbit.*, II, c. 19, n. 53 (PL 32, 1269).
6 Cf. Phil. Grevius, *Summa*, III (f. 195c).

conservationem; finis ultimus est ipse Deus. Quaedam privant ordinem ad finem proximum, et contra illa generaliter potest praecipere; quaedam autem privant ordinem ad finem ultimum, et contra illa non, sicut nec contra se. 'Media' autem appellantur ab Augustino[1] quae dicunt dispositionem respectu finis primi: ut occisio et concubinatio; sed illa quae sunt mala de se, ut moechia et fornicatio et furtum, respectu ultimi; et ideo illa potest praecipere, ista non. — Si autem quaeritur an possit praecipere contra hoc: *Non concupisces*, dicendum quod non, si concupiscere dicat actum concupiscentiae interioris: ea enim a Deo avertit; sed si solum dicat actum exteriorem, istud non esset[a] inconveniens.

Ad intelligendam responsionem positam ultimo et obiectionem, dicendum quod natura dicitur principium naturale motus et quietis creaturae[2]; vel natura dicitur ipsa naturalis possibilitas sive obedientia creaturae respectu Creatoris, ut de ea faciat Creator quidquid vult. Contra ius naturae[b] primo modo potest, secundo modo[c] non; et sic contra ius naturae[d] primo modo potest, dummodo non privetur ordo creaturae ad Creatorem secundum subiectionem debitam. Similiter dicendum de natura ut ratione et de ratione ut ratione: ratio enim potest respicere ordinem primum, scilicet creaturae ad creaturam, et secundum, scilicet creaturae ad Deum. Si secundum: hoc modo respicit ordinem ut non coeat aliquis cum non sua et ut non propter voluptatem vel ex libidine, et hoc modo contra ipsam non potest praecipere; sed primo modo, scilicet prout dicit ordinem ad finem proximum, ut visum[e] est[3].

CAPUT II.

DE PERMISSIONE DIVINA.

Consequenter quaeritur de permissione divinae voluntatis.

Et quaeruntur tria:

Primo, an conveniat divinae voluntati permittere mala;

secundo, an iuste permittat mala[f] fieri;

tertio, qua ratione permittat mala fieri.

277

ARTICULUS I.

An conveniat divinae voluntati permittere mala[4].

Quantum ad primum sic obicitur: 1. Augustinus, XIX *De civitate Dei*[5]: « Sicut non est beneficentiae [adiuvando efficere] ut bonum quod maius est, dimittatur, ita non est innocentiae parcendo[g] sinere ne in malum gravius incidatur »; sed permissio est respectu mali ut non incidatur in malum gravius; ergo non pertinet ad innocentiam mala permittere.

2. Item, ibidem dicitur: « Pertinet ad innocentis officium non solum nemini malum inferre, verum[h] etiam cohibere a peccato ». Si ergo lex aeterna est lex innocentiae, ergo ad ipsam pertinet non permittere malum sive peccatum, sed cohibere; ergo non potest mala permittere.

3. Item, Rom. 1,32: *Non solum qui talia agunt, digni sunt morte.* Glossa[6]: « Consentire est tacere, cum possit arguere »; sed Deus permittendo mala, tacet, cum possit arguere; ergo consentit malo; sed hoc est inconveniens; si ergo lex aeterna non permittit ea ad quae[i] non consentit Deus, patet quod non permittit mala.

Contra: *a.* Summa ratio dictat ut Creator naturae non dissolvat ordinem a se institutum in natura; sed si liberum arbitrium cogeretur ad bonum vel prohiberetur a[k] malo, dissolveretur ordo institutus in rationali creatura. Si ergo lex aeterna est summa ratio, ex lege aeterna est quod permittantur mala et non prohibeantur.

b. Item, nulla creatura, quae necessitate cogitur ad bonum, est arbitrio libera. Si ergo summa ratio dictat quod stet libertas arbitrii in creatura[l] rationali, cum rationalis creatura creata sit arbitrio libera, ergo dictat[m] summa ratio, quae est lex aeterna, quod permittantur mala fieri, nec cogatur[n] de necessitate ad bonum operandum.

---

[a] Ita VL, alii *esse*. [b] PVS *naturale*. [c] V om. [d] VL *naturale*. [e] S *dictum*. [f] S *male*. [g] Q om. [h] Q om. [i] S *atque* pro *a. q.*, BRGL om. *ea*. [k] B *de*. [l] RQ om. [m] L *dicta*. [n] PV *cogantur*.

1 *Contra Faust.*, XXII, c. 73 (PL 42, 446).

2 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 1 (II, 260); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 9, q. 2 (f. 24a).

3 Cf. p. 383ab.

4 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 47, a. un., q. 3 (I, 843 sqq.).

5 Cap. 16 (PL 41, 644), ubi et sequens.

6 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 474), ex Ambrosio, in h. l. (PL 17, 63).

Solutio [a]: Ad hoc respondet Augustinus, *Contra Faustum,* II libro [1], dicens: « Ad naturalem ordinem iustitiae pertinet ut aut peccata non fiant aut impunita esse non valeant: quodlibet [b] horum sit [c], naturalis ordo servatur, etsi non ab anima, certe a Deo ». Ex quo patet quod lex aeterna, si permittat mala fieri, tamen non permittit ea esse impunita.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum quod obicitur quod « non est innocentiae sinere » etc.: dicendum quod illa ratio non procedit; sed istud sequeretur: ' Deus sinit malum et non punit ipsum, ergo non est innocens '; sed sic non est: non enim permittit mala fieri sine punitione.

2. Ad secundum solvitur per illud quod sequitur in illa auctoritate, quia dicit: « Pertinet ad innocentis officium non solum malum non [d] inferre, verum etiam cohibere a peccato »; et post dicit: « Aut punire peccatum, ut iste qui plectitur corrigatur experimento aut alii corrigantur exemplo ». Unde aut cohibet a malo aut [e], si peccat, punit pro ipso.

3. Ad tertium dicendum quod est poena in praesenti et est [f] poena in futuro. Poena in praesenti est remorsus conscientiae, et haec statim concomitatur [g] peccatum, sed non poena in futuro. Unde Augustinus, *Contra Faustum,* II libro [2]: « Vexant enim peccata conscientiam ipsique [h] animo nocent, cum luce iustitiae peccando privatur, etsi non consequantur dolores, qui vel corrigendis inferuntur vel non correctis ultimi reservantur ». Et sic dicendum quod Dominus non cessat arguere pro peccato et punire, scilicet in conscientia, licet non semper arguat doloribus exterioribus.

Et sic patet solutio istius quaestionis, quomodo voluntas divina permittat mala.

ARTICULUS II. 278

Utrum divina voluntas iuste permittat mala fieri.

Consequenter quaeritur utrum divina voluntas [i] iuste permittat [k] mala fieri.

Ad quod sic: *a.* Iob. 12,6: *Abundant tabernacula praedonum.* Gregorius [3]: « Omnipotens Deus quod iuste fieri prohibet, iustum est ut fieri sinat ». Sed iustitia Dei non dicitur nisi dupliciter [4]: aut iustitia quae est veritas Dei aut iustitia quae est exigentia meritorum. Non iustitia, quae est exigentia meritorum, iustum est mala permittere, quia peccator non est dignus tali permissione; item, nec [l] iustitia, quae est veritas Dei, quia illa exigit ut statim peccatori reddatur poena.

Respondeo: ' Iustum est sinere mala fieri ', hoc non potest dici de iustitia quae est exigentia meritorum nec de iustitia quae est veritas Dei, sicut ostensum est [5], sed de iustitia quae est condecentia bonitatis Dei, de qua Anselmus [6]: « Si parcis, iuste parcis, quia hoc condecet tuam bonitatem ». Condecet enim suam bonitatem ut non mutet ordinem a se constitutum; constituit autem naturam rationalem [m] liberam, ut faciat quod vult. Unde Glossa ad Tim. [7]: « Libertatem rationali creaturae non negavit; potestatem, qua iuste malos ordinaret, sibi retinuit ». — Vel potest dici quod peccator dignus est tali permissione, ut scilicet *in sordibus* existens *sordescat adhuc,* Apoc. ultimo, 11.

ARTICULUS III. 279

Qua ratione permittat Deus mala fieri.

I. Quaeritur postea qua ratione permittat Deus mala fieri [8]

Ad hoc autem triplex ratio assignatur. Prima est commendatio bonorum. Unde Augustinus,

---

[a] G add. *respondendum et.* [b] VS *quod licet.* [c] R *sic.* [d] Ita L, alii om. [e] G *ut.* [f] BRGL om. [g] G *comitatur.* [h] BRG *ipsi quoque;* P add. mg. *Cor enim impii est quasi mare fervens quod quiescere non potest, ut dicitur in Ecclesiastico. G.* [i] BRGL *Deus* pro *d. v.* [k] BRGL add. *iuste.* [l] B *vero,* L *ne.* [m] L add. *ut,* S *enim* pro *autem.*

1 Rectius lib. XXVI, c. 3 (PL 42, 480).
2 Rectius lib. XXVI, loc. cit.
3 *Moral.,* XI, c. 2, n. 3 (PL 75, 955).
4 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 14, q. 2 (f. 32a); Praeposit., *Summa,* I (f. 77c).
5 Ad litt. *a.*
6 *Proslog.,* c. 10 (PL 158, 233).
7 *Ordin., In I Tim.,* c. 1, 20 (PL 114, 626sq.), ex Augustino, *In Epist. ad Gal.,* n. 32 (PL 32, 2129).
8 Cf. supra, p. 188, num. 120.

in *Enchiridion*[1]: « Malum bene ordinatum et[a] suo loco positum eminentius commendat bona: ut magis placeant et laudabiliora sint dum comparantur malis[b] ». — Secunda est eruditio electorum. Unde Augustinus, *De correptione et gratia*[2]: « Usque adeo[c] Deus cooperatur in bonum, ut si qui horum devient et exorbitent, et hoc ipsum faciat eis[d] proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores », ut Petrus. — Tertia est exercitatio et probatio bonorum. Unde Augustinus, in libro *De Trinitate*[3]: « Bonis[e] utique prosunt mala, vel ad delenda[f] peccata vel ad exercendam probandamque iustitiam vel ad demonstrandum huius vitae miseriam ».

II. Iuxta hoc[g] quaeruntur duo:

Primum est de ordine malorum, quamvis tactum sit superius, scilicet in Tractatu de bono[4];

secundo, de cooperatione[h] malorum in bonum.

Quantum ad primum sic proceditur. *a.* Augustinus, XI *De civitate Dei*[5]: « Deus saeculum quibusdam antithetis[i] quasi carmen pulcherrimum honestavit, quae latine appellantur opposita vel quod expressius dicitur contraposita. Sicut ergo contraria contrariis apposita[k] sermonis pulcritudinem reddunt, ut II Cor. 6, 8: *Per*[l] *gloriam et ignobilitatem* etc., ita quadam non[m] verborum, sed rerum eloquentia[n], saeculi pulcritudo componitur; unde Eccli. 33, 15: *Intuere in omnibus operibus Altissimi unum contra unum et duo contra duo* ».

b. Item, Augustinus, in libro *De natura boni*[6]: « Sicut nos continendo vocem decenter interponimus loquendo silentium, quanto magis Deus quarumdam rerum privationes decenter esse facit, sicut rerum omnium perfectus Artifex ».

c. Item, Augustinus, XI *De civitate Dei*[7], ponit aliud exemplum in coloribus: « Sicut pictura[o] cum colore nigro, suo loco posito, ita[p] universitas rerum etiam cum[q] peccatoribus pulcra est, quamvis per se ipsos consideratos sua deformitas turpet ».

d. Item, Psalm.[8]: *Deus meus, in te speravi.* Glossa[9]: « Qui videt merita animarum sic ordinari a Deo ut pulcritudo universitatis nulla ex sui parte violetur, in omnibus laudat[r] Deum, distinguens aliud Deum fecisse et ordinasse, scilicet universum bonum, aliud vero non fecisse, sed ordinasse, ut malum ».

e. Item, Augustinus, in libro *De natura boni*[10]: « Peccantes in suppliciis ordinantur ».

Ex iis omnibus relinquitur quod malum est ordinatum.

Contra: 1. Augustinus, in libro *De natura boni*[11]: « Malum est privatio modi[s], speciei et ordinis ». Ergo est inordinatum.

2. Item, omne ordinatum, in quantum huiusmodi, est bonum; ergo si malum est ordinatum, malum est bonum.

3. Item, quaeritur de hoc quod dicit Augustinus, XI *De civitate Dei*[12], quod « universitas etiam cum peccatoribus pulcra est ». Quaeritur utrum similiter possit dici quod universitas etiam cum[t] peccatis pulcra sit.

Respondeo: Ordinatum dicitur dupliciter: per se et per accidens sive per aliud. Per se est bonum ordinatum, malum vero per accidens sive per[u] aliud. Bonum autem est ordinatum[v] vel ordinabile ratione eius ad quod est et ratione eius in quo est et ratione eius secundum quod est et ratione eius quod ex eo est, et hoc secundum quatuor causas: nam primum ad finalem, secundum ad materialem, tertium ad formalem, quartum ad efficientem. Malum vero ordinabile est ratione eius in quo est, quia malum semper est in bono, sicut ostendit Augustinus, in *Enchiridion*[13] et in libro *De natura boni*[14], quia natura, in qua est, semper est bona et ratione huius boni malum ordinabile est; et hac ratione dicitur[x] malum ordinabile. Dicitur etiam malum ordinabile ratione eius contra quod est, scilicet ratione boni contrapositi. Dicitur etiam ordinabile ratione boni, quod ex[y] ipso elicitur. Quia malum ordinabile est ratione eius in quo est, dicit[z]

---

[a] B *est et*, L *in*. [b] B *malum*. [c] BRG *ad ea*. [d] PV (corr.) S *eos*. [e] BRG *ipsis*, L *hominis*; V *itaque* pro *utique*. [f] Ita S, PVL *addendo*, BRG *demenda*. [g] PVS add. *quoque*. [h] VG *comparatione*. [i] BRG *antithesis*. [k] S *opposita*; P add. mg. *Unde Philosophus: Oppositа iuxta se posita magis elucescunt; unde Gregorius in omelia: Deforme conspicitur etc. Cuius margarite claritas fulgebat in mente. Hic vide. G.*; PV *sic* pro *sicut*. [l] BG om., in R est add. interl. [m] PV om., in S est add. interl. [n] PV *elegantia* pro *s. r. e.* [o] PVL add. *id est pulcra*, S (corr.) add. *est pulcra*. [p] PSL *scilicet*, V *sic*; codd. *posita* pro *posito*. [q] PV om., in S est add. mg. [r] P *laudet*. [s] S *boni*, PVSL om. *Augustinus*. [t] G om. *peccatoribus pulcra... cum*. [u] V *vel*, L om. *a. s. p.* [v] G om. *malum... ordinatum*. [x] R om. [y] R *ab*. [z] PVS add. *etiam*.

[1] Cap. 11 (PL 40, 236). Pro hoc textu et seqq. cf. Lombard., I *Sent.*, d. 46, cc. 5 et 6 (p. 283 sq.).

[2] Cap. 9, n. 24 (PL 44, 930); verba *ut Petrus* habet Lombard., loc. cit.

[3] Lib. XIII, c. 16, n. 20 (PL 42, 1030).

[4] Cf. supra, p. 189, num. 121.

[5] Cap. 18 (PL 41, 332); cf. *De ordine*, I, c. 7, n. 18 (PL 32, 986).

[6] Cap. 16 (PL 42, 556).

[7] Cap. 23 (PL 41, 336).

[8] Psalm. 7, 2.

[9] Lombardi, in h. l., c. 7, 18 (PL 191, 119), ex Augustino, *Enarr.*, in h. l., n. 19 (PL 36, 108).

[10] Cap. 7 (PL 42, 554).

[11] Cap. 4 (PL 42, 553).

[12] Cf. supra, ad litt. *c*.

[13] Cap. 13 et 14 (PL 40, 237 sq.), ad sensum; cf. supra, p. 194, num. 125.

[14] Cap. 7 (PL 42, 554), unde ultima verba sumuntur.

Augustinus[1] quod « peccantes in suppliciis [a] ordinantur ». Quia vero ordinabile est ratione eius contra quod est, dicit Augustinus[2] quod « malum bene ordinatum [b] » etc. Quia vero ordinabile est ratione [c] boni quod ex ipso elicitur, dicit Augustinus[3] quod « Deus nunquam permitteret malum fieri nisi ex ipso eliceretur bonum ».

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod [d] obicitur quod « malum est privatio ordinis »: dicendum quod est ordo naturae particularis et universalis, sive ordo naturae et providentiae. Malum autem est privatio ordinis particularis sive ordinis naturae [e], non ordinis universalis sive ordinis providentiae.

2. Item [f] ad aliud dicendum quod ordinatum dicitur dupliciter: aut ordine qui est in se aut ordine qui est in alio, sicut figuratum dicitur dupliciter. Malum ergo est ordinatum ordine qui est in alio, non ordine qui est in se; bonum autem est [g] ordinatum ordine qui est in ipso.

3. Ad aliud dicendum quod, cum dico 'peccatum', dico solum [h] privationem vel deformitatem; cum dico 'peccatorem', dico naturam bonam cum privatione[4]. Ratione ergo ipsius naturae cum privatione est ordo, non ratione ipsius privationis solum; unde non potest dici quod universitas 'cum peccatis' sit pulcra, sicut dicitur « cum peccatoribus », quia natura, quamvis privata, est ordinabilis.

III. Consequenter quaeritur de cooperatione [i] malorum in bonum. Quaeritur ergo utrum mala cooperentur.

Et videtur quod sic: 1. Per supra dictam auctoritatem Augustini, in libro *De correptione et gratia*[5].

Contra: *a.* 47 Dist. I libri *Sententiarum*[6]: « Est aliquid quod in se bonum est et cui fit, sed non est bonum facienti, ut cum subvenitur pauperi, sed non propter Deum; aliquid est [k] bonum in se et facienti, sed non cui fit, ut cum veritas propter Deum alicui non obedienti praedicatur; est aliquid bonum [l] in se et facienti et cui fit bonum, ut cum veritas propter Deum praedicatur credenti; est aliud quod nec in se bonum est et facienti nocet et damnat nisi poeniteat, ut malum, valet tamen ad aliquid ». Ergo videtur quod malum facienti non cooperetur in bonum.

b. Item, operatur malum ad damnationem; non ergo cooperatur in bonum.

Respondeo: Aliquid dicitur cooperari in bonum tripliciter: primo modo, ut per se ordinatum in bonum, ut virtus et gratia; alio modo, quia [m] velocius facit moveri in bonum, ut paupertas et infirmitas; tertio modo sicut oppositum recedens confert ad intensionem [n] sui oppositi, sicut vehementia frigoris ad calorem, ut frigus nivis recedens ad calorem. Hoc modo peccatum recedens inducit vehementiam doloris et ardorem maiorem [o] bene operandi, et hoc est per consequens [p]; sic ergo cooperatur malum in bonum.

Ad obiecta ergo dicendum quod malum non cooperatur operanti si perseveret, sed si recedat. Et hoc patet, cum dicitur: *Omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum* etc., Rom. 8, 28.

CAPUT III.

DE OPERATIONE DIVINA.

Consequenter quaeritur de impletione sive operatione divina, quae [q] est quartum signum voluntatis divinae. Cum autem ponantur conditiones divinae operationis misericordia et iustitia, et determinatio sit quantum ad operationem bonorum, est inquisitio:

Primo, de conditionibus misericordiae et iustitiae, secundum quod dicitur[7]: *Universae viae Domini misericordia et veritas;*

deinde vero, determinatio an sit operationis divinae respectu bonorum tantum, hoc est quaerere an Deo auctore fiant mala[8].

Quantum ad primum quaeritur in hunc modum:

Primo, an in Deo ponenda sit intentio misericordiae et iustitiae;

secundo, quid per prius, an intentio misericordiae aut [r] iustitiae;

tertio, an in omnibus [s] operibus Dei sit invenire iustitiam et misericordiam.

---

[a] PVS add. *bene.* [b] B om. *quia vero... ordinatum.* [c] G om. *eius contra... ratione.* [d] BRGL *Quod ergo* pro *A. i. e. q.* [e] G om. *et providentiae... naturae.* [f] G om. [g] G om. [h] R om. [i] V *comparatione.* [k] BRGL om. [l] BRGL om. [m] G *quod.* [n] L *intentionem.* [o] PVS om. [p] P *sequens.* [q] BRGL *quod.* [r] V *an.* [s] B om.

1 Cf. supra, p. 386b, litt. *e.*
2 Cf. supra, p. 386, nota 1.
3 *Enchir.*, c. 11 (PL 40, 236), ad sensum.
4 Cf. Augustin., *Enchir.*, c. 13 (PL 40, 237).
5 Cf. p. 386, nota 2.
6 Dist. 46, c. 5 (p. 283).
7 Psalm. 24, 10.
8 De hac materia agitur in quaestione sequenti, p. 399.

280 ARTICULUS I.

An in Deo ponenda sit intentio misericordiae et iustitiae[1].

Circa primum sic obicitur: Damascenus[2]: « Misericordia est tristitia de alienis malis »; sed in Deo non cadit passio; ergo nec intentio misericordiae. Similiter videtur de iustitia, quia intentio iustitiae est reddere debitum; sed dicit Anselmus, *Cur Deus homo*[3], quod « Deus nulli debet »; ergo in ipso non est intentio iustitiae.

Solutio: Dicendum quod cum misericordia dicatur multipliciter — prima autem [a] ratio eius est relevatio miseriae[4]; potest autem [b] relevatio miseriae esse dupliciter, quia vel cum compassione [c] relevantis vel sine [d] compassione relevantis [e] — si cum [f] compassione relevantis [g]: sic non cadit in Deo, quia misericordia hoc modo ponit compassionem et dolorem de alienis malis; nulla autem affectio vel dolor in Deo potest poni, ideo nec misericordia hoc modo: et haec est misericordia secundum affectum, in Deo autem nulla cadit affectio. Secundum autem quod misericordia dicitur in relevatione miseriae solum sine compassione relevantis, sic notat misericordia solum effectum miserentis, non affectum relevantis [h], et sic cadit [i] in Deo. Unde Anselmus, in *Proslogion*[k 5]: « Misericors es, quia miseros salvas et peccatoribus tuis parcis; et misericors non es, quia nulla miseriae compassione afficeris ».

Similiter de iustitia dicendum quod iustitia uno modo importat debitum necessitatis, alio modo importat condecentiam [l] congruitatis. Primo modo non est in Deo, sed in nobis qui alligamur hoc debito quoad Deum et quoad proximum. Secundo modo est in Deo, et haec iustitia nihil aliud dicetur in ipso quam condecentia suae bonitatis. Unde Anselmus, in *Proslogion*[6]: « Cum punis malos, iustum est, quia illorum meritis convenit; cum vero [m] parcis malis, iustum est, non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuae condecens est ». Et sic misericordia et iustitia secundum unam intentionem ponendae sunt in Deo, secundum aliam vero [n] non.

281 ARTICULUS II.

Quae sit prior in Deo intentio, misericordiae an iustitiae.

Deinde quaeritur quae sit prior in Deo intentio, misericordiae an iustitiae.

Ad quod sic: *a.* Psalm.[7]: *Universae viae Domini misericordia et veritas;* et appellatur hic veritas iustitia, quia unum pro alio sumitur in Scriptura[8], licet in hoc differant quod veritas in dictando, iustitia in exequendo vel exhibendo. Prius ergo ordinat misericordiam quam iustitiam; ergo prior est in Deo ratio misericordiae quam iustitiae.

b. Item, Psalm.[9]: *Misericordiam et iudicium* etc.; sed iudicium pertinet ad iustitiam; ergo prior est intentio misericordiae quam iustitiae.

c. Item, II Cor. 1,2 dicitur: *Pater misericordiarum;* sed non invenitur in Scriptura 'Pater iustitiarum' [o]; ergo intentio misericordiae prior est in Deo [p] quam intentio iustitiae.

d. Item, quod Deus promittit [q], est ex misericordia, quod comminatur [r] ex iustitia; sed promissiones Dei sunt immutabiles, II Cor. 1,20: *Quotquot promissiones sunt in illo est,* id est [s] sunt immutabiles, comminationes [t] autem mutabiles [u]. Unde Ierem. 18,7-8: *Repente loquar* [v] *adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruam* [x] *et disperdam. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod* [y] *locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam.* Sed quod

---

[a] BRGL *tamen.* [b] G *tamen.* [c] SG *passione.* [d] BGL add. *eius.* [e] BG om. [f] B *ergo dicatur tantum in,* RG *ergo dicatur misericordia a* pro *s. c.;* S om. *cum.* [g] L om. *s. c. c. r.* [h] BRGL *in relevante,* S (mg.) add. *vel passionem aliquam.* [i] BRGL *est.* [k] Codd. hic et duob. sèqq. artic. semper *Monologion.* [l] P *condecentia.* [m] PVS *ergo.* [n] BRGL om. [o] P add. mg. *Tamen Apostolus dicit ad Rom. I, quod ipse est iustus et iustificans. Item cum in Psalmo dicatur: Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax obsculate sunt; videtur ergo quod iustitia non sit idem quod veritas vel e converso, cum veritas distinguatur a iustitia. G.* [p] L om. *i. D.,* BRG om. *est.* [q] PV *permittit.* [r] L add. *est.* [s] PVS om. *e. i. e.,* BRGL om. *sunt.* [t] G *commutationes.* [u] L *commutabiles.* [v] L *loquitur.* [x] L add. *et dissipem.* [y] BG om., RL *quo.*

1 Cf. Lombard., IV *Sent.*, d. 46, cc. 3 et 4 (p. 1014sqq.). S. Bonav., IV *Sent.*, d. 46, a. 2, q. 1 (IV, 962sq.); Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 14, q. 1 (f. 31d).

2 *De fide orthod.,* II, c. 14 (PG 94, 931); cf. Nemes., *De nat. boni,* c. 19 (PG 40, 687).

3 Lib. I, c. 19 (PL 158, 391); cf. Augustin., *De lib. arbit.,* III, c. 16 (PL 32, 1293).

4 Cf. Augustin., *Enarr. in Psalm. 32,* sermo 2, n. 4 (PL 36, 287); Guil. Altissiod., loc. cit.

5 Cap. 8 (PL 158, 231).

6 Cap. 10 (PL 158, 233).

7 Psalm. 24, 10.

8 Cf. Psalm. 84, 11, Ioan. 8, 44.

9 Psalm. 100, 1.

pertinet ad immutabilitatem, per prius est in Deo; ergo prior est in Deo intentio misericordiae quam iustitiae.

Contra: 1. Anselmus, in *Proslogion*[1]: « Vere[a] *universae viae Domini misericordia et veritas*[2]; et tamen *iustus Dominus in omnibus viis suis*[3], et utique sine repugnantia, quia quos vis punire, non est iustum salvari, et quibus vis parcere, non est iustum damnari. Nam id solum iustum est quod vis et non iustum quod non vis; sic ergo nascitur de iustitia misericordia tua ». Si[b] ergo in Deo ex iustitia nascitur misericordia, ergo prior est intentio iustitiae quam misericordiae in Deo.

2. Item, Anselmus, in *Proslogion*[4]: « Parcendo malis ita iustus es secundum te et non secundum nos, sicut misertus es secundum nos et non secundum te ». Sed prius est intentio quae est secundum ipsum quam quae est secundum nos; ergo per[c] prius est iustitia quam misericordia.

3. Item, iustitia est non solum reddere quod debitum est, sed etiam supplere defectum et indigentiam. Si ergo intentio misericordiae est in relevatione[d] indigentiae, ergo intentio iustitiae includit in se intentionem misericordiae; ergo per prius dicitur de Deo.

4. Iuxta hoc ostenditur quod neutra debet dici simpliciter prior altera, immo in diversis ordinibus una est prior altera et e converso. Videmus enim quod causa efficiens uno modo prior est causa finali, alio modo e converso, quia finalis[e] in intentione prior est ceteris causis, in exequendo vero[f] efficiens. Si ergo misericordia prior est in[g] intentione Dei, quia misericordiam semper intendit, iustitia prior[h] est in executione; ergo nulla prior altera simpliciter, sed in diversis viis[i] una prior altera et e converso.

Solutio: Dicendum quod misericordia et iustitia Dei multipliciter dicuntur. Dicitur enim iustitia large, scilicet communissime: et sic iustitia Dei est condecentia suae bonitatis; inde iustum est quidquid decet suam bonitatem; et iste[k] est supremus gradus iustitiae, et secundum hoc loquitur Anselmus, in *Proslogion*[5], de iustitia, dicens: « Cum parcis malis iustum est, non quia illorum malis, sed quia tuae bonitati condecens est ». Secundo modo dicitur iustitia communiter: et sic iustitia appellatur retributio secundum exigentiam meritorum, et secundum hoc dicit Anselmus, in *Proslogion*[6]: « Iustum quippe est te sic esse iustum ut iustior nequeas cogitari; quod nequaquam esses, si tantum bonis et non malis merita redderes: iustior enim est qui bonis et malis quam qui bonis tantum merita retribuit; et sic ex iustitia nascitur misericordia » et severitas: misericordia est in praemiando bonos, severitas[l] in puniendo malos; unde iustitia sic respicit illud quod est in praemiando et puniendo. Tertio modo dicitur iustitia Dei stricte[m]: et sic accipitur pro severitate, quae est in puniendo malos; unde sic se habet solum ad puniendum; et haec iustitia est sub iustitia communiter dicta, et de hac dicit Anselmus[7]: « Cum punis[n] malos, iustum est, quia illorum meritis convenit ».

Similiter ex parte misericordiae est[o] distinguendum, quod dicitur multipliciter. Uno modo large sive communissime: et sic misericordia Dei appellatur superabundantia suae bonitatis et pietatis in erogatione boni. Secundo modo misericordia dicitur[p] communiter, quae est in erogatione[q] bonorum supra exigentiam meriti, secundum quod dicimus quod bonis dat praemia[r] supra condignum, malis vero poenam citra condignum. Tertio modo dicitur misericordia Dei[s] stricte, quae scilicet est in erogatione liberali boni debiti, sicut dicimus quod Dominus quemcumque salvat, etiam quantumcumque meruerit[t], adhuc tamen liberaliter et misericorditer salvat; et haec misericordia solum est in praemiando bonos, et dividitur haec ex opposito contra iustitiam stricte sumptam, quae e contrario solum est in puniendo.

Dicendum ergo quod contingit comparare iustitiam et misericordiam secundum latitudinem suam et generalitatem, ut scilicet sunt[u] in eodem gradu, ut iustitia large comparatur ad misericordiam large, et iustitia communiter ad misericordiam communiter, et iustitia stricte ad misericordiam stricte: et sic semper in Deo prior est intentio misericordiae quam iustitiae. — Quod patet: iustitia enim large sumpta est condecentia bonitatis divinae, misericordia[v] large est superabundantia pietatis divinae; sed prior est ipsa bonitas quam condecentia bonitatis: quia enim bonus summe, ideo decet ei facere quod facit, et inde iustitia, et non e converso: nam[x] ex eo quod summa[y] est bonitas et superexcellens, ex hoc provenit[z] condecentia. Unde dicit Anselmus[8]:

---

[a] G *vie.* [b] G *sic.* [c] PV om. *per*, in S est add. mg.; BRGL om. *est.* [d] L add. *miserie vel.* [e] G add. *causa*, L om. *in.* [f] G om. [g] RGL om. [h] BRGL *primum.* [i] G *via.* [k] G *ita.* [l] S add. *est.* [m] L *districte* pro *D. s.* [n] L *punit.* [o] PVS om. [p] BRG *Dei.* [q] L om. *boni secundo... erogatione.* [r] BRGL om., V *dantur* pro *dat.* [s] BRGL *divina.* [t] R *remuneret.* [u] PVS *sint.* [v] L add. *autem.* [x] BRG *unde.* [y] R *summe.* [z] BRGL *venit.*

1 Cap. 10 (PL 158, 233).
2 Psalm. 24, 10.
3 Psalm. 144, 17.
4 Loc. cit.
5 Loc. cit.
6 Cap. 11 (PL 158, 233).
7 *Proslog.*, c. 10 (PL 158, 233).
8 *Proslog.*, loc. cit.

« Iustus es, non quia nobis reddas debitum, sed quia facis quod decet te summum bonum »; et ita [a] iustitia large nascitur ex misericordia large. Similiter comparando divinam misericordiam sumptam communiter ad iustitiam sumptam communiter, prior est intentio misericordiae: quia quod Deus remuneret supra meritum, hoc est ex parte sua, scilicet ex condecentia suae bonitatis superexcellentis, et istud est misericordiae in Deo communiter dictae; quod autem retribuat secundum merita, hoc est ex parte nostra; prior autem est intentio in Deo quae omnino est ex parte ipsius quam quae non omnino, sed ex parte nostra. Similiter comparando misericordiam stricte sumptam ad iustitiam stricte sumptam, prior est intentio misericordiae, quae est in praemiando, quam iustitiae, quae est in puniendo: quia omne punire in Deo ordinatur ad praemiari, quia punitio malorum ordinatur ad praemium electorum augmentandum [b]. Si autem comparemus misericordiam et iustitiam non secundum aequalitatem graduum — ut si comparemus misericordiam ad iustitiam prout est superior sive in supremo gradu, quo [c] dicitur large, et misericordia communiter — sic semper iustitia prior est: ex iustitia enim large sumpta nascitur misericordia communiter sumpta; decet enim suam bonitatem quod puniat malos citra condignum, et sic intelligitur auctoritas Anselmi supra posita [1]. Unde ex iustitia large sumpta nascitur misericordia et iustitia communiter sumpta; similiter ex iustitia communiter sumpta nascitur [d] misericordia et iustitia secundum quod sumitur stricte: quorum primum, scilicet misericordia, est in [e] praemiando bonos; alterum, scilicet iustitia, quae dicitur severitas, in puniendo malos; ex hoc enim quod retribuit secundum exigentiam meritorum, provenit quod bonis bona, malis mala retribuat.

[Ad obiecta]: Et per hoc patet solutio ad omnia obiecta.

282 ARTICULUS III.

An in universis operibus Domini inveniatur misericordia et iustitia [2].

Deinde quaeritur si in universis operibus Domini sit invenire misericordiam et iustitiam [3].

Et primo quaeritur quantum ad opera creationis;

secundo [f], quantum ad opera recreationis;

tertio [g], quantum ad opera retributionis.

I. Quantum ad primum sic [h]: *a.* Psalm. [4]: *Universae viae Domini misericordia et veritas;* viae autem dicuntur [i] opera; ergo in universis operibus Domini [k] est invenire misericordiam et veritatem; ergo et in operibus creationis.

b. Item, Glossa [5], ibi: « Misericordiam et veritatem manifeste nobis exhibet; quae duo tamen in omni opere Domini [l] simul sunt, etsi non nobis manifeste appareant ».

Contra: 1. Iustitia Dei dicitur tripliciter [6]: uno modo respectu exigentiae meritorum, scilicet secundum quod tribuit unicuique secundum meritum; alio modo respectu impletionis promissorum, et sic dicitur facere de iustitia, quando implet quod promisit; tertio modo, respectu exigentiae perfectionis, cum scilicet [m] dat unicuique [n] perfectionem secundum propriam exigentiam et conservationem [o] et regimen: secundum hoc dicitur iustitia Dei respectu perfectionis creaturarum et regiminis et conservationis earumdem [p]; sed in opere creationis nullo istorum modorum est iustitia Dei, cum creatio sit eductio de non-esse ad esse; ergo in operibus creationis non est iustitia Dei.

2. Item, Gregorius, *Super Iob* [7]: « Misericordia refertur ad miseriam »; sed ubi ponitur simpliciter non-ens [q], non est beatum nec miserum; ergo in operibus creationis non est beatum nec miserum; ergo nec misericordia.

II. Quaeritur iterum de operibus recreationis utrum in illis ponenda sint simul misericordia et iustitia, sicut in [r] incarnatione, quae est opus recreationis.

---

[a] S *sic.* [b] P add. mg. *Unde Psalm.: Ridebunt iusti, cum viderint vindictam.* [c] P om. *ut si... quo.* [d] G om. [e] L om. [f] BRL om. [g] BRL om. [h] S om. [i] PV *via autem Domini sunt* pro *v. a. d.*, quod S corr.; L *via* pro *viae.* [k] BRGL om. [l] G om. [m] L *omnis* pro *c. s.* [n] BRG add. *secundum.* [o] R *conservantiam.* [p] PS *eorumdem.* [q] G om. *n. e.* [r] G om., in P est add. interl.

1 Cf. p. 389, n. 1.

2 Responsio generalis ad diversas quaestiunculas huius articuli et solutio ad omnia obiecta habetur infra, p. 393b sqq. Cf. Lombard., IV, *Sent.*, d. 46, c. 5 (p. 1017).

3 Cf. Bibl. Nat. Paris., cod. lat. 16406, saec. XIII (ff. 219a-221b), ubi sub titulo *Questio magistri Alexandri quomodo universe vie Domini misericordia et veritas,* eadem materia alio quidem modo, sed meliori ordine tractatur, multa tamen habentur iam exponendis conformia.

4 Psalm. 24, 10.

5 Lombardi, in h. l. (PL 191, 256). Cf. Augustin., *Enarr. in Psalm. 60,* n. 9 (PL 36, 728) et *In Psalm. 118,* sermo 29, n. 8 (PL 37, 1588); Cassiod., *In Psalm. 100,* 1 (PL 70, 700).

6 Cf. supra, p. 389a, *Solutio.*

7 *Moral.*, XX, c. 32, n. 63 (PL 76, 175), ad sensum.

Ad quod sic: 1. Rom. 15,8-9: *Dico Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum.* Vult dicere [1] quod Christus Iudaeis fecit iustitiam, quia ipsis [a] erat promissa: unde in [b] impletione fecit iustitiam; item, fecit eis misericordiam, quia promisit [c] incarnationem; sed gentibus non fuit promissa incarnatio; ergo ex misericordia fuit illis exhibita et non ex iustitia. Ergo simpliciter quantum ad omnes non fuit simul misericordia et iustitia in opere recreationis.

Contra: *a.* I Cor. 1,30, loquitur Apostolus de Christo: *Factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio,* et loquitur generaliter quantum ad omnes Iudaeos et gentiles de fructu incarnationis; ergo in comparatione ad gentes fuit iustitia et misericordia in opere recreationis.

III. Tertio quaeritur utrum in operibus [d] retributionis simul sint [e] misericordia et iustitia [2]:

Primo, de operibus beneficentiae;

secundo, de operibus punitionis.

De operibus beneficentiae, an sit misericordia et iustitia in eis:

primo, quantum ad electionem;

secundo, quantum ad beneficium temporale;

tertio, quantum ad sanctificationem;

quarto, quantum ad beatificationem.

A. Quantum ad primum sic obicitur: 1. Dominus elegit Iacob et Esau reprobavit [3], et tamen tantum erat in uno quantum in alio [f] et de pari se habebant; ergo sine iustitia egit cum Iacob elegit, et sine misericordia cum Esau reprobavit.

2. Item, multa beneficia dat quibusdam, quae non dat aliis qui ex aequo [g] se habent; ergo etc.

B. Item, quaeritur de opere beneficentiae temporalis, scilicet utrum Deus de iustitia conferat bonum temporale malis hominibus:

a. Quia dicit Augustinus [4] quod peccator non est dignus pane quo vescitur [h]; sed iustitia respicit exigentiam meritorum vel promissionem; ergo non est iustitia quod faciat bonum temporale peccatoribus.

C. Item, quaeritur utrum in iustificatione impii sit misericordia vel iustitia.

Ad quod sic: 1. Sicut se habet misericordia ad misereri, ita se habet [i] iustitia ad iustificare; sed misereri est opus misericordiae; ergo iustificare est opus iustitiae.

Contra: *a.* De misericordia sua iustificat Deus; non ergo de iustitia.

b. Item, peccator non est dignus facere opera [k] unde sit gratus, nec potest facere opus dignum.

c. Item, IV *Sententiarum* [5]: Opus misericordiae est remittere peccata.

D. Item, quaeritur [l] de opere beatificationis [m]: 1. Psalm. [6]: *Misericordia Domini plena est terra.* Glossa [7]: « *Terra* dicit, non 'caeli', quia caeli non indigent misericordia, ubi nulla est miseria; in terra hominis abundat miseria et superabundat Domini misericordia ». Ergo in illa illustratione sanctorum in caelis, quae erit in beatificatione, non erit opus misericordiae.

IV. Quarto quaeritur utrum in operibus punitionis sit misericordia et iustitia:

Primo, quantum ad punitionem temporalem;

secundo, quantum ad punitionem aeternam;

item, de punitione temporali quantum ad adultos, quantum ad parvulos.

A. Quantum ad primum quaeritur de punitione temporali, qua punit in praesenti parvulos, de qua movet Augustinus [8] quaestionem sic: 1. « Nos videmus multos subiectos febribus et poenis temporalibus postquam baptizati sunt »; sed non remanet in eis culpa originalis post Baptismum; ergo non est iustum eos puniri.

2. Item, posito quod tales decedant antequam sint adulti, ad nullam igitur utilitatem puniuntur [n], nec propter hoc quia meruerunt; ergo non de iustitia puniuntur [o].

B. Item, quaeritur de poenis temporalibus, quibus puniuntur adulti, 1. maxime de illis quibus unus punitur pro alio vel maledicitur, sicut fuit Chanaan [9]: iste enim Chanaan

---

[a] G *ipsa.* [b] P om. [c] R add. *eis.* [d] PVSL *opere.* [e] Ita BR, alii *fuit.* [f] V *altero.* [g] V *e contrario* pro *c. a.* [h] P add. mg. *Unde Salomon: Pretium scorti vix unus panis. G.* [i] BRGL om. *s. h.* [k] BRGL *opus.* [l] PVS om. [m] PVS *iustificationis.* [n] L *sunt puniti.* [o] S add. *adulti.*

[1] Cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 1522); Augustin., *Enarr. in Psalm. 88,* sermo 1, n. 3 (PL 37, 1121).

[2] Cf. S. Bonav., IV *Sent.,* d. 46, a. 2, q. 1 (IV, 962 sq.).

[3] Cf. Malach. 1, 2sq. et Rom. 9, 13. Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 14, qq. 3 et 6 (f. 32d et 33b), etiam pro sequentibus.

[4] Rectius Ambrosiaster, *In Epist. ad Tit.,* c. 1, 15 (PL 17, 500).

[5] Lombard., IV *Sent.,* d. 46, c. 4 (p. 1016), ad sensum; ex Augustino, *Enarr. in Psalm. 135,* n. 4 (PL 37, 1758).

[6] Psalm. 32, 5.

[7] Lombardi, in h. l. (PL 191, 328), ex Augustino, *Enarr. in Psalm. 32,* sermo 2, n. 41 (PL 36, 287); cf. Lombard., IV *Sent.,* loc. cit.

[8] *De lib. arbit.,* III, c. 23, n. 68 (PL 32, 1304); cf. *Epist.* 166, c. 6, n. 16 (PL 33, 727); *Enchir.,* c. 66 (PL 40, 263), sed nullibi verbotenus.

[9] Cf. Gen. 9, 25-27.

nihil peccaverat unde deberet habere maledictionem, sed pater eius tantum; sed illa fuit maledictio divina sive per inspirationem divinam, ut supponimus; ergo non videtur ibi fuisse [a] iustitia.

2. Item, pro peccatis patrum punit filios [1]; ergo pro peccatis aliorum punit innocentes; sed hoc non est de iustitia [b], quia iustum est ut solum qui peccaverit puniatur; ergo etc. — Item, Ezech. 18, 17: *Filius non morietur in iniquitate patris, sed vita vivet,* et ibidem [2]: *Filius non portabit iniquitatem patris;* ergo non vindicat Dominus iuste iniquitatem patrum in filios. — Item, Ezech. 4, 17: *Corruet unusquisque et contabescet in* [c] *iniquitatibus suis.*

3. Hanc etiam quaestionem quaerit Augustinus [3], Iosue 7, 1: *Filii Israel tulerunt de anathemate* etc., ubi [d] dicit sic: « Quaeri solet quomodo iuste peccatum alterius in alios vindicetur, cum in lege [4] dictum sit: nec patres pro filiorum nec filii pro patrum iniquitatibus esse puniendos ». Ex quo videtur secundum ipsum quod non puniat Deus iuste [e] filios pro patribus.

4. Item, Exod. 32, 21, non fuit Aaron punitus pro vitulo conflatili, sed solum argutus; populus autem punitus fuit [5]; ergo iniuste fecit Dominus.

V. Item, quaeritur de punitione aeterna, qua punit Deus in inferno: primo, quantum ad adultos; secundo, quantum ad parvulos.

Circa primum quaeritur an Deus possit aliquem [f] punire in inferno absque [g] misericordia, hoc est quantum meruit possit [h] punire;

secundo, an aliquem puniat ibi absque misericordia, scilicet quantum meruit [i].

Quantum ad primum sic obicitur [6]: 1. Deus potest quidquid iustum est; sed iste fornicator [k] meruit puniri tanta poena; ergo iustum est quod puniatur tanta poena; ergo Deus potest illud; sed si punit eum tanta poena, sine misericordia punit; ergo Deus potest punire aliquem poena aeterna absque misericordia.

Contra: *a.* II ad Tim. 2, 13: *Negare se ipsum non potest.* Sicut ergo non potest non [l] punire malos, quod est opus iustitiae, ita non potest non [m] relaxare de poena, quod est opus misericordiae, quia sic negaret suam misericordiam, quae ipse est; ergo non potest aliquem punire in inferno absque misericordia sive [n] quantum meruit.

VI. Item, quaeritur de actu punitionis aeternae, scilicet an sine misericordia puniat aliquem, an [o] sine iustitia [7].

Ad quod sic: 1. Apoc. 18, 7: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum.* Ex quo patet quod punit quantum meruit.

2. Item, Matth. 7, 2: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis,* et hoc est: pro tanta culpa, tanta poena; et in Isai. 27, 8: *In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, vindicabis* [p] *eam,* scilicet in mensura poenae contra mensuram culpae. Ex quibus videtur quod Deus puniat quantum meruit.

3. Item, Apoc. 18, 6: *Reddite illi sicut illa reddidit vobis, et duplicate illi duplicia secundum opera eius: in poculo, quod miscuit vobis* [q], *miscete illi duplum* — et vocat poculum contra Babylon [8] poenam qua afflixit [r] sanctos, sicut in Ierem. 25, 15: *Sume calicem vini furoris eius,* vocatur calix poena — ergo magis punit Deus Babylon quam meruit puniri in afflictione sanctorum; punit ergo punitione aeterna sine misericordia.

4. Item, Isai. 40, 2: *Suscepit de manu Domini duplicia* etc.

5. Glossa [s], super illud [9]: *Ex usuris* etc., Glossa [10]: « Plus exigitur in poenis quam commissum sit in culpis ».

6. Item, plus punivit Deus Iob poena temporali quam meruerat; unde 17, 2: *Non peccavi,* scilicet tantum; ergo eadem ratione plus punit aliquando aliquem poena aeterna [t] quam meruit.

7. Item, cum punit aliquem in inferno pro culpa, constat quod culpa est temporalis, sed poena est aeterna; ergo plus punit ipsum quam peccaverit.

8. Item, reatus culpae venialis temporalis est; ergo iniuste punit Deus [u] aliquem poena aeterna pro culpa veniali.

9. Item [11], « sint duo, quorum unus in duplo sit magis [v] peccator quam alius [x] et sic uterque decedat; culpa unius est dupla ad culpam [y] alterius; ergo et poena condigna unius est dupla ad poenam

---

[a] BRGL *esse.* [b] BRG *est iniustitia* pro *n. e. d. i.*, L om. *de.* [c] G om.; P add. mg. *Quia vie illorum tenebre et lubricum et angelus Domini persequens eos, ut dicitur in Psalmo, tabescent; unde in Ioele: Computruerunt quasi iumenta etc. G.* [d] BRGL *unde.* [e] R *recte,* B om. *Deus.* [f] V *aliquos.* [g] S *sine.* [h] BRG om., L om. *q. m. p.* [i] G om. *secundo... meruit.* [k] S add. *peccavit et.* [l] G om. [m] G om. [n] G om., SBRGL add. *in.* [o] BRGL *aut.* [p] PVSL *vindicabit.* [q] GL om. [r] BRGL *penam qua afflixit Babylon* pro *c. B. p. q. a.* [s] Ita BG, alii add. *Bernardi,* L om. *Glossa.* [t] R om. [u] B om. [v] V *maior.* [x] L *alio* pro *q. a.* [y] PV *penam.*

1 Cf. Exod. 20, 5.
2 Cap. 18, 20.
3 *In Heptat.*, VI, c. 8 (PL 34, 778).
4 Deuter. 24, 16.
5 Cf. Exod. 32, 35.
6 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 14, q. 2 (f. 32a sqq.), ubi plura hic afferenda occurrunt.
7 Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 46, a. 1, q. 2 (IV, 959).
8 Cf. Apoc. 18, 2.
9 Psalm. 71, 14.
10 Lombardi, in h. l. (PL 191, 664), ex Augustino, in h. l. (PL 36, 910).
11 Sequentia verbotenus ap. Guil. Altissiod., loc. cit., c. 14, q. 3 (f. 32cd).

condignam [a] alterius, et unus in inferno punitur magis [b] in duplo quam alius. Sed contingat quod Deus utrique aliquid relaxet de condigna poena; ergo magis in quantitate subtrahitur de condigna poena unius [c] quam de poena condigna alterius. Quod patet in numeris: si enim unus numerus sit duplus ad alium, et de utroque fiat subtractio ita quod in residuis sit dupla proportio, plus subtrahitur de duplo quam de subduplo; ergo plus relaxat isti qui magis peccavit, de poena, quam alii qui minus peccavit: quod iniustum est », quia magis peccavit quam ille; ergo Deus in punitione [d] aeterna aliquando agit iniuste; et ita sine iustitia et misericordia simul punit Deus peccatores aeternaliter.

VII. Item, quaeritur de punitione aeterna quoad parvulos, utrum iuste et misericorditer puniat eos.

Et videtur quod sine misericordia punit eos decedentes sine Baptismo [1]: 1. Quia punit eos poena condigna [e] peccato originali, in quo decedunt, nihil relaxando de poena; ergo punit eos sine misericordia. — Maior patet: quia punit eos carentia visionis, quae est poena condigna peccato originali; sed de hac poena nihil relaxat, quia aut relaxaret quoad diuturnitatem poenae istius aut quoad acerbitatem. Non relaxat de ea quoad diuturnitatem, quia poena ista est infinita quoad diuturnitatem et perpetua; similiter nihil relaxat de acerbitate, « quia [2] carentia visionis Dei, cum sit privatio, non recipit magis et minus », et etiam in omnibus parvulis est aequalis reatus, ratione cuius non [f] minus punitur unus quam alius; ergo sine misericordia puniuntur parvuli poena condigna.

2. « Item, dicit Augustinus [3] quod " carentia visionis Dei est maxima poena "; et peccatum originale minimum peccatum est; ergo parvuli pro minimo peccato puniuntur maxima poena ». Ergo Deus iniuste et immisericorditer agit cum illis.

3. « Item, in visione Dei est maxima gloria; ergo in carentia visionis maxima poena, quia maxima poena et maxima gloria sunt contraria; ergo parvuli pro peccato originali puniuntur maxima poena ».

4. « Item, ex visione Dei est maxima delectatio; ergo ex carentia visionis maxima tristitia; ergo maxima poena, et inde ut prius ».

Ex iis omnibus videtur quod non in omnibus operibus est misericordia.

Solutio: Dicendum ad omnia ista quod intentio misericordiae et iustitiae multipliciter accipitur [4]. Si accipiantur earum intentiones large: sic sunt in operibus Dei misericordia et veritas. Unde Psalm. [5]: *Universae viae Domini misericordia et veritas* etc. Glossa [6]: « In omni opere Domini simul sunt, etsi non [g] nobis manifeste appareant ». Notandum ergo quod iustitia Dei [h] dicitur multipliciter. Uno modo dicitur ut connotetur exigentia meritorum, alio modo ut connotetur condecentia bonitatis divinae. Et haec distinctio sumitur ab Anselmo, in *Proslogion* [7]: « Cum punis malos, iustum est [i], quia illorum meritis convenit; cum vero parcis malis, iustum est, non quia illorum meritis [k], sed quia [l] bonitati tuae condecens est ». Prout ergo dicitur iustitia primo modo, sic non invenitur in omni opere Dei, quia nec exigentia meriti invenitur in omni opere eius [m]; secundo vero modo sumpta in omni opere Dei invenitur, sed diversimode. Unde distinguendum est, quia in Deo est condecentia potestatis et est in eo [n] condecentia sapientiae et condecentia dispositionis et condecentia aequitatis et condecentia miserationis: haec enim omnia complectitur condecentia divinae bonitatis.

Si ergo dicatur iustitia condecentia suae potestatis: haec proprie apparet et ponitur in opere iustificationis; et hoc est quod dicitur, Rom. 9, 22-23: *Quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet vasa gloriae suae.* Unde quod unum iustificat, alium non, hoc facit iustitia potestatis. Unde Hugo, in libro *De sacramentis* [8]: « Iustitia alia est [o] secundum debitum facientis, alia est secundum meritum patientis. Iustitia secundum debitum [p] facientis est potestatis, quia sine iniustitia licet facienti, si velit, quod eius potestati debetur; iustitia aequitatis est qua retribuitur patienti, etiam si nolit [q], quod eius merito debetur. Cum ergo Deus punit peccatorem, iuste facit, quia eius aequitati debetur ut hoc possit, si velit; cum vero [r] Deus iustificat peccatorem, iuste agit et [s] iustus est iustitia potestatis, quia hoc ei [t] licet ».

Si autem appelletur iustitia Dei condecentia [u] suae sapientiae, sic est iustitia Dei in electione et reprobatione [9], et sic iuste elegit Iacob et Esau

---

[a] PV *conduplam*, quod S corr. [b] BRGL om. [c] G om. *ergo... unius.* [d] G *punitate.* [e] V add. *pro.* [f] G add. *iustius*, PVS *eius* pro *cuius.* [g] PVS add. *in.* [h] BG om. [i] PV add. *non*, quod S exp. [k] G add. *convenit.* [l] L om. [m] G om. *quia... eius.* [n] G om. *e. i. o.*; L *Dei.* [o] G *enim.* [p] L *meritum.* [q] R *velit.* [r] G *ergo.* [s] Ita G, alii om. [t] S om. [u] BG *decentia.*

1 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., n. 14, q. 2 (f. 32bc).
2 Haec et tria argumenta sequentia verbotenus apud Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 32c).
3 Pseudo-Augustin., *De spir. et anima*, c. 56 (PL 40, 822).
4 Cf. supra, p. 389a, *Solutio*.
5 Psalm. 24, 10.
6 Lombardi, in h. l. (PL 191, 256).
7 Cap. 10 (PL 158, 233).
8 Lib. I, p. 8, c. 8 (PL 176, 310).
9 Cf. supra, p. 322, num. 228.

reprobavit: condecens est enim sapientiae eius quod det[a] illi gratiam quem scit bene uti gratia, et illi non quem scit male uti, ad minus quantum ad radicationem. Et hoc est quod dicit Ambrosius[1]: «Deus dat gratiam illi quem scit sibi serviturum, et illi non quem scit sibi non serviturum; et hoc est[b] dare cui dandum est, et non dare cui dandum non est». Et hoc est de condecentia[c] sapientiae. In sapientia enim est praescientia non solum status qui nunc est, sed etiam qui futurus est; et ideo bene dicit quod «dat illi gratiam quem scit sibi serviturum», quia hoc est praesens sapientiae suae; et ideo[d] iustum et condecens est quod sic faciat. Unde etsi sint duo aeque dispositi, tamen[e] dat Deus uni gratiam, alii non, quia licet dispositi sint ex aequo quantum ad nunc, non tamen quantum ad omne tempus, immo unus utetur iuste, alter iniuste[2].

Si autem appelletur divina iustitia condecentia dispositionis, sic est iustitia in creatione, quia iustum est ut quod Deus disposuit et ordinavit, impleat. Si ergo creatio erat in aeterna dispositione, iustitia erat quod exequeretur ab[f] ipso, quia hoc suae dispositioni condecebat, sicut iustitia est ut quod promisit impleat.

Si autem appelletur iustitia divina condecentia aequitatis, sic respicit opus retributionis, qua retribuit[g] secundum merita, bonis bona, malis mala. Unde Hugo de S. Victore[3]: «Iustitia aequitatis est qua retribuitur patienti quod eius merito debetur». Et Anselmus, in *Proslogion*[4]: «Domine, iustum est te sic esse iustum ut iustior nequeas cogitari; quod[h] nequaquam esses, si tantum bonis bona et[i] non malis mala redderes. Iustior enim est qui bonis et malis quam qui bonis tantum merita retribuit».

Si autem appelletur iustitia Dei secundum condecentiam miserationis, hoc est ut semper puniat citra condignum et remuneret[k] supra condignum. Unde Rom. 8, 18: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam* etc.

Similiter autem intentio misericordiae multipliciter est. Uno modo dicitur misericordia respectu relevationis miseriae, alio modo dicitur respectu supplementi defectus. Item, in misericordia primo modo sumpta, sunt[l] affectus et compassio in relevante[m]: et quantum ad hoc non est misericordia in Deo[5]. Misericordia autem, quae est in supplementum defectus, multipliciter est secundum quod defectus multipliciter est[n]. Est enim defectus quantum ad esse: et hic est in re quae non est, quia iste defectus est non-esse; supplementum autem huius defectus est in creatione, quae est exitus de non-esse in esse. Sic[o] ergo in opere creationis est misericordia, quae est ad supplementum defectus[p] quantum ad esse; et secundum hoc dicitur in Psalmo[6]: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Est alius defectus qui est quantum ad bene esse: et sic est *misericordia* semper *in caelis*[7]; creatura enim nulla per se potest subsistere sine regente, quia dicit Augustinus[8] quod omnis creatura sub vitio est, non vitio culpae aut poenalitatis, sed vitio defectus, quia nulla[q] per se potest esse[r] sine Conservatore. Hoc etiam modo est misericordia in beatificatione, non quia sit ibi defectus vitii vel poenalitatis, sed quia semper conservat ipsas animas in sua gloria. Et hoc est quod dicit Glossa[9] super illud Psalmi: *Misericordia Domini plena est terra,* quod «omnia indigent Domino, et misera et felicia, quia sine illo miser non sublevatur, felix non regitur». Sic[s] ergo in opere creationis est opus misericordiae, quia ibi est intentio supplementi defectus qui est non-esse; et est ibi opus iustitiae, scilicet condecentia[t] bonitatis in opere dispositionis, ut visum est[10].

Sed tunc quaeritur quomodo ibi[u] distinguuntur. Et dicendum quod creatura erat in praeordinatione divinae dispositionis ita quod ipsa non erat sive erat non-ens in se. Iustitia ergo respicit praeordinationem, quae erat in divina dispositione: quia ita praeordinaverat Deus et disposuerat, iustum erat quod creaturam produceret; misericordia autem respicit non-esse ex parte creaturae: ex quo enim creatura erat non-ens de se, nec de se poterat in esse progredi, divinae fuit misericordiae quod ipsam produxit ad esse.

[Ad obiecta]: I. Secundum ergo praedicta patet solutio[v] ad rationes probantes quod in opere creationis non sit misericordia et iustitia. Est enim ibi iustitia, sicut dictum est[11], quae est condecentia bonitatis divinae: et illa reducitur ad illum praedictum modum iustitiae, qui est in impletione promissi. Similiter de misericordia patet solutio, quia non est ibi misericordia quae sit[x]

---

[a] L om., P *debet*, quod S corr.; BRGL om. *eius*. [b] G om. [c] V add. *sue*, G om. *de*. [d] BG *non*. [e] BRG *cum*. [f] G *ex*. [g] PV *retribuitur*, L om. *q. r.* [h] V *quia*. [i] G *cum*. [k] PV *remuneretur*. [l] Codd. *scilicet*. [m] G *relevatione*. [n] PV om. *secundum... est*, in S est add. mg. [o] L *si*. [p] PVS add. *qui est*. [q] L (mg.) *non*. [r] G om. [s] PVG *si*, quod S corr. [t] R *condecentie*. [u] BG om. [v] BRGL *responsio*. [x] SBRG *fit*.

1 *In Epist. ad Rom.*, c. 9, 15 (PL 17, 136).
2 Cf. supra, p. 318, num. 222.
3 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 8, c. 8 (PL 176, 310).
4 Cap. 11 (PL 158, 833).
5 Cf. supra, p. 388, num. 280.
6 Psalm. 144, 9.
7 Cf. Psalm. 88, 3.
8 *De Gen. ad litt.*, IV, c. 12, n. 22 et IX, c. 15, n. 27 (PL 34, 304, 404), ad sensum.
9 Lombardi, *In Psalm. 32*, 2 (PL 191, 328), ex Augustino, *Enarr.*, in h. l., n. 4 (PL 36, 287).
10 Cf. p. 394a.
11 Cf. hic, parum supra.

respectu relevationis miseriae, sed quae est in supplementum defectus quantum ad esse.

II. Ad secundum patet solutio. Sed ad obiectum quod contra [a] obicitur quod quoad gentes non sit iustitia in opere recreationis: dicendum quod iustitia Dei potest dici condecentia bonitatis suae; et sic fuit [b] in incarnatione iustitia [c] quoad gentes, quia sicut dicit Anselmus [1]: «Non est iustum ut Deus rationalem creaturam, quam fecit ad beatitudinem, omnino perire sinat», id est non condecet [d] suam bonitatem. Alio modo dicitur iustitia, quae est condecentia veritatis [e] in Deo, et haec est in implendo promissum: et ista non fuit ibi quoad gentes. Et ita licet non fuerit ibi iustitia, quae respicit promissionem quae est condecentia veritatis, fuit tamen ibi iustitia quae est condecentia suae bonitatis.

III. B. Ad illa ergo quae quaeruntur de opere retributionis quantum ad beneficentiam, patet solutio.

C. 1. Ad illud quod obicitur de iustificatione: dicendum quod non sic se habet iustificare ad iustitiam sicut misereri ad misericordiam, quia iustificare non dicit iuste facere, sed de iniusto iustum facere; et hoc non solum est opus iustitiae, sed misericordiae. Sed dicendum sic: sicut se habet iuste facere ad iustitiam, ita misereri ad misericordiam, quia iuste facere est opus iustitiae, non iustificare [f], quia iustificare non est debitum reddere.

Ad secundam rationem [g] dicendum quod ipsa procedit de iustitia, quae est condecentia divinae bonitatis, quia [h] haec semper est in iustificatione peccatoris, quia «non decet summam bonitatem ut rationalem creaturam, quam fecit ad beatitudinem, omnino perire sinat», ut dicit Anselmus [2]; sed non procedit de iustitia quae respicit exigentiam meritorum.

IV. A. Ad illud quod obicitur de parvulis: dicendum, sicut dicit Ioannes Damascenus [3], quod «divina providentia concedit multotiens iustum incidere in calamitates, ut eam, quae in ipso latet, virtutem aliis manifestam faciat, ut in Iob; aliquando concedit inconvenientium quid [i] agi, ut per operationem, aestimatam inconvenientem, magnum quid et mirabile dirigatur, ut per crucem salutem hominum. Secundum alium modum concedit pati sanctum male, ut non a [k] recta conscientia excidat vel [l] ex data virtute et gratia in superbiam erigatur [m], ut in Paulo [4]. Derelinquitur [n] quis ad tempus in directionem aliorum, ut quidem secundum ipsum intendentes alii erudiantur, ut in Lazaro et divite [5]: naturaliter enim videntes quosdam patientes, cruciamur. Derelinquitur quis in alterius gloriam, non propter proprium vel parentum peccatum, ut [o] qui a nativitate caecus in gloriam Filii hominis, Ioan. 9, 3: *Neque hic peccavit neque parentes eius, sed ut* [p] *manifestentur opera Dei in illo.* Rursus, conceditur quis pati in alterius zelum, ut gloria eius qui passus est magnificata, impigra [q] aliis passio fiat spe futurae gloriae et aeternorum bonorum desiderio, ut in martyribus. Conceditur quis in nefariam incidere operationem quandoque, in directionem alterius passionis deterioris: ut puta est quis elatus in virtutibus et directionibus eius, concedit hunc Deus in adulterium incidere, ut [r] ex casu in sensum veniens propriae infirmitatis, humilietur et adveniens confiteatur Domino». Punitio ergo non respicit semper [s] meritum patientis, sed aliquando gloriam Dei, sicut in [t] caeco nato; aliquando utilitatem aliorum, ut scilicet accendat [u] zelum Dei in aliis et profectum ad virtutes et incutiat timorem in peccatoribus. In parvulis ergo non est punitio propter meritum, ex quo baptizati sunt, sed propter alias causas, scilicet propter aliorum utilitatem. In hac ergo punitione non est iustitia personalis, quae respicit meritum personae patientis, sed iustitia generalis, quae respicit utilitatem et correctionem in aliis.

B. 1. Ad illud, quod quaeritur de poenis temporalibus, quibus puniuntur adulti, scilicet unus pro alio, sicut [v] Chanaan pro patre suo: dicendum, secundum Augustinum [6], quod cum [x] duplex sit poena, scilicet aeterna et temporalis, nunquam unus punitur pro alio, scilicet poena aeterna. Poena tamen temporali contingit quod unus pro alio punitur; unde Augustinus [7], Iosue 7, 1, super illud: *Filii* [y] *Israel praevaricati sunt* etc.: «Non est credendum in poenis quae post mortem irrogantur, alium damnari posse pro alio; sed in iis tantum rebus hanc irrogari poenam, quae finem fuerunt habiturae». Et sic poena temporali bene punitur unus pro [z] peccato alterius; et reddit ibi Augustinus [8] causam, volens dicere quod poena aeterna non

---

[a] BRGL *obiectionem qua* pro *o. q. c.* [b] PVS *fit.* [c] R *iustitie.* [d] L *decet.* [e] PV *bonitatis.* [f] S om. *n. i.* [g] PVS *secundum* pro *s. r.*; G *probat* pro *procedit.*. [h] Ita GL, alii *quod.* [i] BRG *aliquid.* [k] BRGL *ex.* [l] L *ut.* [m] BRGL om. [n] PVS add. *enim.* [o] R *vel.* [p] G *non*, item infra. [q] V *in pugna.* [r] P *et.* [s] R om. [t] BRGL *de.* [u] P *attendant*, VS *accendant.* [v] S *scilicet.* [x] B om. [y] R *sibi.* [z] P add. *alio*, quod V exp.

1 *Cur Deus homo*, II, c. 4 (PL 158, 402).
2 Loc. cit.
3 *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 966); cf. supra, p. 298, num. 299.
4 Cf. II Cor. 12, 7sqq.
5 Cf. Luc. 16, 19sqq.
6 *In Heptat.*, VI, c. 8 (PL 34, 778).
7 Loc. cit.
8 Loc. cit.

confert, sed poena temporalis est ad salutem: valet enim primo ad cautelam in declinandis et vitandis malis, quia in hoc ostenditur quantum peccatum esset, si omnes peccarent, et quantum mali pro unius peccato infligatur, ut scilicet [a] non sint alii securi. Et hoc est quod dicit Augustinus, in illa Glossa [1]: « Simul significatum est quantum mali esset, si universa multitudo vel congregatio peccasset, quando [ne] unus quidem ita potuit vindicari ut ab eo [b] possent ceteri [c] esse securi »; et loquitur ibi de Achor [2]. Sic fuit Chanaan punitus pro patre suo; ad hoc enim conferebat poena ista ut omnes filii semper essent in honore patris. Valet etiam et confert poena ista ad removendam negligentiam in [d] faciendis bonis; et in hoc ostenditur quod sic debet esse in societate humana, sicut est in membris corporis, ut unus [e] sit sollicitus de alio sicut unum membrum de aliis membris, non [f] sicut Cain qui dixit: *Numquid custos fratris mei sum* [g]*?* Gen. 4, 9; I Cor. 12, 25-26: *Pro invicem sollicita sunt membra: et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra;* ideo ergo pro Achor punit alios, Iosue 7, 24, ut tollat negligentiam et unus sit sollicitus pro alio. Et hoc est quod dicit Augustinus, in eadem [h] Glossa [3]: « Ostenditur quantum connexa sit in [i] populi societate ipsa universitas, ut non solum in se ipsis singuli, sed tamquam partes in toto existimarentur [k] ». Et sic patet quomodo est iustitia, quando unus [l] punitur pro peccato alterius poena temporali.

2. Ad illud autem [m] quod obicitur quod '*filius non portabit iniquitatem patris*': dicendum quod poenam patris aeternam non portabit [n] de iustitia, nisi sit imitator paternae malitiae, sed tunc etiam non portat [o] poenam aeternam patris, sed suam, quam meruit; poenam tamen temporalem patris bene portat de iustitia.

3. Ad obiectum [p] Augustini solvit ipse Augustinus [q], in illa Glossa [4], dicens: « An [r] illud iudicantibus hominibus praeceptum est ne quemquam [s] pro alio puniant? Dei autem iudicia non sunt huiusmodi, quia alto et invisibili suo consilio novit quatenus extendat [t] etiam hominum temporalem poenam salubremque terrorem, ut non solum se curet quisque in populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, et tamquam unius corporis et unius hominis [a] alia pro aliis sint membra sollicita ».

4. Ad illud quod obicit 'de Aaron, qui non fuit punitus et tamen populus fuit punitus': dicendum quod immo punitus fuit, sed non poena manifesta, sed occulta; punitus enim fuit illa poena, quae est in sacrificio vitulae rufae, quamdiu vixit [b], et pro ipso omnes sacerdotes: illa poena erat quod ille qui immolabat, immundus erat, Num. 19, 7-10, et poena in omnes sacerdotes immolantes istam victimam [transivit], qui dum [c] alios mundabant, per hoc sacrificium ipsimet inficiebantur. Non fuit [d] autem Aaron punitus poena manifesta, in signum quod praelati delinquentes non debent puniri manifeste, sed occulte; et super hoc etiam quidam Canones [5] fundantur.

V. Ad illud quod quaeritur de punitione aeterna, 'an scilicet Deus aliquem possit punire in inferno quantum meruit', dicendum quod dupliciter contingit loqui de potentia Dei: aut de potentia absoluta aut de potentia secundum condecentiam bonitatis. Loquendo ergo de potentia absoluta, dicendum quod posset; sed non de potentia quae est secundum condecentiam bonitatis, quia non decet suam bonitatem, quae est superabundans, quod ipse puniat absque misericordia.

1. Et per hoc patet solutio [e] ad obiectum in contrarium, quia procedit referendo potentiam [f] ad eum qui [g] meruit; verum est enim quod ex parte illius iustum est. Sed cum infert ultra: 'Deus potest quod iustum est', distinguenda est potentia [h], ut dictum est, taxative [i].

VI. Ad illud quod sexto quaeritur de actu punitionis aeternae: dicendum quod triplex est ibi [k] taxatio [6]. Prima est secundum exigentiam [l] meritorum: et hoc [m] secundum naturam generis, non descendendo ad [n] aliquotam intensionis. Verbi gratia, taxavit Dominus acerbitatem poenae debitae pro mortali peccato, definiens quod ei debetur gehennalis, sicut merito virtutum debetur suavitas caelestis, et maximo [o] maxima et maiori maior. Secunda taxatio est secundum exigentiam meritorum descendendo ad aliquotam intensionis: ut tanto peccato tanta poena et non maior debetur; et haec taxatio iustitiae est sicut et prima [p]. Tertia taxatio est misericordiae descendendo iterum ad aliquotam intensionis, taxando quanta reddetur, non quanta debetur. Dicimus ergo quod

---

[a] BRG om. [b] S add. interl. *non.* [c] G *in.* [d] BRG *et.* [e] B add. *sic*, L om. *de.* [f] L *nam.* [g] V add. *ego.* [h] G om. *i. e.* [i] R om. [k] G *existimentur*, L *existerentur.* [l] P *unius.* [m] BRGL om. *A. i. a.* [n] G *portat.* [o] P *portabit.* [p] RL *obiectionem*, G *obiectionem autem.* [q] V om. [r] PV *ad*, S *at.* [s] G *nequaquam* pro *n. q.* [t] PV *ostendit*, S *ostendat.*
[a] S *rationis.* [b] G *unit.* [c] G *dicto.* [d] G om. [e] BRGL *responsio.* [f] P *ipsam*, quod S corr. [g] V *quam.* [h] Ita V, PSB *distinguendum est potentiam*, RGL *distinguendum potentiam* pro *d. e. p.* [i] L om., S exp., in V est add. mg. [k] PVS om. [l] P *exigentium.* [m] S add. *secundum naturam meritorum et hoc.* [n] PV om., in S est add. mg. [o] BG *maxime.* [p] G *pena.*

1 *Ordin., In Iosue* 7, 1 (PL 113, 511), ex Augustino, loc. cit.
2 Cf. Iosue 7, 24-25. De hoc nomine cf. S. Bonav., *Opp. omnia*, VIII, p. 441, nota 11. Agitur de Achan qui punitus fuit in valle Achor.
3 Loc. cit.
4 Loc. cit.
5 Cf. Gregor. IX, *Decret.*, V, tit. 34, c. 2 et tit. 38, c. 7.
6 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 14 q. 2 (f. 32b).

primo modo semper punitur peccator poena condigna, et est opus iustitiae; secundo modo nunquam poena condigna; tertio modo semper est opus misericordiae coniunctum operi iustitiae, ut [a] iustitia ad qualitatem poenae et quantitatem generis, misericordia vero ad quantitatem specialiter eiusdem acerbitatis inflictam.

1. Ad primo ergo obiectum [b] dicendum [1] quod aequalitas poenae et culpae potest esse secundum genus: ut si multum peccavit, multum puniatur; vel potest esse secundum determinatam rationem. Quando ergo dicitur 'quantum glorificavit se, tantum puniatur', loquitur de aequalitate poenae ad culpam secundum genus, quasi dicat 'quia multum peccavit, multum puniatur', et non de aequalitate secundum rationem determinatam.

2. Ad secundum per idem patet solutio.

3. Ad tertium quod dicit '*duplicate illi duplicia*': dicendum [2] quod hoc non dicitur secundum quantitatem poenae, ut scilicet in duplo reddatur maior poena, sed hoc dicitur secundum proportionem, ut sicut peccavit homo in anima et in [c] corpore, ita puniatur poena in anima et in [d] corpore: unde debet ei duplicari poena, quia duplex debet esse, scilicet in corpore et in [e] anima.

4. Ad quartum patet solutio per hoc [f] idem.

5. Ad quintum dicendum quod in culpa est delectatio transitoria et est ibi intensio delectationis, quae est in infinitum et perpetua, quia [g] peccator habet voluntatem semper peccandi. Quantum ad primum, verum est quod plus exigitur in poenis quam commissum sit in culpis, quia delectatio vel culpa est transitoria, poena autem non, sed perpetua. Quantum vero ad voluntatem delectandi, quae erat in infinitum, non est illud intelligendum, immo citra condignum punitur.

6. Ad sextum dicendum quod est poena ad cautelam et est poena ad vindicationem. Poena ad cautelam est ad augmentum et exercitium virtutum et ad ipsarum aestimationem, sicut ad demonstrationem patientiae: et tali poena fuit Iob punitus, sed non poena quae est ad vindictam, de qua procedit ratio.

7. Ad septimum dicendum quod de iustitia punitur culpa mortalis poena aeterna. In peccato enim sunt duo: primum est [h] aversio a bono aeterno incommutabili, secundum est conversio ad bonum commutabile. Ex parte aversionis, vult Augustinus [3] quod iustum sit ut puniatur poena aeterna; unde dicit: « Non circumstantia facit ut peccatum aeternaliter puniatur, sed circumstantia illius in quem peccatur, qui, cum sit aeternus, et implentibus mandata aeterna bona promittit, transgressoribus [i] vero comminatur poenas aeternas, eo ipso quod dignum et bonum est ut qui in suo [k] aeterno aeternum iudicem offenderunt, in eius aeterno aeternaliter crucientur ». Haec est ergo ratio ex parte boni incommutabilis [l] a quo fit aversio per peccatum sive in quem peccatur. Quae sic patet exemplo [4]: meretur poenam magnam qui offendit militem, maiorem qui comitem, maximam qui regem, et hoc temporalem qui regem temporalem; ergo aeternam qui aeternum Regem. — Item, in peccato est conversio animae ad bonum commutabile, quod vellet sibi esse aeternum et in infinitum durare: et ex hac parte similiter iustum est quod debeat homo puniri pro mortali aeternaliter. Unde Gregorius [5]: « Qui in peccato moritur, in infinitum peccasset, si in infinitum vixisset »; unde non pro affectione [m] peccandi punitur aeternaliter, sed pro voluntate peccandi, quae, quantum in se erat, aeterna erat; et hoc scitur per hoc quod in peccato moritur. Et alibi dicit [6] quia « homo peccat in suo aeterno », hoc est in sua delectatione, quam sibi vellet esse aeternam, « ideo Deus punit eum in suo aeterno ». Haec est ergo iustitia [n] ut voluntati malae, aeternae quantum in se est, reddatur poena aeterna. — Item, ex parte avertentis iustum est; unde Augustinus, in libro *De civitate Dei* [o] [7]: « Dignus est malo aeterno qui in se perimit bonum quod posset esse aeternum ». Et hoc patet: de iustitia enim meretur poenam aliquam qui aufert cappam, et maiorem qui maius [p] aufert et universaliter restitutionem [q] rei ablatae; igitur cum rem abstulerit temporalem, poenam meretur temporalem; qui rem perpetuam, poenam perpetuam. Cum igitur anima sit perpetua, qui animam, quae Dei est, Deo aufert, iustum est ut poena perpetua feriatur.

8. Ad octavum quod obicitur de veniali: dicendum quod illud est ratione sui subiecti. Sicut enim videmus quod in osse fracto laesura est irremediabilis, non de se, sed [r] ratione sui subiecti, scilicet propter os quod fractum est et quod est

---

[a] BRG *et*. [b] BRGL *primum ergo* pro *p. e. o.*. [c] VS om., L *etiam*. [d] VL om., L om. *poena*. [e] VBRGL om. [f] B om. [g] G *perpetrat* pro *p. q.*, P om. *in*. [h] L om. [i] PSG *transgressori*. [k] G om. *vero... suo*, S om. *in*, R om. *est*. [l] Ita corr. in VRL, alii *commutabilis*. [m] PVS *per affectionem* pro *p. a*. [n] L add. *eterna*. [o] BG add. *dicitur*, L om. *est*. [p] BRGF *magis*. [q] S *institutionem*. [r] PS add. *de*.

1 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.

2 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.

3 *De civit. Dei*, XXI, c. 11 (PL 41, 726), ad sensum; cf. *Epist.* 102, q. 4, n. 26 (PL 33, 381)); Guil. Altissiod., loc. cit.

4 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.

5 *Moral.*, XXXIV, c. 19, n. 36 (PL 76, 738).

6 Gregor. M., *Dialog.*, IV, c. 44 (PL 77, 404), ad sensum, sed verbotenus ap. Guil. Altissiod., loc. cit.

7 Lib. XXI, c. 12 (PL 41, 727).

incurabile [a], sic in anima, quae quasi fracta est [b] in inferno per [c] sua peccata mortalia, est [d] ipsa laesura culpae venialis irremediabilis, non quia de se sit culpa irremediabilis, sed ratione sui subiecti, in quo est quaelibet laesura, dum sic est, incurabilis; et ideo punitur irremediabiliter.

9. Ad nonum dicendum quod qualitas poenae dicitur dupliciter: aut secundum proportionem poenae [e] ad culpam aut secundum genus sive absolute [1]. In se ergo absolute sive secundum [f] genus, non est hic aequalitas poenae, sed secundum proportionem ad culpam est ibi aequalitas: sicut [g] aliquis, qui est in duplo fortior alio, aequalis est ad portandum hoc onus gravius, sicut iste ad portandum hoc onus in duplo levius. Secundum [h] ergo genus sive secundum quantitatem non est aequalitas poenae in illis, quia poena in se non est aequalis poenae, sed prout dictum est.

VII. 1. Ad illud quod quaeritur de punitione aeterna parvulorum: dicendum quod parvuli in inferno puniuntur cum misericordia. Nam sicut dicit Augustinus, in libro *Soliloquiorum* [2]: « Deus est quod est, quod intelligit, quod cetera intelligere facit, sicut sol qui fulget et qui cetera illuminat ». Sicut autem contingit quod aliquis videat ipso sole, tamen non videat ipsum solem, qui est fons lucis, et alius qui nec videat solem nec ipso [i] sole, et iste habet maiorem carentiam visionis quam primus, sic [k] dicimus de sole spirituali, qui est Deus. Secundum hoc ergo dicendum in parvulis [3] quod in omni eo quod comprehendunt per intellectum, semper divina lux est ad illuminandum vel intelligendum, quia cetera intelligere facit; unde licet non videant ipsum fontem lucis, Deum, tamen [l] vident et intelligunt cetera per ipsum. Sed si nullus esset intellectus in ipsis, esset in eis privatio lucis utroque modo; sed non est ita credendum. Unde licet non videant nec intelligant primam lucem, tamen per ipsam cetera intelligunt; et sic cum misericordia puniuntur, quia non habent omnimodam carentiam.

2-3. Ad hoc quod obicitur quod 'in visione Dei est maxima gloria, ergo in separatione illius visionis [l] maxima poena, et tamen originale est minimum peccatum': dicendum [4] quod separatio potest intelligi contrarie, ut sit nomen verbale, ut intelligatur separatio coniunctionis vel coniuncti prius, et sic verum est quod sicut maxima delectatio vel gloria est in coniunctione, sic maxima est tristitia vel poena in separatione; sumendo autem separationem negative, id est non-coniunctionem, sic non est verum. Unde non valet argumentum: 'sed si sit [m] maxima delectatio in coniunctione, quod propter hoc sit tristitia maxima in separatione', quia secundum Philosophum [5] alicui delectationi opponitur tristitia, alicui non, quia delectationi quae est a potu, opponitur tristitia quae est secundum sitim, delectationi autem, quae est ex scientia quod diameter est asymeter, id est incommensurabilis [n] costae, non opponitur tristitia quae est ex ignorantia illius, quia qui hoc scit, delectatur, qui autem hoc ignorat, ut rusticus, non inde tristatur. Similiter in proposito: si ex coniunctione sive ex visione [o] Dei est delectatio maxima, non oportet quod in separatione, secundum quod accipitur negative, sit tristitia maxima; secundum tamen [p] quod accipitur contrarie, est maxima poena, et eo modo intelligit Augustinus, cum dicit quod « est maxima poena ».

4. Et per hoc patet responsio [q] ad alia.

VIII. Ultimo quaeritur utrum Deus misericordius agat cum uno quam cum alio [6]:

Quod videtur [r]: 1. Quia cum Iacob elegit et Esau reprobavit [7], ergo « misericordius egit cum uno quam cum alio [8] ».

Solutio: Dicendum quod ex parte agentis, scilicet Dei, non agit iustius [s] cum uno quam cum alio; similiter nec [t] ex parte nostra referendo ad nostra merita, quia aequali affectu iustitiae retribuit isti maius et illi minus, secundum quod meruerunt. De misericordia autem dicendum quod similiter ex parte sua non misericordius agit cum uno quam cum alio, quia ex parte Dei non est magis nec [u] minus; sua autem misericordia et sua iustitia ex parte ipsius sunt idem quod ipse. Sed referendo misericordiam ipsius ad effectum in nobis, dico quod plus relaxat uni quam alii, et sic misericordius agit cum uno quam cum alio; sed hoc non facit quod sua misericordia ex parte ipsius recipiat magis et minus, sed quod sit maior effectus suae misericordiae in uno quam in alio.

---

[a] P add. mg. *Unde non regeneratur os per ligaturam vel per emprocum ex lana succida et oleo tepido factum, set solum sarcoporeides, ut dicit Iohannitius, que est durior quam teneritas ossium et quam os minus dura.* [b] G om. [c] V *propter.* [d] Ita BR, alii *et;* G add. *est.* [e] G *que.* [f] G om. [g] L add. interl. *est.* [h] S add. *hoc.* [i] G *ipse.* [k] PS *sicut.* [l] V om. [m] P om., VG om. *sed.* [n] BRG *commensurabilis.* [o] G om. *s. e. v.* [p] B om. [q] S *solutio.* [r] Ita V, alii om. *q. v.* [s] G *iustitia.* [t] G *autem.* [u] V add. *etiam.*

1 Cf. supra, p. 397, *ad 1.*
2 Lib. I, c. 8 (PL 32, 877).
3 Cf. Augustin., *Enchir.*, c. 93 (PL 40, 275).
4 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 32c), ubi etiam exemplum ex Aristotele mox afferendum.
5 Cf. Aristot., *Topic.*, I, c. 13 (I, 182).
6 Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 46, a. 1, q. 3 (IV, 960).
7 Cf. Malach. 1, 2 et 3.
8 Guil. Altissiod., loc. cit., c. 14, q. 3 (f. 32d), etiam pro *Solutione.*

QUAESTIO IV.

DE SUBIECTIS VOLUNTATI DIVINAE.

Consequenter quaeritur de subiectis divinae voluntati. De bonis autem manifestum est universaliter quod subiecta sunt divinae voluntati et quod sint et quod fiant et [a] quod ordinentur, sed de malis est dubitatio. Unde quaeritur in hunc modum:

Primo, utrum subiectum sit divinae voluntati quod mala sunt vel fiunt;
secundo, utrum mala esse vel fieri sit bonum;
tertio, utrum mala expediant.

CAPUT I. 283

UTRUM SUBIECTUM SIT DIVINAE VOLUNTATI QUOD MALA SUNT VEL FIUNT [1].

Ad primum arguitur: *a.* Ex auctoritate Augustini, in libro *83 Quaestionum* [2]: « Nullo sapiente homine auctore fit homo deterior; tanta enim est ista culpa ut in sapientem quemvis [b] hominem cadere nequeat. Est autem Deus omni homine sapiente praestantior; multo minus igitur [c] Deo auctore fit homo deterior: multo enim praestantior est Dei voluntas quam hominis sapientis; 'illo autem auctore' cum dicitur, 'illo volente' dicitur. Est ergo vitium voluntatis quod est homo deterior: quod [d] vitium longe abest a Dei voluntate ». Ex hoc ergo relinquitur quod nec Deo auctore nec Dei voluntate sit vel fiat [e] malum, quod scilicet homo est deterior: et istud intelligitur de malis culpae.

b. Item, sicut ibidem [3] dicitur: « Deus est auctor et causa tantum bonorum »; sed non est [f] bonum ut homo sit deterior; ergo Deus non est auctor vel causa ut homo sit deterior [g]; sed, sicut ipse dicit [4], « 'illo auctore' cum dicitur, 'illo volente' dicitur »; ergo Deo volente non fit homo deterior.

c. Item, Augustinus, in eodem [5]: « Deus summum bonum est, a quo in nullo deficere bonum est, et malum est deficere »; non est igitur Deus « causa deficiendi, id est tendendi ad non-esse, qui, ut ita dicam, essendi causa est [h], quia omnium quae sunt auctor est, quae in quantum sunt, bona sunt ». Ex quo relinquitur quod Deo auctore vel Dei voluntate mala non sunt vel fiunt.

d. Item, quod laudabilius est semper est Deo tribuendum; sed laudabilior est voluntas quae ita est respectu boni quod nullo modo respectu mali vel [i] quod sit vel quod fiat quam illa quae est respectu boni et respectu mali vel [k] quod sit vel quod fiat; relinquitur igitur quod voluntas Dei non est respectu mali vel quod sit vel quod fiat.

Contra: 1. Augustinus, in *Enchiridion* [6]: « Quamvis ea quae mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen [ut] non solum bona [l] sint, sed etiam ut et mala sint, bonum est. Nam nisi [m] esset hoc bonum ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotenti Deo bono, cui procul dubio quam [n] facile est quod vult facere, tam [o] facile est quod non vult esse non sinere ». Ex hoc ergo relinquitur quod bonum est mala esse vel fieri; ergo Dei voluntate sunt vel fiunt mala.

2. Item, Augustinus, in *Enchiridion* [7]: « Non fit aliquid nisi Omnipotens fieri velit ». Ergo mala non fiunt nisi ipse fieri velit; ergo voluntate eius est ut malum fiat.

3. Item, I Tim. 1, 20, super illum locum: *Quos* [p] *tradidi Satanae* [q], Glossa [8]: « Nulla creatura

---

[a] BGL add. *in*, R add. *etiam*. [b] P *quando eius*, L *quamvis*. [c] B add. *a*. [d] L *vel*. [e] BRGL *fit*. [f] L om. [g] G om. *ergo... deterior*. [h] L om. [i] Codd. *ut*. [k] G om. [l] Codd. *mala*. [m] PV *non*, quod S corr. [n] PV *quasi*, quod S corr. [o] PV *tamen*, quod S corr. [p] Codd. *quem*. [q] B add. *est*.

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 46, a. 1, q. 2 (I, 822 sqq.) et II *Sent.*, d. 36, a. 3, qq. 1 et 2 (II, 852 sqq.).
[2] Quaest. 3 (PL 40, 11).
[3] Quaest. 4 et 21 (PL 40, 12, 16).
[4] Loc. cit., q. 3 (PL 40, 11).
[5] Quaest. 21 (PL 40, 16), ubi et sequens.
[6] Cap. 96 (PL 40, 276).
[7] Cap. 95 (PL 40, 276).
[8] *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 626), et Lombardi, in h. l. (PL 192, 335), ex Augustino, *Exposit. in Epist. ad Gal.*, n. 32 (PL 35, 2128 sq.); cf. supra, p. 295a.

est, sive quae in veritate manet, *dans gloriam Deo*[1], sive quae *in veritate non*[a] *stetit*[2], suam gloriam quaerens, quae divinae providentiae[b], velit nolit, non serviat, sed volens facit cum ea quod bonum est, de illa vero quae hoc non vult, fit quod iustum est ». Ex hoc ergo relinquitur quod creatura male faciens servit divinae providentiae et per consequens divinae voluntati.

4. Item, dicit Augustinus[3] quod « necesse est fieri quod Deus voluerit ». Aut ergo vult mala fieri aut non fieri. Si vult[c] non fieri, non fiunt; cum ergo[d] fiant, vult ea fieri; ergo etc.

5. Item, immediata[e] oppositio videtur esse inter velle et nolle; aut ergo vult mala fieri aut non vult. Si non vult, ergo non fiunt: *Voluntati enim eius* nihil *resistit,* Rom. 9,19; si vult, ergo mala fiunt eius voluntate.

6. Item, Augustinus, *83 Quaestionum*[4]: « Omne verum a veritate verum est[f], est autem veritas Deus ». Deum igitur habet auctorem omne[g] verum; cum ergo quod mala sunt vel fiunt sit verum, ergo Deo auctore et volente est quod sunt vel fiunt mala.

Ad quod respondet Magister, in *Sententiis,* 46 dist. I libri, cap. penultimo[h][5], quod non sequitur: quia cum dicitur 'quod mala fiunt, est verum', intelligitur de veritate dicti; cum vero concludit: 'ergo[i] quod mala fiunt, est a Deo', procedit ad veritatem rei, et ita est sophisma secundum figuram dictionis. Et est instantia Magistri[6]: « Deus prohibet furtum fieri; sed furtum fieri est verum; ergo prohibet verum ».

Sed contra hanc solutionem obiciunt: veritas dicti fundatur super veritatem rei[k]; eo enim quod res est vel non est[l], dicitur oratio vera vel falsa; si ergo veritas rei[m] non est a Deo, qua est verum istum fornicari: ergo nec veritas dicti[n].

Propter hoc distinguunt alii[7], quod est veritas significationis et est veritas voluntatis, sicut dicit Anselmus, in libro *De veritate*[8]: « Veritas significationis, cum significatur esse quod est[o] vel non esse quod non est; veritas voluntatis nihil aliud est quam rectitudo voluntatis, secundum quam ordinatur voluntas in suum finem ». Ioan. 8,44, dicitur de diabolo quod *in veritate non stetit.* Conceditur ergo quod omne verum est a Deo; sed cum dicitur 'malum fieri est a Deo', haec distinguitur: nam si intelligitur de veritate significationis, verum est; si de veritate voluntatis, non est verum. Est enim, ut dicit idem[p] Anselmus[9], « veritas rectitudo voluntatis sola mente perceptibilis[q] ». Et ponitur tale exemplum: si virga adaequaretur mortuo, non sequitur propter hoc quod virga sit mortua; similiter quamvis sit adaequatio signi ad significatum, quod si falsitas est in significato, quod similiter sit in signo.

Sed contra: Si in cadavere non esset veritas aliqua, non esset adaequatio aliqua ad ipsum; nam etsi non sit ibi veritas vitae, tamen est ibi veritas quantitatis, qua remota, non est adaequatio. Similiter ergo oportet, si est veritas in signo, quod causa veritatis sit in significato; ergo loquendo de veritate significationis, erit verum quod omne verum est a Deo; sed malum fieri est verum; ergo et ipsum malum est a Deo.

7. Item, obicitur contra hoc quod[r] Augustinus subponit in ratione praedicta[10], quod « culpa non potest cadere in sapientem »: sed culpa et virtus sunt opposita, sapientia et ignorantia[s] similiter opposita; sed ignorantia potest esse cum virtute; ergo et culpa cum[t] sapientia. — Item, I Cor. 12,8: *Alii datur sermo sapientiae* etc., ibi loquitur de donis[u] gratiae gratis datae; sed cum gratia gratis data potest esse culpa, ergo cum[v] sapientia potest esse culpa.

Contra: Sapientia non dicitur quaecumque cognitio, sed illa quae est cum sapore sive amore primae veritatis[x]; sed amor primae veritatis non potest esse cum peccato; ergo nec sapientia. — Item, sapientia est summum inter dona Spiritus Sancti; sed cum aliis donis non potest esse peccatum; ergo nec cum sapientia.

8. Item, obicitur de hoc quod dicit in illa ratione Augustinus[11] quod « malum tendit ad non-esse ». Quaeritur enim utrum intelligatur de esse naturae vel gratiae. Non de esse naturae, quia[y] dicit Dionysius[12]: « A malo non corrumpitur quid existentium », quia etiam in[z] daemonibus manet esse naturae. — Item, nec hoc potest intelligi de esse gratiae, quia non est illud esse in diabolo, quia non habet gratiam; ergo non potest tendere ad non-esse. — Item, si malum tendit ad non-esse, ergo malum habet finem

---

[a] P om., in VS est add. interl. [b] L *voluntati.* [c] S om. [d] PV add. *non,* quod SL exp. [e] G *immoderata.* [f] PVS om. [g] RGL *esse.* [h] RG om. *c. p.,* L om. *I. l. c.* [i] V om. [k] L *re.* [l] L om. *v. n. e.* [m] PVS *dicti.* [n] PVS *rei.* [o] S om. *q. e.* [p] S om. [q] P *perceptabilis.* [r] S add. *dicit.* [s] BRGL *virtus,* R add. *sunt.* [t] L *et.* [u] BRG *bonis.* [v] G om. [x] S om. *p. v.* [y] BRGL add. *sicut.* [z] PV om., in S est add. interl.

1 Cf. Ioan. 9, 24.
2 Cf. Ioan. 8, 44.
3 *Enchir.,* c. 103 (PL 40, 280).
4 Quaest. 1 (PL 40, 11).
5 Cap. 7 (p. 286), ad sensum.
6 Ibidem (p. 287).
7 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 14, q. 1 (f. 31d).
8 Capp. 2-4 (PL 158, 471 sq.), ad sensum.
9 *De veritate,* c. 11 (PL 158, 480).
10 Cf. p. 399, litt. *a.*
11 Cf. supra, p. 399, litt. *c.*
12 *De divin. nomin.,* c. 4, § 23 (PG 3, 723, PL 122, 1142).

vel potest finiri; ergo aliquis posset tantum peccare quod penitus vel omnino non esset [1]. — Item, « malum est infinitum [2] »; esse autem quod tendit ad aliquid, habet finem; ergo non bene dicitur quod malum tendit ad non-esse.

Respondeo: Cum quaeritur primo 'an quod malum sit vel fiat sit subiectum voluntati divinae': intelligendum secundum Augustinum, in *Enchiridion* [3], quod « semper impletur aut de nobis aut a nobis voluntas Dei. De nobis impletur, sed non implemus eam, quando peccamus. A nobis impletur, cum bonum facimus ». Ex quo accipitur quod voluntas nostra subicitur in malis actibus divinae voluntati materialiter, scilicet ut [a] materia sub agente [b], quia de voluntate nostra mala et actu malo voluntas Dei operatur bonum; et hoc est quod dicit: « De nobis impletur, quando peccamus ». In bonis vero actibus voluntas nostra subicitur divinae voluntati ut efficiens sub efficiente, secundum illud Isai. 26, 12: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine;* et hoc est quod dicit: « A nobis impletur, cum bonum facimus [c] ». Hoc ergo modo intelligendum est quod mala sunt vel fiunt est subiectum divinae voluntati.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod obicit primo ex auctoritate Augustini, « mala fieri bonum est »: intelligendum est ex ea ratione dictum [d] quia ex malis quae fiunt Deus elicit bona, et ita secundum quid [e] dicitur « mala fieri, bonum est », non simpliciter; et hoc est quod dicit Augustinus, in *Enchiridion* [4]: « Nullo modo aliquid mali Deus [f] in suis operibus esse sineret, nisi usque adeo omnipotens et volens [g] esset ut de malo bene faceret ».

2. Ad secundum quod obicit ex Augustino, in *Enchiridion:* « Non fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit »: dicendum quod 'velle' sumitur communiter ad voluntatem beneplaciti et voluntatem signi; et cum dicitur 'Deus vult mala fieri', intelligitur voluntas signi, quae est permissio, de qua in praesenti non quaeritur [5].

3. Ad tertium quod obicit quod 'nulla creatura est quae Dei providentiae [h] non serviat': dicendum quod malum dupliciter potest considerari; habet enim unam comparationem ad liberum arbitrium et aliam ad illud quod ex ipso elicitur bonum. Non servit autem providentiae, si consideretur in comparatione ad liberum arbitrium a quo egreditur; servit autem providentiae, si consideretur in comparatione ad illud bonum quod a divina voluntate de ipso elicitur.

4. Ad quartum respondeo, cum obicit 'aut [i] vult mala fieri aut non fieri': quod non sunt immediate [k] opposita; ambae enim propositiones sunt falsae; immediata ergo oppositio accipitur inter 'vult mala fieri' et [l] 'vult mala non fieri': haec autem est falsa 'vult mala non fieri', haec autem [m] vera 'non vult mala fieri'. Nec tamen ex hoc sequitur quod aliquid fiat contra eius voluntatem, scilicet malum; sed sequitur: 'ergo mala sine eius voluntate fiunt', ut Deus non auctor, sed permissor malorum monstretur, sicut dicitur Ioan. 1, 3 [6]: *Sine ipso factum est nihil,* id est peccatum non dicitur per eum factum esse [n] vel eo volente, sed [o] sine eo, id est sine eius voluntate.

5. Ad quintum respondeo [p] quod, cum dicitur 'immediata est oppositio inter [q] velle et nolle', quod 'nolle' potest accipi contrarie, cum dicitur 'Deum nolle fieri mala', vel negative. Si enim [r] accipiatur contrarie, intelligitur voluntas Dei ad oppositum, et hoc modo falsum est, quia sensus est 'Deum velle [s] mala non fieri'; si vero accipiatur negative, verum est et sensus est 'Deum non velle mala fieri', et negatur voluntas Dei respectu mali.

6. Ad sextum quod arguit quia 'istum fornicari est a Deo, quia est verum': patet responsio ex praedictis [t], Quaestione de veritate [7]. Tamen ad illud quod obiciebat, dicendum quod in malo est veritas et falsitas: malum enim ponit naturam cum inordinatione. Cum [u] dico 'naturam', dico veritatem; cum [v] dico 'inordinationem', dico falsitatem. Veritas ergo naturae est in malo, deficit tamen veritas ordinis: sicut in mortuo est veritas quantitatis, deficit tamen veritas vitae. Ratione ergo veritatis naturae, quae tamen inordinata est, enuntiatur verum dictum, cum dicitur 'quod [x] iste fornicatur est verum'; non tamen ex hoc sequitur quod ipsa inordinatio, a qua denominatur fornicatio, sit a Deo, quamvis omne verum [y] a Deo.

7. Ad illud quod obicitur de hoc quod dicit Augustinus quod « culpa non potest cadere in sapientem »: dicendum quod sapientia dicitur quinque modis. Uno modo strictissime, et sic dicitur idem quod pietas seu θεοσέβεια [8], quae est divinus cultus; et in [z] hoc sensu comprehendit

---

[a] P add. *a*, quod V exp. [b] G *surgente* pro *s. a.* [c] G om. *c. b. f.* [d] L add. *est;* P *in* pro *ex*, quod S corr. [e] G om. [f] L add. *etiam.* [g] L *bonus.* [h] Ita VL, alii *providentia.* [i] L *tertium*, P *an* pro *aut.* [k] BRGL *immediata.* [l] Ita V, alii om., S *aut non fieri.* [m] BRG add. *est.* [n] L *est.* [o] PV add. *non*, quod S exp. [p] B *dicendum.* [q] G *nunc.* [r] L *autem.* [s] PV om., in S est add. interl. [t] PVS *predicta.* [u] BRGL *quod.* [v] BRGL *quod.* [x] G om. [y] V add. *sit.* [z] G om.

1 Pseudo-Dionys., loc. cit.; cf. supra p. 196, num. 126.
2 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 4, § 32 (PG 3, 734, PL 122, 1145).
3 Cap. 107 (PL 40, 282), ad sensum, verbotenus apud Lombard., I *Sent.*, d. 47, c. 1 (p. 287).
4 Capp. 95 et 96 (PL 40, 276).
5 Cf. supra, p. 384, num. 277.
6 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 46, c. 3 (p. 282).
7 Cf. supra, p. 152sq., num. 95.
8 Cf. Augustin., *De Trinit.*, XII, c. 14, n. 22 (PL 42, 1010).

fidem et spem et caritatem, et secundum hoc sapiens dicitur ille solum qui habet has tres [a] virtutes. Alio modo dicitur stricte sapientia [b], quae est donum Spiritus Sancti, ut in Isai. 11, 2. Tertio modo dicitur communiter, secundum quod dicit Augustinus[1], quod sapientia est cognitio rerum divinarum, scientia cognitio rerum humanarum. Quarto modo dicitur communius, secundum quod dicitur sapientia cognitio causarum, scientia vero cognitio effectuum[2]. Quinto modo dicitur communissime, prout dicitur sapientia quaecumque cognitio vera. Si ergo sumatur sapientia tribus ultimis modis potest esse culpa in sapiente, duobus primis modis non. — Vel aliter distinguitur sapientia: uno modo dicitur cognitio simplex, et haec non prohibet quin possit esse culpa in sapiente. Alio modo sapientia dicitur cognitio cum sapore, prout dicit Eccli.[3]: *Sapientia secundum suum nomen est;* sapor autem iste potest esse duplici ex causa: ex gratia gratis data vel ex gratia gratum faciente. Si ex gratia gratis data, ut fide informi, nil [c] prohibet quin culpa possit esse in sic sapiente; si vero ex gratia gratum faciente, prohibet ne culpa possit simul inesse.

8. Ad illud [d] quod obicitur contra auctoritatem Augustini quod 'malum tendit ad non-esse': notandum [e] quod est esse naturae et est esse gratiae; iterum, esse naturae dupliciter: absolutum et in comparatione. Est enim esse naturae absolutum et est esse [f] ordinabile et est esse ordinatum, quod est esse gratiae. Cum dico [g] 'esse absolutum' naturae rationalis, dico esse quod semper manet nec corrumpitur nec minuitur; cum dico 'esse ordinatum', dico esse gratiae, et hoc esse corrumpitur sive privatur, non minuitur [h]; esse vero ordinabile est medium, et istud diminuitur [i], non totaliter corrumpitur: secundum enim quod anima magis peccat, minus est ordinabilis in summum bonum. Quod ergo dicit Augustinus, quod « malum tendit ad non-esse », intelligitur de esse ordinis, hoc est de esse naturae ordinabili, non de esse naturae absoluto [k]. Unde Augustinus in libro *De moribus Ecclesiae*[4]: « Quae tendunt ad esse, ad ordinem tendunt; [quem] cum consecuta fuerint, ipsum esse consequuntur ». Et hoc est esse de quo dicit Boethius[5] quod « ordinem retinet servatque naturam ».

Ad illud ergo quod obicit [l] quod 'malum finitum est, ergo [m] tot possunt esse mala quod devenietur in finem et penitus destruetur', dicendum secundum Augustinum, in libro *De moribus Ecclesiae*[6]: « Divina bonitas [eo] rem omnino perduci [n] » non sinit ut omnino non sit, sed « omnia sic ordinat ut ibi sint ubi congruentissime possunt esse [o], donec ordinatis motibus ad id redeant unde defecerunt ». Et hoc est quod dicit Boethius[7]: « Ordo quidam cuncta complectitur, ut si quis ab assignato ordine recesserit, in alterum ordinem relabatur ».

Ad illud quod dicit Augustinus[8] quod « malum est infinitum »: dicendum quod malum non dicitur tendere ad aliquid, quia non est via ad aliquid sive accessus ad aliquid [p], sed recessus ab aliquo sive ab esse, sicut curvitas est recessus a rectitudine; mali ergo non est terminus secundum accessum, sicut in ceteris privationibus, sed secundum recessum; huiusmodi autem tendentia non est contraria infinitati [q].

284

CAPUT II.

UTRUM MALA ESSE VEL FIERI SIT BONUM[9].

Consequenter quaeritur **I.** utrum mala esse vel fieri sit bonum.

Ad quod sic: 1. Boethius [r], IV *De consolatione*[10]: « Sola divina vis est cui quaeque mala bona sunt ».

2. Item, Apoc. ultimo, 11: *Qui nocet* [s], *noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Glossa[11]: « Dictum est [t] sibi ut non cesset ita prophetare, quia est iustum ». Ergo iustum est sordidos adhuc sordescere; ergo est bonum mala fieri.

---

[a] PVS om., G om. *solum.* [b] G om. [c] BRGL *non.* [d] GL om. [e] S *dicendum,* L *nota,* V add. *est.* [f] PVS add. *nature,* L om. *est.* [g] RGL *dicitur,* B *enim dicitur.* [h] V om. *n. m.* [i] S *minuitur.* [k] PVS *absolute.* [l] BRGL om. *Quod ergo* pro *A. i. e. q.* [m] BRG *et,* L *et ergo.* [n] V *producit,* alii *perducit.* [o] PV om., in S est add. interl. [p] G om. *quia... aliquid.* [q] G *infirmitati.* [r] VS add. *in.* [s] P om. [t] L om.

1 *De Trinit.*, XII, c. 15, n. 25 et XIV, c. 1, n. 3 (PL 42, 1012, 1037).
2 Cf. Aristot., *Metaph.*, I, cc. 1 et 2 (II, 469sq.).; cf. supra, num. 1.
3 Cap. 6, 23.
4 *De mor. Manich.*, II, c. 6 (PL 32, 1348).
5 *De consol. philos.*, IV, pr. 2 (PL 63, 795).
6 *De mor. Manich.*, II, c. 7, n. 9 (PL 32, 1349); cf. *Retract.*, I, c. 7, n. 6 (PL 32, 593).
7 *De consol. philos.*, IV, pr. 6 (PL 63, 820).
8 Potius Pseudo-Dionys.; cf. supra, p. 401, nota 2.
9 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 46, a. un., q. 3 (I, 825sq.).
10 Prosa 6 (PL 63, 820).
11 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 750), ad sensum.

3. Item, omnis poena est iusta [1]; sed ipsa peccata sunt poenae; ergo sunt iusta; sed Deus vult omne iustum et bonum; ergo vult peccata esse, et peccata sunt bona [a]. — Quod autem peccata sint poenae, habetur Rom. 1, 24 in Glossa [2]: « Inter primam apostasiam et ultimam poenam gehennae media culpa et [b] poena sunt ». Item, Gregorius, in *Moralibus* [3]: « Perversae menti ipsa [c] sua culpa fit poena ». Item, Augustinus, in libro *Confessionum* [4]: « Iussisti, Domine, et sic est ut poena sua sibi sit omnis inordinatus [d] animus ». — Item: « Omne ordinatum est bonum; malum est ordinatum », ut dicit Augustinus [5]; ergo est bonum.

Contra: *a.* Malum est privatio boni [6]; ergo malum non est bonum.

b. Item, nec malum fieri est bonum, quia malum fieri est malum; ergo malum fieri non est bonum.

II. Supposito quod malum fieri sit bonum, quaeritur similiter utrum mala facere sit bonum; similis enim ratio videtur in activa et passiva.

Contra: Rom. 3, 8: [*Non*] *faciamus mala, ut veniant bona* etc.

III. Item, quaeritur, supposito quod malum [e] fieri sit bonum, utrum similiter malitiam fieri sit bonum; similis enim ratio videtur in abstractis et concretis.

IV. Item, supposito quod malum fieri sit bonum, quaeritur in quo sit illa bonitas.

Non in malo: sic enim malum, in quantum malum, esset bonum; non ergo bonitas ista dicitur respectu malitiae. Nec est respectu subiecti: subiectum enim ipsum privatur bono; ergo non est bonum. Ponatur [f] enim subiectum mali, sicut malus homo, abstrahatur malitia: non erit dicere ' malum fieri est bonum '. Quaeritur ergo qua ratione dicitur ' malum fieri est bonum ', quia nec ratione malitiae nec ratione subiecti videtur hoc posse esse verum.

Respondeo: I. Non est concedendum quod malum fieri sit bonum simpliciter, sed quod est bonum secundum quid, scilicet ratione boni quod ex ipso elicitur [7].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo obiectum [g] « sola est divina vis » etc. patet solutio per illud quod sequitur « dum ex eis bona elicit »; unde ratione illius dicuntur mala [h] esse bona.

2. Ad illud Apoc. ultimo, 11 dicendum quod non valet ' malum fieri est iustum, ergo malum fieri est [i] bonum '; nam bonum dicitur absolute, iustum vero dicit ordinem poenae ad culpam sive exigentiam; unde iustum copulat bonitatem secundum quid.

3. Ad illud quod obicit quod ' omne peccatum medium est poena, et omnis poena iusta ', dicendum quod poena duplicem [k] comparationem habet: unam ad divinam iustitiam, aliam ad culpam. Secundum comparationem ad divinam iustitiam, sic est iusta et a Deo; sed in quantum respicit culpam, sic habet principium defectivum. Similiter ipsum [l] peccatum potest considerari in se: et sic culpa est nec bonum nec a Deo; vel potest considerari in quantum ordinatum: et sic est poena et a Deo, non quod ipsum malum sit a Deo, sed quod ipse ordo sit a Deo.

II. Ad aliud dicendum [8] quod haec nullo [m] modo est concedenda ' malum facere est bonum '; non enim est similis ratio in activa et passiva. Nam cum dicitur ' malum fieri est bonum ', notatur potentia passiva; cum dicitur ' malum facere est bonum ', notatur potentia activa; potentia autem [n] activa mali non est bona; sed potentia passiva est bona, quia in malo est potentia passiva ad hoc ut ordinetur: est enim malum ordinabile ad bonum.

III. Ad aliud dicendum quod non debet concedi quod ' malitiam fieri sit bonum '. Per malitiam enim notatur ipsa deformitas nullo modo ordinabilis ad bonum: non enim ponitur in hoc aliquod bonum; sed cum dicitur ' malum ', notatur adhuc subiectum quod est natura bonum et sic ordinabile in bonum.

IV. Ad aliud dicendum quod cum dicitur ' malum fieri est bonum ', non ponitur bonitas vel notatur [o] respectu malitiae vel respectu subiecti ipsius malitiae, sed respectu boni illius [p] quod elicitur ex illo malo sive respectu illius ad quod ordinatur malum; unde bonitas inest ordini sive illi ad quod ordinatur.

---

[a] R *mala.* [b] PV om., in S est add. interl. [c] Ita BR, G *a*, alii *ipsi.* [d] BG add. *motus*, quod R exp. [e] PVS *mala.* [f] R *privatur.* [g] BRGL *quod obicit.* [h] BRGL *Deo.* [i] S om. *iustum... est.* [k] P *triplicem.* [l] S *illud.* [m] P *in illo.* [n] G *enim.* [o] PVS add. *in.* [p] V om.

1 Cf. Augustin., *De lib. arbit.*, III, c. 18, n. 51 et *Retract.*, I, c. 9, n. 5 (PL 32, 1296, 598).

2 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 473), ex Augustino, *Enarr. in Psalm. 57*, n. 18 (PL 36, 687).

3 Lib. XV, c. 21 (PL 75, 1094).

4 Lib. I, c. 12 (PL 32, 670).

5 Cf. *Enchir.*, cc. 13 et 14 (PL 40, 237 sq.).

6 Cf. Augustin., *Contra advers. Leg. et Proph.*, I, c. 5 (PL 42, 607); *Enchir.*, c. 11 (PL 40, 23[illegible]).

7 Cf. supra, num. **120** et **278.**

8 Cf. Scholion ad S. Bonav., I *Sent.*, d. 46, a. un., q. 2 (I, 824).

285

CAPUT III.

UTRUM MALA EXPEDIANT.

Tertio quaeritur utrum mala expediant.

Ad quod sic: *a.* Augustinus, XI *De civitate Dei*[1]: « Deus malis hominum voluntatibus utitur bene; nec enim aliquem malorum esse praescivisset, nisi simul praescivisset quibus eos bonorum usibus accommodaret ».

b. Item, Augustinus[2]: « Audeo dicere superbis utile esse incidere in aliquod apertum peccatum, ut iam sibi displiceant qui sibi placendo ceciderant. Salubrius enim displicuit sibi Petrus[3] quando flevit quam sibi placuit quando praesumpsit ».

c. Item, Damascenus[4]: « Conceditur quis in nefariam incidere operationem, ut elatus virtutibus [a] in adulterium, ut ex casu humilietur ».

d. Item, Num. 22,8: *Venit Dominus ad Balaam;* ibi Origenes[5]: « Nos [b] dicimus divina sapientia omnia [c] disposita esse ita ut nihil sit otiosum, malum vel bonum. Malitiam tamen non fecit, quam tamen ab aliis inventam, cum prohibere possit, non prohibet; utitur enim [d] ea ad causas necessarias: per ipsos enim, in quibus est, probat eos qui ad gloriam tendunt. Si enim perimeretur malitia, non esset qui contradiceret virtutibus; virtus autem, si contrarium non haberet, non claresceret ».

e. Item, Augustinus, in libro *Confessionum*[6]: « Quia singula bona sunt, ideo facis omnia *valde bona*[7]. Et tibi [e] nihil omnino malum, sed nec [f] universae creaturae tuae: quia extra te non est aliquid quod irrumpat et [g] corrumpat ordinem quem imposuisti; in partibus autem eius [h] quaedam, quibusdam quia non conveniunt, mala putantur, et eadem ipsa conveniunt aliis et sunt bona; et haec omnia quae sibimet non conveniunt, conveniunt inferiori parti rerum: nihil est omnino malum universae creaturae tuae ».

Contra: 1. Albius est quod est nigro impermixtius[8]; ergo similiter melius quod malo est [i] impermixtius; ergo melius est mala non esse quam esse.

2. Item, pulcrior est mulier quae nullam habet maculam in aliqua parte quam illa quae [k] habet maculam in aliqua parte. Unde in Cant.[9]: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te;* ergo si universitas in nulla parte haberet malum, melior esset[10].

3. Item, Augustinus, in *Enchiridion*[11]: « Malum non est nisi quia [l] nocet »; sed si nocet, non expedit; ergo malum non expedit.

4. Item, « malum est privatio modi, speciei et ordinis[12] »; ergo nec bonum est nec utile nec expediens.

[Solutio]: Ad hanc quaestionem habes solutionem supra, duobus locis, scilicet Quaestione [m] de bono, ubi quaeritur [n] de ordine mali[13], et Quaestione de signis voluntatis divinae, quaestione de permissione[14]. Tamen notandum quod si malum consideretur in se, sic non est bonum nec utile nec expediens; sed si consideretur ut est ordinatum, sic est expediens, non ratione ipsius mali, sed boni quod elicitur ab eo.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod bonum dicitur dupliciter: dicitur enim bonum simpliciter et absolute et bonum in comparatione. Sic et melius dupliciter. Dicendum ergo quod rerum universitas melior esset simpliciter et bonitate absoluta, si nullum esset malum; sed bonitate comparata non esset melior universitas.

2. Ad illud quod obicitur per simile de muliere: dicendum quod non est verum, quia in tali loco posset mulier habere maculam, quod esset ad maiorem pulcritudinem, sicut patet de cicatrice in facie militis[15].

3. Ad aliud dicendum quod malum nocet et expedit: nocet secundum se et facienti [o], expedit in quantum ordinatur et expedit aliis.

4. Ad ultimum dicendum quod malum [p] corrumpit bonum particulare, sed non universale; malum enim et peccatum et huiusmodi

---

[a] BRGL om. [b] V *non.* [c] B *omnino.* [d] G *tamen.* [e] Codd. *cui.* [f] B om., alii *ut.* [g] P *vel.* [h] PV om., in S est add. mg. [i] R om. [k] L add. *aliquam,* VL om. *illa.* [l] G *quod.* [m] BRG om. [n] BG *loquitur.* [o] V *faciem.* [p] SBGL *bonum.*

1 Capp. 17 et 18 (PL 41, 332).
2 *De civit. Dei,* XIV, c. 13, n. 2 (PL 41, 422).
3 Cf. Matth. 26, 75; Marc. 14, 29sqq. et 72; Luc. 22, 33 et 62; Ioan. 13, 37sqq.
4 *De fide orthod.,* II, c. 29 (PG 94, 966).
5 *In Num.,* hom. 14, n. 2 (PG 12, 677).
6 Lib. VII, cc. 12 et 13 (PL 32, 743).
7 Cf. Gen., 1, 31.
8 Cf. Aristot., *Topic.,* III, c. 5 (I, 203); cf. supra, p. 189a, n. 2.
9 Cap. 4, 7.
10 Cf. supra, p. 189a, n. 3.
11 Cap. 12 (PL 40, 237).
12 Augustin., *De nat. boni,* c. 4 (PL 42, 553); cf. supra, num. 128.
13 Cf. num. 121.
14 Cf. numm. 277-280.
15 Cf. supra, p. 190, *ad 3.*

corrumpunt[a] ordinem et bonum particulare huius; sed ordo universalis et bonum universale non corrumpitur. Unde Boethius, IV *De consolatione*[1]: « Ordo quidam[b] omnia complectitur, ut si quis ab assignato ordine recesserit, in alium ordinem relabatur ».

QUAESTIO V. 286

DE IMPLETIONE VOLUNTATIS DIVINAE.

Consequenter quaeritur[c] de impletione divinae voluntatis, an semper impleatur.

Ad quod: *a.* Augustinus, in *Enchiridion*[2]: « De homine semper Deus suam implet voluntatem, quia nihil facit homo de quo Deus non operetur quod vult; non enim vult Deus ut peccet homo; si autem peccaverit, poenitenti vult parcere, in peccatis vero perseverantem punire, sicut alios ab aeterno praeparavit ad poenam, alios ab aeterno praeparavit ad gloriam ».

b. Item[d], Augustinus, *De libero arbitrio*[3]: « Nihil in libero arbitrio constitutum superat voluntatem Dei; etsi fiat[e] contra eius voluntatem, tamen contra eius voluntatem quae ipse est, nihil putandum est ita fieri, tamquam velit fieri et non fiat ». Ex hoc ergo relinquitur quod voluntas Dei semper impletur de bonis et malis.

Contra: 1. Cum voluntates sint contrariae quae sunt de contrariis, voluntas autem mala est de malo, voluntas Dei de contrario, scilicet de[f] bono: ergo voluntas mala est contraria voluntati divinae, et voluntas mala complet suum actum et non completur actus, qui est contrarius, scilicet[g] bonus; ergo voluntas divina non semper impletur[h].

2. Item, Deus vult Salomonem castitatem servare; sed Salomon vult luxuriari, nec servare[i] nec servat; ergo non impletur voluntas Dei de Salomone.

3. Item, voluntas beneplaciti est voluntas quae est ipse Deus[5]. Si ergo dicatur quod[k] contra voluntatem eius beneplaciti nihil fit, sed cum dicitur aliquid fieri contra voluntatem eius, hoc est contra voluntatem signi, hoc est contra praeceptum vel prohibitionem – sed tunc[l] obicitur: voluntas beneplaciti Dei est omnium bonorum; ergo Deus voluntate beneplaciti vult nos facere bona; sed nos non facimus semper bona, immo mala; ergo facimus contra voluntatem beneplaciti, et[m] voluntas beneplaciti cassatur.

4. Item, dicitur malum fieri contra Dei voluntatem. Potestne intelligi aliquo modo fieri contra voluntatem beneplaciti?

5. Item, potestne malum fieri contra voluntatem signi quae dicitur permissio? Nam[n] dicit Augustinus[6], super illum locum Psalmi: *Ut non loquatur os meum opera hominum, 'opera hominum'*[o] dicit mala, « quae praeter Dei voluntatem fiunt » quae ipse est, et non praeter eius permissionem quae ipse non est.

6. Item, cum ex iis ponatur quod nihil fit contra signa voluntatis[p], quae sunt permissio et operatio, sed tamen contra signa voluntatis, quae sunt praeceptio et[q] prohibitio, fiunt mala, quaeritur unde hoc.

7. Item, obicitur contra hoc quod dicit Augustinus[7] quod « Deus aliquos ab aeterno praeparavit ad poenam » – contra: Damascenus[8]: « Non in puniendo plasmavit nos Deus ». — Item, proprium eius est parcere et misereri: *Peregrinum autem et alienum est ab eo* punire, ut habetur Isai. 28,21. Unde etiam dicitur egredi de loco suo cum punit, Isai. 27,1 et Thren. 3,33: *Non ex corde abiecit Dominus filios hominum.*

8. Item, quare dicitur eius proprium misericordia magis quam iustitia? cum ita sit iustus sicut misericors.

Respondeo: Cum, sicut dictum est[9], voluntas Dei dicatur multipliciter: voluntas beneplaciti et

---

[a] BRL *corrumpit.* [b] G *quidem.* [c] V *querendum est.* [d] R om. [e] PVS *faciat,* S *extra* pro *contra.* [f] BRGL om. [g] Ita L, alii om. [h] PVS *completur.* [i] S om. *n. s.* [k] L om. [l] PVS *contra.* [m] R add. *ita.* [n] BRG add. *sicut.* [o] PSL om. *o. h.* [p] P *voluntas.* [q] P *vel.*

1 Prosa 6 (PL 63, 820).

2 Cap. 100 (PL 40, 279); verba « non enim ... punire » sumuntur ex Augustino, *Enarr. in Psalm. 110,* n. 2 (PL 37, 1464). Totus textus verbotenus occurrit apud Lombard., I *Sent.*, d. 47, c. 1 (p. 287).

3 Rectius *Enarr. in Psalm. 110,* n. 2 (PL 37, 1464); cf. Lombard., loc. cit., c. 2 (p. 289).

4 Cf. III Reg. 11, 1 sqq.

5 Cf. supra, p. 368, III.

6 *Enarr. in Psalm. 16,* n. 4 (PL 36, 146); cf. Lombard., loc. cit., c. 2 (p. 289).

7 *Enchir.*, c. 100 (PL 40, 279).

8 *De fide orthod.*, II, c. 29 (PG 94, 970).

9 Cf. num. 272.

voluntas signi [a]; voluntas beneplaciti semper impletur [1], voluntas vero signi, quae est praeceptio vel prohibitio, non semper impletur, voluntas vero [b] quae est permissio vel operatio semper impletur; et ratio huius iam patebit.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur: dicendum quod voluntas divina si consideretur ut praecipiens [c], sic aliquid dicitur fieri contra voluntatem; si vero consideretur ut permittens vel ut puniens vel ipsum Dei beneplacitum, sic non dicitur fieri contra Dei voluntatem. Unde Augustinus, in *Enchiridion* [2], loquens de malis dicit: « Quantum ad ipsos attinet, quod Deus noluit [d] fecerunt. Quantum vero ad omnipotentiam Dei [e] nullo modo id facere valuerunt: hoc quippe ipso quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius [f]; miro et ineffabili modo non fit praeter eius voluntatem illud etiam quod fit contra eius voluntatem, quia non fieret, si non sineret, nec utique nolens sinit, sed volens ». Ex hac ergo auctoritate Augustini [g] patet distinctio: nam contra voluntatem beneplaciti nihil potest fieri; et hoc est quod dicit [h]: « Quantum ad [i] eius omnipotentiam nullo modo id facere valuerunt », hoc est quantum ad eius voluntatem omnipotentem, quae est beneplacitum; contra vero voluntatem praecipientem fiunt peccata, et hoc significat [k], cum dicit: « Hoc ipso quod contra eius voluntatem fecerunt », hoc est contra eius praeceptum. Item, quantum ad voluntatem punientem de malis impletur voluntas Dei, et hoc est quod dicit: « De ipsis facta est voluntas »; item, quantum ad voluntatem permittentem non fiunt mala praeter eius voluntatem, hoc est praeter eius permissionem, et hoc est quod dicit: « Miro modo non fit praeter eius voluntatem quod fit contra eius voluntatem ».

2. Ad secundum dicendum, secundum Anselmum [l], in libro I *Cur Deus homo* [3]: « Si ea quae caeli ambitu continentur vellent non esse sub caelo aut elongari a caelo, nullatenus possent nisi sub caelo esse, nec fugere caelum nisi appropinquando caelo; nam unde et quo et qua irent, sub caelo essent, et quanto magis a qualibet caeli parte elongarentur, tanto magis oppositae [m] parti appropinquarent. Ita quamvis homo vel malus angelus divinae voluntati et ordinationi subiacere nolit [n], non tamen eam effugere valet, quia si vult fugere de sub voluntate iubente, currit sub voluntate puniente. Et si quaeris: qua transit? nonnisi sub voluntate permittente; et hoc ipsum quod perverse vult aut agit, in universitatis praefatae ordinem et pulcritudinem summa sapientia convertit ».

3. Ad tertium dicendum quod — quemadmodum dicit Damascenus [4] quod « Deus omnia praecognoscit, non autem omnia praedeterminat; praecognoscit autem ea quae sunt in nobis », hoc est in potestate nostri arbitrii, « non autem praedeterminat: non enim vult malitiam fieri nec compellit virtutem, praedeterminat autem, quae non sunt in nobis » — dicendum quod voluntas beneplaciti est respectu bonorum dupliciter: aut cum praedeterminatione, ut eorum quae non sunt in potestate [o] arbitrii, et haec sunt alligata necessitati; aut sine praedeterminatione: et hoc modo est bonorum [p] quae sunt in potestate arbitrii. Sic enim vult illa bona ut relinquat nostrae facultati et voluntati et non compellat; et ideo si fiat contrarium, non fit contra eius voluntatem, quamvis fiat praeter eius voluntatem quae est eius beneplacitum.

4. Ad quartum quod quaerit 'si possit aliquid dici [q] fieri contra voluntatem beneplaciti': dicendum quod non proprie loquendo; et si alicubi inveniretur [r], non est aliud contra eius voluntatem quam praeter eius voluntatem.

5-6. Ad quintum et [s] sextum dicendum quod contra permissionem et operationem Dei, quae sunt signa voluntatis, nihil fit; contra praeceptionem autem et prohibitionem fiunt peccata, quia praeceptum et prohibitio respiciunt faciendum vel vitandum de futuro, quod potest aliter [t] evenire vel in contrarium, permissio vero et operatio respiciunt ipsum quod fit vel quod factum [u] est; quod autem fit vel factum est, non potest non fieri vel non [v] factum esse.

7. Ad ea vero quae obiciuntur contra verbum Augustini: « Deus aliquos praeparavit ad poenam »: dicendum quod haec praepositio 'ad' quandoque dicit finem intentionis, sicut cum dicitur 'iste vadit ad forum'; quandoque terminum vel exitum qui accidit praeter intentionem: et hoc modo accipitur verbum Augustini.

8. Ad ultimum dicendum quod misericordia Dei dicitur [x] proprium, quia ad completam rationem effectus misericordiae non requiritur actus vel meritum nostrum, sed solum quod est Dei; ad rationem effectus iustitiae requiritur exigentia meritorum.

---

[a] R om. *v. s.* [b] PV *ergo.* [c] S add. mg. *vel prohibens.* [d] PV *voluit.* [e] BG om. [f] L *Dei.* [g] V om. [h] L om. *q. d.* [i] G om. [k] L *significatum est.* [l] PVS *quod Anselmus* pro *s. A.* [m] G *opinione.* [n] PV *velit,* quod S corr. [o] L add. *nostri.* [p] G *beatorum.* [q] PVS add. *vel.* [r] G (corr.) *veniretur.* [s] S add. *ad.* [t] G *potest universaliter* pro *q. p. a.* [u] PVBG *futurum,* quod S corr. [v] Ita S (mg.) L, alii om. [x] PVS *est.*

1 Cf. supra, num. 273.
2 Cap. 100 (PL 40, 279); cf. Lombard., loc. cit.
3 Cap. 15 (PL 158, 380).
4 *De fide orthod.*, II, c. 30 (PG 94, 971).

QUAESTIO VI.

DE CONFORMATIONE HUMANAE VOLUNTATIS AD DIVINAM.

Consequenter [a] est quaerere de conformatione [b] voluntatis humanae ad divinam, et per hunc modum:

Primo, utrum possit esse talis conformatio;
secundo, quid sit huiusmodi conformatio;
tertio, an teneamur conformare voluntatem nostram voluntati divinae;
quarto, an teneamur velle quod Deus vult;
quinto [c], supposito quod non, an teneamur velle quod scimus Deum velle;
consequenter quaeritur an sit meritorium sanctis quod nolebant [d] Christum pati;
deinde, utrum nobis possit esse meritorium velle passiones sanctorum;
ultimo, utrum possimus [e] velle damnationem [f] reproborum.

CAPUT I. 287

UTRUM POSSIT ESSE TALIS CONFORMATIO [1].

Ad primum sic: *a.* Psalm. [2]: *Exultate iusti.* Glossa: [3] « Quantum distat Deus et homo, tantum distat voluntas Dei et voluntas [g] hominis »; sed non est possibilis conformatio Dei et hominis; ergo nec conformatio voluntatis hominis ad voluntatem Dei.

b. Item, Isai. 55,9: *Sicut exaltantur caeli a* [h] *terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris et cogitationes meae a cogitationibus vestris* etc.

Contra: 1. *Non adhaesit mihi cor pravum* [4] etc. Glossa [5]: « Voluntas Dei semper recta est, cui debemus [i] conformari ut simus recti ».

Respondeo: Est distantia duplex: essentialis et proportionalis. Distantia essentialis inter voluntatem divinam et humanam est infinita: divina enim voluntas est divina essentia, divina [k] essentia in infinitum excedit humanam voluntatem. Sed loquendo de distantia proportionali, non est distantia in infinitum et dicitur proportio per relationem voluntatis humanae ad divinam, sicut dicitur homo bonus per relationem bonitatis suae ad divinam. Voluntas enim Dei, ut est finis voluntatis hominis, non est voluntas absolute dicta, sed ut est regulans [l] hominis voluntatem secundum sui complacentiam in opere sive in operis imitatione: et sic non est inter haec distantia infinita.

CAPUT II. 288

QUID SIT CONFORMATIO [6].

Secundo quaeritur quid sit conformatio.

1. Aut enim attenditur in volendo quod Deus vult aut volendo quod scimus Deum velle. Non primo modo: quia mali quandoque volunt quod Deus vult, ut malus filius vult mori patrem [7], quod tamen Deus vult. Si secundo modo: ergo [m] B. Virgo non conformavit voluntatem suam voluntati divinae, quia nolebat Christum pati, — quod patuit ex vehementia doloris; unde Luc. 2,35: *Et tuam*

---

[a] BRGL *consequens.* [b] V *conformitate.* [c] PV *item,* quod S corr. [d] PVG *volebant.* [e] B *queritur utrum debemus* pro *u. p.* [f] Ita V, alii *damnationes.* [g] PVS om. [h] L *et.* [i] V add. *semper.* [k] R add. *enim.* [l] BRG *res regulans,* L *regularis,* quod V corr. [m] R add. *hec.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 48, a. 1, q. 1 (I, 851 sq.).
2 Psalm. 32, 1.
3 Lombardi, in h. l. (PL 191, 325), ex Augustino, *Enarr. in Psalm. 32,* sermo 1, n. 2 (PL 36, 277).
4 Psalm. 100, 3.
5 Lombardi, *In Psalm. 32,* 1 (PL 191, 325), ex Augustino, loc. cit. (PL 36, 277); cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 12 (f. 29d).
6 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 48, a. 1, q. 2 (I, 853 sq.).
7 Cf. Augustin., *Enchir.,* c. 111 (PL 40, 279).

ipsius[a] *animam pertransibit gladius,* — quem tamen Deus volebat pati; ergo peccavit vel ad minus non meruit. — Item, si attendatur in volendo non solum quod Deus vult, sed etiam volendo illud quod scimus Deum velle, secundum hoc existens in peccato mortali potest conformare voluntatem suam voluntati divinae, quia potest multa bona facere propter Deum, et Deus vult quod faciat illa propter Deum.

Respondeo: Conformatio potest attendi secundum quatuor genera causarum, scilicet in volendo quod Deus vult, in volendo ut vult, in volendo quod scimus ipsum velle, in volendo ad quod vult: prima est conformitas materialis, secunda formalis, tertia est in ratione causae efficientis, quarta in ratione finis. Dicendum ergo quod, si ista quatuor concurrunt, est conformitas perfecta sive conformatio; sufficiens vero[b] conformatio attenditur in duobus, ut scilicet velit homo sicut vult Deus et propter quod vult; imperfecta vero conformatio, cum homo vult quod Deus vult vel quod scit Deum velle; et est conformitas perfecta secundum quatuor genera causarum, ut dictum est. Et secundum hoc dicitur quod est[c] conformitas in bonis et in malis, in via et in patria.

[Ad obiecta]: 1. De B. Virgine dicendum quod voluit ut Deus voluit et propter quod[d] voluit, ut patebit[1].

289

CAPUT III.

AN TENEAMUR CONFORMARE VOLUNTATEM NOSTRAM VOLUNTATI DIVINAE[2].

Tertio quaeritur an teneamur conformare voluntatem nostram voluntati divinae.

Videtur quod sic: *a.* Rom. 13,10: *Perfectio legis est dilectio;* tenemur ergo ad dilectionem; dilectio autem conformat voluntatem nostram voluntati divinae; tenemur ergo ad conformationem. — Quod autem dilectio conformet, dicit Hugo de S. Victore[3]: « Scio, anima mea, quia[e] quidquid diligis, vi dilectionis in eius similitudinem transformaris ».

b. Item, Glossa[4] super Psalm.: « Voluntas Dei semper recta est, cui debemus conformari ut simus recti »; sed tenemur esse recti; ergo tenemur conformare.

Contra: 1. Nullus tenetur ad impossibile; sed obstinati et damnati non possunt conformare; ergo non tenentur.

2. Item, si tenetur conformare existens in mortali peccato, continue peccat.

Respondeo: Praecepta negativa obligant semper et ad semper, affirmativa vero[f] obligant semper, sed non ad semper.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud vero quod[g] obicitur de obstinatis et damnatis: dicendum quod quamvis absolute teneantur qui sunt obstinati, tamen pro statu obstinationis dixerunt quidam quod obstinati non tenentur, quia hoc est eis[h] impossibile. — Sed[i] obicitur: ergo reportant lucrum de culpa. Respondeo: non est verum; si enim non est obligatus ad conformationem, tamen[k] est obligatus ad poenam. — Secundum alios distinguendum, iuxta B. Anselmum[5], quod aut illa impossibilitas, qua non potest quis conformare voluntatem suam voluntati divinae, surgit ex culpa vel non. Si non surgit ex culpa: non tenetur ad conformationem; si vero surgit ex culpa: non absolvitur a tentione; et secundum hoc dicunt quod obstinatus tenetur ad conformationem, licet illud sit impossibile.

2. Ad illud quod obicitur de illis qui sunt in peccato, quod continue peccant: respondendum[l] sicut de caritate, ad quam tenemur semper, sed non ad semper; requiritur enim ad hoc quod teneatur[m] [quis] moveri motu caritatis, quod sit in comprehensione bonitatis Dei[n] et quod habeat habitum quo possit ferri ad dilectionem Dei. Similiter dicendum de conformatione.

CAPUT IV.

290

AN TENEAMUR VELLE QUOD VULT VOLUNTAS DIVINA[6].

Quarto quaeritur an teneamur conformare voluntatem nostram[o] voluntati divinae volendo quod vult.

Videtur quod non: *a.* Augustinus[7]: « Bonus filius bona voluntate vult patrem vivere, quem Deus non vult vivere ».

---

[a] G om. [b] G *ergo.* [c] G *in.* [d] L *hoc.* [e] PVS om. [f] BRG om. [g] P *ad.* [h] G om. [i] RGL *si,* L om. *obicitur.* [k] L (corr.) *non.* [l] GL *respondeo.* [m] S *teneamur.* [n] L *divine,* P *comprehensionem.* [o] L om.

1 Cf. num. 291.
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 48, a. 2, q. 1 (I, 855 sq.).
3 *De arrha animae* (PL 176, 954). 4 Cf. p. 407, n. 3.
5 *Cur Deus homo,* I, c. 24 (PL 158, 396).
6 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 48, a. 2, q. 2 (I, 857 sq.).
7 *Enchir.*, c. 101 (PL 40, 279).

Contra: 1. Psalm.[a 1]: *Non adhaesit mihi cor pravum.* « Cor pravum et distortum habet qui non vult quod Deus vult[2] ».

2. Item[3], Deus non vult nisi quod bonum et iustum est; sed nos debemus velle quaecumque bona sunt et iusta; ergo tenemur velle quod Deus vult.

Respondeo: 1. Non tenemur velle quod Deus vult, sed bona voluntate possumus aliud velle quam quod Deus vult. Tamen distinguendum[b] quod illud quod Deus vult aut est scitum a nobis aut ignoratum. Si ignoratum: non tenemur, quia ignorantia excusat. Si cognitum: uno modo tenemur, ut[c] patebit infra[4]; et secundum hoc intelligenda est Glossa super Psalm., quia pravum cor habet qui non vult quod scit Deum velle.

2. Et similiter dicendum ad aliud quod secundum unum modum, qui iam dicetur, tenemur velle quaecumque scimus esse bona et iusta.

CAPUT V. 291

UTRUM TENEAMUR VELLE QUIDQUID SCIMUS DEUM VELLE.

Quinto quaeritur utrum teneamur velle quidquid scimus Deum velle[5].

Ad quod sic: *a.* Tenemur ad caritatem; vera autem amicitia est idem velle et idem nolle[6]; si ergo diligo Deum, volo quidquid scio ipsum velle.

b. Item, Augustinus[7]: « Impius est cui displicet providentia »; providentia autem est secundum acceptationem voluntatis Dei; ergo impius est[d] cui displicet quod Deus vult.

c. Item[e], si possem velle contrarium eius quod scio Deum velle, ergo similiter possem dicere vel facere: quod est falsum; ergo similiter[f] non possum velle contrarium eius quod scio Deum velle; ergo teneor velle quidquid scio ipsum velle[8].

Contra: 1. Beata Virgo sciebat Deum velle passionem Christi, quam ipsa nolebat, et non peccavit; ergo non tenebatur velle quod sciebat Deum velle. Similiter[9]: « Tristes erant Apostoli de nece sui Domini ».

2. Item, Ieremias optavit ne Ierusalem destrueretur: quod tamen sciebat Deum velle, quia iam sibi fuerat revelatum; non tamen peccavit.

3. Item, Luc. 19,41: *Videns Iesus civitatem flevit super illam.* Ergo noluit subversionem civitatis; tamen Deus illam volebat.

4. Item, si tenemur velle[g] quod scimus Deum velle, sed scio Deum velle quod si ego pecco, quod Deus subtrahet mihi gratiam; ergo teneor velle hoc; sed si vellem hoc, vellem non esse bonus, quia sequitur: 'si subtrahitur mihi gratia, non sum bonus'. — Item, teneor velle quod Deus mihi gratiam conservet; non ergo teneor velle quod Deus subtrahat mihi gratiam.

5. Item, Deus vult permittere me peccare; ergo teneor velle quod Deus permittat me peccare: quod videtur falsum, quia[h] Christus docet orare ne inducamur[i] in tentationem[10].

6. Item Philip. 1,23-25: *Cupio dissolvi* etc.; sed Christus nolebat ipsum dissolvi, quia sequitur: *Confidens scio quod permanebo omnibus vobis ad profectum*, quod volebat Deus, et hoc sciebat Apostolus.

Respondeo: Quidam[11] dicunt quod in praeceptis et in prohibitionibus tenemur velle quod scimus Deum velle, in aliis non. — Sed contra: sicut culpa est declinare a prima veritate, cum scitur, ita culpa est declinare a prima bonitate, cum cognoscitur; sed peccatum est declinare a prima veritate; unde Augustinus[12]: « Qui dicit falsum scienter, declinat a veritate in falsitatem »; ergo similiter peccatum est declinare a prima bonitate sive a voluntate divina, cum cognoscitur.

Propter hoc alii[13] dixerunt quod est voluntas vel appetitus rationis et sensualitatis; voluntate

---

[a] G om. [b] L add. *est*. [c] PVS add. *iam*. [d] Ita SR, alii om. [e] G om. [f] S om. *posse... similiter*. [g] PV om., in S est add. mg. [h] G om., R *Christus enim* pro *q. C.* [i] V *intretur*.

1 Psalm. 100, 3.

2 *Glossa interlin.*, et Lombardi, in h. l. (PL 191, 902), ex Augustino, *Enarr.* in h. l., n. 6 (PL 37, 1287), ad sensum, sed melius *Enarr. in Psalm. 93*, n. 18 (PL 37, 1206).

3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 13, q. 1 (f. 29d).

4 Cf. cap. sequens.

5 Cf. S. Bonav., loc. supra cit., p. 408, nota 6.

6 Cf. Sallustius, *De bello Catilinario*, c. 20; Cicero, *De amicitia*, cc. 6 et 16.

7 *Enarr. in Psalm. 31*, n. 25 (PL 36, 273); *De ordine*, I, c. 1 (PL 32, 978), ad sensum, sed verbotenus apud Guil. Altissiod., loc. cit., c. 13, q. 8 (f. 31c).

8 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.

9 Initium hymni I Vesp. Apostolorum tempore Paschali iuxta antiquiorem lectionem; cf. U. Chevalier, *Repert. hymnol.*, n. 20589.

10 Cf. Matth. 6, 13 et 26, 41.

11 Cf. Eadmerus Cantuar. *Lib. de S. Anselmi similitudinibus*, c. 160 (PL 159, 690); Guil. Altissiod., loc. cit., c. 13, q. 8 (f. 31b).

12 *Enchir.*, c. 18 (PL 40, 240); *De mendacio*, c. 3 (PL 40, 488).

13 Inter quos Guil. Altissiod., loc. cit., c. 1, qq. 1 et 8 (f. 29d et 31c); Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 10 (PL 211, 828); Alan., *Sent.*, n. 23 (PL 210, 241).

ergo rationis tenemur velle [a] quod scimus Deum [b] velle, non voluntate sensualitatis.

[Ad obiecta]: 1. Beata ergo Virgo et Apostoli passionem Christi voluerunt voluntate rationis, non voluntate sensualitatis, sed doluerunt de ea; unde et Christus sic eam noluit [c]; unde et dixit [1]: *Tristis est anima mea* etc.

2. Item, ad illud Ieremiae dicendum [2] quod est voluntas absoluta et conditionalis. Loquendo de voluntate absoluta, non voluit Ieremias illud, sed voluntate conditionali, sicut [d] illud Rom. 9,3: *Optabam anathema* etc., scilicet si esset optabile.

3. Ad illud de fletu super civitatem dicunt [3] quod Dominus non flevit actum futurae subversionis, sed flevit pro culpa subversionis.

4. Ad aliud de subtractione gratiae: dicendum quod voluntas aliquando dicitur respectu actionis, aliquando respectu cessationis. Cum ergo dicitur 'Deus vult isti subtrahere gratiam', non dicitur voluntas respectu alicuius [e] actionis, sed respectu cessationis. Voluntas vero cessationis [f] non dicit voluntatem in aliquid, et ideo non teneor velle quod Deus subtrahat mihi gratiam [4].

5. Similiter dicendum [ad illud] 'Deus vult permittere me peccare': non enim dicitur voluntas in aliquid, sed respectu non cohibitionis [g], cum possit.

6. Ad aliud Apostoli dicendum quod voluntas illa non fuit voluntas sensualitatis, quia illa non est respectu boni aeterni, sed fuit voluntas rationis. Sed ratio potest considerari, ut natura vel ut ratio [5]: ut natura semper appetit bonum aeternum; sed ratio ut ratio semper considerat voluntatem Dei, et ideo se [h] conformat ei.

Aliter dicendum, secundum alios, quod voluntas divina potest respicere volentem sive voluntatem [i] meam, vel volitum. Teneor ergo velle quod scio Deum me velle, ita ut voluntas divina respiciat volentem vel voluntatem; non autem teneor velle illud [k] quod scio Deum velle [l]. Unde Glossa [6] super illud [7]: *Rectos decet collaudatio*: « Congruit ut quaecumque vult Deus te velle, velis et tu ». Contingit autem Deum [m] aliquid velle quod non vult me velle, ut mortem patris mei; unde quamvis ego scirem Deum velle aliquid, non debeo illud velle, nisi congruat mihi [n] illud velle aut non: si congruit mihi, teneor illud velle; si non congruit, non teneor. Unde Augustinus [8]: « Potest quis velle bonum quod sibi non congruit ». Et propter hoc, quia subtrahere gratiam et huiusmodi non [o] congruunt, ideo non tenemur ea velle.

[Ad obiecta]: *a.* Ad illud quod obicitur quod 'vera amicitia est idem velle et idem nolle': respondeo quod verum est, quod [p] convenit amico velle.

b. Similiter ad illud Augustini: « Impius est cui divina displicet providentia »: dicendum quod illud quod displicet potest considerari absolute sive in se, vel in relatione ad divinam providentiam. Si [q] illud, quod subest divinae providentiae, in se consideratum, displicet, non est malum; sed si consideretur in relatione ad divinam providentiam, iste, cui displicet, impius est.

c. Ad aliud dicendum [r] quod contrarium eius quod scio Deum velle, potest esse dupliciter. Si enim contrarietas attendatur ex parte voliti solum: sic possum velle contrarium eius quod scio Deum velle, et dicere et facere, sicut si [s] scirem Deum velle mortem patris mei, tamen possum velle eius vitam et laborare ad eius vitam et dicere medico ut ad hoc laboret. Si vero attendatur contrarietas ex parte volentis, non debeo, quia non debeo velle contrarium eius quod scio Deum me velle; Deus autem non vult me velle mortem patris.

292 CAPUT VI.

UTRUM MERITORIUM FUIT SANCTIS QUOD NOLEBANT MORTEM CHRISTI [9].

Item, quaeritur utrum meritorium fuit sanctis quod nolebant mortem Christi, sive in volendo contrarium eius quod scimus Deum velle.

a. Quia Christus *flevit super civitatem* [10]: nolebat enim populi mortem et destructionem, et meruit in hoc. Similiter de B. Virgine [t] quae meruit

---

[a] PGL *scire*, quod SBR secunda manu corr. [b] P *de non*. [c] PS *voluit*. [d] PV *super*. [e] G om. [f] L *cessatio*. [g] P *cohitationes*. [h] P *socio*. [i] V *noluntatem*. [k] PVS om. [l] PV om., in S est add. mg. [m] Ita S, alii add. *te velle*, quod S exp. [n] B *nisi*, quod S corr. [o] S add. *sibi*. [p] BGL *que*. [q] RG *sed*. [r] PVS add. *est*, P *illud* pro *aliud*. [s] PRGL om. [t] V *beata Virgo* pro *d. b. V.*

1 Matth. 26, 38.
2 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 13, q. 4 (f. 30c).
3 Guil. Altissiod., loc. cit., c. 13, q. 3 (f. 30b).
4 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., c. 13, q. 2 (f. 30a).
5 Cf. supra, p. 382ab.
6 Lombardi, in h. l. (PL 191, 325).
7 Psalm. 32, 1.
8 *Enchir.*, c. 101 (PL 40, 279).
9 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 48, c. 3 (p. 293); S. Bonav., I *Sent.*, d. 48, a. 2, q. 2 (I, 857 sq.); Guil. Altissiod., loc. cit., c. 13, q. 3 (f. 30a).
10 Luc. 19, 41.

compatiendo Filio [1], et tamen sciebat Christum hoc velle. Similiter de Apostolis [2]: « Tristes erant [a] Apostoli », et canitur in laude eorum.

b. Item, *si compatimur, et conregnabimus* [3]. Ergo compatiendo meremur [b] vitam aeternam.

Contra: 1. Velle contrarium eius quod scimus Deum velle non est ex caritate: vera enim amicitia est idem velle [4]; sed omne meritum est ex caritate [c].

2. Item, B. Virgo quod voluit [d] Christum non pati, hoc fuit sensualitatis; tamen B. Virgo voluit quod Christus non pateretur; sensualitate autem non est mereri; ergo non meruit in hoc B. Virgo.

Respondeo: Quidam [5] dicunt quod « voluntate rationis tenemur velle quidquid scimus Deum velle, non sensualitatis voluntate »; et [e] B. Virgo voluit [f] quod Christus non pateretur, voluntate sensualitatis. - Et de merito ita dicunt [6]: quod quidam sunt motus, qui non sunt subiecti libero arbitrio nec in ortu nec in progressu, ut patet in fame et siti; et sunt motus qui subiciuntur libero arbitrio in ortu et in progressu; sunt etiam quidam qui subiecti sunt in ortu, sed non in progressu. Illi ergo motus primi, qui non sunt subiecti nec in ortu nec in progressu [g], non sunt meritorii nec in ortu nec in progressu; qui vero sunt subiecti in ortu et in progressu, sunt meritorii in ortu et in progressu; intermedii sunt meritorii in progressu, sed non in ortu.

[Ad obiecta]: *a.* De tristitia ergo Christi et de [h] B. Virgine et de Apostolis dicunt [7] quod dolor ille fuit in sensualitate, et ideo non fuit meritorius.

b. Item [i], ad illud: *Si compatimur, et conregnabimus:* dicendum [8] quod illud intelligitur de voluntate rationis et compassione, hoc est de voluntate patiendi [k] pro Christo.

Vel aliter dicendum quod meruerunt B. Virgo et Apostoli compatiendo Christo.

[Ad obiecta]: 1. Et ad illud [l] quod obicitur quod hoc non fuit ex caritate, respondeo [m]: est motus caritatis secundum debitum viae et secundum perfectionem patriae. Secundum perfectionem, quae erit in patria, non est velle contrarium eius quod scimus Deum velle: in patria enim nihil aliud volemus nisi quod Deus volet. Sed caritas secundum debitum et convenientiam in via, etsi non velit quidquid Deus vult, vult tamen quidquid scit nos [n] Deum velle. Unde B. Virgini non congruebat non dolere de morte Filii sui [o], et ideo voluit contrarium ei quod Deus voluit, quia illud quod Deus volebat, sibi velle non congrueret.

2. Ad illud quod obicitur quod 'illud fuit ex sensualitate et ita non fuit meritorium': dicendum quod sensualitas proprie non est in brutis, sed sensualitas proprie dicit ordinationem ad rationem; unde sicut in sensualitate potest esse demeritum, ut veniale peccatum, ita et meritum.

CAPUT VII. 293

UTRUM MERITORIUM SIT DOLERE DE PASSIONIBUS SANCTORUM [9]

Item, quaeritur utrum meritorium sit dolere de passionibus sanctorum vel velle illas.

a. Quia pium est lugere Martinum et pium est [p] gaudere de [q] Martino [10]; ergo est meritorium nolle [r] mortem Martini [11].

Contra: 1. Hoc erat contrarium voluntati divinae, et hoc sciebant [12].

Respondeo: Velle contrarium divinae voluntati dicitur dupliciter: velle contrarium eius quod scio Deum [s] velle, et hoc potest esse [t] meritorium; vel volendo contrarium eius quod scio Deum me [u] velle, et hoc non potest esse meritorium. — Vel aliter: de praesentibus passionibus sanctorum debemus dolere, de praeteritis vero possumus gaudere.

---

[a] S om., V om. *Apostoli.* [b] G om. [c] G om. *vera... caritate,* PVS om. *est.* [d] R *noluit.* [e] G *tamen.* [f] V *noluit.* [g] G om. *Illi... progressu.* [h] G om. [i] BG om. [k] B *compatiendo,* G *compatiendi.* [l] BRGL om. *E. a. i.* [m] V *respondent.* [n] PV om., in S est add. interl. [o] BRG om. [p] L om. [q] L om. [r] PVS *velle.* [s] PV om., in S est add. mg. [t] PVBG add. *dupliciter,* quod R om., SL exp. [u] G om.

1 Luc. 2, 35; Ioan. 19, 25.
2 Cf. supra, p. 409, nota 9.
3 Cf. Rom. 8, 17 et II Tim. 2, 12.
4 Cf. supra, p. 409, litt. *a.*
5 Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 13, q. 1 (f. 29d).
6 Guil. Altissiod., loc. cit., c. 13, q. 3 (f. 30b).
7 Guil. Altissiod., loc. cit., (f. 30a).
8 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 30b).
9 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 48, c. 4 (p. 293).
10 Cf. Mone, *Hymni lat.*, III, n. 1071, De S. Martino (Frib. Brisg. 1855).
11 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., c. 13, q. 3 (f. 30b); Eadmer. Cantuar., *Lib. de S. Anselmi similitud.*, c. 160 (PL 159, 690).
12 Scilicet discipuli S. Martini. Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 30c), etiam pro sequenti *Respondeo.*

294

CAPUT VIII.

UTRUM IUSTI POSSINT LAETARI DE PASSIONIBUS REPROBORUM.

Item, quaeritur utrum iusti possint laetari de passionibus reproborum.

Quod non[a]: 1. Psalm.[1]: *Convertantur peccatores in infernum.* Glossa[b 2]: « Non hoc dicit optantis affectu ».

Contra: *a.* Sancti volunt quod Deus vult; sed Deus vult poenam illorum.

b. Item, Apoc. 6, 10: *Quare non vindicas sanguinem nostrum?* etc.

c. Item, Psalm.[3]: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam.*

Respondent quidam[4] quod aliud est optare, aliud velle: optare enim est concupiscibilis, velle rationabilis. Non optant ergo poenas malorum, etsi velint, quia non delectantur in poenis, etsi ratione moveantur. — Contra[5]: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam* etc.

Respondeo: Poena reproborum, secundum quod refertur ad naturam patientem, non delectat sanctos; sed secundum quod refertur ad divinam iustitiam poenam inferentem, sic delectat eos.

---

[a] BRGL om. *q. n.* [b] L om.

1 Psalm. 9, 18.
2 *Ordin.* ap. Lyran. Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., c. 13, q. 6 (f. 31a).
3 Psalm. 57, 11.
4 Guil. Altissiod., loc. cit.; cf. ibidem pro sequenti *Respondeo*.
5 Psalm. 57, 11.

INQUISITIO SECUNDA

DE PLURALITATE DIVINAE TRINITATIS

TRACTATUS UNICUS

Invocata Spiritus Sancti gratia, post inquisitionem eorum quae pertinent ad divinam essentiam, cum omni veneratione et modestia procedamus ad inquisitionem eorum quae pertinent ad declarationem divinarum personarum [1]. Modus autem inquisitionis et ordo erit talis, ut

Primo quaeramus de multiplicatione seu pluralitate personarum;
secundo, de veritate personarum;
tertio, de numero personarum;
quarto, de ordine personarum;
quinto, de aequalitate personarum.

---

[1] In aggrediendo hanc secundam Inquisitionem de personis divinis, quaestiones quaedam prae oculis habendae sunt quas Alexander Halensis in prima Inquisitione huius partis, ubi de unitate divina, iam fuse pro natura et convenientia materiae tractavit. Hae quaestiones sunt quasi praeambulum necessarium ad ea quae in sequentibus occurrunt exponenda et hic omnino supponuntur. Sunt autem praecipue tres sequentes: Utrum divina unitas secum compatiatur pluralitatem (num. 76); an divina unitas secum compatiatur pluralitatem naturarum (num. 77); utrum divina unitas secum compatiatur pluralitatem personarum (num. 81).

QUAESTIO I.

DE PLURALITATE PERSONARUM.

TITULUS I.

DE GENERATIONE FILII A PATRE.

Multiplicantur seu plurificantur personae divinae secundum habitudinem generationis Filii a Patre et secundum habitudinem processionis Spiritus Sancti ab utroque.

Primo igitur erit inquisitio de generatione Filii a Patre;
consequenter de processione Spiritus Sancti ab utroque.

De aeterna autem [a] generatione:
Primo, propter incredulos, an [b] generatio sit;
secundo, quid sit;
tertio, cuius sit;
quarto, de quo sit;
quinto, quomodo sit.

295

CAPUT I.

AN GENERATIO SIT [1].

Quantum ad primum sic proceditur: *a.* Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [2]: «Deus Pater ab aeterno aut potuit Filium generare et voluit; aut non voluit, sed potuit; aut non potuit, sed voluit; aut neque voluit neque potuit. Si voluit et non potuit: ergo impotens fuit. Si potuit et non voluit: ergo invidus fuit; sed ab eo relegata est omnis invidia [3]. Si [c] nec potuit nec voluit: impotens et invidus fuit; sed ista relegata sunt ab ipso». Relinquitur ergo quod potuit et voluit, et constat quod scivit; sed [d] ad hoc quod causa rationabilis agat, non plura exiguntur nisi velle, posse et scire [4]; ergo Filium ab aeterno genuit; ergo generatio aeterna est.

b. Secunda ratio est [e]. Bonum naturaliter et essentialiter est sui diffusivum [5]; unde haec est laus boni, scilicet se diffundere, quia si ponerentur duo bona in omnibus aequalia praeter quam in hoc quod unum suam bonitatem diffunderet, aliud non: constat quod bonum illud, quod se diffunderet, in [f] hoc esset magis laudabile et melius alio bono quod se non diffunderet. Completa ergo ratio boni includit in se diffusionem; ergo ubi est summum bonum, ibi est summa diffusio; summa autem diffusio est qua maior excogitari non potest; maior autem diffusio cogitari non potest quam illa quae est secundum substantiam et maxime secundum totam; ergo summum bonum necessario se diffundit secundum substantiam totam, et in ipso naturaliter intelligitur haec diffusio; sed nihil aliud est virtus generativa nisi virtus diffusiva substantiae suae ad hoc ut producatur simile in natura [6]; ergo in summo intelligitur haec virtus summe et ab aeterno, cum illud bonum summum sit et aeternum [7]; sed ubi est haec virtus, est generatio; ergo generatio aeterna est. — Si dicatur, quod [g] haec ratio non procedit, quia in bono non intelligitur diffusio nisi [h] ex consequenti,

---

[a] BR om. [b] PV *que*, quod S corr. [c] G *sic*. [d] PVS add. *etiam*. [e] BRG om. [f] S *et*. [g] S om. [h] V exp.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 9, a. un., q. 1 (I, 180 sqq.).

2 Textus conflatus ex *De div. quaest. 83*, q. 50 (PL 40, 31); *Contra Maximin.*, II, cc. 7 et 15, n. 5 (PL 42, 762, 780); *Epist.* 238 (PL 33, 1048), sed quasi verbotenus ap. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 2, p. 1 (f. 2b).

3 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, I, c. 1 (PG 94, 791).

4 Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, VI, c. 15 (PL 196, 979).

5 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 4, § 1 (PG 3, 693, PL 122, 1129).

6 Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 8 (II, 546); *De anima*, II, c. 4 (III, 450); Damasc., *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 811).

7 Cf. supra, p. 94, n. 5.

et non naturaliter vel essentialiter – in[a] contrarium obicitur: de perfectione boni et nobilitate est communicare se ipsum; unde haec est laus boni; quidquid autem est perfectionis et nobilitatis boni attribuitur summe[b] bono; ergo necessario in summo bono est sui ipsius communicatio; et cum ipsum sit summum, ergo summa communicatio. Magna autem communicatio est communicare sua vel suam qualitatem vel suum accidens; maior vero communicatio est communicare suam substantiam; maxima ergo et summa est communicare[c] totam suam substantiam; ergo haec communicatio necessario[d] est in summo bono; sed communicare suam substantiam ut simile producatur in natura, nihil aliud est quam generare; ergo necessario in summo bono intelligitur generatio; ergo generatio est aeterna, quia quidquid in eo[e] intelligitur aeternum est.

c. Alia ratio est. Communis conceptio animi est quod[f] quidquid est nobilitatis et perfectionis et virtutis est[g] Deo tribuendum; item, nobilior est[h] virtus, quae habet nobiliorem effectum vel actum; sed comparando omnes actus virtutum, non est nobilior actus alicuius virtutis agentis quam ille quo[i] producitur simile in natura ipsi agenti; sed virtus cuius est talis actus, scilicet producere simile in natura ipsi agenti, est virtus generativa et non alia: virtus enim artificialis producit artificiatum, sed non simile in natura; a virtute autem generativa est productio substantialis, hoc est similis in natura[j], et haec[k] est virtuosior productio; ergo inter virtutes omnes producentes aliquid nobilior est virtus generativa, quae habet producere simile in natura; sed quod est nobilitatis vel nobilioris virtutis non potest non[l] intelligi in summa virtute et summa potentia, quae Deus est[m]; ergo in summa virtute et potentia intelligitur virtus generativa; ergo generatio[n]; ergo generatio aeterna est.

d. Alia ratio. Perfectio naturae est et nobilitas ut habeat virtutem qua possit ex se producere tale quale ipsa est sive simile sibi in natura – unde si homo ex se non posset producere hominem, istud esset imperfectio[o] in ipso, quia natura est vis insita rebus, ex similibus similia procreans, sicut dicit Philosophus[2] — sed quidquid est nobilitatis et perfectionis est in summa natura; ergo in[p] ipsa est vis productiva similis in natura ex se; sed haec est virtus generativa; ergo in ipsa est virtus generativa; ergo et generatio, et Pater et Filius, et generans et genitum.

e. Alia ratio. Deus est lux incorporea et inaccessibilis; sed omni luci essentiale est et naturale de se coaevum splendorem gignere[3]; ergo in summa luce necessario intelligitur lux generans et splendor genitus.

f. Si dicatur quod congruit aeternam generationem esse in Deo, sed non est necessarium – contra: Anselmus[4]: « Quodlibet inconveniens Deo sequitur impossibile, et quodlibet Deo conveniens sequitur necessarium ». Ergo si Deo congruit vel convenit generatio[q], ergo necessario est in Deo: et maxime loquendo de necessitate immutabilitatis, quia talis est in divinis, et non[b] necessitas quae ponit coactionem; et ita de necessitate est[c] aeterna generatio.

Ad oppositum sunt rationes. 1. Et primo ponuntur rationes ad infirmandum primam rationem, quae est Augustini, quae ostendit necessitatem generationis aeternae. Videtur ergo quod male procedat ratio, cum[d] dicit: « Si voluit et non potuit, ergo impotens fuit », quia in Filio non est potentia ad generare, sicut in eo non est potentia ad hoc quod sit Pater; sed ex hoc non dicitur Filius impotens[e 5]; ergo nec similiter dicetur Pater impotens[f], si non potest Filium generare; et sic ratio illa deficit ex parte posse.

2. Item, videtur similiter quod non sequitur: 'potuit et non voluit, ergo invidus fuit', quia potuit[g] creaturam sive mundum meliorem facere quam fecerit[6], sed tamen noluit[h], et potuit mundum creare antequam creaverit, et tamen[i] non voluit; ex iis tamen non sequitur quod invidus fuit; ergo similiter nec ibi.

3. Alia ratio, qua ostenditur quod generatio non convenit Deo. Nihil quod est imperfectionis et insufficientiae est Deo tribuendum; sed generatio in generabilibus est ratione[k] imperfectionis et insufficientiae; ergo generatio non est [Deo][l] tribuenda. — Minor patet: quia triplex est esse, scilicet esse temporale, esse perpetuum, esse aeternum; ubi autem est esse temporale, ibi est corruptio, et quia[m] non possunt salvare esse suae speciei in se, ideo datur eis virtus generativa, ut quod in se ipsis salvare non possunt, salvent per generationem in suo simili[7]; sed in perpetuis substantiis non invenitur generatio[8], et hoc[n] propter perfectionem sui esse, quod incorrruptibile est

[a] RL *Item.* [b] L *summo.* [c] L om. *maxima... communicare.* [d] BRG om. [e] S om. *i. e.* [f] L *ut.* [g] G add. *a.* [h] L om. [i] L *qui.* [j] PV *hoc.* [l] L om. [m] L add. mg. *deficere.* [n] S om. *e. g.* [o] PS *perfectio,* V corr. [p] BG om., in R est add. interl. [q] L om. [b] G om. [c] PVS add. *ergo.* [d] BG *et.* [e] PVS *omnipotens.* [f] L om. *ergo... impotens.* [g] S *ponit.* [h] V *voluit,* R *non noluit,* BG *non voluit.* [i] G *ita.* [k] BR *ratio.* [l] BG om., in P est add. interl. [m] Codd. *ideo.* [n] V add. *est.*

1 Cf. supra, p. 414, nota 5.

2 Cf. Aristot., *Magn. Moral.*, I, c. 10; *Metaph.*, IV, c. 4 (II, 140, 517).

3 Cf. Damasc., loc. cit. (PG 94, 815); Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, I, c. 9 (PL 196, 895).

4 *Cur Deus homo*, I, c. 9 (PL 158, 375), ad sensum.

5 Cf. supra, num. 138. 6 Cf. supra, num. 143.

7 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 448); *De gener. et corrupt.*, II, 10 (II, 464).

8 Cf. Aristot., *De Xenophane (Melisso)*, c. 2 (III, 673).

unde in se ipsis possunt salvare et continuare esse suae speciei perpetuo [a]; unde sol non generat solem, nec anima animam, cum habent virtutem perfectam qua possunt in se ipsis salvari — generatio ergo semper est comes imperfectionis.

4. Alia ratio [b]. Differt generatio et alteratio [1]: quia ubi est generatio, ibi est exitus de non-esse ad esse; ubi autem est alteratio, non est mutatio secundum esse, sed manet idem esse [c] et eadem substantia, sed diversus modus se habendi vel essendi. Si ergo in divinis non est exitus faciens differentiam esse, qui est exitus a non-esse in esse, sed solum [d] faciens differentiam modi essendi: ergo exitus, qui est in divinis, non potest dici generatio, sed potius alteratio, et sic in Deo non potest poni generatio.

5. Alia ratio. Nos videmus quod generatio perfecta habet originem suam in duobus, scilicet in [e] masculo et femina [2], imperfecta vero generatio habet principium in uno — sicut patet in generatione vegetabilium et etiam vermium [3], quae imperfectior [f] est quam generatio [g] animalium et hominum, quorum generatio consistit in duplici principio, scilicet agente et patiente [4] — ergo, si quod perfectius est in generatione est Deo tribuendum, erit ponere in divinis quod ipse Filius sit genitus a patre et etiam a matre: quod est absurdissimum; relinquitur igitur quod non erit ponere generationem in divinis.

6. Alia ratio ad infirmandum aliquas praedictarum rationum: quia adaptatio similitudinis rerum naturalium ad divinas est per remotissimam comparationem, quia valde remota est comparatio et distantia [h] maxima creaturae ad Creatorem; ergo non sequitur necessario ut [i] ponatur in rebus divinis quod invenitur in rebus creatis; ergo praedictae rationes, quae sumuntur ex comparatione rerum naturalium ad divinas, nullae sunt.

7. Item, si ex hoc quod natura creata est multiplicativa suae speciei volumus habere similiter in divinis, ergo similiter ex ostensione productionis accidentium in esse creaturae per simile poterimus ostendere in divinis. Ex hoc ergo consequitur quod Deus habeat accidentia et quod [k] sit quantus et coloratus.

8. Alia ratio est haec. Si accipitur simile a generatione creata et fiat coaptatio ad divinam, ergo sicut ex parte creaturae generatio transfert naturam generantis in genitum et virtutem etiam generandi cum ipsa natura, qua potest genitus generare, ergo similiter in divinis ipse Filius habebit virtutem generandi alium filium; sed in aeternis potentia coniuncta est actui [5]; ergo generabit alium filium; et eodem modo erit quaerere de illo, et ita in infinitum; generatio ergo aeterna non est nec valet simile sumptum a creaturis.

Respondeo: Confitendum verissime quod generatio aeterna est. Unde Richardus de S. Victore, in libro *De Trinitate* [6]: « In natura creata legimus quod de increata pensare debeamus. Videmus quotidie quomodo naturae ipsius operatione subsistentia existentiam producit et existentia de existentia procedit. Numquid in illa superexcellenti natura operatio [l] naturae nulla erit? Numquid [m] natura illa, quae huic naturae fructus [n] foecunditatis donavit, in se omnino sterilis permanebit? Et quae aliis generationem tribuit, numquid sterilis erit »? sicut dicitur Isai. ultimo, 9: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego, qui generationem ceteris [o] tribuo, sterilis ero? ait [p] Dominus;* et loquitur ibi de generatione aeterna, ut dicit Glossa [7]. Est igitur generatio aeterna. — Item, in eodem libro [8]: « Certe radius solis de sole procedit, et soli tamen coaevus existit; ex quo enim fuit [q], de se radium produxit et sine radio nullo tempore fuit. Si igitur lux ista corporalis habet radium sibi [r] coaevum, cur non habeat illa lux spiritualis et inaccessibilis? » — Et Damascenus, in I libro [9]: « Non fuit unquam Deus inverbalis, id est sine Verbo; semper enim habet sui ipsius Verbum ex se ipso genitum ». Impossibile igitur est secundum Damascenum quod Deus non generet.

[Ad obiecta]: Ad rationes ergo in contrarium [s] respondendum. Et primo ad illas, quae infirmant rationem Augustini, in libro *83 Quaestionum*, dicendum, quod [t] bene tenet ratio Augustini, secundum quod ipse intendit: quia intendit [u] se per illam rationem ostendere quod Pater genuit Filium sibi coaequalem [v], et sic ratio illa semper [x] supponit magis generationem quam probet. Nihilominus tamen dicendum ad instantias.

2. Et primo ad primam 'potuit mundum meliorem facere et noluit, ergo invidus fuit': dicendum quod secus est in generatione et creatione,

---

[a] PVS *perpetue.* [b] P (corr.) *ratione.* [c] G om. *s. m. l. e.* [d] BG om. [e] PV om. [f] G *perfectior.* [g] BRG *generatione* pro *q. g.* [h] S *distatio.* [i] PVS *quod.* [k] BRGL om. [l] BR *comparatio,* G *comparatur,* L *comparatione.* [m] S om. *in illa superexcellenti... numquid.* [n] PV *fructum.* [o] V *aliis.* [p] PVS *dicit.* [q] L *fluit.* [r] L om. [s] BRGL add. *est.* [t] G add. *non.* [u] V add. *semper,* BL om. *s. p.,* G om. *se,* R om. *q. i. s. p.* [v] BRGL *equalem.* [x] BRGL om.

1 Cf. Aristot., *Phys.,* V, c. 2 (II, 308 sq.).
2 Cf. Damasc., *De fide orthod.,* I, c. 8 (PG 94, 815).
3 Cf. Aristot., *De animal. gener.,* I, c. 1 (III, 320); et supra, p. 242, nota 2.
4 Cf. Aristot., loc. cit., c. 2 (III, 320).
5 Cf. Aristot., *Metaph.,* VIII, c. 8 (II, 571).
6 Lib. I, c. 9 (PL 196, 895).
7 Cf. Haymo, in h. l. (PL 116, 1078).
8 Richard. de S. Vict., loc. cit.
9 *De fide orthod.,* I, c. 6 (PG 94, 803).

quia ratio generationis semper exigit quod producatur aequale in natura et substantia; ratio vero creationis non, immo potius contrarium exigit, scilicet quod sit non-aequale et diversum in substantia illud quod creatur. « Invidia vero non habet locum nisi ubi res exigit aliter fieri quam fiat [1] »; ideo [a] in generatione, ubi exigit ratio aequalitatem generantis ad generatum, est ratio invidiae si non generetur aequale. Ideo bene sequitur secundum Augustinum: 'potuit generare Filium aequalem sibi et noluit, ergo invidus fuit', cum hoc deberet facere, scilicet generare [b] aequalem sibi; sed in creatione non est debitum illud, nec etiam quod homo sit melior quam sit, et ideo non sequitur in creatis istis.

1. Ad aliam instantiam qua obicitur quod non sequitur: 'Filius vult [c] generare, sed non potest, ergo impotens est', dicendum quod ad hoc quod [d] illud sequeretur, oporteret iungi 'velle' cum 'non-posse'; unde bene [e] sequitur: 'aliquis vult hoc facere et non potest, ergo impotens est'; sed Filius non vult generare nec Spiritus Sanctus; et ideo 'non posse generare' non ponit impotentiam in Filio nec in Spiritu Sancto, sed in Patre poneret impotentiam, quia Pater vult generare, Filius autem non, sed generari. Sicut enim perfectionis est in Patre generare, sic perfectionis est in Filio generari, sic etiam in Spiritu Sancto spirari; unde sicut 'posse generare' dicit perfectionem potentiae Patris, sic 'generari' dicit perfectionem potentiae [f] in Filio et 'spirari' in Spiritu Sancto. Ideo ex parte Patris sequeretur impotentia si non posset generare, ex parte autem Filii vel Spiritus Sancti non ponetur [g] impotentia [2].

3. Ad tertiam rationem dicendum quod haec est duplex 'generatio est [h] imperfectionis in generantibus', quia potest esse sensus quod generatio dicat imperfectionem in generante et virtute eius, vel quod sit data generanti propter supplementum suae imperfectionis. Dico ergo quod secundum [i] primum modum generatio non est imperfectionis, immo generatio dicit perfectissimum modum [k] agendi sive producendi [l]: perfectissimus enim modus agendi est per [m] quem coaequatur et assimilatur in natura effectus agenti, quod fit per generationem [3]. Secundum vero modum secundum potest concedi quod generatio imperfectionis est in creaturis corruptibilibus, quia data est ad relevandam imperfectionem earum [a]; unde est propter supplementum imperfectionis in ipsis: propter hoc quod singularia non poterant salvare suam speciem in se [b], ideo data est haec virtus quae tantae perfectionis est. Id autem quod supplet imperfectionem non est imperfectio, immo magis perfectio; ideo generatio perfectionis est et perfectionem dicit virtutis in generante: ideo Deo est [c] tribuenda. — Ad illud ergo quod [d] obicitur quod 'perfectionis [e] est in sole quod non generat': dicendum quod non, immo imperfectionis est in substantiis quod [f] non possunt ex se producere simile sibi [g] in natura. Unde ponatur quod virtus esset in sole qua posset ex [h] se producere alium solem, sicut potest ex se producere lumen, eo manente incorruptibili [i]: hoc esset maximae virtutis in sole et perfectioris quam modo habeat, cum non potest solem ex se producere. In hoc ergo deficit a virtute; in hoc tamen quod habet in se virtutem, qua [k] potest in se salvare suam speciem, perfectionem habet quam non habent corruptibilia, quia non indigere [l] alio ad sui salutem, hoc perfectionis est. Perfectionis igitur in corruptibilibus est quod possunt ex se producere similia, imperfectionis vero quod non possunt se salvare et permanere in esse; similiter perfectionis est in corporibus supercaelestibus quod possunt salvare [m] se et permanere in esse, imperfectionis vero quod non possunt simile [n] in natura de se producere et coaequale [o] sicut producunt ex se inaequale, sicut [p] sol producit lumen, non solem. Quod igitur perfectionis est [q] Deo est tribuendum, ut scilicet manens in se virtutem habeat producendi similem in natura et coaequalem.

4. Ad quartam rationem dicendum quod generatio est motus sive species motus et est [r] actus [4]. Prout ergo dicit motum, relegatur a Deo, quia ab eo removetur motus et species motus, quia motus dicit imperfectionem in mobili [5]. Sed prout dicitur actus, est completio adaequans productum producenti [s] perfecte; et isto modo generatio non respondet alterationi. — Sed ad illud [t] quod obicitur quod 'ibi est exitus faciens differentiam modi essendi, ergo alteratio': dicendum quod non sequitur, nisi sit ibi mutatio; unde non sequitur in sole, quod si generat ex se

---

[a] S *in Deo.* [b] PV om., in S est add. mg. [c] R delev. *vult* et *sed.* [d] G om. *h. q.* [e] BRG om. [f] S om. *Patris sic... potentiae.* [g] Ita B, alii *poneretur.* [h] V add. interl. *ratione.* [i] PV *quoad,* S *ad,* G om. *quod.* [k] S om. [l] PVS *ducendi.* [m] R *secundum.* [a] V *suam.* [b] S om. *i. s.* [c] S om. [d] BRGL *Quod ergo* pro *A. i. e. q.* [e] PV (corr:) S *imperfectionis.* [f] PVS *que.* [g] PVS om. [h] Ita L, alii *in;* V exp. *ex* et corr. interl. *vel in.* [i] VSL *incorporali.* [k] PV *que.* [l] B *indigent.* [m] B om., G om. *se.* [n] Codd. *similem;* S *per* pro *de.* [o] PVS *coequalia,* L *coequalem.* [p] PV om. *p. e. s. i. s.,* BRLG om. *producit.* [q] BRGL *erit.* [r] V om. [s] G *producendi,* PS *ista* pro *isto.* [t] BRGL om. *a. i.*

1 Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 2, p. 2 (f. 2d), ubi et sequens tangitur.

2 Cf. supra, p. 214b, *ad 1.*

3 Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 4 (III, 448).

4 Cf. Aristot., *Metaph.,* X, c. 11 (II, 598); *De anima,* II, c. 4 (III, 448).

5 Cf. Aristot., *Phys.,* III, c. 2 et VIII, c. 5; *Metaph.,* VIII, 6 (II, 275, 568); *De anima,* III, c. 7 (III, 469).

splendorem, quod ibi sit alteratio, quia non est ibi mutatio. Item, est differentia modi se habendi, quae facit alium et alium, et haec non est alteratio, sed quae solum facit alterum, sicut patebit [1].

5. Ad aliam rationem dicendum [a] quod in generatione humana quod habet originem [b] in duobus et non in uno solo, hoc est imperfectionis; constat enim [c] quod si uniretur virtus ita quod tota virtus generans esset in masculo vel in [d] femina, quod perfectior esset unita quam [e] divisa; in quantum ergo unita est, Deo est tribuenda, non in quantum divisa, quia hoc est imperfectionis. — Ad illud vero quod [f] dicitur de [g] plantis, quarum generatio imperfectior est, quod habent in uno: dicendum quod etsi [h] habeant in uno intrinseco, tamen habent in multis extrinsecis, ita quod est ibi humor a terra [i] et calor a [k] sole, unum velut principium activum, aliud ut passivum, sicut erat ex parte masculi et feminae: unde masculus est principium activum, femina principium passivum [2]. Ex iis igitur relinquitur generationem aeternam esse et quod in Deo est differentia gignentis et geniti, id est Patris et Filii [l].

6. Ad aliam rationem dicendum quod adaptatio [m] ex rebus naturalibus ad divinum esse potest esse [n] dupliciter, quia dupliciter potest creatura considerari: vel in se vel prout est vestigium suae causae. Secundum quod consideratur in se, non est accipere convenientem proportionem a creatura ad Creatorem, immo sic maxima est differentia [o] unius ad alterum, nec est habitudo aliqua qua possit sic dici esse in Creatore sicut est in creatura, velut nec finiti ad infinitum [p] est comparatio sive in potentia sive in sapientia [q] sive in bonitate. Secundum vero quod consideratur [r] creatura ut [s] vestigium suae causae, sic est invenire convenientes rationes et necessarias a creatura ad Creatorem [3]; unde ex potentia creaturae necessario est arguere omnipotentiam Creatoris et ex sapientia summam sapientiam et ex bonitate summam bonitatem. Unde Apostolus, Rom. 1,20: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur;* quod non esset nisi ea, quae facta sunt, essent vestigium. Unde Dionysius, in *Hierarchia angelica* [4]: « Nihil eorum quae sunt est universaliter boni participatione privatum; siquidem, ut Eloquiorum veritas ait [a], Gen. 1,31: *Omnia bona valde.* Est ergo ex omnibus intelligere bonas speculationes esse, et invisibilibus et intellectualibus ex materialibus formare dissimiles similitudines ». Secundum [b] ergo quod vestigium summae Trinitatis est impressum in creatura, dicendum quod est invenire rationem ab ipso vestigio bonitatis [c] impressae convenientem ad ostendendum perfectionem bonitatis imprimentis, ita ut semper quod perfectius est, non habens in se aliquam rationem imperfectionis, est Deo tribuendum. Et [d] hoc etiam est quod dicit Magister Richardus de S. Victore [5], « ad quaecumque necesse est esse, infallibilia [e] argumenta non deesse ».

7. Ad aliam rationem dicendum quod, cum Deus sit causa [f] secundum triplicem modum causae, efficientis [g], finalis, formalis per modum exemplaris [6] — non est [h] autem causa materialis aliquo modo — propterea [i] quae sunt in rebus naturalibus et conveniunt in [k] ratione causae efficientis, formalis et finalis, possunt transferri ad Deum, quia secundum hoc est creatura vestigium; sed ea quae pertinent ad causam materialem, velut accidentia, ut 'coloratus' ex parte materiae corporis, 'obliviosus' in anima propter intellectum materialem, non possunt aliquo modo transferri ad Deum, nisi figuraliter et improprie, et [l] secundum hanc viam non fit [m] habitudo creaturae ad Creatorem; posse autem generare simile ex se pertinet ad efficientem causam et etiam indicium est nobilitatis virtutis: propterea virtuti [n] divinae est tribuendum [o].

8. Ad ultimam rationem dicendum quod cum perfectio [p] sit in uno [q], imperfectio vero in multitudine, si sint multi aliqui et quod est in uno, per omnia est in alio et quocumque modo, ergo omnes superfluunt praeter unum: secundum hoc ergo [r] dicendum quod, cum [s] ipse Filius sit perfectus omni modo perfectionis, quod non erit nisi unus. Dicendum ergo quod hoc est indicium imperfectionis in serie [t] humanae generationis quod genitus potest generare: hoc enim indicat quod ipse genitus non sit perfectus filius.

Et sic patet responsio ad istam Quaestionem.

---

[a] S om. [b] Ita R, alii add. *vel.* [c] BRGL *constans enim est* pro *c. e.* [d] L om. [e] S *vel.* [f] BRGL *Quod vero* pro *A. i. v. q.* [g] R *in.* [h] L *si.* [i] PVS *luna.* [k] P *et.* [l] G om. *et quod in... Filii.* [m] P *aptatio.* [n] G om. *p. e.* [o] G *distantia.* [p] P *finitum.* [q] PVS add. *sive in potestate.* [r] S add. *in.* [s] V add. *est.*

[a] S om. [b] BRGL add. *hoc.* [c] PVS *Trinitatis.* [d] PVS *ex.* [e] B (post exp.) *fallibilia,* S om. *esse.* [f] R om. [g] BRGL *efficiens.* [h] BRGL om. [i] BRGL add. *ea,* V om. *in.* [k] S om. [l] BRGL *cum.* [m] BRGL *sit.* [n] S *virtus.* [o] V *attribuendum.* [p] PVS *imperfectio.* [q] G *tamen perfectio sit* pro *cum... uno.* [r] PVS om. [s] PV om., in S est add. interl. [t] PV om. *i..s.*, in S est add mg.

[1] Cf. infra, p. 425b, *ad 1*, p. 456a, *ad 1.*

[2] Cf. Aristot., *De animal. generat.*, I, c. 2 et II, c. 1 (III, 320, 344).

[3] Cf. supra, num. 10, 21 et 25.

[4] Cap. 2, § 3 (PG 3, 142, PL 122, 1042).

[5] *De Trinit.*, I, c. 4 (PL 196, 892).

[6] Cf. supra, num. 46; Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 2, p. 4 (f. 3c).

CAPUT II. 296

QUID SIT GENERARE IN DIVINO ESSE.

Secundo quaeritur quid sit generare secundum rationem intelligentiae, prout dicitur in divino esse.

Et circa hoc quaeritur I. utrum generare in divino esse sit idem quod intelligere.

Ad quod sic quidam nisi sunt: 1. Vivit Deus vita nobilissima, quae est intelligere; sed idem est in Deo sua vita et sua actio; ergo si generare dicit quasi [a] quamdam actionem, idem est [b] in Deo generare et intelligere.

2. Secunda ratio. Prima intelligentia intelligit se non desiliendo a se [1]; unde actus intelligendi extra se [c] ipsam non desilit; sed intelligere nihil aliud est quam speciem generare in se [2]; ergo intelligere [d] se nihil aliud est quam suam [e] speciem in se generare; ergo intelligere in Deo est generare suam speciem in se; sed nihil est aliud generatio Filii; ergo nihil aliud est in Deo intelligere quam Filium generare; et cum de nobilitate suae essentiae sit quod semper se intelligit, necesse est in eo semper dicere generantem et genitum. Sed iis nominibus duo dicuntur, scilicet quasi actio et relatio; cum enim dico 'generans' [f], actionem dico, similiter et relationem: relatio enim semper concomitatur actionem in agente. Cum igitur sua substantia et sua actio sit idem ex parte actionis et eius quod dicitur per modum passionis, ut intelligere et intelligi, nulla in eo reperitur diversitas [g], sicut nec in essentia: necesse est igitur quod pluralitas, quae est in intelligente et [h] intellecto, qua scilicet replicatur ut intelligens et ut intellectus, sit solum propter relationem. Si ergo propriis nominibus separemus [i] relationem a dicta actione, veniemus in pluralitatem, quae significatur [k] iis nominibus 'Pater' et 'Filius': hoc enim nomen 'Pater' proprie significat illam relationem quae concomitatur actum generantis. Ex iis igitur relinquitur quod 'Deum intelligere se', cum [l] intelligere sit speciem rei intellectae gignere, non est aliud quam generare suam imaginem et speciem in se ipso.

Ad oppositum: *a.* Generare nunquam est eiusdem [m] a se [3], sicut intelligere; ergo generare non est intelligere in divino esse.

b. Secunda ratio. Ubi ponitur generatio, ponitur multiplicatio et [n] differentia generantis et geniti; sed dicendo Deum intelligere se, non dico differentiam nec multiplicationem aliquam, quia nihil aliud est Deum intelligere se [o] quam quasi conversio eius supra se; ergo non est idem generare et intelligere.

II. Secundo, circa hoc quaeritur utrum idem sit in divino esse generare et dicere.

Ad quod sic: 1. Anselmus [4]: « In eo quod summa essentia se dicit, generat Pater, generatur Filius ». Igitur suum dicere internum est idem quod Verbum generare; ergo idem est in Deo suum dicere Verbum et generare.

2. Secunda ratio. Augustinus [5], super illud Gen. 1, 3: *Dixit Deus: fiat lux,* dicit: « *Dixit,* id est generavit Verbum, in quo erat ut fieret lux ». Ergo idem est suum dicere et suum generare.

Ad oppositum: *a.* Anselmus [6]: « Omnis persona se ipsam loquitur et alias [p] »; ergo si generare in Deo est dicere, ergo quaelibet persona se ipsam generat et alias: quod falsum est.

Solutio: Dicendum [q] quod non est in potestate humana dicere de generatione aeterna nec de substantia aeterna quid sit; quod inspiciens [r] Propheta, Isai. 53, 8, dicit [s]: *Generationem eius quis enarrabit?* quasi diceret nullus, immo hoc est [t] praemium fidei. Dicendum tamen secundum communem rationem generationis, quod generatio est productio de substantia [7]. Haec autem productio multipliciter est, quia [u] aliquando producitur aliquid de substantia ab alio quod non est ei simile in natura: et sic est productio in generatione aequivoca, secundum quod [v] dicimus quod vermes producuntur de [x] carne [8]; aliquando autem [y] producitur aliquid de substantia alterius, quod est simile ei in natura: et sic est in generatione univoca [z]. Sed hoc est multipliciter [9], quia illud

---

[a] R om. [b] R om. [c] BRGL om. [d] PVS add. *in,* G om. *se,* BRG om. *est.* [e] S om. [f] R *generare.* [g] S *universitas.* [h] PV add. *in.* [i] P *separemur.* [k] L add. *in.* [l] G *causa.* [m] PV om., in S est add. mg. [n] R *ut.* [o] PVS *intelligere* pro *D. i. s.* [p] PV *alios.* [q] BRL add. *est.* [r] G *inspicit.* [s] BRGL *ait.* [t] BRG *erit.* [u] P *quod.* [v] BRGL *quam.* [x] L *ex.* [y] G *etiam.* [z] PV (corr.) *equivoca,* quod SR corr.

1 Cf. supra, num. **164.**
2 Cf. Aristot. *De anima,* III, c. 8 (III, 470).
3 Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 4 (III, 450); Augustin., *De Trinit.,* I, c. 1 (PL 42, 820).
4 *Monol.,* c. 33 (PL 158, 188), ad sensum.
5 *De Gen. ad litt.,* I, c. 2, n. 6 (PL 34, 248).
6 *Monol.,* c. 63 (PL 158, 208 sq.), ad sensum.
7 Cf. supra, p. 414, nota 6.
8 Cf. supra, p. 416, nota 3.
9 Cf. supra, p. 214b, *ad 2.*

'simile in natura productum de [a] substantia' aliquando producitur de parte substantiae et non de tota substantia: et sic est in generatione qua homo generat hominem; aliquando autem producitur de tota substantia: et sic est productio in divinis personis unius ab alia, quia cum divina essentia sit [b] simplex, immo simplicissima [1], ubi est, ibi est tota et nullo modo secundum partem; ideo productio in divinis personis de substantia est de substantia [c] tota et non de parte substantiae. Sed haec productio dupliciter est, quia aut est secundum modum principalem aut secundum modum non-principalem. Secundum modum [d] principalem dicitur, quando productum ita producitur quod habet virtutem et proprietatem [e] producendi alium ex se: secundum ergo quod est productio secundum modum principalem in divinis, sic est productio Filii a Patre, quia Filius habet virtutem producendi ex se alium, scilicet Spiritum Sanctum, et huius retinet proprietatem; secundum autem [f] modum non-principalem est productio Spiritus Sancti, quia producitur de substantia, sed non retinet proprietatem producendi alium ex se. Prima ergo productio, scilicet Filii, est generatio; alia, quae est Spiritus Sancti, appellatur in divinis processio. Sic tamen intellige [g] 'principalem' in generatione Filii, 'non-principalem' [h] in processione Spiritus Sancti, ut nullo modo intelligatur ibi [i] inaequalitas, sed utriusque designetur proprietas; quemadmodum, cum dicitur 'primum' vel 'non-primum' [k], non ostenditur prioritas vel posterioritas in tempore, sed designatur ordo naturae. Ex iis igitur patet quid sit secundum rationem intelligentiae generatio in divinis, quia generatio est univoca productio similis in natura de tota substantia secundum modum principalem, et quare haec productio dicitur generatio [l], hoc est quia inter omnes productiones generatio principalior est, et maxime sic debet esse ut ille qui producitur habeat virtutem producendi alium ex se.

I. Secundum hoc ergo dicendum quod non est idem secundum rationem intelligentiae generare et intelligere, sicut nec generare et esse. Esse enim in divinis dicitur absolute, similiter intelligere in divinis de se dicitur absolute; sed generare de ratione intelligentiae dicit relationem; ideo non est idem secundum rationem intelligendi generare et intelligere, sed generare concomitatur intelligere. Quia sicut videmus in anima quod, cum dicitur 'mens cognoscit se', quod ad hoc sequitur quod mens generat sui notitiam, et tamen non est idem in mente cognoscere se et generare sui notitiam, immo aliud et aliud, dicitur tamen 'unum concomitatur alterum': sic in divino esse non est idem generare suam speciem et intelligere, intelligere tamen concomitatur [m] Deum generare sui speciem vel imaginem in se ipso. Unde cum dicitur 'Deum intelligere se est Deum generare suam speciem in se', dicendum quod non est verum: non enim est [n] intelligere per speciem, ubi idem est actus quod essentia nec est species alia ab essentia. Quod ergo dicitur 'intelligendo generat' vel 'intelligere est speciem suam [o] generare', intelligitur per concomitantiam; tamen hoc non est illud sicut in mente, quia maior est ibi differentia quam in divino esse: ex hoc enim quod est generatio suae speciei, necessario sequitur generans et genitum.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam ergo rationem dicendum quod, etsi [p] idem sit in Deo [q] intelligens et intellectum et [r] ipsa actio divina, tamen ibi [s] concomitatur relatio: ex [t] qua parte est differentia secundum intelligentiam [u] inter generare et intelligere. Nam generare dicit relationem sive habitudinem per modum actus, intelligere autem dicit ipsum esse sive ipsam substantiam; non tamen generare addit ad intelligere, sicut nec relatio ad essentiam [2], immo concomitatur ipsum intelligere [v] sive consequitur ad ipsum, quia ad intelligere sequitur vel concomitatur generatio suae speciei in se. Inde est etiam quod in divinis potest dici quod idem intelligit se, sive sumatur masculine sive neutraliter; non tamen masculine potest dici vel neutraliter 'generat se': ratione enim [x] illius relationis ponitur pluralitas vel distinctio, quae significatur per ista nomina 'Pater, Filius, generans, genitum', ut dictum est [3].

2. Et per hoc patet responsio ad secundam rationem, et patet intelligentia rationum ad oppositum.

II. Ad secundum quod quaeritur 'an generare idem sit in Deo quod suum dicere': dicendum [4] quod 'dicere' in divinis uno modo appellatur manifestare [y], et sic dicitur essentialiter, et sic quaelibet persona loquitur vel dicit aliam, quia quaelibet persona manifestat aliam; unde in Evangelio Ioan. 14, 11: *Ego in Patre et Pater in me est,* et similiter Matth. 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* Ecce quod una persona manifestatur in alia. Alio modo dicitur 'dicere', scilicet proferre verbum: et sic 'dicere'

---

[a] PVL *in*, S *ex*. [b] L om. [c] PVS om. *e. d. s.* [d] BRG add. *autem*. [e] R *propriam*. [f] BRGL om. [g] BG *intelligere*, quod RL corr.; RL *principale* pro *principalem*. [h] Ita R, alii *principale*; PVS om. *Filii*. [i] PVS add. *et*. [k] P om., V om. *v. n. p.*, R add. *quantum*. [l] PVS add. *et*. [m] PV om., in S est add. mg. [n] L om. [o] Ita V, BRGL om.; PS *Spiritum Sanctum* pro *s. s.* [p] PVS *si*. [q] G add. *intellectus*. [r] PVS om. [s] R add. posterior *in actione quodam modo*. [t] L om. [u] L *pro intelligentia* pro *s. l.* [v] G om. *sicut... intelligere*. [x] PVS *tamen*. [y] G *manifesta*.

[1] Cf. supra, num. 32.
[2] Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1254).
[3] Cf. hic in *Solutione*.
[4] Cf. supra, p. 97a, *ad 6*.

importat rationem principii ad illud quod est de principio, quia proferens est principium ad verbum prolatum; et sic 'dicere' sumitur [a] notionaliter et solum convenit Patri. Et sic 'dicere' idem est quod generare; primo autem [b] modo non, quia sequeretur quod quaelibet persona generaret se et alias personas, sed secundo modo importat habitudinem principii ad illud quod est de principio. Eloquitur autem Filius essentiam et proprietatem Patris, ideo [c] Verbum est; Spiritus vero Sanctus, etsi totam essentiam Patris eloquatur, scilicet potentiam, sapientiam, bonitatem, non tamen in se eloquitur proprietatem Patris qua [d] producat ex se alium, ideo non dicitur Verbum sicut Filius, nec dicitur eius productio 'generatio' sicut productio Filii, sicut dictum est [1]: verbum enim plene manifestat de intellectu et intentione dicentis proprietates, ideo Spiritus Sanctus non est Verbum nec profertur a Patre ut Verbum, sed dicitur, id est [e] manifestatur.

Et sic patet solutio istius [f] Quaestionis.

CAPUT III.

CUIUS SIT GENERATIO.

Postea quaeritur cuius est generatio. Quaeruntur ergo duo:

Primo, an generare vel generari sint essentiae aut [g] personae;

secundo, supposito quod personae, cuius sit personae generare et cuius sit [h] generari.

ARTICULUS I. 297

An generare vel generari sint essentiae aut personae [2].

Ad primum ergo, quod generare vel generari non sint essentiae, sic arguitur: *a.* Cum enim essentia divina una sit et eadem et omnino simplex, ergo si essentia in Deo generat essentiam, ergo idem generat se; sed, sicut [i] dicit Augustinus [3]: « Nulla res generat se ipsam », et hoc est etiam communis animi conceptio et dicit etiam Anselmus [4] quod « nec intellectus capit nec natura permittit illum, qui de alio est, esse illum de quo est »; ergo impossibile est idem esse generans et genitum, masculine dico; sed si essentiae est generare, idem est generans et genitum, quia si generat, non generat nisi essentiam, cum sit generatio univoca; ergo generat [k] se. Et sic [l] generatio, sive active sive passive dicta, nullo modo convenit essentiae.

b. Secunda ratio. Si essentia generat, aut generat essentiam aut personam. Si essentiam: ergo essentiam aliam a se, quia generans et genitum non sunt idem; sed hoc est inconveniens. Similiter si generat personam, sicut Filium: ergo alia est persona ab essentia et essentia alia a [m] persona per eamdem rationem; sed hoc est [n] falsum, quia idem est in Deo essentia et persona, natura [o] et res naturae: tunc vero esset dicere quod Filius non esset essentia; ergo essentia non potest generare essentiam nec personam; ergo non generat, pari ratione nec generatur.

c. Tertia ratio. Si essentia generat vel generatur, ergo essentia relative dicitur, quia 'generans, genitum' relationem dicunt; sed omne tale dicitur 'ad aliquid'; sed nihil quod dicitur 'ad aliquid' indicat essentiam, ut dicit Augustinus [5]; ergo essentia non indicaret essentiam: quod est inconveniens.

d. Quarta ratio. In eis quae dicuntur de formis, ita est quod si volumus eis attribuere actum, hoc non est nisi in quantum dicuntur concretive, sicut caliditas non calefacit, sed calidum; ergo similiter 'generare, generari' non dicuntur de essentia, prout significatur ita abstractive, scilicet per hoc nomen 'essentia', immo in quantum per modum concretionis significatur, scilicet [p] in habente formam, sicut per hoc nomen 'Deus'; ergo erit dicere 'Deus generat Deum' et non 'essentia generat essentiam'.

e. Quinta ratio. Cum essentia dicat quid indistinctum, 'generare, generari' distinguant, consequitur necessario quod indistinctum sit distinctum, si dicamus essentiam generare vel generari: quod est impossibile et inintelligibile [q].

---

[a] S *dicitur.* [b] G *vero.* [c] L *in Deo.* [d] G *quam.* [e] PVS *et* pro *i. e.* [f] PV *illius.* [g] S *an.* [h] BRGL *personae.* [i] B om. [k] BRGL *generaret.* [l] L *si.* [m] L om. [n] RL om. [o] S exp. [p] BRG om. [q] PBG *intelligibile,* quod S corr.

1 Cf. p. 420a.

2 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 5, c. 1 (p. 42sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 5, a. 1, q. 1 (I, 111sqq.).

3 *De Trinit.*, I, c. 1, n. 1 (PL 42, 820).

4 *De process. Spirit. S.*, c. 3 (PL 158, 289).

5 Cf. *De Trinit.*, V, c. 5, n. 6 (PL 42, 914).

f. Sexta ratio. 'Generare' dicit proprietatem incommunicabilem, quia unius solius, videlicet generantis, et 'generari' [a] similiter incommunicabilem proprietatem geniti; essentia vero dicit communicabile et commune generanti et genito, Patri et Filio et etiam [b] Spiritui Sancto. Si ergo diceretur [c] quod essentia generaret et generaretur, consequeretur quod commune [d] esset incommunicabile: quod est impossibile.

Ad oppositum: 1. Augustinus, in XI *De civitate Dei* [1]: « Ideo Deus simplex dicitur, quia idem est habens et quod habet [e], excepto quod una persona dicitur relative ad aliam ». Ergo habens divinitatem et divinitas sunt idem; sed habens divinitatem est Deus, divinitas est [f] essentia; ergo idem est Deus et essentia; si ergo Deus generat Deum, ergo essentia generat essentiam. — Nec ex hoc sequitur quod essentia generet se, sicut nec sequitur quod Deus generet se. Nam Ioachim [2], cuius fuit haec opinio, ita argumentatur contra Magistrum Sententiarum: « Petre, tu dicis quod si essentia generat essentiam, cum non sit nisi una essentia, ergo idem generat se ». Ergo a simili, cum non sit nisi unus Deus, sequitur: 'Deus generat Deum, ergo idem generat se'; sed hoc est falsum, quia non sequitur; ergo nec illud.

2. Secunda ratio. In Deo non differt 'quod est' et 'quo est' [3]; 'quod est' significatur per hoc nomen 'Deus', 'quo est' vero per hoc nomen 'deitas'; ergo non differt 'Deus' et 'deitas' [g] in rei veritate; ergo quidquid est dicere in veritate de Deo, et de deitate; si ergo generare et generari dicuntur de Deo, ergo et de [h] deitate, et ita deitas generat deitatem [i] sive essentiam: quod idem est.

3. Si dicatur quod 'hoc quod est Deus' et 'deitas' faciunt differentiam quoad intellectum tantum [k] et ratione huius differentiae [l] erit dicere generare et generari de Deo et non de essentia – contra: vanus [m] est intellectus cui non respondet aliquid in re vel veritas; si ergo 'Deus' et 'deitas' non facit differentiam in re, ergo nec in [n] intellectu; ergo intellectus non facit quin possit dici quod si hoc generat, et illud.

4. Quarta ratio. Pater generat Filium; non ex nihilo; ergo generat ipsum de aliquo. Constat quod haec praepositio 'de' non dicit ibi habitudinem causae materialis, quia cum in Deo concurrat ratio triplicis causae, non tamen ratio causae materialis concurrit in eo, et hoc est quia nihil in eo possibile [o] est nec defectivum; 'de' ergo non dicit ibi causam materialem [4]. Similiter non dicit ibi ordinem, sicut facit cum dicitur 'de mane fit meridies', id est post mane succedit meridies [p]: hunc ordinem non potest dicere, quia sic in Deo esset ordo successionis, nec esset ibi convenientia in re vel identitas quando diceretur 'Pater generat Filium de aliquo'; ergo 'de' dicit ibi habitudinem causae originalis; sed hoc, quod est 'de aliquo', supponit [q] essentiam sive substantiam, quia Pater generat Filium de sua substantia sive essentia: ergo essentia se habet in ratione causae originalis in Patre respectu Filii; sed ordo originalis in Patre respectu Filii est secundum habitudinem generantis et geniti; ergo essentia in Patre se habet in ratione generantis, essentia in Filio in ratione geniti.

5. Quinta ratio [5]. Pater Filii est essentia: demonstrato enim eo qui est Pater, possum dicere 'iste est essentia'; ergo essentia est Pater Filii [r]; et si sic, ergo essentia generat Filium.

6. Sexta ratio. Pater est essentia et essentia est Pater; sed non potest dici Pater nullius, quia Pater dicitur 'ad aliquid'; ergo est Pater alicuius; nonnisi Filii; essentia ergo generat Filium.

7. Septima ratio. Pater est essentia et Pater est Pater, Filius est essentia et Filius est Filius; essentiam autem habet Filius a Patre [s] ratione essentiae Patris, filiationem autem ratione paternitatis: Pater enim, in quantum est, est [t] principium ad Filium in quantum est; Pater [u], in quantum Pater, est principium Filii in quantum Filius; non solum in quantum Pater est principium Filii [v] in quantum Filius [x], sed Pater in quantum est essentia; ergo in Patre habet rationem [y] principii respectu Filii, sed nonnisi rationem principii generantis, quia secundum hanc [z] habitudinem se habet unus ad alium, secundum vero rationem spirantis ad Spiritum Sanctum; essentia ergo in Patre generat Filium.

8. Octava ratio. Hilarius, in libro *De Trinitate* [6]: « Nihil habet Filius nisi natum », id est nisi quod nascendo accepit. Si ergo Filius habet essentiam, ergo nascendo accepit essentiam; sed quidquid accepit nascendo, accepit per generationem; ergo essentiam accepit per generationem;

---

[a] PVS *generati.* [b] PVS om. [c] S *diceret.* [d] R *communicabile.* [e] V *habetur,* BG om. *est.* [f] S *et;* PV om. *Deus,* in S est add. mg. [g] G om. *ergo... deitas.* [h] P exp., S om. [i] G *divinitatem.* [k] BRGL *nostrum.* [l] PVS om. [m] G *unus.* [n] P om. [o] PV *passibile.* [p] PV om. *id... meridies,* in SL est add. mg. [q] GL add. *ibi.* [r] V glossa interl.: *per conversionem simplicem.* [s] R add. *a.* [t] G om. [u] BG add. *enim,* S om. *est principium... est.* [v] SBRGL *ad Filium.* [x] S om. *non solum... Filius.* [y] G *generationem.* [z] PVS om., S om. *se.*

[1] Cap. 10, n. 1 (PL 41, 325).

[2] Abbas Florensis († 1202), damnatus in Conc. Lat. IV (1215). Cf. Denz.-Bannwart, *Enchir.,* n. 431; Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 3, q. 5 (f. 6b); S. Bonav., I *Sent.,* d. 5, dub. 4 (I, 121).

[3] Cf. Boeth., *De Trinit.,* c. 2 (PL 64, 1250).

[4] Cf. supra, p. 418, *ad 7.*

[5] Pro hoc et seq. argum. cf. Praeposit., *Summa,* I (f. 73b.).

[6] Lib. IV, n. 10 (PL 10, 103); cf. Praeposit., loc. cit. (f. 82d).

sed omne tale est genitum, quia omne quod est terminus generationis est genitum, cum generatio sit ab hoc toto in hoc totum; ergo essentia in Filio est genita; sed nonnisi ab essentia in Patre; ergo essentia habet rationem generantis et geniti.

9. Nona ratio. Philosophus[1]: « Generato Sorte, generantur omnia quae sunt in Sorte, et corrupto Sorte, corrumpuntur omnia quae sunt in Sorte; generato enim Sorte, generatur homo qui est in Sorte, generatur etiam [a] rationale in Sorte ». Ergo similiter generato Filio, generantur omnia quae sunt in Filio [b], scilicet potentia, sapientia, bonitas, essentia; ergo essentia in Filio est generata, sed nonnisi ab essentia Patris.

10. Decima ratio. Quidquid est principium in divinis aut est principium per generationem aut per processionem; sed « Pater est principium totius divinitatis », sicut dicit Augustinus, in IV *De Trinitate*[2]; ergo aut per generationem aut per spirationem vel processionem, quod idem est; ergo ipsa divinitas est generata vel spirata; sed divinitas ipsa est essentia; ergo essentia est genita, sicut in Filio, vel spirata, sicut in Spiritu Sancto; essentia igitur est genita.

11. Undecima ratio. Bene [c] sequitur: 'homo est res currens, ergo homo currit'; sed essentia est res generans; ergo essentia generat, a simili.

12. Duodecima ratio. Magis convenit Deo actus aeternus quam actus qui est ex tempore; sed generare in divinis est actus aeternus, creare vero est actus ex tempore; ergo multo magis convenit Deo actus generandi quam actus creandi; si ergo actus creandi convenit divinae essentiae, ergo multo magis actus generandi.

13. Decima tertia ratio. Aliquando in compositis praedicationibus potest inferri divisim, sicut quando illud quod additur diminuens non est — unde bene sequitur: 'Sortes est homo albus, ergo Sortes est albus' — aliquando autem non potest ita inferri, sicut [d] quando illud quod additur diminuens est; sed cum dicitur 'essentia est [e] persona generans' [f], haec propositio vera est et bona est praedicatio et compositio [g], et haec additio [h] 'generans' non diminuit de persona; ergo bene sequitur: 'essentia est persona generans, ergo essentia est generans'.

14. Decima quarta ratio. Cum bene dicatur 'Deus de Deo, sapientia de sapientia', ergo similiter 'essentia de essentia' [i]. — Si dicatur quod hoc non [k] est verum propter abstractionem quae significatur in hoc nomine 'essentia' — sed contra: similiter hoc quod est [l] 'sapientia' dicitur per abstractionem; ergo male diceretur 'sapientia de sapientia'.

15. Decima quinta ratio. Hilarius, in IX libro *De Trinitate*[3]: « Dicamus Filium naturaliter in se gignentem habere naturam ». Ergo naturae est generare [m].

16. Decima sexta ratio. Hilarius [n] in V libro *De Trinitate*[4]: « Nativitas Dei non potest eam, ex qua perfecta est, non tenere naturam ». Ergo ipsa nativitas, id est Filius perfectus est ex natura; ergo natura gignit [o].

17. Decima septima ratio. Augustinus, in libro *De fide ad Petrum*[5]: « Christum Dei Filium, unam in Trinitate personam, Deum verum crede, ita ut divinitatem eius de natura Patris esse natam non dubites ». Ergo divinitas sive divina essentia genita est.

18. Decima octava ratio. Augustinus, in eodem[6]: « Deus Pater, qui verissime se indicare animis cognituris et potuit et voluit, hoc ad se ipsum indicandum genuit quod est ipse qui genuit »; sed hoc quod est ipse, est divina essentia; ergo divina [p] essentia est genita.

19. Decima nona ratio. In VII libro *De Trinitate*[7], Augustinus: « Pater et Filius sunt una sapientia, quia una essentia, et sigillatim sapientia de sapientia sicut essentia de essentia »; sed cum dicitur essentia esse de essentja, hoc non dicitur [q] materialiter nec dicitur causaliter sicut creatura de Deo; ergo dicitur originaliter; ergo essentia est origo essentiae, quia [r] aut per generationem aut per processionem; essentia ergo est generans et genita, vel spirans et spirata.

20. Vicesima ratio [s]. Si dicatur quod essentia non est gignens nec genita, et [t] ita est etiam dicere quod non est procedens — secundum hoc [u] obicitur: divina essentia non est gignens nec genita nec procedens; ergo est res quae nec est gignens nec genita nec procedens [v]; ergo cum res gignens et res genita et res procedens sint tres res, et est res aliqua in Trinitate quae nec est gignens nec genita nec procedens, ergo sunt quatuor res in Trinitate.

21. Item, vicesima prima ratio. Constat [x]: res gignens non est res quae est non-gignens, quia Pater non est Filius, nec res procedens est res

---

[a] SR *enim.* [b] BRGL *quæ sunt Filii* pro *o. q. s. i. F.* [c] BRGL add. *enim.* [d] PVS *scilicet.* [e] V abrasit. [f] S add. *dicitur.* [g] R add mg. *vel secundo et hec additio prima non diminuit de generante.* [h] S add. *hic.* [i] P om. *d. e.* [k] L om. [l] PVS om. *q. e.* [m] G om. *quinta... generare.* [n] Ita R (interl.) G (mg.), alii om. [o] PVS *genuit.* [p] PV om. [q] R add. *esse.* [r] BRGL *ergo.* [s] L add. *est.* [t] GL om. [u] B add. *ergo.* [v] BG om. *ergo est... procedens.* [x] P *stat*, BRGL om. *v. p. r.*, V add. *quod.*

1 Cf. *Topic.*, II, c. 7 (I, 193); *De longit. et brevit. vitae*, c. 2 (III, 527); S. Bonav., *Opp. omnia*, I, 116, nota 8.
2 Cap. 20, n. 29 (PL 42, 908).
3 Num. 51 (PL 10, 322).
4 Hilarius, n. 37 (PL 10, 155).
5 Cap. 2, n. 15 (PL 40, 758).
6 Rectius *De fide et Symbolo*, c. 3, n. 4 (PL 40, 184).
7 Cap. 2 (PL 42, 936).

genita, et ita de aliis; ergo, cum sit [a] res quae non est gignens nec genita nec procedens, non erit res trium personarum; ergo erit quaternarius in Trinitate. Relinquitur igitur quod essentia est gignens etc.

22. Vicesima secunda [b] ratio. Gignere et gigni sunt opposita relative, similiter gignere et non-gignere opponuntur secundum contradictionem; ergo res, quibus attribuuntur, sunt oppositae; si ergo res gignens non est res genita propter oppositionem secundum relationem, multo magis res non-gignens non erit res gignens [c] propter oppositionem secundum contradictionem; ergo res quae non est gignens nec genita nec procedens non erit res trium personarum; ergo erit res quarta: quod est inconveniens. Relinquitur ergo quod essentia est gignens et genita et procedens.

23. Vicesima tertia ratio. Divina essentia est summum bonum et summum bonum est diffusivum sui esse et summe, sicut supra [1] ostensum est [d]; sed diffusio substantiae [e] est generare, ut dictum est [f 2], quia generatio sola est productio de substantia generantis vel producentis; ergo divinae essentiae est generare.

24. Vicesima quarta ratio. Plenitudo [g] bonitatis est causa quare Deus generat; ergo cum plenitudo bonitatis intelligatur in divina essentia, eius [h] erit generare.

25. Vicesima quinta ratio [3]. Primum principium agendi agit — quod patet in natura creata: ponderositas movet grave deorsum et albedo disgregat visum [4]; et in increata natura, quia illa verissime operatur et creat et gubernat omnia — similiter primum principium generandi generat. Cum ergo divina essentia sit primum principium generandi, sicut patet in Psalmo [5]: *Ex utero ante luciferum genui te* [i], Glossa [6]: « Ex secreta mea substantia », relinquitur ergo quod divina essentia generat.

Solutio: Ad evidentiam praesentis quaestionis praeintelligendum est quod cum in divino esse intelligatur natura et ordo naturae, et secundum hoc quod intelligitur in Deo [k] natura et ordo naturae, variantur locutiones et modus dicendi. Ex hoc enim quod natura intelligitur in habente illam et cum ordine [7], intelligitur [l] quod in uno est natura non ab alio, scilicet in Patre, in alio est ab alio per generationem, scilicet in Filio, in tertio, scilicet in Spiritu Sancto, est per spirationem [m] ab utroque. Et hoc generat triplicem modum dicendi in divinis et quaerendi, scilicet quid, quis, quomodo, quia in divino esse est habens divinam naturam et est ibi ipsa natura quae habetur et est ibi modus habendi, scilicet notio sive habitudo seu proprietas, quia sub ea habet habens naturam. 'Quid' ergo quaerit ipsam naturam communem; unde 'quid est Pater'? Deus vel deitas. 'Quis' vero quaerit habentem naturam sub discreta et incommunicabili proprietate, et iste habens dicitur persona; unde 'quis est' quaerit personam vel hypostasim; unde dicendo 'quis est iste'? dicetur: Pater vel Filius vel Spiritus Sanctus. Quia vero est ibi modus habendi naturam, scilicet cum [n] aliqua habitudine vel cum ordine, ideo de illo modo quaeritur per 'quomodo'; unde cum quaeritur ibi 'quomodo se habet Pater ad Filium'? respondetur: ut generans, quia generans et genitum dicunt habitudinem [o] ordinis naturae. Per 'quid' ergo quaeritur ipsa divina essentia, per 'quis' ipsa persona, per 'quomodo' ipsae habitudines notionales, quae distinguunt personas.

Breviter ergo dicendum pro regula quod de omnibus nominibus significantibus divinam essentiam ut 'quis est', hoc est [p] substantiam incommunicabilem sub discreta proprietate et incommunicabili, possunt dici verba significantia habitudines notionales, sicut generare et generari, spirare et spirari; et hoc est quia nomina illa proprie supponunt personam, hae autem habitudines personales sunt et proprie ad personam referuntur. Si autem sunt nomina significantia divinam essentiam ut 'quid est', hoc est [q] substantiam communicabilem, distinguendum est, quia divina essentia ut 'quid est' multipliciter significatur. Significatur enim aliquando ut 'quo est', aliquando ut 'quod est', id est prout significatur ut [r] in habente illam: et sic significatur per hoc nomen 'Deus'. Et iste duplex modus significandi venit ex duplici comprehensione intellectus nostri: quia intellectus noster comprehendit divinam essentiam ut in se, et sic significat eam ut 'quo est'; item, comprehendit divinam essentiam ut in habente illam, et ex hoc movetur ad significandum eam sic, et tunc significatur ut 'quod est'; in Deo autem idem est 'quod est' et 'quo est', tamen modus designandi [s] distinguit. Unde hoc vocabulum 'Deus' significat divinam essentiam sive deitatem de sua significatione; tamen ex modo

[a] Ita BR, alii om. *c. s.*, G om. *cum*. [b] BRGL *Item 21* pro *v. s.* [c] PV om. *n. c. r. g.*, in S est add. mg. [d] L om. [e] S *subtrahentle*. [f] S om. [g] G *pulcritudo*, item infra. [h] PV *ergo*, quod S corr. [i] P om. [k] BG om. [l] G om. *in... intelligitur*. [m] G *inspirationem*. [n] BRGL *sub*. [o] BRGL *habitudines*. [p] PV om. *h. e.*, in S est add. mg. [q] PV om. *h. e.*, in S est add. mg. [r] PVS om. [s] V *significandi*.

1 Cf. num. 295.
2 Cf. loc. cit.
3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 5 (f. 12d).
4 Cf. Aristot., *Metaph.*, IX, c. 7 (II, 582).
5 Psalm. 109, 3.
6 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 1031); Lombardi, in h. l. (PL 191, 1000), ex Augustino, *Enarr.*, in h. l. (PL 37, 1458).
7 Cf. supra, p. 421a.

significandi [a] significat eam ut [b] in habente; habens autem divinam essentiam est persona divina, et inde est quod tale nomen naturaliter supponit personam. Et ideo generalis regula est quod de nominibus divinis significantibus divinam essentiam ut 'quod est' possunt dici verba notionalia, sicut generare, generari et huiusmodi [c], quae dicunt habitudines notionales personae ad personam; ideo potest dici: 'Deus generat Deum, Deus spirat Deum'.

Essentia autem prout in se significatur, hoc est non prout est in habente, dupliciter significatur, quia significatur absolute, significatur etiam cum connotatione [d] ordinis naturae, qui est ordo originis. Absolute significatur divina essentia per hoc nomen 'deitas', per hoc nomen 'essentia'. Generalis ergo regula est, quod de illis nominibus divinis, quae significant divinam essentiam absolute, non possunt dici verba notionalia sive personalia, quae dicunt habitudines personales, quia essentia sic designata absolute significatur absque designatione ordinis naturae; et ideo nunquam convenit ei modus comparatus, qui est modus ordinis, quia modo opposito significatur, scilicet absolute; ideo nullo modo dicitur essentia generare nec [e] generari, nec deitas, quia verba ista dicunt habitudines ordinis naturae in personis; et ideo non sunt haec vocabula extendenda nisi ubi significatur essentia cum ordine naturae, qui est ordo personalis.

Nomina autem designantia vel significantia divinam essentiam cum designatione ordinis naturae sunt multa, et generaliter de omnibus illis [f] possunt dici verba notionalia, scilicet generare, generari, spirare, spirari; huiusmodi autem nomina sunt natura, virtus, sapientia, lux sive lumen, potentia, bonitas, caritas. Unde potest dici natura de natura, lumen de lumine, virtus de virtute et huiusmodi; et hoc est quia huiusmodi nomina significant divinam essentiam ut 'quo est' cum connotatione ordinis naturae: et ideo de ipsis dici possunt generare, generari, procedere et huiusmodi, quae sunt verba dicentia habitudines illius ordinis: nomina enim illa significant divinam essentiam cum connotatione ordinis naturae, qui est ordo principii ad illud quod est de principio. — Quod patet: virtus enim dicit divinam essentiam, sed connotando respectum ad aliquem actum cuius est principium; et sic virtus dicit divinam essentiam cum connotatione ordinis ad id quod ex ipsa producitur. Similiter natura idem dicit quod essentia, tamen connotat [g] in ratione dicendi virtutem producentem [h] simile ex se: natura enim est vis rebus insita ex similibus similia procreans. Similiter lux significat divinam essentiam ut in quadam diffusione, similiter bonitas et caritas; in hac autem diffusione intelligitur habitudo principii ad illud cuius est principium vel ad illud quod est de principio: unde illa diffusio importat ordinem. Similiter sapientia significat divinam essentiam ut habitum, et ita dicit divinam essentiam cum ordine ad aliquid sicut principium, scilicet ad aliquem actum. Similiter potentia dicit divinam essentiam connotando ordinem ad actum cuius est principium. Et ideo de omnibus istis nominibus dicuntur proprietates notionales.

Fuit autem deceptus Ioachim credens omnia vocabula circa istam materiam esse eiusdem ponderis; sed quia verbum notionale semper est alicuius ordinis, ideo nunquam dicitur de essentia, quae significat quid absolutum ab omni ordine in ratione dicendi, sed de aliis [1]. Tamen propter vitandum intellectum erroneum, non sunt extendendae huiusmodi locutiones quae dicuntur quasi per abstractionem, sed [i], ubi inveniuntur a Sanctis, exponendae. De essentia autem nullo modo recipiendae sunt determinationes notionales sive ordinis naturae: huiusmodi enim ordo semper introducit distinctionem. Nunquam autem ut essentia dicitur absolute, intelligitur in ea distinctio, quia sic sequeretur quod esset differens; ubi autem est designatio ordinis naturae, bene est recipere huiusmodi locutiones. Unde Sancti semper respexerunt in huiusmodi locutionibus si esset designatio ordinis; et si aliquando propter convenientiam vocabulorum inveniatur 'essentia de essentia', hoc semper sic est exponendum quod scilicet Filius est a Patre eadem essentia. Et haec est ratio dicendi in talibus, non quod ratio generandi attribuatur ipsi essentiae.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam ergo rationem in contrarium dicendum quod, licet sit idem in Deo essentia et persona, tamen alius modus significandi est in essentia et [k] persona, quia ex parte naturae intelligitur ordo qui est principii ad illud quod est de principio; et quia istae proprietates notionales sunt ipsius personae et faciunt alium et alium, ideo de persona vel de nominibus personalibus possunt dici, non de essentia. Nec tamen isti modi aliquid addunt essentiae vel mutant vel minuunt. Unde sicut dextrum nihil addit ad Sortem nec mutat [l], sed differentiam, quam ponit, ponit ad suum correlativum [2]: sic isti modi nihil addunt ad essentiam nec mutant. Unde persona non differt ab essentia, sed ab alia persona,

---

[a] BG om. [b] Ita B (interl.), alii om. [c] B om. *e. h.* [d] PVS *notione.* [e] BRGL om. [f] L om. [g] R *connotando.* [h] L *producendi.* [i] S *scilicet.* [k] L add. *alius,* G om. *est.* [l] PVS *minuit.*

1 Cf. supra, p. 425a.

2 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1254).

sicut dextrum a sinistro. Quamvis ergo idem sint, nihilominus in persona intelligitur modus, qui est ipsius veritatis ordinis naturae, faciens differentiam in personis; non autem sic est in essentia, et ideo non possunt dici de essentia verba significantia notionales proprietates, quae faciunt differentiam sive distinctionem alicuius ad alium: quod non potest esse in essentia sicut in habente essentiam [a] sive in persona propter ordinem naturae.

2. Ad secundam rationem dicendum quod licet idem sit in Deo 'quod est' et 'quo est', tamen dicendo 'quod est' admittitur aliquis modus qui non est essentiae prout absolute dicitur; ratione cuius de nomine significante 'quod est' dicuntur notionales proprietates, quae non dicuntur de essentia, quae nulla distinguitur proprietate.

3. Ad tertiam rationem dicendum quod ita est in re sicut in intellectu; licet enim 'Deus' et 'deitas' idem sint, tamen ultra hoc per hoc nomen 'Deus' connotatur respectus alius, scilicet ad habentem essentiam [1]; iste autem respectus est secundum ordinem principii ad illud quod est de [b] principio, quia habens deitatem vel habet non ab alio vel ab alio etc. Unde licet eadem res significetur per utrumque, tamen aliter de eadem re significatur per hoc nomen 'Deus' et 'deitas', quia unum significat divinam essentiam ut in habente illam, habens autem est divina persona; ideo de illo nomine dicuntur personales proprietates.

4. Ad quartam rationem dicendum quod haec praepositio 'de' aliquando notat ordinem vel successionem [2] in tempore: ut cum dicitur [c] 'de mane fit meridies'; aliquando vero notat causam, sed hoc multipliciter: aliquando enim notat causam materialem, aliquando causam originalem, aliquando convenientiam cum ratione principii materialis [d] sive originis, ut cultellus est de ferro. Cum ergo dicitur 'Pater generat Filium de aliquo', non notat ibi habitudinem causae materialis nec ordinem successionis, sed notat ordinem originis, qui est principii ad illud quod est de principio. — Et ad illud [e] quod obicitur, quod ly 'aliquo' supponit ibi essentiam Patris: dicendum quod sicut cum dicitur 'cultellus est de ferro', haec praepositio 'de' notat convenientiam et cum hoc notat rationem principii originalis de quo est cultellus: sic cum dicitur [f] 'Filius est de substantia Patris', notat ibi illa duo, quia cum dicitur 'de substantia Patris', ibi dicitur substantia quae est Pater; ex hoc quod dicitur 'de [g] substantia', notatur convenientia per hanc praepositionem 'de'; ex hoc quod dicitur 'Pater vel Patris', notatur ratio principii vel originis per ipsam. Unde sensus est: Filius est a Patre sicut de principio, conveniens cum eodem sive eadem essentia cum illo; et ex hoc non sequitur quod substantia sit origo respectu Filii, sicut [h] cum dicitur 'Filius est de substantia Patris', non denotatur originale principium ex parte essentiae Patris respectu Filii, sed magis notatur hic quod sit convenientia Patris ad Filium in substantia [3].

5. Ad quintam rationem dicendum [4] quod haec est duplex: 'essentia est Pater Filii'. Nam hoc quod [i] dico 'Pater' potest sumi adiective vel substantive. Si sumatur substantive: tunc supponit hypostasim vel personam quae habet Filium; et hoc modo est vera et est sensus: essentia est Pater Filii, id est essentia est persona habens Filium, id est illa persona quae habet Filium. Similiter etiam si dicatur e converso 'Pater Filii est essentia', id est illa persona quae habet Filium est essentia; sed tamen non sequitur: 'essentia est persona quae habet Filium, ergo essentia habet Filium', immo ibi est commutatio praedicamenti 'quid' [k] in 'quomodo' sive in 'ad' [l] aliquid'. Si vero hoc quod est 'Pater' sumatur adiective: tunc haec est falsa 'essentia est Pater Filii' et e converso, quia sensus est: essentia se habet ad Filium ut Pater eius sive ut generans; tunc enim hoc quod dico 'Pater' dicit solum 'ad aliquid', non hypostasim vel personam, et ideo secundum illum sensum est haec [m] falsa, quia 'esse ad aliquid' non convenit essentiae, sed solum personae.

6. Per hoc patet solutio ad aliam rationem.

7. Ad septimam dicendum quod Pater est Pater, Pater est essentia. Dico ergo quod Pater, in quantum est [n] utrumque, est principium ad Filium, scilicet in quantum essentia et in quantum Pater, intelligendo coniunctim, non divisim. Cum enim dicitur 'Filius habet essentiam a Patre', duo significantur vel dicuntur: dicitur enim essentia in Filio, item dicitur habitudo Filii ad Patrem tamquam ad suum principium. Ex parte eius quod dicitur 'essentia' est ratio convenientiae Filii ad Patrem, quia si non conveniret cum Patre in substantia, iam non esset Filius, et hoc quia ratio generationis hoc ponit: aliter enim non esset [o] generatio nisi esset de substantia. Et propter hoc dicendo 'Filium' dico convenientiam Filii ad Patrem, dico etiam habitudinem eius quod est de principio ad suum principium; et Pater, in quantum est Pater et in quantum est essentia, est

---

[a] G *scientiam*. [b] B *ex*. [c] R om. [d] BRGL *naturalis*. [e] BRGL om. *a. i.* [f] BRGL *dico*. [g] BRL om., G exp. [h] BRG *et sic*, L *sic*. [i] P om. [k] BRGL *quis*. [l] VSB om. [m] L om. [n] BG om. [o] S *posset*.

1 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 4 (f. 5b).
2 Cf. Alan., *Dist. dict. theol.* (PL 210, 760).
3 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 5, cc. 1 et 2 (p. 42 sqq.).
4 Cf. Praeposit., *Summa*, I, (f. 72d).

principium ad Filium: alioquin non esset Filius nisi de substantia produceretur; sed non per hoc ponitur essentia generare, cum [a] essentia non se habet in ratione principii respectu geniti, immo per hoc determinatur quod Filius est a Patre per generationem.

8. Ad octavam rationem dicendum quod haec est duplex 'nihil habet Filius nisi quod nascendo accepit', quia hoc gerundivum 'nascendo' potest ibi dicere causam vel concomitantiam. Si dicat causam: sic est falsa, quia [b] dicendo causam, haec est falsa 'essentiam nascendo accepit', quia per hoc significatur quod nasci sit causa ad essentiam. Si vero dicat concomitantiam: haec est vera 'essentiam nascendo accepit', et tunc non sequitur quod essentia sit nata, sed quasi concomitans nativitatem Filii, ut sit sensus quod in nascendo cum sua nativitate a Patre essentiam habuit. Unde sicut in creaturis videmus quod illa quae concomitantur nativitatem non dicuntur nasci — unde quantitas non dicitur nata, nec qualitas nec huiusmodi dicuntur nasci — sic divina essentia non dicetur nata [c], licet nativitatem Filii concomitetur.

9. Ad nonam rationem potest dici quod in creatura, sicut in Sorte, non repugnat essentia ipsi generationi, quia generatio in creatura est exitus de non-esse ad esse; essentia autem, quae est in Sorte, prius est in potentia et non-ens, possibile tamen ad esse et ideo generabile. Sed generatio in divinis dicit habitudinem alicuius ad alium, sicut principii ad illud quod est de principio; divina autem essentia, prout sic [d] dicitur, in ultima absolutione dicitur, et ideo non convenit dicere 'generare, generari' de ipsa divina essentia; et ita, cum ratio generationis in divinis repugnet ipsi essentiae, non autem in creaturis, ideo non est simile.

10. Ad decimam rationem dicendum quod Pater dicitur principium totius divinitatis, hoc est [e] quia est principium ad divinas personas, quae sunt ipsa deitas vel essentia: ad alia enim est ipse Pater principium, quae non sunt de substantia ipsius, et sic est principium ad creaturas. Est autem principium ad divinas personas, quia [f] sunt de substantia ipsius, immo etiam sunt tota essentia ipsius: quaelibet enim persona est ipsa divina essentia; et sic dicitur Pater principium totius divinitatis, non quia sit principium [g] essentiae, sed ad divinas personas, ad hoc ut sint in perfecta divinitate.

11. Ad undecimam rationem dicendum quod hic est commutatio praedicamenti 'essentia est res, id est persona generans, ergo essentia generat', quia commutatur 'quid' in 'quomodo se habet' vel in 'ad aliquid'.

12. Ad duodecimam rationem dicendum quod 'generare, generari' in divinis dicunt habitudines ordinis naturae, qui est principium ad illud quod est de principio; et ideo semper ponunt distinctionem rei ad rem, hoc est principii ad illud quod [h] de principio. Quia ergo ex parte essentiae nullo modo potest esse distinctio, ideo non possunt convenire essentiae, sed personis aeternis; sed actus qui est ex tempore, scilicet creare, non ponit distinctionem in creante nisi dicatur [i] distinctio ab ipsa re creata, quia creare est producere aliquid non [k] de sua substantia; sed in divinis personis generans et genitum non differunt in substantia: ideo de essentia non potest dici 'generare', sed 'creare', quia non ponit quod essentia divina sit differens vel distincta in diversis, sicut poneret 'generare, generari' circa ipsam.

13. Ad decimam tertiam rationem dicendum quod 'persona' dicit habentem essentiam, et hoc designat ordinem originis, qui est principii, ad illud quod est de principio vel e converso. Ordo autem ille non convenit essentiae, cum ipsa sit in ultima absolutione. Et propter hoc notionales habitudines, quae dicunt illum ordinem, licet praedicentur de personis, non tamen poterunt de essentia praedicari; tale autem est generans, genitum, spirans, spiratum. Ideo non sequitur in tali praedicatione composita quod fiat praedicatio divisa pro utroque, quia [l] solum convenit ratione alterius: 'generare' enim nihil aliud dicit quam naturam suam [m] alii dare, 'generari' vero accipere naturam ab alio; hoc nunquam dicitur de essentia, immo solum de persona.

14. Ad decimam quartam rationem dicendum quod essentia dicitur ad se, generare et generari dicuntur ad aliquid, sive genitum et ingenitum; sicut ergo non est aliquo modo vere dicere quod illud [n] quod dicitur ad se dicatur ad aliquid vel quod absolutum sit relativum, ita non erit vere dicere quod essentia sit generans vel genita; quare autem de sapientia et virtute possunt dici, causa dicta est [1].

15-19. Ad omnes auctoritates quae videntur dicere quod 'generare' convenit essentiae, generalis est responsio, quod [o] omnes illae sunt impropriae locutiones et emphaticae, id est [p] expressivae; unde exponendae sunt [2]. In illis enim

---

[a] Codd. *tamen*. [b] S add. *sic*. [c] PV om. *sic... nata*, in S est add. mg. [d] G *sicut*. [e] BRGL om. [f] G *que*. [g] R add. *ipsius*. [h] V add. poster. *est*. [i] G add. *esse*. [k] P om., in S est add. interl. [l] PVS add. *non*. [m] BRG *ipsam*. [n] G om. *sive genitum... illud*. [o] BRG *ad*. [p] BG *et* pro *i. e.*

1 Cf. p. 425ab.

2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 5, a. 1, q. 1 (I, 112): «Haec autem 'essentia generat' omnino impropria, et ideo neganda est, et si legatur alicubi, est exponenda. Sancti enim quandoque ad confundendas haereses expressius loquuntur quam proprietas sermonis sustineat».

auctoritatibus non significatur quod generare sit essentiae vel generari, quamvis dicatur generans vel genita vel huiusmodi; sed per hoc exprimitur quod ille, cuius est generare, sit essentia divina, sicut est Pater, et similiter ille cuius est generari. Exponendae ergo sunt hoc modo: 'natura generans', id est ille qui est generans, est [a] natura; ita 'deitas nata', id est ille qui est natus [b], est deitas. Secundum ergo figuram loquendi, quae dicitur emphasis, id est expressio [1], sunt [c] huiusmodi locutiones, sicut et nos propter maiorem expressionem affectus vel dignitatis dicimus 'rogo excellentiam vestram' vel [d] 'paternitatem vestram', et non est plus dicere nisi 'vos, qui pater estis' vel 'excellens'. Sic igitur patet responsio ad quinque auctoritates inductas.

20. Ad vicesimam [e] rationem dicendum quod haec est concedenda 'divina essentia non est gignens nec genita nec procedens, ergo est res [f] nec gignens' etc. — Sed si obiciatur ulterius: 'aliqua res' – non sequitur: nam hoc, quod dico 'aliqua' trahit hoc quod dico 'res' ad personam proprie, et ita non est quaternarius rerum [g]. Nam cum dico essentiam 'rem' et personam 'rem', non geminatur res rei, sicut cum dico 'homo et hic homo, ergo duo homines', non sequitur; ideo dicendo essentiam 'rem' et tres personas tres 'res', non sequitur: 'ergo quatuor res', quia 'commune' [h], quando cum singulari dicitur, non connumeratur cum illo, sic nec divina essentia cum persona, cum dicitur de [i] essentia 'res neque gignens' etc.

21. Ad aliud dicendum quod non sequitur quod, quamvis essentia sit res non-gignens etc., quod non sit res trium personarum sive res quae sunt personae; et est [k] hic mutatio praedicamenti a negatione ipsius relationis personalis ad negationem ipsius personae: unde 'quae' vel 'quomodo' commutatur in 'quis'. Non enim sequitur, quamvis relatio personalis removeatur ab essentia, quod propterea persona, immo ipsa essentia est persona et persona [l] essentia; tamen relationes personales non conveniunt essentiae.

22. Ad aliud dicendum quod non sequitur, quamvis gignens et genitum referantur ad res oppositas, quod [m] gignens et non-gignens, quae dicunt oppositionem [n] secundum contradictionem, referantur ad res oppositas, sed quod referuntur [o] ad oppositos modos. Unde ibi est deceptio ex hoc quod abnegatio modi putatur esse abnegatio rei. Et est simile si quis argueret: 'homo non est genus, et animal est genus, ergo homo non est animal': cum enim dicitur 'animal est genus', refertur ad modum dicendi sive intentionem, quae quidem intentio non convenit homini, quamvis [p] res, cuius est haec [q] intentio, conveniat; similiter cum dico 'generare, generari', dico existendi modos ipsarum personarum Patris et Filii, sicut dicit Ioannes Damascenus [2]. Quamvis ergo iste modus negetur de essentia, non sequitur quod propter hoc negetur res cuius est ille modus, id est persona.

23. Ad aliud dicendum quod summum bonum sive divina essentia potest considerari dupliciter: ut in se vel ut [r] in persona quae non habet esse ab alio. Secundum quod consideratur in se: sic consideratur absolute et absque ratione diffusionis, quia si hoc modo intelligeretur ratio diffusionis in ea, consequeretur quod esset diffusio ipsius substantiae in infinitis personis, et quod non esset status in aliqua; propterea manifestum est quod essentia secundum se, sive summum bonum, consideratur absque ratione diffusionis sui. Si vero consideratur in persona, quae non habet esse ab alio, ut in Patre: secundum hoc est ratio diffusionis ex [s] summa bonitate in Patre [t] sive ex essentia in Patre per generationem, et in Filio cum Patre per processionem, sicut patebit [3]. Non ergo sequitur ex hoc quod essentiae attribuatur generare, sed magis ipsi personae habenti essentiam; licet igitur non sit diffusivum sui ut in se consideratur, nihilominus est diffusivum prout est in persona non-ente ab alio.

24. Ad aliud dicendum quod plenitudo bonitatis est causa, id est ratio, generationis [u], quare Pater generet; et hoc secundum quod ipsa bonitas intelligitur in Patre, id est [v] in persona quae quidem est et non ab alia, non secundum quod consideratur in se, sicut dictum est [4].

25. Ad aliud dicendum quod haec est falsa 'essentia est principium generandi'. Supposito tamen hoc, dicendum quod non sequitur: 'primum principium agendi [x] agit, ergo primum principium generandi generat', quia quod dico 'generare, generari' dicunt 'ad aliquid' sive respectum personae ad personam, agere vero dicit respectum causae ad effectum. Id autem quod dicit respectum causae ad effectum convenit essentiae et etiam Trinitati personarum, quia sicut una essentia, ita virtus, ita operatio; ea vero quae dicunt

---

[a] PVBG *in*, quod S corr. [b] S add. *deitate*. [c] BRGL *fiunt*. [d] P *et*. [e] PVS *XV*. [f] PVS add. *que*. [g] B om., S om. *cum*. [h] Ita G, alii *communis*. [i] S *cum*. [k] G om. [l] BRGL *persone*. [m] PV *et*. [n] L *oppositum*. [o] G om. *ad... referuntur*. [p] PVS add. *hec*. [q] V om. [r] R om. [s] L *in*. [t] G om. *secundum... Patre*. [u] S *generatio rationis* pro *r. g.* [v] R *et* pro *i. e.* [x] PV om., in S est add. mg.

1 Cf. Quintilian., *Instit. orat.*, VIII, c. 2, n. 11: «Ego tamen libentius *emphasim* retulerim ad ornatum orationis, quia non ut intelligatur efficit, sed ut plus intelligatur».

2 *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 818).

3 Cf. cap. sequens, p. 431 sqq.

4 Cf. *ad 23*.

respectum personae ad personam nullo modo conveniunt essentiae, sicut patet ex dictis. Quod etiam [a] patet ex ratione eius quod est generare: generare enim est naturam, quam habet quis, alii dare [1]; generari vero est naturam ab alio accipere. Si ergo non potest dici quod natura habeat naturam vel accipiat, nullo modo potest dici quod essentia generet vel generetur. Generat autem convenienter persona et proprie: cum enim [b] sit res habens naturam, ei convenit naturam [c], quam habet, alii dare, sicut personae Patris, vel naturam ab alio accipere, sicut personae Filii.

ARTICULUS II. 298

Cuius personae sit generare et cuius generari.

Consequenter quaeritur cuius personae sit generare et cuius generari. Quaeritur igitur utrum Filius possit generare vel Spiritus Sanctus [2].

1. Et cum omnis potentia, quae est in Patre, sit in Filio, in Patre autem est potentia generandi: ergo et in Filio et in Spiritu Sancto similiter.

2. Item, Pater generans totam suam [d] substantiam et virtutem transfundit in Filium, quia si retineret aliquid de potentia vel virtute quod non transfunderet in Filium, diminutus esset Filius respectu Patris. Cum ergo virtus gignendi sit in Patre, virtus gignendi erit in Filio, id est, si virtus qua generat est in Patre, virtus qua generat est in Filio.

3. Item, generare est similem in natura et [e] conformem de se producere [3]; ergo cum Filius de se producat Spiritum Sanctum similem in natura et conformem, quia per omnia in natura similes sunt Filius et Spiritus Sanctus — sicut enim Filius est ens ab alio, ita Spiritus Sanctus est ens [f] ab alio — unde quemadmodum dicitur conformis Patri [g], quia alius ab eo, sicut a Patre alius et ideo imago Patris, ita Spiritus Sanctus conformis est Filio, quia sicut Filius est ab alio, ita Spiritus Sanctus ab alio et ita « imago Filii », quod dicit Ioannes Damascenus [4]; ergo Filius generat Spiritum Sanctum.

4. Item [h], in perfecta generatione naturali est potentia secundum duos modos. Est enim potentia generandi activa non ab alio in masculo, et est potentia generandi receptiva et passiva ab alio, sicut in femina [5]; hoc est dicere expressius quod est potentia producendi ex se simile, quam potentiam dicimus generationem secundum [i] duos modos. Cum ergo ipse Spiritus Sanctus [k] procedat sive producatur a Patre habente potentiam producendi non ab alio, et producatur a Filio [l] sive procedat ut habente potentiam ab alio, et producatur similis in [m] natura de substantia Patris et Filii: ergo generatur a Patre et Filio.

5. Item, cum productio generationis perfectae in natura resideat penes duo — sicut patet in generatione humana et animalium perfectorum; productio vero generationis imperfectae, sicut est plantarum et animalium imperfectorum, habeat principium penes unum solum [6] — quod autem perfectionis [n] est in generatione Deo est tribuendum: ergo rectius dicetur 'generatio' productio Spiritus Sancti a Patre et Filio, cuius origo residet penes duo, quam productio Filii a Patre, cuius origo residet penes [o] unum solum; ergo Spiritus Sancti proprie potius est generari quam Filii.

Contra: *a.* Cuius non est actus, nec potentia; nam sicut dicit Philosophus [7]: « Cuius est potentia, eius est actus ». Cum ergo generare sit actus potentiae generandi, ergo ubi non erit generare, nec potentia generandi erit; cum ergo Filii non sit generare — supponamus hoc [p] — ergo eius non erit potentia generandi.

b. Item, in perpetuis non differt esse et posse [8]; ergo cuius non erit generare, eius non erit potentia generandi; sed Filii non est generare; ergo nec potentia generandi.

c. Item, esse Patrem non est esse 'quid', sed esse 'ad aliquid', sicut dicitur in *Sententiis*, 7 dist., 1 cap. [9]; ergo similiter potentia generandi non erit potentia quae sit 'quid', sed 'ad aliquid'. Si ergo per hanc refertur Pater solus ad Filium secundum quod dicitur active, relinquitur quod Filii non erit potentia generandi.

d. Item, si Filii sit generare, pari ratione et geniti a Filio erit generare, et ita erit decursus

---

[a] BRGL om. [b] BRGL om. [c] PS *natura*. [d] G om. [e] V om. [f] R om. [g] L *Patris*. [h] BG om. [i] PV add. *ergo*, quod S exp. [k] BRGL om. [l] PVS *ab alio* pro *a. F.* [m] S om. [n] S *imperfectionis*. [o] G om. *duo... penes*. [p] S om.

1 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 449).
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 7, a. un., q. 2 (I, 138 sqq.); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 3 (f. 16d sq.).
3 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 448, 450).
4 *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 855).
5 Cf. supra, p. 418, nota 2.
6 Cf. supra, p. 418a, *ad 5*.
7 *De somno et vigilia*, c. 1 (III, 500).
8 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 4 (II, 278).
9 Lombard., p. 54. Cf. supra, p. 214b, *ad 2*.

generationis aeternae in infinitum, vel erit stare in primo [1]. Relinquitur igitur quod ipsius Filii geniti non erit generare.

e. Item [2], si Filius generaret filium, ille [a] filius esset « nepos Dei Patris, et non esset summa germanitas inter filium illum et Patrem: maior enim convenientia est inter patrem et filium quam inter patrem et nepotem »; ergo non esset summa convenientia in divinis: quod est inconveniens. Relinquitur igitur quod Filii non est generare [b], eadem ratione nec Spiritus Sancti.

f. Item, principalis modus exeundi in esse [c] vel producendi est generatio inter omnes producendi modos [3]. Si ergo principalius [d] producatur aliquis ab alio, accipiens ab illo substantiam suam et virtutem producendi alium [e], quam ille qui producitur ab alio, accipiens substantiam suam et non virtutem accipiens ex se producendi alium: ergo primus modus debet dici generatio, non secundus; ergo cum modus producendi, quo producitur Filius, sit talis, et non modus quo producitur Spiritus Sanctus, relinquitur quod generari [f] erit Filii et non Spiritus Sancti; et similiter supra ostensum est [4] quod generare non sit [g] Filii nec Spiritus Sancti. Relinquitur igitur quod generare est proprium Patris.

Ex iis igitur patet cuius personae sit generare et cuius generari.

Respondendum igitur ad obiecta: 1. Ad primum dicendum quod cum dico ' potentiam generandi ', hoc quod dico ' generandi ' potest esse gerundivum verbi personalis vel verbi impersonalis [5]. Secundum quod est gerundivum verbi personalis, sensus est: potentia generandi, id est potentia ut generet; et hoc modo potentia generandi non est in Filio, sed in solo Patre. Si vero sit gerundivum verbi impersonalis, sensus est: potentia generandi, id est potentia [h] qua aliquis generat, scilicet [i] Pater, quia eadem est potentia in Patre et in [k] Filio: in Patre ad hoc ut generet, in Filio ad hoc ut generetur; non tamen ex hoc sequitur quod Filius generat, sed ex hoc sequitur quod aliquis generat.

2. Ad aliud dicendum quod refert dicere potentiam aliquam et virtutem et dicere potentiam et virtutem [l] ' ad aliquid '. Dicendum ergo quod quaecumque potentia sive virtus est in Patre, est in Filio; non tamen quomodocumque est in Patre, est in [m] Filio, quia in Patre est potentia ad hoc ut [n] generet, in Filio est potentia eadem, sed ad hoc ut generetur [6]. Si ergo arguatur: ' quaecumque virtus est in Patre est in Filio, sed in Patre est [o] ad hoc ut generet, ergo et in Filio ', commutatio est praedicamenti; commutatur enim ' quid ' in ' ad [p] aliquid '. Et est similis argumentatio [7]: ' quidquid vult iste, vult pater eius; sed iste vult ducere uxorem; ergo et pater eius vult ducere uxorem '. Nam cum dicitur [q] ' quidquid ', supponitur substantia voluntatis; cum [r] vero dicitur ' vult ducere uxorem ', dicitur voluntas ' ad aliquid '.

3. Ad aliud dicendum quod quamvis Spiritus Sanctus exeat similis in natura Filio et etiam conformis in hoc quod ens ab alio sicut Filius, tamen non procedit secundum principalem modum procedendi; ideo eius non erit generari, quia ei non convenit produci secundum principalem modum producendi. Constans enim est quia in naturis rerum principalis modus productionis est generatio. Praeterea, constans est quod si aliquis producatur ab alio, ita quod accipiat ab eo virtutem producendi ex se alium, qualis est productio Filii a Patre, quod principalius producitur quam ille qui produceretur ab eodem [s] et non reciperet virtutem qua produceret de se alium, qualis est productio Spiritus Sancti sive processio. Relinquitur igitur quod productio Filii a Patre debet dici generatio et non productio Spiritus Sancti.

4. Ad aliud dicendum quod in generatione naturali potentia duplex requiritur, activa et passiva: activa in masculo, passiva in femina. Et 'quod principium generationis resideat penes duo': dicendum quod hoc [t] est imperfectionis et ideo non est generationi divinae tribuendum. Nam constans est quod si in uno illorum, sive in masculo sive in femina, uniretur virtus duorum, ita quod totum posset masculus sine femina et femina sine masculo, perfectior esset virtus: omnis enim virtus unita perfectior est se ipsa multiplicata [8]. In generatione ergo [u] aeterna debet poni principium penes unum solum. Praeterea, nec ipsius Spiritus Sancti sunt duo principia, Pater et Filius, vel duae virtutes ex quibus producatur, sicut est in generatione humana; immo duo, Pater et Filius, per unam et eamdem virtutem sunt principium Spiritus Sancti.

---

[a] P om., V exp., R *ipse.* [b] G *generatio.* [c] BRGL om. *i. e.* [d] V *principaliter.* [e] S *illum.* [f] R *generare.* [g] G om. [h] BRGL om. [i] BRGL *id est.* [k] V om. [l] G om. *e. d. p. e. v.* [m] G om. [n] Ita SR, alii *quod.* [o] L om. [p] S om. [q] V *dico.* [r] BRGL *si.* [s] RG *eadem.* [t] BRG om. [u] PVS *enim*, G *vero.*

1 Cf. Augustin., *Contra Maximin.*, II, c. 12, n. 3 (PL 42, 768); Lombard., I *Sent.*, d. 7, c. 1 (p. 54 sq.), etiam pro sequenti argumento.

2 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 2, p. 4 (f. 3b); Rich. de S. Vict., *De Trinit.*, VI, cc. 2 sqq. (PL 196, 967 sqq.).

3 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 450).

4 Cf. p. 420a.

5 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., c. 6, q. 3 (f. 17a); cf. supra, p. 214b, *ad 1.*

6 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 7, c. 2 (p. 56).

7 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.

8 Cf. *Liber de causis*, § 16 (p. 179).

5. Ad aliud quod obicitur quod 'imperfecta generatio in natura habet principium penes unum': dicendum quod quamvis habeat principium unum intrinsecum, tamen sunt multa extrinseca, sicut patet in generatione plantarum, quia non solum sufficit virtus intrinseca, immo requiruntur principia extrinseca [a], humor et calor: humor velut principium materiale et passivum, calor velut principium formale et activum [1].

Ad alias rationes [2] quae obiciuntur ex alia parte, quibus ostenditur quod Filius non habet potentiam generandi, quae [b] uno modo falsa est, ut patet ex dictis, respondendum est [c].

a. Et [d] primo ad illud quod obicitur 'cuius est potentia, eius est actus, et cuius non est actus, eius non est potentia': dicendum quod intelligitur de veris actibus; generare autem in Deo non est proprie agere, nec generari pati vel fieri, quia pati vel [e] fieri non cadunt in Deo; praeterea, proprie loquendo, dicunt motum, qui non cadit in Deo [3]. — Vel dicendum quod cum dicitur 'eius est potentia cuius est actus', intelligendum est eiusdem, id est non alterius, essentiae vel naturae; nec tamen oportet quod si potentia sit essentiae vel naturae, quod et actus, immo actus potest esse personae habentis illam naturam. Verbi gratia, etiam in homine posse generare est naturae, tamen actus generandi non est naturae, sed personae habentis naturam; et sic haec [f] 'cuius est potentia, eius est actus' per se loquendo falsa est, cum in creatis non sit idem persona et natura [4].

Et si obicitur quod in Filio omnino [g] idem est persona quod natura, igitur si Filii est potentia, eiusdem est actus, et ita si potentia generandi, et actus: dicendum quod non oportet [h], quia eius non est potentia ut generet, sed ut qua generetur [i] impersonaliter, ut supra dictum est [5].

Ad maiorem autem intelligentiam notandum quod actus sive actio dicitur [k] dupliciter. Est enim actio quam efficit, velut illuminare est actio solis, et est actio quam agit [6], sicut lucere est actio solis [l]; prima actio in Deo est respectu creaturae, secunda actio est essentiae vel personae respectu sui vel alterius, non respectu creaturae. Et haec actio est duplex: absoluta, ut intelligere vel diligere, vel relata sive potius relatio, sicut generare vel spirare; et haec actio, dicta relatio, est concomitans diffusionem 'esse', quae est per modum duplicem. Est enim diffusio [m] per modum generationis, quemadmodum emanatio intelligentiae est a mente [7]; et diffusio per modum spirationis, quemadmodum processio amoris ab intelligentia et mente. Primum modum diffusionis concomitantur hae relationes: generans et genitus, sive generare et generari, quae dicunt relationes per modum actus; secundum modum concomitantur spirare et spirari. Dicendum ergo quod actus sive actio, dicta secundum primum modum et secundum, videlicet secundum quod actio Dei dicitur actio quam efficit vel actio quam agit, conveniunt essentiae; actiones vero, quae dicuntur relationes sive existentiae modi, concomitantes actiones aeternas, ut sic loquamur, non conveniunt essentiae, et huiusmodi est ratio [n] dicta [8], quia ipsa est ad se et non ad [o] aliquid; unde cum ista dicant solum relationem et ad aliquid, non possunt convenire [p] essentiae, sed conveniunt ipsis personis.

b. Ad illud vero quod secundo obicitur quod 'in perpetuis non differt esse et posse', dicendum quod sic debet intelligi: quod simul est potentia cum ipso esse nec consequitur esse actu ad potentiam, ita etiam nec consequitur generare potentiam generandi, immo coaeterna est.

c. Ad aliud dicendum quod non sequitur 'esse Patrem non est esse quid, ergo potentia generandi non est aliqua potentia'. Cum enim dico 'potentia generandi', duo dico: potentiam et respectum ipsius potentiae. Cum [q] dico 'potentiam', dico [r] 'quid'; sed cum [s] dico 'respectum potentiae ad generandum', non dico 'quid', sed 'ad aliquid'.

d-e-f. Alia vero obiecta concedimus.

CAPUT IV.

DE QUO SIT GENERATIO DIVINA.

Consequenter quaeritur de generatione aeterna de quo sit.

Quaeritur igitur:

1. An sit de aliquo an de nihilo;

2. et si de aliquo, utrum de substantia Patris, et, si de substantia Patris, utrum de tota.

---

[a] R add. *ut.* [b] S om. [c] BRLG om. [d] G *ex.* [e] GL *et.* [f] RG *est.* [g] V om. [h] G *debet.* [i] BRGL *generatur.* [k] R *est.* [l] G om. *et est... solis,* VS add. *preterea.* [m] V add. *que est.* [n] G om. [o] L om. [p] PVSL *communicare.* [q] BRGL *quod.* [r] BRL *dicit,* G *quid dicit potentiam* pro *p. d. q.* [s] BRGL *quod.*

[1] Cf. supra, p. 418a, *ad 5.* [2] Sub *Contra.*

[3] Cf. Nicol. Ambian., *De art. cath. fid.*, I, n. 14 (PL 210, 601). Cf. supra, p. 417b, *ad 4.*

[4] Cf. Boeth., *De persona et duab. nat.*, cc. 2 et 3 (PL 64, 1342 sqq.).

[5] Cf. p. 430a, *ad 1.*

[6] Cf. supra, p. 47a, *ad 3*, p. 97a, *ad 6* et p. 96a, *ad 4.*

[7] Cf. Augustin., *De Trinit.*, IX, c. 7, n. 12 (PL 42, 967); Anselm., *Monol.*, c. 11 (PL 158, 160).

[8] Cf. p. 425b, *ad 1.*

299 ARTICULUS I.

An generatio divina sit de aliquo an de nihilo [1].

Quantum ad primum obicitur sic [a]: 1. Omne quod non est de aliquo, est de nihilo [2]; sed ipse Filius est a Patre genitus non de aliquo; ergo de nihilo. — Quod autem non de aliquo, probatur: quia non de materia, quia hoc quod dico 'de' dicit habitudinem materiae vel originis [3]; sed neutrum potest dici: non enim potest dici quod sit a Patre de aliquo, id est de aliqua materia, nec etiam quod sit a Patre de aliquo ut [b] origine: nam tunc sequeretur quod alia esset origo Filii quam Pater; aliter enim esset nugatio cum dicitur 'a Patre' et 'de Patre', cum eadem habitudo significetur utrobique.

2. Item, cum dico aliquid esse de nihilo, aut est abnegatio generaliter, ut abnegetur materia et origo, aut est abnegatio materiae. Si primo modo, ut [c] hoc quod dico 'de nihilo' abneget generaliter materiam et originem: ergo Pater est de nihilo, quia non est de aliqua materia, nec etiam de origine, quia non habet originem. Si secundo modo, ut abnegetur tantum materia: ergo Filius est de nihilo, quia non est de aliqua materia.

Contra: *a.* Augustinus, *Contra Maximinum* [4]: « Non de aliqua materia nec de nihilo est Filius, sed de quo est genitus ».

b. Item, Hilarius, XII *De Trinitate* [5]: « Unigenitus Deus, cum [d] ex manente natus est, non est natus ex nihilo ».

Respondeo: Cum dicitur aliquid esse de nihilo, tria notantur: per praepositionem 'de' notatur ratio principii sive [e] initii; per hoc quod dico 'nihilo' notatur abnegatio materiae; per comparationem praepositionis ad casuale, ut hoc quod dico 'de nihilo' ponatur simul, notatur mutabilitas, secundum quod dicit Ioannes Damascenus [6]: « Quorum esse a versione incipit, haec versioni subiecta sunt ». Cum enim dico aliquid esse de nihilo, dico quod habet esse post non-esse, et ita principium sive initium; praeterea, si est de nihilo, non est de materia; praeterea, si habet esse de nihilo, necessario est vertibile. In rebus igitur factis de materia non est dicere 'de nihilo', quia non potest ibi abnegari materia. Item, in Patre, qui non [f] habet principium, quia est non ab alio, non potest dici 'de nihilo', quamvis abnegetur materia. Item, in Filio non potest dici 'de nihilo', quamvis non habeat materiam et habeat principium, quia non [g] habet principium mutabile, nec etiam habet initium [h], id est esse post non-esse.

Dicendum ergo ad obiecta. 1. Ad primum, quod 'non potest dici Filius a Patre de aliquo': materialiter verum est, sed originaliter non est verum. Aliquid [i] enim dicitur a Patre 'de aliquo' duobus modis: de aliquo quod est ipse vel de aliquo quod non est ipse. De aliquo sunt quod non est ipse, sicut quae sunt de materia; de aliquo vero quod est ipse, sicut sunt Filius et Spiritus Sanctus [7].

2. Ad secundum autem [k] patet solutio: quia non sequitur, quamvis sit abnegatio materiae et originis de Patre, quod sit de nihilo, propter tertium, scilicet mutabilitatem [l], quae ibi intelligitur.

300 ARTICULUS II.

Utrum Filius sit de substantia Patris genitus.

Consequenter quaeritur, supposito quod sit de aliquo, utrum Filius sit de substantia Patris genitus [8].

Ad quod sic obicitur: 1. Quia dicit Anselmus [9]: « Nec intellectus capit nec natura permittit illum, qui de alio est, esse illum de quo est ». Si igitur Filius esset de essentia Patris, sequeretur quod non esset essentia sive [m] substantia.

2. Item, cum dicitur Filius de substantia Patris aut de Patre, aut sumitur 'de' [n] materialiter aut originaliter aut ordinaliter: materialiter,

---

[a] BRGL *hoc modo.* [b] R *vel*, B om. *de.* [c] Ita PV, S exp., alii om. [d] PVS om. [e] PVSL *sicut.* [f] P om. [g] PV *et* pro *q. n.* [h] PVS *principium.* [i] P *quid.* [k] S *secundam* pro *s. a.* [l] V *imitabilitatem.* [m] GL *sine.* [n] L om.

1 Lombard., I *Sent.*, d. 5, c. 2 (p. 49 sq.).
2 Cf. Augustin., *Contra Maximin.*, II, c. 14, n. 2 (PL 42, 771).
3 Cf. supra, p. 426, *ad 4.*
4 Loc. cit., nota 2.
5 Num. 25 (PL 10, 449); cf. Lombard., loc. cit.
6 *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 795).
7 Cf. supra, p. 93a, sub litt. *c.*
8 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 5, c. 2 (p. 49 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 5, a. 1, q. 2 (I, 114 sq.).
9 *Monol.*, c. 41 (PL 158, 195), ad sensum.

ut cultellus de ferro; originaliter, ut filius [a] de patre; ordinaliter, ut de mane fit meridies, quia post mane fit meridies [1]. Si ergo non potest dici Filius de essentia Patris [b] materialiter vel originaliter, quia ex hoc sequeretur quod ipsa substantia esset origo Filii et ita generaret, nec ordinaliter, quia non est prior essentia Filio: ergo non erit Filius de substantia Patris aliquo modo.

3. Item, 'de' est praepositio; omnes autem praepositiones sunt transitivae [2], omnis autem [c] transitio ponit diversitatem. Si ergo Filius esset de substantia Patris, sequeretur quod esset diversitas substantiae vel essentiae Patris et Filii et quod etiam non esset Filius essentia; si ergo non est diversitas, ergo non est de substantia.

4. Item, omne quod recipit aliquod totum iam non recipit de illo, cum accipere de aliquo sit partem capere [d] de illo; ergo, cum ipse Filius sit ipsa tota substantia, non est de [e] substantia.

Contra: *a.* Generare est de sua substantia similem producere [3]; si ergo Filius non est de substantia, non est genitus. Relinquitur igitur quod ipse est [f] de substantia Patris, cum ipse sit genitus.

b. Item, Augustinus, *Contra Maximinum*, V libro [4]: « Aut de aliqua substantia natus est Dei Filius aut de nulla. Si de nulla, ergo de nihilo: quod vos iam non dicitis. Si vero de aliqua nec tamen de Patris substantia, non est vere [g] Filius. Si vero de Patris substantia, unius et eiusdem substantiae sunt Pater et Filius ».

c. Item, idem, in eodem [5]: « Non videtis quam [h] necessarium sit ut qui non est ex [i] nihilo nec ex aliqua re, sed ex Deo, nisi ex [k] Dei substantia esse non possit? »

Respondeo: Secundum quosdam [6] 'de' duplicem importat habitudinem, cum dicitur 'cultellus de ferro': unam habitudinem convenientiae sive indistinctionis, aliam principii ad illud quod est de illo. Cum enim dicitur 'cultellus de ferro', notatur quod ferrum sit principium materiale cultelli et etiam quod [l] ferrum habeat naturam indistinctam a natura cultelli. Quantum ad primam habitudinem dicitur Filius de Patre; quantum ad secundam dicitur Filius de essentia, quia habet esse indistinctum ipsa essentia cum Filio.

Sed contra hoc obicitur: eadem est substantia Patris et Filii et Spiritus Sancti; ergo si Filius, propter indistinctionem quam habet cum essentia Patris, dicitur de substantia Patris, ergo similiter propter indistinctionem, quam habet Filius ad essentiam Spiritus Sancti, dicetur de substantia [m] Spiritus Sancti; sed hoc est falsum; relinquitur igitur quod non erit dicere Filium de substantia Patris propter habitudinem indistinctionis sive convenientiae.

Propterea dicendum quod 'de' aliquando sumitur materialiter, ut cultellus de ferro; aliquando originaliter, ut filius de patre; aliquando ordinaliter [n], ut de nocte fit dies; aliquando [o] substantialiter, sicut [p] dicitur esse Filius de substantia Patris, non quia de parte [q], sed quia tota est in toto [7].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo quod obicitur dicendum quod auctoritas Anselmi intelligitur cum accipitur 'de' originaliter, et non cum accipitur [r] substantialiter vel etiam materialiter. Unde ipse dicit quod « nec intellectus capit nec natura permittit ipsum, qui de alio est, esse illum de quo est »; non dicit esse 'id' de quo est, sed « illum »: unde significat differentiam personae ad personam a qua habet originem.

2. Ad secundum iam patet responsio, quia hoc quod dico 'de' non semper accipitur materialiter, originaliter, ordinaliter, immo quandoque substantialiter, sicut dictum est [8].

3. Ad tertium dicendum quod cum dico [s] 'de substantia Patris', duo dico: dico [t] essentiam et dico etiam cuius sit, quia Patris. Dicendum ergo quod haec praepositio 'de' non dicit transitionem ratione essentiae, quae est eadem in Filio, sed transitionem ratione illius cuius est essentia, scilicet personae [u] Patris, qui quidem Pater non est Filius.

4. Ad quartum dicendum, secundum quod prius, quod ubi haec praepositio 'de' accipitur materialiter, dicit habitudinem partis substantiae, non totalitatem; ubi vero haec dictio 'de' accipitur substantialiter, non dicit habitudinem partis substantiae, immo totius, ita ut verum sit dicere 'esse [v] de substantia' et 'esse substantiam'.

Ad ultimum obiectum contra responsionem positam [9] dicendum est quod cum dicitur Filius genitus de substantia Patris, duplex notatur habitudo: indistinctionis essentiae, quae est in Patre, a Filio, et habitudo originis ipsius Patris, cuius est essentia, respectu Filii; propterea non potest dici Filius de substantia Spiritus Sancti propter habitudinem [x] indistinctionis essentiae Spiritus Sancti a Filio, quia habitudo originis ipsius Spiritus Sancti, cuius est essentia, non potest esse [y] respectu Filii.

---

[a] G add. *est*. [b] S *matris*. [c] PVS om. [d] G om. [e] S add. *tota*. [f] G om., L exp. et corr. [g] L *verus*. [h] V *quod*. [i] S *de*. [k] S *de*. [l] BRGL om. [m] S *essentia*. [n] S *originaliter*. [o] BR add. *vero*. [p] S *ut*. [q] PS *patre*. [r] S om. *de... accipitur*. [s] BRGL *dicitur*. [t] S om. [u] PV *ratione*, quod S corr. [v] BRG om. [x] G *inhabitudinem*. [y] PVS *ponit essentiam* pro *p. e.*

1 Cf. supra, p. 426a, *ad 4*.
2 Cf. Priscian., *Grammat.*, XIV, c. 1 sqq.
3 Cf. supra, p. 415, nota 2.
4 Lib. II, c. 14, n. 4 (PL 42, 773); cf. Lombard., loc. cit., ubi et sequens.
5 Cap. 14, n. 2 (PL 42, 771).
6 Cf. Alan., *Dist. dict. theol.* (PL 210, 760).
7 Cf. supra, p. 419b, *Solutio*.
8 Cf. hic sub *Respondeo*.
9 Pag. 433a, *Sed contra hoc obicitur*.

CAPUT V.

QUOMODO SIT GENERATIO DIVINA.

Consequenter quaeritur de aeterna generatione quomodo sit:

Et primo, utrum sit voluntaria vel necessaria;

secundo, utrum sit semper in fieri vel in facto esse;

tertio, cum multi sint modi generationis, quis modus ei attribui [a] debeat.

301

ARTICULUS I.

Utrum generatio divina sit voluntaria vel necessaria [1].

Quantum ad primum obicitur sic: 1. Orosius ad Augustinum [2]: « Voluntate genuit Pater Filium vel necessitate? » Respondet Augustinus: « Nec voluntate genuit Filium [b] nec necessitate, quia necessitas in Deo non est, praeire sapientiam voluntas non potest ». — Contra: Dicit Philosophus [3] quod omnia quae fiunt fiunt vel a proposito vel a natura, et 'propositum' appellat voluntatem, 'naturam' vero necessitatem; immediate ergo se habent voluntas et necessitas circa entia. Si ergo Pater genuit Filium, vel necessitate genuit vel voluntate.

2. Item, si non genuit Filium voluntate, ergo involuntarie; sed dicit Ioannes Damascenus [4] quod « involuntarium est quod per ignorantiam vel violentiam fit »: voluntarium enim exigit [c] quod sit principium sufficiens in nobis et quod sit notitia eius quod debet fieri; unde quod fit per violentiam non est voluntarium simpliciter; quod vero fit per ignorantiam non est voluntarium, quia ibi est ignorantia eius quod debet fieri. Si ergo Pater genuit Filium [d] involuntarie, ergo genuit violenter vel ignoranter; sed nullum horum cadit in Deo; ergo relinquitur quod voluntarie genuit.

3. Item, immediate se habent circa entia necessarium et contingens [5]; si ergo non genuit contingenter, ergo genuit necessario; ergo necessitate genuit.

4. Item, obicitur de hoc quod dicit Augustinus [6]: « Sapientiam praeire voluntas non potest ». — Contra: Augustinus, IX *De Trinitate* [7]: « Partum mentis praecedit appetitus quidam quo [e] id quod nosse volumus, quaerendo et inveniendo nascitur proles ipsa notitia ». Ergo voluntas praecedit sapientiam. Quod patet etiam: quia antequam addiscam, volo addiscere.

5. Item, quaeritur an haec duo sese compatiantur [f], voluntas et necessitas, ut Pater genuerit Filium voluntate et necessitate vel voluntarie et necessario. — Et videtur quod non: Quia necessitas dicit principium determinatum ad alterum [g], ita quod alio modo se habere non potest [8]; sed voluntas est principium ad utrumlibet oppositorum; ergo non se compatiuntur in uno voluntas et necessitas, quia sese non compatiuntur principium determinatum et indeterminatum; ergo si Pater genuit Filium voluntate, non genuit necessitate, vel si genuit necessitate, non genuit voluntate.

Respondeo: 1. Ad primum dicendum quod propositum et natura sive voluntas et necessitas se habent immediate circa facta vel ea quae fiunt, quia omnium quae fiunt aut principium est [h] natura, et sic necessitas, aut propositum, et sic voluntas, sed non se habent ad ea quae non fiunt. Unde procedit [i] divisio rerum: quaedam sunt quae fiunt, quaedam quae non fiunt; quae non fiunt sunt aeterna; quae vero fiunt, aut fiunt proposito aut natura. Non igitur habet locum in aeterna generatione illa divisio.

2. Ad secundum dicendum quod voluntas dicitur dupliciter: est enim voluntas absoluta et simpliciter [k], et est voluntas comparata et

---

[a] PVS *tribui*. [b] S *solum*. [c] S *exit*. [d] S om. [e] L add. interl. *ad*. [f] P add. interl. *ut*, V add. interl. *in*. [g] S *alium*. [h] B add. *in*, quod R exp. [i] BRGL *precedit*. [k] G *simplex*, PVS om. *est*.

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 6, c. un. (p. 51 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 6, a. un., qq. 1 et 2 (I, 125 sqq.).

[2] *Dialog. quaest, 65*, q. 7 (Pseudo-Augustini, PL 40, 736).

[3] Cf. *Rhetor.*, I, c. 10 (I, 333 sq.); *Phys.*, II, c. 5 et *Metaph.*, XI, c. 3 (II, 267, 601 sq.).

[4] *De fide orthod.*, II, c. 24 (PG 94, 954).

[5] Cf. Aristot., *Anal. priora*, I, c. 12 (I, 53).

[6] Cf. nota 2.

[7] Cap. 12 (PL 42, 972).

[8] Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 5 (II, 518).

conditionalis. Voluntas comparata sive conditionalis est, quando non volumus aliquid simpliciter, sed sub conditione, qua remota, nolumus illud; et hoc contingit dupliciter: potest enim conditio illa esse trahens, ut cum aliquis propter magnum lucrum vellet peccare, quod simpliciter nollet; vel potest esse impellens [a], ut cum aliquis propter mortem fugiendam peccaret, quo remoto, non peccaret; et ita voluntas conditionalis est dupliciter: trahens videlicet et impellens. Item, voluntas absoluta et simplex est triplex: praecedens, accedens et concomitans; praecedens opus inceptum, accedens operi iam incepto sive post opus, concomitans vero in opere. Accedens [b] ergo voluntas et praecedens dicunt conditiones [c] temporales, sed concomitans non. Dicendum igitur quod voluntate conditionali non genuit Pater Filium nec etiam voluntate simpliciter quae quidem est praecedens vel accedens, quia nec prius voluit quam generaret nec ei nova voluntas ut generaret accessit nec etiam eum aliqua causa exterior traxit vel impulit ut generaret Filium, sed genuit voluntate absoluta concomitante, ut sit sensus: voluntate genuit Filium, id est voluntas generationem Filii concomitata est.

3. Ad tertium dicendum quod necessitas dicitur multipliciter. Dicitur enim necessitas secundum rationem causae materialis necessitas indigentiae, I Ioan. 3,17: *Qui viderit fratrem suum necessitatem* [d] *habere* etc. Dicitur etiam necessitas secundum rationem causae efficientis necessitas coactionis [1]. Est autem coactio duplex [2]: inducens et non sufficiens, sicut aliquando cogitur liberum arbitrium, ut patet in voluntate conditionali; et est coactio sufficiens, quae non est in libero arbitrio, sed in rebus naturae, ut in actionibus violentis corporum, et hoc modo dicit Augustinus quod « necessitas in Deo non est [3] ». Item, dicitur necessitas secundum rationem causae formalis uno modo necessitas inevitabilitatis, secundum quod dicitur in Psalmo [4]: *De necessitatibus meis erue me*; alio modo necessitas immutabilitatis, et sic dicuntur necessaria quorum veritas non est mutabilis vel contingens. Item, dicitur necessitas in ratione causae finalis, et hoc dupliciter: respectu finis, et hoc modo dicitur, Luc. 10,42 [e]: *Unum est necessarium;* et respectu eorum quae sunt ad finem, et hoc modo dicuntur necessaria utilia et expedientia. Sed expedientia dicuntur mala [5], in quantum ordinata, secundum quod habetur [f] Matth. 18,7: *Necesse est* [g] *ut veniant scandala;* utilia dicuntur ipsa bona quae appetimus propter finem, sicut dicitur Philip. 1,24: *Permanere in carne necessarium propter fratres.* Cum ergo quaeritur utrum genuerit necessitate: dicendum quod non necessitate indigentiae vel coactionis vel expedientiae vel utilitatis vel etiam inevitabilitatis, sed necessitate immutabilitatis.

4. Ad quartum dicendum quod voluntas uno modo praecedit sapientiam, alio modo sequitur. Est enim voluntas addiscendi sapientiam non habitam [h] et est voluntas conservandi sapientiam iam habitam. Voluntas addiscendi sapientiam praecedit sapientiam, voluntas vero conservandi consequitur nec potest praeire [i]. In Deo autem non est voluntas respectu sapientiae non habitae [k] habendae, sed conservandi [l] iam habitam, et ideo bene dicit Augustinus: « In Deo praeire sapientiam voluntas non potest ».

5. Ad quintum et ultimum dicendum quod est voluntas finis simpliciter et est voluntas eorum quae sunt ad finem: voluntas finis est cum volo aliquid propter se, voluntas eorum quae sunt ad finem est cum volo [m] aliquid propter aliud. Voluntas ergo finis simpliciter non est ad opposita, sed voluntas eorum quae sunt ad finem, sicut patet: voluntas finis est voluntas beatitudinis, haec autem voluntas non potest esse ad oppositum; nemo enim vult miseriam oppositam beatitudini nec potest velle. In aliis vero quae sunt citra beatitudinem, sicut loqui, comedere, ambulare et huiusmodi, est voluntas ad utrumque oppositum; et hoc intelligitur ante actum, non cum iam est in actu, quia tunc non potest se habere ad opposita. Compatiuntur ergo se voluntas et necessitas, cum dicitur voluntas respectu finis et cum dicitur voluntas respectu [n] eorum quae sunt ad finem, cum iam sunt in actu. Secundum hoc ergo [o] est voluntas in suo complemento et non se habens ad opposita, secundum vero quod non est in suo complemento se habet ad opposita. In Deo [p] ergo, ubi est voluntas in suo complemento, non est dicere quod sit voluntas ad opposita, quamvis sint opposita subiecta voluntati eius, ut te esse, te non esse; simul ergo sunt in Deo voluntas et necessitas, id est immutabilitas.

---

[a] PVSL *interpellens*, item infra. [b] V *antecedens*, B *vero* pro *ergo*. [c] S *conditionales*. [d] G om. [e] P add. mg. *porro*. [f] BRGL om. [g] G om. [h] S *inhabitam* pro *n. h.* [i] G *preterire*, item infra. [k] PVS add. *vel*. [l] Codd. *conservande*. [m] G *vero*, L om. *aliquid*. [n] B om. *finis... respectu*. [o] L om. [p] PS *duo*.

1 Cf. Aristot., *Magn. Mor.*, I, cc. 11-16 (II, 140sqq.); *Eth. ad Nicomach.*, III, c. 1 (II, 24sqq.).
2 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 5 (II, 518).
3 Cf. supra, p. 434a, n. 1.
4 Psalm. 24, 17.
5 Cf. supra, num. 285.

302 ARTICULUS II.

Utrum generatio divina sit semper in fieri vel in facto esse.

Consequenter quaeritur I. utrum generatio aeterna semper sit in fieri vel in facto esse [1].

Et quod in fieri sic videtur: 1. Cum generatio Filii a Patre sit vĕlut splendoris a luce, ad Hebr. 1,3: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius;* sed generatio splendoris a luce semper est in fieri; ergo generatio Filii a Patre semper [a] est in fieri.

2. Item, Origenes [2]: « Salvator noster splendor est claritatis [b]; quotiens autem ortum fuerit lumen, ex quo [c] splendor oritur, totiens oritur splendor claritatis ». Sic ergo Salvator noster semper oritur. Unde [d] Prov. 8,25: *Ante omnes colles generat me,* « non ut quidam male legunt 'generavit' [e] ».

Contra: *a.* Augustinus, in *83 Quaestion.* [3]: « Melius est semper natus, quam qui semper nascitur », quia si [f] semper nascitur, nondum est natus, ac per hoc nunquam Filius est, si nunquam natus est; Filius autem est et semper; semper [g] igitur natus. Aeterna igitur generatio intelligitur ut [h] in facto esse seu completo, ut non fiat vis in hoc quod dico 'facto'.

b. Item [4], « non possumus dicere 'semper nascitur', ne imperfectus [i] videatur; at vero ut aeternus designari valeat et perfectus, 'semper' dicamus 'est natus', quatenus et 'natus' ad perfectionem pertineat et 'semper' ad aeternitatem ».

II. Item, quaeritur quod istorum verius dicitur: 'semper nascitur' aut 'semper natus'. Et cum verbum praesentis temporis ratione praesentialitatis conveniat cum aeternitate, quod non [k] praeteritum, melius et verius exprimitur aeterna generatio, cum dicitur 'semper nascitur', quam cum [l] dicitur 'semper natus'.

III. Item, debetne concedi cum verbo futuri temporis ut dicatur 'semper nascetur'?

Probatur quod non: 1. Quia, sicut dicit Augustinus [5], super illud Psalmi 2,7: *Ego hodie genui te,* « in aeternitate nec praeteritum quidquam est, quasi esse desierit [m], nec futurum, quasi nondum sit, sed praesens tantum ». Ergo locutiones de praeterito et de futuro sunt falsae; igitur falsae sunt istae 'semper natus est', 'semper nascetur'.

Contra: *a.* Cum hoc secundum unum modum concedatur 'semper natus est', quae est de praeterito, ergo magis debet ista concedi 'semper nascetur', quia praeteritum secessit in non-ens, futurum autem aliquando erit; ergo magis se habet futurum ad ens quam praeteritum; ergo magis conveniet dici 'nascetur' quam 'natus est [n]'.

Respondeo: I. Dicendum quod aeterna generatio non est in fieri nec in facto esse, sed in esse, quia fieri et factum esse [o] solum conveniunt creaturis, esse vero semper uno modo convenit divinis. Tamen cum dico 'esse in fieri', in creatura duobus modis est: in successivis enim esse in fieri est esse actu, in permanentibus vero esse in fieri non est esse actu sive esse in complemento; unde et in successivis sequitur: 'si fit, est', in permanentibus: 'si fit, non est' [6]. Similiter 'esse in facto' dicitur dupliciter: nam in successivis 'factum esse' non ponit esse actu in praesenti, sed ponit fuisse in praeterito, in permanentibus vero ponit esse actu in praesenti [p]. Cum ergo loquimur de aeterna generatione, si loquimur de esse eius per modum fieri, loquimur de ea secundum quod accipitur fieri [q] in successivis, et hoc solum ratione praesentialitatis, non ratione successionis. Si loquamur de ipsa per modum [r] facti esse, loquimur de ipsa per modum [s] facti esse in permanentibus, et hoc ratione completionis, non praeteritionis. Ex hoc igitur est [t] quod inspiciendo [u] ad praesentialitatem aeternitatis, dicitur [v] de Filio 'semper nascitur'; inspiciendo [x] vero ad perfectionem vel completionem, dicitur 'semper natus'. — Et per hoc patet solutio ad primo obiectum.

II. Ad illud vero quod consequenter obicitur de ratione dicendi per [y] praesens et praeteritum, dicendum [7] quod praesens [z] dicitur dupliciter: uno modo ut partibile, cuius pars praeteriit, pars futura est; et sic non convenit aeternae generationi, ne

[a] G om. [b] R add. *eterne.* [c] L om. [d] R om. [e] V add. *me.* [f] P om. [g] V exp. [h] R *sic.* [i] BRGL *imperfectum.* [k] B *vero.* [l] L om., RG om. *quam,* quod in B est add. interl. [m] G *defuerit.* [n] BG om. [o] P om. [p] G om. *sed ponit... praesenti.* [q] L om. [r] L *ratione* pro *p. m.* [s] L *ratione* pro *p. m.*; B om. *loquimur... esse.* [t] R *patet*; P nota mg. *Nota quod nullum successivum est in sui termino.* [u] Ita R, alii *inspicientes.* [v] P *Dei,* quod V corr. in mg. [x] Ita R, alii *inspicientes.* [y] PVS om. [z] S om. *e. p. d. q. p.*

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 9, c. 4 (p. 68 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 9, a. un., q. 4 (I, 185 sqq.).

[2] *Super Ierem.*, hom. 9, n. 4 (PG 13, 355).

[3] Quaest. 37 (PL 40, 27); cf. Lombard. loc. cit.

[4] Gregor. M., *Moral.*, XXIX, c. 1 (PL 76, 477); cf. Lombard., loc. cit. (p. 68).

[5] *Enarr. in Psalm. 2,* 8, n. 6 (PL 36, 71); cf. Lombard., loc. cit. (p. 69).

[6] Cf. Aristot., *Periherm.*, c. 7 (I, 27); *De gener. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 464); *Sentent. philos. ex Aristot. coll.* (PL 90, 1039).

[7] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 9, dub. 5 (I, 189 sq.).

imperfecta esse credatur et quia nihil est ibi praeteritum vel futurum. Vel potest dici praesens impartibile, scilicet ipsum 'nunc', quod dicitur finis praeteriti et initium futuri; et sic ratione impartibilitatis et praesentialitatis convenit cum 'nunc' aeternitatis, et sic recte dicitur 'semper nascitur'. Similiter cum dicitur 'natus', consignificatio est [a] praeteriti perfecti; ratione praeteritionis non convenit cum aeternitate, sed ratione perfectionis.

III. Ad ultimum dicendum quod, cum verbum futuri temporis non consignificet actu ens nec perfectum [b], non erit aliquo modo [c] dicere, loquendo de aeterna generatione, 'semper nascetur' [d], sicut ratione actualitatis est dicere 'nascitur' et ratione perfectionis 'natus est'. Quantum ergo [e] ad rationem praeteritionis non dicitur 'natus', quomodo procedebat obiectio, sed quantum ad rationem perfectionis.

ARTICULUS III. 303

Quis modus generationis debeat attribui generationi aeternae.

Consequenter quaeritur quis modus generationis debeat attribui aeternae generationi [1].

Et Arius [f], disputans contra Victorinum [2] de generatione aeterna, duodecim modos generationis [g] assignat. Primus modus est iuxta fluxum lineae a puncto: et hic modus non potest attribui aeternae generationi, quia non est ibi [h] aequalitas simplicitatis in puncto et linea, sicut est in Patre et Filio. Secundus modus est iuxta emissionem radiorum a sole: et hic etiam modus non potest attribui generationi aeternae, quia hic non est aequalitas naturae in radiis genitis a sole. Tertius modus est iuxta caracterem sive impressionem a sigillo: et hic modus non potest attribui, quia sigillum et caracter se habent ut effectus ad causam nec etiam sunt in eadem substantia. Quartus modus est iuxta immissionem [i] bonae voluntatis a Deo: et hic modus non potest attribui, quia voluntas immissa non est eiusdem substantiae cum Deo. Quintus modus est iuxta exitum accidentis a substantia: et hic modus non potest attribui, quia accidens non habet esse per se. Sextus modus est [k] iuxta abstractionem speciei a materia, sicut est in intellectu qui abstrahit [l] species a phantasmatibus, et in sensu qui suscipit speciem genitam a specie quae est in materia: et hic modus non potest attribui, quia spiritualior est species abstracta et simplicior; praeterea, in diversis sunt subiectis [m]. Septimus modus est iuxta excitationem voluntatis a cogitatione, ut voluntas excitatur ad desiderium per bonam cogitationem: et hic modus non potest attribui, quia huiusmodi excitatio est temporalis. Octavus modus est iuxta transfigurationem, ut cum ex aere fit aliqua imago: et hic modus non potest attribui, quia est materialis, quod nullo modo convenit divinis. Nonus modus est iuxta productionem motus a causa movente: et hic modus non potest attribui, quia iste modus [n] est productio effectus a causa. Decimus modus est iuxta eductionem specierum a genere, in quantum genus est principium suarum [o] specierum: et hic modus non potest attribui, quia est velut modus materialis, quia etiam genus de specie praedicatur, quod non potest [p] de Filio Pater. Undecimus modus est iuxta ideationem [3], ut arca exterior generatur ab arca in mente, quae est ars exemplaris: et hic modus non potest attribui, quia est in comparatione effectus ad causam. Duodecimus modus est iuxta nascentiam, ut homo [q] filius nascitur a patre suo: et hic modus non potest attribui, quia prior est tempore pater filio, non coaevus; non sic autem est in divinis, immo est coaeternitas in personis divinis; praeterea, non est eadem numero humanitas patris et filii; item, de parte ipsius substantiae patris est filius homo [r], non de tota substantia generatur filius. Cum ergo sint isti modi generationis et non plures, et nullus istorum conveniat aeternae generationi, videtur quod non debeat dici nec sit generatio aeterna.

Respondeo: Secundum Victorinum [4] non sufficienter divisi sunt modi, quia aeterna generatio est improportionalis omni generationi temporali. Unde notandum est, secundum quod dicitur ad Hebr. 1,3: *Qui* [s] *cum sit splendor gloriae* [t] etc., Glossa [5]: « Attendendum [u] quod cum

---

[a] PVS om. [b] PRG *perfectio*, V *perfectionem*, quod S corr. [c] L om., PVR om. *loquendo*. [d] V *nascitur*, quod PL corr. [e] B *vero*. [f] Rectius diceretur *Arianus*. [g] PV om., in S est add. mg. [h] PV om., in S est add. mg. [i] G *remissionem*. [k] L om. [l] R *extrahit*. [m] B om. *p. i. d. s. s.* [n] V *motus*. [o] S *principium* pro *e. p. s.* [p] Ita BRG, alii om. [q] PV om., in S est add. mg. [r] PV om. *e. f. h.* [s] V *quod*. [t] B om. [u] L add. *est*.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 13, dub. 8 (I, 241).

2 Candid. Arianus, *Lib. de generatione divina ad Marium Victorin.* n. 4 (PL 8, 1015 sq.). De Victorino cf. S. Bonav., *Opp. omnia*, I, p. 31, nota 2.

3 Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 7 (II, 544).

4 *Lib. de generat. Verbi divini ad Candidum Arianum*, n. 30 (PL 8, 1034 sq.).

5 Lombardi, in h. l. (PL 192, 404), ad sensum; verbotenus ap. Lyran. (VI, 134a), ex Augustino, *Sermo* 117, cc. 8, 9 et 10 (PL 38, 667 sqq.).

in igne et splendore sit coaevitas, non tamen ibi est [a] omnimoda aequalitas, quia splendor, qui funditur de igne, minus lucet quam ignis. Unde [b] cum dicitur 'talis est Filius ad Patrem qualis splendor ad ignem', non omnino est verum, sed aequalitas omnimoda est hic. Ex aliorum enim proportione temporalium, quorum alterum est ex altero, etsi non coaevum, tamen consubstantiale [c], Filius Patri consubstantialis ostenditur. Cum enim homo nascitur de homine, eiusdem substantiae sunt, diversae [d] tamen tempore; hic laudatur aequalitas substantiae, deest vero aequalitas temporis. In prima vero similitudine splendoris et ignis laudatur coaevitas, deest vero aequalitas [e] naturae. Coniunge quod laudas et attribue generationi aeternae: ex prima similitudine pro coaevitate coaeternitatem, ex secunda similitudine naturae aequalitatem; totum quod laudabile est in creaturis, quibus aliquid deest, simul est in Creatore, cui nihil deest ». Unde modus generationis aeternae non accipitur ab uno modo tantum generationis in creaturis, sed ex pluribus.

TITULUS II.

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI [1].

Implorantes Spiritus Sancti gratiam, post inquisitionem aliquantulum tactam de generatione Filii aeterna, cum omni timore et modestia de processione Spiritus Sancti inquiramus hoc modo:

Primo, propter incredulos, an processio Spiritus Sancti sit;
secundo, cuius sit;
tertio, quomodo sit [f];
quarto, a quo sit;
quinto, secundum quid sit.

304

CAPUT I.

AN PROCESSIO SPIRITUS SANCTI SIT [2].

Ad primum ergo arguitur hoc modo: *a.* Duo sunt principia diffusionis in rebus: natura et voluntas. Perfectissima autem diffusio naturae est illa quae est per generationem, perfectissima diffusio voluntatis est illa [g] quae est per amorem sive per dilectionem: et haec est laus bonitatis in rebus; magis autem laudabile est bonum quod diffundit se secundum utrumque modum quam quod diffundit se secundum alterum tantum. Si ergo quod est laudabile et perfectum non potest deesse in summo bono: est igitur in summo bono, quod est Deus, diffusio generationis, quam consequitur differentia gignentis et geniti, Patris et Filii, et erit ibi diffusio per modum dilectionis, quam dicimus processionem Spiritus Sancti.

b. Item, sicut [h] summo bono non deest virtus summa naturae, ita nec [i] deest virtus summa voluntatis; sed virtus summa naturae necessario ponit diffusionem generationis [3]; ergo virtus summa voluntatis ponet diffusionem amoris: sicut enim inter diffusiones naturales illa summa est quae est generatio, ita inter diffusiones voluntatis vel voluntarias illa est summa quae est dilectio.

c. Item [4], summo bono essentiale est esse diffusivum et communicativum [5]. Cum ergo duplex sit diffusio sive [k] communicatio — naturalis, sicut generatio, et [l] gratuita, sicut donatio — erit summo bono [m] connaturalis diffusio sive communicatio per modum generationis, ut a Patre Filius, et per modum donationis, ut a donante Donum; erit

---

[a] B add. *dicenda.* [b] BRGL *ideo.* [c] L add. *est.* [d] Codd. *diversa.* [e] G om. *temporis... aequalitas.* [f] Ita R (corr.), alii *secundo, quomodo sit; tertio, cuius sit.* [g] PVSR om. [h] B add. *in.* [i] P *non.* [k] L *vel.* [l] BRL om. [m] BGL om., in R est add. interl.

[1] Dionys. Cartus., I *Sent.*, d. 10, q. 1 (*Opp. omnia*, Tornaci 1902, t. XIX, 442): « De his Irrefragabilis Doctor plenissime scribit. Imo quod iam ex multis doctoribus est inductum, ipse pene totum solus in scripto suo expressit, multaque alia quae aliorum nullus conscripsisse videtur ».

[2] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 10, a. 1, q. 1 (I, 194 sqq.); *Itiner. mentis*, c. 6 (V, 310).

[3] Cf. supra, p. 414, sub litt. *b.*

[4] Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, V, cc. 16 et 17 (PL 196, 961 sq.).

[5] Cf. supra, num. 104.

igitur praeter illam, quae est generatio aeterna, diffusio quae est per modum donationis; diffusio autem per modum donationis est processio amoris; « amor enim est [a] donum primum et perfectum quo omnia alia donantur proprie: qui enim dat amorem suum alicui, omnia facit ei communia. Quod enim datur non ex amore, non [b] proprie datur: quod enim ex timore datur [c], potius redemptio est quam donatio; quod vero datur ex cupiditate alicuius rei adipiscendae, potius mercimonia est [1] ».

d. Item, « amor est donum intrinsecum in ipso dante, in quo dantur dona extrinseca; prius [d] igitur est donum amoris quam donum aliquod extrinsecum [2] ». In summo igitur largitore prius fuit donum amoris quam aliquod donum extrinsecum conferret creaturis sive esse, antequam scilicet bonitatem creaturis distribueret; fuit igitur donum amoris in Deo ab aeterno; sed donum dicitur relative ad donatorem; necessario igitur fuit donator et donum aeternum, qui est Spiritus Sanctus.

e. Item [3], ad idem: in summa bonitate non potest deesse summa et praecipua caritas: summa, qua aliquis [e] diligit alium sicut se; praecipua, qua vult alium diligi ab alio sicut se. — Probatio primae: ponamus [f] quod Sortes diligat Sortem sicut se, Pylades etiam [g] Orestem sicut se et velit eum diligi ab alio sicut se [h]; quae harum dilectionum praecipua et magis laudabilis? Constat quod dilectio Pyladis et Orestis. Sed communis est conceptio animi quod illud quod laudabilius est summo bono tribuendum est; ergo necesse est ponere, quod summum bonum [i] diligat alium sicut se et velit [k] illum diligi ab alio sicut se; sed hoc non potest esse in paucioribus quam in [l] tribus personis; ergo sunt tres personae; ergo Spiritus Sanctus est; sed non habet esse nisi procedendo; ergo processio eius est.

f. Item, si essent duo bona, quorum unum diffunderet se diffusione naturali et voluntaria, aliud, quod voluntaria tantum: constat quod laudabilius esset bonum illud quod utroque modo se [m] diffunderet quam quod altero tantum; sed quod laudabilius est, in summo bono deesse non potest; ergo in summo bono necesse est ponere utrumque modum diffusionis; sed diffusio naturalis est generatio, diffusio summi boni voluntaria processio; ergo processio est.

g. Item, Richardus de S. Victore, in libro *De Trinitate* [4]: « Sicut in summa caritate non potest deesse quod maximum est, sic nec deesse poterit quod constat esse praecipuum [n]. Praecipuum [o] autem videtur esse in vera caritate alterum velle diligi ut se: in mutuo siquidem amore multumque fervente nihil praeclarius quam ut ab eo, quem summe diligis et a quo summe dilegeris [p], alium aeque diligi velis; probatio itaque consummatae [q] dilectionis est votiva communio exhibitae sibi dilectionis [r] ». Ex hoc igitur relinquitur quod cum summa sive maxima caritas probet dualitatem personarum, quod praecipua caritas probet Trinitatem personarum.

h. Item, Richardus de S. Victore, in eodem [5]: « Signum magnae [s] infirmitatis est non posse pati consortium amoris, posse vero pati magnae perfectionis; maius est gratanter suscipere; maximum autem [t] ex desiderio requirere ». Si enim magnum est [u] pati posse, maius est gratanter suscipere, maximum autem ex desiderio requirere, « hinc manifesta ratione colligitur [v] quod praecipuus gradus caritatis et eo ipso plenitudo bonitatis esse non possit, ubi [x] voluntatis vel facultatis defectus dilectionis consortem praecipuique gaudii communionem excludit [y]. Summe ergo dilectorum summeque diligendorum », scilicet Patris et Filii, « uterque oportet quod pari voto condilectum requirat, pari concordia pro voto possideat ».

i. Item, idem, in eodem [6]: « Dilectionis dulcedine nihil iucundius invenitur, nihil in quo animus amplius delectetur. Huiusmodi autem delicias solus possidet qui in exhibita sibi dilectione socium et condilectum habet. Communio itaque amoris non potest esse in minus quam in tribus personis; nihil autem gloriosius, nihil magnificentius quam quod habes utile et dulce in commune deducere ».

k. Item, idem, in eodem [7]: « Notandum in divinis illis personis quod perfectio unius exigit adiunctionem alterius et consequenter in geminis perfectio utriusque requirit [z] cohaerentiam tertiae ». Nam cum « in alterutra persona aequa benevolentia existat, necesse est ut pari voto, ratione consimili, praecipui gaudii sui consortem utraque requirat », videlicet Spiritum Sanctum.

---

[a] B om. [b] B om. [c] B om. *q. e. e. t. d.* [d] S *prioris.* [e] BRGL *alius.* [f] BR *ponatur*, G om. *p. p.* [g] R *autem.* [h] L om. [i] BRGL om. [k] P *velut*, BRGL *ipsum* pro *illum.* [l] BRGL om. [m] S om. [n] PSB *principium*, L *precipium*, quod V corr. in mg. [o] BG *principium*; G *enim* pro *autem.* [p] S om. *e. a. q. s. d.*, PVSL om. *aeque.* [q] PVS om. [r] P nota mg. *Gregorius: Probatio dilectionis exhibitio est operis. Et nota quod ait Gregorius quod [licet] millesies soluta fuerit, semper obligatum retinet debitorem.* [s] V *maxime*, S om. *est.* [t] G *est.* [u] B *ergo*, V om. *pati.* [v] L *totaliter.* [x] S *nisi*, G *unde.* [y] P nota mg. *Unde Gregorius: Nullius boni [sine] socio iocunda est possessio.* [z] L om.

1 Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 2, p. 2 (f. 2d).
2 Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 2d sq.).
3 Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, III, c. 11 (PL 196, 922).
4 Loc. cit.
5 Loc. cit. (PL 196, 922 sq.), ubi et sequens.
6 Loc. cit., c. 14 (PL 196, 924 sq.).
7 Loc. cit., c. 15 (PL 196, 925).

l. Item, idem [a], in eodem [1]: « Quamdiu iste ab alio solus diligitur, praecipuae suae dulcedinis [b] delicias solus possidere videtur; similiter et alius, quamdiu condilectum non habet, praecipui gaudii sui communione caret. Ut autem uterque possit istiusmodi delicias communicare, oportet eos condilectum habere », videlicet Spiritum Sanctum.

Contra: 1. Quod per [c] superabundantiam dicitur uni soli convenit [2]; sed summum bonum sive optimum dicitur per superabundantiam [d]; ergo uni soli convenit; ergo in Deo est solitudo personalis, alioquin summum bonum pluribus conveniret: quod est contra naturam superlativi.

2. Item, bonum est diffusivum sui esse [3]; sed Spiritus Sanctus est summe bonus; ergo est diffusivus sui esse et summe. Nam si bonum est diffusivum et summe bonum summe diffusivum, ergo Spiritus Sanctus summe diffundit suum esse; sed summa diffusio est diffusio suae substantiae totaliter; ergo Spiritus Sanctus dat alii totam substantiam suam; ergo alia persona ab ipso [e] est; ergo est quarta persona in Trinitate [4]; sed eadem ratione illa diffundet suam substantiam ad aliam et illa iterum ad aliam, et sic in infinitum; ergo sequetur infinitas personarum, quod est inconveniens, vel stabit summa bonitas in una persona. — Si dicatur quod Spiritus Sanctus non diffundit se alii personae, sed creaturis: unde non diffundit suam substantiam ut sit id quod ipse – contra: ex hoc videtur sequi quod Spiritus Sanctus non fuit bonus ab aeterno, quia non diffundit [f] se creaturis ab aeterno, cum creaturae non fuerint ab aeterno.

3. Item, eadem est ratio summae bonitatis in tribus personis; ergo sicut Pater, quia summe bonus, diffundit suam substantiam, similiter Spiritus Sanctus diffundet [g] suam substantiam, cum summa bonitas sit in eo secundum eamdem rationem et secundum eumdem modum sicut in Patre.

4. Item, videtur quod summa caritas non ponat pluralitatem personarum de necessitate. Caritas enim sive caritativa dilectio potest esse in uno solo: dicit enim Augustinus [5] quod [h] « ex caritate primo debemus diligere quae supra nos sunt, secundo quae nos sumus »; ergo aliquis [i] potest diligere se ipsum ex caritate.

5. Praeterea, divina essentia diligit se, et constat quod nobiliori modo diligendi; ergo diligit se caritate; ergo posita summa caritate, non est necesse ponere plures personas.

Respondeo [k]: Confitendum secundum Scripturam [6] processionem Spiritus Sancti esse [l].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem dicendum quod optimum uni soli convenit, scilicet bonitati divinae vel bono neutraliter, tamen convenit pluribus personis quae [m] sunt unum summum bonum.

2. Ad secundum dicendum quod summa bonitas intelligitur cum summa diffusione et cum ordine: unde summa bonitas prohibet confusionem et infinitatem. Si ergo ponitur summa diffusio, erit ipsam ponere in tribus personis tantum: in una sicut in principio, et hoc in Patre; in alia sicut in medio, et hoc in Filio [n]; in alia sicut in termino, et hoc in Spiritu Sancto.

3. Ad tertium quod obicit quod ' eadem est bonitas in tribus personis et eodem modo se habens ': dicendum quod verum est, tamen est in personis aliter se habentibus. Est enim in Patre se habente per modum principii, in Filio se habente per modum medii, in Spiritu Sancto se habente per modum termini, secundum quemdam modum dicendi, ut dictum est [7]. Unde non potest esse diffusio a persona Spiritus Sancti, quia hoc esset contra modum personae quae habet modum termini.

4. Ad aliud dicendum quod caritate potest quis diligere se ipsum, sed non in plena ratione caritatis: « dilectio enim ut caritas fiat », scilicet in ratione plena caritatis [o], « necesse est ut in [p] alterum tendat », sicut dicit Gregorius [8].

5. Ad aliud dicendum quod si intelligatur divina essentia diligere se praeter personas, non diligit se nobiliori modo, scilicet communi amore, sed privato. Si autem intelligatur in personis, tunc summe diligit, nec est talis dilectio sine pluribus personis, ut ostensum est [9]. — Quod autem personae stant in tribus, ostenditur hoc modo: si ponatur quarta persona, cum non sit nisi duplex modus productionis, scilicet per modum naturae et per modum voluntatis [q], illa quarta persona aut producetur [r] per modum naturae aut per modum voluntatis. Si [s] per modum naturae: cum iste modus sit idem quod generatio, ergo genita est illa persona, ergo est Filius; ergo sunt duo filii in Trinitate: quod est inconveniens. Si per modum voluntatis: cum iste modus idem sit quod processio per modum doni vel amoris, et sic procedit Spiritus Sanctus, ergo eodem modo procedit quod Spiritus Sanctus, ergo non differt a Spiritu Sancto, quia nec essentia nec relatione.

---

[a] G om. [b] PVSL *dilectionis*. [c] S om. [d] R *abundantiam*. [e] PVS om. *a. i.* [f] R *diffudit*. [g] R *diffundit*. [h] B om. [i] G om. [k] BRGL *responsio*. [l] BRGL om. [m] V *quia*. [n] BG *consilio*, quod PS corr.; R *confilio*, sed exp. *con*. [o] G om. *dilectio... caritatis*. [p] L om. [q] L om. *c. p. m. v.* [r] S *est*. [s] P *scilicet*.

1 Richard. de S. Vict. loc. cit.
2 Cf. Aristot., *Topic.*, V, c. 5 (I, 228).
3 Cf. supra, num. 104.
4 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 2, p. 3 (f. 3a).
5 *De doctr. christ.*, I, c. 23, n. 22 (PL 34, 27).
6 Cf. Ioan. 15, 26, Matt. 10, 20; Gal. 4, 6. 7 Cf. *ad 2*.
8 *In Evang.*, hom. 17, n. 1 (PL 76, 1139).
9 Cf. p. 439b.

CAPUT II.

CUIUS SIT PROCEDERE [1]. 305

Consequenter quaeritur cuius sit procedere. Et supposito, quod infra probatur [2], quod in divinis personis sit persona quae non [a] ab alia, sicut Pater, et personae quae sunt ab alia — una, quae ab alia [b] et a qua alia, ut Filius; alia, quae ab alia et a qua nulla, ut Spiritus Sanctus — constans est quod procedere non erit nisi personae quae ab alia [c].

I. Quaeritur ergo utrum procedere proprium sit Spiritus Sancti quemadmodum generari [d] Filii.

Ad quod sic [e]: *a.* Hilarius, V *De Trinitate* [3]: « Ex virtute naturae in naturam eamdem subsistit Filius nativitate » et ex virtute naturae in naturam eamdem processione subsistit Spiritus Sanctus. Ergo sicut nativitas est propria Filii, ita processio Spiritus Sancti.

Contra: 1. Ubicumque est dicere ab alio productionem, est dicere processionem; sed Filius producitur ab alio; ergo Filius [f] procedit; ergo ipsius est processio; non ergo solius Spiritus Sancti.

2. Item, ' procedere ', dictum communiter de Filio et [g] Spiritu Sancto, aut dicitur univoce aut aequivoce aut [h] analogice. Si univoce: ergo secundum eamdem rationem; sed ratio processionis Filii est generatio; ergo generatio convenit Spiritui Sancto: quod est falsum. Si aequivoce — contra: non est ratio penitus diversa huius processionis et illius, quia uterque ab alio [i]. Si analogice: ergo dicetur per prius de Filio, quia principaliori modo procedit Filius, et per posterius de Spiritu Sancto; ergo magis debet processio appropriari Filio quam Spiritui Sancto.

Respondeo: ' Procedere ' potest intelligi dupliciter: vel processio absolute et praecise aut cum superadditione alicuius dignitatis seu differentiae. Secundum primum modum est proprium Spiritus Sancti, quia procedere Filii non intelligitur sine superadditione alicuius dignitatis, quae est procedere secundum principaliorem [k] modum sive procedere ab alio ita ut etiam accipiat quod ab eo sit alius in procedendo [l]. Et ideo huiusmodi processio ' generatio ' dici debet, cum processio per [m] generationem sit principalior inter omnes modos procedendi [n] et ita denominatur a digniori [4] sive a differentia superaddita, sicut homo non dicitur sensibile proprie, sed rationale. ' Procedere ' vero, praecise vel absolute intellectum, hoc est procedere tantum Spiritus Sancti [5].

[**Ad obiecta**]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur [o] dicendum quod quamvis procedere sit commune, tamen procedere, intellectum non secundum principalem modum, proprium est Spiritus Sancti: et sic accipitur cum dicitur procedere praecise sive procedere tantum; sicut ex alia parte procedere, secundum principalem modum, proprium est Filii et est generari.

2. Ad secundum dicendum quod procedere non dicitur univoce nec aequivoce, sed analogice per prius et posterius, tamen cum [p] distinctione, quia procedere aut intelligitur simpliciter aut intelligitur procedere cum [q] hoc modo: procedere intellectum cum [r] modo, est procedere vel per modum intelligentiae, sicut est procedere Filii, vel per modum amoris, sicut est procedere Spiritus Sancti; procedere vero, dictum simpliciter, est productio quaecumque ab alio. Dicendum ergo quod procedere, cum modo dictum, per prius dicitur de Filio et per posterius de Spiritu Sancto secundum rationem intelligentiae, quia prior est processio quae est per modum intelligentiae a mente quam illa quae est per modum amoris ab utroque. Procedere vero, intellectum simpliciter, per prius convenit Spiritui Sancto, quia ei convenit esse ab alio tantum, non a quo alius, et ideo convenit ei procedere tantum, non producere ex se alium; per posterius vero Filio, quia Filio non tantum convenit esse ab alio, sed etiam quod alius sit ab ipso, et [s] ideo ei convenit non tantum procedere, sed etiam producere alium. Ergo procedere [t] commune, si respiciatur ut commune, per prius convenit Spiritui Sancto, quia haec praecisio [u] nihil addit supra [v] commune; si vero respiciatur cum modo, per prius convenit Filio, quia principaliori modo procedit.

II. Sed quaeritur utrum procedere per modum amoris sit proprium Spiritus Sancti [x 6].

---

[a] L add. *sit.* [b] R *alia.* [c] PVS *alio.* [d] Codd. *generare.* [e] L om. [f] BRGL om. [g] V add. *de.* [h] S *an.* [i] R *alia.* [k] BG *principalem.* [l] PVS *producendo.* [m] L om. [n] PS *producendi,* quod V corr. [o] BRGL *obicit.* [p] G *in.* [q] BGL om., L *dicitur.* [r] G *omni.* [s] Ita P, alii om. [t] S *producere.* [u] PVS *processio,* BRG *ut* pro *haec.* [v] S *ultra.* [x] L *Spiritui Sancto.*

1 S. Bonav. I *Sent.*, d. 13, a. 1, q. 2 (I, 232 sqq.).

2 Cf. num. 312.

3 Num. 37 (PL 10, 155).

4 Cf. Avicenna, *Metaph.*, I, c. 4 (f. 71d): « Res appellatur ab eo quod est dignius in eo vel a parte digniore vel a parte finis ».

5 Praeposit., *Summa*, I (f. 83d) notat: « Hanc negaret dialecticus: ' Filius et Spiritus Sanctus procedunt a Patre ', sed theologica simplicitas vocabulum aequivoce acceptum recipit etiam in plurali numero ».

6 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 10, a. 2, q. 1 (I, 200 sq.).

Videtur quod non: 1. Quia tota Trinitas diligit, ut infra [a] sequenti pagina ostenditur [1].

Contra: *a.* Augustinus [2]: « Non est alter duorum quo uterque coniungitur [b] ». Pater diligens est [c], Filius dilectus; sed quo uterque coniungitur est amor; ergo solus Spiritus Sanctus est amor; ergo neuter est amor quo uterque coniungitur; ergo procedere per modum amoris est solius [d] Spiritus Sancti et proprium eius. — Quod concedimus.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc autem [e] quod obicitur, quod [f] ' tota Trinitas diligit se ': dicendum quod verum est, sumpto [g] ' diligere ' essentialiter, non autem notionaliter; hoc autem infra [3] plenius patebit.

CAPUT III.

QUOMODO SIT PROCESSIO SPIRITUS SANCTI.

Sequitur quaerere quomodo sit processio Spiritus Sancti [h]. Circa quod quaeruntur plura:

Primum, an procedere per modum spirationis sit proprium Spiritus Sancti;

secundo, an procedere per modum amoris aut sapientiae sit Spiritus Sancti;

tertio, an procedere per modum nexus vel connexionis;

quarto, an praeter generationem Filii et processionem Spiritus Sancti sit alius modus productionis in divinis.

306

ARTICULUS I.

An procedere per modum spirationis sit proprium Spiritus Sancti.

Ad primum videtur quod spirari non sit proprium Spiritus Sancti: 1. Iob 32,8: *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam;* ergo Omnipotens inspirat intelligentiam; sed intelligentia appropriatur Filio; ergo cum Filius sit intelligentia, spiratur sicut amor; ergo spirari [i] non est proprium Spiritus Sancti. — Item, si intelligentia procedit a mente sicut amor, quare non dicetur spirari sicut amor?

2. Praeterea, spirare est virtutis [k] spirativae; sed virtus spirativa non est voluntaria, sed naturalis, sicut patet per Damascenum [4], qui ponit virtutem pulsativam inter vires quae non obediunt rationi; ergo motus, scilicet spiratio, non erit voluntarius, sed naturalis; sed productio naturalis magis convenit Filio [5]; ergo et spiratio.

Respondeo: Spiratio dicitur secundum primam intentionem duobus modis: secundum imperfectionem, ubi solum virtus naturalis, quae est pulsatilis, est movens, sicut contingit in emissione aëris attracti ad refrigerationem cordis [6]; item, spiratio dicitur secundum perfectionem, ubi est movens vis rationalis [l] ad formationem sermonis, sicut contingit quando intellectus rationis generat verbum qui est nuntius intelligentiae [7], simul spirando spiritum qui sit vehiculum verbi, sicut dicit Ioannes Damascenus [8]: « Oportet verbum habere spiritum nec est Verbum Dei deficientius nostro verbo ». — Item, spiratio dicitur secundum intentionem secundariam de motu amoris, ut sicut ex mente generatur intelligentia, sic ex utroque spiratur amor. Dicitur autem spiratio amoris processio [m], quia sicut spiratio est motus vitalis a virtute vitali naturali, sic amor est motus vitalis a virtute vitali spirituali. Unde Hugo, in libro *De arrha sponsi ad sponsam* [9]: « Scio, anima mea, quod dilectio [n] tua vita est ». Non sic est de motu intelligentiae. — Praeterea, spiratio dicit motum ab anima, similiter amor; intelligentia dicit motum ad animam vel in anima; inde est quod spirari convenit amori, non intelligentiae. Quia generatio Filii est [o] per modum intelligentiae a mente, processio Spiritus Sancti per modum amoris ab utroque, proprium erit Spiritus Sancti spirari.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur [p] ' *inspiratio Omnipotentis* ' etc.: dicendum quod non sequitur, quamvis sapientia creata, quae est donum creatum, spiretur sive inspiretur, quod propter hoc sapientia increata spiretur [q]. Nam sapientiam creatam spirari [r] nihil aliud est

---

[a] RG add. *in.* [b] G *adiungitur.* [c] S om. [d] BG *solus*, RG om. *Sancti.* [e] BRGL om. [f] BRG om. [g] L *supposito.* [h] L *sanctus.* [i] BRGL om. [k] BRGL *spirari est virtus* pro *s. e. v.* [l] PVS *rationabilis.* [m] Ita RL post exp., alii add. *spiratio.* [n] BG *dilecta.* [o] RG om., in B est add. interl. [p] BRGL *obicit.* [q] S *inspiretur*, G om. *sive... increata.* [r] S *inspirari.*

1 Cf. num. 307.
2 *De Trinit.*, VI, c. 5, n. 7 (PL 42, 928).
3 Cf. infra, p. 445b, *ad 8.*
4 *De fide orthod.*, II, c. 12 (PG 94, 927); cf. Nemes., *De nat. hom.*, c. 22 (PG 40, 693sq.).
5 Cf. supra, num. 298.
6 Cf. Damasc., loc. cit., I, c. 7 (PG 94, 806).
7 Cf. Damasc., loc. cit., II, c. 21 (PG 94, 939).
8 Loc. cit., I, c. 7 (PG 94, 803sq.).
9 PL 176, 951.

quam per [a] Spiritum dari: unde ex hoc non sequitur quod sapientia ista sit Spiritus formaliter loquendo. Increatam vero sapientiam spirari est per modum spirationis procedere, quod non convenit sapientiae increatae secundum quod appropriatur Filio. Nam [b], proprie loquendo, sapientia generatur a mente, amor vero spiratur, immo ratio sapiendi [c] in creatura repugnat rationi spirandi, ratio vero [d] amandi competit: nam spiratio dicit motum ab anima, sapere [e] vero dicit motum ad animam [1] magis, amare vero dicit motum ab anima vitalem spiritualem, et ideo convenit spirationi, quae quidem primo est in motu qui est a virtute vitali cordis.

2. Ad secundum vero iam patet solutio. Non enim attribuitur spiratio Deo secundum rationem imperfectionis, sed secundum rationem perfectionis [f]; ubi autem est secundum rationem perfectionis, est productio rationalis et voluntaria.

ARTICULUS II. 307

Cuius sit procedere per modum amoris sive doni.

Consequenter quaeritur cuius sit procedere [a] per modum amoris sive doni [2].

1. Et cum circa omne diligere sit accipere amorem, est autem diligere accipere [b] de tota Trinitate — quia de Patre est dicere quod Pater diligit, et de Filio quod diligit, et de Spiritu Sancto — ergo diligere est commune toti Trinitati, igitur et amor; sed amor omnis exit et procedit ab amante; ergo processio per modum amoris erit communis [c] toti Trinitati.

2. Item, Augustinus, XII libro *De Trinitate* [3]: « Nescio cur sicut sapientia Pater dicitur et Filius et Spiritus Sanctus [d] et simul omnes non tres, sed una sapientia, non ita et caritas dicatur Pater et Filius et Spiritus Sanctus et simul omnes non tres, sed una caritas ». Caritas igitur communis est toti Trinitati; si ergo esse caritatem sit esse donum, toti Trinitati convenit esse donum; similiter cum esse caritatem sit esse amorem [e] et omnis amor procedat ab amante, toti Trinitati conveniet [f] procedere.

3. Item, in antiphona de Trinitate [4] dicitur: « Caritas Pater [g], gratia Christus [h], communicatio Spiritus Sanctus [i] »; ergo esse caritatem appropriatur ipsi Patri. Ergo appropriabitur ei processio.

4. Item, cum sit amor gratuitus et amor debitus, proprius conveniet esse amorem amori gratuito quam amori debito; cum ergo Patri conveniat amor gratuitus, Spiritui Sancto amor debitus, ipsi Filio conveniet [k] amor ex utroque permixtus: magis convenit Patri esse amorem et minus Filio, minime vero [l] Spiritui Sancto. — Quod autem ita sit, patet per Richardum de S. Victore, in libro *De Trinitate* [5]: « Amor, inquit, gratuitus est, quando quis ei, a quo nihil muneris accipit, gratanter impendit; amor debitus est, quando quis ei, a quo gratis accipit [m], nihil nisi amorem rependit [n]; amor vero ex utroque permixtus est, quo alternatim amando et gratis accipit [o] et gratis impendit ». « Illam vero personam, cuius est proprium procedere nec tamen de se procedentem [p] habere, quoniam aliunde accipit totum quod habet, plenitudinem debiti amoris habere oportet [6] ». « Illam vero personam quae a [q] nullo alio deprehenditur aliquid [r] accepisse unde obnoxia ei fieret [s] vel in aliquo ei [t] debitor existeret, nullo modo videtur posse habere amorem debitum, sed gratuitum [7] ». Illa vero persona, quae accipit et impendit, sicut Filius, habet amorem ex utroque permixtum. « Constat [8] itaque quod in uno [u] ex tribus est amor summus et solus gratuitus », scilicet in Patre [v]; « in altero vero sic summus ut sit solum debitus », scilicet in Spiritu Sancto; « in tertio vero », scilicet in [x] Filio, « sic summus ut sit ex uno debitus », in quantum videlicet accipit a Patre, « ex altero vero gratuitus », in quantum dat Spiritui Sancto. Ergo amor communis est tribus personis; non ergo proprius Spiritui Sancto [y].

5. Item, cui magis convenit dici sapientiam, ei magis convenit dici donum. — Probatio: quia inter septem dona, de quibus Isai. 11,2-3, est summum et praecipuum [z] donum sapientia. Cum

---

[a] PVSL om. [b] PS *non*. [c] Ita PVRGL, SB *spirandi*, quod L exp. [d] BRG *autem*, G om. *rationi*. [e] P *spirare*. [f] PV om. *s. s. r. p.*, in S est add. mg., PVS om. *est*.
[a] GL *producere*. [b] B *capere*. [c] BRGL *commune*, S om. *erit*. [d] B om. *e. S. S.* [e] V *amoris*. [f] VL *convenit*. [g] PVS *Patris*. [h] S *Christi*. [i] P *Sancti*. [k] BRG *convenit*. [l] PVS om. [m] BL *accepit*. [n] V *impendit*. [o] B *accepit*, quod L corr.; G *gratum* pro *gratis*. [p] PV *producentem*. [q] G om. [r] B add. *aliud*. [s] PVS *fide*. [t] BRG om. [u] L *una*. [v] S add. *scilicet*. [x] BRL om. [y] L om. *ergo amor... Sancto*. [z] G *principium*.

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, V, c. 4 (II, 537).
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 10, a. 1, q. 3 (I, 199sqq.).
3 Lib. XV, c. 17, n. 28 (PL 42, 1081).
4 De antiquo officio SS. Trinitatis cf. H. Kellner, *Heortologie* (ed. 3), Freib. i. Br. 1911, p. 89.
5 Lib. V, c. 16 (PL 196, 961).
6 Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 18 (PL 196, 962).
7 Ibid., c. 17 (PL 196, 962).
8 Haec et sequentia ap. Richard. de S. Victore, loc. cit., c. 19 (PL 196, 963).

ergo ipsi Filio conveniat proprie dici sapientiam, ei proprie conveniet [a] dici donum, sicut patet per Augustinum, in libro *De Trinitate* [1]: « Unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiae, cum sit universaliter et Spiritus Sanctus et Pater ipsa sapientia ». Ergo cum ipse Filius exeat a Patre per modum sapientiae a mente, ipse Filius exiet per modum donationis; ergo ipsius erit donum proprie.

6. Item, Spiritus [b] dicitur proprie eo quod spiretur; cum ergo sapientia vel intelligentia spiretur [c], sapientiae conveniet esse Spiritum. — Quod autem spiretur hoc patet, quia ipsa inspiratur; unde Iob 32,8: *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam;* ergo et spiratur. Si [d] igitur ipse Filius procedit a Patre ut sapientia a mente, ei conveniet esse Spiritum; ergo processio Filii est per modum spirationis.

7. Item, principium sciendi vel intelligendi est proprie sapientia; si ergo [e] Spiritus Sanctus est principium sciendi et intelligendi proprie, in quantum huiusmodi proprie est sapientia. — Probatio mediae: I ad Cor. 2,10: *Nobis revelavit Deus per Spiritum,* et *Spiritus omnia scrutatur,* et iterum [2]: *Accepimus Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus.*

8. Item, intelligentia proprie generatur a mente; cum ergo Spiritus Sanctus sit spiritus intelligentiae, generabitur. — Probatio mediae: Sap. 7,22: *In illa est spiritus intelligentiae, sanctus* etc.

9. Item, spiritus [f] dicitur principium sciendi et intelligendi, amor est principium diligendi, sapientia principium sciendi; ergo sicut proprie dicitur Spiritus Sanctus amor, proprie debet dici sapientia.

10. Item, quod est interpretativum intellectus veritatis est verbum [3]; sed Spiritus Sanctus est interpretativus intellectus [g] veritatis; ergo ipse est Verbum. — Probatio mediae: Ioan. 16,13: *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* et 14,26: *Docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero* [h] *vobis.*

Contra: *a.* Augustinus, XV *De Trinitate* [4]: « Non dicitur in hac Trinitate Verbum nisi Filius, nec Donum nisi Spiritus Sanctus, nec de quo genitum est Verbum nec de quo procedit Spiritus [i] nisi Pater ».

b. Item, Augustinus, in eodem [5]: « Sicut unicum Dei Verbum vocamus proprie nomine sapientiae, cum sit universaliter et Spiritus Sanctus et Pater ipsa sapientia, ita Spiritus Sanctus nuncupatur proprie vocabulo caritatis, cum sit et Pater et Filius [k] universaliter caritas ».

Respondeo quod amor dicitur multipliciter. Uno modo dicitur complacentia boni simpliciter: sic convenit tribus personis; alio modo dicitur motus liber sive liberalis voluntatis [l] boni ab alio, scilicet ab ipsa potentia quae est voluntas. In quantum igitur consideratur ut motus liber sive liberalis voluntatis [m], sic appropriatur Patri sub illa ratione qua dicit Richardus [6] quod amor gratuitus appropriatur Patri; in quantum consideratur ut [n] liberalis motus ab aliquo, sic appropriatur Filio sub illa ratione qua dicit Richardus quod amor [o] permixtus appropriatur Filio; in quantum consideratur praecise ut ab alio, sic appropriatur Spiritui Sancto sub illa ratione qua dicit Richardus quod amor debitus appropriatur Spiritui Sancto. In caritate igitur est considerare conditionem aliquam quae proprie convenit Patri, aliquam quae proprie convenit [p] Filio, aliquam quae proprie Spiritui Sancto; et ratione huius appropriationis dicitur quandoque convenire uni, quandoque alteri. — Vel aliter: caritas sive amor dicitur multipliciter: communiter, per appropriationem et [q] proprie. Cum enim amor sive caritas sit voluntas boni, voluntas autem sumitur multipliciter, et amor dicetur multipliciter — voluntas autem dicitur potentia volendi, dicitur similiter motus ipsius potentiae, dicitur etiam ipsum volitum [7] — iuxta hanc diversitatem transumitur ad divina. Secundum quod voluntas dicitur ipsum volitum: sic est idem quod [r] complacentia boni, et sic sumitur communiter et convenit toti Trinitati. Secundum autem quod voluntas dicitur potentia: sic potest sumi ut est movens se ipsam [s]. Est enim in duplici ratione, scilicet potentiae et instrumenti: dicit enim Anselmus [8] quod « voluntas est instrumentum se ipsum movens ». Ut autem est movens, sic illi competit ratio principii, et sic convenit Patri; secundum autem quod consideratur ut est [t] mota, a qua est actus vel motus, sic convenit Filio; secundum quod voluntas dicitur motus elicitus a voluntate ut est movens et mota, sic convenit Spiritui Sancto. Et iuxta hunc typum sumitur amor ut est donum sive emanatio [u] liberalitatis a condilectis [v], et sic est

---

[a] BR *convenit.* [b] B add. *sanctus.* [c] G om. *cum... spiretur.* [d] PVS *sicut.* [e] BRGL add. *ipse.* [f] PVSL add. *sanctus.* [g] S om. [h] P *dico.* [i] V om., S. add. *sanctus.* [k] S add. *et Spiritus Sanctus.* [l] VL *voluntas.* [m] L *voluntas.* [n] S om. [o] G om. *gratuitus... amor.* [p] BRGL om. [q] L om. [r] R om. [s] L *sapientiam* pro *s. i.* [t] S om. [u] PV *amor,* quod S exp. et corr. in mg. [v] B *cum a dilectis* pro *a. c.,* V om. *est.*

[1] Lib. XV, c. 17, n. 31 (PL 42, 1082).
[2] I Cor. 2, 12.
[3] Cf. Damasc., *De fide orthod.,* I, c. 21 (PG 94, 939); Augustin., *De Trinit.,* IX, c. 7, n. 12 (PL 42, 967).
[4] Cap. 17, n. 29 (PL 42, 1081).
[5] Cap. 17, n. 31 (PL 42, 1082).
[6] Cf. *De Trinit.,* V, cc. 16, 17, 19, 20 (PL 196, 962, 963), ubi et sequens.
[7] Cf. supra, p. 368a, sub *Respondeo.*
[8] *De conc. praesc. Dei cum lib. arb.,* c. 11 (PL 158, 537).

Spiritus Sancti proprie. Secundum igitur quod voluntas dicitur volitum, quod est complacentia boni, sic sumitur communiter et convenit toti [a] Trinitati; secundum quod est principium movens, sic appropriatur Patri; secundum quod est principium motum [b], principium dico voluntatis quae est motus, sic appropriatur Filio; secundum quod est motus exiens a voluntate sic dupliciter considerata, sic convenit Spiritui Sancto proprie, quia iuxta hanc similitudinem, ut dictum est [1], est donum sive emanatio liberalitatis a condilectis. Licet igitur amor quodam modo conveniat toti Trinitati et quadam appropriatione Patri et Filio, tamen, prout proprie sumitur, convenit Spiritui Sancto et proprie, secundum quod dicit Augustinus, in VI *De Trinitate* [2]: « Tria sunt et non amplius: unus diligens eum qui de illo, et alius diligens de quo est, et ipsa dilectio ».

[Ad obiecta]: 1-2-3. Et per hoc patet solutio ad tria primo obiecta.

4. Ad quartum dicendum quod formaliter loquendo omnis amor est gratuitus, quia quod ex amore impenditur, non ex debito, sed liberaliter impenditur. Referendo ad causam motivam amoris accipitur illa [c] differentia Richardi: amor debitus et gratuitus et ex utroque permixtus. Nam amorem gratuitum nihil acceptum movet, sed pura libertas [d] amantis; amorem debitum tantum movet acceptum bonum [e]; in amore vero ex utroque permixto concurrit utrumque. Amor vero gratuitus non habet originem ab alio, amor vero debitus tantum habet originem ab alio nec est origo alterius, amor vero ex utroque coniunctus habet originem ab alio et est origo alterius; propterea Patri convenit amor gratuitus, Spiritui Sancto amor debitus, Filio amor ex utroque permixtus [f]. Quoniam autem amor, in quantum huiusmodi, proprie dicit in ratione procedentis et habentis originem ab alio, videlicet ab amante vel ab amantibus sese, non autem dicit rationem originis ad alium, sed ab alio: ideo proprie amor dicetur Spiritus Sanctus, qui habet originem a Patre et Filio et non est origo alterius personae.

5. Ad quintum dicendum quod donum dicitur dupliciter: dicitur enim donum quod datur et dicitur donum quod datur in ratione doni, hoc est dicere: est donum in ratione doni et est donum non [g] in ratione doni. Donum in ratione doni est amor, quia [h] eo omnia dona donantur et etiam ipse datur; dona vero [i] non in ratione doni sunt quae ex amore dantur, non tamen sunt amor. Summum ergo inter dona, quae ex amore dantur, est sapientia; tamen summum donum in ratione doni est amor, et ideo amor proprie donum est, et non sapientia.

6. Ad sextum patet solutio ex praedictis.

7. Ad septimum dicendum secundum B. Augustinum, in libro *De anima et spiritu* [3], quod « omnis usus deitatis est nobis ex munere », quod est Spiritus Sanctus; unde « quodam modo », sicut ipse dicit, « videtur nobis esse proprior Spiritus Sanctus ». Et hoc est quia ipse amor est secundum proprietatem, qui et datur nobis primo, et [k] per ipsum datur nobis Filius et Pater et etiam eis appropriata, videlicet sapientia quae appropriatur Filio, et potentia quae appropriatur Patri; unde est inspirator sapientiae, secundum quod dicit Apost., I Cor. 2,10, et etiam donator potentiae; propterea dicitur de ipso [l], Luc. ultimo, 49: *Sedete hic in civitate, donec impleamini virtute* [m] *ex alto*. Quamvis ergo tota Trinitas sit principium sapientiae, potentiae et etiam [n] bonitatis in nobis, tamen Spiritui Sancto appropriatur omne donum Dei, quia ipse est amor; unde licet sit principium sapientiae et intelligentiae in nobis, non tamen appropriatur ei esse [o] sapientia, sed donum, ratione iam dicta [4].

8. Ad octavum dicendum quod *spiritus intelligentiae* potest dici dupliciter: transitive et intransitive. Intransitive, ut dicatur *spiritus intelligentiae* spiritus qui est intelligentia, et hoc modo accipitur ibi; vel transitive, et sic supponit vel pro persona Filii, cuius est Spiritus Sanctus tamquam [p] ab ipso procedens, vel pro effectu [q] in creatura, quia intelligentia in nobis est a Spiritu Sancto. Intelligentia etiam [r], secundum quod ponitur [s] intransitive, potest accipi essentialiter et personaliter: essentialiter, convenit toti Trinitati, et etiam potest dici 'Spiritus Sanctus est intelligentia'; personaliter, sic appropriatur Filio.

9. Ad nonum patet solutio ex praedictis [t] [5].

10. Ad decimum dicendum, secundum Richardum de S. Victore [6]: « Quoniam verbum a corde procedit et [u] per ipsum cordis sagacitas innotescit, recte Filius Verbum Patris dicitur, per quod vel per quem paterna caritas manifestatur; in Patre omnis veritatis conceptio, in eius Verbo omnis veritatis probatio, in Spiritu Sancto omnis veritatis auditio, iuxta hoc quod dicitur in Evangelio Ioan. 16,13: *Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur*. Non igitur Pater potest dici Verbum, qui

---

[a] PVSL om. [b] V *motivum*. [c] BRG *ista*. [d] G *liberalitas*. [e] R *tantum*. [f] Ita RL, alii *commixtus*, R om. *autem*. [g] S om. [h] R add. interl. *in*. [i] BRG om., PVS om. *non*. [k] PVSL om. [l] R *eo*. [m] PVS *spiritu*. [n] PV om. [o] L om. [p] G *tamen*. [q] B *defectu*, quod R corr. [r] S *autem*. [s] V *potentie*. [t] R *dictis*. [u] S *vel*.

1 Cf. p. 444b, sub *Respondeo*.
2 Cap. 5 (PL 42, 928).
3 Cap. 6 (auctore Alchero, PL 40, 783).
4 Hic et p. 444b, sub *Respondeo*.
5 Cf. *ad 8*.
6 *De Trinit.*, VI, c. 12 (PL 196, 977).

non est ab aliquo, sed nec Spiritus Sanctus, qui non est ab uno solo, sed solus Filius, qui [a] est ab uno solo, a quo emanat omnis veritatis [b] manifestatio ». Ratio igitur essendi Verbum non est interpretatio veritatis, sed requiritur cum hoc 'esse ab uno', ut vult Richardus [c].

308 ARTICULUS III.

An procedere per modum nexus sit Spiritus Sancti [1].

Ad tertium proceditur sic [d]. *a.* Augustinus, in VI *De Trinitate* [2]: « Sive Spiritus Sanctus sit unitas amborum sive sanctitas sive caritas, manifestum est quod non est aliquis duorum quo uterque coniungitur ». Ergo Spiritus Sanctus est unitas Patris et Filii et nexus.

b. Item, Augustinus, in eodem [3]: « Spiritus Sanctus commune est aliquid Patris et Filii, quidquid est illud »; at [e] ipsa communio consubstantialis est et coaeterna.

c. Item, in [f] XV libro *De Trinitate* [4]: « Spiritus Sanctus, qui [g] est communis ambobus, id [h] vocatur proprie quod est amborum commune ». Ex hoc relinquitur quod ipse Spiritus Sanctus est nexus et unio Patris et Filii.

d. Item [5]: « Amor est copula amantis et amati ». Si ergo Spiritus Sanctus amor est Patris et Filii, hoc est amor quem habet Pater ad Filium et Filius ad Patrem, relinquitur quod Spiritus Sanctus est nexus et unio Patris ad Filium. — Quod autem ita sit, Hieronymus, *Super 17 [i] Psalmum* [6], dicit: « Spiritus Sanctus amor est et dilectio, quem habet Pater in Filium et Filius in Patrem ».

Contra: 1. Cum Spiritus Sanctus sit unitas amborum, aut dicitur unitas essentialiter aut personaliter aut [k] notionaliter. Non dicitur unitas essentialiter, quia unitas ista amborum est relata ad ambos, ad Patrem scilicet et Filium, unitas autem essentialis non est relata; nec dicitur personaliter, quia ambo non sunt una persona; nec notionaliter, quia unitas, quae est [l] ipse Spiritus Sanctus, non est ipsa notio quae est spiratio communis Patri et Filio, immo notio Spiritus Sancti, quae est processio, se habet per oppositionem ad illam. Relinquitur igitur quod nullo modo est communio Patris et Filii ipse Spiritus Sanctus.

2. Item, Pater et Filius se ipsis coniunguntur; ergo non coniunguntur vel connectuntur Spiritu Sancto.

3. Item, omne coniungens tenet rationem medii, non extremi; sed nullum procedens ab aliquibus tenet rationem medii, sed extremi; ergo nullum procedens potest esse medium coniungens in quantum huiusmodi. Cum ergo Spiritus Sanctus, in quantum huiusmodi, sit procedens a Patre et Filio, non est [m] vinculum vel nexus coniungens Patrem et Filium.

Respondeo: Dicendum [n] quod Spiritus Sanctus est vinculum et nexus sive communio Patris et Filii, et hoc multiplici ratione. Primo, quia est amor procedens a Patre et Filio communiter et uno modo; amor autem nexus est et vinculum amantium. Secundo, quia exit a Patre et Filio in unitate substantiae cum Patre et Filio; quod non posset esse nisi eadem esset et [o] una substantia Patris et Filii, et ideo ostendit unitatem substantiae [p] Patris et Filii; unde Augustinus, in XV *De Trinitate* [7]: « Caritas, qua Pater diligit Filium et Filius Patrem, ineffabilem communionem demonstrat amborum ». Tertio, quia exit a Patre et Filio per eamdem habitudinem et relationem sive notionem [q], quae est communis spiratio. Quarto [r], quia ipse Spiritus Sanctus est unio sive communio per quam nos unimur Deo et communicamus ipsam summam bonitatem et ipsa bona divina: ipse enim amor est, amor autem est primum donum; quidquid autem donatur proprie amore donatur [s], et ideo, quia ipso [t] omnia nobis donantur, per ipsum dicitur communio. Quatuor modis ergo dicitur communio sive unio vel nexus Patris et Filii: effective, quia ei attribuitur effectus unionis sive communionis Dei ad nos; relative, quia ipse refertur ad Patrem et Filium ratione unius habitudinis [u] vel relationis, quae

[a] PVS add. *non.* [b] L *veritas*, S *emanatio* pro *manifestatio.* [c] L add. *de S. Victore.* [d] L om. [e] SR *et.* [f] BRG om. [g] PVS om. [h] PVS *ideo.* [i] B om. [k] PVL *vel.* [l] PVS *quia* pro *q. e.* [m] R add. *in*, L *coniunctivum* pro *vinculum.* [n] BRG om. [o] P *in*, BRGL om. [p] R *essentie*, L om., in V est add. mg. [q] V add. mg. *trium personarum.* [r] BRGL *quarta ratio est.* [s] L *datur.* [t] P *ipse*, V *ipsa.* [u] PV *beatitudinis.*

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 10, c. 2 (p. 74 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 10, a. 2, q. 2 (I, 202 sq.). Inter errores anno 1241 die 13 ian. reprobatos (cf. supra, p. 148, nota 2) est: « Tertius, quod Spiritus Sanctus, prout est nexus vel amor, non procedit a Filio, sed tantum a Patre ». S. Bonav., *Opp. omnia*, II, 547. Cui Magistri opponunt: « Hunc errorem reprobamus, firmiter enim credimus, quod prout est nexus vel amor, procedit ab utroque ». Cf. Denifle-Chatelain, *Chartul. Univers. Paris.*, I, num. 128.

[2] Cap. 5, n. 7 (PL 42, 928). [3] Loc. cit.

[4] Cap. 19, n. 37 (PL 42, 1086).

[5] Cf. Augustin., *De Trinit.*, VIII, c. 10, n. 14 (PL 42, 960).

[6] PL 26, 863.

[7] Cap. 19, n. 37 (PL 42, 1086).

est communis spiratio, secundum quam est ab illis; ostensive, quia ipse ostendit unam et eamdem substantiam esse Patris et Filii; quasi formaliter, quia ipse est amor Patris et Filii [a].

Respondendum igitur ad obiecta. 1. Ad primum dicendum quod «unitas amborum» dicitur tripliciter: primo modo, intransitive, ut sit sensus: «unitas amborum», id est unitas quae est ambo, et haec est essentia; secundo modo dicitur «unitas amborum» unitas quae est in ambobus, haec est notionalis communis spiratio [b]; tertio modo unitas ab [c] ambobus, haec est personalis [d], scilicet Spiritus Sanctus [e].

2. Ad secundum dicendum quod cum dicitur 'Pater et Filius coniunguntur se ipsis', intelligitur hoc, quia sua essentia sunt unum. Item, cum dicitur [f] 'coniunguntur', hoc potest intelligi tripliciter: sua [g] communi natura vel sua communi habitudine, scilicet spiratione, vel suo communi procedente, scilicet amore, qui est Spiritus Sanctus. Et ex hoc patet solutio.

3. Ad aliud dicendum quod amor aliquorum duorum potest dupliciter considerari: primo, ut exit ab illis, et sic consideratur ut procedens et ut extremum; alio modo, ut est in illis, et sic consideratur ut spirituale vinculum et copula quo uniuntur affectus amantium. Secundum ergo hunc modum ipse Spiritus Sanctus uno modo est ut extremum, alio modo ut medium Patris et Filii.

ARTICULUS IV. 309

An praeter generationem et processionem sit alius modus productionis in divinis.

Circa quartum proceditur sic: 1. Cum tria sint principia in homine, natura, ratio et voluntas, cum in divinis sit una processio sive productio per modum naturae, scilicet processio Filii, alia per modum voluntatis, scilicet productio Spiritus Sancti, ergo debet esse tertia per modum rationis, vel quare non? Dignius enim quod sit inter omnes vires animae est ratio; si ergo dignius est in imagine creata, magis debet aptari et poni in imagine increata; si ponitur ibi productio per modum voluntatis et naturae, multo fortius debet ibi poni et est ibi productio rationis [h]: per hanc enim magis assimilatur Deo.

Contra: *a.* Productio dicitur per modum motus; sed omnis motus est violentus vel naturalis vel voluntarius; et violentus quidem divinis [i] aptari non potest, quia est in re solum quae trahitur in [k] alienam potestatem; ergo solummodo aptabitur divinis voluntarius et naturalis; ergo non erit ponere in Deo nisi productionem voluntariam et naturalem.

Solutio: Dicendum quod ibi est productio per modum rationis, sed non est aliud a productione naturali: in divinis [l] enim non aptatur productio cuiuscumque naturae, sed naturae dignioris, quae est rationalis natura, quae est imago Dei. Nec dicitur ibi generatio secundum quemcumque modum, sed secundum quod intelligentia a mente procedit, quae est prima productio naturae rationalis. Et hoc [m] patet per Augustinum [1], qui dicit generationem Filii per productionem intelligentiae a mente intelligi, et productionem Spiritus Sancti in productione amoris ab utroque, intelligentia videlicet et mente; sed productio per modum intelligentiae est productio per modum rationis quod patet: quia productio Filii est productio verbi mentalis, quod idem est quod intelligentia — eadem ergo [n] est productio naturae et rationis, quia est productio naturae rationalis.

CAPUT IV. 310

A QUO SIT PROCESSIO SPIRITUS SANCTI.

Consequenter quaeritur a quo sit processio Spiritus Sancti aeterna [o] [2].

Nam Graeci negant eam esse a Filio et dicunt solum a Patre Spiritum Sanctum procedere. Et ad hoc inducunt auctoritates et rationes, scilicet ad confirmationem sui erroris:

1. Primo auctoritatem Ioannis Damasceni, in I *Sententiarum* [3]: «Spiritus Sanctus virtus est sanctificativa [p] a Patre indistanter procedens et

---

[a] B om. *e. F.* [b] BRG add. *scilicet.* [c] R *de.* [d] RG *persona*, quod B corr. [e] Ita VL, alii *sancti.* [f] V add. *quod*, B add. *cum.* [g] G *sui.* [h] S add. *ibi.* [i] R *divinitus.* [k] G *ad.* [l] G *dicimus* pro *i. d.*, BR om. *in.* [m] L om. [n] S om., P om. *est.* [o] V om. [p] PVSGL *sanctificata.*

[1] Cf. *De Trinit.*, XV, c. 7, n. 12; c. 18, n. 32; c. 19, n. 37 (PL 42, 1066, 1083, 1086).

[2] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 11, cc. 1 et 2 (p. 77 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 11, a. un., q. 1 (I, 209 sqq.).

[3] *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 855 sq.). De titulo *Sententiae* vel *Liber Sententiarum Damasceni*, quo saepius vocatur *De fide orthodoxa*, cf. J. de Ghellinck, *Le mouvement théologique du XIIe siècle*, Paris 1914, p. 275 sq.

in Filio requiescens ». Ergo Spiritus Sanctus est a Patre in Filium; non igitur est a Filio.

2. Item, idem, in eodem [1]: « Filium dicimus Patris Filium, et procedere dicimus a Patre Spiritum Sanctum; Filii vero Spiritum dicimus Sanctum, non tamen a Filio procedere dicimus ».

3. Item, Dionysius [2]: « Ex immateriali et impartibili bono cordialia bonitatis exorta sunt lumina, et ab ea [a] quae ab ipso et in se ipsis ad invicem coaeternae pullulationis remanserunt irrecessibilia ». Ex qua auctoritate volunt dicere quod Filius et Spiritus Sanctus procedunt a Patre ita quod neuter ab alio.

4. Item, Dionysius [3]: « Filius et Spiritus Sanctus sunt quasi divina semina [b] vel quasi flores, et quasi lumina superessentialia ea sumimus; qualiter autem [c] sint nec intelligere nec vere dicere possumus ». Volunt ergo dicere quod Filius et Spiritus Sanctus sunt quasi duo rivuli [4] a Patre procedentes ita quod neuter ab alio.

5. Item, Gregorius Theologus, in *Sermone de Spiritu Sancto* [5]: « Sicut radii solaris luminis ab ipso procedentes [d] non separantur nec ab invicem abscinduntur [e] et usque ad nos luminis emittunt claritatem, eo modo Filius et Spiritus Sanctus [f], geminus Patris radius, usque ad nos miserunt lumen claritatis [g] et Patri sunt coniuncti ».

Ex quibus auctoritatibus arguunt quod neuter procedit ab alio, sed uterque procedit a Patre.

6. Item, obiciunt quod non invenitur in Evangelio quod Spiritus Sanctus procedat a Filio, sed solum quod *procedit a Patre*, Ioan. 15,26, ubi fides integra continetur; propterea non est aliquo modo dicendum [h] nec credendum quod Spiritus Sanctus procedat a Filio.

7. Item, non est expressum « in principalibus quatuor Conciliis [6] quae apud illos celebrata sunt, in quibus subiunguntur anathemata [i] ut nulli de Trinitatis fide aliud docere vel praedicare quam ibi contineatur liceat [7] ». Unde arguunt nos anathematis reos, quia quicumque Spiritum Sanctum a Filio procedere inquiunt, addunt.

8. Item, obiciunt quod non continetur in Symbolis [k], maxime in illo [l] quod scripsit « Leo Papa in tabula argentea post altare B. Pauli [m] Apostoli [8] » nec etiam in Symbolo « quod cantatur in Missa, quod [editum] fuit in Nicaeno Concilio, in cuius fine subiunctum est: Qui aliud docuerit vel aliter praedicaverit, anathema sit [9] ».

9. Item, obiciunt: Unde habent illud Latini? quia [n] nec a Scriptura nec a Conciliis nec a Symbolis.

10-11. Si dicatur quod habeant per revelationem [10]: sed cum Deus [o] velit *omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* [11], quare non fuerunt eorum episcopi convocati cum hoc [p] adderetur Symbolo fidei?

12. Item, per rationes videtur idem ostendi. Nam constans est quod potentia cognitiva potest egredi in actum suum non egrediente motiva in actum suum et, e converso, potentia motiva potest egredi in actum suum non egrediente cognitiva in actum suum, quia voluntas libera est et ideo nulli alii adstricta est; si autem libera est, egreditur in actum suum libere, non dependens a cognitiva quae prius egrediatur in actum suum, tamen aliquando per illuminationem rationis egreditur motiva in actum suum, non tamen hoc est necessarium. Cum ergo summa libertas sit in Deo, et egressio sit duplex, egressio in velle et egressio in cognoscere — et egressio in velle est quam concomitatur processio Spiritus Sancti a Patre, et egressio in cognoscere quam concomitatur [q] generatio Filii a Patre — ergo non dependent ab invicem esse Filii a Patre et esse Spiritus Sancti a Patre; sic ergo uterque procedit quod neuter procedit ab alio [r].

13. Item, procedere est [s] ab aliquo in aliquid; cum ergo Spiritus Sanctus procedat aeternaliter, ab aliquo procedit et in aliquem; sed Ioan. 15,26 dicitur quod *procedit a Patre;* quaeritur ergo in quid. Non est invenire nisi in [t] Filium, quia non procedit in se ipsum; procedit igitur a Patre in Filium; non ergo procedit a Filio.

14. Item, si procedit a Filio, quaeritur in quid. Non in se ipsum; ergo in Patrem, quia non est [u] ibi alius; ergo procedit a Filio in Patrem [v]; ergo Pater recipit a Filio: quod falsum est et inconveniens, cum ipse sit primus fons, primum principium.

15. Item, ad Hebr. 1,3, Apostolus comparat generationem Filii a Patre generationi splendoris a luce; ergo simili ratione poterit comparari [x]

---

[a] G *eo.* [b] VG *scientia.* [c] G om. [d] Codd. *procedentis.* [e] PV *absconduntur.* [f] V add. *scilicet.* [g] R *luminis claritatem* pro *l. c.* [h] S add. *quod.* [i] L *anathematas;* codd. *nullus* pro *nulli.* [k] L *symbolo.* [l] RL *eo,* R om. *in,* B om. *l. l.,* SL *quem* pro *quod.* [m] L *Petri,* B om. *Apostoli.* [n] BRG *quod.* [o] B om. [p] S *hec.* [q] G om. *processio... concomitatur.* [r] P *illo.* [s] S om. [t] V om. [u] G om. [v] L om. *quia non... Patrem.* [x] G *comprobari.*

1 Loc. cit., c. 8 (PG 94, 831).
2 *De myst. theol.*, c. 3 (PG 3, 1034, PL 122, 1174).
3 *De divin. nomin.*, c. 2, § 7 (PG 3, 646, PL 122, 1123).
4 Cf. Anselm., *De process. Spir. S.*, c. 17 (PL 158, 310).
5 *Epist. 26, Ad Evagrium* (PG 46, 1106).
6 Nempe Nicaenum I (a. 325), Constantinopolitanum I (a. 381), Ephesinum (a. 431) et Chalcedonense (a. 451).
7 Lombard., loc. cit., c. 1 (p. 78).
8 Lombard., loc. cit., ubi et sequens. De Symbolo Leonis Papae III cf. Leo III, *Epistola* 15 (PL 102, 1051); Denz.-Bannwart, *Enchir.* (ed. 11, p. 38, nota 1).
9 Cf. Denz.-Bannwart, loc. cit., n. 54.
10 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 11, a. un., q. 1 (I, 210a, n. 10).
11 Cf. I Tim. 2, 4.

processio Spiritus Sancti processioni caloris a sole [1]. Si ergo calor non dicitur procedere a splendore, sed solum a sole, Spiritus Sanctus non debet dici procedere a Filio, sed solum a Patre.

16. Item, Filius est a Patre ut verbum a dicente, Spiritus Sanctus a Patre ut spiritus a spirante; ergo Spiritus Sanctus se habet ad Filium ut spiritus ad verbum; sed spiritus est vehiculum verbi [a] et nullo modo dicitur procedere a verbo, sed a spirante; ergo similiter nec Spiritus Sanctus procedit a Filio, sed solum a Patre.

Contra: *a.* Ioan. 15,26: *Cum venerit Spiritus Sanctus* [b], *quem ego mittam vobis a Patre.* Ergo Spiritus Sanctus mittitur a Filio; sed qui mittitur ab aliquo, procedit ab eo; ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio.

b. Item, Ioan. 14,26: *Paraclitus autem* [c] *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo,* id est in virtute mea. Ergo Spiritus Sanctus habet virtutem a Filio; ergo cum ab eodem sit [d] in ipso virtus et esse, habet esse a Filio.

c. Item, Ioan. 16,13: *Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur* etc. Super hoc dicit Augustinus [2]: « Cur non credamus quod a Filio procedit Spiritus Sanctus, cum similiter ab eo loquatur? »

d. Item [e], ibidem [3]: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet;* sed constat quod non accipiet ab eo creatum quid; ergo ab eo accipiet increatum; increatum igitur donum accipit [f] ab eo; sed idem est esse et esse donum; ergo accipiet ab eo esse; ergo procedit a Filio.

e. Super illud: *De meo accipiet,* dicit [g] Ioannes Chrysostomus [4]: « Id est de mea cognitione »; sed a quocumque accipiet cognitionem Spiritus Sanctus, ab eodem [h] accipit essentiam; ergo habet esse sive essentiam a Filio; ergo procedit ab ipso.

f. Item, Augustinus [5], super Ioan. 16,13: *Quaecumque audiet, loquetur:* « Cur non credamus quod de Filio procedit Spiritus Sanctus, cum sit Filii Spiritus? Si enim ab eo non procederet, non post resurrectionem se repraesentans discipulis insufflasset eis, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum,* Ioan. 20,22. Quid enim aliud significat nisi quod procedit Spiritus Sanctus de ipso? »

g. Item, Marc. 5,30 [6]: *Ego sensi de me virtutem exiisse.* Augustinus [7]: « Nomine 'virtutis' Spiritus Sanctus intelligitur »; Luc. 1,35: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi,* et ultimo, 49: *Sedete in civitate, donec induamini* [i] *virtute ex alto.* Ergo Spiritus Sanctus [k] exit et procedit a Filio.

h. Item, sunt aliae auctoritates plures Doctorum graecorum: Athanasii, Didymi, Cyrilli, Ioannis Chrysostomi, in *Sententiis,* dist. 11 [8].

i. Item, idem ostenditur per rationes [l]. Supposita hac propositione quod « omnis amor procedat ab amante, cum Spiritus Sanctus sit amor Filii quo Filius amat Patrem, ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio [9] ».

k. Item, si duae personae immediate procederent a Patre ita quod non una ab alia, cum [m] ex parte Patris non sit nisi unus existentiae modus, omnino idem modus esset exeundi [n] duarum personarum a Patre; ergo si una existeret per modum generationis, et alia; utraque ergo [o] esset Filius; et si una esset Verbum, et alia; ergo cum unicum sit Verbum summe perfectum ad dicendum omnia, nugatio [p] esset in Patre si protulisset Verbum aliud [q]. Relinquitur igitur quod non potest poni quod duae personae procedant a Patre ita quod neutra ab alia; procedit igitur vel Filius a Spiritu Sancto vel Spiritus Sanctus a Filio; sed non Filius a Spiritu Sancto; ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio.

l. Item [10], si procederent duae ab una [r] ita quod neutra ab altera, non esset summa germanitas vel convenientia; ergo nec summus amor: quod est inconveniens.

m. Item, si duae personae procedunt immediate ab una, aut procedunt secundum unum modum vel secundum alium et alium. Si secundum modum unum: ergo si una est Filius, et alia; si secundum alium et alium modum: tunc penitus inter eas nulla esset [s] germanitas vel convenientia personalis habitudinis, quia secundum illum modum nunquam ad invicem referrentur: quod est inconveniens [t]. Relinquitur igitur quod sic [u] duae personae procedunt ab una, ita quod una procedat ab una sola et alia procedit ab una cum alia.

n. Item, in imagine trinitatis creatae est amor non solum procedens a mente, sed [v] a mente et notitia; ergo similiter in Trinitate increata Spiritus Sanctus non solum procedit a Patre, sed a Patre et [x] Filio.

o. Item, Gal. 4,6: *Misit Deus Spiritum Filii* [y]; unde bene dicitur Spiritus Filii. Sed quae est habitudo hic notata [z]? Constans est quod habitudo

---

[a] PV *verbum,* quod S corr. [b] R add. interl. *Paraclitus.* [c] BRGL om. [d] L *sive* et om. *cum.* [e] R add. *idem.* [f] BG *accepit.* [g] BRGL om. [h] L *eo.* [i] GL *impleamini.* [k] B om. [l] R *rationem,* S om. *idem.* [m] P om. [n] G *exequendi.* [o] G om. [p] P *nugratio.* [q] R *illud.* [r] B *unica.* [s] BRGL *erit.* [t] L *conveniens.* [u] SL *si.* [v] L add. *etiam.* [x] R add. *a.* [y] P add *in corda nostra.* [z] G *vocata.*

1 Cf. Anselm., *De process. Spir. S.,* c. 14 (PL 158, 307).
2 *In Ioan.,* tr. 99, n. 7 (PL 35, 1889).
3 Ioan. 16, 14.
4 *In Ioan.,* hom. 78 (PG 59, 423 sq.).
5 Cf. ad litt. *c.*
6 Rectius Luc. 8, 46.
7 Loc. cit., ad sensum.
8 Cap. 2 (p. 79 sqq.).
9 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 2, p. 4 (f. 3c).
10 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 3b), etiam pro sequenti argumento.

genitivi [a] dicit habitudinem in prima ratione gignentis ad genitum; sed si diceretur 'Spiritus Sanctus a Filio', haec praepositio 'a' notaret originem; ergo cum magis proprie dicatur quod [b] Spiritus Sanctus habet originem [c] a Filio quam generationem, adhuc [d] magis proprie dicetur Spiritus Sanctus a Filio quam Spiritus Filii.

Solutio: Dicendum quod 'procedere' dicitur dupliciter. Uno modo dicitur 'procedere' in motu locali motus [e] ab aliquo in aliquid; alio modo dicitur 'procedere' in exitu causati [f] a causa vel motus a movente. Secundum primum modum [g] 'procedere' requirit duplicem terminum: a quo et in quem; secundum modum secundum non requirit nisi unum, scilicet a quo. Unde et secundum hos duos modos potest transumi ad processionem Spiritus Sancti verbum 'procedendi'. Graeci vero verbum procedendi transtulerunt a motu locali; unde processionem Spiritus Sancti aeternam [h] intellexerunt ab aliquo in aliquem. Et ideo secundum hunc modum non concesserunt quod procederet Spiritus Sanctus a Filio, quia ex hoc sequeretur quod procederet a Filio in Patrem: quod non est conveniens, cum in ipso Patre sit ratio primi principii et nihil habeat Pater a Filio; si autem diceretur quod procederet a Filio in Patrem, videretur Pater aliquid habere a Filio. Sed concesserunt quod procedat a Patre [i] in Filium: in quo ostenditur quod est amor Patris ad Filium et etiam insinuatur quod Filius habeat esse a Patre. Latini vero transumunt verbum 'procedendi' ab exitu sive [k] processu causati a causa. Unde dicunt quod procedere est ab aliquo exire, quamvis non in aliquem, secundum quod dicitur a mente et notitia procedere amor [l], quamvis non intelligitur in aliquid. Et secundum hunc modum dicunt Latini quod Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, quia exit ab utroque velut amor a notitia et mente.

[Ad obiecta]: 1-2. Et per hoc patet responsio ad auctoritates Ioannis Damasceni [1]; nam ipse accipit 'procedere' secundum primum modum.

3-4-5. Ad auctoritates vero [m] Dionysii et Gregorii Theologi dicendum quod cum dicuntur [n] coaeternae pullulationes vel duo lumina vel duo semina vel duo radii Filius et Spiritus Sanctus a Patre, non negatur per hoc quod unus, scilicet Spiritus Sanctus, non habeat originem ab alio, videlicet a Filio, sed per hoc insinuatur in Patre ratio primae originis [o] et primi principii et duplex modus emanationis vel exitus a primo principio, Patre: unus conveniens Filio, qui fluit per generationem, alius Spiritui Sancto, qui fluit per processionem.

6. Ad sextum respondendum, secundum Augustinum, in V libro *De Trinitate* [2]: « Cur dixit Filius: *De Patre procedit* [3], si de Patre et Filio procedit Spiritus Sanctus? nisi quia solet ad eum referri etiam quod ipsius est [p] de quo et ipse est, sicut ipse Ioannes dicit [4]: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me;* si igitur hic intelligitur eius doctrina, quam tamen dixit esse non suam, sed Patris, quanto magis illic intelligendus est Spiritus Sanctus de ipso procedere, ubi ait: *De Patre procedit,* ut non diceret 'de me non procedit'! » Quapropter qui potest intelligere in eo quod ait Filius, Ioan. 5,26: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* [q], intelligat etiam [r] sicut habet in se ipso Pater ut de illo procedat Spiritus Sanctus, sic dedit [s] Filio ut de ipso etiam procedat Spiritus Sanctus [t].

7. Ad septimum respondendum, secundum Augustinum [5], quod 'addere aliud' est addere contrarium, secundum quod dicitur ad Gal. 1,8: *Qui aliud evangelizaverit vobis, anathema sit;* unde 'docere aliud' est docere contrarium; non ergo dixit Apostolus: si quis [u] addiderit, quia « sibi praeiudicaret, qui », ait [v] [6], I Thess. 3,10, « cupiebat ad eos venire ut suppleret quae illorum [x] fidei deerant; sed qui supplet quod minus erat, addit, non quod inerat, tollit ». Secundum ergo hunc modum dicendum est quod Latini addentes, quod verum erat, Spiritum Sanctum procedere a Filio, quatuor Conciliis et etiam Symbolis non [y] aliud praedicaverunt, id est contrarium, sed veritatem inexplicatam expresserunt [7].

8. Ad octavum dicendum quod ex hoc quod non continetur in Symbolo quod scripsit Leo Papa nec etiam in illo quod cantatur in Missa

---

[a] V *geniti.* [b] PVS add. *ipse.* [c] G om. *ergo... originem.* [d] PVS om. [e] PS *qui motus,* L *qui motus est.* [f] B *creati.* [g] R om. [h] S om. [i] G om. *a. P.* [k] S *sine.* [l] L add. *est.* [m] RG om. [n] S *dicunt,* V *eterne* pro *coaeternae.* [o] L om. *p. o.* [p] B om: *Spiritus... est.* [q] B om. *sic dedit... semetipso.* [r] S *autem.* [s] B add. *etiam.* [t] G om. *sic... sanctus.* [u] P *quid,* BRG *aliquis.* [v] BG om., BRGL *quia* pro *qui.* [x] B *illarum.* [y] L *nec.*

[1] In textum Damasceni notat Bonav., I *Sent.*, d. 11, a. un., q. 1 (I, 213, *ad 9*): « Ad illud quod obiicitur de Damasceno, dicendum, quod non est in ista parte ei assentiendum, sicut enim intellexi, ipse fuit in tempore, quando orta est contentio. Unde non est in hoc sustinendus, quia simpliciter fuit Graecus, tamen ipse caute loquitur ». Scotus tamen (*Oxon.* I, d. 11, q. 1, nn. 2 et 5), sequens Lincolniensem, contra alios scholasticos recte vindicat orthodoxiam Damasceni. Quod nunc a theologis communiter recipitur.

[2] Rectius *In Ioan.*, tr. 99, n. 8 (PL 35, 1889sq.); cf. *De Trinit.*, V, c. 14 (PL 42, 920).

[3] Ioan. 15, 26.

[4] Cap. 7, 16.

[5] Cf. *Glossa ordin., in Epist. ad Galat.*, c. 1, 8 (PL 114, 571), ad sensum, ex Augustino, *In Ioan.*, tr. 98, n. 7 (PL 35, 1884); Lombard., I *Sent.*, d. 11, c. 1 (p. 79), ubi et sequens.

[6] Nempe Augustinus, ut patet ex Lombardo, loc. cit.

[7] Cf. Anselm., *De process. Spir. S.*, c. 22 (PL 158, 317).

sive in[a] Nicaeno Concilio, non est argumentum quod non sit[b] dicendum, quia sicut dicit Anselmus, in libro *De processione Spiritus Sancti*[1]: « Non omnia quae credere et confiteri debemus ibi dicta sunt: non enim ibi dicitur Dominum ad infernum descendisse, quod tamen communiter credimus ».

9. Ad nonum dicendum quod consequitur ex fide et ex verbis Scripturae, scilicet Evangelii, sicut supra[2] ostensum est[c]. Unde dicit Anselmus, in libro *De processione Spiritus Sancti*[3]: « Si error est credere de Filio Spiritus Sancti processionem, ipsa divina auctoritas nos in errorem inducit[d], cum et illa, ex quibus[e] sequitur processio et quae illam sequuntur, nos docet nec alicubi[f] aut illam negat aut quod illi repugnat aliquo modo pronuntiat. Si ergo quia nusquam eam divina profert auctoritas, ideo non est dicendum, dicatur similiter quia nusquam illam negat nec aliquid dicit quod repugnet[g], non esse negandum: dicimus enim[h] quia satis illam affirmat, cum illa asserit unde probatur et[i] nullo modo aliquid significat unde negetur ».

10. Ad decimum dicendum, secundum[k] Anselmum, in eodem libro[4]: « Si quaeritur cur factum sit, dicimus quod necesse erat propter quosdam minus intelligentes, qui[l] non animadvertebant in illis, quae universa credit Ecclesia, contineri [et] ex iis sequi Spiritum Sanctum de Filio procedere: ne[m] forte hoc credere dubitarent. Quod quam[n] necessarium fuerit, per[o] illos qui hoc negant, quia in illo Symbolo positum non est, cognoscimus. Quoniam igitur et necessitas cogebat et ratio nulla[p] prohibebat et vera fides hoc[q] admittebat, fiducialiter asseruit Latinitas quod credendum et confitendum esse cognoscebat ».

11. « Quod autem[r] quaeritur quare hoc Graecorum Ecclesiae consensu factum non est, respondemus: quia nimis erat Latinis[s] difficile Graecorum episcopos ad consulendum de hac re colligere nec erat necesse, unde non dubitabant[t] in quaestionem adducere. Quae enim Ecclesia est, quae per amplitudinem unius regni[u] dilatatur, cui non liceat aliquid secundum rectam fidem constituere, quod in conventu populi utiliter legatur aut cantetur? Quanto magis licuit Romanis hoc constanter proferre in quo omnes gentes et omnia regna, quae latinis utuntur litteris, pariter concordant[v]! »

12. Ad duodecimum dicendum quod est comparare potentiam cognitivam motivae, ut comparentur[a] secundum actum vel secundum habitum[5]. Si comparentur[b] secundum actum: non necessario ordinatur[c] una ad aliam, immo utraque potest exire in actum suum sine altera. Si vero comparentur secundum habitum in quantum egreditur in actum, naturaliter ordinatur potentia cognitiva ad motivam ut principium eius, quia ad hoc quod ipsa egrediatur in actum necesse est praeexistere habitum cognitivae — ad hoc enim quod potentia motiva egrediatur in actum suum, quod est velle bonum, necesse est quod sit actu vel habitu praecognitum ipsum bonum — et quia in Deo[d] quidquid est est actu, non differt habitus ab actu: unde eadem est ratio in habitu et[e] actu. Ordine igitur naturae egressio per modum voluntatis, quae est processio Spiritus Sancti, habet, velut sui originem, egressionem quae est per modum cognitionis, quae est generatio Filii; ex quo relinquitur quod ipse Spiritus Sanctus est a Patre et Filio velut a[f] mente et intelligentia amor. Tamen Sancti, qui secundum ea, quae secundum nos sunt, de divinis loquuntur, aliquando accipiunt comparationem cognitivae et motivae secundum actum ad exprimendum quia sicut a potentia mentis est duplex exitus, cognitionis et voluntatis, ita et[g] a Patre est duplex exitus, generationis Filii et processionis Spiritus Sancti; et secundum hunc modum loquendi non exprimitur quod Spiritus Sanctus procedat a Filio. Aliquando accipiunt comparationem secundum habitum, in quantum refertur ad actum; et tunc ostenditur et exprimitur ordo naturae, qui est in hoc quod Filius a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque, velut intelligentia quae est per modum cognitionis a mente et amor per modum voluntatis ab intelligentia et mente.

13. Ad decimum tertium dicendum quod verbum 'procedendi'[h] potest transumi ad divina dupliciter[6]: ab exitu causati a causa sive processione, et hoc modo non dicit verbum 'procedendi' nisi exitum ab alio, non in aliquid, et hoc modo[i] convenit processioni aeternae[k] Spiritus Sancti; vel potest transumi a motu locali, et tunc dicit velut motum ab aliquo in aliquid, et hoc modo convenit processioni Spiritus Sancti temporali, quae intelligitur processio Spiritus Sancti a Patre et Filio ad sanctificandum creaturam.

14. Et per hoc etiam patet solutio ad decimum quartum obiectum.

---

[a] BRG om., in L est add. interl. [b] S *est*. [c] R om. [d] S *ducit*. [e] L om. [f] B *alibi*, quod R corr. [g] L add. *ideo*. [h] S om. [i] BG add. *quod*. [k] L *quod*. [l] BG *que*. [m] PVS *nec*. [n] S *quam quod* pro *q. q.* [o] R (corr.) *propter*. [p] S *illa*. [q] PVS *non*. [r] PVS *Ad illud autem quod* pro *Q. a.* [s] L *minus erat Latinitas* pro *n. e. L.* [t] PVS *dimittebant*. [u] Ita S (mg.) L, alii om.; V *nimis* pro *unius*. [v] PVS *concordent*.

[a] Codd. *comparetur*. [b] L *comparetur*. [c] PV *consideratur*, quod S corr. [d] G *ideo* pro *i. D.* [e] BG add. *in*. [f] R om. [g] R om. [h] L *producendi*, item infra. [i] G add. *non*. [k] G om.

1 Loc. cit.
2 Cf. p. 449, sub *Contra*.
3 Cap. 26 (PL 158, 321).
4 Cap. 22 (PL 158, 317), ubi et sequens locus.
5 Cf. supra, p. 370a, *ad 1*.
6 Cf. supra, p. 450a, *Solutio*.

15. Ad decimum quintum dicendum, secundum Anselmum, in libro *De processione Spiritus Sancti* [1]: « Dicunt Graeci quod sicut calor et splendor procedunt a sole ita quod neuter ab altero, ita Filius et Spiritus Sanctus possunt esse de Patre ut neuter sit ab altero. Sed si ita est, unde habent qui hoc dicunt quod Spiritum Sanctum confitentur esse Filii et Filium negant esse Spiritus Sancti? Nam sicut nulla ratio admittit ut splendor sit caloris aut calor splendoris [a], ita nec patitur veritas ut Spiritus Sanctus magis sit Filii quam Filius Spiritus Sancti. Quapropter si negare non audent Spiritum Sanctum esse Filii, negent Filium et Spiritum Sanctum ita esse pariter de solo Patre sicut sunt splendor et calor de uno sole ».

16. Ad ultimum [b] dicendum [2] quod est verbum interius et est verbum exterius et spiritus interior et spiritus exterior. Potest igitur fieri comparatio verbi interioris ad spiritum creatum interiorem, ut sic cognoscatur Spiritus increatus, qui Deus est, in distinctione personarum a Patre et Filio; vel potest fieri comparatio verbi exterioris ad spiritum exteriorem. Augustinus vero et Latini faciunt comparationem secundum primum modum; Ioannes vero Damascenus et Graeci secundum modum secundum [3]. Secundum [c] enim Augustinum, primo est mens, deinde verbum [d] sive cogitatio: cogitatio enim [e] mente concepta verbum est [4], consequenter vero ex utroque spiratur affectus amoris. Secundum vero Ioannem Damascenum et Graecos accipitur comparatio exterius secundum hunc modum: primo est intellectus, deinde verbum, scilicet vox quae exprimit intellectum dicentis, tertio spiritus sive flatus, qui est vehiculum verbi; intellectus enim format vocem et spirando in ipsa [f] voce ostendit se ipsum. In prima comparatione ostenditur qualiter [g] Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio; in secunda vero comparatione non [h] ostenditur quod Spiritus procedat a Verbo sive a Filio, sed quod uterque procedat a Patre. Quia ergo verbum interius verius est verbum quam verbum exterius — sicut dicit Augustinus, XV *De Trinitate* [5]: « Verbum, quod foris sonat, signum est verbi quod intus lucet, cui [i] magis competit verbi nomen; nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est » — ita et spiritus interior, qui est amor, verius est spiritus [k] quam spiritus exterior et etiam spiritualius et simplicius. Ex hoc [l] igitur magis debet accipi comparatio ad divina ex verbo et spiritu interiori; propterea verius Latini de divinis annuntiant quam Graeci. — Praeterea [m], verior est comparatio [n] imaginis Dei, quae in sola anima est, quam comparatio vestigii, quae est in aliis. Cum ergo Latini, assumpta comparatione imaginis creatae, loquantur de generatione Verbi aeterni et [o] processione Spiritus Sancti, Graeci vero sumpta comparatione vestigii, ut scilicet verbi corporalis et spiritus corporalis [p], verius et rectius loquuntur Latini quam Graeci. Non valent igitur rationes quae opponuntur a Graecis ex comparatione verbi exterioris et spiritus exterioris, vehiculi ipsius verbi, et ex comparatione splendoris et caloris.

311

CAPUT V.

SECUNDUM QUID SIT PROCESSIO SPIRITUS SANCTI.

Consequenter quaeritur secundum quid sit processio Spiritus Sancti.

Circa quod proceditur sic: 1. Aut enim procedit a Patre et Filio ex eo quod sunt unum aut ex eo quod sunt differentes. Si ex eo quod sunt unum: sed non sunt unum nisi in essentia; ergo secundum hoc essentia est principium sive origo processionis Spiritus Sancti; ergo essentia spirat Spiritum Sanctum: quod est falsum et supra improbatum [6]. Si vero ex eo quod sunt differentes: sed ex eo quod sunt differentes non conveniunt in aliquo; ergo ex eo quod sunt differentes non conveniunt in spiratione Spiritus Sancti; sed ex spiratione est processio Spiritus Sancti; ergo [q] processio Spiritus Sancti a Patre et Filio non est [r] ex eo quod [s] sunt differentes; ergo nulla ratio videtur esse quare processio Spiritus Sancti sit a Patre et Filio.

2. Item, obicitur: Pater et Filius spirant [t] Spiritum Sanctum: aut ergo secundum quod Deus aut secundum quod Pater et Filius aut secundum

---

[a] G om. *a. c. s.* [b] BRGL add. *vero.* [c] S om. [d] B om. *d. v.*; P nota mg. *Stephanus de Pulliniaco disputavit de verbo mentali satis bene. G.* [e] S add. *verba.* [f] P om. *i. l.* [g] S *quantum.* [h] G om. [i] G *cum.* [k] L om. [l] R *hac.* [m] R *propterea.* [n] G om. [o] G add. *de.* [p] L om. *e. s. c.* [q] L om. [r] BRG om. [s] L *quo.* [t] Ita B, alii *spirat*, G add. *Filium.*

1 Cap. 14 (PL 158, 307), ad sensum.
2 Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, VI, c. 12 (PL 196, 976 sq.).
3 Cf. supra, p. 450a, *Solutio* et *ad 1-2.*
4 Cf. Augustin., *De Trinit.*, IX, c. 7, n. 12 (PL 42, 967); Anselm., *Monol.*, c. 11 (PL 158, 159 sq.).
5 Cap. 11, n. 20 (PL 42, 1071).
6 Cf. supra, p. 424, *Solutio.*

quod uterque [a] est spirator. Si secundum quod Deus: cum Spiritus Sanctus sit Deus, Spiritus Sanctus spiraret se. Si [b] secundum quod Pater et Filius: sed secundum quod Pater generat, secundum quod Filius est genitus; ergo ratio generationis esset ratio spirationis. Praeterea [c], secundum quod Pater refertur ad Filium, secundum quod Filius refertur ad Patrem solum: ergo secundum relationes easdem, quibus ad se [d] invicem referuntur Pater et Filius, referrentur [e] ad Spiritum Sanctum: quod est falsum. Relinquitur igitur quod [f] nec secundum quod Deus nec secundum quod Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum. Si vero secundum quod utrique convenit esse spiratorem — contra: eo quod spirant, de utroque dicitur 'spirator', sicut supra dicebatur [1] quod Pater eo quod generat est Pater, non eo quod est Pater generat. Relinquitur igitur quod spirare [g] est magis ratio ei quod est esse spiratorem quam e converso; non videtur ergo aliqua ratio spirationis Patris et Filii; ergo nec processionis Spiritus Sancti.

Respondeo [h]: Secundum Richardum de S. Victore [2] dicendum quod sicut [i] maxima caritas, quae non potest non intelligi in summo bono, necessario probat generationem Filii a Patre et est ratio ipsius [k] generationis [3] — quia oportet quod [l] amor in alterum tendat ad hoc quod caritas esse queat, et ubi est summa caritas, oportet quod sit ibi persona volens alii bonum, quod bonum est ipse communicans illi, et hoc necessario erit secundum communionem totius substantiae: unde et generatio — ita et [m] ratio processionis Spiritus Sancti est caritas praecipua. Unde idem Richardus de S. Victore [n] [4]: « Sicut in summa caritate non potest deesse quod est optimum, ita nec potest deesse quod est [o] praecipuum; praecipuum autem in vera caritate est alterum velle diligi ut se ». « Quamdiu enim iste [p] ab alio solus diligitur, praecipuae dulcedinis suae delicias solus possidere videtur; similiter et alius, quamdiu condilectum non habet, praecipui gaudii communione caret; ut autem uterque possit istiusmodi delicias communicare, oportet eos [a] condilectum habere [5] », scilicet Spiritum Sanctum. Hinc est quod sicut Filius dicitur dilectus a Patre, ita Spiritus Sanctus condilectus; unde magis evidenter possumus dicere, secundum Richardum [6], quod sicut ratio generationis Filii a Patre est summa dilectio, ita ratio processionis Spiritus Sancti est [b] condilectio. Ratione enim [c] summae dilectionis, quae [d] intelligitur in persona Patris, est ratio generationis; condilectio vero summa, quae intelligitur in personis Patris [e] et Filii, est ratio processionis Spiritus Sancti ab eis. Unde Richardus: « Quando [f] unus alteri amorem impendit et solus solum diligit, dilectio quidem est, sed condilectio non est. Quando duo se mutuo diligunt et istius in illum, illius in istum affectus discurrit et [g] quasi in diversa tendit, utrobique quidem dilectio est [h], sed condilectio non est. Condilectio vero est cum a duobus diligentibus tertius concorditer diligitur et socialiter amatur et duorum [i] affectus tertii amoris incendio in unum conflatur. Ex iis itaque patet quod in ipsa divinitate condilectio locum [k] non haberet, si duobus existentibus tertia persona deesset ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo obiectum dicendum quod non procedit Spiritus Sanctus a Patre et Filio solum ex eo quod sunt unum vel ex eo quod sunt differentes, sed ex eo quod differentes sunt unum. Ex eo enim [l], sicut dicit Augustinus [7], quod « unus diligens eum qui de illo est et unus diligens eum a quo est » et etiam uterque Deus, tertium ponere necesse est, scilicet ipsum amorem, qui procedit de utroque, scilicet Spiritum Sanctum Deum.

2. Ad secundum dicendum [m] eodem modo quod [n] Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum non solum secundum quod Deus vel secundum quod Pater et Filius, sed secundum quod Pater et Filius Deus [8].

---

[a] V *ab utroque*, quod PS corr.; G om. *Deus... quod.* [b] BRG *Preterea si.* [c] B add. *si.* [d] R om. [e] PV *referentur*, R *referuntur.* [f] BRG om. [g] R *spiratio.* [h] L *responsio.* [i] S om. [k] S *illius.* [l] PVSL *ut.* [m] BRGL om.. [n] BRG om. *d. S. V.* [o] G om. *optimum... est*, quod in V est add. mg.; S om. *q. e.* [p] PVS add. *est.*
[a] G om. [b] G om. [c] BRG *ergo.* [d] S *quia.* [e] BG om. *est ratio... Patris.* [f] G *qui*, alii *quoniam.* [g] B om. [h] PVS om. [i] PVS *a duobus*, BG *duobus modis*, RL *duobus.* [k] G om. [l] VS add. *quod.* [m] PVS add. *quod.* [n] PVS *quo.*

1 Cf. num. 297.
2 Cf. *De Trinit.*, III, cc. 3 et 4 (PL 196, 916 sq.).
3 Cf. supra, num. 295.
4 Loc. cit., c. 11 (PL 196, 922).
5 Loc. cit., c. 15 (PL 196, 925).
6 Loc. cit., c. 19 (PL 196, 927), ubi et sequens.
7 *De Trinit.*, VI, c. 5, n. 7 (PL 42, 928).
8 De terminis usitatis in Quaestione de generatione Filii et processione Spiritus Sancti notat Praeposit., *Summa*, I (f. 83d): « Huiusmodi appellationes, 'Filius, Spiritus Sanctus, amor', translatae sunt a creaturis ad Creatorem et hoc nomen 'Filius' translatum est a creatura quae est de substantia alterius, ista autem 'Spiritus, amor' non sunt translata a creaturis quae sunt de substantia alterius. Nam flatus meus non est de substantia mea, et amor, qui procedit a mente, non est de substantia mentis, sed potius eius proprietas; et propter hoc non fuit dictum de Spiritu quod generaretur, sed quod tantum procederet, licet de substantia Patris sit. Ad hoc etiam pertinet quod 'amor' vel 'donum' non sunt unius tantum, sed unius ad alium. Unde cum Spiritus Sanctus sit amor Patris in Filium seu donum Patris ad Filium, non debuit dici genitus, quia est de substantia utriusque, scilicet Patris et Filii. Unde oportet quod sicut Pater esset pater eius ita et Filius, quod nunquam invenitur quod sint pater sive patres eiusdem ».

312

QUAESTIO II.

DE VERITATE PERSONARUM.

Capitulante divina gratia, ostensa pluralitate divinarum personarum ratione generationis Filii a Patre et ratione processionis Spiritus Sancti ab utroque, consequenter ostendenda est veritas personarum.

Ad quod sic: *a.* Richardus, in libro *De Trinitate* [1]: « Quando tres personas dicimus, quid aliud quam tres aliquos significamus? Cum dicitur persona, pro certo intelligitur aliquis unus qui tamen sit rationalis substantia. Cum nominantur tres personae, absque dubio intelliguntur tres aliqui, quorum tamen unusquisque sit substantia rationalis naturae [a]. Sed utrum sint plures an [b] omnes una eademque substantia, nihil interest quantum ad proprietatem veritatemque personae ». Cum ergo in divino esse intelligantur tres aliqui, scilicet Pater, Filius [c], Spiritus Sanctus, quorum unusquisque sit [d] substantia rationalis, licet tamen non sit nisi una substantia in divino esse [e], illud non faciet differentiam quoad veritatem personae. Sunt ergo in divino esse plures personae [f] secundum veritatem.

b. Secunda ratio. Richardus [g], in libro *De Trinitate* [2]: « Proprietatem personalem dicimus per quam quilibet unus est ab omnibus aliis [h] discretus ». Si ergo paternitas et filiatio sint huiusmodi proprietates, quia per proprietatem, quae est paternitas, est Pater unus, ab omnibus aliis discretus, similiter et Filius per filiationem etc., et sic Pater et Filius sunt differentes personali proprietate: ergo differentes [i] personae secundum veritatem.

c. Tertia ratio. Richardus, in libro *De Trinitate* [3]: Nihil aliud « est persona divina quam habens divinum esse ex proprietate incommunicabili » in [k] pluribus, quia sunt ibi plures habentes [l], quemadmodum persona humana nihil aliud est quam [m] habens humanum esse ex proprietate incommunicabili. Sed in divinis est esse ex proprietate incommunicabili quod convenit pluribus, quia sunt ibi plures habentes esse ex [n] proprietate incommunicabili [o], scilicet Pater, Filius et Spiritus Sanctus, quia est ibi ens non ab alio, a quo alius: quae proprietas convenit soli Patri [p]; similiter est ibi ens ab alio per generationem, a quo alius per processionem: quae proprietas convenit soli Filio; et est ibi ens ab alio per processionem, a quo [q] non alius, scilicet Spiritus Sanctus. Ergo in divino esse [r] est pluralitas personarum secundum veritatem, cum aliud ad personarum veritatem non requiratur.

Ad oppositum: 1. Triplex est differentia, scilicet differentia quae facit alietatem et [s] differentia quae facit alteritatem, item est differentia quae facit alio modo se habentem [4]. Differentia secundum substantiam facit alietatem sive aliud et aliud vel alium et alium; differentia secundum accidens facit [t] alteritatem sive alterum et alterum; ergo differentia secundum existendi modum facit alio modo se habentem. Sed in divino esse non est differentia secundum substantiam, quia non est ibi nisi substantia una, nec differentia secundum [u] accidens, quia ibi non est [v] accidens [5]; ergo in divino esse solum est differentia quae facit alio modo se habentem; sed differentia personalis facit alium et alium; ergo differentia, quae est in divino esse, non facit differentiam personalem [6]. Et [x] hoc etiam dicit Ioannes Damascenus [7] quod solum est ibi differentia secundum [y] modum existendi. Ergo in divino esse non est pluralitas personarum secundum veritatem.

2. Secunda ratio. Damascenus [8]: « In omnibus conveniunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus praeter ingenerationem et generationem [z] et processionem »; sed ista non faciunt differentiam quae faciat alium et alium, quia solum faciunt differre secundum relationem, ergo solum per modum se

---

[a] PVS *creature.* [b] BG *vel.* [c] L add. *et.* [d] SRL om. [e] S add. *persone.* [f] G *esse.* [g] V *Richardi.* [h] BG *alius,* quod R corr. [i] PV om. *p. e. d.,* in S est add. mg. [k] VS om. [l] BRGL om. *in pluribus... habentes.* [m] L *quod.* [n] S *in,* L om. *esse.* [o] BG om. *quod convenit... incommunicabili.* [p] G *Filio.* [q] RG *qua.* [r] G om. [s] BRGL add. *est.* [t] L om. [u] G om. [v] L om. [x] PVS *ex.* [y] RG *per,* quod B corr. [z] L om. *e. g.,* V exp.

1 Lib. IV, c. 8 (PL 196, 935).
2 Loc. cit., c. 17 (PL 196, 941).
3 Loc. cit., c. 18 (PL 196, 941).
4 Cf. supra, p. 132b, *ad 1-2.*
5 Cf. Augustin., *De Trinit.,* V, c. 16 (PL 42, 922).
6 Cf. Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 15 (PL 196, 939).
7 *De fide orthod.,* I, c. 10 (PG 94, 838).
8 Loc. cit., cc. 1 et 8 (PG 94, 791, 827).

habendi; ergo non est vere[a] pluralitas personarum in esse divino. — Confirmatio vero apparens harum rationum haec est: quoniam una eademque persona potest alio et alio modo se habere; sed in divinis sola est differentia secundum modum se habendi, quia non est ibi differentia nisi secundum relationem, ut dicit Augustinus[1] et Sancti omnes; ergo in divino esse non est vere pluralitas personalis. — Maior patet in persona hominis: quoniam idem potest esse dexter et sinister respectu diversorum[2].

3. Tertia ratio. Richardus, in libro *De Trinitate*[3]: « Persona secundum substantiam dicitur[b] et substantiam significare videtur ». Si ergo in Deo non est pluralitas substantiae, ergo nec[c] est ibi vera pluralitas personae.

4. Quarta ratio. Boethius, contra Nestorium, in libro *De duabus naturis et una persona Christi*[4]: « Persona est rationalis[d] naturae individua substantia ». Ubi ergo erit indifferentia[e] substantiae individuae etc., erit et[f] secundum veritatem indifferentia personae; si ergo in Deo est indifferentia[g] substantiae individuae rationalis naturae, in Deo est indifferentia personae; si ergo ponatur ibi personalis pluralitas, non tamen est vera. Et quod substantia divina sit individua patet: quia est una numero, ens per se, ab aliis distincta. — Si dicatur quod datur illa definitio[h] personae de persona creata, non de increata[5] – contra: quia Boethius ibi loquitur contra Nestorium, qui dividebat personam Christi et dicebat duas esse personas in Christo secundum duas naturas; sed persona Christi est persona increata; ergo et[i] definitio illa datur de persona increata.

5. Quinta ratio. Ubi non est individuum rationalis naturae, ibi non est persona; sed in Deo non est individuum rationalis naturae; ergo in Deo non est persona; ergo nec personarum pluralitas secundum veritatem. — Minor patet: quia individuum non est nisi ubi est invenire dividuum[k] sibi respondens, quia individuum dicitur respectu dividui, sicut Sortes respectu hominis; sed in Deo non est invenire dividuum velut universale; unde divinum[l] esse nec est universale nec particulare, sicut alibi[6] probatur. Relinquitur ergo quod in divino esse non est esse personae.

6. Sexta ratio. Augustinus, in libro *De Trinitate*[7], de inventione 'personae' in divinis vult dicere quod inventum est hoc nomen in divinis, scilicet 'persona', « non ut diceretur, sed ne[m] taceretur ». Improprie ergo dicuntur tres personae in divinis.

7. Septima ratio. Est ordo essentiarum[n] et est ordo personarum, et in quolibet istorum ordinum invenitur primum. Nam in ordine essentiarum invenitur prima[o] essentia, scilicet divina essentia; similiter in ordine personarum invenitur prima persona, scilicet divina persona; sed de nobilitate primae essentiae est quod non compatitur secum aliam essentiam vel naturam[8]; ergo de nobilitate divinae personae est quod non compatiatur secum aliam personam; nullo ergo modo potest poni pluralitas personalis in Deo secundum veritatem, immo una sola persona sicut una sola essentia.

8. Octava ratio. Cum dico 'Pater', dico naturam et pono personam divinam. Quod ergo haec persona generet et multiplicet se in aliam personam: aut hoc debetur ei ratione personae aut[p] naturae. Non ratione naturae, quia sic essentia generaret: quod est inconveniens; similiter nec ratione personae, quia non eo quod[q] est Pater, generat, sed eo quod generat, est Pater; ergo non est in Patre aliquid, ratione cuius haec persona[r] generet et se multiplicet; sed ab hac generatione provenit pluralitas personalis; videtur ergo non esse[s] in esse divino pluralitas personalis.

9. Nona ratio. Persona[t] in divinis aut dicitur secundum substantiam aut secundum relationem. Si secundum substantiam, ergo differentia personae faciet differentiam essentiae: quod est inconveniens; si secundum relationem, ergo differentia personae non faciet alium et alium, sed alio modo se habentem solum: quod non facit vere pluralitatem personae[u]; in Deo ergo non est vere[v] differentia personalis.

Solutio: Dicendum primo ad istud ultimum, secundum Richardum, in libro *De Trinitate*[9]: « Fidenter[x] fatemur personas in divinitate, secundum substantiam dictas, et substantiam significare et plures ibi personas et non plures substantias esse, quia sunt ibi[y] plures habentes unum et idem esse indifferens ex differenti proprietate; itaque ibi est iuxta modum essendi unitas essentiae, quia unum[z] indifferens esse, plures personae,

---

[a] BG (corr.) *vera*. [b] G *Dei*. [c] PVS *non*. [d] S add. *creature et*. [e] BRGL *indistantia*, item infra; PVSR *unde* pro *ubi*. [f] BRG *etiam*. [g] G *differentia*, quod BR corr. [h] PVS *distinctio*. [i] BRGL *etiam*, PVS *distinctio* pro *definitio*. [k] S *individuum*. [l] G *dividuum*; PV *vel* pro *velut*. [m] V *ut*. [n] PV *essentie*, quod S corr. [o] R *primo*, G *persona*; V *essentie* pro *essentiarum*. [p] BRGL *vel*. [q] Codd. *quo*, BRGL item infra. [r] R *aliquid* pro *h. p.*, quod B corr. [s] PV om. [t] G om., in BR est add. interl. [u] L *personarum*. [v] L om. [x] L *fideliter*; VS *fateamur* pro *fatemur*. [y] BG om. [z] L om.

1 Cf. *De Trinit.*, VII, in quo fuse de his disserit Augustinus (PL 42, 931 sqq.).
2 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1254).
3 Lib. IV, cc. 6 et 19 (PL 196, 934, 942 sq.).
4 Cap. 4 (PL 64, 1345).
5 Cf. Richard., loc. cit., c. 21 (PL 196, 944).
6 Cf. infra, num. 337.
7 Lib. V, c. 9 (PL 42, 918).
8 Cf. supra, num. 77.
9 Lib. IV, c. 19 (PL 196, 942 sq.).

quia plures existentiae ». Verbi gratia, cum dico personam Patris, dico habentem divinum esse non ab alio et a quo alius habet idem esse per generationem, alius vero per processionem; cum dico Filium, dico habentem divinum esse idem ab alio per generationem et a quo alius per processionem; cum dico personam Spiritus Sancti, dico habentem idem esse divinum ab aliis, scilicet [a] Patre et Filio, per processionem. Est igitur idem esse Patris et Filii et Spiritus Sancti, scilicet esse divinum, differentes tamen et incommunicabiles horum [b] proprietates. Si ergo nihil aliud est esse personae quam habere esse rationalis naturae ex incommunicabili proprietate, oportet necessario ponere quod Pater est persona et Filius est [c] persona et Spiritus Sanctus [d]. Et quia est ibi habere esse [e] divinum ex tribus proprietatibus incommunicabilibus, necessario oportet ibi esse tres personas. Sic igitur patet quod in divino esse est pluralitas personarum secundum veritatem. Secundum hoc ergo dicendum quod licet persona substantiam dicat et secundum substantiam dicatur, non tamen unitas [f] substantiae ponit unitatem personae nec pluralitas personae pluralitatem substantiae: sicut enim pluralitas substantiae non tollit unitatem personae, ita nec pluralitas personae unitatem [g] tollit substantiae. Unde Richardus, in libro *De Trinitate* [1]: « Cum dicuntur tres personae, intelliguntur tres aliqui, quorum unusquisque sit substantia rationalis naturae. Sed utrum sint plures substantiae an omnes una eademque substantia, nihil interest ad proprietatem veritatemque personae ». « Sicut enim esse substantialiter aliud [h] et aliud non tollit ubique veritatem personae, sic esse personaliter alium et alium non scindit ubique unitatem [i] substantiae [2] ». Exemplum in homine: « nec substantiarum pluralitas dividit ibi veritatem vel unitatem personae, nec pluralitas personarum hic dissolvit unitatem substantiae ».

[Ad obiecta]: 3-4-9. Per hoc patet solutio ad tertiam et quartam et ultimam rationem in contrarium; tamen solutio ultimae rationis melius apparebit in sequenti solutione.

1. Ad primam rationem in contrarium dicendum quod duplex est differentia relationis vel modi existendi. Una est accidentalis, et haec non facit alium; alia est naturalis, et haec facit alium et alium [k] et ita differentiam personae in natura rationali. Et haec differentia modi existendi est secundum rationem originis [3], secundum quod dicimus 'iste habet naturam non ab alio a quo alius; iste habet naturam [l] ab alio per generationem, iste per processionem'. Hic [m] enim ostenditur differentia secundum rationem originis naturae, quae est in habendo naturam ab alio; haec autem differentia necessario facit alium et alium. Unde dicit Anselmus [4]: impossibile est « nec intellectus capere potest illum qui de alio est esse illum de quo est [n] »; et ideo haec differentia facit differentiam personarum in divino esse. De prima vero differentia procedit ratio, non de ista; immo, posito ordine originis, impossibile est quod illi duo sint unus, possunt tamen esse [o] unum.

2. Per hoc patet solutio ad secundam rationem.

5. Ad quintam rationem dicendum quod Richardus, in libro IV *De Trinitate* [5], illam definitionem Boethii de persona corrigit, dicens quod non est propria divinis personis, quia substantia proprie non est in divinis: substantia enim [p] proprie dicitur, quia dat subsistere; sed proprietates illae, quae faciunt et distinguunt personas, « non dant subsistere personis [q], sed existere [6] »; et propter hoc dicit quod « personae rectius dicuntur existentiae quam substantiae ». Et in hoc proprie consideravit, quia in hoc nomine 'existentia' exprimitur ordo naturae sive originis [7]. Unde existentia dicitur quasi 'ex ens', et existere, id est 'ex esse', ut [r] hoc quod dicitur 'ex esse' comprehendas esse [s] ex alio alium et etiam ex alio esse in alium, ut [t] secundum primum modum comprehendat existentia rationem personae, secundum modum secundum rationem essentiae. Item, dixit Richardus [8] et [u] consideravit quod non proprie [v] erat individuum in divinis: quia in Deo non est universale nec particulare, quia si particulare, esset in eo forma partita, et ideo nec individuum; item, individuum [x] dicitur respectu dividui. Propter hoc loco eius quod est 'individua [y]' posuit 'incommunicabilis', dicens [9]: « Persona est rationalis naturae incommunicabilis [z] existentia ». Dicimus tamen propter oppositionem, quod substantia potest dici a subsistendo, et sic proprie non convenit Deo [10]; vel potest dici substantia magis large, scilicet

[a] S add. *a.* [b] S *eorum.* [c] V om. [d] L add. *est persona.* [e] B om. [f] L om. [g] S *unitas persone pluralitatem* pro *p. p. u.* [h] PVSL om. [i] L om. *personae sic... unitatem.* [k] P repet. *et alium.* [l] B add. *non.* [m] PV *hoc*, SL *hec.* [n] BRG om. [o] PVSL add. *in.* [p] L *nec.* [q] G *personas.* [r] BG *et.* [s] B om. [t] P *nec*, quod VS corr., R *unde.* [u] S om. [v] R om. [x] PV om. *i. i.*, in S est add. mg., G om. *respectu.* [y] B *individuo.* [z] R om. *dicens... incommunicabilis*, B *essentia* pro *existentia*, G add. *essentie.*

1 Lib. IV, c. 8 (PL 196, 935).
2 Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 10 (PL 196, 936), ubi etiam exemplum de homine affertur, item et sequens locus.
3 Cf. Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 15 (PL 196, 939).
4 *De process. Spir. S.*, c. 3 (PL 158, 289).
5 Cap. 21 (PL 196, 945).
6 Loc. cit., c. 20 (PL 196, 943), ubi et sequens.
7 Cf. Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 22 (PL 197, 937).
8 Loc. cit., cc. 21 et 23 (PL 196, 944 sq.
9 Loc. cit., c. 22 (PL 196, 945).
10 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 4 et *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1252, 1344).

quasi ens per se, et sic convenit Deo quod dicatur substantia: haec enim est ratio dignitatis substantiae, scilicet quod sit per se stans et in se fixa. Similiter individuum potest dici quod uni soli convenit vel quod est unum solum. Primo modo individuum convenit personis divinis, sed non essentiae divinae, quia essentia divina non convenit uni soli, immo tribus personis: et sic dicitur persona divina individua substantia. Secundo modo convenit individuum divinae essentiae, sed non personis, quia essentia est una sola, sed personis non convenit esse unum solum.

6. Ad sextam rationem dicendum, secundum Boethium, in libro *De duabus naturis*[1], qui dicit originem huius vocabuli 'persona', dicens quod apud Graecos idem erat 'πρόσωπον' quod 'persona', et[a] 'πρόσωπον' dicitur a 'προ', quod est 'ante' vel 'in', et 'σωπος', quod est 'facies'[2], quasi 'ante faciem'; et sumebatur 'πρόσωπον' ab homine larvato qui ponebat larvam ante faciem ad repraesentandum aliquam certam personam, et sic dicebatur « persona a personando »; unde persona in illa significatione dicebatur larvatum vel repraesentativum alicuius certi: unde ab[b] hoc erat nomen personae transductum. Sed alio modo, dicit ipse[3], dicitur « persona rationalis naturae individua substantia », et sic proprie dicitur persona[c], quia dicit ipse: « Si persona in solis substantiis est atque in iis rationabilibus, substantiaque omnis natura est, nec in universalibus, sed in[d] individuis reperta constat, personae est definitio: rationalis naturae individua substantia ». Primo ergo modo si accipiatur persona, in divinis transumptive vel metaphorice dicitur, et sic loquitur Augustinus[4], scilicet referendo[e] originem huius nominis 'persona'[f]; tamen, in quantum accipitur[g] pro rationali substantia, potest dici ibi.

7. Ad septimam rationem dicendum quod pluralitas naturae ostendit imperfectionem naturae vel essentiae personae[h]: quia si haberet essentiam sibi consortem, quae non esset ipsa vel ab ipsa[i], hoc esset imperfectio et defectus in ipsa, quia una deesset alii, sicut patet per auctoritatem Boethii supra dictam[5]: « Etiam discrepant bona » etc.; sed hoc ostendit perfectionem personae et naturae divinae cuius est persona, quod habet consortem personam, et hoc ratione summae caritatis quae est in Deo; perfecta autem caritas non est in uno solo, immo necessario est in pluribus[6].

8. Ad octavam rationem dicendum quod hoc nomen 'Pater' potest sumi adiective vel substantive. Adiective sumptum non dicit hypostasim, sed substantive sumptum, quia dicit ens non ab alio. Si ergo sumatur adiective: sic non eo[k] quod est Pater, generat, sed eo quod[l] generat, est Pater. Si substantive: sic stat pro persona, et sic eo quod[m] est Pater, generat.

Sed ulterius contra praedicta obicitur: quia ubicumque invenitur « naturae rationalis individua substantia », invenitur persona, quia haec est ratio personae; sed in Deo, in angelo, in homine invenitur rationalis natura[n] sive rationalis naturae individua substantia[7]; ergo et persona; aut ergo secundum rationem unam dicitur persona in iis aut secundum diversas. Non secundum diversas, ut patet, quia secundum praedictam rationem in ipsis invenitur, quae est ratio personae proprie; ergo secundum unam; sed constat quod in homine differt persona[o] a persona secundum substantiam et similiter in angelo; ergo in divinis differt persona a persona secundum substantiam[p]; sed in Deo non est differentia substantiae; ergo nec vera pluralitas personae; aut si dicatur quod non secundum unam rationem est in iis persona, quaeritur quae sit differentia.

Ad hoc intelligendum est, secundum quod dicit Richardus de S. Victore, in libro[q] *De Trinitate*[8]: « In discernendis itaque[r] personis opus est, ut arbitror, gemina consideratione, ut sciamus videlicet et quale[s] quid sit et unde habeat esse. Una istarum considerationum versatur in discernenda rei qualitate, alia vero versatur in investiganda rei origine: ad illam pertinet diligenter quaerere quid sibi[t] sit, cum quibus commune, quid generale, quid speciale, quid denique proprium assignatae naturae; ad istam pertinet subtiliter indagare hoc ipsum quod est unde habeat esse, a semetipso an aliunde; et si aliunde quam a se ipso, utrum modo isto vel illo vel alio quocumque existendi modo ». « Variari[9] namque potest existentia sive persona secundum solam rei qualitatem aut secundum solam rei originem aut secundum utriusque concursionem. Secundum solam

---

[a] RG *sed*, quod B corr. [b] BG *ad*. [c] BG *substantia*, quod R corr. [d] Ita VL, alii om. [e] BRGL add. *ad*. [f] BG *personam*. [g] P *accipiatur*. [h] R delev. [i] L om. *v. a. i.* [k] BG add. *modo*; codd. *quo* pro *quod*. [l] Ita PS, alii *quo*. [m] Codd. *quo*. [n] G om. [o] PVS add. *et persona*. [p] BG om. *et similiter.. substantiam*, in R est add. mg. [q] G om. [r] G om. [s] PVS add. *et*. [t] B *ibi*.

[1] Cap. 3 (PL 64, 1343). Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 1 (f. 9c).; S. Bonav., I *Sent.*, d. 23, a. 1, q. 1 (I, 404 sqq.).

[2] Rectius a πρός = *ante*, et ὤψ, ὠπός = *facies*.

[3] Boeth., loc. cit., ubi et sequens.

[4] *De Trinit.*, VII, c. 6, n. 11 (PL 42, 943).

[5] Cf. supra, p. 125a, sub litt. *a*.

[6] Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, III, cc. 11-14 (PL 196, 922 sqq.).

[7] Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, IV, cc. 22 et 23 (PL 196, 945 sq.).

[8] Lib. IV, c. 11 (PL 196, 937).

[9] Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 13 (PL 196, 938), ubi et sequens.

rei qualitatem variatur, quando pluribus personis est una eademque origo per omnia, singulis tamen singularis propriaque substantia. Plures namque substantiae omnino [a] non possunt esse sine [b] differenti qualitate », id est forma. « Est [c] autem talis variatio existentiae secundum solam qualitatem, nil varietatis habens secundum originem. Secundum vero solam originem est illa varietas existentiae, quando pluribus personis [d] est unum idemque [e] indifferens esse, inveniuntur tamen secundum originem mutuam ad se invicem differentiam habere. Tam secundum rei qualitatem quam [f] secundum eius originem variatur existentia, ubi singulis personis est substantia singularis et propria et [g] origo diversa ».

Dicendum ergo quod in una natura est differentia personae ad personam secundum utrumque modum, quia secundum originem differt homo ab homine et secundum propriam substantiam. Unde dicit [1]: « In humana pro certo [h] natura, ubi unus est pater pluribus, alia est tamen [i] paternae substantiae decisio unde propagatus est unus, et alia unde alius; in angelica autem natura nulla est propagatio, sed sola simplexque creatio: est ergo [k] singulorum simul et omnium unum solum indifferensque principium, sunt autem tot substantiae quot personae ». Et propter hoc vult [2] quod in angelis non est differentia personae ad personam secundum originem, quia omnes personae angelorum habent uno modo originem, scilicet per creationem; est tamen ibi differentia secundum qualitatem, quia secundum propriam substantiam differt angelus ab angelo. « In divina vero natura circa originem solam oportet quaerere personarum existentiarumque differentiam [3] ». Cum ergo sit differentia personae [l] ad personam secundum originem et qualitatem, et haec [m] maxima, ut in homine; et secundum qualitatem et non secundum originem, et haec est minor, ut in angelo; et secundum originem, et haec est minima, et haec est in divinis personis: et sic non est simile de divinis personis et aliis.

QUAESTIO III.

DE NUMERO PERSONARUM.

Consequenter quaeritur de numero personarum in Trinitate.

Circa quod primo quaeritur an sit ponere numerum in divinis personis;

secundo, an sit [n] numerus in Trinitate sive in divino esse secundum modum quo ponimus in creaturis [o];

tertio, an sit ibi numerus alio modo, supposito quod sit ibi ille numerus;

quarto, quid numeratur ibi, an scilicet sit ibi numerus rerum vel rationum; et si rerum, an hypostasum vel relationum [p] solum;

quinto, unde sit ibi ratio numeri;

sexto, an sit ibi numerus finitus vel infinitus;

septimo, an possit ille numerus esse in paucioribus quam sit vel in pluribus.

313

CAPUT I.

AN SIT PONERE NUMERUM IN DIVINIS PERSONIS.

Quantum ad primum sic proceditur et quaeritur utrum in divinis personis sit numerus.

Ad quod sic: 1. Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [4], loquens de Deo, dicit: « Ipsum est principium et causa et ordo et numerus, propter quod unitas et supertrinitas [q] ». Relinquitur igitur quod in divino esse sive in divinis personis sit numerus.

2. Secunda ratio. Cum sit substantia communicabilis et incommunicabilis, sive communis substantia et propria, magis consequitur numerus

[a] L *ideo*. [b] BG om. [c] S om., L *cum*. [d] BG om., in R est add. interl. [e] BRGL add. *et*. [f] PV *quando*. [g] PVS om. [h] BG *certa*. [i] S *ratio*, G om. [k] BG add. *simplex*. [l] S *persona differentie* pro *d. p.* [m] S *sic*. [n] BRGL *an* pro *s. a. s.* et infra om. *tertio, quarto, quinto, sexto, septimo*. [o] BG *creatura*, R *creaturam*. [p] PVS *rationum*. [q] PVS *supernitas*.

1 Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 14 (PL 196, 938 sq.).
2 Richard. de S. Vict., loc. cit. (PL 196, 939).
3 Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 15 (PL 196, 939).
4 Cap. 13, § 3 (PG 3, 982, PL 122, 1170).

substantiam propriam quam communem. Si ergo divina essentia est ut substantia communis, persona ut substantia propria, magis consequitur numerus personam quam essentiam; si ergo pluralitas essentiarum faceret numerum in Deo, si esset in eo, ergo multo magis pluralitas personarum, cum ibi sit, facit numerum.

Ad oppositum: *a.* Boethius, in libro *De Trinitate* [1]: « Verissime unum est in quo est nullus numerus ». Ergo, cum divinum esse sit [a] verissime unum, in ipso nullus est numerus; in divinis ergo personis non est numerus [b].

b. Secunda ratio. Ambrosius, in libro *De Trinitate* [2]: « In Deo nunquam totalitatem ponimus, quia nec numerus nec quantitas est ibi ».

c. Tertia ratio. Non constituitur numerus nisi ex unitatibus [c] differentium substantiarum [3]. Unde ex unitate humanitatis et unitate quantitatis et unitate qualitatis non constituitur numerus in Sorte [4], cum ipse sit homo et quantus et qualis, quia non est differentia substantialis istarum unitatum, immo sunt unum in subiecto, quod est substantia: et ideo unum numero est Sortes et Sortes quantus et Sortes qualis; sed ex Sorte et Platone constituitur numerus, quia sunt unitates differentium [d] substantiarum. Si ergo unitates personales in divino esse non sunt differentium [e] substantiarum, ergo non faciunt in divino esse numerum; in Deo ergo non est numerus.

d. Quarta ratio [f]. Si quaeratur quare Sortes et Plato sunt duo homines, ratio assignabitur, quia duae humanitates ipsorum vel quia forma substantialis multiplicatur in eis; sed si haec est causa, ergo ubi non erit forma substantialis multiplicata, non erit numerus; sed una est forma substantialis, non multiplicata, in divinis personis; ergo ibi non est numerus. Et hoc est quod dicit Boethius, et exinde trahitur regula Theologorum [5]: Non habet locum distinctio ubi ex diversis causis non est unio.

Solutio: Dicendum quod in divinis personis non est numerus simpliciter et proprie, quia non est ibi differentia secundum substantiam, sed est ibi ut numerus; et istud videbitur postea [6] plenius. Unde est ibi numerus cum additione et non simpliciter, ut scilicet dicatur numerus personarum sive relationum aut numerus Trinitatis. Et rationes quae ostendunt quod non sit ibi numerus, procedunt de numero simpliciter, qui est ex unitatibus differentibus secundum substantiam; rationes aliae secundum alium numerum.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum tamen dicendum, ut intelligatur quid intendit dicere Dionysius, quod sicut dicit Boethius, in libro *De Trinitate* [7], duplex est numerus, scilicet numerus [g] numerans et numerus numeratus. Deus autem [h] non dicitur numerus numeratus, sed numerus numerans, quia ipse dinumerat omnia; unde dicitur numerus per causam.

2. Ad secundum concedendum quod non sequitur quod [i] si pluralitas essentiarum in Deo, si ibi esset, faceret numerum simpliciter, quod propter hoc pluralitas personarum: quia numerus simpliciter exigit unitates differentes secundum substantiam, quod ibi esset, si esset pluralitas essentiarum, non tamen est [k] cum pluralitate personarum, immo est ibi omnimoda [l] unitas essentialis, et ideo non faciunt personae divinae numerum simpliciter, sed numerum cum determinatione vel additione; et [m] hoc deberet ratio concludere.

CAPUT II. 314

AN SIT NUMERUS IN TRINITATE SICUT IN CREATURIS.

Secundo quaeritur, supposito quod in divino esse sit aliquo modo numerus personarum, quaeritur si ibi est numerus per univocationem cum creaturis, hoc est si est ibi vere numerus sicut in creaturis.

Ad quod sic: 1. Boethius [8] definit numerum dicens: « Numerus est acervus ex unitatibus profusus »; sed cum dicitur 'Pater est unus, Filius est unus et alius, Spiritus Sanctus est unus et alius', colligitur [n] acervus trium ex unitatibus praedictis; ergo est vere numerus per definitionem [o] numeri sicut est in creaturis.

2. Secunda ratio. Ubicumque est dicere unitatem et unitatem, est dicere dualitatem; ergo ubi est dicere unitatem et unitatem et tertiam unitatem,

---

[a] P in mg. *est.* [b] S om. *in divinis... numerus,* in P est add. mg. [c] PVS add. *differentibus.* [d] BR *diversarum,* GL *differentiarum.* [e] PS *differentiarum,* B om. *substantiarum.* [f] BG add. *est.* [g] R om. [h] Ita RG, alii *ergo.* [i] RG om., in B est add. interl. [k] PVS *esset.* [l] R *omnimodo.* [m] L *in.* [n] G *colligatur.* [o] PVS *distinctionem.*

1 Cap. 2 (PL 64, 1250).

2 Rectius *De fide,* I, c. 2, n. 19; *De Spiritu S.,* III, c. 13, n. 93 (PL 16, 533, 799); cf. Lombard., I *Sent.,* d. 24, c. un. (p. 154).

3 Cf. Boethius, loc. cit., c. 3 (PL 64, 1251).

4 Cf. Aristot., *Metaph.,* XI, c. 8 (II, 608).

5 Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 3, q. 4 (f. 5a); Alan., *Theol. reg.,* reg. 2 (PL 210, 624).

6 Cf. num. 315-316. 7 Cf. cap. 3 (PL 64, 1251).

8 *De arithm.,* I, c. 3 (PL 63, 1083).

ibi est dicere ternarium; sed ita est dicere in divinis personis, quia ibi est unitas qua Pater est unus, et alia est [a] ab ista unitas qua Filius est unus, et alia ab iis tertia unitas qua Spiritus Sanctus est unus; ergo recte et vere est ibi [b] numerus ternarius.

3. Tertia ratio. Pluralitas personarum plus ponit in numerum quam pluralitas essentiarum. — Quod patet: quia pluralitas essentiarum potest esse in uno numero, ut pluralitas accidentium in Sorte, nec ponunt ibi numerum, immo idem est Sortes et Sortes [c] albus, grammaticus et [d] musicus [1]; sed pluralitas personarum non, sicut patet de duobus angelis vel hominibus; pluralitas ergo [e] personarum vere facit numerum in divinis; ergo in personis vere est numerus sicut in creaturis.

4. Quarta ratio. Richardus, in [f] libro *De Trinitate* [2]: « Cum nominantur tres personae, intelliguntur tres aliqui, quorum unusquisque sit substantia rationalis naturae »; et cum dico ' persona ', intelligitur aliquis unus qui sit rationalis substantia. Ubi igitur sunt plures personae, sunt plures aliqui, et ubi tres personae, ibi tres aliqui. Si ergo ternarius constituitur ex uno et alio et tertio, relinquitur quod in divinis personis vere est numerus.

Ad oppositum: *a.* Est differentia secundum substantiam et secundum accidens et secundum relationem [3]: prima maior, secunda minor, tertia minima. Si ergo differentia unitatum per accidens non facit numerum simpliciter [4], ergo multo minus differentia unitatum secundum relationem; sola igitur unitatum differentia secundum substantiam facit numerum simpliciter; sed haec non est in divinis, sed sola illa quae est secundum relationem; ergo non est ibi numerus simpliciter.

b. Secunda ratio. Sola existentia plurium in uno aufert distinctionem secundum numerum, ita quod illa plura non faciunt numerum in illo; ergo et [g] multo magis existentia plurium in uno quae sunt [h] unum illud. Nam si inesse aufert rationem numeri, multo magis unum esse alicui; sed pluralitas accidentium, quae insunt solum alicui, non facit numerum, sicut pluralitas accidentium [i] in Sorte: non enim per hoc est numerositas [k] in Sorte; cum ergo personae divinae sint idem quod divina essentia, multo magis non faciunt nec ponunt numerum in esse [l] divino. — Et confirmatur hoc per exemplum: ponatur [m] quod Sortes sit sua grammatica et sua musica, non esset Sortes ex iis numerabilis nec poneretur numerus circa ipsum; ergo similiter ex parte divinarum personarum, quae sunt idem quod divina essentia.

Solutio: Dicendum quod in divinis personis non est numerus secundum univocationem cum creaturis. In creaturis enim est numerus qui est accidens et quantitas, hic autem numerus non potest esse in divinis personis — unde Ambrosius [5] dicit quod in divinis [n] personis non est quantitas nec numerus — hic autem numerus est numerus [o] simpliciter, et ideo in divinis non est numerus simpliciter, sed numerus personarum. Ut autem cognoscatur melius ex quibus unitatibus sit numerus simpliciter, notandum quod numerus est ex uno et uno; unum autem est quod [p] est in se indivisum et ab aliis divisum [6], et haec est tota ratio unius sive unitatis. Est ergo in quibusdam invenire unitatem secundum hanc totam rationem unitatis, ut scilicet ibi inveniatur utrumque, scilicet quod sit indivisum in se et ab [q] aliis divisum; item, in quibusdam est unitas secundum partem istius rationis, scilicet quod est ens indivisum in se solum, sed non ab aliis divisum. Unitates, in quibus utrumque invenitur, sunt unitates substantiarum, ut Sortes, Plato; unitates autem, in quibus alterum solum, sunt unitates plurium [r] accidentium in subiecto uno, ut grammatica et musica in Sorte, et albedo et nigredo: albedo enim in se indivisum [s] est, sed non contingit dicere quod sit divisa ab aliis plene sive ab alio, quia accidentia per se non sunt, sed in substantiis. Ex aggregatione ergo illarum unitatum, quae plene habent rationem unitatis, dicendum quod sit numerus simpliciter, sed non ex aliis; hae autem sunt unitates differentes substantia sive differentium substantiarum. Quia ergo unitates [t] divinarum personarum non sunt tales, ideo non faciunt numerum simpliciter vel ternarium, sed Trinitatem solum, hoc est trium unitatem, quia tres illae unitates personales sunt una unitas [u] et non sunt ternarius. Ita ergo patet quod acervus unitatum in divinis personis non facit numerum simpliciter, sicut est numerus in creaturis, et causa dicta est.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam ergo rationem dicendum quod ' numerus est acervus unitatum ' etc., hoc est verum: unitatum quae non sunt unum nec insunt uni; sic non est hic, immo in divinis personis colligitur unum et unum masculine solum,

---

[a] R om. [b] G om. [c] PV repet. *e. S.*, quod S exp. [d] BRGL om. [e] G *vero*. [f] V om. [g] L om. [h] BG *est*, quod R corr. [i] PVSL *actus*. [k] G *universitas*. [l] G *inesse*. [m] G om. [n] L om. [o] BG om. [p] B *qui*, G om. *in se*. [q] G om. [r] S om. [s] V *individuum*. [t] P *unitas*. [u] V *trinitas*.

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 29 (II, 533).
2 Lib. IV, c. 8 (PL 196, 935).
3 Cf. Aristot., *Topic.*, I, c. 5 (I, 176); *Metaph.*, IV, c. 9 (II, 522).
4 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 3 (PL 64, 1251) et Gilb. Porret., in h. l. (PL 64, 1275).
5 *De fide*, I, c. 2, n. 19 (PL 16, 533).
6 Cf. supra, p. 112, nota 1.

quae tamen sunt unum neutraliter [a], hoc est una essentia; et propter hoc in ipsis dicitur unum in se indivisum, sed non [b] ab aliis divisum secundum essentiam, quia sunt una essentia.

2. Ad secundam rationem dicendum quod ratio illa procedit de unitatibus differentium substantiarum; unitates autem personales in divinis sunt una unitas essentialis, et ideo non procedit ratio de illis, nec in eis est discretio quae est in numero simpliciter [1].

3. Ad tertiam rationem [c] qua obicitur [d] quod 'pluralitas personarum plus ponit in numerum quam pluralitas essentiarum': dicendum quod hoc verum est ubi pluralitas [e] personarum supponit pluralitatem essentiarum, non autem ubi est unitas essentiae in personis [2]. Nam sicut plures essentiae per [f] se faciunt numerum simpliciter, plures tamen essentiae vel naturae in aliquo possunt uniri, ita quod non faciant numerum, ut in homine sunt plures naturae in una persona non facientes numerum simpliciter, ita nec in una natura divina plures personae faciunt numerum simpliciter, sed solum numerum personarum, sicut in uno homine est numerus naturarum, non tamen numerus simpliciter.

4. Ad quartam rationem dicendum quod ex uno et alio et tertio constituitur numerus simpliciter, cum sunt [g] differentium substantiarum; cum vero sunt unius substantiae, non proprie constituitur ex eis numerus ternarius, ut patet, quia numerus ternarius ubi est, requiritur quod sit differens substantia in tribus. Est autem indifferens unitas substantiae in tribus personis divinis; ideo non est ex eis numerus ternarius, sed solum « numerositas [h] Trinitatis ». Unde Boethius, in libro *De Trinitate* [3]: « Quoniam [i] nulla relatio 'ad se ipsum' [k] referri potest idcirco quod ea 'secundum se ipsum' est praedicatio quae relatione caret, facta est quaedam Trinitatis numerositas in eo quod est [l] praedicatio relationis, servata vero unitas in eo quod est indifferentia [m] substantiae vel operationis vel omnino eius quae secundum se dicitur praedicationis ». Sed numerus secundum relationem non [n] est numerus simpliciter, immo solum cum determinatione, ut dicatur numerus personarum aut numerus Trinitatis.

CAPUT III. 315

CUIUSMODI NUMERUS SIT IN DIVINIS PERSONIS.

Tertio, supposito quod in divinis personis non sit numerus simpliciter [o] sicut in creaturis, quaeritur cuiusmodi sit ibi numerus, utrum sit numerus personalis vel secundum alium modum.

Et quod sit numerus personarum: *a.* Patet per Augustinum [4], qui dicit [p]: « In relatione personarum numerus cernitur, in divinitate vero substantiae quid unum sit apprehenditur ». Ergo numerus, qui est ibi, est numerus personalis et non alius.

Ad oppositum: 1. Ubi est unitas secundum esse, relatio non facit numerum, sicut patet in puncto, qui [q] cum sit unum secundum essentiam, tamen ex iis relationibus, quae sunt quod punctus potest esse principium, medium et finis, non ponitur numerus hypostasum in puncto [5]. Cum ergo in relationibus divinis semper servetur una essentia, scilicet divina, ergo relationes illae non ponunt ibi aliquo modo numerum personarum; et ita non est ibi numerus personalis.

2. Secunda ratio. Relatio nihil addit ad esse divinum [6]; sed ubi est numerus, ibi est additio alicuius ad alterum; ergo relatio ibi non ponit numerum aliquo modo; non ergo numerum personalem.

3. Tertia ratio. Dignitas in Deo requirit solitudinem [r]: unde si diceretur 'rex regum', oporteret quod unus solus esset; ergo, cum sit summa dignitas in personis divinis, ibi est solitudo [s]; non ergo ponitur ibi numerus personalis secundum relationem vel alio modo. — Et confirmatur haec ratio: quoniam dignitas divinae essentiae ponit unam solam essentiam divinam nec secum compatitur numerum essentiarum [7]; ergo et similiter dignitas divinarum personarum ponit [t] unam solam personam; non ergo est ibi numerus personarum.

Solutio: Dicendum quod alifer et aliter accipitur numerus essentiarum et personarum. Nam numerus essentiarum est secundum quatuor differentias: aut enim numeratur essentia a multiplicatione substantiarum vel subiectorum, vel formarum aut partium aut operationum. Numerus a multiplicatione

---

[a] V *neutrale*. [b] S add. *est*. [c] B add. *dicendum*. [d] BRGL *obicit*. [e] S *personalitas*. [f] S *in*. [g] S *sit*, B *sint*. [h] G *universitas*, item infra. [i] G *quod*. [k] Codd. *ipsam*, item infra. [l] Ita L, alii add. *aliud*. [m] L *differentia*. [n] S om. [o] S om. [p] B add. *quod*. [q] G *quia*. [r] Ita BRL correcti, PV *similitudinem*, S *sollicitudinem*. [s] S *sollicitudo*. [t] Ita R, alii om.

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 6 (II, 520); Nic. Ambian., *De art. cath. fid.*, I, n. 7 (PL 210, 600).
2 Cf. supra, p. 460b, *Solutio*.
3 Cap. 6 (PL 64, 1254 sq.).
4 Cf. *De Trinit.*, VIII, c. 6 (PL 42, 943).
5 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 11 (II, 301).
6 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1254).
7 Cf. supra, num. 77.

substantiarum [a] est ut numerus [b] singularium; numerus autem ex parte formarum est ut in substantiis spiritualibus, ut in angelo, quia aliud est in angelo sua scientia, sua [c] caritas et dilectio, et hae formae sunt in illo; numerus autem partium est in totis integralibus, sicut in corpore; numerus operationum est in una forma quae habet differentes operationes, ut albedo quae facit coloratum et disgregat visum [1]. Hae autem pluralitates non cadunt in divino esse, immo quantum ad ipsas [d] dicit Boethius [e 2]: « Vere unum est, in quo nullus est numerus ». Numerus autem personarum aliter sumitur; nam, ut dicit Richardus, in libro *De Trinitate* [3], numeratur vel discernitur persona a persona « aut secundum qualitatem tantum aut secundum originem tantum aut secundum utriusque concursionem ». Secundum qualitatem discernitur persona a persona, ubi est indifferentia [f] in origine, tamen in substantia est differentia sive [g] qualitate substantiali, quia de illa loquitur, sicut in angelis non est differentia originis, immo omnes eodem modo exeunt, scilicet per creationem a Deo, et non unus ex alio, tamen differunt in substantia. Utroque modo numeratur et discernitur persona a persona in homine, scilicet substantia et origine, quia non omnes eodem modo exeunt, immo ibi est propagatio et est unus ex alio; sed in divino esse est solum numerus personarum secundum originem et non secundum qualitatem. Secunda maior [h], prima minor [i], tertia minima. Unde in discretione [k] divinarum personarum non est numerus vel discretio [l] substantiarum sicut in aliis; et ideo [m] solum est ibi numerus personarum sive Trinitatis et non numerus simpliciter, qui est differentium substantiarum, quia [n] est solum secundum originis differentiam, quae non facit numerum in essentiis, sed solum in hypostasibus vel personis.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam rationem dicendum quod relatio potest comparari ad illud cuius est vel ad illud ad quod refertur. Relatio ergo non facit numerum per comparationem ad illud cuius est. Unde cum re [a] divinae essentiae, quae est persona vel hypostasis, relatio non facit numerum, sed facit numerum comparando ad illud ad quod refertur; et hoc est quia nunquam dicitur relatio [b] originis eiusdem ad [c] se: unde paternitas in aliquo et filiatio in ipso [d] eodem non dicuntur relative ad se [e] invicem, sed paternitas in isto et filiatio in alio; et propter hoc comparando ad illud ad quod refertur, semper ponit [f] alium et alium relatio [g] et ita facit numerum hypostasum sive personarum. — Ad illud ergo quod obicitur [h] de puncto, qui est principium, medium et finis, dicendum quod istae relationes, relate ad essentiam puncti cuius sunt, non faciunt numerum, tamen relate ad illud, ad [i] quod unaquaeque dicitur, faciunt aliquo modo numerum, sed non numerum hypostasum, et causa videbitur [4]: unde non dicitur punctus ab hac relatione esse principium, a qua dicitur esse finis.

2. Ad secundam rationem patet solutio per hoc idem. Concedo enim quod relatio non addit aliquid ad rem divinae essentiae; unde ex illa parte, qua ad rem essentiae comparatur, non est numerus, sed comparando ad illud ad quod refertur. Unde paternitas in Patre non facit numerum cum essentia, sed facit numerum cum filiatione, quae est in Filio, ad quam refertur: et ex illa parte est multiplicatio.

3. Ad tertiam dicendum quod quaedam sunt res quae communicatae minus habentur, quaedam [k] quae communicatae nobilius et magis habentur et melius, ut scientia et caritas sive amor. De primis rebus bene procedit ratio quod dignitas in termino in illis requireret solitudinem [l], sed non de aliis; immo quanto maior [m] fuerit communicatio scientiae et caritatis, tanto erunt meliores et maiores. Quia ergo essentia divina est huiusmodi quae communicata [n] melius et nobilius habetur [o], ideo pluralitas et numerus in habentibus ipsam non repugnat dignitati ipsius in termino. Et dico ad confirmationem [p] quod non est simile de persona et essentia in hoc; et istud dissolutum est superius et ostensum [5].

316

CAPUT IV.

QUID NUMERATUR IN DIVINIS PERSONIS.

Quarto quaeritur quid numeratur ibi, scilicet an sit ibi numerus rationum [q] solum vel rerum. Et si rerum, utrum relationum vel personarum.

I. Quantum ad primum obicitur sic: 1. In divinis enim non est numerus qui [r] sit ex differentia qualitatis vel formae substantialis [s], sicut dictum est [6];

[a] R *subiectorum*. [b] G om. [c] SG om. [d] BRGL *istas*. [e] BRGL add. *quod*. [f] S *differentia*, L *ab* pro *in*. [g] B add. interl. *in*, PVG *sine*. [h] BRGL add. *est*. [i] BR add. *est*. [k] G *dilectione*. [l] S add. *personarum et*. [m] B om. [n] PVS *qui*.
[a] PVS om., G *res*. [b] PV *relative*. [c] BRG *a*, B om. *eiusdem*. [d] L om. [e] BRGL om. [f] L add. *relatio aliquid*, R add. *relatum* [g] PVSL om. [h] BRGL *Quod ergo obicit* pro *A. i. e. q. o.* [i] BRGL om. [k] BRGL add. *autem*. [l] B *sollicitudinem*. [m] S *magis*. [n] B add. *est*. [o] B add. *ideo melius et nobilius habetur*. [p] B add. *dicendum*. [q] VSBR *relationum*. [r] S *quid*. [s] BRGL om.

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, IX, c. 7 (II, 582).
2 Loc. cit., c. 2 (PL 64, 1250).
3 Lib. IV, c. 13 (PL 196, 938 sq.), sequentia ad sensum.
4 Cf. infra, p. 464a, *ad 1.*
5 Cf. supra, p. 459b, *ad 2.*
6 Cf. p. 462a.

nec est ibi numerus qui sit [a] ex differentia secundum accidens, quoniam ibi non est accidens [1]; ergo est ibi numerus solum qui est ex differentia secundum relationem; sed relatio non [b] ponit in numerum rei [c], ubi totum est unum per essentiam, sed solum in numerum rationis. Quod patet de puncto, qui est principium alicuius lineae et finis alterius et medium duarum linearum contingens illas. Istae enim relationes circa punctum non ponunt nisi differentiam rationum [d] et non rei; ergo cum divinum esse totum unum sit per essentiam, relatio non ponit ibi numerum nisi rationum. — Item, si dicatur quod est ibi [e] numerus personarum propter ordinem originis quo unus ex alio – contra: in trinitate [f] creata, quae est mens, intelligentia, amor [2], est relatio originis, quia a mente intelligentia et ab utroque amor, et tamen ex hoc non est differentia hypostasum vel personarum in anima, immo in una sola persona invenitur haec trinitas. Relinquitur igitur quod non erit numerus hypostasum vel personarum ibi divinarum [g].

2. Secunda [h] ratio. Ioannes Damascenus [3] dicit quod in creaturis hypostases dividuntur sive considerantur re [i] et commune ipsum considerat [k] ratione, in divino autem esse e converso, quia hypostases considerantur ratione et [l] ipsum quod est ut commune re; ergo, secundum Damascenum, numerus iste rationis est et non rei.

3. Tertia [m] ratio. Dicendo Patrem, Filium et [n] Spiritum Sanctum, non est repetitio nisi unius et eiusdem rei, quia paternitas est divina essentia, filiatio est divina essentia [o]; sed ubi est repetitio unius et eiusdem rei non potest intelligi numerus rei [4]; ergo non est ibi numerus rei [p], sed solum rationis.

Ad oppositum: *a.* Si solum esset ibi numerus rationis et non rei, ex hoc [q] sequeretur quod positio Trinitatis esset solum secundum intellectum et quod non esset Trinitas in re: quod est inconveniens dicere.

II. Consequenter quaeritur an sit numerus relationum vel hypostasum, supposito, ut videbitur, quod non solum sit ibi numerus rationis.

Ad quod sic: 1. Nos videmus in creaturis quod pater differt a suo filio qualitate substantiali et relatione, quia hic pater, ille filius [a]; in divinis similiter Pater differt a Filio; aut ergo est differentia in qualitate aut in relatione. Non in qualitate, quia ubi est differentia in qualitate, dico substantiali, est differentia in essentia [b]; ergo est ibi sola differentia relatione, quae facit differre Patrem a Filio; solum ergo est ibi differentia relationum et non hypostasum.

2. Secunda ratio. Boethius, in libro *De Trinitate* [5]: « Relatio multiplicat Trinitatem, substantia vero continet unitatem ». Igitur in Trinitate divinarum personarum solum est numerus relationum et non hypostasum, cum hypostasis sit substantia.

Ad oppositum: *a.* Abstractis relationibus a personis divinis, adhuc est differentia in ipsis [c], quia adhuc iste non est ille: ut abstracta generatione a Patre, scilicet quod non generet, et a Filio, quod non generetur, adhuc intelligerem ego Patrem [d], unum aliquem habentem divinam naturam, similiter et Filium, unum aliquem [e] habentem divinam [f] naturam; ergo adhuc intelligo unum et unum habentem divinam naturam. Sed dicendo unum habentem divinam naturam, dico hypostasim [g]; ergo ibi intelligitur numerus hypostasum, abstractis per intellectum relationibus.

Solutio: Dicendum quod in divinis est numerus relationum et hypostasum et non solum numerus rationis sive secundum rationem, quae quidem ratio est positio nostri intellectus. — Et istud probatur esse necessarium, supposita ratione et ordine originis in divinis. Nam supposito ordine originis divinae naturae, ita scilicet quod ipsa habeatur ab alio, necessario habetur differentia secundum relationem et hypostasim [h], nihil detrahendo simplicitati divinae essentiae. Et hoc patet. Intelligendo enim divinam naturam, necesse est quod [i] intelligatur in habente [k] illam; et si intelligamus eam in habente illam ab alio, iam [l] intelligimus cum proprietate incommunicabili, qua separatur ab habente eam non ab alio; et ex hoc introducitur differentia relationis, ut [m] patet, et differentia hypostasis, quia hypostasis nihil aliud est quam res naturae sive habens naturam sub discreta et incommunicabili proprietate [6]; ibi autem dico habere divinam naturam sub duabus proprietatibus [n] incommunicabilibus,

---

[a] BRGL add. *ibi*, B *que* pro *qui*. [b] S *relationum* pro *r. n.*, quod P corr. [c] G *res*. [d] V *rationis*. [e] BRGL om. [f] G vacat. [g] L *animarum*, PVSL *vel* pro *ibi*. [h] PVS *tertia*. [i] V exp. [k] BRGL add. *ibi*. [l] S *rationes vel* pro *r. e.* [m] Codd. *quarta*. [n] L om., B add. *Patrem*. [o] S om. *f. e. d. e.*, in P est add. mg. [p] PVSBG om., in R est add. interl. [q] PVS om. *e. h.*

[a] VS add. *ergo*. [b] L *esse*. [c] P nota mg. *Triplex enim substantia, ut dicit Boetius: ypostasis, usiosis et usia; ypostasis est materia, usiosis est forma, usia est compositum ex utroque, scilicet materia et forma. G.* [d] V exp. *e. P.* [e] L *alium*. [f] S om. [g] S *hypostasum*. [h] BRG *hypostasum*. [i] L *ut*. [k] V exp. [l] R om. [m] PVS *unde*. [n] L add. *et*.

1 Cf. Augustin., *De Trinit.*, V, c. 16 (PL 42, 922); Nic. Ambian., *De art. cath. fid.*, I, n. 13 (PL 210, 600).

2 Cf. Augustin., *De Trinit.*, IX, c. 4, n. 5; X, c. 2, n. 19; XIV, c. 8, n. 11 et XV, c. 20, n. 39 (PL 42, 963, 984, 1044, 1088); Lombard., I *Sent.*, cc. 2 et 3 (p. 33 sqq.).

3 *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 827).

4 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 3 (PL 64, 1251).

5 Cap. 6 (PL 64, 1255).

6 Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, IV, c. 22 (PL 196, 945).

ideo et duas hypostases. — Et quod etiam istud[a] sit necessarium patet: quia supposito hoc ordine originis quod habeatur divina natura ab alio, incontinenti distinguitur 'habens ab alio' ab eo a quo habet, aut[b] idem sibi ipsi esset principium[1], quod est impossibile intelligere. Unde Anselmus[2]: « Neque intellectus capit neque natura permittit illum qui de alio est, esse illum de quo est ». Et sic in illo ordine ratione proprietatum differentium incommunicabilium est differentia hypostasum.

I. 1. Ad primam rationem in contrarium qua ostenditur[c] quod 'ibi sit solum numerus secundum rationem', dicendum quod duplex est relatio: est enim[d] relatio accidentalis et est relatio originis, quae est connaturalis[e]. Relatio accidentalis est quae sequitur esse accidentium, ut aequalitas in quantitate, similitudo in qualitate. Relatio autem originis, quae connaturalis est, est[f] duplex vel dupliciter: quia aut dicitur in iis quae sunt substantiae vel substantia aut quae sunt accidentia sive de genere accidentium. Differentia ergo relationis originis primo modo, quae scilicet est in re substantiae, facit differentiam hypostasum, sicut visum est[3], et hoc est quia hypostasis semper est in re substantiae et substantiam dicit; sed relatio originis, quae ponitur in rebus quae non sunt substantia, ut mens, notitia[g], amor, non potest facere differentiam hypostasum, cum huiusmodi non sint substantia; sed relatio originis in divinis est rei quae est substantia, et ideo differentia illius[h] relationis facit ibi differentiam hypostasum. — Ad illud ergo quod[i] obicitur quod 'differentia relationis in puncto non ponit nisi differentiam rationis': dicendum quod relatio illa in puncto est accidentalis et non est relatio ordinis naturae, et de illa procedit ratio, quae quidem est relatio secundum accidens. Et hoc est quod dicit Hugo de S. Victore, in suis *Sententiis*[4]: « Cum anima interrogat se ipsam quare[k] illa tria, quae in Trinitate reperta sunt, personae dicantur, cum in semetipsa mens reperit tria nec tamen tres personas in se mentem rationalem continere aut tribus personis constare animam rationalis[l] consideratio patiatur[m] ». Et respondet: « Itaque, cum homo sit persona, hic tantum quaedam affectiones[n] sunt adhaerentes personae et circa ipsam existentes inveniuntur, non est eis omnino proprium esse personas, sed personae inesse tantum. Cum autem quae[a] in Deo sunt, aliud ab ipso esse non possunt, nec quasi accidentia aut affectiones ex tempore mutabiles aut separabiles incommutabili essentiae », ideo vere sunt personae.

2. Ad secundam rationem dicendum quod 'ratio' duobus modis dicitur: uno modo 'ratio' dicitur ipsa acceptio quae est in collatione, alio modo appellatur 'ratio' illud quod accipitur in collatione. Quando enim intellectus accipit rem absolute, tunc dicitur[b] intelligere; sed quando accipit ipsam[c] in collatione, secundum quod confert unum alii, tunc[d] dicitur 'ratio'. Si ergo dicatur 'ratio' ipse motus vel acceptio rei ab anima in collatione, hoc modo non accipit Damascenus 'rationem', sed modo secundo. Unde non vult dicere Damascenus quod solum considerentur divinae[e] personae 'ratione' quae sit motus ipsius intellectus sive acceptio in collatione, sed 'ratione' quae est ipsum acceptum ab intellectu conferente[f]. Et haec 'ratio' res est, sicut dicimus 'universale est ratio', non quia ipsum sit acceptio ipsa, sed est 'ratio', id est ipsum acceptum ab intellectu conferente, quia universale accipitur ab intellectu in collatione, scilicet in multis, ipsum tamen est res. Si[g] ergo « re considerantur hypostases in creaturis », hoc dicit, quia absolute considerantur ibi[h]; in divinis dicuntur considerari 'ratione', quia in collatione ipsarum ad invicem est ibi acceptio ipsarum, quia Pater dicitur[i] qui non ab alio, a quo Filius per generationem, et Filius qui ab alio, a quo alius[k] per processionem. Ecce collatio ipsarum hypostasum in distinguendo eas[l] et discernendo; et sic dicuntur distingui 'ratione', quia earum distinctio[m] accipitur in collatione.

3. Ad tertiam rationem dicendum quod licet divinum esse sit unum et idem per essentiam in iis, est tamen ratio originis differens in iis, et quantum ad illam venit ibi numerus hypostasum. Et quod sit ibi relatio, patet, quia dicit Boethius, in fine I[n] libri *De Trinitate*[5], quod « sane sciendum[o] est praedicativam relationem non semper talem esse ut semper ad differens praedicetur, ut servus ad dominum: differunt enim ». Et ponit exemplum quomodo est relatio non semper differentium, sed eorum quae[p] sunt idem: « nam omne[q] aequale aequali aequale est, et simile simili simile est[r], et idem ei quod est idem idem[s] est; et similis relatio[t] in Trinitate Patris ad

---

[a] BRG *illud*. [b] BG add. *igitur*, B om. *sibi*. [c] BRGL *que ostendit* pro *q. o.* [d] GL *scilicet* pro *e. e.* [e] V *naturalis*, quod P corr. [f] L om. [g] L add. *et*. [h] BRG *istius*. [i] BRGL *quod ergo* pro *A. i. e. q.* [k] V *queritur*. [l] PVS *rationabilis*. [m] BG *patratur*. [n] G *affirmationes*.

[a] L *quod*. [b] P add. *quod*. [c] S *illam*. [d] V *unde*. [e] PVSL *differentie*. [f] L *conferentium*. [g] Ita B post exp., alii *sic*; PV *res* pro *re*. [h] VS *rei*. [i] V om. [k] G *Filius*. [l] L *ipsas*. [m] S add. *hanc*. [n] BRGL om. [o] V *dicendum*. [p] BRGL *qui*. [q] PVSL *esse*. [r] PVS om. [s] PVS om. [t] R *ratio*.

1 Cf. supra, p. 461b sq., *Solutio*.
2 *De process. Spir. S.*, c. 3 (PL 158, 289).
3 Cf. in *Solutione*.
4 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 3, c. 25 (PL 176, 227), ubi et sequens verbotenus.
5 Cap. 6 (PL 64, 1255 sq.).

Filium et utriusque ad Spiritum Sanctum ut eius quod est idem ad id quod est idem. Quod si in cunctis aliis rebus non potest inveniri, facit id cognata caducis rebus alteritas ». Et sic est ibi relatio eiusdem ad idem neutraliter, hoc est quod habet eamdem essentiam [a], tamen incommunicabilem proprietatem, sicut habere naturam ab alio, non habere [b] ab alio. Ex quo enim istud habetur ' habens esse rationalis [c] naturae sub discreta proprietate ', habetur tota ratio personae, et si plures sunt habentes [d], plures personae; sed utrum sit una vel differens substantia nihil detrahit proprietati veritatique personae, ut dicit Richardus, in libro *De Trinitate* [1]; et ita quamvis unum et idem esse repetatur in illis, quia tamen est ratio originis differens, a qua illud esse habetur sub incommunicabilibus proprietatibus, est ibi numerus personarum. Et si quaeritur quomodo potest istud intelligi quod cum unitate essentiae sit pluralitas personalis, respondet Richardus, in libro *De Trinitate* [2], dicens: « Explica mihi, obsecro, quomodo personalis unitas sit in tantarum [e] substantiarum dissimilitudine et diversitate », sicut in persona hominis, « et ego dicam tibi [f] quomodo substantiae unitas [sit] in tantarum [g] personarum similitudine [h] et aequalitate. Si experientia docet aliquid esse supra intelligentiam tuam in humana natura, nonne eo ipso te docuisse debet [i] aliquid esse supra intelligentiam tuam in divina natura »? Et vult dicere quod sicut in creatura humana unitas personalis compatitur diversitatem substantiarum, sic in [k] divina natura unitas essentialis diversitatem et numerum personarum [3]; et iste numerus venit quantum ad rationem originis.

CAPUT V. 317

UNDE SIT RATIO NUMERI IN DIVINIS.

Quinto quaeritur unde sit ibi ratio numeri, et quaeritur an sit ibi ratione caritatis, sicut videtur Richardus ponere, in libro *De Trinitate* [4], aut [l] hoc sit de perfectione personae, quod scilicet aliam requirat et se multiplicet, aut [m] de perfectione virtutis.

1. Quod istud non sit ex parte perfectionis personae patet: quoniam si perfectio personae Patris requirit personam aliam, scilicet personam Filii, ergo non erit ita perfecta si careat illa et ita perfectio personae Patris dependeret a persona Filii; quod est inconveniens dicere: sic enim Pater a Filio dependeret.

2. Praeterea, ostenditur quod amor sive caritas non sit ratio illius numeri, quia caritas sive amor sequitur bonitatem: nam bonum est ratio dilectionis; si ergo non potest poni numerus iste ex ratione bonitatis vel essentiae, quod idem est, ergo nec ex ratione amoris vel caritatis. — Minor patet: quoniam ex parte essentiae non potest poni nisi unitas.

3. Praeterea, ostenditur quod non sit ibi numerus ex parte perfectionis virtutis ut ipsa se multiplicet, quia virtus illa est infinita et coniuncta suo actui; ergo actus eius est infinitus et ita sequeretur quod esset [n] multiplicatio personarum in infinitum, cum iste esset actus eius: quod esset inconveniens.

Propter hoc quaeritur a quo est ibi ratio numeri sive ex parte cuius [o].

Solutio: Dicendum, cum [p] quaeritur unde sit numerus vel ratio numeri in divinis, dicimus quod iste numerus est ex parte perfectionis virtutis et bonitatis et caritatis; tamen appropriando secundum rationem intelligentiae, ratio bonitatis est sicut principalis ratio illius numeri: quia laus boni et eius perfectio ostenditur in communicatione [q] [5], sed communicatio semper est unius ad alium [r], et ideo ubi est communio, semper est alius et alius, et ita multiplicatio et numerus, et [s] bonitas summa est quasi principalis causa istius multiplicationis in divinis. Sed cum bonitas sit communior quam natura et voluntas, sicut est duplex principium, unum [t] quod est natura, alterum quod est voluntas, sic bonitas duobus modis erit, quia est bonitas naturae et bonitas voluntatis, et haec est caritas. Communicat ergo se bonitas vel per modum naturae vel per modum voluntatis sive affectionis. Communicatio bonitatis, quae est per modum naturae, illa plena est et perfecta per generationem; quod tamen [u] sit de parte substantiae vel essentiae et non de tota essentia, istud imperfectionis est in natura. Quia ergo omnis

---

[a] PV add. *non*, quod S. exp. [b] PVS *habente*. [c] PVS *relationis*. [d] L add. *et*. [e] BRG *creatarum*. [f] S *ibi*. [g] B (corr.) R *creatarum*. [h] PVS *dissimilitudine*, L om. *et diversitate... dissimilitudine*. [i] BRGL *debent*. [k] S *etiam*. [l] RG *an*. [m] BRGL *an*. [n] V add. *ibi*. [o] V *eius*. [p] V *quod*. [q] V (corr.) BRGL *communione*. [r] V *alterum*. [s] B *tamen*. [t] RG (mg.) add. *est*, quod B exp. [u] RL *cum*.

1 Lib. IV, c. 13 (PL 196, 938).
2 Lib. III, c. 10 (PL 196, 922).
3 Cf. supra, num. 81.
4 Cf. lib. III, cc. 2, 14 et 15 (PL 196, 916 924 sq.).
5 Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hier.*, c. 4, § 1 et *De divin. nomin.*, c. 4, § 1 (PG 3, 178, PL 122, 1046).

imperfectio a bonitate summa removenda est et omnis ei perfectio tribuenda, ideo necessarium est quod communicet se per modum naturae, quae communio est [a] per generationem, et quod [b] illa generatio non sit de parte essentiae, sed de tota essentia; et haec communio bonitatis est ratio distinctionis sive numeri in distinctione determinata, quae est Patris ad Filium. Sed sicut communicat se bonitas per modum naturae, ita per modum voluntatis, quia summi boni summa est communio; non esset autem summa nisi communicaret se per modum naturae et voluntatis; et ideo communicat se per modum voluntatis, quae [c] communio est per amoris affectum sive caritatem; et haec communio summi boni est ratio numeri in distinctione determinata, quae est Patris et Filii ad Spiritum Sanctum [d]. Ratio ergo numeri sumitur ex parte [e] perfectionis summae bonitatis; sed communio totius essentiae per generationem, cum essentia non habeat partem, est ratio numeri [f] Patris ad Filium, communio per naturam voluntatis [g] ratio numeri et distinctionis [h] Spiritus Sancti ab utroque.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam ergo rationem, qua obicitur [i] quod ex parte personae erit imperfectio: dicimus, secundum Richardum [1], quod aliud est perfici ab aliquo [k] et aliud perfici in aliquo. Persona ergo Patris, ex hoc quod producit personam Filii, perficitur in illo et ostenditur eius perfectio in illa productione, sed non perficitur ab illo, sicut dicimus quod forma perficitur in materia, sed non a materia, immo e converso. Unde Richardus, in libro *De Trinitate* [2]: « In divinis personis sane notandum », quod supra [3] ostensum est [l], « quod perfectio unius exigit adiunctionem alterius, et consequenter in geminis perfectio utriusque requirit [m] cohaerentiam tertiae ». Et est sua ratio ex parte caritatis [4] sive summae dilectionis: quia ubi est perfecta caritas, ibi dilectio et condilectio — quia perfecta caritas [n] non est unius ad se, immo perfectio dilectionis in aliquo necessario exigit alium quem diligat ut se — sed condilectio est non solum diligere alium ut se, immo etiam alium velle diligi ut se et etiam velle quod ille diligat alium ut se. Et vult dicere quod per hanc dilectionem et condilectionem quae est in Deo, quia in eo est perfecta caritas, sint [o] necessario tres personae et non plures: quia Pater diligit Filium ut se, item vult eum [a] diligi ut se et etiam, active loquendo, vult quod [b] alium diligat; et in hac condilectione sumitur persona Spiritus Sancti, qui est amor dilectus, ut ita loquar. Unde dicit sic Richardus [5]: « Si in illa vera divinitate sola una persona esset, utique non haberet cui summum amorem impenderet nec qui sibi summum amorem rependeret. Unde ergo illi [c] summae dulces illae deliciae abundarent, quae, ut dictum est, non tam de proprio quam de alieno corde hauriri solent? » « Quando unus alteri amorem impendit et solus solum diligit, dilectio quidem est, sed condilectio non est. Quando duo mutuo se diligunt et summi desiderii affectum invicem impendunt et istius in illum et illius in istum affectus discurrit et [d] quasi in diversa tendit, utrobique quidem dilectio est, sed [e] condilectio non est. Condilectio autem iure [f] dicitur, ubi [g] a duobus tertius concorditer diligitur, socialiter amatur et duorum affectus tertii amoris incendio in unum conflatur. Ex iis itaque patet quod in ipsa divinitate locum condilectio non haberet, si duobus tantum consistentibus [h] tertia persona deesset [6] ».

2. Ad secundam rationem patet solutio per interemptionem, quia immo ex parte bonitatis est ibi ratio numeri, et hoc ex parte bonitatis per modum naturae et [i] voluntatis, quae caritas dicitur. Nec propter hoc ponitur ex parte essentiae nisi [k] unitas: non enim propter hoc essentia multiplicatur seu numeratur [l].

3. Ad tertiam rationem qua obicitur de virtute: dicendum quod virtus illa est infinita et coniuncta suo actui qui est productio. Sed infinita productio dicitur dupliciter: vel quia infinita producuntur vel quia ea, quae producuntur, sive ille, qui producitur [m], est infinitus bonitate. Primo modo producere infinita, si sit de substantia rei, non est perfectionis, sed imperfectionis; et propter hoc ista productio poneret imperfectionem in divinis personis, in quibus una producit aliam de sua natura sive ei dando suam totam naturam. Sed productio infinitatis secundo modo, quae sic est de rei substantia, summae perfectionis [n] est; et haec est in personis divinis, quia ille qui producitur ibi, sive Filius sive Spiritus Sanctus, est infinitus bonitate.

Et sic patet responsio ad Quaestionem istam.

---

[a] PVS om. [b] L *quia*. [c] G *quomodo*. [d] L om., in R est add. interl., sed exp. [e] BRGL *ratione*. [f] L om. [g] PV add. *et*. [h] S *distinctio omnis*. [i] L *ostenditur*. [k] BRG *alio*. [l] S om. [m] P *requiritur*. [n] BRGL om. [o] SBGL *sicut*.
[a] V om. [b] V *ut*. [c] L *iste*, alii *ille*. [d] R *ut*, L *quod* pro *quasi*. [e] V add. *ideo*, S add. *non*. [f] BRG *in re*. [g] S *ibi*. [h] PVSG *existentibus*. [i] BRG add. *bonitatis*, G add. *bonitatis et*, quod L exp. [k] PVS *ibi*. [l] L *mutatur*. [m] Ita R, alii *producit*; V om. *ille*. [n] G *imperfectionis*.

1 *De Trinit.*, III, c. 15 (PL 196, 925).
2 Loc. cit.
3 Cf. p. 453, sub *Respondeo*.
4 Cf. loc. cit., ac cc. 11, 14 et 19 (PL 196, 922, 924, 927).
5 *De Trinit.*, III, c. 17 (PL 196, 926).
6 Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, III, c. 19 (PL 196, 927).

CAPUT VI. 318

AN NUMERUS PERSONARUM SIT FINITUS VEL INFINITUS.

Sexto quaeritur an sit ibi numerus finitus vel infinitus sive productio personarum finita vel infinita [1].

Ad quod sic: 1. Virtuosior est virtus quae recipit multitudinem relativorum quam quae non recipit, et ideo virtus divinae unitatis secum patitur multitudinem relativorum; virtutis ergo est quod recipit multitudinem duorum; ergo [a] et maioris virtutis si recipit multitudinem trium, et maioris si quaternarii; ergo et infinitae virtutis est recipere multitudinem infinitorum; numerus ergo personarum in divino esse, cum virtus eius sit infinita, est infinitus et earum productio infinita.

2. Secunda ratio. Bonum [b] est ratio communionis; ergo ubi maior communio, maior est bonitas; ergo si communicaret divina bonitas suum esse infinitis personis, ipsa maior esset; sed ponendum est quod ipsa sit maxima et infinita; ergo et infinitae personae producuntur ab ea.

3. Tertia ratio. Lux producit ex se splendorem et ex luce et [c] splendore procedit calor; quidquid vero est perfectionis luci [d] creatae, dandum [e] est luci increatae; sed perfectionis esset luci creatae quod posset ex se producere plures splendores et plures calores; ergo lux increata, quae est perfectissima et infinita, producit ex se infinitos splendores et sic infinitos filios, et infinitos calores et sic infinitos spiritus sanctos.

Ad oppositum: *a.* Ubicumque est infinitas aliquorum [f] numero, inordinatio est et confusio; sed a divino esse omnis confusio et omnis inordinatio relegatur; ergo non est in ipso numerus personarum infinitus.

Solutio: Dicendum quod numerus divinarum personarum non potest esse infinitus, quia ubi est numero infinitum, ibi ponitur inordinatio et confusio; et ita, cum summa ordinatio et perfecta distinctio debeat esse in personis divinis, relinquitur quod eis repugnat necessario numerus infinitus.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam ergo rationem in contrarium dicendum [g] quod virtuosior et potentior est virtus quam consequitur multitudo relativorum ordinatorum et [h] distinctorum invicem et non confusorum; sed ubi est numero infinitum, non est ordo; si ergo poneretur ibi multitudo relativorum sive personarum infinita, non esset ordo in divinis personis; quia ergo summa ordinatio debet ibi esse, ut ostendatur ibi esse [i] summus ordo et concordia, stat numerus personarum in tribus, quia summus ordo et concordia stat in tribus [k] [2]. Unde Augustinus [3] dicit quod ille numerus maior [l] est in quo est maior harmonia; et ideo vult dicere quod numerus divinarum personarum est numerus trium. Item, ubi est numero infinitum, ibi est confusio, quae ab esse divino omnino tollitur.

2. Ad secundam rationem dicendum, sicut dictum est ad istam: bonitas divina non est ratio nisi communionis ordinatae et distinctae. Unde 'ubi maior communio, maior bonitas': verum est, si sit communio ordinata et distincta.

3. Ad tertiam rationem [m] dicendum quod imperfectionis est in luce creata quod ex se producat plures splendores et plures calores. Si enim tantum posset uno splendore quantum pluribus, non produceret plures. In divinis autem productio Filii a Patre est splendoris perfecti, et ideo supervacuum et confusio esset quod esset productio plurium filiorum. Similiter si tantum posset lux creata uno calore quantum potest pluribus, non produceret plures, immo supervacua esset productio plurium; idem autem est productio et [n] unius Filii et unius [o] Spiritus Sancti et plurium, quia utraque istarum est productio perfecta et rei perfectae; et ideo non est productio nec numerus personarum divinarum in infinitum.

Et sic [p] patet responsio ad Quaestionem istam.

---

[a] B om. [b] S *bona.* [c] B add. *ex.* [d] RG *lucis.* [e] V *dande.* [f] L om. [g] BRG add. *est.* [h] L om. [i] BRGL om. [k] PV om. *quia summus... tribus,* in S est add. mg. [l] BRGL om. [m] BR om. [n] L om. [o] B om., R exp. [p] BRGL om.

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 2, a. un., q. 3 (I, 54 sqq.).
[2] Cf. Aristot., *De caelo,* I, c. 1 (II, 367).
[3] Cf. *De musica,* I, c. 12, nn. 22 et 26 ac VI, c. 4, n. 7 (PL 32, 1096, 1098, 1166).

319

CAPUT VII.

AN NUMERUS PERSONARUM POSSIT PONI ALITER QUAM IN TRIBUS.

Septimo quaeritur de ratione ponendi numerum personarum, an scilicet possit poni in pluribus vel [a] in paucioribus quam in tribus [1].

Et primo obicitur sic: *a.* Richardus, in libro *De Trinitate* [2]: « Oportet itaque ut [b] in divina illa personarum pluralitate summe pulcra et ordinatissima sit mutuo hinc inde in alterutrum differens concordia et concors [c] differentia ». Et hanc propositionem accipit quasi per se notam, et post arguit: « Videtur itaque necessario esse [d] ut inter illam, cuius est plenitudinem dare nec accipere, et eam, cuius est accipere et non dare, sit sola una media, cuius sit proprie proprium tam dare quam accipere, ut, constituta in medio, uni earum [e] cohaereat ex uno et alteri earum connectatur ex altero ». Et post ostendit quod debet esse una [f] sola media et non duae, dicens: « Si autem duae mediae inter altrinsecas duas personas esse dicantur, videamus quid [g] inconveniens hanc affirmationem consequatur. Ecce ex iis prima in uno solo concordat cum [h] altera; altera vero non in uno tantum, sed in duobus concordat cum tertia; tertia quidem non in duobus [i], sed in uno solo concordat cum quarta. Vides certe quoniam unius proprietatis geminatio atque communio proportionalitatis [k] rationem non tam praetendit quam confundit ».

b. Secunda ratio. Richardus [3]: Supponimus [l] quod in divinitate sit una persona solum quae non ab alia et una sola a qua non alia. « Si enim illa, quae ab alia non est, nullam de [m] se procedentem [n] haberet, in perpetuum sola [o] remaneret ». Item, sicut [p] necesse est ibi esse aliquam personam, quae non sit ab aliqua alia, sic oportet ibi esse aliquam personam [q] a qua non sit aliqua alia [r]; quia si « quaelibet ex alia procedens de se procedentem haberet, huius deductionis protractio in infinitum procederet ». Et haec etiam erit una sola, quia « si duae personae hoc commune haberent, procul dubio neutra illarum ab alia procederet nec una alteri immediate adhaereret: quod est inconveniens. Est itaque proprium unius solius personae de se procedentem nullo modo habere [4] ». Item, necesse est quod haec ab alia nam si « quae de se procedentem non habet, nulla alia procederet, divino consortio in perpetuum careret [5] ». Ex iis ergo relinquitur quod est una sola persona de qua nulla alia procedit, procedens ex [b] alia, sicut est una sola a qua procedit alia, non procedens ex alia [6]. — Item, si [d] est ib una sola [e] persona a qua nulla alia et una sola qua alia et a [f] nulla alia, necesse est esse mediam quae sit ab alia et a qua alia. Si enim non es nisi unus [g], qui non sit ab aliquo alio, consequen est ut id [h], de quo modo agimus, non sit a se metipso. Item [7], « si ibi nonnisi [i] unus solu esse potest qui de se procedentem non habet hunc, de quo modo loquimur, de se procedenten habere oportet; sic itaque procedit ex [k] alio, u nihilominus alius procedat ex ipso ». Ex iis erg necessario concluditur in divinis nūmerus per sonarum trium.

c. Tertia ratio. Sicut supra ostensum est [8], no est nisi duplex modus procedendi in divinis: ve per modum naturae vel per modum voluntatis per modum naturae generatio Filii a Patre, pe modum voluntatis processio Spiritus Sancti a utroque. Necesse est [l] ergo tres esse personas unam in qua sit [m] ratio primi principii, a nulla procedens [n]; aliam, quae procedat per generatio nem; aliam [o] vero, quae procedat per spirationem Nam bonum melius est quod se diffundit summa diffusione naturali et voluntaria quam quod alter tantum. Si autem poneretur quarta, quaereretu de illa an procedat per generationem an [p] pe spirationem. Si per generationem, ergo Filius; si per spirationem, ergo Spiritus Sanctus; sed cun non sit in Trinitate personarum ponendum ali quid imperfectum nec aliquid supervacuum, cum uno solo Filio posito perfecta sit generatio divina uno solo Spiritu Sancto posito perfecta sit [s] spira tio divina, quia et ille perfectissimus Filius et ist perfectissimus Spiritus Sanctus: relinquitur quo est unus solus Filius et unus solus Spiritus Sanctus Supervacuum igitur et vanum est ponere plures

---

[a] BRGL *an*, S om. *in*. [b] V om. [c] V *communis*. [d] S *esset*. [e] PVS *unicarum* pro *u. e.* [f] BRGL om. [g] Ita V, alii *quod* [h] S add. *una sola*. [i] BRG add. *quidem*. [k] V *proportionalis*. [l] PVS *supponamus*. [m] S *a*. [n] V *producentem*. [o] V om [p] V om. [q] VL om. [r] V add. *persona*.

[a] V *ex*. [b] V *ab*. [c] B om. *procedens... procedit*. [d] V om. [e] V add. *distinctio vel*. [f] V om. [g] V *unum*. [h] S repet. *id* [i] VL *non*, S *non est nisi*. [k] VR *ab*. [l] PV om. [m] V om. [n] V *procedente*. [o] P *alia*. [p] G *aut*. [q] B om. [r] RG *sive* P add. *notum*. [s] PVS om. *generatio... sit*.

1 Cf. S. Bonav., loc. cit., q. 4 (I, 56 sqq.).
2 Lib. V, c. 14 (PL 196, 959 sq.), ubi et sequentes.
3 *De Trinit.*, V, c. 11 (PL 196, 958).
4 Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 12 (PL 196, 958).
5 Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 11 (PL 196, 958).
6 Cf. Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 12 (PL 196, 958)
7 Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 13 (PL 196, 959).
8 Cf. supra, num. 301, 309 et 317.

d. Quarta ratio. Augustinus, in libro *83 Quaestionum*, quaest.[a] 17[1]: « Omne quod est, aliud est quo[b] constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit; universa igitur creatura, si est, et ab eo[c] quod omnino nihil est », sive quod ipsa non est, « distat plurimum et suis partibus sibimet congruit. Causam ergo eius trinam esse oportet: qua sit, qua hoc sit, qua sibi[d] amica sit; creaturae autem causam, id est auctorem, Deum esse dicimus; oportet ergo Deum Trinitatem esse, qua nihil praestantius, intelligentius, beatius queat inveniri. Ideoque etiam cum veritas quaeritur, plus quam tria genera quaestionum esse non possunt: utrum omnino sit, utrum hoc aut illud sit, utrum probandum vel improbandum sit »; prima est quaestio Naturalis, secunda Rationalis, tertia Moralis.

e. Quinta ratio. Sicut supra dictum est[2], communio perfectae caritatis non potest esse[e] in minus quam in tribus personis. Si ergo ubi est summa caritas, non potest deesse perfecta communio amoris, ubi autem[f] est summa bonitas, non debet deesse[g] summa caritas, relinquitur igitur quod summa bonitas[h] non debet esse in minus quam in tribus personis. — Quod autem perfecta communio amoris vel caritatis non possit esse in minus quam in tribus personis[i], patet: quoniam perfecta communio amoris completur in dilectione. Et hoc etiam vult Richardus, in libro *De Trinitate*[3]: Dilectio autem perfecta non potest in minus esse quam in duabus[k] personis, condilectio vero[l] nisi in tribus[m]; perfecta igitur communio amoris stat in tribus personis, nec oportet esse plures, sed supervacuum est ponere plures.

Ad oppositum: 1. Tria sunt principia in rerum natura producendi unum ex alio: natura, ratio, voluntas; sed in divinis ponitur productio per modum naturae, ut generatio Filii a Patre, et productio per modum voluntatis, scilicet processio Spiritus Sancti; ergo necesse est ponere tertiam productionem, quae sit[n] per modum rationis. — Et quod ista maxime debeat ibi poni, patet: quoniam[o] quod est dignius, semper est Deo tribuendum; sed productio, quae est per modum rationis, dignior est, quia vis rationalis dignior est et etiam operatio[p] sua quam vis naturae et[q] operatio sua[r], scilicet vis generativa. Sed huius solutio dicta est prius in Quaestione de processione Spiritus Sancti[4].

2. Secunda ratio. Quoniam secundum exigentiam[a] perfectionis videtur istud sequi necessario: quia si una est persona dans et non accipiens, et alia accipiens et non dans, et tertia quae est accipiens et dans, videtur quod sit quarta quae nec sit accipiens nec dans.

3. Tertia ratio. Nulla videtur esse[b] ratio quare non sit ponere duas medias inter illam, cuius est dare et non accipere, et illam, cuius est accipere et non dare, quarum esset[c] dare et accipere, et quia plus conveniret[d] secunda cum tertia quam cum prima. Nam pari ratione videtur esse confusio positis tribus personis iuxta praedictam rationem: nam tertia, cuius[e] est accipere, sed non dare, convenit cum secunda in uno[f], scilicet in accipiendo, sed non in[g] dando; cum prima vero non convenit nec in accipiendo[h] nec in dando; ergo plus convenit cum secunda quam cum prima.

4. Quarta ratio. Si summa bonitas et summa caritas est ratio in persona Patris quod producit ex se personam aliam: cum una sit[i] et omnino eadem bonitas per omnem modum in Spiritu Sancto, ergo erit in Spiritu Sancto ratio quod producatur ex eo persona alia.

Solutio: Dicendum, sicut supra ostensum est[5], quod in divinis tantum debent esse tres personae nec possunt esse plures, quia sequeretur quod non esset in ipsa summa Trinitate summa germanitas nec summa connexio, sed confusio et inordinatio: quod esset valde absurdum et inconveniens. — Quod patet, supposito quod communio boni non possit nisi duobus modis esse[6], scilicet vel per modum naturae — et haec est generatio vel productio generati a generante — vel per modum voluntatis — et haec est processio amoris ab amante — et si non est pluribus modis intelligere communionem boni, erunt ad minus tres personae, sicut ostensum est[7], et non plures, quin esset superfluitas et confusio, ut ostendunt rationes.

[Ad obiecta]: 2. Ad secundam rationem dicendum quod quarta persona non potest esse in divinitate, quae nec sit accipiens nec dans, quia[k], sicut dicit Richardus, in libro *De Trinitate*[8], si illa persona, quae « aliunde non accipit ut sit, nullam de se procedentem haberet, in perpetuum sola remaneret ». « Simili quidem ratione, quae de se procedentem non habet, si a nulla alia procederet, divino consortio in perpetuum careret. Multiplex autem ratio a divinitate vera solitudinem[l]

---

[a] PVSB om. [b] S *quod*. [c] L *ea*. [d] V *ibi*. [e] L om. [f] G *vera*. [g] PB *esse*. [h] S *caritas*. [i] G om. *Quod autem... personis*. [k] V *tribus*, quod P exp. [l] G add. *non*, R om. *in*. [m] S add. *personis*, L *autem* pro *igitur*. [n] L *fit*. [o] V om. [p] V *opera*. [q] V add. *etiam*. [r] L delev. *quam... sua*.

[a] L *exigentia*. [b] BRG om. [c] L *esse*. [d] S add. *cum*. [e] V add. *minus*, L *et* pro *sed*. [f] L *uno modo* pro *i. u.* [g] V om. [h] G om. *sed non... accipiendo*. [i] P om., in V est add. interl.; BRGL *sit illa* pro *u. s.* [k] BRGL *nam*. [l] V *veram sollicitudinem* pro *v. s.*

1 Quaest. 18 (PL 40, 15).
2 Cf. p. 466a, *ad 1*.
3 Lib. III, cc. 14 et 15 (PL 196, 924 sq.), ad sensum.
4 Cf. supra, num. 309.
5 Cf. p. 466a, *ad 1*.
6 Cf. supra, num. 309.
7 Cf. supra, num. 318 et hic sub litt. *a-e*.
8 Lib. V, cc. 15, 11 (PL 196, 961, 958).

excludit », ut [a] dictum est [1]. Non est igitur aliquo modo quartam ponere personam.

3. Ad tertiam rationem dicendum, secundum Richardum de S. Victore [2], quod « commune est omnibus personis divinis omnem plenitudinem habere, commune solis duabus omnem [b] plenitudinem dare, commune autem solis duabus omnem plenitudinem accipere vel accepisse, commune [c] solis duabus non habere [d] utrumque », scilicet [e] non dare, non accipere simul, scilicet Patri et Spiritui Sancto. « Unius namque proprietas [f] est in solo dando », scilicet Patris; « alterius proprietas [g] in solo accipiendo », scilicet Spiritus Sancti [h]; « tertii proprietas tam in accipiendo quam in [i] dando », scilicet ipsius Filii. « Solis duabus est commune personam de se procedentem habere, solis duabus est [k] commune aliunde procedere, solis [l] duabus est commune non habere utrumque: nam tantummodo de se procedentem habere est proprietas unius, tantummodo vero [m] procedere proprietas est alterius, proprietas autem tertii tam ab alio procedere quam de se procedentem habere », scilicet Filii. Ex iis igitur patet quod convenientia est [n] Spiritus Sancti ad Patrem in hoc quod non simul convenit eis quod persona de ipsis procedat et quod procedant de alio; procedentem habere et ab alio procēdere indistincte ad Filium pertinet [o], qui habet simul utrumque. Servatur [p] igitur ratio proportionalitatis; quod non fieret [q], positis duabus personis quibus commune esset procedere et de se procedentem habere: nam tres convenirent in hoc quod est dare, tres in hoc quod est accipere, duae [r] solum in dare et accipere et [s] non tres, et duae solum in non dare et [t] non accipere simul; et ita non servaretur proportio et [u] convenientia, quae debet esse trium invicem, immo semper magis una cum aliqua quam cum alia.

4. Ad quartam rationem dicendum quod summa bonitas, sicut est ipsa ratio productionis personae a persona in Patre et Filio, ita est ratio non-productionis in Spiritu Sancto. Sicut enim ratio summae bonitatis necessario ponit diffusionem unius in alium, ita ratio ipsius summae bonitatis excludit confusionem in diffusione boni unius ad alium. Sed si poneretur quod Spiritus Sanctus haberet de se procedentem alium ratione summae bonitatis in eo, ita et ille [v] alius haberet de se procedentem alium [x], et ita in infinitum; et infinitum necessario consequitur confusio diffusionis bonitatis, quam non recipit ratio summae bonitatis. Exigit igitur ratio summae bonitatis quod sit persona una in qua sit terminus diffusionis, sicut est una quae est [y] principium diffusionis, et tertia quae est [z] quasi medium diffusionis.

Et sic patet responsio ad hanc Quaestionem.

QUAESTIO IV.

DE ORDINE PERSONARUM.

Postquam disseruimus de numero divinarum personarum, de ordine [a] earumdem, virtute Dei iuvante, inquiramus. Et quia circa ordinem multae sunt dubitationes, de eis per ordinem discutiendum [b] est:

Primo [c], an sit ordo [d] in divinis personis;

secundo, cuiusmodi sit ille ordo, utrum naturae vel originis;

tertio, de ordine originis, an sit ibi aliqua persona sine origine;

quarto [e], an possint esse plures personae [f] sine origine;

quinto [g], an duae habentes originem immediate procedant ab illa [h] quae non habet originem, ita quod neutra ab alia, sicut ponebant Graeci;

sexto, an illa, quae habet originem ab alia, habet similiter originem a prima immediate;

septimo, an processio Spiritus Sancti consequatur ordine naturae ad generationem Filii vel e converso;

octavo, an abstractis hypostasibus sive personis sit intelligere ordinem naturae in Trinitate [i] et e converso.

---

[a] BRGL *sicut*, L om. *est*, S om. *igitur*. [b] V *communem*. [c] L add. *autem*. [d] S *haberent*. [e] S *sed*. [f] B *proprietatis*. [g] L *est*, PVS add. *scilicet*. [h] Ita V, alii om. *s. S. S.* [i] RG om., in B est add. interl. [k] V om. [l] R *solum*. [m] G *nec*. [n] G *ipsius*, BRL add. *ipsius*. [o] Ita R add. mg., alii om. [p] G *generatur*. [q] V *fiere*, quod P corr. [r] G om. [s] S om. [t] BRGL om. [u] BRG *in*. [v] S om. [x] V om. *ratione... alium*, L om. *in*. [y] L om. [z] BRGL om. *q. e.*

[a] L *ordinatione*. [b] G *dissentiendum*, B *discernendum*, quod L corr. [c] BRGL om. et etiam infra om. *secundo, tertio* etc. [d] S *eadem*. [e] P om. [f] V om. [g] P *quarto*, et sic procedit. [h] L *alia*. [i] L om. *i. T.*, BRG *vel* pro *èt*, quod L exp.

[1] Cf. p. 468a, sub litt. *b*.

[2] *De Trinit.*, V, c. 25 (PL 196, 967 sq.).

CAPUT I. 320

AN SIT ORDO IN DIVINIS PERSONIS [1].

Quantum ad primum proceditur sic: *a.* Augustinus, *Contra Maximinum* [2]: Cum dicitur 'Filius a Patre', non dicitur « inaequalitas substantiae, sed ordo naturae, non quod alter prius altero, sed quod alter ex altero ». In divinis igitur personis est ordo naturae; ergo est ibi ordo.

b. Secunda ratio. Nobilius est esse ordinatum quam non ordinatum [a], quia esse in ordine est perfectionis et dignitatis, negatio vero ordinis indignitatem ponit. Cum ergo esse divinarum personarum sit nobilissimum, relinquitur quod ipsum est ordinatum.

c. Tertia ratio. Bonum non potest intelligi sine ordine [3], sicut e contra [b] malum ponit inordinationem et est privatio ordinis [4]. Item, ipsum esse, in quantum huiusmodi, non est sine ordine; unde dicit Boethius [5] quod « esse est quod retinet ordinem servatque naturam ». Si ergo esse divinarum personarum, quod est divinum esse, est verissimum [c] esse et verissimum bonum, relinquitur quod in eo est verissimus ordo.

Ad oppositum: 1. Omnis ordo aut attenditur secundum prius et posterius aut simul aut secundum superius et inferius aut iuxta [6]. Sed in divinis personis non est ordo secundum prius et posterius, quia « in Trinitate nihil prius aut posterius [d] », sicut dicit *Symbolum* Athanasii [e] [7], quia 'prius' et 'posterius' [f] dicunt antecessionem et successionem in tempore [8]. Nec etiam est ibi 'simul', quia 'simul' dicit praesentiam vel concomitantiam in tempore vel in loco [9]. Item, non est ibi ordo secundum superius et inferius et iuxta, quia huiusmodi differentiae ordinis attenduntur secundum situm, situs autem non est nisi ubi est dispositio partium in toto vel in loco [10]. Cum igitur nulla differentia ordinis possit poni in divino esse, simpliciter non est ibi ordo [g].

2. Si diceretur [h] quod ibi est ordo naturae et ille non attenditur secundum praedictas differentias — quaeritur quid sit [i] ille ordo. Aut est essentia aut persona aut notio, quia quidquid est in divinis, est aliquod horum. Sed huiusmodi ordo non est ipsa essentia divina, cum essentia dicatur per indistinctionem, ordo vero [k] dicitur per distinctionem sive secundum rationem et [l] differentiam originis vel principii; divina vero essentia non potest dici in ratione principii vel originis vel quod sit a principio vel quod habeat originem, quia divina essentia nec generat nec generatur nec spirat nec spiratur [11]. Item, nec potest dici quod ordo ille [m] sit persona, immo est personarum, quia dicit habitudinem personae ad personam. Item, nec potest dici quod dicat notionem, quia omnis notio sive proprietas in divinis est distinctiva personae a persona; sed ordo magis dicit convenientiam quam distinctionem; relinquitur igitur quod ordo penitus nihil est in divinis.

3. Tertia ratio. Augustinus, in libro *De civitate Dei* [n] [12]: « Ordo est parium dispariumque sua cuique tribuens loca dispositio ». Ubi ergo non est [o] localis dispositio [p], non erit ordo; si ergo in divinis personis non est localis dispositio, ergo nec ibi erit [q] ordo.

Solutio: Dicendum quod in divinis personis est ordo. Sed distinguendum est [r] quod multiplex est ordo [13]: est enim ordo secundum locum, est ordo [s] secundum tempus, est ordo secundum causam, est ordo secundum rationem, est ordo secundum originem naturae, qui est principii ad illud quod est de principio. Ordo secundum locum attenditur secundum istas differentias: superius [t], inferius et iuxta; ordo secundum tempus attenditur secundum istas differentias: prius [u], posterius, simul. Et iis modis non est ordo in divinis personis. Ordo autem secundum causam est secundum quod dicimus quod causa prior est effectu: hoc modo proprie non est ordo [v] in divinis personis, quia causa semper est prior effectu in diversitate essentiae. Dicitur ulterius ordo rationis, sicut ordo differentiarum ad unum genus, qui ordo est a latere, vel primi, medii et

---

[a] L *inordinatum* pro *n. o.* [b] R *contrario.* [c] P *verissime*, R om. *esse*, L om. *est.* [d] V om. *quia... posterius.* [e] PVB *Anastasii.* [f] S *sicut dicit... posterius.* [g] R om. *ordinis possit... ordo.* [h] R om. *S. d.* [i] BRG om. [k] P add. *quod*, V *in divinis.* [l] PS *vel.* [m] L *iste.* [n] RG add. *dicitur.* [o] PVB *erit.* [p] S exp. *ubi ergo... dispositio.* [q] BRGL om. *i. e.* [r] L om. [s] G om. *e. o.* [t] PBL add. *et.* [u] RL add. *et.* [v] V om. *n. e. o.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 20, a. 2, q. 1 (I, 372 sq.).
2 Lib. II, c. 14, n. 8 (PL 42, 775).
3 Cf. supra, num. 111.
4 Cf. supra, num. 128.
5 *De consol. phil.*, IV, pr. 2 (PL 63, 795).
6 Cf. Aristot., *De categ.*, cc. 9 et 10 (I, 21 sq.).
7 Cf. Denzinger-Bannwart, *Enchir.*, n. 39.
8 Cf. Aristot., loc. cit., c. 9 (I, 21); *Phys.*, IV, cc. 12 et 14 (II, 303, 306).
9 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 10 (I, 22).
10 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, I, c. 7 (II, 445).
11 Cf. supra, num. 297.
12 Lib. XIX, c. 13, n. 1 (PL 41, 640).
13 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 9 (I, 21 sq.).

postremi, sicut patet in linea praedicamentali. Iuxta vero [a] ordinem rationis differentiarum ad genus non sumitur aliquis [b] ordo in divinis personis, quia iste ordo dicit imperfectionem, sicut infra videbitur [1]; sed iuxta alium ordinem rationis, qui est primi, medii et postremi, sumitur ordo in divinis personis. Sicut enim in hoc ordine [c] rationis est unum commune, quod de aliis dicitur et nullum de ipso, et istud appellatur generalissimum in linea praedicamentali, et istud est primum; et unum [d], de quo alia dicuntur et ipsum de nullo, sicut species specialissima, et [e] hoc postremum; et aliquid, de quo alia dicuntur et quod de aliis quibusdam dicitur, et hoc est genus subalternum, et istud vocatur medium [2]: sic in ordine qui est secundum rationem originis, qui est in personis divinis [f], est persona quae de nulla et a qua alia, et persona de qua nulla et quae ab alia, et persona quasi media quae de alia et de [g] qua alia. Et sic patet quod ibi est ordo originis, qui sumitur iuxta ordinem rationis et secundum istas differentias quae sunt: non ab alio, a quo alius [h] etc., et non secundum praedictas differentias [3]. Et si quaeratur utrum iste sit ordo simpliciter: dicendum quod non est ordo simpliciter, sed ordo cum additione, scilicet ordo naturae vel originis.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc solvitur prima ratio, quoniam [i] procedit de duobus primis ordinibus.

2. Ad secundam [k] dicendum quod ordo dicit ibi notionem; sed notio aliquando significatur distincte, ut cum dico 'paternitas', aliquando indistincte, sed per additionem determinatur. Primae notiones distinguunt personam a persona absolute et sine determinatione, sicut generare [l] et generari et huiusmodi; aliae [m] vero notiones cum determinatione distinguunt, sicut principium. Si enim dicatur 'Pater est principium', nisi addatur Filii vel Spiritus Sancti, indistincte importatur notio; sed per additionem determinatur, ut cum dico 'Pater est principium Filii, Pater est principium Spiritus Sancti': iam enim dicit notionem paternitatis distincte, quae est notio generationis et notio processionis. Dicendum ergo quod ordo de se dicit notionem indistincte sive confuse, sed distinguitur [n] per additionem: ut si dicatur 'ordo [o] Filii ad Patrem', dicit [p] notionem filiationis sive generationis passivae, et similiter 'ordo Patris ad Filium' dicit [q] notionem paternitatis vel generationis, secundum [r] quod est eius qui generat: per hoc enim dicitur unus [s] ad alterum; cum dicitur 'ordo Patris et Filii ad Spiritum Sanctum', hic dicit notionem spirationis communis ab utroque: ordo vero Spiritus Sancti ad Patrem et Filium est processio. Patet ergo quod ordo sine determinatione notionem sive notiones dicit indeterminate et confuse, cum determinatione vero distincte.

3. Ad tertiam rationem dicendum quod illa ratio Augustini procedit de ordine secundum locum.

Et sic patet responsio ad istam Quaestionem.

321 CAPUT II.

UTRUM IN DIVINIS PERSONIS SIT ORDO NATURAE VEL ORIGINIS [4].

Secundo quaeritur, supposito ordine in divinis personis, cuiusmodi sit ille ordo, utrum sit ibi [t] ordo naturae.

Ad quod sic obicitur: *a.* Per auctoritatem Augustini praedictam [5]: Cum dicitur 'Filius a Patre', non dicitur « inaequalitas substantiae, sed ordo naturae ». Ergo ibi est ordo naturae.

b. Secunda ratio. Ubicumque intelligitur diffusio bonitatis unius in alium, intelligitur ordo secundum rationem principii vel originis; sed sic est in divinis; ergo ibi est ordo originis; sed cum ille ordo sit ita quod unus habeat naturam ab alio, relinquitur quod sit [u] ordo naturae.

Ad oppositum: 1. Ubicumque intelligitur ordo, intelligitur distinctio; ergo ubicumque intelligitur ordo naturae, intelligitur distinctio [v] naturae. Si ergo natura in divinis personis se habet secundum omnimodam indistinctionem, relinquitur quod non est ibi ordo naturae. — Maior patet: quoniam idem ad [x] se non ordinatur [6].

2. Secunda ratio. Si ibi est ordo secundum [y] rationem principii in ordine naturae: sed ad principium in ordine naturae [z] sequitur prius

---

[a] P *nature*. [b] V *insinuitur aliis* pro *n. s. a.* [c] V om. [d] PSL *bonum*. [e] PVS om. [f] L *diversis*. [g] L *a*. [h] BG *aliud*. [i] L *patet solutio prime rationis quia* pro *s. p. r. q.* [k] L add. *rationem*. [l] S *generale*. [m] P repet. [n] VSG om., in BR est add. mg.; V om. *si*. [o] G om., in B est add. interl., in R est add. mg. [p] RG om., in B est add. interl. [q] L om. [r] V *vel*. [s] B *unius*. [t] L om. [u] V om. *q. s.* [v] S delev. *ergo ubicumque... distinctio* per *vacat* et exp. [x] G *a*. [y] L *ibi*. [z] B om. *sed ad... naturae*; L add. *non*.

[1] Cf. infra, p. 477a, *ad 1*.

[2] Cf. Boeth., *In Porphyr.*, III, c. *De specie* (PL 64, 102 sqq.).

[3] Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, V, cc. 11, 15 et 25 (PL 196, 958, 960, 968).

[4] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 20, a. 2, q. 2 (I, 373 sqq.).

[5] *Contra Maximin.*, II, c. 14, n. 8 (PL 42, 775); cf. supra, p. 471a, litt. *a*.

[6] Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 6 (PL 64, 1254).

natura; ergo si Pater est principium Filii secundum ordinem naturae, Pater est [a] prior Filio natura: hoc autem [b] falsum et inconveniens. Nam dicit Augustinus, in praedicta auctoritate [1], « quod non est alter [c] prior altero »; et in *Symbolo* Athanasii [d] habetur quod « in hac Trinitate nihil prius aut posterius ». Ergo non est ibi ordo naturae.

3. Tertia ratio. Idem est in divinis natura quod substantia vel essentia. Si ergo in divinis est ordo naturae, relinquitur quod est ibi [e] ordo substantiae vel essentiae; sed nullo modo potest dici ibi esse ordo substantiae vel essentiae [f], quia ordo essentiae non posset dici nisi vel quia esset principium ordinis vel quia ordinaretur. Sed essentia non potest dici principium ordinis, quia principium ordinis dicitur respective, essentia vero absolute; non enim est principium vel per generationem vel per spirationem: sequeretur enim quod esset principium distinctionis. Praeterea, simul est una essentia in tribus personis. Non ergo potest dici principium ordinis. — Item, non potest dici [g] quod ipsa ordinetur, quia si ordinatur, aut ordinatur ad essentiam aut ad personam. Non ad essentiam, quia una sola essentia est, idem autem ad se non ordinatur; similiter nec ad personam, quia ordo [h] semper est differentium, persona autem non differt ab essentia in divinis [i]. Relinquitur igitur quod ibi non est aliquo modo ordo naturae.

Solutio: Dicendum [k] quod in divinis personis [l] est ordo naturae.

[Ad obiecta]: 1-3. Ad primam rationem et ad tertiam simul [m] dicendum quod, cum dicitur ordo personarum, dicitur ordo respectu eius quod ordinatur; cum vero dicitur ordo naturae [n] in divinis, dicitur ordo respectu eius quod est ratio ordinis: licet enim natura et essentia in divinis idem sint, tamen alio modo dicitur natura, alio modo essentia, quia essentia dicit [o] absolute, natura vero dicit essentiam cum additione, quia dicit essentiam cum virtute productionis similis; unde in [p] intellectu naturae habetur ratio [q] ordinis, quoniam ubi intelligitur haec virtus, intelligitur ratio [r] ordinis et principii. Non enim potest intelligi virtus productiva quin intelligatur ratio principii, et ratione huius connotati dicitur ordo naturae et ratione huius dicit distinctionem. Sed ratione principalis significati, quod est essentia, dicit indistinctionem; nec ratione huius dicitur ordo naturae, sed ratione connotati, ratione cuius connotatur ratio distinctionis. — Et ita per hoc solvitur prima ratio similiter et tertia, quia non dicitur ordo naturae quia [s] natura ordinetur, sed quia dicit rationem ordinis, per hoc scilicet quod connotat unde sit principium ad distinctionem, virtutem scilicet ad [t] productionem similis, sicut visum est.

2. Ad secundam rationem dicendum quod principium in ordine naturae non semper ponit prius, sed solum quando est diversitas essentiae vel substantiae eius a quo est aliquid et eius quod est ab eo, ut in causa et causato; sed in divinis est unitas essentiae et substantiae, et ideo non debet concedi 'Pater est prior Filio natura', quia non est in illis altera essentia. Nec etiam 'prius' et 'posterius' debet accipi in divinis, quamvis ibi sit ordo naturae, quia hae dispositiones, ut dicit Philosophus [2], proprie sunt in tempore vel duratione, quae [u] a Trinitate removentur, eo quod in personis est aeternitas. Unde istae differentiae ordinis temporis non cadunt in ordine naturae immutabilis, quae est in divinis personis, licet ordo naturae mutabilis eas recipiat, quia « in hac Trinitate nihil prius aut posterius », sicut habetur in *Symbolo* Athanasii.

CAPUT III. 322

AN IN DIVINIS SIT NECESSARIO ALIQUA PERSONA SINE ORIGINE.

Tertio quaeritur an in divinis sit aliqua persona sine origine de necessitate.

Ad quod sic: *a.* Posito enim opposito, scilicet quod nulla sit persona in divinis [v] quae non habeat originem, tunc quaeritur: aut intelligis quod persona habet originem a persona aut ab essentia. Non ab essentia: quoniam sic persona in divinis non esset idem quod essentia, quia ut dicit Anselmus [3]: « Nec intellectus capit nec natura permittit illum, qui de alio est, esse illum de quo est »; differret ergo persona in divinis ab essentia, sicut illud, quod est de principio, differt a suo principio: quod est inconveniens. Si autem

---

[a] L *erit.* [b] L add. *est.* [c] G om. [d] PVSB *Anastasii.* Hic error deinde saepius in codd. occurrit. [e] V *in.* [f] S delev. *sed nullo... ssentiae* per *vacat.* [g] L *dicit.* [h] R add. *est.* [i] P nota mg. *Unde Anselmus: Tres persone non sun[t tres] res, set una res est substantia.* BRG add. *est.* [l] B add. *non.* [m] BRGL *insimul.* [n] Ita S add. mg., alii om. [o] PVS *dicitur.* [p] V om. [q] G *ordo.* [r] G *ordo.* S *quod.* [s] L om. [u] B *qua.* [v] B om. *i. d.*

[1] Loc. cit., sub litt. *a.* [2] Cf. supra, p. 471, nota 7. [3] *De process. Spir. S.*, c. 3 (PL 158, 289).

dicatur quod persona habet originem a persona: cum quaelibet habeat originem, aut oportebit procedere in infinitum aut idem erit a [a] se; quorum utrumque est inconveniens: quia aut est ibi circulus, et tunc idem est [b] necessario a se ipso, quia si Pater principium est [c] ad Filium et Filius ad Spiritum Sanctum et Spiritus Sanctus ad Patrem, sequitur necessario quod Pater sit principium sui, quia quidquid est principium principii [d], est principium ad illud quod est ab eo; aut est ibi [e] procedere in infinitum, ita quod dicatur 'haec persona ab illa et ab hac alia', et sic in infinitum. Relinquitur ergo quod necessario oportet ponere in divinis aliquam personam quae sit sine origine.

Ad oppositum: 1. Si est ibi aliqua sine origine, sequitur quod quaelibet sit sine origine; sed hoc est falsum et inconveniens in divinis personis; ergo inconveniens est quod sit aliqua sine origine. — Maior patet: quoniam 'esse sine origine' virtutis est et dignitatis; sed quod est dignitatis in una persona, est dignitatis in alia; et cuilibet personae divinae tribuendum est quod est dignitatis in ipsa; ergo si est ibi [f] aliqua sine origine, relinquitur quod quaelibet alia [g] similiter erit sine origine aut oportet dicere quod hoc non sit dignitatis in persona [h], scilicet esse sine origine: quod falsum est, quoniam hoc est dignitatis in Patre.

2. Secunda ratio. Ubi non est origo, non est ordo secundum originem. Si ergo ab aliqua persona divina, sicut a Patre, removetur origo, ergo et ordo secundum originem; non est ergo ponere ordinem [i] secundum originem in Patre.

Solutio: Dicendum [k], secundum praedictam rationem [1], quod necessario est ponere personam sine origine.

[Ad obiecta]: 1. Ad primam rationem in contrarium dicendum quod 'esse sine origine' est dignitatis in prima persona solum; tamen hoc esset indignitatis, in quacumque alia poneretur, et hoc propter duplicem causam: una causa est, quia sequeretur quod non haberent [l] personae summam connexionem et ordinem ad [m] invicem; alia causa, quia sicut pluralitas filiationis ponit imperfectionem in pluribus filiis et ita indignitatem — ideo [n] in Trinitate est unus solus Filius qui totalitatem habet perfectionis, unde superflueret alius — ita pluralitas ingeneratorum poneret indignitatem in ingeneratis [o], id est in existentibus sine origine, sicut iam amplius patebit [2]; sed in una sola persona dignitatis erit 'esse sine origine' a perfectione originis et ordinis, si esset sine origine et generaret [p].

2. Ad secundam [q] dicendum quod Pater non dicitur habere ordinem originis quia habeat originem ab alia persona, sed quia est principium originis aliarum personarum; et secundum hoc pertinet ad ipsum ordo secundum originem. Unde Richardus, in libro *De Trinitate* [3]: « Ad considerationem originalis causae [r] pertinet non solum quaerere aut invenire originem esse ubi est, sed etiam quaerere et invenire eam non esse ubi non est ». Quaestio enim de origine est quaestio unde res habeat esse, ad quam quaestionem pertinet indagare hoc ipsum quod est unde habeat esse: an a [s] semetipso an aliunde; secundum hoc ergo pertinet quaestio de origine ad Patrem.

323

CAPUT IV.

AN POSSINT ESSE PLURES PERSONAE SINE ORIGINE.

Quarto quaeritur an possint esse plures personae sine origine.

Ad quod sic: *a.* Hilarius [4]: « Si sunt duo innascibiles, ergo duo dii ». Sed si [t] sunt duae personae sine origine, sunt duo innascibiles; ergo duo dii: quod est inconveniens. — Quod autem istud sequatur, patet: nam si sunt duae [u] sine origine, omnis differentia, quae potest ibi esse, aut est secundum essentiam aut secundum modum essendi. Constat autem [v] quod dicendo duas sine origine ponitur in eis indifferentia secundum modum essendi; ergo non differunt secundum essendi modum. Si ergo differunt, esse divinum est in illis differens; sed sunt duae; sequitur ergo [x] quod sint duo dii: quod est impossibile. Est igitur in divinis impossibile plures esse personas sine origine.

b. Secunda ratio. Iuxta Richardum, in libro *De Trinitate* [5]: « Omnis [y] differentia personalis aut est secundum qualitatem substantialem aut [z] secundum originem ». Si ergo hae duae personae differunt, aut differunt sic vel sic; sed non differunt secundum originem, ut planum est; ergo

---

[a] BRGL *ad.* [b] L om. [c] BG add. *a Filio*, quod R exp. [d] BRGL *principio.* [e] V *in.* [f] B om. [g] L om. [h] L *ipsa.* [i] S om. *non... ordinem.* [k] Codd. add. *quod.* [l] L om. *q. n. h.* [m] P *ab.* [n] V add. *non*, R *in dignitate* pro *indignitatem.* [o] VSRL *generatis* G *ingenerans.* [p] RG om. *a perfectione... generaret*, quod in B est add. mg. [q] VS add. *rationem.* [r] G *anime.* [s] BG om. [t] PV om. [u] PVS *duo.* [v] G *ergo.* [x] L om. [y] G add. *est.* [z] BRGL add. *est.*

1 Cf. p. 473, sub litt. *a.* 2 Cf. cap. sequens.
3 *De Trinit.*, IV, c. 16 (PL 196, 940).
4 *De Synod.*, c. 26 (PL 10, 521).
5 Lib. IV, c. 13 (PL 196, 938).

si differunt, differunt secundum qualitatem substantialem; ergo alia est deitas in una et alia in alia; ergo duo dii: quod est impossibile. — Si dicatur quod differunt secundum existendi modum, in hoc scilicet quod una illarum est a qua est [a] alia persona, alia vero a qua est nulla — contra: si est ibi persona sine origine a qua nulla alia, iam ipsa est [b] solitaria; sed solitudo non potest stare cum summa caritate [1], quae quidem est in divinis personis; relinquitur ergo quod non differt ab alia sine origine in modo existendi, sed in esse. Sequitur ergo quod [c] si sunt duo innascibiles, quod sunt duo dii.

c. Tertia ratio. Omnis pluralitas habet unitatem [d] aliquam primam sui generis [2]; ergo pluralitas personalis habet aliquam primam [e] unitatem personalem; sed si ponerentur duae personae sine origine, poneretur pluralitas quae non habet ante se unitatem sui generis: quod est inconveniens; est igitur inconveniens [f] duas esse personas sine origine.

d. Quarta ratio. Sicut se habet pluralitas essentiae ad unitatem essentiae, ita se habet pluralitas personae ad unitatem personae; sed omnis pluralitas essentiae habet unam solam primam essentiam a qua est; ergo et omnis pluralitas personae habet unam solam primam personam [g]: quod non potest esse, si sint duae sine origine.

e. Quinta ratio. Richardus, in libro *De Trinitate* [3]: Si duae essent sine origine, neutra « alteri immediate adhaereret »; non esset ergo summa connexio et germanitas in personis divinis; etsi etiam haberent ordinem ad tertiam quae ab illis procederet, non tamen una [h] ad aliam ordinem haberet; non igitur esset summa germanitas, summa concordia, summa ordinatio in personis divinis: quod est inconveniens.

f. Sexta ratio. Persona est substantia cum proprietate incommunicabili [4]; sed si essent duae personae sine origine, esset earum communis proprietas et non differens, scilicet innascibilitas; ergo non possent esse duae, sed una.

Sic igitur patet quod impossibile est esse plures [i] personas in divinis sine origine [k].

Ad oppositum: 1. Non est [l] inconveniens ibi ponere duas habentes originem; ergo non est inconveniens duas aut plures ponere sine origine; poneremus ergo adhuc ordinem harum ad invicem, licet essent sine origine, sicut ponimus ordinem illarum quae habent originem: nam si non distinguitur ordo in istis, ergo nec in illis.

Solutio: Dicendum quod impossibile est in divinis esse plures personas sine origine, sed unam solam oportet esse sine origine [m], sicut patet per rationes supra positas.

[Ad obiecta]: 1. Ad rationem in contrarium dicendum quod 'habere originem', dictum de duabus personis, potest esse dupliciter: aut quod ita habent originem ab una quod neutra ab alia aut ita quod una habet originem ab alia. Primo modo, positis duabus personis [n] habentibus originem ab una, dico quod destrueretur summus ordo et connexio in divinis personis, immo maior esset earum connexio ad tertiam quam ad invicem, et ita [o] non esset in eis summa proportio, sed confunderetur summa germanitas; et ideo hoc modo non est possibile eas poni in divinis. Sed secundo modo, positis duabus habentibus originem ab una, dico quod ponitur summa connexio earum ad [p] invicem et ad tertiam, et ideo summa ordinatio et summa originis ratio; sed si ponerentur duae sine origine, nulla poneretur in eis connexio nullaque originis ratio, et ideo non possunt esse duae sine origine.

CAPUT V. 324

AN DUAE HABENTES ORIGINEM IMMEDIATE PROCEDANT AB ILLA QUAE NON HABET ORIGINEM ITA QUOD NEUTRA AB ALIA.

Quinto quaeritur de habentibus originem utrum ita [q] habeant originem a persona, quae non habet originem, quod neutra ab alia, ut dicatur, sicut Graeci dicunt, quod Filius et Spiritus Sanctus ita habent originem a Patre quod [r] Spiritus Sanctus non habeat originem a Filio [s].

Ad quod sic: *a.* Richardus, in libro *De Trinitate* [5]: « Si gemina persona de una tantum procederet, profecto [t] procedentium neutra immediate alteri adhaereret », supple 'in ordine naturae, non secundum essentiam': quia [u] Spiritus Sanctus non haberet ordinem ad Filium nisi quia a Patre, nec Filius ad Spiritum Sanctum nisi quia a Patre; ergo plus convenirent cum Patre quam ad invicem; non ergo esset omnimoda nec aequalis

[a] L om. [b] G add. *cum.* [c] L om. [d] V *humanitatem.* [e] V om. [f] V om. *e. i. i.* [g] P add. *a qua est.* [h] G om. [i] L om. [k] G om. *Sexta ratio... origine.* [l] V om. [m] BRGL om. *o. e. s. o.* [n] G om. *potest esse... personis.* [o] BRGL *sic.* [p] BRL om. [q] G *ista.* [r] L *quia.* [s] G *Patre.* [t] BRGL *perfectio.* [u] VS *quod.*

1 Cf. supra, p. 469a, litt. *e.*
2 Cf. Aristot., *Metaph.*, IX, c. 6 (II, 580).
3 Lib. V, c. 12 (PL 196, 958), ubi et sequentia ad sensum.
4 Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, IV, c. 22 (PL 196, 945).
5 Lib. V, c. 10 (PL 196, 957).

proportio in divinis personis: quod est inconveniens. Relinquitur ergo quod ita procedunt illae duae a Patre quod et una immediate procedit ab alia, scilicet Spiritus Sanctus a Filio: quod est contra opinionem Graecorum.

b. Secunda ratio. Persona Patris, a qua procedunt aliae, est unum in essentia cum persona Filii et persona Spiritus Sancti. Item, cum ipsa sit simplex omnino, se habens uno modo quantum [a] est ex parte originis ad utramque, sicut ponunt Graeci, quia immediate sunt de [b] ipso nec habitudo earum differens [c] ad illam, quia scilicet immediate se habet utraque ad illam, sicut ponunt: ergo secundum unam habitudinem et unum modum procederent ab illa; ergo si una est per generationem, et alia, et si una per spirationem [d] a Patre, et alia; et ita utraque potest dici Filius vel Spiritus Sanctus, et ita plures filii vel plures spiritus sancti: quod est inconveniens et falsum. Necesse est ergo quod ita procedant Filius et Spiritus Sanctus a Patre quod etiam unus procedat ab alio.

c. Tertia ratio. Non potest intelligi poni ordo ternarii ad unitatem nisi mediante dualitate, quia dualitas se habet quasi medium ad unitatem et ternarium, et prior est habitudo ternarii ad binarium quam ad unum et immediatior [1]. Cum ergo Filius sit persona media inter Patrem et Spiritum Sanctum, necesse est prius habitudinem intelligere Spiritus Sancti ad Filium [e] quam ad Patrem, sicut prius est intelligere ordinem unius ad duo quam duorum ad tertium. Relinquitur ergo quod ibi erit ponere unum a quo alius et ab eo tertius, scilicet a Filio Spiritus Sanctus.

d. Quarta ratio. Spiritus Sanctus procedit a Patre sicut amor distinctus et determinatus, Filius autem procedit a Patre sicut intelligentia a mente; sed nunquam procedit amor distinctus et determinatus nisi prius procedat intelligentia a mente, quia non diligimus nisi cognitum [2]; amor ergo procedit mediante intelligentia; ergo similiter Spiritus Sanctus non potest procedere a Patre nisi Filio mediante; procedit ergo ita Spiritus Sanctus a Patre quod et [f] a Filio, sicut amor ab intelligentia.

e. Quinta ratio. Ordo est in divinis personis; non autem est ibi ordo secundum superius et inferius nec secundum prius et posterius; nullo ergo modo convenientius est ibi ordo quam rationis [g]; sed ordo rationis est secundum primum, medium [h], postremum, sicut patet in linea praedicamentali [i], quia ibi est primum, de quo nihil est, sed quod est de aliis, et ultimum, de quo alia et ipsum de nullo, et medium, quod de alio et aliud [k] de ipso [3]. Cum ergo ordo in divinis personis sit exemplar huiusmodi ordinis, relinquitur quod est ibi una persona de qua alia et ipsa de nulla, et una quae de alia et nulla de ipsa [l], et media quae de alia et de ipsa alia [4]. Sed persona de qua alia et ipsa de nulla, est persona Patris; persona vero quae de alia et nulla de ipsa, est persona Spiritus Sancti; persona autem media est persona Filii; ergo ipsa est a persona Patris et ab ipsa persona Spiritus Sancti, quae solum de alia; non ergo possibile est quod sint duae procedentes immediate ab illa prima persona, quae non habet originem, ita quod neutra ab alia.

Ad oppositum: 1. Differentiae procedunt a genere in ordine rationis; sed [m] ordo in divinis personis est exemplar et iuxta ordinem illum est ordo rationis quo differentiae procedunt a genere; ergo ita procedunt duae personae a Patre sicut duae differentiae [n] a genere; sed ita procedunt duae differentiae a genere quod utraque immediate et neutra ab altera; ergo similiter duae personae procedunt a Patre immediate ita quod neutra ab alia. — Quod autem [o] ordo sit in divinis personis [p] iuxta illum ordinem [q] rationis quo differentiae procedunt a genere, patet: quia principalior et prior est ordo rationis [r] differentiarum ad genus quam ordo rationis qui est specierum ad genus sive generis ad species, quia ille praeintelligitur ad ordinem generis ad species et se habet in causalitate ad ipsum; sed quod est principalius in ordine rationis est attribuendum ordini divinarum personarum, cum iste ordo sit exemplar illius; ergo oportet intelligi ordinem divinarum personarum sicut ordinem differentiarum ad genus.

2. Secunda ratio. Filius procedit a Patre sicut verbum a dicente et similiter Spiritus Sanctus procedit a Patre sicut spiritus a dicente [s]; sed verbum et spiritus ita procedunt a dicente quod neuter procedit ab alio, sed uterque immediate a dicente; ergo similiter procedunt Filius et Spiritus Sanctus a Patre quod neuter ab alio, sed uterque immediate [t].

3. Tertia ratio. Ad Hebr. 1,3: *Qui cum sit splendor gloriae.* Glossa [5]: « Illud, quod est nobilissimum in creatura, est Deo tribuendum »; sed in productionibus creaturarum semper nobilior est productio, cum est virtus aliqua producens, quae [u] potest producere per unum quam quae [v] per

---

[a] V add. *autem.* [b] S *ab.* [c] L *differentes.* [d] V om. *et alia... spirationem.* [e] S repet. *ad Filium.* [f] P om. [g] S *rationalis,* G *ratio* pro *ordo.* [h] L add. *et.* [i] S *predicamenti.* [k] L *alius.* [l] L *illa.* [m] PS add. *quia,* quod V exp. [n] G *persone.* [o] S *est.* [p] V add. mg. *exemplar.* [q] V add. mg. *est ordo.* [r] G add. *ipsarum.* [s] B om. *et similiter... dicente.* [t] B om. *a dicente ergo... immediate.* [u] B *qua.* [v] BRGL om.

1 Cf. supra, num. 319.
2 Cf. Augustin., *De Trinit.*, VIII, c. 4 (PL 42, 951).
3 Cf. supra, p. 471b, *Solutio.*
4 Cf. supra, p. 472, nota 3.
5 Lombardi, in h. l. (PL 192, 495), ad sensum; ex Augustino, *Sermo* 117, c. 10 (PL 38, 669).

multa. Si ergo divinae productioni debemus attribuere quod est nobilissimum in productione creaturarum, relinquitur quod semper est ibi productio per unum, non per duos; ergo productio Filii et Spiritus Sancti sunt ab uno tantum; non est ergo processio Spiritus Sancti ab utroque; non ergo a Filio.

4. Quarta ratio. Vanum et superfluum est in natura ut illud quod potest facere aeque bene per unum, faciat per duo [1]; ergo cum omnis superfluitas removenda sit ab esse divino, relinquitur quod illud quod potest ibi fieri aeque bene per unum, non fiet per duos; sed Spiritus Sanctus aeque bene procedit a Patre solo sicut a Patre et Filio, quia cum Patri debeatur summa potentia, solus potest producere Spiritum Sanctum aeque bene ac si Filius produceret Spiritum Sanctum cum ipso; aut poneretur impotentia [a] in ipso Patre: quod est inconveniens; ergo non est ponendum quod Spiritus Sanctus procedat a Patre et Filio, sed a Patre solo immediate.

Solutio: Dicendum quod in hoc erraverunt Graeci quod posuerunt Spiritum Sanctum procedere a Patre solo immediate et nullo modo a Filio.

[Ad obiecta]: 1. Et [b] ad primam rationem in contrarium dicendum quod ordo differentiarum ad genus exemplariter non est ponendus in divinis personis [2], quia iste ordo, qui est divisionis generis in differentias, est imperfectionis, quia ducit in esse [c] potentiali et materiali, et non formali: quia genus est sicut materia ad differentias [3] et potestate sunt differentiae in genere [4], et sic est iste ordo in esse potentiali et materiali, et ideo iuxta ipsum non sumitur ordo in divinis personis. Sed [d] dicendo ordinem rationis, secundum quem dicimus ordinari primum, medium et postremum, scilicet generalissimum, specialissimum, et subalternum in linea praedicamentali, dicimus ordinem formalem, et ideo ordinem perfectionis, et ideo iuxta ordinem istum [e] dicitur ordo in divinis personis, non iuxta alium. Necesse autem est iuxta istum [f] ordinem quod utraque persona habens originem procedat a non habente originem et quod una etiam ab altera procedat.

2. Ad secundam rationem dicendum, secundum Augustinum, in libro *De Trinitate* [5], quod est dictio interior et exterior et verbum interius et exterius et similiter spiritus interior et exterior; comparatio ergo verbi exterioris et spiritus exterioris est removenda a divinis, sed est attendenda illa quae est verbi et spiritus interioris, quia secundum illam est imago: unde in imagine [g] invenies dicentem interiorem, qui est mens; verbum vero interius procedens ab ipsa est intelligentia; spiritus vero interior est amor vel quasi amor spiratus ab utroque. Et sic facta comparatione ad verbum et [h] spiritum interiorem, ad quae [i] debet fieri comparatio, inveniemus quod Spiritus Sanctus [k] debet a Filio procedere. Graeci autem in hoc erraverunt quod crediderunt et fecerunt solum [l] comparationem ad verbum exterius et spiritum [m] exteriorem, videntes quod spiritus exterior non procedit a verbo exteriori, sed a dicente solum, sic dicentes de Spiritu Sancto [6].

3. Ad tertiam rationem dicendum quod aliter [n] est in productione per modum naturae et in productione per modum voluntatis. Nam in productione per modum naturae tenet illud quod 'nobilior est productio quae potest fieri per unum quam quae non potest fieri nisi per multa'; sed non in productione per modum voluntatis, immo ad hoc quod illa sit iucunda et delectabilis, requiritur consors [o] in productione. Et ponit Richardus [7] rationem huius ex parte [p] perfectionis caritatis, quae semper in alterum tendit: unde summus amor non est unius ad se, et ideo ubi est summa caritas semper ponuntur [q] plures, item ubi est summa caritas [r] ibi est velle alium diligi ut [s] se. Patet ergo quod caritas nunquam potest esse solitaria et maxime summa caritas. Quia ergo [t] perfectio voluntatis est caritas et maxime voluntatis illius per [u] quam fit productio Spiritus Sancti, ideo productio Spiritus Sancti necessario requirit quod non sit ab uno solo, sed a pluribus, propter decursum caritatis ab uno in alium, quae est perfectio voluntatis; quia vero [v] productio Filii a Patre est per modum naturae, ideo ibi tenet illa obiectio, scilicet [x] quod Filius ab una sola persona producatur et quod unum solum principium suae productionis requirat [y], scilicet Patrem.

4. Per hoc patet solutio ad rationem quartam: quoniam, si esset productio Spiritus Sancti per modum naturae, bene procederet ratio illa; sed ita non est, immo est per modum voluntatis, cuius perfectio est summa caritas, quae semper ab [z] uno in alterum decurrit. Et ideo interimenda est illa, scilicet quod productio Spiritus Sancti possit esse ab uno solo; si autem eius productio esset per modum naturae, vera esset.

---

[a] V *in persona*, L om. *ipso*. [b] BRG om. [c] BGL add. *potentia*, quod R exp. [d] PVS add. *in*. [e] BRG *illum*. [f] BRGL *illum*. [g] BR *imaginatione*. [h] L add. *ad*. [i] V *quem*, S *quod*. [k] L om. [l] V *solummodo*. [m] L add. interl. *sanctum*, S *interiorem* pro *exteriorem*. [n] PVS *aliud*. [o] S add. *et*. [p] L om. [q] V add. *ibi*. [r] G om. *semper... caritas*. [s] S *in*, V *diligere* pro *diligi*. [t] L om. [u] BRGL *secundum*. [v] G *nec*. [x] V om. [y] V om. [z] S *de*.

1 Cf. Aristot., *Phys.*, I, c. 6 (II, 255).
2 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 4 (PL 64, 1252).
3 Cf. Boeth., *In Porphyr.*; c. *De differentia* (PL 64, 128); Aristot., *Metaph.*, VI, c. 12 (II, 552).
4 Cf. *Porphyr.*, ap. Boeth., loc. cit. (PL 64, 125).
5 Lib. XV, c. 11, n. 20 (PL 42, 1071 sq.), ad sensum.
6 Cf. supra, p. 452a.
7 *De Trinit.*, V, cc. 16 sqq. (PL 196, 961 sqq.).

325

CAPUT VI.

AN PERSONA HABENS ORIGINEM AB ALIA HABET SIMILITER ORIGINEM A PRIMA IMMEDIATE.

Sexto quaeritur, supposito quod Spiritus Sanctus procedat a Patre et a [a] Filio, utrum ita procedat a Filio quod mediate tantum procedat a Patre vel [b] immediate.

Ad quod sic: 1. Si aliqua duarum procederet immediate tantum a prima, non coniungeretur alia [c] primae nisi per medium; ergo in ordine naturae [d] plus communicaret cum secunda quam cum prima; non ergo esset in divinis personis summa germanitas et connexio; si ergo summus ordo, qui est in divinis personis, requirit summam connexionem in illis, constat quod Spiritus Sanctus ita procedit a Patre et Filio, quod a Patre procedit immediate [e].

2. Secunda ratio. Magis conveniunt quae [f] sine medio conveniunt quam quae cum medio. Si ergo in divinis personis est summa convenientia, relinquitur quod non est ibi processio aliqua solum per medium; non est ergo aliqua persona quae tantum mediate procedat a prima [g].

Ad oppositum: *a.* Inter esse non ab alio [h] a quo alius et esse ab alio a quo [i] nullus medium est esse ab alio a quo alius ordine naturae. Si ergo iste ordo sit in Trinitate — quia ibi est esse non ab alio a quo alius, scilicet Pater, et esse [k] ab alio a quo nullus, scilicet Spiritus Sanctus, et esse [l] ab alio a quo alius, scilicet Filius — ergo non procedit Spiritus Sanctus immediate a Patre, sed mediante Filio.

Solutio: Dicendum, secundum Richardum de S. Victore, in libro *De Trinitate* [1], dicentem quod [m] persona de persona procedit multipliciter: « quandoque [n] immediate tantum [o], quandoque mediate tantum, quandoque mediate et immediate ». Verbi gratia, de Adam producitur Eva [p], Seth, Enoch; sed Eva producitur de Adam immediate tantum; Enoch mediate tantum, quia mediante Seth, quia fuit filius Seth; Seth vero utroque modo, scilicet mediate et immediate: immediate processit de semine Adae, « in quantum fuit de proprio semine, mediate, in quantum fuit de semine Evae », quia Eva ab Adam. Mediata vero tantum productio non potest esse in divinis, quia tunc non esset summus ordo nec summa connexio in eis, immo confunderet ordinem et connexionem, ut visum est [2], et summam germanitatem. Solum ergo aliae duae [q] productiones sunt in divinis [r]: productio immediata tantum est productio Filii a Patre, nec potest convenire productio immediata tantum nisi uni soli [s], sicut visum est [3]. Relinquitur ergo quod mediata et immediata est processio Spiritus Sancti a Patre: immediata in quantum a Patre, mediata [t] in quantum a Filio, qui a Patre est; est igitur ordo in divinis secundum immediationem tantum inter Patrem et Filium, secundum vero mediationem et immediationem Spiritus Sancti ad Patrem.

326

CAPUT VII.

AN PROCESSIO SPIRITUS SANCTI CONSEQUATUR ORDINE NATURAE AD GENERATIONEM FILII VEL E CONVERSO.

Septimo quaeritur de ordine naturae processionis Spiritus Sancti ad generationem Filii, quid [u] eorum sit prius [v] ordine naturae, an processio Spiritus Sancti an [x] generatio Filii.

Ad quod sic: *a.* Augustinus [4]: Generatio Filii a Patre est sicut generatio intelligentiae a mente, processio vero Spiritus Sancti a Patre et Filio est sicut processio spiritus amoris ab intelligentia et mente; sed ordine naturae consequitur generationem intelligentiae a mente processio amoris ab utroque; ergo ordine naturae consequitur processio Spiritus Sancti a Filio et [y] Patre generationem Filii a Patre.

b. Secunda ratio. Voluntarium est cuius principium est in ipso cognoscente, sicut dicit Ioannes

---

[a] 8 om., in P est add. interl. al. m. [b] V om. [c] V *alie.* [d] S om. [e] V *mediate.* [f] BRQ *qui.* [g] B *immediate procedat* pro *m. p. a. p.* [h] SG *aliquo*, L *aliquo* pro *a quo.* [i] L *aliquo* pro *a quo*, G *nullum* pro *nullus.* [k] PVS *ens.* [l] PVS *ens.* [m] PS *quoniam.* [n] S *quoniam.* [o] V om. *q. i. t.* [p] V om. [q] B om. [r] G add. *personis.* [s] L add. *tantum.* [t] BRG add. *vero.* [u] S *quis.* [v] V *prior.* [x] BOL *aut*, R om. *ordine... Filii.* [y] V add. *a.*

1 Lib. V, c. 6 (PL 196, 953), multa ad sensum, etiam exemplum allatum. Cf. Ioan. Damasc., *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 818); cf. supra, p. 66b, *ad 2.*

2 Cf. supra, p. 475b, *ad 1.* 3 Cf. num. 324.

4 Cf. *De Trinit.*, XV, c. 7, n. 12; c. 18, n. 32 et c. 19, n. 37 (PL 42, 1066, 1083, 1086), ad sensum.

Damascenus [1]; ergo voluntas est principium cognoscens, et in hoc [a] differt a principio quod est natura: nam natura non praecognoscit actum suum, voluntas vero praecognoscit; ergo cognoscere praecedit velle ordine naturae: nihil enim est volitum nisi prius cognitum [2]; ergo, secundum Ioannem Damascenum [3], nihil est amatum nisi cognitum, cum omne amatum sit volitum. Relinquitur igitur quod amorem ordine naturae praecedit notitia; ergo prius est [b] generatio notitiae a mente quam amoris ab utroque; sed generatio Filii est ut generatio notitiae a mente, processio Spiritus Sancti est [c] per modum voluntatis et est velut processio amoris ab utroque; ergo ordine naturae consequitur ad generationem Filii.

c. Tertia ratio. Supposito, quod supra probatum est [4], scilicet quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, prius [d] erit intelligere generationem Filii a Patre quam processionem Spiritus Sancti ab utroque.

d. Quarta ratio. Augustinus [5], *Ad Orosium:* « Praeire voluntas sapientiam non potest ». Ergo nec processio voluntatis generationem sapientiae.

Ad oppositum: 1. Augustinus, in libro *De Trinitate* [6]: « Partum mentis, scilicet intelligentiam, et hoc est verbum interius, praecedit appetitus », id est [e] voluntas intelligendi: ante enim [f] quam quis intelligat, exigitur ordine [g] naturae quod velit [h] intelligere; ergo appetitus sive voluntas praecedit intelligentiam; ergo si processio voluntatis a mente repraesentat processionem Spiritus Sancti, generatio intelligentiae generationem Filii, videtur quod ordine naturae prior sit processio Spiritus Sancti quam generatio Filii.

2. Secunda ratio. In omni cognitione tria exiguntur: cognoscens, cognitum et intentio voluntatis copulans cognitum cognoscenti, sicut patet in cognitione sensitiva. Ad hoc enim quod aliquis [i] videat, oportet quod sit videns sive visivum et visibile praesens visivo et intentio voluntatis copulans unum alteri. Unde quandoque contingit aliquem apertis oculis non videre, praesente obiecto [k] etiam visibili, quod ex hoc contingit quoniam [l] non est intentio voluntatis copulans visibile visivo. Unde narratur de B. Bernardo quod quadam vice transierit per Parisius, nihil videns, cum tamen apertos haberet oculos et praesentes essent res quae videri possent [7]. Eodem modo est [m] de cognitione intellectiva: ad hoc enim quod sit haec cognitio, oportet quod qui debet intelligere intellectum habeat et quod [n] praesens sit intelligibile [o] intellectui et quod feratur intentio voluntatis super intelligibile [p], alioquin adhuc non intelligeret. Ex quo [q] patet quod intelligere praecedit voluntas intelligendi; ergo prior est processio voluntatis quam generatio intelligentiae ordine naturae; sic utique processio Spiritus Sancti prior est [r] ordine naturae quam generatio Filii a Patre.

3. Si dicatur secundum Augustinum, in libro *De Trinitate* [8], quod est amor vel appetitus rei cognoscendae et est amor rei cognitae, ut antequam aliquis sciat grammaticam, vult et appetit eam scire, similiter postquam scit eam, vult eam scire: prima voluntas sive amor praecedit intelligentiam, sed secunda voluntas sequitur intelligentiam, et huic aptatur Spiritus Sanctus; et ideo sequitur generationem Filii sua processio; unde dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [9], quod cum mens amat suam notitiam, quae est velut quidam amplexus parentis et prolis, repraesentat Spiritum Sanctum – sed tunc contra hanc [s] responsionem opponitur. Augustinus dicit ibi, IX *De Trinitate* [10], et vult quod amor rei cognoscendae sit amor rei cognitae; unde dicit: « Appetitus quo inhiatur rei cognoscendae fit amor rei cognitae, dum tenet et amplectitur placitam prolem, id est ipsam notitiam ». Cum ergo appetitus, quo [t] inhiatur rei cognoscendae, praecedat generationem sapientiae, et ille idem sit amor rei cognitae, qui [u] repraesentat Spiritum Sanctum: ergo processio Spiritus Sancti ordine naturae praeintelligitur ante generationem Filii.

4. Quarta [v] ratio. Secundum ordinem intelligentiae, cum Pater ille aeternus generet voluntarius, velle praecedit generare; sed voluntas repraesentat Spiritum Sanctum; ergo Spiritus Sanctus [x] praeintelligitur ante generationem Filii.

Solutio: Dicendum quod voluntas sive appetitus rationalis duplex est. « Est enim voluntas ut natura et est voluntas ut voluntas », sicut dicit Ioannes Damascenus [11]; aliis verbis graecis θέλησις [y] et βούλησις [z]. Voluntas vero ut natura est appetitus generalis et indeterminatus; voluntas vero ut voluntas specialis est et definita. Nam voluntas ut natura inserta est cuilibet vi animae respectu sui actus et obiecti: unde est in irascibili respectu ardui, in

---

[a] B *hac.* [b] L om. [c] BG om. [d] PVS *primum.* [e] PVS *et* pro *id est.* [f] S *eam.* [g] V *ordo.* [h] RG *vult*, quod B corr. [i] PVS *aliquid.* [k] B *altero.* [l] BRGL *quia.* [m] G om. [n] S *quia*, G om. *habeat.* [o] V *intelligere.* [p] V add. *intellectui*, G om. *non.* [q] P *hoc.* [r] RG om., G *de* pro *prior est.* [s] V om. [t] BRGL om. [u] PVS *que.* [v] Codd. *tertia.* [x] PVS om. [y] PS *tholisis*, L *thesilis.* [z] B *buselis*, G *busilis* et ambo om. *et.*

[1] *De fide orthod.*, II, c. 24 (PG 94, 951 sq.); cf. Aristot., *Ethic. ad Nicomach.*, III, c. 1 (II, 25).
[2] Cf. Augustin., *De Trinit.*, X, c. 1, n. 2 (PL 42, 973).
[3] Loc. cit. [4] Cf. supra, num. 310.
[5] *Dialog. quaest. 45*, q. 7 (Pseudo-Augustini, PL 40, 736).
[6] Lib. IX, c. 12, n. 18 (PL 42, 972).
[7] Similia de S. Bernardo vide ap. *Acta SS.*, Aug., IV, 263 EF et 297 CD. [8] Loc. cit. ad sensum.
[9] Loc. cit., ad sensum. [10] Loc. cit.
[11] *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 943 et 947).

concupiscibili [a] respectu boni [b], in rationali respectu veri; sed voluntas ut voluntas, quae quidem est determinata, inserta est solum virtuti motivae rationali [c], quae movetur ex arbitrio et iudicio libere. Voluntas primo modo dicta praecedit notitiam sive [d] intelligentiam, quia appetitus ille est in ipsa vi cognitiva respectu motivae [e] naturaliter insertus quo « inhiat rei cognoscendae »; et de hoc appetitu intelligitur auctoritas Augustini [1], scilicet quod « partum [f] mentis praecedit appetitus ». Voluntas vero ut voluntas ordine naturae consequitur notitiam: haec enim est determinata respectu alicuius rei, sed non possumus velle proprie aliquid [g] nisi cognitum, sicut ostensum est [2].

Secundum hoc dicendum quod iuxta hunc [h] modum dicitur in divinis voluntas dupliciter, scilicet essentialiter et personaliter. Voluntas essentialiter accipitur a voluntate ut natura; et haec voluntas quasi indeterminata est et generalis in divinis, quia haec voluntas una et eadem est Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum sit idem [i] quod essentia divina; et haec voluntas ordine intelligentiae praecedit generationem sapientiae sive [k] Filii et ante ipsam praeintelligitur, sicut essentia ante Filii generationem praeintelligitur. Voluntas vero dicta notionaliter [l] sive personaliter accipitur a voluntate ut voluntas, et haec non est quasi generalis, sed appropriata Spiritui Sancto; et sicut voluntas ut voluntas in ordine naturae dicitur consequi notitiam, ita haec voluntas dicta personaliter pro Spiritu Sancto secundum rationem intelligentiae consequitur in divinis [m] generationem intelligentiae et ita processio Spiritus Sancti consequitur generationem Filii, non tamen consequitur re vel tempore. Sed voluntas primo modo dicta antecedit, quia divina essentia est cum hoc dicens rationem ad productionem Filii per generationem et Spiritus Sancti per processionem. Ordine ergo naturae prior est [n] generatio quam processio. — Item, alia ratio [o] ad hoc idem: Quoniam ordine naturae prior est productio quae est per modum naturae quam quae est per modum voluntatis, sicut prior est natura quam voluntas ordine naturae, quia [p] ubicumque est voluntas, ibi est natura, et non e converso; sed productio Filii est per modum perfectae naturae, productio Spiritus Sancti per modum voluntatis perfectae, quae [q] productio est etiam a Filio; ideo ordine naturae sequitur productionem [r] Filii per generationem.

[Ad obiecta]: 1–2. Per hoc solvitur ratio prima in contrarium et similiter secunda, quia dico quod non cuiuscumque [a] voluntatis intentio praecedit cognitionem, sed voluntatis [b] generalis, quam dicimus voluntatem ut naturam, quia per hanc « inhiat [c] vis cognitiva rei cognoscendae ».

3. Ad tertiam [d] rationem dicendum quod cum aliquid est imperfectionis in ipsa trinitate creata, illud non debet aptari ipsi Trinitati increatae. Secundum hoc dicendum quod in trinitate creata est duplex appetitus: unus est rei cognoscendae, et iste praecedit scientiam movens animam ad quaerendum quod ignorat; alius est appetitus rei cognitae [3], et iste est quasi dilectio ipsius notitiae iam habitae ut conservetur. Primus appetitus imperfectus est et confusus, quia velle cognoscere antequam homo cognoscat, ponit in ipso imperfectionem et defectum, quia ponit ignorantiam in ipso; sed alius appetitus, qui est amor rei cognitae, perfectionis est, quia est ipsius mentis diligentis suam cognitionem; unde ponit scientiam et cognitionem in eo [e] cuius est: et est iste appetitus determinatus, et quamvis in nobis secundum radicem [f] idem sit [g] uterque appetitus, sicut dicit Augustinus quod « amor rei cognoscendae fit [h] amor rei cognitae », tamen differunt in esse, quia unus imperfectus, alius perfectus, unus [i] indeterminatus, alius determinatus; primus ergo appetitus, in quantum sic est, non debet adaptari divinis, sed secundus.

4. Ad quartam [k] rationem dicendum quod cum dicitur 'Pater vult generare', 'velle' dicit essentiam in Patre; et secundum intelligentiam voluntas [l] est quasi medium inter hypostasim [m] Patris et generare, tamen secundum rem non dicit aliud quam essentiam; unde cum dicitur 'Pater potest generare', 'Pater vult generare', utrumque importat essentiam, scilicet 'posse' et 'velle'. Unde essentia sub ratione potentiae vel voluntatis tenet rationem medii, quia dicendo 'Pater vult generare' voluntas dicit essentiam in quantum est ratio generationis; aliter vero accipitur, cum dicitur 'Pater et Filius communem habent voluntatem', quia haec voluntas dicit communem notionem, quae est communis spiratio [n]; aliter etiam cum dicitur 'Pater et Filius habent de se procedentem [o] voluntatem communem', quia haec voluntas dicitur personaliter Spiritus Sanctus.

Et sic patet responsio.

---

[a] G *corruptibili*. [b] V add. interl. *delectabilis*. [c] PS *rationabili*, quod V corr. [d] L *scilicet et*. [e] L *notitie*. [f] V om. [g] V *aliud*. [h] V om. [i] PVSB *eadem*. [k] V om. [l] S *rationaliter*. [m] RQL add. *per*, B add. *personis*; S *rationem* pro *generationem*. [n] V om. [o] PVS *ratione*. [p] V *qua*. [q] BRQ add. *etiam*. [r] S *productio*.

[a] VLR *cuiusque*, V om. *non*. [b] VB *voluntas*. [c] G *inchoat*, quod L corr. [d] V *secundam*. [e] L *ipso*. [f] PVS *rationem*. [g] S *sicut*. [h] V *est*. [i] P *unde*. [k] PV *tertiam*, quod S corr. al. m. [l] BRQ *voluntatis*, quod L corr. per exp. [m] PS *apostasim*, quod V corr. [n] R *ratio*. [o] Codd. *producentem*; P (mg.) SV (mg.) repetunt *voluntatem*.

[1] Cf. supra, p. 479a, n. 1. [2] Cf. p. 479a, litt. *b*. | [3] Cf. supra, p. 479b, n. 3.

CAPUT VIII. 327

AN ABSTRACTIS HYPOSTASIBUS SIT INTELLIGERE ORDINEM NATURAE IN TRINITATE ET E CONVERSO.

Octavo quaeritur I. abstracto ordine naturae per intellectum, an adhuc sit intelligere hypostases [a] in esse divino.

Et ostenditur quod sic: *a.* Quia non intelligendo Patrem, Filium non intelligendo, adhuc intelligendo 'non ab alio a quo alius, ab alio a quo alius [b], ab alio a quo non alius', adhuc intelligo unitatem perfectissimam divini esse; sed perfectissima unitas est, ut ostensum est [1], quae est in pluribus non multiplicata; ergo adhuc intelligo in unitate divina unum et unum.

II. Similiter quaeritur utrum, abstractis per intellectum hypostasibus sive personis, sit adhuc intelligere ordinem naturae in esse divino.

Et ostenditur quod non: *a.* Quia abstractis personis sive hypostasibus, non intelligitur aliquis qui [c] a nullo a quo alius, nec aliquis qui sit ab alio a quo alius, nec aliquis qui sit ab alio a quo nullus; sed secundum has divisiones [d] intelligitur ordo naturae et est in divinis; ergo abstractis personis sive hypostasibus in divinis non erit intelligere ordinem naturae.

Ad oppositum: 1. Constat quod, abstractis hypostasibus, potest intelligi mens summa noscere se et etiam cognoscens se diligit se; ergo, abstractis personis, est ibi intelligere mentem, notiam et amorem; sed ordo naturae est notitiae ad mentem et amoris ad utrumque; relinquitur ergo quod est intelligere ordinem naturae in Deo etiam abstractis personis.

2. Secunda ratio. In anima rationali non sunt hypostases et tamen ibi intelligitur ordo naturae inter mentem [e], intelligentiam et voluntatem, secundum quas vires anima [f] est imago Trinitatis creatae; ergo similiter in [g] increata Trinitate potest intelligi ordo naturae, si abstrahantur hypostases et personae.

Solutio: I. Ad primum dicendum quod, abstracto ordine naturali vel naturae a [h] divinis per intellectum, adhuc possunt intelligi hypostases; unde potest adhuc ibi [i] intelligi unus et unus, tamen indistincte. Unde notandum quod [k] hypostasis, cum sit substantia, aliquando dicit per modum substantiae pronominalis, hoc est sub qualitate indeterminata sicut substantia [l] pronominalis; aliquando dicit per modum substantiae nominalis singularis, ut Sortes, et tunc dicit sub qualitate determinata et definita vel distincta, et tunc, si sit circa rem rationalis naturae singularem, dicetur esse persona. Abstracto ergo ordine naturae [m] a divinis, qui est secundum istas proprietates 'non ab alio a quo alius' etc., esset intelligere primo modo hypostases in divinis, quia posset intelligi unus et unus, tamen indistincte [n], sicut substantia pronominalis dat intelligere substantiam sine qua [o] non possent ibi intelligi personae, quae dicuntur ad modum substantiae singularis nominalis sub proprietate incommunicabili discreta, sicut patet in Sorte. Ad modum ergo substantiae pronominalis possent ibi hypostases intelligi, non nominalis, ordine naturae subtracto.

II. Ad secundo quaesitum dicendum quod, abstractis personis sive hypostasibus, non esset [p] intelligere in divinis ordinem naturae; duplex enim est ordo, scilicet ordo naturae et ordo intelligentiae. In divinis ordo naturae ponit rationem originis, quia circa ipsam attenditur ratio originis; origo [q] autem dum fit [r] circa rem quae sit in genere substantiae, ponit rationem eius quod est de principio et principii, scilicet quod alius ab alio; et ideo impossibile est quod in Deo intelligatur hic ordo nisi ibi [s] intelligatur alius et alius [t], quia, sicut dicit Anselmus [2], « nec intellectus capit nec natura permittit illum qui de alio est, esse [u] illum de quo est »; abstractis autem personis et hypostasibus, non esset ibi alius et alius, et ideo non posset ibi esse nec intelligi iste ordo. Ordo vero secundum intelligentiam non ponit ordinem ex parte rei, sed ex parte acceptionis [v] nostrae. Unde secundum hoc nos dicimus quod secundum ordinem intelligentiae praecedit essentia potentiam et scientiam, in Deo tamen idem sunt essentia, potentia, scientia. Et secundum hoc dicendum quod si in divinis intelligeretur mens, notitia et amor, abstractis divinis personis, non esset inter haec ordo naturae, sed solum ordo intelligentiae, quia non esset dicere notitiam a mente nec amorem ab utroque,

---

[a] B add. *esse*. [b] SR om. *a. a. a. q. a.*, in PV est add. mg. [c] S *quia*. [d] G *dictiones*. [e] P add. *et*. [f] L *anime*. [g] S om., V est add. interl. [h] V *de*. [i] P *Dei*, V om. *a. i.* [k] V *est quod*, S add. *cum*. [l] R *substantialis*, quod L corr.; B om. *hoc est sub... nominalis*. [m] L om., in S est add. mg. [n] PVS *indefinite*. [o] BRGL *sed* pro *s. q.* [p] BG *est*. [q] BRGL om. [r] PGL *sit*. [s] V om. *a. e. a.* [t] P *est*. [u] V *exceptionis*, L *acceptationis*.

[1] Cf. supra, num. 76.

[2] *De process. Spir. S.*, c. 3 (PL 158, 289).

immo esset dicere mentem esse notitiam et amorem, quamvis secundum acceptionem intellectus nostri prius intelligeretur mens quam notitia et notitia quam amor.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc patet solutio ad primam rationem in contrarium.

2. Ad secundam rationem qua obicitur [a] de viribus animae, secundum quas [b] anima dicitur esse imago Trinitatis increatae: dicendum quod hypostasis est res habens esse substantiae singularis cum proprietate incommunicabili [1]; ordo ergo naturae et originis non ponit pluralitatem hypostasum nisi quando fit [c] in rebus quae sunt de genere substantiae; et quia vires animae non sunt de genere substantiae, sed sunt ipsius substantiae animae et non substantia animae [d], ideo ordo naturae et originis non ponit ibi tres hypostases. In divinis autem ordo naturae et originis est circa rem quae est substantia: quidquid enim est in Deo, est ipsa divina substantia, et ideo non potest ibi esse ordo naturae [e] quin sint ibi plures hypostases, immo cum hypostasis substantia sit, ponit ibi ordo naturae ipsas hypostases.

Et sic patet responsio ad Quaestionem istam.

QUAESTIO V.

DE AEQUALITATE PERSONARUM.

Sequitur quaestio de aequalitate personarum.
Primo ergo quaeritur an sit aequalitas in divinis [f] personis;
secundo, utrum [g] Filius sit aequalis Patri;
tertio, utrum Spiritus Sanctus sit aequalis Patri et Filio;
quarto, utrum [h] una persona sit aequalis duabus;
quinto, penes quae attenditur aequalitas in [i] personis.

328

CAPUT I.

AN SIT AEQUALITAS IN DIVINIS PERSONIS [2].

Quantum ad primum sic obicitur: *a.* Augustinus, *Contra Maximinum* [3]: Cum dicitur 'Filius a Patre' etc., non ostenditur « inaequalitas substantiae, sed ordo naturae ». Si non inaequalitas, ergo aequalitas; ergo aequalitas est in divinis.

b. Item, in *Symbolo* [4] dicitur quod « tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales ». Ergo sunt aequales ad [k] invicem sive inter se [l].

Contra: 1. Dicit Philosophus [5]: « Proprium est quantitatis secundum eam aequale vel inaequale [m] dici »; sed in divinis personis non est quantitas, cum sit ibi summa simplicitas; ergo nec aequalitas [n].

2. Item, omnis aequalitas supponit diversitatem [6]; ubi igitur summa est identitas, nulla est aequalitas; sed in divinis personis [o] est summa identitas; ergo non est [p] ibi aequalitas.

3. Item, aequalitas dicit commensurationem aliquorum [7], scilicet aequalium; sed ubi est infinitas, nulla est commensuratio; sed in divinis personis est infinitas; ergo non est ibi commensuratio; ergo nec aequalitas [q].

4. Item, in divinis non est reperire nisi essentiam et proprietates: essentiam in qua conveniunt, proprietates in quibus distinguuntur; sed ratione essentiae non est in illis aequalitas, quia ibi [r] omnimoda sive summa identitas; neque ratione proprietatum, cum unius personae sint plures proprietates, alterius pauciores; nec ratione utriusque,

---

[a] BRGL *obicit* et om. *rationem*, B *quam* pro *qua*. [b] R *quod*, BRGL om. *anima*. [c] Ita V, alii *sunt*. [d] PVBG om. *e. n. s. a.*, in S est add. mg. [e] BRGL om. [f] BG om. [g] P *utrumque*, L om. *sit*. [h] B om. [i] L om. [k] Ita V, alii om. [l] G om. *i. s.*, R om. *sive* [m] L *equalem vel inequalem* pro *a. v. i.* [n] PV hic ponunt partem sequentis argumenti 4: *Item in divinis... essentiae*, quod S delev. pe *vacat*; PV infra loco suo repetunt idem argum. [o] V om. [p] P add. *Dei*. [q] G om. *Item... aequalitas*. [r] VBRGL om.

1 Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, IV, c. 22 (PL 196, 945).

2 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 19, c. 1 (p. 124); S. Bonav., I *Sent.*, d. 19, p. 1, a. un., q. 1 et d. 31, p. 1, a. un., qq. 1 et 2 (I, 342, 533 sq.).

3 Lib. II, c. 14, n. 8 (PL 42, 775).

4 Scilicet Athanasii.

5 *De categ.*, c. 4 (I, 9)

6 Eo sensu quo Hilar., *De Trinit.*, III, n. 23 (PL 10, 92) dicit: « Similitudo non sibi est ».

7 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 15 (III, 527).

quia proprietates nihil addunt essentiae: ubi enim aliquid oritur ex aliquibus duobus ita quod ex neutro illorum, necesse est quod unum alteri addat.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam notandum quod in iis inferioribus ex unitate in substantia causatur identitas, ex unitate in quantitate aequalitas, ex unitate in qualitate similitudo [1]; unde identitas, aequalitas, similitudo dicunt relationes fundatas supra [a] tria praedicamenta. Iuxta [b] istam similitudinem, quoniam est significare divinam essentiam ut substantiam et ut quantam et ut qualem, est ponere in divinis identitatem, aequalitatem et similitudinem; sed quantitas [c] in divinis transit in genus substantiae et qualitas [d] similiter, quia in divinis non est ponere nisi duo genera, scilicet substantiae et 'ad aliquid' [2]; aequalitas et similitudo dicunt relationes ut fundatas in substantia.

[Ad obiecta]: 1. Dicendum igitur ad primum quod, licet in divinis personis non sit proprie quantitas, quia tamen contingit significare divinam substantiam ut quantam, ut [e] cum dicitur 'Deus magnus, aeternus', est dicere in divinis aequalitatem; alia igitur ratione dicitur aequalitas in divinis et in creaturis, prout quantitas proprie determinatur a Philosopho. — Praeterea, simplicitas in divinis non opponitur quantitati; haec enim est [f] vera 'Deus est magnus, immo immensus et simplex'. Simplicitas enim in divinis non dicit privationem immensitatis, sed dicit indivisionem summam, scilicet essentiae et virtutis et actus: propter hoc enim dicitur simplex, quia in eo idem [g] est essentia quod virtus, et virtus quod actus, et essentia quod actus [3].

2. Ad aliud [h] dicendum quod aequalitas in iis inferioribus est inter diversa essentialiter: nam in istis inferioribus diversitatem suppositorum sequitur diversitas essentiae in suppositis. Non sic est in divinis, ubi diversitatem suppositorum concomitatur identitas essentiae; propter quod in divinis non est ponere diversitatem, sed distinctionem, sicut dicit Ambrosius [4]. Unde aequalitas in divinis personis non requirit diversitatem, sed distinctionem [i]: distinctio enim non tollit unitatem sive identitatem; unde licet in divinis sit summa identitas, quia illam concomitatur [k] distinctio, huiusmodi identitas non tollit aequalitatem.

3. Ad tertium dicendum quod aequalitas in creatis duo importat, scilicet commensurationem primo et privationem excessus ex [l] consequenti [5]. Dicit igitur aequalitas in divinis non commensurationem [m] proprie loquendo, sed privationem excessus. Unde dicitur Filius aequalis Patri, quia nec exceditur nec excedit; hoc autem [n] non repugnat immensitati. Nec ideo dicendum quod aequalitas in divinis dicat puram privationem, sed cum privatione excessus dicit unitatem sapientiae, virtutis, durationis et universaliter omnium eorum quae de Deo dicuntur essentialiter. — Vel potest aliter dici quod sicut Lux prima ratione suae immensitatis est incomprehensibilis a virtute finita, nihilominus est comprehensibilis sibi [o] ratione suae virtutis infinitae [p]: similiter, licet Deus Pater sit immensus, et propter hoc nihil conditum est illi commensurabile, tamen Deus Filius, qui similiter est immensus, est illi commensurabilis; cum enim dicitur quod 'infinito nihil est commensurabile', hoc verum est prout hoc quod [q] dico 'nihil' distribuit pro finitis: verum est enim quod nihil finitum est commensurabile infinito.

4. Ad aliud dicendum quod [r] identitas essentiae non est prima ratio aequalitatis, nec distinctio proprietatum, sed haec duo simul; magis tamen [s] dependet ratio aequalitatis ab identitate sive unitate quam a distinctione: unitas enim directe cadit in ratione aequalitatis, distinctio oblique; aequalitas enim in divinis proprie est unitas substantialis distinctorum. — Ad hoc quod obicitur quod 'proprietas nihil addit essentiae': dicendum quod hoc [t] verum est secundum esse vel substantiam, addit tamen quantum ad modum dicendi et intelligendi; licet enim idem sit essentia in Patre quod paternitas [u], et essentia in Filio quod filiatio, tamen ratione modi dicendi harum proprietatum, quae sunt paternitas et filiatio, diversi [v] a modo dicendi essentiae ipsius Patris et Filii, distinguuntur Pater et Filius personaliter, qui sunt idem substantialiter. Ratio igitur aequalitatis concernit ista duo: unitatem essentialem et distinctionem personalem. Cum ergo dicitur quod 'quando aliquid oritur ex duobus ita [x] quod ex neutro illorum, necesse est [y] quod unum illorum addat aliquid [z] alteri': dicendum est quod verum est secundum rem vel secundum modum dicendi; additio autem quantum ad modum dicendi non tollit in aliquo simplicitatem rei.

---

[a] S *iuxta*. [b] S *supra*. [c] V *qualitas*. [d] V *equalitas*. [e] G om. [f] Ita B, alii *sunt*, quod B exp. [g] P *eodem* pro *e. i.* [h] V *illud*. [i] B om. *sicut dicit... distinctionem*. [k] VBRGL *comitatur*. [l] VS *et*, quod P corr. in mg.; PVS om. *primo*. [m] V add. *nature*. [n] V om. [o] PVS *sub*, L om. *suae*. [p] P *infinitate*. [q] G om. *enim... quod*. [r] P om. [s] BG *enim*. [t] L om., in B est add. interl. [u] V *et paternitatis* pro *q. p.* [v] G *diversa* et om. *tamen... filiatio*, B om. *a*; R om. *ipsius*. [x] V om. [y] PVS om. [z] L *addat* pro *i. a. a.*

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, cc. 9 et 15 (II, 522, 527).
2 Cf. Boeth., *De Trinit.*, cc. 4 et 5 (PL 64, 1252 sqq.); Alan., *Theol. reg.*, reg. 22 (PL 210, 631).
3 Cf. supra, num. 31-33.
4 Cf. *De fide*, IV, c. 8, n. 91 (PL 16, 604).
5 Cf. Euclides, *Element.*, I, § *De animi conceptionib.* n. 8, (ed. Venet. 1509, f. 4v): «Si aliqua res alicui supponatur appliceturque ei nec excedat altera alteram, illae sibi invicem erunt aequales». Cf. S. Bonav., *Opp. omnia*, I, 342, nota 10.

329

CAPUT II.

UTRUM FILIUS SIT AEQUALIS PATRI.

Secundo quaeritur utrum Filius sit aequalis Patri.

Quod sic videtur: *a.* Per auctoritatem in *Symbolo* Athanasii, scilicet[a]: « Aequalis Patri secundum divinitatem ».

b. Item, cum[b] ratio aequalitatis sit indifferentia distinctorum [1], quae indifferentia est in essentialibus, cum Filius in nullo essentiali differat a Patre, relinquitur quod sit aequalis Patri.

Contra: 1. Pater est maior Filio [2]; 'maior' autem dicit excessum in quantitate, 'aequale' autem privat excessum; ergo si Pater est maior Filio, Filius non est aequalis Patri.

2. Si dicatur quod 'maior' importat principalitatem auctoritatis, cum dicitur 'Pater maior Filio', non excessum potentiae vel sapientiae vel huiusmodi – contra: auctoritas ordinata attestatur potestati; ergo maior auctoritas maiori potestati[c]; ergo si Pater est[d] maior Filio auctoritate, est maior potestate; ergo non est illi aequalis.

3. Item, Filius habet a Patre quod est et quod operatur: propter quod dicit[e] Damascenus [3] quod « Pater est causa Filii »; quod igitur Filius est causa, hoc habet a Patre: unde dicitur principium de principio. In via igitur resolutionis Pater est primum principium, quia omne principium ab ipso[f] et ipsum a nullo; sed in causis causatis, universalibus dico, semper illa quae est prior est maioris virtutis et influentiae – propter quod dicit Philosophus [4] quod « omnis causa primaria plus est influens super causatum quam causa secundaria » – a simili videtur de causa prima sive principiis increatis.

4. Item, convenientia ordinis in causatis[g] hoc requirit ut secundaria causa minoris sit virtutis et influentiae; igitur cum in divinis sit ordo convenientissimus et perfectissimus, principium sive causa a qua alia sive aliud principium et quod a nullo maioris erit[h] virtutis, et ita principium quod est de principio non erit aequale principio quod non est de principio; ergo nec Filius Patri.

5. Item, potentia generandi est potentia aliqua et attestatur potentiae; hac autem potentia per intellectum circumscripta, non propter hoc dicetur Pater minoris potentiae quam Filius; igitur ipsa existente in Patre, Pater est maioris potentiae quam Filius.

Respondeo: Filius est aequalis Patri, in nullo minor ipso neque secundum potentiam neque secundum sapientiam, sed per omnia aequalis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod 'Pater est maior': dicendum quod illa maioritas non dicit excessum potentiae vel sapientiae vel bonitatis vel alicuius huiusmodi, sed solum principalitatem auctoritatis.

2. Ad illud quod obicitur quod 'auctoritas attestatur potentiae': dicendum quod[i] auctoritas proprie attestatur dignitati, dignitas autem quandoque attenditur[k] penes maioritatem, scilicet potentiae vel sapientiae vel huiusmodi, quandoque vero penes principalitatem sive prioritatem — unde personae seniores digniores dicuntur et magis reverendae; propter quod dicitur Levit. 19,32: *Coram cano capite consurge* — prioritati autem in creaturis respondet ordo in divinis. Dicendum est igitur quod auctoritas in divinis non attestatur potentiae, sed dignitati, scilicet prioritati secundum ordinem naturae. Unde sicut non sequitur[l]: 'Pater est prior Filio secundum ordinem naturae, ergo Filius non est ei[m] aequalis', ita non sequitur: 'Pater est maior Filio, ergo Filius non est illi aequalis'.

3. Ad aliud dicendum quod non est sic in descensu causarum in creaturis et in ordine principiorum in divinis. Descensus enim causarum causatarum[n] est secundum maiorem et minorem distantiam a causa prima; propter quod secundum quod magis descendunt, minus communicant virtutem causae primae. Non sic est in divinis, licet ibi sit ordo naturae: sunt enim omnino idem secundum substantiam; unde in[o] illis non potest esse differentia virtutis vel potentiae.

4. Ad aliud dicendum quod sicut[p] in causis causatis requirit convenientia ordinis differentiam in virtute sive potentia, sic convenientia ordinis in divinis requirit identitatem in virtute sive potentia; emanatio enim divinarum personarum, penes quam est ordo naturae, est secundum

---

[a] BG *Filius.* [b] L om. [c] PV om. *ergo... potestati,* in S est add. mg. [d] L om. [e] V add. *Ioannes.* [f] L *eo.* [g] BRL *creatis.* [h] PVSL *est.* [i] P om. [k] L *attestatur.* [l] R add. mg. *in creaturis.* [m] BRG *illi,* S om. *ei aequalis.* [n] BR *creatarum.* [o] V om. [p] S *si.*

[1] Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 6 (PL 64, 1264).
[2] Cf. Ioan. 14, 28.
[3] *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 819).
[4] *Lib. de causis,* § 1 (p. 163).

omnimodam indifferentiam essentiae sive potentiae vel virtutis, quia ibi est omnino idem essentia quod potentia vel virtus; in causis autem causatis est descensus secundum distantiam substantiarum [a] et differentiam sive dissimilitudinem [b] maiorem a primo.

5. Ad aliud dicendum quod circumscripta [c] potentia, qua Pater generat, quia [d] non est alia potentia qua [e] generat quam quae est ipse, sequitur ipsum nullius esse potentiae, immo et non esse; unde huiusmodi circumscriptio ponit potentiam Patris nullam esse.

CAPUT III. 330

UTRUM SPIRITUS SANCTUS SIT AEQUALIS PATRI ET FILIO.

Tertio quaeritur utrum Spiritus Sanctus sit aequalis Patri aut Filio.

Quod videtur, *a.* cum « totae tres personae coaeternae [f] sibi sunt et coaequales [g] [1] ».

Contra: 1. Dare se totum sine sui diminutione est summae potentiae; hoc autem potest Pater, hoc potest Filius, non autem Spiritus Sanctus, nec in aliquo excedit potentia Spiritus Sancti potentiam Patris vel [h] Filii; igitur est minoris potentiae quam alius illorum: cum enim [i] hoc non potest quod illi possunt, quod est maximae et summae potentiae, nec potest aliquid aliud quod ipsi non possint, videtur quod sit potentiae minoris.

2. Item, si scientia Patris se extenderet vel [k] extendere posset ad aliud cuiuscumque generis, sive generis [l] substantiae sive qualitatis sive relationis, ad quod non se extenderet vel extendere posset scientia Filii, posset dici scientia Patris maior scientia Filii: hoc enim modo ostendit Richardus de S. Victore [2] quod idem est scientia quod essentia in Deo.

3. Eodem modo, si potentia Patris vel Filii possit aliquid cuiuscumque generis [m], vel substantiae vel quantitatis vel qualitatis [n] vel relationis, quod non possit Spiritus Sanctus, quod maior est potentia Patris vel Filii quam Spiritus Sancti; igitur cuiuscumque generis ponatur generatio vel spiratio, ex quo [o] Pater potest generare et spirare, Filius autem spirare [p] tantum, Spiritus Sanctus non potest: maioris est potentiae Pater quam Filius et uterque quam Spiritus Sanctus.

4. Item, aequalitas in divinis attenditur penes indifferentiam sive aequalitatem potentiae, sapientiae, bonitatis; igitur si Spiritus Sancti bonitas minor est bonitate Patris et Filii, ergo non est illi aequalis. — Quod minor sit videtur: quia bonum est sui diffusivum [3], haec est [a] per se vera; ergo diffusio vere et per se attestatur [b] bonitati, et [c] maior maiori et maxima maximae et summa [d] summae; sed Pater et Filius summe diffundunt se, Spiritus Sanctus non; non igitur communicat [e] cum illis bonitatem summam [f]; ergo minoris [g] est bonitatis; non igitur est illis aequalis.

Respondeo quod Spiritus Sanctus est [h] aequalis Patri et Filio, sicut dicit Richardus de S. Victore [4]: « Illa summa Trinitas constat in unitate substantiae; certe una eademque substantia non est maius aliquid vel minus [i], melius deteriusve [k] se ipsa ». Similiter Isidorus, in libro *De ordine creaturarum* [5]: « Spiritus Sanctus omnipotens est [l], cui, praeter hoc quod Spiritus Sanctus est, totum commune est Patris et Filii ».

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod primo obicitur dicendum quod 'dare se totum sine sui diminutione est summae potentiae', quae quidem potentia, sicut est Patris et Filii, ita est Spiritus Sancti; sicut eadem est potentia Filii qua potuit generari, quae est in Patre qua [m] potuit generare, sicut determinatum est in [n] I *Sententiarum, 7* dist. [6], sic [o] eadem est potentia Spiritus Sancti qua potest dari, id est spirari, quae [p] Patris et Filii qua possunt dare, id est spirare. Et potest addi huic quaestioni illud quod dicit Augustinus, in libro *Contra Maximinum* [q] [7], qui asserebat Patrem maiorem [r] Filio, quia iste potest generare, ille non: « Absit, inquit, ut [s] ideo sit potentior [t] Pater Filio, quia Creatorem genuit Pater, Filius non

---

[a] B *substantiam.* [b] S *similitudinem.* [c] V *conscripta.* [d] VS *quod,* R om. *Pater.* [e] S *quam.* [f] R om. [g] G *equales.* [h] S *et.* [i] B om. [k] PVS om. *e. s. v.* [l] BRGL *genus.* [m] PV add. *potentie,* quod S exp. [n] S *quantitatis* pro *v. q. v. q.* [o] PVS *qua.* [p] G *spirari.* [a] R *autem,* PVS om. *ergo.* [b] P *attendatur.* [c] BRGL *igitur.* [d] S add. *et minor.* [e] RL *communicant,* V om. *non.* [f] R add. *ergo maior est bonitas.* [g] BRGL *maioris.* [h] V om. [i] P add. *vel.* [k] S *deterius vel,* quod P corr.; B *sapientia* pro *se ipsa.* [l] PVS om., S *an* pro *cui.* [m] R *quod.* [n] V *de,* BRGL om. [o] PVS *sicut.* [p] PV *queque.* [q] V add. *quod.* [r] R add. *esse.* [s] L *igitur quod.* [t] V add. *maior.*

1 *Symbolum* Athanasii.

2 Cf. *De Trinit.*, VI, cc. 24 et 25 (PL 196, 989 sq.).

3 Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hier.*, c. 4, § 1 et *De div. nomin.*, c. 4, § 1 (PG 3, 178, 694, PL 122, 1046, 1126 sqq).

4 *De Trinit.*, IV, cc. 23 et 24 (PL 196, 929).

5 Cap. 1, n. 4 (PL 83, 915).

6 Lombard., c. 2 (p. 56). Cf. supra, p. 417a, *ad 1.*

7 Lib. II, c. 12, n. 3 (PL 42, 768); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 7, c. 1 (p. 55).

genuit Creatorem; neque enim non potuit, sed non oportuit », id est non ex [a] impotentia fecit, sed quia ei non conveniebat. Similiter potest dici in proposito. — Si vero quaeratur utrum arctata sive ligata est potentia producendi in persona Spiritus Sancti propter hoc [b] quod non potest exire in actum producendi personam [c] sicut potest in Patre et Filio: dicendum quod non, immo ex summa perfectione ipsius potentiae est quod [d] non potest exire in actum huiusmodi, quia non congrueret. Quod autem [e] non sit congruum, habitum est [f] supra, in Tractatu de numero personarum [1]. Sicut enim dicit Anselmus, in *Monologion* [2]: « Qui potest quod sibi non prodest et non debet [g], tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum; qui ergo sic potest, non potentia potest, sed impotentia [h] ».

2. Ad aliud dicendum quod non est simile de scientia et potentia, quia [i] res cuiuscumque praedicamenti, sive substantiae sive quantitatis sive 'ad aliquid', est proprie subiectum [k] scientiae, quasi in quod est motus cognitivae prout est ad sciendum; non sic est de potentia, cuius motus non est in 'ad [l] aliquid', sed ex consequenti ad motum operativae, sive potentiae quae est operativa, derelinquitur. Unde non scire, quod est [m] 'ad aliquid', est ignorantiae, non posse autem non est impotentiae.

3. Ad tertium dicendum quod non est simile de potentia producendi simile, prout est personae creatae et increatae, quia vis ista [n], quae est ad communicandum essentiam in creaturis, est propter defectum quemdam qui est in creatura, quae appetit perpetuari simpliciter et [o] ex se non potest: propterea data est virtus productiva sive generativa ut perpetuet se in alio quod in se non potest [3]. Quod igitur persona creata [p] potest producere sibi similem, impotentia est: impotentiae [q] enim est et defectus quod non in se, sed [r] in alio potest perpetuare [s] suum esse; sed quod divina potentia non potest producere personam, in persona, quae est Spiritus Sanctus, non est impotentiae, sed potentiae. Sicut enim dicit Augustinus [4]: « Potenter non potest Deus malum facere », similiter dicendum est: potenter non potest Spiritus Sanctus personam producere, quia scilicet non conveniret. Unde sicut voluntas, quae non potest velle inconveniens aliquod, non propter hoc dicitur minus libera, sed magis, sic potentia, quae non potest inconveniens, non est ex hoc minor, sed maior. Non est igitur ex impotentia aliqua sive ex defectu aliquo potentiae quod Spiritus Sanctus non potest producere personam, sed potius ex perfectione potentiae et nobilitate [a].

4. Ad ultimum dicendum quod bonitas Spiritus Sancti est summe sui diffusiva, licet non in persona Spiritus Sancti, quia omnino est eadem bonitas quae est Patris et Filii et Spiritus Sancti. Eadem enim bonitas est qua Pater summe diffundit se generando Filium et Pater et Filius spirando Spiritum Sanctum et illa quae diffusa est in Spiritu Sancto. Unde Richardus de S. Victore [5]: « Quidquid bonitatis, quidquid perfectionis, quidquid beatitudinis habet Pater cuius est solum dare, in ea plenitudine possidet et ille cuius est proprium accepisse ». — Nota tamen quod est duplex diffusio: personalis, qua una persona diffundit se in processione [b] alterius, et quantum ad hoc non diffundit se Spiritus Sanctus sive bonitas [c] prout est in persona Spiritus Sancti, quia non congrueret, ut tactum est [6]; alia est essentialis, scilicet ipsius essentiae, et haec est summa: et [d] quantum ad hoc diffundit se Spiritus Sanctus sive bonitas Spiritus Sancti; haec vero diffusio est in communicatione bonitatis divinae creaturis. Haec autem diffusio non est summa nec conveniret esse summa. Ut enim dicit [e] Richardus de S. Victore [7]: « Ubi plenitudo totius [f] bonitatis est, ibi et summa caritas deesse non potest ». Summam certe [g] caritatem erga personam creatam [h] habere non posset: inordinata enim caritas esset, si summe diligeret quod summe diligendum non esset. Igitur si communicatio bonitatis est maior et minor secundum caritatem maiorem et minorem, patet quod bonitatis divinae non est summa diffusio in communicatione sui creaturae, nec requirit summa bonitas summam diffusionem; nec propter hoc dicitur divina bonitas summa, quia summe se diffundit, sed quia quantumcumque congruit, diffundit se sine sui diminutione. Illa autem consideratio Philosophi [8] qua [i] determinatur: 'si simpliciter ad simpliciter, et magis ad [k] magis, et maxime ad maxime' [l] attenditur in rebus [m] conditis quadam proportione essentiali ordinatis.

---

[a] S om. [b] V om. [c] G om. [d] BGL *quia*, R *quae*. [e] R *aut*, exp. *autem*. [f] PVS om. [g] PVS *decet*. [h] Ita B, alii *impotenter*; P nota mg. *Nota quod dicit Vulgentius quod vis [spiritus]sancti debet considerare in omnibus agendis quid licet, quid decet, quid expedit*. G. [i] V *quae*. [k] R (corr.) *obiectum*. [l] R om. [m] R *et*. [n] BRG *illa*. [o] S *sed*. [p] Codd. add. *non*. [q] R *impotentia*. [r] Codd. *nec in se nec* pro *n. i. s. s.* [s] RL *perpetuari*.

[a] L *non utilitate*. [b] VR *processionem*. [c] L add. *quae*. [d] S om. [e] R om. [f] R om. [g] L *vero*. [h] BG om. [i] R *quae*. [k] S *et*, quod R exp.; codd. *malus ad malus* pro *m. a. m.* [l] Ita BG, alii *maximum ad maximum* pro *m. a. m.* [m] L repet. *i. r.*

---

[1] Cf. supra num. 319.
[2] Rectius *Proslog.*, c. 7 (PL 158, 230).
[3] Cf. supra, p. 417, *ad 3*.
[4] Cf. *Contra sermon. Arianor.*, c. 14 (PL 42, 694).
[5] *De Trinit.*, V, c. 22 (PL 196, 965).
[6] Cf. supra, *ad 1* et *ad 3*.
[7] *De Trinit.*, III, cc. 2 et 7 (PL 196, 916, 918).
[8] Cf. Aristot., *Topic.*, V, c. 8 (I, 232 sq.).

CAPUT IV. 331

UTRUM UNA PERSONA SIT AEQUALIS DUABUS VEL IPSI TRINITATI.

Quarto quaeritur utrum una persona sit aequalis duabus vel ipsi [a] Trinitati.

Quod sic videtur: *a.* I *Sententiarum*, 19 dist. [1], dicitur: « Pater non est maior Filio nec Pater vel [b] Filius maior Spiritu Sancto nec maius aliquid duae personae sunt simul quam una nec tres magis aliquid [c] quam duae ».

Contra [d]: 1. Pars in nullo genere partis est aequalis toti [2]; sed una persona est pars Trinitatis — quod videtur, Levit. 5,11: *Decima pars ephi*, Glossa [3]: « Pars in Trinitate est Christus [e] », et constat quod loquitur de Christo in quantum est persona — ergo non est aequalis ipsi Trinitati.

2. Item [f], si virtus aequalis esset trium personarum creatarum vel etiam si eadem esset, supposito hoc per [g] impossibile, virtus unius non posset tantum quantum virtus duarum nec etiam [h] esset aequalis virtuti duarum; similiter videtur de virtute personarum increatarum.

3. Item, aequalitas [i] in divinis attenditur penes identitatem et distinctionem [4]: si enim nulla esset in divinis distinctio, non esset aequalitas ibi; sed habito respectu ad distinctionem, non est una persona aequalis duabus sicut nec unitas dualitati; similiter nec una erit aequalis duabus [k], habito respectu ad identitatem.

Respondeo quod summa aequalitas est in divinis personis; unde una est aequalis duabus omnino. Unde Richardus de S. Victore [5]: « Attende illa conformis et omnifaria [l] magnitudinis coaequalitas in illa summa Trinitate quam incomprehensibilis sit, ubi unitas pluralitati non cedit nec pluralitas unitatem excedit ».

[Ad obiecta]: 1. Ad id [m] quod primo obicitur dicendum quod nulla persona dicitur pars in illa summa Trinitate. Unde Augustinus, in libro *Contra Maximinum* [6]: « Pars Trinitatis esse non potest quicumque unus in tribus nec huius Trinitatis tertia pars est nec maius [n] aliquid duo quam unus nec maius aliquid [o] omnes quam singuli ». Ratio autem quare non est dicenda pars in Trinitate est [p], quia pars est in potentia et habens esse finitum et diminutum et imperfectum [7] in quantum huiusmodi: quod non convenit personae in divinis. — Ad illam Glossam quae dicit quod « Christus est pars in Trinitate »: dicendum quod intellectus Glossae est de Christo in quantum est sub signo; significatur enim per tertiam partem *ephi:* unde sic est pars in quantum est sub signo, id est significatur per illud quod est pars, non tamen propter hoc est pars.

2. Ad aliud dicendum quod non est simile de personis creatis, quarum est potentia finita et essentia, et de personis increatis, quarum essentia et potentia est summe infinita. Quia enim in divinis personis potentia et magnitudo et omnia ea, penes quae est aequalitas, sunt summe infinita, liceat sic loqui, magnitudo trium non excedit magnitudinem unius nec potentia potentiam [q].

3. Ad tertium dicendum quod aequalitas quodammodo importat [r] distinctionem, quia distinctio cadit ibi oblique; proprie et per se respicit [s] unitatem et identitatem, quia aequalitas non est aliud quam personarum distinctarum identitas in quantitate sive quasi quantitate [t]; propter quod magis attenditur aequalitas penes identitatem quam distinctionem. Unde quia illud, penes quod est unitas sive identitas, indifferens est omnino in una persona et in tribus, una est aequalis tribus.

CAPUT V. 332

PENES QUID ATTENDITUR AEQUALITAS IN PERSONIS DIVINIS.

Quinto quaeritur penes quid attenditur aequalitas in personis divinis [8].

Et videtur quod penes haec tria quae sunt magnitudo, aeternitas et potentia: *a.* Quia penes haec

---

[a] L *toti.* [b] S *vel Pater nec* pro *n. P. v.* [c] V *aliud.* [d] B *sed contra*, G *item contra.* [e] S *ipse.* [f] B *vel.* [g] V om. [h] G om. [i] L *equalis.* [k] S om. *sicut nec... duabus.* [l] PV *deiformis et deifaria*, S *deformis et deifaria* pro *c. e. o.*; BL *olfaria* pro *omnifaria.* [m] RG *illud.* [n] P in mg. corrector fecerat *maius*, scriptor fecit *minus.* [o] S add. *duo quam unus*, quod videtur expunxisse, G om. *duo... aliquid.* [p] G om. [q] V *personam.* [r] R *portat.* [s] S *recipit*, L add. *ibi.* [t] S *qualitate sive quantitate* pro *q. s. q. q.*; B om. *s. q. q.*

1 Cap. 3 (p. 126).
2 Cf. Boeth., *De divisione* (PL 64, 879).
3 Rabani, in h. l. (PL 108, 286), ex Hesychio, in h. l. (PG 93, 838).
4 Cf. supra, p. 483b, *ad 4.*
5 *De Trinit.*, IV, c. 24 (PL 196, 930).
6 Lib. II, c. 10, n. 2 (PL 42, 765).
7 Cf. Aristot., *Phys.*, VII, c. 5 (II, 341).
8 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 19, p. 1, a. un., q. 2 (I, 344 sqq.).

determinatur aequalitas personarum, I libro *Sententiarum*, 19 dist.[1].

b. Hoc idem videtur per Augustinum, qui determinat aequalitatem personarum penes haec tria, in libro *De fide ad Petrum*[2], dicens: « Verus[a] Deus in personis Trinitas est, in una natura unus est; per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio et[b] Spiritu Sancto est, totus Filius[c] in Patre et Spiritu Sancto, totusque Spiritus Sanctus in Patre et[d] Filio est; nullus istorum extra quemlibet ipsorum est, quia nullus alterum aut praecedit aeternitate aut excedit[e] magnitudine aut superat potestate, quia nec Filio nec Spiritu Sancto, quantum ad divinae naturae unitatem pertinet, aut minor[f] aut maior est Pater, et sicut Filius nec maior[g] nec minor est Patre, ita nec Spiritus Sanctus posterior aut minor est Filio ».

Contra: 1. Ad aequalitatem requiritur identitas in[h] essentia, scientia et bonitate, sicut patet ex praedictis; quare[i] non attenditur aequalitas tantum penes illa? Unde Richardus de S. Victore[3]: « In illa summa Trinitate ea ratione personas aequales dicimus quod illud summum et summe simplex esse in ea[k] plenitudine et perfectione qua est personae unius, in ea plenitudine et perfectione est personae alterius. Certe una eademque substantia non est maius aliquid[l] vel minus, melius deteriusve se ipsa ».

2. Item, Magister, in I *Sententiarum*, 19 dist.[4], dividit coaeternitatem contra coaequalitatem[m], dicens: « Nunc postquam coaeternitatem[n] trium personarum pro modico nostrae facultatis insinuavimus, iam de earumdem coaequalitate[o] aliquid eloqui superest ». Igitur non penes aeternitatem attenditur aequalitas.

3. Item, sicut vult Augustinus, in libro *De quantitate animae*[5], duplex est quantitas sive magnitudo, scilicet molis et virtutis; in spiritualibus autem non est magnitudo[p] molis, sed virtutis; si ergo in Deo est magnitudo, illa est virtutis, non molis; ergo in Deo magnitudo et virtus idem, similiter virtus et potentia idem; ergo magnitudo et potentia idem; ergo non dividitur unum contra alterum[q]. Quid est ergo quod dicitur aequalitatem consistere in magnitudine, virtute et potestate?

Respondeo: Ad praedictorum evidentiam[r] notandum quod[s] aequalitas respicit quantitatem sive[t] quod per modum quantitatis significatur. Omnis autem quantitas aut est[a] mensurans intra aut extra. Si intra: aut est virtutis aut molis; quantitas vero molis non cadit in divinis, sed quantitas virtutis, et hoc dicitur per potentiam. Item, quantitas mensurans extra est duplex, scilicet tempus et locus; et quantitati, quae est tempus in inferioribus, respondet aeternitas[b] in divinis; ei autem quantitati, quae est locus, respondet magnitudo in divinis, non qua[c] Deus circumscribatur in loco, sed qua[d] est intra omnia non inclusus[e] et qua ipse continet et locat omnia[6]. Sic ergo quantitas in divinis est virtutis quae est potentia, et durationis quae est aeternitas, et locationis sive continentiae activae qua ipse continet et locat omnia, et haec dicitur magnitudo. Quia ergo in Deo non est ponere pluribus modis quantitatem, ideo quantum ad haec tria solum in divinis assignatur[f] aequalitas.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod[g] obicitur quod ' ad aequalitatem requiritur identitas essentiae et[h] scientiae, quae non continentur[i] in enumeratione eorum penes quae determinatur[k] aequalitas ' etc.: dicendum quod revera horum identitas requiritur; tamen quia aequalitas proprie attenditur penes quantitatem sive quasi[l] quantitatem, essentia vero[m], scientia et huiusmodi non significantur ut res generis quantitatis, non oportuit ut connumerarentur in assignatione eorum penes quae assignatur aequalitas personarum, sed enumerantur ea quae conveniunt divinis personis per modum quantitatis significata[n], quibus omnia, quae illarum exprimunt aequalitatem, insinuantur.

2. Ad aliud dicendum quod aequalitas potest sumi communiter vel stricte. Si communiter: sic consistit in magnitudine, aeternitate et potentia, sicut ostensum est[7]; si stricte, ut magis dicat rationem quantitatis intrinsecae quam extrinsecae[o] sive durationis: sic dividitur contra coaeternitatem, et sic sumitur a Magistro, 19 dist.[p] I *Sententiarum*.

3. Ad aliud[q] patet solutio per iam dicta. Concedo enim quod in divinis est quantitas virtutis, non molis; sed non dico quod magnitudo prout hic sumitur, dicat idem quod virtus, immo magnitudo hic sumitur[r], sicut iam dictum est[8], pro potentia locandi et continendi res; unde virtus magis respicit operationem, magnitudo vero, prout hic sumitur, magis respicit conservationem sive continentiam rei iam factae.

---

[a] PVS *ubique*. [b] R add. *in*. [c] BG add. *est*. [d] S add. *in*. [e] V add. *in*. [f] BRGL *interior*. [g] V om. *Pater... maior*, B om. *Filius*. [h] S om., R om. *et*. [i] B *quia*, G om. *attenditur*. [k] G *eo*. [l] V *aliud*. [m] RG *equalitatem*. [n] R *eternitatem*. [o] S *equalitate*, PVS *earum* pro *earumdem*. [p] B om. [q] BRG *una contra alteram*, L *unus contra alterum* pro *u. c. a.* [r] L *intelligentiam*. [s] S *quia*. [t] PVS om. [a] G om. [b] P *esse veritas*. [c] V *quia*. [d] V *quia*. [e] V *conclusus*. [f] V *designatur*. [g] V add. *dicitur vel*. [h] L om. [i] PVSG *continetur*. [k] G *determinantur*. [l] G *quod*. [m] R add. *et*. [n] L *significatis*, quod B corr. in mg. [o] G om. *q. e.* [p] PVS add. *in*. [q] V add. *dicendum et*. [r] R om. *dicat... sumitur*.

1 Capp. 1, 2 et 3 (p. 124 sqq.).
2 Cap. 1, n. 4 (auctore S. Fulgentio, PL 40, 754); cf. Augustin., *De Trinit.*, VI, c. 5, n. 7 (PL 42, 928).
3 *De Trinit.*, III, cc. 23 et 24 (PL 196, 929).
4 Cap. 1 (p. 124).
5 Cf. c. 3 (PL 32, 1037); *De Trinit.*, VI, c. 7 (PL 42, 929).
6 Cf. p. 70, num. 45.
7 Cf. sub *Respondeo*.
8 Cf. sub *Respondeo*.

LIBRI PRIMI PARS SECUNDA

DE UNITATE ET TRINITATE DEITATIS

ORDINATA AD CONFESSIONEM ORIS

INQUISITIO PRIMA

DE DIVINIS NOMINIBUS IN GENERALI

TRACTATUS UNICUS

Inquisitis in praecedentibus iis quae spectant ad fidem divinitatis et Trinitatis [a], procedimus ad inquisitiones eorum [b] quae pertinent ad confessionem [c] eiusdem sacratissimae Unitatis et Trinitatis; ad quod prosequendum [d] ipsius adiutorium invocamus. Modus autem inquisitionis eius erit talis:

Ut primo ponamus inquisitiones quasi introductorias circa divina nomina in generali;

secundo [e], descendamus ad inquisitionem nominum in speciali;

tertio vero colligamus nominum differentias simul, suppositis regulis quibus universaliter absque errore possimus enuntiare quod de sancta Trinitate credimus locutionibus catholicis et veris [1].

---

[a] G *et Trinitatem* pro *d. e. T.* [b] BG *earum.* [c] PVS *confirmationem,* L *conformationem.* [d] S *consequendum.* [e] BRGL add. *vero.*

[1] Haec tertia inquisitio, qua talis, deest in *Summa.*

QUAESTIO I.

DE NOMINIBUS DIVINIS ABSOLUTE SPECTATIS.

Generaliter ergo [a] haec proponimus inquirenda secundum considerationem absolutam:

Primo, utrum Deus sit nominabilis [b];

secundo, quomodo [c] sit nominabilis;

tertio, unde multiplicitas nominum divinorum.

Secundum vero considerationem comparatam [d] multiplicabitur inquisitio, ut patebit.

333

CAPUT I.

UTRUM DEUS SIT NOMINABILIS [1].

Ad primum obiciunt sic: 1. Dionysius, *De divinis nominibus* [2]: « In Deo omnium cognitionum [e] fines superarcanae vitae substituti [f] sunt, quem neque dicere neque intelligere possibile est ». Non est igitur dicibilis; ergo nec nominabilis.

2. Item, omne nomen datum est a forma aliqua quae potest accipi per intellectum [3]; sed [g] dicit Augustinus [4] quod Deus, qui omnem formam subterfugit, intellectui [h] pervius [i] esse non potest; cum ergo subterfugiat omnem formam, ergo non potest ei dari nomen a forma; ergo non est nominabilis.

3. Item, Philosophus, in libro *De causis* [5]: « Prima causa superior est [k] omni narratione neque eius est loquela; deficiunt enim linguae ad narrationem ipsius ». Ergo non est nominabilis.

4. Item, nihil potest nominari quod non potest significari; sed nihil potest significare intellectus nisi possit habere signum illius vel facere; signum autem habere alicuius vel facere non potest nisi possit illud apud se configurare; nullum autem infinitum potest configurare, cum ipse sit [l] intellectu finitus; cum ergo Deus sit infinitus, non potest intellectus eum [m] configurare; ergo nec nominare.

5. Item, non est nominabilis per nomen, quia nomen significat substantiam cum qualitate [6] et ita compositum; in Deo autem nulla est [n] compositio. Item, nec per pronomen [o], quia quamvis [p] pronomen significet substantiam meram, tamen significat ut demonstrabilem: unde si cadat a demonstratione vel relatione [7], cassum est et vanum [q]; Dei autem substantia non est demonstrabilis, quia non est sensibilis. Item, nec per verbum nec per [r] participium, quia significant cum tempore [8]; divinum autem esse omnino abstractum est a tempore. Non videtur ergo posse designari nomine vel pronomine, verbo vel participio.

Contra: *a.* Omne quod est intellectu [s] cognoscibile, in quantum huiusmodi est nominabile; cum ergo divinum esse sit cognoscibile intellectu, — unde Ioannes Damascenus [9]: « Cognitio existendi Deum naturaliter omnibus inserta est », et Rom. 1,20: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius et divinitas* — ergo divinum esse est nominabile et sempiterna virtus eius et deitas [t].

b. Item, in Scripturis nominatur Deus multis nominibus, Exod. 3,14: *Qui est misit me ad vos;* et iterum in 6,2: *Nomen meum Adonai non indicavi eis,* et huiusmodi [u].

Respondeo, secundum Ioannem Damascenum, 2 cap. I libri [10]: « Oportet scire quod neque omnia, quae sunt theologicae [v] dispensationis, sunt

---

[a] G om. [b] L *nominalis,* item infra. [c] G *cum.* [d] P *comparativam.* [e] L *congregationum.* [f] PVS *substituta.* [g] G *sicut.* [h] PVS *in intellectu,* BRGL *intellectu.* [i] PL *pronius,* VS *provius,* G *parvus.* [k] P om. [l] S *ille sit in* pro *i. s.* [m] G *eius.* [n] BRGL om. [o] L *nomen.* [p] G add. *per.* [q] V add. *est.* [r] BRG *vel* pro *n. p.* [s] G *in intellectu,* S add. *perceptibile et.* [t] L *divinitas.* [u] G *etc.* pro *e. h.* [v] S *theologie.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 22, a. un., q. 1 (I, 390 sqq.); *Breviloq.*, p. I, c. 4 (V, 212 sqq.).

2 Cap. 1, § 4 (PG 3, 591, PL 122, 1116); cf. Guil. Altissiod., I, c. 3, q. 1 (f. 3d), ubi plura hic occurrentia.

3 Cf. Aristot., *Periherm.*, c. 1 (I, 24).

4 Cf. *Sermo* 117, c. 2, n. 3 (PL 38, 662).

5 § 5 (p. 168).

6 Cf. Priscian., *Grammatica,* II, c. 5.

7 Alludit ad divisionem pronominum in demonstrativa et relativa. Cf. Priscian., loc. cit., XII, c. 1.

8 Cf. Aristot., *Periherm.*, cc. 1 et 3 (I, 24 sq.); Boeth., *Comment.* in h. l. (PL 64, 302, 306 sqq.).

9 *De fide orthod.*, I, c. 1 (PG 94, 790).

10 Loc. cit., c. 2 (PG 94, 791), ubi et sequens.

effabilia neque omnia ineffabilia neque omnia sunt incognoscibilia neque omnia sunt cognoscibilia [a]; aliud autem est cognoscibile [b], aliud effabile, quemadmodum aliud est loqui, aliud [c] cognoscere. Multa igitur [d] eorum quae obtuse de Deo intelliguntur non integre enuntiari [e] possunt, sed ea [f], quae super nos sunt, cogimur in iis, quae secundum nos sunt, dicere, sicut de Deo dicimus somnum et iram, manus et pedes et similia ». — Item, ibidem, Damascenus: « Quoniam quidem [est] Deus sine principio et sine fine [g], aeternus, increatus, immutabilis et huiusmodi, bonus, iustus, omnipotens, omnium creaturarum conditor, omnitenens, omnicernens, omnium provisor, potestativus iudex, cognoscimus et confitemur; quid autem est Dei substantia vel qualiter Deus de Deo genitus est vel procedit [h] vel qualiter *se ipsum exinanivit* [1] unigenitus Dei Filius et qualiter homo factus est, et ignoramus et dicere non possumus. Non possibile igitur est quid praeter ea, quae a divinis Eloquiis Novi et Veteris Testamenti enarrata sunt, de Deo dicere vel universaliter intelligere ».

Nota igitur ad solutionem praesentis quaestionis ex hac sententia Damasceni quod quaedam sunt quae de Deo accipiuntur per naturalem rationem, ut quoniam aeternus, sine principio, sine fine, quoniam omnium creator et huiusmodi: et quantum ad hoc est nominabilis [i] Deus *per ea quae facta sunt* [2] quemadmodum et cognoscibilis. Quaedam vero sunt quae accipimus de Deo per solam fidem, non per rationem, nisi lumine fidei adiutam [k], ut scilicet quid [l] Dei substantia, qualiter Deus ex Deo genitus, qualiter humanatus: et quantum ad hoc non est a nobis nominabilis, sed se ipso nominatur in Eloquiis divinitus traditis.

Item, nota distinctionem aliam ex praecedentibus verbis, quia est nominare Deum ex iis quae sunt secundum ipsum: et hoc modo innominabilis est nobis, quia ea quae sunt secundum ipsum, in quantum huiusmodi, sunt infinita, incomprehensibilia [m]; et hoc modo intelliguntur praedictae auctoritates et procedunt rationes quibus ostenditur Deus [n] innominabilis. Aut est nominare Deum ex iis quae sunt secundum nos, et hoc modo est a nobis nominabilis, secundum quod dicitur Rom. 1, 20, et [o] hoc tribus modis, secundum Ioannem Damascenum [3]: « imaginibus, formis et notis ». « Notis » nominatur Deus privationibus [a], cum dicitur [b] immensus Deus, infinitus, incircumscriptibilis; « imaginibus », cum nominatur dispositionibus spiritualium creaturarum, ut cum dicitur spiritus [c], sapiens, intelligens; « formis », cum nominatur similitudinibus corporalium creaturarum, ut cum dicitur leo, ignis et huiusmodi.

Ad obiecta omnia [d] patet responsio. 1. Nam Deus sive divinum esse, secundum quod consideratur in se et secundum se, secundum hoc innominabilis est [e] nobis, sed ipse se ipsum nominat in [f] Eloquiis divinis; secundum vero quod consideratur in suo effectu, quod est creatura, secundum hoc nominabilis est [g] eo modo quo dictum est.

2. Ad illud ergo [h] quod obicitur quod 'Deus qui omnem formam subterfugit' etc. dicendum [i]: Deus dicitur subterfugere omnem [k] formam, non quia non sit forma, cum illi conveniat esse formae nobilissimum [4], sed non cadit sub dispositione formae determinatae, sicut ponebant aliqui haeretici [5], licet non sit intellectui pervius, quod sonat in plenam eius cognitionem: pervium enim dicitur per cuius profunditatem transit visus [l]; nihilominus est eidem quodam modo cognoscibilis.

3. Ad aliud quod [m] obicitur quod 'Deus est superior omni narratione': dicendum [n], secundum Damascenum [o], 2 cap. I libri [6]: « Aliud est cognoscibile, aliud effabile »; unde quod dicit Philosophus quod « deficiunt linguae ad eius narrationem », intelligendum est prout narratio dicit plenam et integram esse ipsius notificationem.

4. Ad aliud [p] quod obicitur quod 'intellectus non potest apud se configurare Deum' [q] etc.: dicendum quod [r], licet intellectus non possit apud se configurare Deum secundum infinitatem sui, potest tamen secundum aliquam sui proprietatem a qua potest nominari.

5. Ad illud [s] quod obicitur quod [t] non est 'nominabilis [u] per nomen' etc.: dicendum quod [v], licet nomen significet substantiam cum qualitate, nihilominus contingit simplex nomine significari. Non enim substantia et qualitas, cum dicitur 'nomen significat substantiam' etc., distinguuntur sicut in praedicamentis, sed substantia dicitur ipsum significatum nominis, qualitas illud idem in quantum capabile est ab intellectu. — Praeterea,

---

[a] L om. *n. o. s. c.* [b] RG *cognoscere.* [c] Ita BG, alii add. *est.* [d] L *enim.* [e] S *essentiari.* [f] G om. [g] BRG *et fine sive* pro *e. s. f.* [h] BG add. *Spiritus.* [i] G *rationabilis;* P repetit *Deus,* quod S exp. [k] G *ad vitam.* [l] PVS *que.* [m] S *et comprehensibilia.* [n] BRG om. [o] P om., G *ex.*

[a] Ita RG, PB (corr.) L *privationum,* V *privatur,* S *privationem.* [b] R add. *Deus.* [c] B add. *sanctus.* [d] BG add. *iam.* [e] BRGL om. [f] B om. [g] BRG om. [h] L om. *i. e.* [i] L *respondeo.* [k] L om. [l] L om *pervium... visus.* [m] L *illud quo* pro *a. q.* [n] L *respondeo.* [o] L om. *s. D.* [p] L om. [q] L om. [r] L *respondeo* pro *d. q.* [s] L om. [t] L add. *Deus.* [u] L *significabilis.* [v] L *respondeo* pro *d. q.*

1 Philipp. 2, 7. 2 Rom. 1, 20.

3 *De fide orthod.*, I, c. 11 (PG 94, 842 et 847 sqq.); cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 1, § 6 (PG 3, 595, PL 122, 1117 sq.).

4 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).

5 Nempe Anthropomorphitae. Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 35 (PL 210, 638).

6 *De fide orthod.*, I, c. 2 (PG 94, 791).

licet Deus non sit ad sensum demonstrabilis secundum suam substantiam, est [a] tamen demonstrabilis ad intellectum, saltem secundum aliquam sui proprietatem, Exod. [b] 15,2: *Iste Deus meus et glorificabo eum.* — Praeterea, licet verbum et participium significent cum tempore, nihilominus tamen [c] Deus quodam modo [d] notificabilis est, non quia ipse cadit sub tempore, sed quia iuxta possibilitatem intellectus nostri, qui intelligit cum continuo et tempore, intelligimus et significamus. Unde et hoc verbum 'est', dictum de Deo, non significat cum motu et tempore. Unde Augustinus, *Super Ioannem* 1,3[1]: *In principio erat Verbum:* 'Sum', verbum substantivum, duplicem habet significationem: aliquando enim temporales motus secundum analogiam aliorum verborum declarat; aliquando substantiam uniuscuiusque rei, de qua praedicatur, sine ullo temporali motu designat, ideo et substantivum vocatur; tale est quod dicitur: *In principio erat Verbum,* quasi: in Patre subsistit Filius; non enim pro tempore, sed pro substantia ponitur '*erat*' [e].

CAPUT II.

QUOMODO DEUS SIT NOMINABILIS.

Consequenter quaeritur quomodo Deus sit nominabilis [f].

Et quaeruntur duo:

Primo, si Deus sit [g] nominabilis absque comparatione ad creaturam;

secundo, utrum sit [h] nominabilis proprie vel improprie.

334

ARTICULUS I.

Utrum Deus sit nominabilis absque comparatione ad creaturam [2].

Ad primum obicitur sic: *a.* Per regulam quae habetur in libro *De regulis fidei* [3]: « Omne [nomen] [i] Deo conveniens convenit ei vel causative vel similitudinarie vel adiunctive vel negative. Causative, sicut ea quae de Deo dicuntur per causam, ut iustus, pius vel fortis; similitudinarie, sicut ea quae per similitudinem, ut Pater, Filius, splendor, imago; adiunctive, sicut ea quae dicuntur de Deo ratione adiuncti, ut cum dicitur Deus irasci, ratione adiuncti scilicet punitionis, similiter et poenitere, ratione adiuncti scilicet mutationis: solet enim adiungi irae punitio et poenitentiae operis mutatio, ideo dicitur Deus irasci cum punit, poenitere cum opus mutat; negative vero, sicut dicitur Deus indurare aliquem vel subtrahere gratiam alicui: indurare enim dictum de Deo idem est [k] quod gratiam non apponere; unde Augustinus [4]: Dicitur Deus indurasse cor Pharaonis, "non impartiendo malitiam, sed non apponendo gratiam"; subtrahere vero gratiam [l] idem est quod non conservare gratiam vel [m] non continuare ». Cum ergo nullum nomen conveniat nisi secundum hos modos et omnes isti modi dicantur [n] in comparatione ad creaturam, ergo nullum nomen Deo convenit nisi in comparatione ad creaturam.

b. Item, non intelligitur nisi in comparatione ad creaturam [o]; ergo nec nominatur nisi in comparatione ad creaturam [p], quia sicut intelligitur, sic nominatur.

Contra: 1. Hoc nomen [q] 'essentia' et hoc nomen '*qui est*' [5] nominant Deum et tamen nullam dicunt comparationem ad creaturam; non igitur omne nomen Deo conveniens dicitur in relatione [r] ad creaturam.

Respondeo, secundum illam regulam in libro *De regulis fidei* [6]: « Omne simplex alio est et [s] alio dicitur esse, quia sua propria essentia est; dicitur autem, hoc est [t] nominatur, a suo effectu quem habet. Unde iustus dicitur [u], quia facit iustum », et bonus, quia facit [v] bonum, et huiusmodi. Unde [x] Dionysius, in libro [y] *De divinis nominibus* [7]: « Ex omnium existentium ordinatione praetenta [z] et imagines quasdam et similitudines

---

[a] L om. [b] Codd. *Eccli.*, L om. *iste.* [c] L *iis.* [d] R add. *nobis.* [e] PVSBG om. a p. 493b n. 2. *Ad illud ergo quod obicitur... ponitur erat,* quod in L est add. mg.; R hic omisit et illico incipit *Consequenter queritur... iustus pius,* quae delevit linea obducta et voce *vacat,* et iterum incipit *Ad illud ergo... ponitur erat. Consequenter...* Haec omnia etiam omittunt plures alii codices a nobis inspecti, inter quos cod. lat. Paris. Nation. 15750, quem Gerard. ab Abbatisvilla († 8 nov. 1271 vel 1272) Sorbonae legavit. [f] BG *innominabilis,* L om. *Deus.* [g] BRGL om. *D. s.* [h] BRGL om. [i] L *esse.* [k] BRGL *idem dicitur de Deo* pro *d. d. D. i. e.* [l] V om. *s. v. g.* [m] L add. *quod,* V *servare* pro *conservare.* [n] G *dicunt.* [o] S om. *Item non... creaturam.* [p] B om. *ergo... creaturam.* [q] V add. *est.* [r] L *relationem.* [s] BRG om. [t] S repet. [u] BRG om., S *qui* pro *quia.* [v] S om. *iustum... facit,* in P est add. mg. [x] BRGL add. *beatus.* [y] V om. *i. l.* [z] S *preterita.*

1 Cf. tr. 1, c. 1, n. 8 (PL 35, 1383), ad sensum.
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 22, a. un., q. 2 (I, 392 sqq.).
3 Alan., *Theol. reg.*, reg. 21 (PL 210, 631).
4 *Epist.* 194, *Ad Sixtum,* c. 3, n. 14 (PL 33, 879).
5 Exod. 3, 14.
6 Reg. 19 (PL 210, 630); cf. Gilb. Porret., *Comm. in Boeth. De hebdomad.* (PL 64, 1320).
7 Cap. 7, § 3 (PG 3, 870 sq., PL 122, 1155).

divinorum paradigmatum habente, id est formarum exemplarium, quae sunt in mente divina, in summum via omnium et ordine secundum virtutem [a] redeundum est omnium ablatione et eminentia et omnium causa: proinde ex omnibus cognoscitur et in omnibus ». Et tangit triplicem modum intelligendi sive nominandi Deum: ablatione, eminentia et causa. Unus enim modus est per ablationem sive abnegationem, sicut cum dicitur aeternus, immensus: et hic modus est a comparatione divini esse ad creaturam secundum differentiam; alius modus per eminentiam, sicut cum dicitur superexistens, optimus et huiusmodi: et hic modus est a [b] comparatione divini esse ad creaturam secundum convenientiam quae est per proportionem, secundum communem [c] animi conceptionem ' optimum in unoquoque est Deo tribuendum '; tertius modus est per causam, sicut cum dicitur ' Deus ', quod imponitur ab operatione, sicut dicit Damascenus [1], potens, sapiens et huiusmodi: et [d] hoc sumitur ex comparatione divini esse ad creaturam secundum comparationem quae est effectus ad causam.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc autem quod obicitur de hoc nomine ' *qui est* ', dicunt quod etiam hoc nomen nominat in comparatione ad creaturam, et hoc secundum differentiam. Unde Hieronymus, *Ad Marcellam* [2] scribens, ait: « Deus solus qui exordium non habet, vere essentiae nomen tenuit, quia in eius comparatione qui vere est, quia incommutabilis est, quasi non vere sunt quae mutabilia sunt ». Tamen dicendum quod hoc nomen ' *qui est* ', quantum ad illud quod nominat, nominat absolutum absque comparatione ad creaturam: significat enim ' ens se ipso '; quantum vero ad nominantem, qui non accipit rationem ' ens se ipso ' nisi per ' ens ab alio ', quod est creatura, nominatur in comparatione ad creaturam [3].

ARTICULUS II. 335

Utrum Deus sit nominabilis proprie.

Consequenter quaeritur utrum Deus possit nominari proprie [4].

Ad quod sic: 1. Per regulam in libro *De regulis fidei* [5]: « Omne simplex proprie est et improprie [e] dicitur esse ». Cum ergo Deus simplex sit, non dicitur nisi improprie.

2. Item, non dicitur nisi quod intelligitur [6]; sed non intelligitur nisi in similitudine, quae est vestigii sive imaginis Dei in creatura; ergo non nominatur nisi per similitudinem acceptam a creatura.

3. Item, non nominatur Deus nisi symbolica vel mystica Theologia; symbolica autem Theologia [f] nominat Deum « per creaturas exteriores [7] », ut per [g] solem, ignem, lucem et huiusmodi, « mystica vero nominat per interiores », scilicet spirituales, « et occultas »; ergo nullus modus nominandi Deum est nisi per creaturas vel similitudines creaturarum; ergo non nominatur nisi translative.

4. Item, Dionysius, in [h] *Hierarchia angelica* [8]: « Non est possibile animo nostro ad [i] non materialem [k] ascendere caelestium hierarchiarum contemplationem nisi ea, quae secundum ipsum est, manuductione utatur », et hoc per similitudines creaturarum. Ergo multo magis non potest animus noster ascendere ad contemplationem Dei nisi per similitudinem creaturarum; sed sicut intelligimus, ita etiam significamus; ergo non potest significare divina nisi per similitudinem creaturarum; ergo transumptive; ergo improprie.

Contra: *a.* Augustinus, in V *De Trinitate* [9]: « Ille qui dixit Moysi [10]: *Ego sum, qui sum; haec dices filiis Israel* [l]: *qui est misit me ad vos*, vere ac proprie dicitur essentia », cuius essentia non novit praeteritum aut futurum. Ergo hoc nomen ' essentia ' et ' *qui est* ' proprie dicitur de Deo.

b. Item, Ioannes Damascenus, I [m] libro [11]: « Sciendum est [n] quod non a nobis translatum [o] est ad beatam deitatem paternitatis et filiationis et processionis nomen: e contrario enim nobis [p] traditum est, ut ait divinus [q] Apostolus [12]: *Propterea flecto genua ad Deum et Patrem* [r], *ex quo omnis*

---

[a] L *virtutes*. [b] R om. [c] G om. [d] L *cum*. [e] PVS *proprie*, quod BL corr. [f] G *aut theologica* pro *a. t.* [g] BRGL om. [h] R add. *libro de.* . [i] V *quod ad*, L *quod*. [k] B *materiale*. [l] P add. *ille est*, V add. *ille*. [m] P *in I*, V *in*. [n] R om. [o] B *translatio*, G *translata*, L om. *est*. [p] PVS add. *divinitus*. [q] PVS om. [r] BG add. *Domini nostri Iesu Christi*.

[1] *De fide orthod.*, I, c. 9 (PG 94, 835).
[2] Potius *Ad Damas.*, epist. 15, n. 4 (PL 22, 357), ubi verbotenus occurrit; cf. Lombard., I *Sent.*, d. 8, c. 1 (p. 57) et *Glossa Ordin. in Exod.*, 3, 14 (PL 113, 193).
[3] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 2 (f. 4c).
[4] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 22, a. un., q. 2 (I, 394 sqq.).
[5] Reg. 20 (PL 210, 630).
[6] Cf. Boeth., *In libr. De Interpret.* (PL 64, 298).
[7] Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 4b), ubi et sequentia; Pseudo-Dionys., *De myst. theol.*, c. 3 (PG 3, 1034, PL 122, 1174).
[8] Seu *De cael. hier.*, c. 1, § 3 (PG 3, 122, PL 122, 1039).
[9] Cap. 2, n. 3 (PL 42, 912), ad sensum.
[10] Exod. 3, 14.
[11] *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 819).
[12] Eph. 3, 14.

paternitas in caelo et in terra nominatur ». Ergo haec nomina, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, non dicuntur translative de Deo, sed proprie.

c. Item, Ambrosius, II libro *De Trinitate*[1]: « Sunt quaedam nomina quae proprietatem deitatis ostendunt, ut generatio, Verbum, Filius et huiusmodi; quaedam vero [a] sunt quae divinae maiestatis exprimunt unitatem, ut sapientia, virtus, veritas et huiusmodi; quaedam vero alia sunt quae per similitudinem de Deo translative dicuntur, ut splendor, caracter, speculum et huiusmodi ». Relinquitur ergo quod non omnia nomina dicuntur improprie sive translative de [b] Deo.

Respondeo: Est significare de Deo [c] 'quia est' et est significare de Deo [d] 'quid est'[2]. Nomen significans de Deo 'quia est' dicitur proprie, sicut est hoc nomen '*qui est*' [e] et 'essentia'; nomina vero quae significant de Deo 'quid est' uno modo dicuntur proprie, alio modo improprie. Quaedam enim sunt quae de Deo [f] semper dicuntur improprie, quemadmodum illa quae dicuntur secundum modum corporalem, et universaliter omnia illa quae significant speciem in materia et imperfectionem, ut ignis et leo [g], splendor et huiusmodi: et haec dicuntur per translationem[3]. Quaedam vero sunt quae uno modo dicuntur proprie; alio modo improprie, id est per translationem, ut universaliter omnia illa quae significant speciem non in materia et perfectionem [h] naturae vel virtutis et operationis, ut sapientia, virtus, veritas et huiusmodi. Dupliciter [i] enim est via intelligendi, ad quam [k] consequitur ratio dicendi: una est, cum intellectus procedit ab effectibus ad causam cognoscendam, ut *per ea quae facta sunt* procedit [l] ad cognoscendam virtutem sempiternam [m] et per illam cognoscit [n] divinitatis substantiam, sicut dicitur Rom. 1, 20; et in hac via si accipiatur ratio nominandi sive dicendi, transumit nomina effectuum ad significandam causam [o], ut nomen sapientiae ad significandum Dei notitiam, et nomen bonitatis, quod similiter invenit [p] in creatura, ad significandum Dei bonitatem [q] et sic de aliis; ita etiam nomen paternitatis et filiationis. Via vero [r] alia est, cum intellectus procedit a causa ad effectus; unde tunc illa nomina, quae significant speciem sine materia vel perfectionem naturae, verius attribuit ipsi causae quam ipsis effectibus. Unde secundum hanc viam in Deo dicetur bonitas proprie et [s] veritas et huiusmodi; et multo magis proprie quam de creatura, quia ibi est [t] bonitas et veritas et potentia per essentiam, in creatura vero per participationem.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

336 CAPUT III.

UNDE SIT MULTIPLICITAS NOMINUM DIVINORUM.

Consequenter quaeritur de multiplicitate [u] nominum divinorum.

1. Quaeritur ergo primo unde sit multiplicitas sive pluralitas nominum divinorum, et maxime ex parte essentiae.

1. Cum enim divina essentia sit simplex omni modo in fine simplicitatis, in ea nulla est multiplicitas et ita nec diversitas a qua multiplicitas nominum sumi possit.

2. Item, multiplicitas opponitur unitati[4]. Si ergo multiplicitas est in nominibus et non est in re, vanus autem est sermo qui non habet rem quam indicat, id est cui nihil respondet in re: ergo omnes tales nominationes sunt vanae.

3. Si respondeatur secundum quosdam quod est considerare divinam essentiam in se et in suo effectu: nominatur ergo multipliciter, non quia sit in re, id est in ipso, multiplicitas, sed propter multiplicitatem effectuum, sicut Spiritus Sanctus dicitur[5] *unicus* in essentia, *multiplex* in effectu – contra: multa sunt nomina quae non dicunt effectum in creatura, ut immensus, infinitus, increabilis [v] et huiusmodi; ergo multiplicitas nominum non est propter multiplicitatem effectuum.

Respondeo[6]: Multiplicitas nominum divinorum est, non ex [x] multiplicitate essentiae vel effectuum, sed ex [y] consideratione intellectus conferentis effectus ad causam divinam. Quod potest esse dupliciter: secundum differentiam et secundum

---

[a] V om. [b] V *a*. [c] G om. *d. D.* [d] V om. *d. D.* [e] G om. [f] R om. *uno modo... Deo*, in B est add. mg.; G om. *quid est... Deo*; L *vero* pro *enim*. [g] P add. *et*. [h] BRGL *imperfectionem*. [i] L *duplex*, V om. *enim*. [k] B *quem*. [l] PVS *procedat*. [m] L add. *nam*, BRGL *unitatem* pro *virtutem*. [n] PVS *cognoscat*. [o] G om. *nominandi... causam*. [p] L *que similiter invenitur* pro *q. s. i.*; BRG *quem* pro *quod*. [q] S *notitiam*. [r] L *ergo*. [s] PVS add. *bonitas*, BRGL *tanto* pro *multo*. [t] S add. *veritas et*; L *proprius* pro *proprie*; BL om. *et*. [u] BRG *multiplicatione*. [v] P *incredibilis*. [x] L *quod*. [y] G om.

1 Seu *De fide*, II, prol., n. 2 (PL 16, 560).
2 Cf. supra, p. 24.
3 Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 26 (PL 210, 233).
4 Cf. supra, num. 75.
5 Cf. Sap. 7, 22.
6 Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hierarch.*, c. 2, § 3 (PG 3, 139, PL 122, 1041 sq.); Damascen., *De fide orthod.*, I, c. 12 (PG 94, 846).

convenientiam. Secundum differentiam nominatur per haec nomina: increabile, incorporale[a] et huiusmodi, quae dicunt de Deo non quid[b] est, sed quid non est[1]. Secundum convenientiam est collatio effectus ad causam dupliciter: secundum esse et secundum bene esse. Secundum collationem ipsius esse creaturae ad causam nominatur per nomina sumpta ex proprietate rei corporalis vel spiritualis, sicut supra dictum est[2]. Secundum vero collationem ipsius bene esse creaturae ad causam sic nominatur per[c] superexcellentiam, ut quando dicitur non solum ens, sed etiam superens, non solum bonus, sed etiam superbonus, non solum potens, sed etiam superpotens et huiusmodi. Secundum hoc ergo manifestum est quod triplex est modus nominandi Deum: per negationem, per excellentiam, per causam, sicut supra patuit per B. Dionysium[d 3].

II. Item, quaeritur utrum Deus sit nominabilis omni nomine.

Quod videtur *a.* per B. Dionysium, in prologo *De divinis nominibus*[4]: « Theologi tamquam innominabilem Deum laudant et ex omni nomine ». Ergo est nominabilis omni nomine.

b. Item, Trismegistus[5]: « Deus non est innominabilis, sed omninominabilis ».

c. Item, Dionysius, in *Hierarchia angelica*[6]: « Nihil eorum quae sunt est[e] universaliter boni participatione privatum, siquidem, ut Eloquiorum[f] veritas ait[7], omnia *valde bona*; est ergo ex omnibus intelligere bonas speculationes ». Reinquitur igitur quod ex omnibus possunt intelligi nomina ad Deum.

Contra: 1. In libro *De regulis fidei*[8]: « Nullum nomen privationis vel obnoxietatis vel violentiae designativum cadit in Deum. Nomen enim privativum non potest dici de Deo per similitudinem sibi per causam », quia nulla similitudo est privationis ad Deum. Praeterea, privationes non habent causas nisi deficientes et destructivas, Deus autem[g] est causa efficiens et constructiva. — Praeterea, nomina obnoxietatis sunt necessitatis; in Deum autem non cadit necessitas; unde non dicitur ' Deus[h] debet hoc facere ' vel « tenetur hoc facere[i 9] ». — Praeterea, « nullum nomen importans violentiam de Deo dicitur »; unde non dicimus[k] « Deum nolle aliquid, ne[l] violentia ibi intelligatur; unde Deus multa non voluit, sed nulla noluit »; unde concedendum est « quod Deus non vult mala, sed non quod nolit[m] mala ».

2. Item, Boethius, in libro *De Trinitate*[10]: « Situm et passionem non oportet requirere in Deo ». Ergo in Deo non est aliquod[n] nomen situs vel passionis, id est significans situm vel passionem.

3. Item, Damascenus[11]: « Non possibile est praeter ea, quae divinis[o] Eloquiis Veteris et Novi Testamenti enarrata sunt, de Deo dicere vel universaliter intelligere ». Ergo non omni nomine. — Item, cum multa sint quibus loquimur de Trinitate, ut paternitas, filiatio, persona et essentia et huiusmodi, quae non inveniuntur in Scriptura, non videtur verum dicere Damascenus.

Respondeo: Nominari potest proprie et translative[p]. Proprie non potest nominari omni nomine, sed solum secundum quod supra dictum est[12]; translative vero[q] nominari potest per omne nomen quod potest dici secundum rationem veri et boni[13].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur de nominibus privationis vel obnoxietatis vel violentiae: dicendum est quod huiusmodi nominibus non debemus uti secundum consuetudinem[r] humani sermonis, sed solum secundum consuetudinem Scripturarum, quae sunt dictatae a Spiritu Sancto, secundum quam est elicere ex omnibus convenientem speculationem, secundum B. Dionysium. Unde in *Angelica hierarchia*[14]: « Furor, qui irrationabilibus ex passibili motu est, in[s] intellectualibus altero modo oportet intelligere, declarans, ut aestimo, eorum virilem rationabilitatem. Eodem modo concupiscentiam dicimus in irrationabilibus inconsultam ex naturali motu, in mutabilibus incontinenter ingenitam passibilitatem[t]; in intellectualibus vero[u] divinum amorem vel concupiscentiam circumformamus, et inflexibile et non[v] indigens desiderium castae et incompassibilis contemplationis ad illam puram et sublimissimam[x] claritatem ». — Item, Damascenus[15]: « Iram[y] et furorem Dei dicimus eam, quae est ad malitiam[z], inimicitiam et

---

[a] B *incorruptibile.* [b] Codd. *quod,* item infra. [c] L add. *suam;* BRG *excellentiam* pro *superexcellentiam.* [d] B *Augustinum,* G om. *supra.* BRG om. [e] VL add. *ut,* quod P exp.; L *circa nobis* pro *omnia valde.* [f] P om. [g] B om. [h] V om. *v. t. h. f.* [i] G *in divinis* pro *n. d.;* *velle* pro *nolle.* [k] S *nec.* [l] BRG *noluit.* [m] S om. [n] S (corr.) BRGL *divine.* [o] B add. *est.* [p] B om. [q] L *similitudinem.* PV om. [r] S add. *vero.* [s] P om. [t] B om. [u] G *subtilissimam,* PVSL *portam* pro *puram.* [v] PVS om. [x] V add. *in,* L add. *et.*

1 Ct. Alan., *Theol. reg.*, reg. 18 (PL 210, 630).
2 Cf. supra, num. 334 et 335.
3 Cf. supra, p. 494b, sub *Respondeo.*
4 Cap. 1, § 6 (PG 3, 595, PL 122, 1117); cf. Guil. Altissiod., I, c. 3, q. 1 (f. 4a), ubi et sequens.
5 *Asclepius* seu *Dialogus,* c. 20 (ed. Hildebrand, p. 250).
6 Cap. 2, § 3 (PG 3, 142, PL 122, 1047).
7 Gen. 1, 31.
8 Alan., *Theol. reg.*, reg. 33 (PL 210, 637).
9 Cf. Alan., loc. cit., ubi verbotenus vel ad sensum plura sequentium.
10 Cap. 4 (PL 64, 1253).
11 *De fide orthod.*, I, c. 2 (PG 94, 794).
12 Cf. supra, num. 335.
13 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., q. 2 (f. 4c).
14 Cap. 2, § 4 (PG 3, 142, PL 122, 1042).
15 *De fide orthod.*, I, c. 1 (PG 94, 843).

adversationem [a] — etenim nos contraria [b] mentis nostrae [c] odio habentes, irascimur et avertimur [d] — oblivionem vero, somnum et dormitationem [e], dilationem eius quae ad inimicos est ultionis et consueti ad familiarem auxilii retardationem [f] ».

2. Ad secundum dicendum quod situm, secundum proprium modum loquendi, non est requirere [g] in Deo; tamen secundum modum translativum in Scripturis dicitur aliquid secundum situm et passionem: secundum [h] situm, sicut dicitur Isai. 6,1: *Vidi Dominum sedentem super solium* etc.; secundum passionem, sicut dicitur Isai. 46,4: *Ego feci et ego feram.* Tamen ista duo genera, situm scilicet et passionem, magis excludit Boethius quam alia, quia situs non est nisi materialium, passio vero non est nisi habentium materiam vel materialem modum: quae maxime removentur a Deo.

3. Ad ultimum dicendum quod nominatio divina aliquando sumitur ex verbis Scripturae, aliquando ex fide consona verbis Scripturae. Ex verbis Scripturae [i]: sicut Pater, Filius, Spiritus Sanctus; ex fide consona: sicut essentia [k], filiatio, paternitas, persona, in quibus verbis servatur [l] intellectus Scripturae [m], etsi non sonus, intellectus rei, etsi non sonus verbi, quia sicut dicit Hilarius, IV libro *De Trinitate* [1]: « Non sermoni [n] res, sed rei sermo est subiectus ».

QUAESTIO II.

DE NOMINIBUS DIVINIS COMPARATE SPECTATIS.

Consequenter quaerendum est in generali de nominibus divinis consideratione comparata, secundum quam attenduntur [o] intentiones universalis, particularis, scilicet [p] generis, speciei et individui, praedicabilis et praedicamenti. Erit igitur inquisitionis istius talis modus:

Primo, inquiremus [q] utrum in divinis sint accipiendae intentiones universalis et particularis, sive generis [r], speciei et individui [s];

secundo, utrum sit accipere intentionem [t] praedicamenti;

tertio, utrum in Deo sit accipere intentiones praedicamentorum substantiae et relationis;

quarto, qualiter circa divina sint accipiendae intentiones aliorum praedicamentorum, ut [u] quantitatis, qualitatis etc.

337

CAPUT I.

UTRUM IN DIVINIS ACCIPIANTUR INTENTIONES UNIVERSALIS ET PARTICULARIS [2].

Quantum ad primum: *a.* Augustinus, VII libro *De Trinitate* [3]: « Si essentia genus est, species autem personae, ut nonnulli [v] sentiunt, oportet appellari tres substantias ut appellantur tres personae — sicut tres equi dicuntur tria animalia: non enim species pluraliter dicitur et genus singulariter — patet nomine essentiae non significari genus nec nomine personae speciem ».

b. Item, « si dicunt nomine personae speciem non significari, sed singulare vel individuum », et nomine essentiae speciem, « ut persona non dicatur sicut homo, sed sicut hic homo [x] vel Abraham, illos praedicta ratio confutabit. Sicut enim dicuntur Abraham, Isaac et Iacob tria individua, ita tres homines et tria animalia; si ergo secundum genus et speciem et individuum ista disserimus, dicentur [y] tres essentiae et tres personae ».

c. Item, Augustinus, in eodem [4]: « Una numero essentia non est species, sicut unum animal non est species ». Si ergo una essentia est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, non est essentia species, cuius sint individua Pater et [z] Filius et Spiritus Sanctus.

d. Item, ostenditur idem: multiplicatis illis quorum est genus, multiplicatur genus, et multiplicatis individuis multiplicatur species; sed

[a] S *adversionem.* [b] BRG *contrario.* [c] P *nostro.* [d] Ita VL, alii *avertimus.* [e] Ita L, alii *dormitionem.* [f] Ita G, alii *recordationem.* [g] Codd. add. *situm.* [h] S *et.* [i] Ita BR, alii om. *e. v. S.*, B om. *sicut.* [k] BRG add. *vel.* [l] G *sumatur.* [m] S *rei.* [n] L *sermonis.* [o] G *arten dicuntur.* [p] PVSL om. [q] BRGL om. [r] PVSL add. *et*, S add. *sive.* [s] P *dividui.* [t] B *intentiones.* [u] V *et.* [v] P *nonnulli.* [x] G *nomen.* [y] S *dicantur*, V *discernimus* pro *disserimus.* [z] BRGL om.

1 Num. 4 (PL 10, 107).

2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 19, p. 2, a. un., q. 2 (I, 357 sqq.).

3 Cap. 6, n. 11 (PL 42, 943), partim verbotenus, partim ad sensum; ibi etiam sequens.

4 Cf. loc. cit. (PL 42, 944), ad sensum.

multiplicata persona in divinis, non multiplicatur essentia; divina ergo essentia non est genus aut species personarum.

e. Item, universale, secundum quod dicit Philosophus[1], est in multis et de multis, quae sunt [a] particularia; sed per hoc quod est 'de multis' habet dependentiam ab illis; sed dependentia in Deo esse non potest; ergo nec ratio universalis nec particularis, quia pars ponit imperfectionem: particulare etiam [b] dicitur, quia partem capit universalis; sed divina essentia non est secundum partem in personis; ergo personae non habent [c] rationem particularis nec [d] essentia universalis.

f. Item, ubi non est ponere differentiam formae et materiae, nec est ponere universale et particulare, quia ratio particularis venit a materia, ratio universalis a forma[2]; sed in Deo non potest poni differentia materiae et formae sive ratio materiae et ratio formae; ergo nec ratio particularis et universalis.

Contra: 1. Divina essentia praedicatur de quaelibet persona essentialiter et non conversim; ergo est genus vel species personarum.

2. Praeterea, particulare sive singulare est [e] de quo dicitur aliud, ipsum vero de nullo [f] alio dicitur [g][3]; sed ratio ista convenit cuilibet personae; ergo quaelibet persona est particulare sive singulare; sed singulare et particulare dicuntur ad universale; ergo, cum persona [h] non dicatur nisi ad essentiam, essentia est universale.

3. Item, « persona est rationalis naturae substantia individua[4] »; sed substantia individua est [i] individuum; ergo persona est individuum; sed individuum dicitur [k] ad universale; ergo essentia est universalis.

4. Item, Damascenus[5] dicit quod « 'Deus' et 'homo' significant speciem communem; hypostasis autem individuum demonstrat, scilicet Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Petrum et Paulum ». — Item, Damascenus[6]: « Communia et universalia praedicantur de subiectis sibi ipsis particularibus; commune igitur substantia est [l], particulare vero hypostasis, id est persona; particulare autem dicitur non quoniam partem naturae habet, sed particulare numero, ut atomum », id est individuum: « numero enim, et non natura, differre dicuntur hypostases ».

5. Item, in eodem[7]: « Substantia significat communem circumplectivam [m] speciem homoideon, id est similium [n] specie, hypostaseon, id est personarum, ut puta Deus, homo; hypostasis autem individuum demonstrat, scilicet Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Petrum et Paulum » et huiusmodi.

6. Item, Damascenus[8]: « 'Deitas' naturam manifestat, 'Pater' hypostasim, 'Deus' autem commune naturae significat et in unamquamque hypostasim, id est personam, ordinatur denominative quemadmodum 'homo' ». — Item, Deus est qui habet divinam naturam, sicut homo qui habet humanam; sicut ergo humanitas est quaedam natura specialis [o], ita et deitas.

7. Item, Hilarius, VII *De Trinitate*[9]: « In Patre et Filio credere duos deos impium est; Patrem et Filium praedicari Deum singularem, sacrilegum [p] est; Deum ex Deo quod in similitudinem generis unum [q] sint negare, blasphemum est ». — Item, idem[10]: « Ex indifferentia atque singularitate generis unum sunt natus et generans ».

Respondeo: In Deo non est ponere esse universale nec esse singulare vel particulare, habet tamen esse divinum de [r] utroque quod est perfectionis et deest ei ex utroque quod est [s] imperfectionis. Universale enim est in multis et dicitur de multis, quia non est totum quod sunt singularia[11], sicut 'homo' non dicit totum quod est Sortes, sicut quantitatem, qualitatem et operationem, quae tamen sunt in esse Sortis; unde non dicit totum quod est Sortes, sed tamen dicitur de illo. Sed cum dicitur 'Deus Pater, Deus [t] Filius, Deus Spiritus Sanctus', dicitur esse divinum in multis, sed non dicitur de multis. Cum enim dico 'Deus', dico totum esse Patris, totum esse Filii; esse ergo de multis imperfectionis est in esse universali: unde non convenit esse divino; sed esse in multis convenit, quia hoc est virtutis et nobilitatis. Similiter particulare dicitur quod est in uno solo, non tamen est de [u] multis: quod non est de multis perfectionis est, quia dicit totum esse, sed esse in uno solo imperfectionis [v] est, quia nobilius est esse in multis quam in uno, ideo esse divinum est in multis, non in uno solo, sed esse in multis [x] non multiplicatum, sed unum.

[a] P om. [b] L *autem*. [c] S add. *partem et*. [d] BRG add. *in*. [e] BRG om. [f] P *ullo*. [g] BG om., R exp.; P om. *ratio*. [h] L *potentia*. [i] S *dicitur*. [k] P om. [l] V om., PVS om. *vero*. [m] B *complectivam*. [n] P *filium*; Burgundio (f. 12d) pro *similium* legit *earum quae unum sunt*. [o] BG *naturalis* pro *n. s.* [p] Ita VG, alii *sacrilegium*. [q] PVS *unde*. [r] PVS *ab*. [s] S om. *perfectionis... est*, om. *et deest... imperfectionis*. [t] S om. [u] V *in*. [v] P *perfectionis*; L. *melius* pro *nobilius*. [x] L. om. *non in... multis*.

1 *Periherm.*, c. 7; *Anal. Post.*, I, c. 4 (I, 27, 124sqq.).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, I, c. 7; *Metaph.*, VII, c. 3 et XI, 5 (II, 257sq., 560sq., 603); Boeth., *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).
3 Cf. Aristot., *Periherm.*, c. 7 (I, 27).
4 Boeth., *De pers. et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1343).
5 *De fide orthod.*, III, c. 4 (PG 94, 996).
6 Loc. cit., c. 6 (PG 94, 1002); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 19, c. 9 (p. 133), ubi et sequens.
7 Loc. cit., c. 4 (PG 94, 998).
8 Loc. cit., III, c. 11 (PG 94, 1027).
9 Num. 39 (PL 10, 233).
10 Loc. cit. (PL 10, 232).
11 Cf. Avicenna, *Metaph.*, V, cc. 1 et 2 (f. 86csqq.).

Item, est loqui de particulari sive [a] individuo tribus modis: uno modo secundum quod dicitur individuum [b] esse a materia, alio modo secundum quod ab accidentibus, tertio modo secundum quod a forma signata et singulari. Primo modo dicit Philosophus[1] quod [c] qui dicit 'solem' dicit formam tantum, qui dicit 'hunc solem' dicit formam cum materia; et ita diversitas universalis et particularis est secundum diversitatem formae et materiae. Sed in divinis non est materia, quia nihil imperfectionis: unde nihil est ibi in potentia, sed quidquid ibi est, in actu est; igitur non est particulare nec universale in divinis. Unde Boethius, in libro *De Trinitate*[2], dicit: « Nihil secundum materiam dicitur esse, sed secundum propriam formam; sed divina substantia sine materia et forma est atque ideo est id quod est; reliqua vero non sunt id quod sunt: unumquodque enim habet esse suum ex illis ex quibus est, id est ex partibus suis, et est hoc atque hoc ». Ex hoc patet quod non est materia in divinis et ita nec particulare nec singulare. — Secundo modo dicit Boethius, *De Trinitate*[3]: « Numero differentiam accidentium facit varietas [d]: nam tres homines neque genere neque specie, sed [e] suis accidentibus distant. Nam si omnino ab iis cuncta accidentia separemus, tamen [f] locus cunctis diversus est, quem [g] unum fingere nullo modo possumus: duo enim corpora unum locum non obtinebunt, qui est accidens, atque ideo sunt numero plures, quia accidentibus plures fiunt ». Et ideo, cum in divinis non sint accidentia, non [h] differunt ad invicem personae accidentibus; et ideo non sunt singularia nec particularia nec individua. Ex iis itaque patet quod divina essentia non est universalis nec personae sunt particularia vel singularia. — Tertio modo, sicut dicit Boethius[4], cum 'homo' dicitur, de pluribus quidem hominibus praedicatur; sed si illam humanitatem, quae est in Socrate individuo, consideremus, fit individua, cum Socrates ipse sit individuus et singularis. Ex quo accipitur quod [i] sicut Socrates et Cicero suis singularibus proprietatibus et accidentibus singulares et numero plures cognoscuntur, sic suis propriis [k] individuis et singularibus humanitatibus numero plures efficiuntur. Cum ergo deitas nullo modo plurificetur in Patre et [l] Filio et Spiritu Sancto, non se habet deitas ad Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ut universale ad singularia [m].

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum [n], quod 'divina essentia praedicatur' etc.: dicendum quod 'praedicari essentialiter' dicitur aequivoce de essentia divina et de genere sive specie, quoniam [o] essentia divina aliter est essentia Patris et Filii et Spiritus Sancti, aliter animal [p] essentia hominis et asini: unitas enim animalis in suis speciebus, ut dicit Damascenus[5], non consideratur re, sed ratione; unitas essentiae in personis re quidem consideratur: et hoc dicitur, quia essentia non multiplicatur in personis, substantia vero generis multiplicatur in speciebus et substantia speciei in [q] individuis.

2. Ad secundum dicendum quod cum dicitur 'particulare sive singulare est de quo dicitur aliud, ipsum vero de nullo', intelligitur 'de' [r] per rationem habitudinis ad subiectum; ratio autem subiecti nullo modo est in divinis. Secundum vero quod dicitur de [s] persona divina, dicitur transumptive ratione similitudinis locutionis, non ut ponatur ibi habitudo ad subiectum secundum rem, sed solum secundum locutionem.

3. Ad tertium dicendum quod in definitione personae « substantia individua » dicitur dupliciter: vel propter separationem quae est secundum substantiam et situm et accidentia, et sic dicitur de persona creata; vel propter distinctionem proprietatum solum, et hoc modo convenit « substantia individua » personae increatae; nec tamen sequitur secundum hoc: 'persona divina' [t] est substantia individua, ergo est individuum', quoniam 'individuum' [u], dictum substantive, importat separationem secundum substantiam et situm et accidentia [6]. Posset tamen dici quod praedicta definitio personae non est personae communiter, sed solum personae prout [v] convenit creaturae rationali; unde Richardus, in libro *De Trinitate*[7], corrigit istam definitionem assignans rationem personae secundum quod convenit divinis: « Persona est rationalis naturae incommunicabilis existentia ».

4. Ad illud quod obicitur secundum Damascenum: dicendum quod non intendit Damascenus dicere quod divina essentia sit universale et persona [x] particulare, sed similitudine locutionis de divina essentia loquitur [y] ut de communi quod praedicatur de pluribus, et ita per modum universalis; de persona vero ut de singulari quod dicitur de uno solo, et ita per modum individui. Divina ergo essentia dicitur species a [z] Damasceno secundum rationem dicendi

---

[a] B add. *de.* [b] BRG om. [c] BRGL *quoniam.* [d] V *varietates.* [e] V om. [f] B *cum*, V om. *cunctis.* [g] PVS *quando*, G *quare* [h] L *que.* [i] BRGL *quia*, BG *si* pro *sicut.* [k] P add. *et*, R *accidentibus* pro *individuis.* [l] BRG add. *in*, B *profitetur* pro *plurificetur* [m] G *singulare*, B om. *Sanctum.* [n] B add. *dicendum.* [o] V *quod.* [p] L *autem.* [q] S om. [r] BRG om. [s] V *in.* [t] PVSL om. [u] V om. *q. l* [v] R *secundum quod.* [x] V om. [y] BRGL *loquimur.* [z] P add. *Ioanne.*

[1] Aristot., *De caelo*, c. 9 (II, 381).
[2] Cap. 2 (PL 64, 1250).
[3] Cap. 1 (PL 64, 1249).
[4] Cf. *De Trinit.*, c. 1 (PL 64, 1249), ad sensum.
[5] Cf. *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 827).
[6] Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 1 (PL 64, 1249).
[7] Lib. IV, cap. 22 (PL 196, 945). Cf. supra, num. 312.

quia praedicatur de pluribus, non secundum rationem rei, quia etsi praedicetur de pluribus, non praedicatur de pluribus differentibus numero proprie loquendo. — Unde [a] illud quod dicitur secundo ' numero, non natura differunt hypostases ', intelligendum quod ' differre numero ' dicitur duobus modis. Uno modo quantum ad discretionem, quae est quantum ad substantiam seu substantiae significationem, quando scilicet aliqua ita differunt ut hoc non sit illud, et hoc modo Sortes et Plato differunt numero [b]; hoc modo personae divinae non differunt [c] numero; unde Boethius, *De Trinitate* [1]: « Verissime est unum, in quo nullus numerus ». Alio modo ' differre numero ' dicitur differre numeratione, ut cum de aliquibus [d] rebus loquentes dicimus ' una, duae, tres '; et hoc modo personae divinae differunt numero. Ad hanc enim [e] differentiam sufficit differentia proprietatum secundum ordinem naturae sive originis, sicut supra dictum est [f], Quaestione de numero [g] personarum [2].

5. Ad aliud Damasceni notandum est quod non intendit absolute attribuere speciem essentiae et individuum personae, sed hoc dicebat contra haereticos qui dicebant unam personam non posse incarnari nisi omnes incarnarentur. Unde contra eos utitur tali argumento: sicut in naturis est accipere commune et particulare, ita quodammodo in divinis est commune, scilicet essentia, et particulare, persona scilicet; sed in naturis, patiente una [h] persona, non patitur alia; ergo a simili in divinis una persona incarnari potest sine alia. Unde addit ibi haec verba [3]: « Substantia [i] non secundum se ipsam subsistit, sed in hypostasibus exemplatur; patiente [k] enim una hypostasi, substantia passibilis est [l] secundum quam est haec hypostasis », id est persona, « non tamen necesse est omnes homoideon », id est similium [m] specie, « hypostases compati. Ita igitur confitemur deitatis naturam » in Filio incarnari, non tamen in aliis personis.

6. Ad illud vero quod ultimo dicitur secundum Damascenum, quod « ' Deus ' [n] commune naturae significat, ' Pater ' hypostasim »: intelligendum est [o] quod aliter dicitur communis natura divina personis divinis, aliter communis natura humanitatis singularibus hominibus. Primo enim modo dicitur communis natura, quia in pluribus una et eadem, non multiplicata; secundo modo, quia convenit pluribus una, sed [p] non eadem, sed [q] multiplicata. Ex quo [r] patet quod communitati primo modo dictae communis naturae nullo modo respondet particulare: particulare enim eo dicitur quod partem capiat communis naturae, quae est universalis; universale enim dicit commune partibile, et ideo universali respondet particulare. Patet igitur quod nullo modo est intentio universalis et particularis in divinis.
Nota tamen quod intentio eius quod dicitur ' individuum ' dicitur duobus modis. Uno modo individuum dicitur discretum secundum substantiam separatione ultima, sicut atomus: et hoc modo intentio individui nullo modo est in divinis personis; alio modo individuum dicitur discretum [s] aggregatione proprietatum, quas non est in alio reperire: et hoc modo sumeretur [t] individuum in divinis, si in aliqua auctoritate inveniretur quod persona divina est [u] individuum, quia est substantia habens proprietatem quam non est in alio reperire.

7. Ad ultimum vero [v] quod dicit Hilarius, dicendum quod Hilarius non accipit genus secundum quod definitur a philosophis: ' quod praedicatur de pluribus differentibus specie ', sed appellat ' genus ' quod habet ambitum [x] praedicationis secundum substantiam.

CAPUT II. 338

UTRUM IN DIVINIS SIT ACCIPERE INTENTIONEM PRAEDICAMENTI ET PRAEDICABILIS.

Consequenter quaeritur utrum in divinis sit ponere rationem praedicamenti et praedicabilis.

Et videtur quod non sit ibi praedicamentum vel praedicabile: 1. Dicit enim Boethius, in libro *De Trinitate* [4]: « Deus nullius est subiectum »; sed ubi non est subiectum, nec praedicabile: quod enim simplex est, subiectum esse non potest.

2. Item, praedicamentum est coordinatio praedicabilium, quorum unum est sub alio; sed in divinis non est ponere hanc ordinationem [y]; ergo nec est ibi ponere praedicamentum.

3. Item [z], Dionysius [5]: « Omnes affirmationes de Deo sunt incompactae »; ubi enim omnino est simplex, non est compositio, ubi non est compositio, non est compositio praedicamenti cum

[a] BRGL add. *ad*. [b] V om., B om. *ut hoc non... differunt*. [c] S add. *in*. [d] BG add. *de*, quod R exp. [e] PVS om. [f] P add. interl. *in*. [g] V *divinarum* pro *d. n.* [h] S om. *p. u.* [i] PV add. *vero*, quod S exp. [k] Codd. *presente*. [l] BG om. [m] P *filium*, quod S corr. [n] L add. *est*. [o] PVS om. [p] PV *et*, S om. [q] G *se*, quod BR corr. [r] L *hoc*. [s] G *discretiva*. [t] PVS *sumitur*. [u] S *esset*. [v] B om. [x] PVS *habitum*. [y] L *hunc ordinem* pro *h. o.* [z] L om.

1 Cap. 2 (PL 64, 1250).
2 Cf. supra, num. 315.
3 *De fide orthod.*, III, c. 6 (PG 94, 1003).
4 Cap. 4 (PL 64, 1253).
5 *De cael. hier.*, c. 2 (PG 3, 142, PL 122, 1041); cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 18 (PL 210, 630).

subiecto et ita nec praedicatio, ergo nec praedicamentum nec praedicabile [a].

Contra: *a.* Secundum Augustinum, in libro *De Trinitate* [1], et Boethium, *De Trinitate* [b] [2], in divinis quaedam praedicantur secundum substantiam, quaedam secundum relationem; ergo in divinis est [c] praedicabile et praedicamentum.

Respondeo: Praedicamentum dicitur dupliciter: communiter et proprie. Proprie coordinatio praedicabilium [d], quorum unum est sub alio [3]; sed hoc modo non est praedicamentum in divinis, quia non est ibi [e] inferius et superius nec universale et particulare [4]. Communiter vero dicitur praedicamentum quidquid potest dici per modum praedicamenti; sic [f] potest dici praedicamentum in divinis: quaedam enim [g] ibi dicuntur per modum substantiae, quaedam per modum relationis. Sciendum est etiam quod in ipsa Trinitate est reperire similitudinem quamdam ad praedicamentum. In omni enim praedicamento est unum quod est de alio et nihil de [h] ipso, ut generalissimum; et aliud, de quo aliud et ipsum de nullo; et tertium, quod est de alio et aliud de ipso. Similiter in [i] Trinitate est quaedam persona de qua [k] alia et ipsa de nulla, et haec est persona Patris; est etiam quaedam [l] persona, quae de alia et nulla de ipsa, ut persona Spiritus Sancti; et est tertia, quae est [m] de alia et alia de ipsa, ut persona Filii: est enim Filius de Patre et de Filio Spiritus Sanctus, et ita videtur qualis ordo naturae [n] sit in personarum Trinitate [5]. Sed in coordinatione praedicamenti est consimilis ordo, sed cum prioritate et posterioritate; licet tamen in Trinitate sit ordo, non tamen est ibi prius et posterius. Unde Augustinus [6]: Cum dicitur 'Filius a Patre', «dicitur ordo naturae» et non quod unus prius [o] alio.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod subiectum dicitur dupliciter: secundum rem, cui aliquid inest cui [p] subicitur, sic non potest Deus esse subiectum: in eo enim idem est 'quod est' et 'quo est' [7]; sed secundum [q] quod subiectum dicitur quod est per modum subiecti, sicut illud de quo fit sermo, sic [r] Deus potest esse subiectum, non secundum rem, sed secundum modum dicendi. Cum enim dicitur 'Deus est bonus', non dicitur quod bonitas insit illi nec ponitur ibi aliqua compositio nec est [s] ista praedicatio vel consimiles de inesse, sed de esse. Unde, sicut dicitur in libro *De regulis fidei* [8]: «Alio est et alio dicitur esse»; nam significatur per modum subiecti, etsi non sit subiectum secundum rem.

2. Ad aliud patet solutio ex praedictis.

3. Ad aliud dicendum quod «omnes affirmationes de Deo [t] sunt incompactae», id est incompositae, quia cum dicitur 'Deus est bonus', non dicitur quod bonitas sit in eo: nam non est in Deo compositio qua bonitas insit ei et aliud sit ipse, aliud bonitas quae inest ei. Unde nota regulam Boethii [9]: «Nullum simplex subiectum esse potest»; quae sic exponitur in libro [u] *De regulis fidei* [10]: «Cum in simplici nulla sit diversitas, nulla pluralitas, in eo nec accidentale nec substantiale est: quare nulli proprietatum subiectum est; eadem ratione nec de simplici aliquid praedicatur, cum praedicari nihil aliud sit quam inhaerere. In propositione enim theologica non ostenditur quid cui insit, sed quid [v] sit: cum enim dicitur 'Deus est bonus', non ostenditur quid [x] cuius sit per insistentiam, sed potius quid Deus sit per essentiam. Unde nulla propositio theologica de inesse est vel de contingenti, sed [y] de puro esse vel de necessario; sive enim dicam [z] 'Deus est' sive 'Deus est iustus', de puro esse propositio est. Unde Boethius, insinuare volens quod simplex subiectum esse non potest, ait: "Subiectum enim esse non potest"».

CAPUT III.

AN IN DEO SIT ACCIPERE INTENTIONES PRAEDICAMENTORUM SUBSTANTIAE ET RELATIONIS.

Tertio quaeritur an in Deo sit accipere intentiones praedicamentorum substantiae et relationis. Et quaeritur in hunc modum:

Primo, an intentionem substantiae sit accipere in divinis;

secundo, an omnia accipiantur in divinis secundum intentionem substantiae;

tertio, supposito quod non, an in divinis sit accipere, praeter intentionem substantiae, intentionem relationis.

---

[a] RG om. *n. p.*, in B est add. mg. [b] VR om. *e. B. d. T.* [c] P add. *etiam.* [d] BRG *predicabilis*, V *ordinatio* pro *coordinatio.* [e] V om. [f] L *sicut.* [g] G om. [h] L add. *se.* [i] BRGL add. *ipsa.* [k] V *que* pro *d. q.* [l] G *alia*, V om. *quae.* [m] R om. [n] R add. *notatur*; S *quare* pro *qualis.* [o] S add. *sit*, G add. *alius.* [p] S om. [q] G *subiectum.* [r] L *sicut.* [s] S om. [t] BRGL om. *d. D.* [u] G om. *l. l.* [v] V add. *cui.* [x] R om. *cui insit... quid.* [y] BG *si*; G *est* pro *esse.* [z] L *dicatur.*

1 Lib. V, cc. 5 et 8 (PL 42, 913sq. et 916sq.).

2 Capp. 4 et 5 (PL 64, 1252sqq.); cf. Alan., loc. cit., reg. 22 (PL 210, 631).

3 Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 3 (II, 539); *De categ.*, c. 2 (I, 1).

4 Cf. supra, num. 337. 5 Cf. supra, num. 321-324.

6 *Contra Maximin.*, II, c. 14, n. 8 (PL 42, 775).

7 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250); Alan., *Theol. reg.*, regg. 8-11 (PL 210, 627sqq.).

8 Reg. 19 (PL 210, 630).

9 *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).

10 Reg. 12 (PL 210, 629).

ARTICULUS I. 339

An intentionem substantiae sit accipere in divinis [1].

Ad primum: 1. Augustinus, V *De Trinitate* [2]: « Quidquid Deus ad se ipsum dicitur, secundum substantiam dicitur ». Ergo in divinis accipitur modus dicendi secundum praedicamentum substantiae.

2. Item, in eodem, Augustinus [3]: « Est[a] sine dubitatione substantia, vel, si melius appellatur, essentia, quam Graeci usiam vocant ».

3. Item, ratio substantiae est ens per se[b] [4]; sed Deo maxime convenit ens per se; ergo maxime ei[c] convenit nomen substantiae.

Contra: *a.* Augustinus, VII libro *De Trinitate* [5]: « Nefas est dicere ut subsistat Deus et subsit bonitati suae atque illa bonitas non substantia sit, sed in illo sit tamquam in subiecto. Unde manifestum est Deum abusive substantiam dici[d] ».

b. Item, idem, in eodem: « Res mutabiles neque simplices proprie dicuntur substantiae; Deus autem si subsistit, ut substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid tamquam in subiecto et non est simplex »: quod est falsum[e]. Relinquitur igitur quod non dicitur in eo substantia proprie.

c. Item, Boethius, in libro *De Trinitate* [6]: « Deus non est substantia, sed supra omnem substantiam est ponendus ».

Respondeo: Substantia dicitur dupliciter: vel a proprietate substandi formae vel accidenti [7]: sic non potest Deus dici substantia, quia nec est in eo accidens cui subsistat, vel forma quae differat[f] a substantia; vel a per se existendo, ut dicatur[g] substantia ens per se[h] non indigens alio ut sit: sic dicitur de Deo.

Ad obiecta ergo respondendum[i], secundum Dionysium, *De mystica theologia* [8]; dicit enim: « In ipsa oportet omnium existentium affirmare positiones velut omnium causas, et omnes eas potentius negare, tamquam super omnia existente, et non existimare depulsiones oppositas esse intentionibus ». Ex quo derelinquitur quod convenienter dicitur 'Deus est substantia' et 'Deus non est substantia'. Nam si[k] ipsa accipiatur ab eo quod est 'sub'[l], quod a materia est, non dicetur substantia; si vero ratione eius quod est 'esse per se et causaliter', dicetur substantia. Et ita non erit negatio opposita affirmationi.

ARTICULUS II. 340

An omnia accipiantur in divinis secundum intentionem substantiae.

Consequenter quaeritur utrum quidquid dicitur in divinis, dicatur secundum intentionem substantiae.

Ad quod 1. ponit obiectionem Arianorum Augustinus, V *De Trinitate* [9]: « Quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Quapropter 'ingenitum esse' Patri[m] secundum substantiam est, et 'genitum esse' Filio[n] secundum substantiam est[o]; diversa est ergo substantia Patris et Filii ». Contra quos ex eadem propositione obicit Augustinus: « Si quidquid de Deo dicitur, secundum substantiam dicitur, ergo quod dictum est [10]: *Ego et Pater unum sumus*, secundum substantiam dictum est; una igitur est substantia Patris et Filii ». — Sed tamen obicitur: omne quod dicitur de aliquo, aut dicitur secundum substantiam aut secundum accidens [11]; si ergo de[p] Deo nihil dicitur secundum accidens, ergo quidquid de Deo[q] dicitur, dicitur secundum substantiam.

2. Item, immediata est oppositio: omne quod est aut est ens per se aut non ens per se, sed ens in alio; sed omne non ens per se, sed in alio, est accidens, omne ens per se, non in alio, est substantia; immediata igitur est oppositio entis quod est substantia et entis quod est

---

[a] P *et.* [b] L om. *Item... se.* [c] BRGL om. [d] RGL om., in B est add. interl. [e] BRGL *falsissimum.* [f] G *distat.* [g] RG *unde dicitur* pro *u. d.*, quod B corr. [h] RG *etc.* pro *per se*, quod B corr.; L *vel* pro *non.* [i] V add. *est*, G *dicendum.* [k] PVS om. [l] V om., in L est add. interl.; P *substantia.* [m] V *Filio.* [n] V *Patri*, S om. *Patri... esse.* [o] V om. [p] BRGL *in.* [q] G om. *d. D.*

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 26, c. 3 (p. 165); S. Bonav., I *Sent.*, d. 22, a. un., q. 4 et d. 23, a. 1, q. 2 (I, 397, 406 sqq.); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 3 (f. 8c sqq.).
[2] Cap. 6 (PL 42, 915).
[3] Cap. 2 (PL 42, 912).
[4] Cf. Avicenna, *Metaph.*, tr. 2, c. 1 (f. 74d sq.); S. Bonav., loc. cit. (I, 407, nota 1).
[5] Cap. 5 (PL 42, 942), ubi et sequens.
[6] Cap. 3 (PL 64, 1252).
[7] Cf. Boeth., loc. cit., c. 2 (PL 64, 1250).
[8] Cap. 1, § 2 (PG 3, 1000, PL 122, 1173).
[9] Cap. 3 (PL 42, 913), ubi et sequens.
[10] Ioan. 10, 30.
[11] Cf. Aristot., *De categ.*, c. 3 (I, 2 sqq.); *Phys.*, I, c. 3; *Metaph.*, IV, c. 7 (251, 521).

accidens. Si ergo in Deo nihil est vel intelligitur quod sit ens secundum accidens, ergo quidquid est vel intelligitur vel dicitur de [a] Deo, dicitur ut ens substantia.

3. Item, Boethius, in libro *De Trinitate* [1], dicit quod praedicamenta, quae sunt secundum accidens, « cum quis in divinam praedicationem verterit, cuncta mutantur quae praedicari possunt ». Quaeritur ergo: aut praedicamentum relationis cum assumitur ad divinam praedicationem, ut cum [b] dicitur 'Deus est Pater' aut 'Deus est generans', aut manet in ratione propria aut mutatur. Si manet: sed [c] in ratione propria est accidens; ergo de Deo diceretur aliquid secundum accidens: quod est falsum. Si mutatur: ergo sicut alia mutantur in praedicamentum substantiae, ut cum dicitur 'Deus magnus', praedicatur magnitudo secundum substantiam, cum dicitur [d] 'Deus bonus', bonitas secundum substantiam [e]; ergo 'ad aliquid', dictum [f] de Deo, mutabitur in substantiam.

Contra: *a.* Damascenus [2]: « Pater et Filius non sunt nomina significantia substantiam, sed habitudines [g] ad invicem et significant existentiae modum ». Relinquitur igitur, cum Pater et Filius dicantur in Trinitate et non significent substantiam, quod non quidquid dicitur in Trinitate, dicitur secundum substantiam.

b. Item, Augustinus, V *De Trinitate* [3]: « Illud praecipue teneamus: quidquid ad se dicitur praestantissima illa et divina sublimitas, substantialiter dici; quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relative ». Relative autem dicitur Pater et relative dicitur Filius et Spiritus Sanctus [h]; ergo etc. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [i] ergo obiectum dicendum, secundum Augustinum, V *De Trinitate* [4]: « Nihil in Deo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur — in rebus enim creatis et mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur — quia nihil in eo mutabile est [k] nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim 'ad aliquid' [l], sicut Pater ad Filium et Filius ad Patrem: quod non est accidens, quia ille semper est Pater et ille semper est Filius ». Per hoc patet responsio ad primum.

Sed [m] si obiciatur [5] contra hanc solutionem quia in creaturis [n] sunt accidentia inseparabilia [6] et semper sunt in subiectis, manentibus subiectis, sicut nigredo in corvo et vita in anima, et ita sunt inamissibilia; ergo quamvis Pater in divinitate semper sit Pater et Filius semper [o] Filius, et non dicantur secundum substantiam, videntur dici secundum accidens – ad quod respondet Augustinus, V *De Trinitate*, quod in accidentibus intelligitur semper mutabilitas aut per destructionem formae, sicut in separabilibus accidentibus, aut per mutationem subiecti, ut in [p] inseparabilibus corporalibus, sicut in nigredine corvi, aut per diminutionem vel augmentum, sicut in vita animae: anima enim « magis vivit cum sapit, minus cum desipit »; et ideo neque secundum accidens dicitur quod dicitur 'Pater' et quod dicitur 'Filius', quia aeternum et incommutabile est.

2. Ad secundum dicendum quod in creaturis [7] haec divisio est sufficiens 'omne quod est aut [q] est ens per se, non in alio, aut est [r] ens non per se, sed in alio', hoc est omne quod est aut est substantia aut accidens. Non sic autem est in divinis, quia ut dicit Boethius, *De Trinitate* [8]: « Nihil est subiectum in Trinitate »; et ideo cum accidens dicat esse in subiecto, nihil est vel dicitur in [s] Deo secundum accidens. Intelligitur ergo haec divisio 'ens aut est ab alio aut non ab alio': si non ab alio, sic est ens [t] divinum; si ab alio, sic est [u] ens creatum, quod subdividitur in ens in alio et [v] ens non in alio. Non habet igitur locum dicta distinctio in divinis.

3. Ad ultimum dicendum quod quemadmodum substantia, secundum quod dicitur unum de decem generibus, non continet divinam essentiam — quoniam huiusmodi substantia [x] dicitur subiectum et habet intentionem compositionis — sed substantia, si abstrahatur ab [y] intentione subiecti et compositionis, dicitur de divina essentia, sicut dictum est [9]: similiter dicendum quod relatio, secundum quod dicitur unum de decem generibus, non continet relationes divinas, sed secundum quod abstrahit a ratione accidentis, sic dicitur in divinis; mutatur igitur secundum intentionem qua accipitur in genere accidentis, manet tamen secundum intentionem veritatis respectus vel habitudinis, sicut iam plenius [z] patebit [10].

---

[a] RGL *in*, quod B corr. [b] G om. [c] S om. [d] RGL om. *c. d.*, in B est add. interl. [e] V add. *secunda*. [f] BG add. *est*, quod R exp. [g] BRGL *habitudinis*. [h] BRG om. [i] BG *primum*, V om. *ergo*. [k] BG om., V om. *nihil*. [l] V *aliud*. [m] PVL om., S om. *si*. [n] B add. *scilicet*. [o] V *semper sit* pro *e. F. s.* [p] VBG om. [q] V add. *quod*; B *insufficiens* pro *sufficiens*. [r] R om. [s] B *de*. [t] PVS om., P om. *si*. [u] PVS om. [v] BRG om. [x] PV add. *non*. [y] S *de*. [z] L *planius*.

1 Cap. 4 (PL 64, 1252), ubi etiam sequentia ad sensum.
2 *De fide orthod.*, I, c. 10 (PG 94, 838).
3 Cap. 8 (PL 42, 916 sq.).
4 Cap. 5 (PL 42, 913 sq.).
5 Cf. Augustin., loc. cit., c. 4, ubi et sequens ad sensum.
6 Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 1 (II, 538).
7 Cf. Augustin., loc. cit., c. 5 (PL 42, 914).
8 Cap. 4 (PL 64, 1253).
9 Cf. supra, num. 339.
10 Cf. artic. sequens.

ARTICULUS III. 341

Utrum in divinis sit accipere intentionem relationis.

Consequenter quaeritur utrum in divinis ponendum sit praedicamentum relationis.

Ad quod sic: 1. Boethius, *De Trinitate*[1]: «'Ad aliquid' omnino praedicari non potest»; sed nihil ponendum est[a] in divinis quod praedicari non potest[b]; ergo 'ad aliquid' in divinis ponendum non est pro praedicamento.

2. Item, genera praedicamentorum sunt impermixta, ita quod unum genus non est aliud nec unum praedicamentum est aliud; unde in Philosophia[2] nulla verior[c] est ista: 'nullum ad aliquid[d] est substantia'; sed in divinis nulla falsior: 'nullum ad aliquid est substantia', quoniam Pater est essentia divina. Relinquitur igitur quod in divinis[e] substantia et 'ad aliquid' sive relatio non faciunt differre praedicamenta.

3. Item, Boethius, in libro *De Trinitate*, dicit quod omnia praedicamenta, cum assumuntur «in divinam praedicationem, mutantur»; ergo aeque mutantur substantia et 'ad aliquid', sicut alia praedicamenta; ergo vel omnia praedicamenta erunt ponenda in Trinitate vel nulla; sed non omnia; ergo nulla; ergo nec praedicamentum substantiae nec relationis[f].

4. Item, 'ad aliquid' secundum suam intentionem dicit idem quod 'ad aliud quid'; ergo, cum nihil in Trinitate possit dici se habere ut aliud 'ad aliud quid', ergo in Trinitate non poterit vere poni 'ad aliquid'.

Contra: *a.* Sicut probatum est supra[3], in divino esse est unitas in pluribus. Constans est quod ex parte unitatis accipitur vere intentio substantiae, secundum quod supra dictum est[4]; ex parte pluralitatis non potest accipi intentio substantiae, sicut probatum est supra, De unitate divinae naturae[5], nec[g] pluralitas alicuius intentionis[h] quae non maneat cum summa simplicitate; nulla autem intentio alicuius generis nec qualitatis nec quantitatis et ceterorum est quae non addat aut minuat aut mutet respectu substantiae, praeter solam intentionem relationis, quae, sicut probat Boethius, in libro *De Trinitate*[6], non addit aut[i] minuit aut minuit substantiam; pluralitas ergo divina accipietur secundum intentionem relationis. Unde Boethius, in libro *De Trinitate*[7]: «Substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem».

b. Item[k], sicut supra probatum est[l] Quaestione de ordine divinarum personarum[8], in divino esse necessario ponitur natura et ordo naturae secundum rationem originis; sed dicit Augustinus, *Ad Maximinum*[9]: Cum dicitur 'Pater et Filius', non indicatur substantia, sed origo, sive genitus et ingenitus, id est non quid sit, sed unde quisque sit vel non sit: ita in Deo Patre et Deo Filio, si utriusque natura quaeratur, uterque Deus[m] nec magis alter altero Deus; si autem origo, Pater est Deus de quo Filius Deus[n], de quo autem Pater, nullus est Deus; et haec nomina propinquitatis sunt nomina, non naturae, et ideo 'ad aliquid' dicta vel relativa dicuntur. Relinquitur igitur quod vere est ponere in divinis intentionem 'ad aliquid' sive relationis.

[**Solutio**]: Quod concedendum est. Dicendum igitur quod in divinis accipitur praedicatio secundum relationem nec tamen relatio illa intelligitur ut accidens sicut in creatura: intentio enim relationis est accidens, quae consequitur substantiam compositam sicut est in creatura. Nam in principiis substantiae, quae sunt materia et forma, accipitur relatio quae non est accidentalis, sed connaturalis: sicut in esse materiae coaccipitur intentio potentiae, unde materia dicit possibile ad formam; in essentia formae coaccipitur intentio actus, secundum quem est perfectio potentiae materiae[o]. Relationes ergo potentiae et actus accipiuntur in principiis substantiae connaturaliter; multo ergo magis in infinitum relatio in divinis accipietur connaturalis, non accidentalis.

Unde nota quod 'ad aliquid'[p] prius est[q] intentione accidentis simpliciter, tamen in creaturis mutabilibus consequitur. — Quod sic manifestatur: tria haec accipit intellectus: esse et esse ad et adesse. 'Esse', quod accipit absolute et ut per se, accipit secundum intentionem substantiae; 'adesse' vero accipit secundum intentionem[r] accidentis: accidens enim est «quod adest et abest[10]»; sed 'esse ad' accipit secundum intentionem relationis sive 'ad aliquid', quoniam 'ad aliquid' dicitur secundum esse suum ad aliud

---

[a] V om. [b] S om. *sed nihil... potest.* [c] V *vicinior.* [d] V *aliud*, item subinde. [e] PS add. *nulla*, V add. *nulla est.* [f] Codd. arguenta 2 et 3 ordine inverso ponunt. [g] V *item.* [h] BG *dicte rationis.* [i] L *nec.* [k] RG *contra.* [l] PVS add. *in.* [m] G om. *et Deo Filio... Deus.* [n] add. *indicat.* [o] V *materie et potentie* pro *p. m.* [p] V *aliud* pro *a. a.* [q] VS add. *in.* [r] S om. *substantiae... intentionem.*

[1] Cap. 4 (PL 64, 1252), ubi et sequens.
[2] Cf. Aristot., *De categ.*, c. 5 (I, 9sqq.).
[3] Cf. supra, num. 76 et 337.
[4] Cf. supra, num. 76, 77 et 339.
[5] Cf. supra, num. 82 et 83. [6] Cap. 5 (PL 64, 1254sq.).
[7] Cap. 6 (PL 64, 1255).
[8] Cf. supra, num. 320, 321 et 327.
[9] Lib. II, c. 14, n. 8 et c. 18, n. 3 ac *De Trinit.*, V, cc. 6 et 7 (PL 42, 775, 786, 915sq.).
[10] Porphyr., *De accidenti* (PL 64, 132).

se habens. Cum ergo intentio eius quod est 'esse ad' sit[a] prior quam intentio eius quod est 'adesse', prior est simpliciter intentio 'ad aliquid' sive relationis quam intentio accidentis, quamvis in creaturis, propter esse quod est mutabile, 'esse ad' cadat in intentionem accidentis.

[Ad obiecta]: 1. Respondendum[b] igitur ad primum quod illud quod dicit Boethius quod «'ad aliquid' omnino non praedicatur», intelligitur quia non praedicatur universaliter — et hoc est quod dicit: «non praedicatur omnino» — sed[c] de uno solo, sicut 'Pater', 'Filius' de uno solo praedicantur, non sicut essentialia quae dicuntur secundum substantiam, ut 'Deus, bonus', et praedicantur universaliter de tribus personis.

2. Ad secundum dicendum quod[d] in Trinitate 'ad aliquid' est substantia propter summam simplicitatem, secundum quam verum est quod Deus est omnia sua; unde Pater est Deus et Pater est[e] divina essentia. Sed in creaturis, ubi est compositio et mutabilitas, nec secundum rem nec secundum rationem 'ad aliquid' et substantia idem esse possunt[1]; non tamen ex hoc sequitur quod in divinis non sit differens praedicamentum substantiae et 'ad aliquid'. Quod enim in divinis dicitur 'ad aliquid' esse substantia, istud habet veritatem propter indifferentiam simplicitatis in essendo; quod vero dicitur differens praedicamentum substantiae et 'ad aliquid', istud habet veritatem propter differentiam rationis in dicendo[f]; cui tamen differentiae subest veritas, quia est ibi veritas substantiae, veritas relationis et[g] aliquid dicitur de uno quod non de altero: unitas enim de substantia, pluralitas vero de relatione vere[h] intelligitur.

3. Ad illud vero quod dicit Boethius quod «omnia praedicamenta mutantur»: dicendum quod omnia mutantur, sed tamen dissimiliter. Alia enim praedicamenta a substantia et relatione mutantur dupliciter: secundum rationem sui generis et secundum rationem qua sunt in creatura, sicut patet in singulis. Substantia vero et 'ad aliquid'[i] mutantur uno modo: mutantur enim a ratione qua sunt in creatura, sed manent secundum intentionem primam sui generis. Nam substantia ut est in creatura, subsistens scilicet accidentibus, non est in divinis; tamen in divinis est substantia ut ens[k] per se. Item, in creatura 'ad aliquid' est accidens, quo modo non est in divinis; sed tamen in divinis est 'ad aliquid', hoc est 'ad aliud' se habens vel potius 'ad alium' se[l] habens.

4. Ad ultimum dicendum quod intentio eius quod est 'ad aliquid' comprehendit 'esse ad' in respectu[m] ad aliud quid vel in respectu ad[n] alium quem. Secundum quod 'ad aliquid' dicitur in respectu ad aliud quid, per quod ponitur differentia substantiae, est in creatura; 'ad aliquid' vero, secundum quod dicitur in respectu ad alium quem, per quod ponitur differentia personae, non substantiae, ponitur in divinis, sicut probatum est supra, Quaestione de veritate divinarum personarum[2].

CAPUT IV.

QUALITER CIRCA DIVINA SIT ACCIPERE INTENTIONES ALIORUM PRAEDICAMENTORUM.

Consequenter quaeritur qualiter circa divina sit accipere intentiones aliorum praedicamentorum, ut quantitatis[o], qualitatis etc.

Circa quod quaeruntur tria:

Primo, utrum alia praedicamenta a substantia et relatione sint accipienda in divinis;

secundo, utrum omnia aliquo modo;

tertio, utrum aliqua proprie, aliqua improprie.

342 ARTICULUS I.

Utrum alia praedicamenta a substantia et relatione sint accipienda in divinis.

Ad primum sic: 1. Cum praedicamenta ordinata sint, ut primo sit substantia, secundo quantitas, tertio qualitas, quarto 'ad aliquid'[3]: ergo propinquius ordinatur ad substantiam qualitas et quantitas quam 'ad aliquid'. Cum ergo potius[p] sit ponendum in divinis praedicamentum quod est propinquius substantiae quam quod est remotius, ergo potius debent poni in divinis quantitas et qualitas quam 'ad aliquid'; si ergo ponitur 'ad aliquid' in divinis, multo magis ponetur quantitas et qualitas.

2. Item, dicit Augustinus[4] quod in relatione personarum numerus cernitur; sed numerus est

---

[a] PVS *assit* pro *a. s.* [b] B add. *est.* [c] PVS om. [d] PSL *quoniam.* [e] PVS om. [f] G *ducendo.* [g] BRG add. *ad.* [h] PVS om. [i] V *non ad aliud* pro *e. a. a.* [k] L *stans.* [l] B *semper.* [m] G *etiam respectum* pro *i. r.*, V *aut* pro *ad.* [n] L *in.* [o] B *quantitas scilicet.* [p] PVS *prius*

1 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 4 (PL 64, 1252).
2 Cf. supra, num. 312.
3 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 1 (I, 2).
4 Cf. *De Trinit.*, VIII, c. 6, (PL 42, 943).

species quantitatis [1]; ergo et in divinis ponitur quantitas.

3. Item, Boethius, in libro *De Trinitate* [2]: « Quod dicitur 'Deus est magnus', refertur ad quantitatem; quod dicitur 'Deus est iustus', refertur ad qualitatem ». Ergo vere sunt in divinis haec praedicamenta.

4. Item, ubi est ponere speciem, ibi est ponere genus [3]; sed in divinis ponimus iustitiam, scientiam, quae sunt species qualitatis; ergo et qualitatem.

5. Item, si 'bonus, iustus, magnus', dicta de Deo, vertuntur in substantiam [4], quare similiter non possunt verti eorum genera? — Item, cum multae sint species qualitatis, sicut passibiles qualitates, color, sapor, et impotentiae naturales [5], quae, constat, non dicuntur de Deo, quae erit ratio quare nomina quarumdam specierum quantitatis et qualitatis vertuntur in divinam praedicationem, ut iustus et bonus, et non alia?

6. Item, cum decem sint genera: substantia, quantitas, qualitas, relatio etc., quomodo accipientur in divinis?

Contra: *a.* Augustinus, V *De Trinitate* [6]: « Intelligamus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ praesidentem, sine loco ubique totum, sine ulla sui commutatione mutabilia facientem nihilque patientem, sine habitu omnia continentem ». Ex quo relinquitur [a] huiusmodi praedicamenta non esse ponenda in divinis.

Respondeo [b] [7] quod cetera praedicamenta secundum sua genera raro attribuuntur divinis, secundum vero suas species sub distinctione, quae iam dicetur, attribuuntur Deo [c] secundum illum modum, quo dicit Boethius [8] quod « talia erunt praedicata [d] qualia permiserint subiecta ». Unde « cum de creaturis praedicamenta dicuntur, quaedam eorum significant substantiam, quaedam accidentia [9] ». « Cum vero quis haec [e] in divinam praedicationem verterit, cuncta mutantur. Nam cum dicimus 'Deus', substantiam quidem significare videmur, sed eam quae sit ultra substantiam; cum vero 'iustus', qualitatem quidem, sed non accidentem, sed eam quae sit substantia; item, cum 'magnus' [f], quantitatem significare videmur, sed eam quae sit ipsa [g] substantia [10] ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [h] ergo obiectum dicendum quod relatio, sicut dictum est [i] [11], dupliciter accipitur. Uno modo secundum quod consequitur esse compositum et mutabile [k], et hoc modo consequitur ordine rationis esse substantiae, qualitatis et quantitatis, quia consequentem ad substantiam [l] est accipere relationem, quae est identitas; secundum quantitatem, relationem quae est aequalitas; secundum qualitatem, relationem quae est similitudo. Praeterea, quantitas consequitur substantiam [m] ratione materiae, qualitas ratione formae, relatio, quae est accidens, ratione compositi. Alio modo accipitur relatio secundum quod intentio relationis antecedit esse accidentis [n] sicut 'esse ad' 'adesse' [o], et hoc modo connaturalis est ipsi substantiae, non [p] accidentalis, et propinquius adhaeret ipsi substantiae quam qualitas vel quantitas, sicut supra [12] declaratum est in principiis substantiae quae sunt [q] materia et forma.

2. Ad secundum dicendum quod numerus, qui est in divinis, transcendit genus quantitatis, sicut declaratum est supra, Quaestione [r] de numero personarum [13]; numerus enim, qui est quantitas, est aggregatio unitatum substantialiter differentium: quod nullo modo est in divinis; est tamen ibi numerus vere personarum, sicut supra dictum est [14].

3. Ad tertium quod dicit Boethius « quod [s] 'Deus est magnus' refertur ad quantitatem, quod 'iustus', ad qualitatem », intelligitur quantum ad modum dicendi, quia dicitur per modum qualitatis et per modum quantitatis etc., non quantum ad existentiam rei, ut praedicetur forma qualitatis et quantitatis.

4. Ad quartum dicendum quod non sequitur quod ubi sit ponere nominationem speciei [t], sit ponere nominationem generis; et ratio est, quia genera generalissima, sicut quantitas et qualitas, dicuntur [u] in dependentia ad substantiam, sed ipsae [v] species non dicuntur in huiusmodi dependentia [x]. Praeterea, nomina generum accidentium dicunt respectum in concretione [15] ad substantiam et in oppositione, et ideo non convenienter possunt converti in praedicationem substantiae; hinc ergo est quod nomina specierum convertuntur in divinam praedicationem, non nomina generum.

---

[a] G add. *quod*, R *omnia* pro *huiusmodi*. [b] V *respondit*.. [c] BRG om. [d] BG *predicamenta*. [e] S om. [f] R add. interl. *sic*. [g] G om. BRG *primum*. [i] S om. [k] L *commutabile*. [l] S *subiectum*. [m] S *subiectum*. [n] S *accidens*. [o] B om. [p] PVS *que*. [q] BRGL om. *q. s.* S om. [r] PV add. *dicitur*. [s] R add. mg. *quod*. [t] G *dicunt*. [u] B om. [x] BRG add. *ad substantiam*.

1 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 4 (I, 6).
2 Cap. 4 (PL 64, 1253).
3 Cf. Aristot., *Topic.*, II, c. 2 (I, 187); *Metaph.*, VI, c. 15 (II, 555).
4 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 4 (PL 64, 1252).
5 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 6 (I, 13); *Metaph.*, IV, c. 14 (II, 526).
6 Cap. 1, n. 2 (PL 42, 912).
7 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 3 (f. 8d).
8 *De Trinit.*, c. 4 (PL 64, 1252), ubi et sequens.
9 Guil. Altissiod., loc. cit., ubi etiam iidem loci ex Boethio afferuntur.
10 Boeth., loc. cit.
11 Cf. supra, p. 505b, *Solutio*.
12 Cf. p. 505b, *Solutio*.
13 Cf. supra, num. 313.
14 Cf. supra, num. 81 et 313.
15 Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 30 (PL 210, 635 sq.).

5. Ad quintum dicendum quod omne accidens dicit defectum a substantia, unde defectionem entis; nomina ergo quaedam specierum addunt defectum supra defectum generis, quaedam vero addunt ultra genus complementum et perfectionem potius [a] quam defectum. Prima nomina non convenit assumere in divinam praedicationem, sicut passibiles qualitates, color et sapor, ratione defectus quem addunt; alia vero, ratione complementi quod addunt supra intentionem generis, possunt, qualia sunt bonus, iustus, sapiens et huiusmodi [b].

6. Ad aliud vero iam patebit [c] solutio [1].

343 ARTICULUS II.

Utrum alia omnia praedicamenta sit accipere in divinis.

Consequenter quaeritur utrum omnia alia praedicamenta secundum aliquam differentiam a substantia et relatione sit accipere in divinam praedicationem.

Quod videtur: *a.* Quia in Scripturis [d] nomina accipiuntur secundum omnia genera [2], quia secundum quantitatem dicitur magnus, secundum qualitatem iustus, secundum agere dicitur creare, secundum pati, irasci, secundum quando dicitur semper esse, secundum ubi dicitur ubique, secundum situm dicitur *sedere super Cherubim* [3], secundum habitum dicitur *amictus lumine* [4], secundum [e] relationem dicitur *Dominus universorum* [5].

Contra: 1. Boethius, in libro *De Trinitate* [6]: «'Deus' secundum substantiam dicitur, 'iustus' secundum qualitatem, 'magnus' secundum quantitatem; reliqua vero» septem generum, quae sunt accidentia, «neque de Deo neque de ceteris praedicantur». Ex quo videtur quod solum tria genera, hoc est nomina trium generum tantum, de Deo praedicentur.

2. Item, Boethius, in libro *De Trinitate* [7]: «Situm et passionem requiri in Deo non oportet». Ergo videtur quod in Deo non debeat requiri praedicatio secundum situm et secundum [f] passionem. Sed quaeritur quare potius excludit ista duo quam alia?

3. Item, fuerunt qui dixerunt [8] quod «cum duplex sit passio, corporalis et animalis, corporalis passio de Deo non dicitur, sed animalis, ut *iratus est* [g] *furore Dominus* [9]». — Sed contra: Ad Hebr. 6,6: *Rursum crucifigentes sibimet Filium Dei,* et Malach. 3,9: *Vos configitis* [h] *me gens tota;* et constat [i] quod ista verba sunt significantia corporales passiones.

Respondeo: Dicendum quod omnium praedicamentorum nomina dicuntur de Deo, sed tamen differenter, sicut et de aliis. Nam nomina trium praedicamentorum, ut substantiae, qualitatis, quantitatis, cum praedicantur, «quasi rem monstrant [10]», reliqua vero septem «quasi circumstantias rei». Tria enim prima rem «esse aliquid ostendunt», ut cum dicitur res esse substantia vel res esse magna vel [k] bona; reliqua vero «non esse, sed potius extrinsecus aliquid quodammodo affigunt», ut cum res dicitur alicubi vel aliquando vel agere vel pati et sic de ceteris. Cum enim dicitur 'homo iustus vel magnus', sicut dicit Boethius [11], homo est id quod praedicatur; sed cum dicitur 'homo est in foro vel hodie', non dicitur [l] quod homo sit hoc, sed quod homo mensuratur iis vel continetur. Simili modo, cum dicitur [12] 'Deus est iustus vel magnus', Deus dicitur idem esse quod iustum et magnum; sed cum dicitur 'Deus est ubique' vel 'Deus est semper', significatur aliqua habitudo rerum a Deo, quae continentur aut mensurantur loco vel tempore.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo [m] quod obicit, hoc modo dicendum, secundum Boethium [13], quod eorum quae praedicantur quaedam praedicantur ex eo quod sunt id [n] ipsum de quo praedicantur, ut ea quae dicuntur secundum substantiam, quantitatem, qualitatem; alia [o] vero ex eo quod se habent in aliqua habitudine ad illud de quo praedicantur, ut relatio et quando et ubi et agere et pati, situs et habitus. Secundum primum modum dicit Boethius quod «reliqua non praedicantur nec de Deo nec de ceteris»; sed si praedicari accipiatur communiter ad [p] praedicari secundum inhaerentiam et ad praedicari per [q] assistentiam, omnia

---

[a] P *post.* [b] G *etc.* pro *e. h.* [c] L *patet.* [d] P add. *in.* [e] BRGL add. *vero.* [f] BL om. [g] PVS om. [h] PS *crucifigitis,* V *crucifigetis.* [i] BRGL *constans est.* [k] B om. [l] BRGL *dico.* [m] G om. [n] V *ad.* [o] P *alio.* [p] G *a.* [q] L *secundum.*

1 In articulo sequenti.
2 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 3, q. 3 (f. 8d).
3 Psalm. 79, 2 et 98, 1; Dan. 3, 55.
4 Psalm. 103, 2.
5 II Mach. 14, 35.
6 Cap. 4 (PL 64, 1252).
7 Loc. cit. (PL 64, 1253).
8 Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 8d et 9a), ubi et sequentes textus S. Scripturae afferuntur.
9 Psalm. 105, 40.
10 Boeth., *De Trinit.,* c. 4 (PL 64, 1253), ubi et sequentia.
11 Cf. loc. cit.
12 Cf. Boeth., loc. cit. (PL 64, 1252).
13 Loc. cit. (PL 64, 1252 sq.), ubi et sequens.

praedicantur. Cum vero[a] assumuntur in divinam praedicationem, nomina horum generum mutantur sicut et alia. Unde cum dicitur secundum praedicamentum relationis 'Deus, Dominus', designatur habitudo relationum quae est dominii[b] respectu servitutis vel[c] subiectionis creaturae. Cum dicitur[d] 'Deus creat', secundum praedicamentum actionis designatio est habitudinis causae ad effectum; cum dicitur Deus iratus, secundum praedicamentum passionis designatur ex consequenti habitudo, quae est in[e] vindicandis maleficiis[f], scilicet illatio poenae; cum dicitur *sedere super Cherubim*, secundum praedicamentum situs designatur « quomodo se habeat ad superiores creaturas[g], scilicet ut excedens eas[h] [1] »; cum dicitur Deus esse semper, designatur quomodo « se habeat ad temporalia, scilicet ut concomitans ea » secundum omne tempus, praesens, praeteritum et futurum; cum dicitur[i] esse ubique, designatur quomodo se habeat ad omnem locum et circumscriptionem, scilicet ut praesens omni[k] loco et omni circumscriptioni; cum vero[l] dicitur, Psalm. 103,2: *Amictus lumine sicut vestimento*, secundum praedicamentum habitus significatur habitudo ad exteriores[m] creaturas, quae exterius ipsum declarant.

2. Ad secundum[n] quod dicit Boethius « situm et passionem in Deo requiri non oportet » plus quam[o] de ceteris, dicendum quod[p] haec est ratio: quia situs ponit materiam, passio vero mutabilitatem; materia autem et mutabilitas maxime relegantur a Deo, et ideo ista secundum maiorem improprietatem[q] dicuntur de Deo quam cetera.

3. Ad ultimum[r] quod obicitur quod 'verba[s] passionis corporalis et passionis animalis inveniuntur dici de Deo': dicendum quod hoc est secundum maximam improprietatem, qua solent attribui nomina aliquarum[t] rerum propter effectum[u] consequentem [2]. Unde hoc modo dicitur Deus poenitere, non quia passio poenitentiae insit, sed quia illud quod solet consequi poenitentem ei convenit, scilicet mutare opus. Similiter, cum dicitur irasci, non significatur quod passio irae ei insit[v], sed actus qui solet consequi iratum, scilicet punire[x] [3]. Similiter, cum dicitur configi, hoc dicitur adhuc per maiorem improprietatem; duplex enim est hic improprietas: una, quia attribuitur causae quod est effectus, hoc est Deo quod est gratiae; alia, quia ponitur actus praecedens pro consequenti. Unde cum dicitur 'Filius Dei crucifigitur in nobis', non aliud intelligitur nisi quod[y] gratia eius interit vel deficit in nobis per peccatum. Ponitur[z] ergo 'crucifigi' pro 'interire', quia crucifixionem solet consequi mors sive interitus, et Filio Dei attribuitur quod est gratiae.

ARTICULUS III. 344

Utrum aliqua praedicamenta dicantur proprie de Deo, aliqua improprie.

Consequenter quaeritur de huiusmodi praedicamentis an aliqua dicantur de Deo proprie.

Ad quod: *a.* Augustinus, V *De Trinitate* [4]: « Quod ad faciendum attinet, fortassis de solo Deo verissime dicitur; solus enim Deus facit et ipse non fit neque patitur ». Ergo praedicamentum actionis proprie convenit Deo.

b. Item, Augustinus, in eodem [5]: « Non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed se ipso, quia ipse est sua[a] magnitudo, hoc et[b] de bonitate et de[c] aeternitate et de omnipotentia Dei dictum est: omnibusque praedicamentis quae de Deo possunt pronuntiari, quoad[d] se ipsum dicitur non translative[e] aut per similitudinem, sed[f] proprie ». Ergo 'magnum' et 'bonum', quae dicuntur de Deo secundum praedicamentum quantitatis et qualitatis, dicuntur de Deo proprie.

Contra: 1. Praedicta auctoritas Augustini, in[g] eodem libro [6]: « Intelligamus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem » etc. Ergo ista, dicta de Deo, transferuntur[h] a significatione propria, quia a genere proprio; ergo dicuntur improprie.

2. Item, quaeritur quare non dicit Augustinus Deum 'sine relatione creatorem', sicut dicit[i] « sine qualitate bonum, sine quantitate magnum ».

---

[a] L *enim.* [b] VS *domini.* [c] BRGL *sive.* [d] P om., L om. *Deus.* [e] P delev. [f] P *malitiis.* [g] L *causas.* [h] P *eos.* [i] B add. *Deus,* P *vel* pro *et.* [k] G *cum,* item subinde. [l] R *enim.* [m] S *interiores.* [n] BRGL add. *respondeo.* [o] B add. *situs.* [p] BRGL om. *d. q.* [q] VB *proprietatem.* [r] V add. *dicendum.* [s] BRGL add. *et.* [t] L *aliqua.* [u] V *affectum.* [v] S *iussit.* [x] Codd. *mutare opus;* G om. *cum dicitur... similiter.* [y] BRGL *quia.* [z] PVS *ponit.*

[a] L exp. et corr. mg. *summa.* [b] S om. [c] R om. [d] R *quod.* [e] G *translate.* [f] PVS *et.* [g] BRGL om. [h] R add. *de Deo.* [i] PVS om.

[1] Guil. Altissiod., loc. cit., ubi et sequentia verbotenus vel ad sensum.

[2] Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 21 (PL 210, 631).

[3] Alan., loc. cit.: « Irasci attribuitur Deo ratione adiuncti, ratione videlicet punitionis: punitio enim solet adiungi irae ».

[4] Cap. 8 (PL 42, 917).

[5] Loc. cit., c. 10 (PL 42, 918).

[6] Loc. cit., c. 1, n. 2 (PL 42, 912).

3. Item, quaeritur[a] similiter quare non dicit 'sine actione facientem', sicut dicit « sine qualitate bonum », sed dicit « sine mutatione facientem ».

Respondeo: In[b] intentionibus nominum quae accipiuntur secundum haec genera attendendum est[c] regulariter quod illa nomina, quae dicunt intentionem materialitatis vel corporeitatis vel mutabilitatis vel imperfectionis, translative et non proprie dicuntur de Deo indistincte. Inde est quod nomina quae dicunt situm seu positionem, propter[d] materialitatem, et nomina quae dicunt habitum, propter corporeitatem, et nomina quae dicunt 'ubi', propter imperfectionem, et nomina quae dicunt 'quando', propter mutabilitatem, non dicuntur de Deo proprie, sed translative. Unde Augustinus, V *De Trinitate*[1]: « Situs et habitus et loca et tempora non proprie, sed translative[e] ac per similitudines[f], dicuntur in Deo. Nam et *sedere super Cherubim* dicitur quoad[g] situm, et *abyssum*[h] tamquam *vestimentum*[i] *amictus* quoad[k] habitum, *et anni tui non deficient*[2] quoad tempus, et *si ascendero in caelum, tu illic*[l] *es*[3], quoad locum ». Nomina vero generum quae non dicunt nec materialitatem seu corporeitatem nec mutabilitatem seu imperfectionem, si abstrahantur intentiones eorum a modo quo sunt in creaturis, dicuntur Deo proprie convenire, « si tamen », sicut dicit Augustinus[4], « de Deo proprie aliquid dici potest ». Secundum vero modum quo sunt in creaturis accepta de Deo dicentur improprie. Unde Augustinus, V *De Trinitate*[5], dicit quod cum dicitur 'magnum' de creatura, ut[m] de domo vel de monte, dicitur magnum participatione et non est creatura sua magnitudo; sed cum dicitur 'magnum' de Deo, dicitur magnitudo per essentiam et « ipse est sua magnitudo ». Accipit autem hic 'magnum' Augustinus secundum quod est commune ad magnum dimensione et magnum virtute; nam in Deo non est magnum dimensione, sed magnum virtute[6]. Ita etiam intelligendum est[n] cum dicitur 'bonus' et huiusmodi.

[Ad obiecta]: 1. Hoc ergo modo vult dicere Augustinus quod dicuntur de Deo proprie huiusmodi nomina, abstrahendo a modo quo sunt in creatura; unde dicit: « Sine qualitate bonus, sine quantitate magnus ».

2. Ad illud quod dicit 'quare non dicit sine relatione creatorem': respondeo dicendo quod intentio relationis secundum se non dicit mutabilitatem nec materialitatem nec imperfectionem[7]; unde, sicut dicit Boethius[8], « non auget nec mutat nec minuit » quod secundum ipsam denominatur, et ideo divino esse non[o] repugnat, immo convenit; sed secundum quod intentio relationis consideratur in creatura, notat dependentiam vel in utroque vel in altero extremorum relationis[9] et ita ponit indigentiam. Ideo Augustinus convenienter dixit: « Sine indigentia creatorem », significans nomine creatoris habitudinem relationis divinae causae ad creaturas, privans indigentiam, id est modum imperfectionis relationis, prout est in creatura, non ipsam relationem.

3. Simili modo respondendum est[p] ad ultimum, quia intentio actionis[q] secundum se non dicit imperfectionem seu mutabilitatem, sed intentio actionis[r], prout est in creatura, ponit in agente mutabilitatem. Ideo[s] Augustinus convenienter dixit[t]: « Sine mutatione mutabilia facientem », privans[u] mutabilitatem, non actionem.

Et in hunc modum terminatur introductoria et in generali inquisitio nominum divinorum.

---

[a] BRGL om. [b] V om. [c] BRGL om. [d] B *propterea*. [e] O om. *Unde... translative*. [f] L *similitudinem*. [g] Ita VS, alii *quod*. [h] Ita BR, PVS *lumine*, O om., L exp. [i] PVS *vestimento*. [k] Ita VS, alii *quod*, item subinde. [l] BRGL *ibi*. [m] PVS *vel*. [n] BRGL om. [o] V om. [p] BRG om. [q] PVS *relationis*. [r] BRGL om. [s] R *item*. [t] PVS *dicit*. [u] S *mutans*.

1 Cap. 8 (PL 42, 917).
2 Hebr. 1, 12.
3 Psalm. 138, 8.
4 *De Trinit.*, V, c. 10 (PL 42, 918).
5 Cf. cap. 10 (PL 42, 918).
6 Cf. Augustin., *De quant. animae*, c. 3 (PL 32, 1037).
7 Cf. Aristot., *Phys.*, V, c. 2 (II, 310): « Motus nec est substantiae nec eius quod ad aliquid refertur ».
8 *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1254).
9 Cf. Boeth., loc. cit.; Aristot., *Metaph.*, IV, c. 15 (II, 526 sq.).

INQUISITIO SECUNDA

DE DIVINIS NOMINIBUS IN SPECIALI

TRACTATUS PRIMUS

DE NOMINIBUS ESSENTIALIBUS

Adiuvante Christi gratia, consequenter inquirendum est de divinis nominibus in speciali. Doctorum autem positio [a] est ut nomina divina quaedam sint essentialia, quaedam personalia, quaedam notionalia. Cuius positionis rationem infra [1] manifestabimus, in primis inquirentes de nominibus essentialibus secundum distinctionem Damasceni [2], I libro, ubi significat hanc distinctionem [b]: nominum essentialium quaedam dicuntur de Deo mystice, quaedam symbolice, secundum quod distinguit B. Dionysius [3] theologiam symbolicam et mysticam, iuxta verba Evangelii, Matth. 13, 11 [4]: *Vobis datum est* [c] *nosse mysterium regni Dei, ceteris autem* [d] *in parabolis.* Theologiam igitur parabolicam sive symbolicam [e] proponebat Dominus turbis, nominans divina similitudinibus corporalibus; theologiam vero mysticam proponebat discipulis, exponens eis divina significationibus spiritualibus. Ea ergo [f] quae corporali modo [g] de Deo dicuntur, dicuntur [h] symbolice sive parabolice; quae vero dicuntur de Deo spirituali modo, dicuntur mystice.

Nominum autem quae dicuntur de Deo mystice, secundum Damascenum [5], est haec distinctio: nam quaedam dicuntur de Deo absolute, quaedam vero dicuntur secundum habitudinem sive respectum, verbi gratia, 'Creator, Dominus' etc. Item, eorum quae dicuntur absolute quaedam dicuntur [i] per modum positionis, quaedam per modum privationis [6] et significant quid non est, verbi gratia, 'incorporalis'. Item, eorum quae dicuntur de Deo [k] per modum positionis quaedam dicuntur de Deo secundum ea quae primo pertinent ad substantiam [7], quaedam vero [l] secundum ea quae consequuntur substantiam, verbi gratia, 'iustus, misericors et bonus'; et dicitur hic consequi substantiam

---

[a] G *non.* [b] BRGL *divisionem.* [c] V om. [d] BRGL om. [e] R om. *s. s.* [f] R *vero.* [g] V *corporalia pro c. m.* [h] S om [i] BRGL om. [k] G om. *d. d. D.* [l] PV om.

1 Cf. infra, num. 463.
2 *De fide orthod.*, I, cc. 11 et 12 (PG 94, 842 sqq.).
3 Cf. *De myst. Theol.*, c. 3 (PG 3, 1034, PL 122, 1174).
4 Rectius Luc. 8, 10.
5 Loc. cit., c. 9 (PG 94, 834 sq.).
6 Cf. Damascen., loc. cit., c. 12 (PG 94, 846).
7 Cf. ibidem, c. 10 (PG 94, 838 sq.).

secundum [a] similitudinem ad ea quae consequuntur substantiam in creaturis. Item, eorum quae dicuntur secundum ea quae primo pertinent ad substantiam et absolute et per modum positionis, quaedam dicuntur de ipso secundum ipsum esse, ut 'ens' et '*qui est*'; quaedam secundum operationem substantialem, ut 'Deus', quod [b] imponitur ab operatione [1]. Et hoc est quod dicit Damascenus [2]: « Primum nomen ipsius esse demonstrativum [c] est », ut 'ens' et '*qui est*'; « secundum vero operationis [d] », ut 'Deus'. « 'Incorporale' vero [e], 'increatum' et quaecumque talia quid non est significant, ut quod non corrumpitur neque [f] creatus est; 'bonum' autem et 'iustum' et quaecumque talia sequuntur [g] naturam, non ipsam substantiam ostendunt; 'Dominus' autem et 'Rex' et quaecumque talia habitudinem ad [h] ea, quibus distinguitur, ostendunt ». Secundum ergo hunc modum de divinis nominibus inquirendum est:

Primo, de nominibus designantibus ipsum esse [i] absolute;
secundo, de nomine operationis [k];
tertio, de nominibus privativis;
quarto, de nominibus consequentibus naturam [l];
quinto, de nominibus respectivis;
sexto et ultimo [m], de nominibus symbolicis.

QUAESTIO I.

DE NOMINIBUS DESIGNANTIBUS ESSE DIVINUM ABSOLUTE.

In primis igitur de nominibus essentialibus designantibus divinum esse absolute. Significatur autem divinum esse [n] et nominaliter et pronominaliter [3]. Nominaliter autem significatur divina essentia ut quo est, quasi modo abstracto, nomine essentiae vel existentiae, et ut quod est, velut [o] per modum concreti, nomine entis et *qui est*. Ideo hoc ordine inquiremus:

Primo, de nominibus essentiae et existentiae;
secundo, de nominibus entis et *qui est;*
tertio, de significatione quae pronominalis est.

MEMBRUM I.

De nominibus 'essentia' et 'existentia'.

CAPUT I.

DE NOMINE 'ESSENTIA'.

Quaeritur ergo primo de nomine 'essentiae' an hoc nomine nominetur divinum esse;
secundo, an nominetur proprie;
tertio, an univoce nominet istud nomen Creatorem et creaturam;
quarto, utrum sit appropriabile personae.

---

[a] BRG *per.* [b] L om. [c] PVSL *demonstratum.* [d] BGL add. *scilicet.* [e] BRG *enim*, VS add. *et.* [f] L add. *quod.* [g] G *consequuntur*, BRG add. *ad.* [h] S *ab.* [i] PVS om. [k] G *comparationis.* [l] Codd. titulos 3 et 4 ordine inverso ponunt. [m] S om. *e. u.* [n] S om. *absolute... esse.* [o] G *vel.*

[1] Cf. Damasc., loc. cit., c. 9 (PG 94, 835).
[2] Loc. cit.
[3] Cf. Alan., *Theol. reg.*, regg. 27, 28 et 36 (PL 210, 634 sqq.).

ARTICULUS I. 345

An nomine essentiae nominetur divinum esse.

Ad primum sic: 1. Damascenus[1]: « Homines, hanc grossam carnem indutos, divinas et immateriales[a] divinitatis operationes intelligere et dicere impossibile est nisi imaginibus, formis et notis, quae sunt secundum nos ». Cum ergo hoc nomen 'essentia' significet in omnimoda absolutione quo res est, sicut ens significat quod res est, quo autem Deus est non comprehendimus imagine nec forma nec nota: ergo hoc nomine 'essentia' non nominabimus divinum esse.

2. Item, *invisibilia Dei,* sicut dicit Apostolus[2], *empiterna virtus et divinitas per ea, quae facta unt, conspiciuntur,* nec aliter hic in via intelligitur divinitas. Ergo cum hoc nomen 'essentia' ignificet in omnimoda absolutione — non enim onsignificat aliquam intentionem vel habitudinem d id quod factum est: non enim intentionem liquam causalitatis vel operationis vel excellenae consignificat vel connotat[b] — ergo hoc nomine nec intelligetur nec nominabitur a nobis ivinitas.

Contra: *a.* Augustinus, V *De Trinitate*[3]: Est sine dubitatione substantia, vel melius appellatur essentia, quam Graeci οὐσίαν vocant; sicut nim ab eo quod est sapere dicta est sapientia, a ab eo quod est esse[c] dicta est essentia ».

[Solutio]: Quod concedendum est. Et dicendum[d] quod nominatio divini esse est duobus modis: per effectus et per impressiones notionum quae sunt inditae intellectui. Per effectus ominatur Creator, Omnipotens et etiam Deus, sicut patebit[4]. Per impressiones vero notionum quae sunt inditae intellectui, nominatur[e] ens, verum et bonum: hae enim[f] notiones entis primi et veri primi[g] et boni primi nobis impressae sunt, ut[h] declaratum est supra, Quaestione de divina essentialitate[5] et Quaestione de bonitate[6]. Notio autem entis prima est, quia ens est primum intelligibile: unde[i] hac notione sibi impressa de divino esse, sicut dicit Damascenus[7] quod « cognitio essendi Deum naturaliter nobis inserta est », nominat Deum ens et essentiam, et hoc secundum nos. Cum enim[k] non comprehendat simplicitatem divini esse, in quo non differt 'quo est' et 'quod est'[8], ideo cogitur secundum nos nominari duobus nominibus[l]: nomine essentiae, qua significatur ut 'quo est'[m], nomine entis, quo significatur ut 'quod est'.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod obicitur[n] a Ioanne Damasceno iam patet responsio, quia nomine essentiae nominamus Deum et forma, hoc est notione nobis indita, et etiam secundum nos.

2. Ad aliud[o] dicendum quod Apostolus dicit quod divinitas intelligitur *per ea quae facta sunt,* non tamen negat quin[p] possit intelligi per notiones impressas. Et tamen si diceretur quod non est possibile aliter intelligere divinitatem nisi per illud quod factum est, tunc notiones insertae ad cognoscendum Deum deputarentur in iis *quae facta sunt* sicut media ad intelligendum et nominandum Deum; notio tamen entis sive essentiae absolvit ab omni comparatione.

ARTICULUS II. 346

An nomine essentiae nominetur divinum esse proprie.

Item, quaeritur an nomine essentiae nominetur ivinum esse proprie.

a. Et cum « ab eo quod est esse, dicatur essena », sicut dicit Augustinus[9], esse autem vel ns non nominat proprie Deum, sed communiter in quadam analogia: ergo nec hoc nomen 'essentia' nominabit divinam essentialitatem proprie.

Contra: 1. Augustinus, VII *De Trinitate*[10]: « Essentia vere ac proprie dicitur, ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis, atque nomen

---

[a] RG *materiales.* [b] G *connotatur.* [c] S om. [d] B add. *est.* [e] G om. [f] R *autem.* [g] L om., PVS om. *e. b. p.* [h] P *et.* [i] VSB (interl.) add. *de.* [k] V *vero,* B om. [l] G *modis.* [m] L add. *et.* [n] BRGL *obicit,* quod saepius sic occurrit; G om. *ergo.* [o] V *illud.* [p] V *qui.*

1 *De fide orthod.,* I, c. 11 (PG 94, 842).
2 Rom. 1, 20.
3 Cap. 2 (PL 42, 912).
4 Cf. infra, num. 356.
5 Cf. supra, num. 25.
6 Cf. supra, num. 108.
7 *De fide orthod.,* I, c. 3 (PG 94, 794).
8 Cf. Boeth., *De Trinit.,* c. 2 (PL 64, 1250).
9 *De civit. Dei,* XII, c. 2 (PL 41, 350).
10 Cap. 5, n. 10 (PL 42, 942).

suum famulo suo Moysi enuntiavit [a], cum ait [1]: *Ego sum qui sum*».

2. Item, Hieronymus, *Ad Marcellam* [2]: «Deus solus, qui [b] exordium non habet, vere essentiae nomen tenuit».

Respondeo: 1-2. Hoc nomen 'essentia' si intelligatur communiter, non est proprium nomen Dei, immo extenditur secundum analogiam, sicut ens et esse, ad creaturas. Si vero intelligatur cum praecisione vel privatione eius quod est 'ab alio' vel ens mutabile, efficitur proprium nomen divinae essentialitatis: 'essentia' enim nominat essentialitatem nullo [c] addito. Si ergo cum hac praecisione nominet essentialitatem, ut scilicet 'essentia' dicat essentialitatem cui nihil additur vel componitur, sed est omni modo simplex [d], hoc modo proprium est nomen Dei. Item, 'essentia' significat essentialitatem ut se ipso ens; si ergo cum privatione intelligatur essentialitas ut [e] se ipso ens, non alio, hoc modo proprium nomen est divinae essentialitatis, et sic intelliguntur auctoritates Augustini et Hieronymi.

347 ARTICULUS III.

Utrum essentia univoce nominet Creatorem et creaturam.

Tertio quaeritur utrum essentia, secundum quod communiter accipitur, dicatur univoce vel aequivoce.

1. Et cum dicat Philosophus [3]: «Si quis omnia entia vocet, aequivoce, non univoce nuncupabit [f]» — unde ens non dicitur univoce de substantia et accidente — ergo multo magis essentia non dicetur univoce de essentia Creatoris et creaturae.

2. Item, non potest accipi proportio aliqua Creatoris et creaturae nec secundum genus nec secundum accidens essentiae creatae et increatae; ergo nec univoce.

3. Item, si dicatur quod non dicatur univoce, sed analogice, hoc est secundum prius et posterius, sicut ens de substantia et accidente – contra: ubicumque est communitas secundum analogiam, quamvis non sit [g] ponere formam unam communem sicut in univocis, est tamen ponere comparationem aliquam unam: unde et 'bonum', quod dicitur secundum analogiam de Deo et creatura, ponit comparationem, qua scilicet omne [h] bonum creatum est ordinabile ad bonum increatum, et bonum increatum est tale ad quod omne aliud bonum ordinatur sicut ad causam. Cum ergo hoc nomen 'essentia' abstrahat ab omni comparatione — significat enim absolutissime id quo [i] res est — ergo non erit accipere comparationem unam, cum dicitur 'essentia creata' et cum dicitur 'essentia increata'. Relinquitur igitur quod [k] non dicetur secundum analogiam; ergo penitus dicetur aequivoce.

Contra: *a*. 'Esse' vel 'essentia' dicitur in iis quae habent esse non ab alio et in hoc quod habet esse ab alio, similiter et in iis quae habent esse non in alio [l], ut substantia, et in iis quae habent esse [m] in alio, ut [n] accidentia. Et quamvis in iis non intelligatur essentialitas una, tamen intelligitur habitudo vel comparatio essentialitatis una [o]: esse enim vel essentia, quae habet esse in alio, comparationem habet et dependentiam ab esse vel essentia quae non est in alio, sicut substantia. Item, esse vel essentia eius quod est ab alio comparationem et dependentiam habet essentialem ab esse vel essentia quae non est ab alio, sicut esse creatum ab [p] esse increato. 'Esse' igitur et 'essentia' secundum analogiam dicetur de esse et essentia creata et increata [q]. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1-2. Dicendum ergo quod essentia non dicitur aequivoce; nec tamen dicitur univoce, sed analogice, sicut ostendit Augustinus, V *De Trinitate* [4]: «Aliae essentiae sive substantiae capiunt accidentia quibus in eis fiat quantacumque mutatio, Deo autem huiusmodi aliquid accidere non potest: et ideo sola est incommutabilis [essentia], cui profecto [r] ipsum esse, unde essentia nominata est [s], maxime ac verissime competit. Quod enim mutatur non servat ipsum esse, et quod mutari potest, etsi non mutetur, potest quod fuerat, non esse, ac per hoc solum quod omnino mutari non potest, sicut Deus, verissime dicitur esse». Ex hoc ergo patet quod 'esse' et 'essentia' verissime [t] et principaliter dicitur de Deo [u], de creaturis vero per posterius, et ita analogice.

---

[a] PV *essentiavit*. [b] B add. *est*. [c] B *in verbo*. [d] P add. *et*. [e] BRGL om. [f] S *non culpabit*. [g] V *possit*. [h] V *commune*. [i] P *quod*. [k] L *quo*. [l] S *ab alio et hoc quod dicit esse ab alio* pro *in alio*. [m] B add. *non*. [n] BRGL *sicut*, G om. *ut substantia... alio*. [o] G om. *tamen... una*. [p] B add. *omni*. [q] L om. [r] VG *perfectio*, G om. *cui*. [s] L om. [t] PVS *vere*. [u] B om. *d. D.*, in RGL est add. mg.

1 Exod. 3, 14.

2 Rectius in *Epist.* 15, *Ad Damas.*, n. 4 (PL 22, 357), ubi verbotenus occurrit; cf. Lombard., I *Sent.*, d. 8, c. 1 (p. 57).

3 Porphyrius, *De specie* (PL 64, 108); cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 12 (II, 524).

4 Cap. 2 (PL 42, 912).

3. Ad id quod obicitur quod 'essentia dicitur secundum omnimodam absolutionem': dicendum quod verum est secundum quod essentia dicitur de Deo; sed secundum quod essentia dicitur de creatura, dicitur in [a] dependentia. Sicut enim esse [b], dictum de creatura, intelligitur esse ab alio, quod necessario ponit dependentiam ab esse non ab alio [c], quod est increatum, ita essentia creaturae dicit essentiam quae est ab alia, quae necessario ponit dependentiam ab essentia quae non est ab alia, ut divina. Et ita ponitur unitas comparationis, quae facit analogiam, non ex parte essentiae divinae [d] ad essentiam creatam, sed ex parte essentiae creatae ad essentiam divinam, quae in [e] omnimoda dependentia est ad illam.

ARTICULUS IV. 348

Utrum nomen essentiae sit appropriabile personae.

Quarto quaeritur I. utrum nomen essentiae sit appropriabile personae.

Quod videtur: 1. Quia 'ens', quod similiter nominat Deum in omnimoda absolutione, appropriabile est personae divinae [f]; unde convenienter dicitur 'ens generans' pro Patre [g], 'ens genitus' [h] pro Filio, 'ens procedens' pro Spiritu Sancto; ergo similiter videtur quod convenienter dicetur 'essentia generans' pro Patre, 'essentia genita' pro Filio etc. [i].

2. Item, Augustinus, VII *De Trinitate* [1]: « Pater et Filius sigillatim dicuntur sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia »; sed cum dicitur 'sapientia de sapientia', sapientia appropriatur et supponit personas; ergo similiter essentia, cum dicitur 'essentia de essentia'.

Contra: *a.* Si essentia appropriaretur personae, necessario nomine essentiae intelligeretur habitudo vel respectus, per quod [k] posset aliquo modo innui notio personalis. Cum ergo nomine essentiae solum significetur divina essentialitas ab omni respectu absoluta et secundum indifferentiam omnimodam, non erit nomen [l] essentiae appropriabile personae.

b. Item, in Concilio Lateranensi [2] damnatur opinio Ioachim contra Magistrum Petrum Lombardum pro eo quod dixit, I *Sententiarum*, 5 dist. [3], quod essentia non est gignens nec genita nec procedens, ubi [m] manifeste ponit Magister quod essentia non est appropriabilis personis; cuius intentionis declaratio sufficienter dicta est supra, in Quaestione [n] De generatione aeterna, capitulo: Utrum essentiae convenit generare vel generari [4].

Responsio ad hoc, secundum quosdam [5], est per distinctionem. Dicunt quod quaedam nomina sunt quae significant divinam essentiam per modum abstractum, ut 'essentia, deitas'; quaedam vero significant per modum concretum, sicut 'Deus, bonus'; quaedam vero significant medio modo, ut 'sapientia, virtus, lumen' et huiusmodi. Dicunt ergo quod prima nomina significant essentiam et supponunt pro essentia tantum; unde non sunt appropriabilia personis nec recipiunt determinationes personales; unde false vel inconvenienter dicitur 'essentia vel deitas generans vel genita', et hoc propter absolutionem suae significationis quae est in abstractione. Secunda vero nomina significant essentiam et indifferenter supponunt essentiam sive personam; et ratio huius [o] est: quia imponuntur ad significandum habentem essentiam, ut 'Deus' habenti deitatem et 'bonus' habenti bonitatem divinam; habens [p] autem deitatem vel bonitatem et huiusmodi est persona; inde est quod haec nomina ex natura suae impositionis habent recipere determinationes personales: unde bene dicitur 'Deus generat, Deus generatur'. Tertia vero nomina supponunt et appropriantur personis, et [q] hoc habent ab usu locutionis Sanctorum, non a natura suae impositionis, quia secundum impositionem suam significant abstracte, tamen secundum usum Sanctorum accipiuntur ut concrete, scilicet pro personis: unde dicunt sapientiam et virtutem [r] generantem et genitam; unde et de sapientia legitur quod est *primogenita ante omnem creaturam* [6].

II. Sed quaeritur nihilominus, cum haec nomina, sicut ipsi dicunt, quamvis [s] minus proprie

---

[a] L om. [b] S add. *dicitur*. [c] R om. *quod necessario... alio*. [d] L om. [e] S om. [f] B om. [g] L add. *et*. [h] G *genitum*. BRGL om. [k] S *quos*. [l] L *nisi*. [m] B *unde*. [n] BRGL *inquisitione*, RGL om. *in*. [o] BRGL om. [p] P *habetis*. [q] BRGL *sed*. PVSL *unitatem*. [s] S add. *ipsi*.

1 Cap. 2, n. 3 (PL 42, 936).
2 Cf. supra, p. 422, nota 2.
3 Cap. 1 (p. 44 sqq.).
4 Cf. supra, num. 297.
5 Cf. Boeth., *Utrum Pater* etc. (PL 64, 1302); Alan., *Theol. reg.*, regg. 30 et 32 (PL 210, 636); Praepositi., *Summa*, I (f. 1c); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 4 (f. 4d).
6 Eccli. 24, 5. Cf. I Cor. 1, 24.

significent in abstractione sicut essentia et deitas, unde est quod ista magis sunt appropriabilia personis quam essentia vel [a] deitas?

1. Sic enim hoc nomen 'sapientia' in abstractione dicitur respectu huius nominis 'sapiens' sicut 'deitas' respectu huius nominis [b] 'Deus'; ergo sicut convenienter dicitur 'sapientia generans, sapientia genita', ita convenienter [c] dicetur 'deitas generans [d], deitas genita sive essentia'.

2. Item, Augustinus, in libro *De fide ad Petrum* [1]: « Sic Christum Dei Filium, id est unam in Trinitate personam, Deum verum crede, ut divinitatem eius de natura Patris natam esse non dubites ». Ex hoc [e] ergo relinquitur quod convenienter dicitur 'divinitas [f] nata vel genita'; ergo similiter essentia vel deitas.

3. Item, Hilarius, IX *De Trinitate* [2]: « Praedicamus ex eodem [g] eiusdem generis genitam naturam naturaliter in se gignentem habuisse naturam ». Ergo convenienter dicitur 'natura gignens et genita'; sed non differt in Deo essentia et natura; ergo convenienter dicetur 'essentia [h] gignens et genita'.

4. Item, si dicatur, sicut dicit Magister, in *Sententiis*, dist. 5 I libri [3], quod omnes istae locutiones sunt impropriae [i] et dicuntur emphatice, id est expressive, ad significandam veritatem unitatis essentiae in divinis personis — unde ita exponendae sunt: 'divinitas genita', id est Filius, qui est divinitas, genitus; 'natura gignens', id est Pater, qui est natura; 'natura [k] genita', id est Filius, qui est natura, et sic in ceteris — sed secundum hoc eadem erit ratio in omnibus essentialibus significantibus per modum abstractionis; aeque ergo convenienter dicetur 'essentia genita vel gignens' sicut [l] 'natura vel [m] divinitas vel sapientia'.

5. Item, hoc videtur per supra dictam auctoritatem Augustini [4], quia « sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia ».

III. Sed quaeret aliquis quae habitudo notetur per praepositionem 'de', cum dicitur 'essentia de essentia'. Nam cum 'de' dicat habitudinem causae originalis [5], cum dicitur 'sapientia de sapientia', ergo et cum dicitur 'essentia de essentia'; significatur ergo essentiae origo ad essentiam, nisi exponamus [n] ut prius [6]: Filius, qui est [o] essentia, de Patre, qui est essentia.

[Solutio]: I. Propterea [p] dicendum, secundum Damascenum [7], quod « ea quae sunt supra nos », ut divina, « cogimur dicere secundum nos », hoc est secundum modum comprehensionis humanae. Significamus ergo divinam essentiam absolute, et hoc duobus modis: ut 'quo est', hoc est significando essentiam ut essentiam, et 'quod est', significando essentiam [q] ut in habente illam, ut [r] per hoc nomen 'ens'. Cum autem significatur essentia primo modo, non est aliquo modo appropriabilis personae; cum vero [s] significatur modo secundo [t] per hoc nomen 'ens', est appropriabilis personae. Inde est quod bene dicitur 'ens generans, ens genitus', sed non bene dicitur 'essentia generans et genita'; ens enim dicit 'quod est', 'quod est' autem potest dicere vel ipsam naturam, quae est essentia, vel ipsam rem naturae, quae est persona.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc patet responsio ad primum.

2. Ad secundum dicendum quod illa auctoritas Augustini: « Sic [u] sapientia de sapientia, sicut [v] essentia de essentia », dicitur ad expressionem unitatis sapientiae Patris et Filii, sicut et essentiae; unde ibi dicitur sic [8]: « Hoc est Deo esse quod sapere. Unde Pater et Filius simul sunt una sapientia, quia una essentia, et [x] sigillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia ». Debet ergo exponi sicut exponit Magister, I *Sententiarum* [9]: Filius, qui est essentia, de Patre, qui est essentia.

II. 1. Ad illud vero quod quaeritur circa responsionem Magistrorum de abstractis nominibus: dicendum quod nominum, quae imposita sunt ad significandum per modum abstractionis divinam essentiam, quaedam nominant ipsam sub forma absoluta, ut 'essentia, deitas': et haec non recipiunt personales determinationes, ut dicatur 'essentia vel deitas generans vel genita'. Et ratio huius est: quia persona et personalis determinatio dicitur respective; haec autem nomina dicuntur omnino absolute et ideo non trahuntur [y] ad supponendum pro persona. Alia vero nominant divinam essentiam sub forma respectiva, ut 'sapientia, potentia, virtus' et huiusmodi: potentia enim dicitur in respectu ad aliquem actum et est etiam alicuius et ut alicuius; similiter virtus alicuius est habentis illam et dicit respectum ad id quod ab illa fluit; similiter et sapientia et huiusmodi [10].

---

[a] BRG *et*. [b] PVSL om. *sapiens... nominis*. [c] G om. *dicitur... convenienter*. [d] L add. *sive*. [e] G *quo*. [f] L *deitas*. [g] G add. *in*. [h] G om. [i] L om. [k] SL om., R exp. [l] RG add. *sive*. [m] R *sicut*, BG *sive*. [n] BRGL *exponatur*; L *primum* pro *prius*. [o] PVS om. [p] BGL *preterea*. [q] L om. *s. e.* [r] PVS *et*, L om. *hoc*. [s] G *ergo*. [t] BRGL *secundum modum* pro *m. s.* [u] BRG *sicut*. [v] R *sic et*. [x] R om. [y] R *trahunt*.

1 Cap. 2, n. 15 (PL 40, 753).
2 Num. 51 (PL 10, 322).
3 Cap. 1 (p. 49). Cf. supra, p. 427b, *ad 15-19*.
4 Cf. p. 515a, sub n. 2.
5 Cf. supra, p. 426a, *ad 4*.
6 Hic, parum supra, n. 4.
7 *De fide orthod.*, I, c. 2 (PG 94, 791).
8 Augustin., *De Trinit.*, VII, c. 2, n. 3 (PL 42, 936).
9 Dist. 5, c. 1 (p. 49).
10 Cf. supra, p. 425.

Ratione ergo respectus sunt appropriabilia personis et recipiunt determinationes personales. Regulariter ergo nomina quae non significant per modum concretum nec significant in respectu non sunt appropriabilia personis.

2-5. Ad illas vero auctoritates in quibus dicitur 'divinitas nata et natura generans sive genita': dicendum quod emphaticae sunt et exponendae, sicut dicit Magister; tamen [a] non accedunt ad tantam improprietatem in qua essent locutiones quibus [b] diceretur essentia generans vel genita. Nam 'divinitas' potest dicere virtutem deificativam, quemadmodum 'natura' dicit essentiam cum [c] quadam virtute productiva, et ita consignificatur in utroque nomine respectus originis, ratione cuius possent appropriari personis; tamen quia sermo theologicus debet esse maxime proprius, ideo huiusmodi locutiones magis erunt exponendae quam extendendae [1]. Hinc patet declaratio intentionis Magistri, in libro *Sententiarum* [d].

III. Ad id [e] vero quod ultimo quaerebatur de habitudine praepositionis cum dicitur 'essentia de essentia', notandum quod haec praepositio 'de' notat habitudinem duplicem: unam originis, aliam convenientiae. Quod patet, cum dicitur 'cultellus de ferro': per hoc enim notatur quod convenientia sit essentiae ferri et cultelli, similiter quod ferrum sit principium originale cultelli. In divinis vero cum dicitur 'de', accipitur differenter; cum enim dicitur 'Filius de Patre', notat habitudinem principii vel originis; cum autem dicitur 'essentia de essentia', nota est convenientiae: unde sensus est quod Filius, qui est a Patre, convenit cum eo in essentia. Quamvis ergo dicatur 'essentia de essentia', non tamen [f] poterit dici 'essentia generat essentiam', quia solum ibi [g] haec praepositio 'de' nota est principii vel originis; sed cum dicitur 'Filius de Patre' vel 'Deus de Deo', potest poni determinatio personalis, quae dicit respectum originis; ubi vero [h] 'de' solum est nota convenientiae, ut cum dicitur 'essentia de essentia', non poterit poni determinatio personalis.

CAPUT II. 349

DE NOMINE 'EXISTENTIA'.

Consequenter quaeritur [i] de hoc nomine 'existentia', quod videtur immediate se habere ad hoc nomen 'essentia'.

I. Quaeritur an sit nomen essentiale aut nomen personale.

Ad quod sic: *a.* Sicut ab eo quod est esse [k] essentia, ita ab eo quod est existere existentia dicitur; sed esse et existere essentialiter dicuntur de Deo et idem est Deo existere quod esse; ergo existentia essentialiter dicitur de [l] Deo sicut et essentia.

b. Item, per abstractionem dicitur [m] existentia ad existens sicut essentia ad ens; utrumque autem essentialiter dicitur et absolute; sed, sicut patet ex praedictis [2], nullum tale nomen est appropriabile personis.

Contra: 1. Richardus de S. Victore, in libro *De Trinitate* [3], dicit [n]: « Quod existere dicitur, non solum [o] intelligitur quod habeat esse, sed etiam aliunde, hoc est ex alio, habeat esse ». Si ergo esse aliunde vel esse ex alio nullo modo convenit essentiae, ergo nullo modo convenit ei existere; ergo nec nomen existentiae erit essentiale.

2. Item, in [p] intellectu eius quod est 'existentia' vel 'existere' intelligitur ratio originis: unde existere resolutum sonat quasi [q] « ex alio sistere [4] »; si ergo 'sistere ex alio' hoc solum convenit personae, existentia erit personalis et non essentialis.

3. Item, convenienter dicuntur tres existentiae sicut tres personae; sed nullo modo vere dicitur tres essentiae, sed una tantum essentia; relinquitur igitur quod existentia non est significativa essentiae.

II. Item, quaeritur utrum hoc nomen 'existentia' proprius dicatur in divinis quam nomen substantiae.

Ad quod sic: 1. Nomen substantiae ponit esse per se, non in alio; sed divinae essentiae magis quam creaturae in infinitum convenit esse per se; ergo ei magis conveniet nominatio substantiae quam creaturae.

2. Item, existentia ponit esse ex alio; sed esse ex alio maxime convenit creaturae; magis igitur convenit nomen existentiae creaturae quam Deo; ergo de divinis proprius dicitur nomen substantiae quam existentiae.

---

[a] BG *cum.* [b] Codd. *qua.* [c] L *tamen.* [d] G om. *Hinc... sententiarum.* [e] BRGL *illud*, R *ergo* pro *vero.* [f] G *enim.* [g] BRG om. BG *vere.* [h] PV om., in S est add. mg. [i] R add. mg. *dicitur.* [l] BRGL *in.* [m] L add. *per.* [n] BRGL om. [o] S add. *dicitur et.* VR om. [p] R *quod.*

[1] Cf. supra, p. 427b, *ad 15-19.*
[2] Cf. supra, num. 348.
[3] Lib. IV, c. 12 (PL 196, 938).
[4] Cf. Richard. de S. Vict., loc. cit.

Contra: *a.* Richardus, in libro *De Trinitate*[1]: « Quod increatum est sic consistit in se ipso ut nihil ei insit velut in subiecto [a] ». Si ergo nomen substantiae secundum suam propriam rationem ex eo dicitur quod substat alicui quod ei inest, ergo proprie nomen substantiae non convenit increatae essentiae.

b. Item, Richardus, in eodem libro[2]: « Dicimus proprietates personis inesse, sed illarum [b] inesse, si bene perpendimus, non dat subsistere, sed existere », hoc est quod una ex alia habeat esse; et ideo personae rectius dicuntur existentiae quam substantiae vel subsistentiae.

Respondeo: I. Dicendum [c], secundum Richardum, in libro *De Trinitate*[3], quod nomen existentiae significat essentiam cum ordine originis. Unde hoc nomen ex sua significatione quantum ad aliquid est essentiale, quantum ad aliquid personale. Quod declarat Richardus sic: « In discernendis personis opus est, ut arbitror, gemina consideratione, ut sciamus videlicet et quid sit et unde habeat esse. Una istarum considerationum versatur in discernenda rei [d] qualitate, alia vero versatur in investiganda rei origine: ad illam pertinet diligenter quaerere quid sit, cum quibus commune, quid generale, quid speciale, quid denique proprium assignare naturae; ad istam pertinet subtiliter indagare hoc ipsum quod est unde habeat esse, a semetipso an aliunde; et si aliunde quam a semetipso, utrum isto vel illo [e] vel alio quocumque existendi modo. Possumus autem [f] sub nomine existentiae utramque considerationem intelligere, tam illam qua quaeritur quale quid sit de quolibet ente, tam illam [g] qua quaeritur unde habet esse. Nomen existentiae trahitur ab eo quod est existere: in verbo 'sistere' notari potest quod pertinet ad considerationem » qualitatis seu quidditatis rei, « per adiunctam praepositionem 'ex', quod pertinet ad aliam », scilicet considerationem originis. Ex hoc ergo colligit[4] quod in divina proculdubio natura est existentia quae est pluribus communis, et sic accipitur essentialiter; et est existentia quae est omnino incommunicabilis, et sic accipitur personaliter.

[Ad obiecta]: *a-b.* Et per hoc patet solutio ad rationes primo [h] obiectas.

1-3. Ad illud vero quod obicitur e contrario quod 'in nomine existentiae intelligitur ratio originis sive esse ex alio, unde non conveniet essentiae', respondet Richardus[5]: « Ad considerationem originalis esse pertinet non solum quaerere et invenire originem esse ubi est, immo etiam quaerere et invenire eam non esse ubi non est. Communem autem existentiam dicimus ubi intelligitur esse habens ex proprietate communi; incommunicabilem vero ubi intelligitur esse habens ex proprietate incommunicabili. Tam vere proprium est divinae substantiae non esse ab aliqua alia substantia, sed a [i] se ipsa, quam vere est proprium personae originem non habenti, ut Patri, non esse ab aliqua [k] alia persona: in uno intelligitur proprietas communis, in altero [l] autem proprietas incommunicabilis ».

II. 1. Ad illud vero quod consequenter quaeritur 'an proprius [m] dicatur in divinis nomen existentiae quam substantiae': dicendum [n] quod sic et principalius. Nam si respiciamus proprietatem dictionis, « in divinis », sicut [o] dicit Augustinus[6], « abusive dicetur substantia », quia proprietas substandi ibi non est, a qua nomen substantiae accipitur; existentia vero proprie ibi dicetur: existentia enim secundum proprietatem dictionis dicit essentiam quasi habitam ab uno ex alio vel [p] ex uno in alium; et hoc [q] convenit proprie divino esse, in quo est Filius habens essentiam ex Patre et Spiritus Sanctus habens essentiam ex utroque.

2. Ad illud vero quod obicitur quod 'esse ex alio per [r] prius convenit creaturae', dicendum quod esse ex alio est duobus modis: uno modo esse ex alio de eius substantia, hoc modo est esse ex alio in divinis personis; alio modo esse ex alio [s] non de eius substantia, quo modo creaturae sunt ex Deo, non de sua [t] substantia, sed de [u] nihilo. Ex [v] primo notatur ratio originis prout est in divinis personis, ex secundo ratio originis prout est in creaturis. Prius autem est naturaliter esse ex alio de eius substantia quam esse ex alio non de eius substantia; ergo per prius nomen existentiae conveniet divinis quam creaturis.

---

[a] R *substantia.* [b] G *illorum.* [c] PVS *dicimus.* [d] R om. [e] B om. *v. l.* [f] S om. [g] L *illa*, P om. *tam.* [h] G *prius.* [i] L *ad.* [k] R om. [l] L *alio.* [m] V *prius.* [n] BRGL *dico.* [o] G *ut.* [p] B om. [q] S om. [r] L om. [s] B om. *in divinis... alio*; PS om. *in divinis... esse.* [t] BRGL om. [u] S *ex.* [v] S *de*; B *quo* pro *primo.*

1 Lib. IV, c. 12 (PL 196, 937).
2 Cap. 20 (PL 196, 943).
3 Lib. IV, cc. 11 et 12 (PL 196, 937), ubi et sequens.
4 Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 16 (PL 196, 940).
5 Loc. cit.
6 *De Trinit.*, VII, c. 5, n. 10 (PL 42, 942), ad sensum.

MEMBRUM II.

De nominibus 'ens' et 'qui est'.

CAPUT I. 350

UTRUM NOMEN 'ENS' POSSIT DICI PLURALITER.

Consequenter quaeritur de nomine 'entis'. Constat autem ex praecedentibus quod nomen 'entis' significat divinum [a] esse ut quod est et ideo potest supponere personam, ut dicatur 'ens generans, ens genitus'. Quaeritur ergo utrum possit dici pluraliter [1].

Ad quod sic: *a.* De quocumque est dicere quod est, est dicere quoniam est ens, et de quibuscumque est dicere quod sunt, est dicere quod sunt entes; sed de Patre et Filio et Spiritu Sancto est dicere quod sunt: *Tres* enim *sunt,* sicut dicit Ioannes [2], *qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus* [b]; ergo erit dicere quod sunt entes.

b. Item, Augustinus, *De doctrina christiana* [3]: « Tres res sunt, quae aeternae et incommutabiles sunt, quibus fruendum est, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus ». Si ergo sunt tres res, ergo sunt tres entes.

c. Si vero diceretur quod, cum 'est' sit verbum substantivum et significet substantiam et actum, non proprie dicitur de Patre et Filio, cum sint unum in substantia, 'sunt' [c] pluraliter, sed 'est' singulariter – contra: Augustinus, in libro *Retractationum* [4]: « Ubi dixi de Patre et Filio qui genuit et quem genuit unum est', dicendum fuit 'unum [d] sunt', sicut aperte Veritas loquitur, dicens [5]: *Ego et Pater unum sumus* ».

Tamen contra hoc obicitur: 1. Nam cum hoc verbum 'sunt' proprie praedicatur, cum dicitur 'Pater et Filius sunt', et significat essentiam ut actum et [e] est pluralis numeri: ergo significat circa essentiam pluralitatem; ergo, cum dicitur 'Pater et Filius sunt', significatur quod plures essentiae attribuuntur Patri et Filio: quod est error.

2. Item, *Symbolum* catholicae fidei [6] dicit quod non sunt tres aeterni, sed unus aeternus, nec tres omnipotentes, sed unus omnipotens », et hoc propter unitatem essentiae significatam iis nominibus 'aeternus, omnipotens'; ergo multo magis secundum *Symbolum* fidei negandum est 'Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres entes', propter significationem essentiae per hoc nomen 'ens'.

3. Item, quaeret aliquis, cum convenienter dicatur 'Pater et Filius sunt coaeterni', quare similiter non concedetur quod sunt aeterni vel entes, quia videtur consequi [f]: 'Pater et Filius sunt coaeterni et uterque est aeternus, ergo sunt aeterni'.

Respondeo: Regulariter notandum quod in divinis refert, cum aliquid dicitur nominaliter et cum dicitur verbaliter sive participialiter [g]. Cum enim divinum esse significatur verbaliter vel participialiter, quamvis sit verbum substantivum vel participium, ratione significationis significat substantiam, sed ratione consignificationis [h] verbalis consignificat personam. Unde cum ex parte suppositi significatur pluralitas personarum, ratio, quae componit esse de illis, necesse habet pluraliter designare, nec designatur pluraliter [i] circa esse, sed circa supposita quae dicuntur esse. Ideo convenienter dicitur 'Pater et Filius sunt' et 'sunt entes', si ens [k] accipiatur participialiter: participium enim consignificat personam, sicut et verbum, et ideo ratione consignificationis personae pluraliter dicuntur participia de personis.

Item [l], cum significatur nominaliter, [refert] cum [m] significatur substantive, cum [n] significatur adiective. Cum enim significatur substantive, nomen essentiale pure nullo modo dicitur in plurali, sed in singulari [o]; unde non dicitur, quamvis Pater sit Deus [p] et Filius Deus, quod sint Dii, sed Deus, et hoc propter unitatem essentiae pure significatam. 'Pure autem significatam' dico ad differentiam quorumdam nominum essentialium, quae [q] praeter intellectum essentiae significant respectum vel distinctionem personarum, quale erat hoc nomen 'existentia'; unde et

---

[a] B om. [b] Ita L, alii om. [c] PV *sint.* [d] V *unde.* [e] RG *ut,* quod B corr. [f] L *consequitur.* [g] Ita VS, alii *principaliter.* [h] PVS *significationis;* V *significat* pro *consignificat,* quod L corr. [i] GL *pluralitas.* [k] G *enim.* [l] V *ergo.* [m] PV om. [n] PV om. [o] om. *s. i. s.* [p] G om. [q] BRGL *qui.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 23, a. 2, q. 2 (I, 413 sq.).
[2] I Ioan. 5, 7.
[3] Conflatus ex lib. I, cc. 5 et 22 (PL 34, 21 et 26).
[4] Lib. I, c. 4, n. 3 (PL 32, 590).
[5] Ioan. 10, 30.
[6] Scilicet Athanasii.

convenienter dicebatur ‘tres existentiae’ et etiam ‘una existentia’. Similiter secundum quosdam tale est hoc nomen ‘persona’; unde quamvis non vere dicatur ‘una persona’, tamen convenienter dicitur [a] ‘tres personae’. Utrum autem hoc verum sit, infra declarabitur suo loco [1].

Item, cum [b] significatur adiective, refert cum significatur absolute et cum significatur respective [2]. Cum enim [c] significatur respective, significatur [d] divina essentia et consignificatur respectus personarum; et ideo ratione respectus consignificati dicuntur pluraliter de personis; unde dicitur [e] ‘Pater et Filius sunt aequales, sunt similes, sunt coaeterni’. — Item, cum dicuntur adiective et absolute, refert secundum quosdam [3], quando intelliguntur sine articulo et quando intelliguntur cum articulo, ut iuxta vulgare [f]: *li bon* [g], *li juste*. Cum ergo [h] intelliguntur cum articulo adiectiva absolute [i], dicuntur in singulari de personis, ut ‘Pater et Filius sunt aeternus, bonus’: quasi substantivantur enim ratione articuli; cum vero intelliguntur sine articulo, eo quod significant in [k] adiacentia, dicuntur in plurali, sicut et supposita plura sunt quibus innituntur, ut dicatur ‘Pater et Filius sunt aeterni, sunt boni’,

Et si eis obiciatur [4]: « Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt aeterni; ergo sunt tres aeterni vel plures vel pauciores [l]; sed non plures vel pauciores [m]; ergo sunt tres aeterni, quod est contra *Symbolum*, quod dicit: “Non tres aeterni, sed unus aeternus” » – ad hoc ipsi respondent quod « cum dicitur ‘tres aeterni’, si iste terminus ‘tres’ teneatur substantive et ‘aeterni’ adiective, vera est propositio; si e converso, ut ‘aeterni’ accipiatur substantive et ‘tres’ adiective, falsa ».

In hunc modum respondent ad praedictam quaestionem, cum quaeritur utrum nomen ‘entis’ dicatur pluraliter de personis, distinguentes: quia si hoc nomen ‘ens’ accipiatur participialiter, dicetur pluraliter, si vero nominaliter, distinguendum: aut accipitur substantive aut adiective. Si substantive: non dicetur pluraliter, sed singulariter; si adiective: aut intelligetur cum articulo aut sine articulo; si cum articulo [n], dicetur singulariter; si [o] sine articulo, pluraliter.

Sed contra hoc obicit Praepositinus [5]: Cum dicit [p] *Symbolum:* « Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus », et postmodum exponendo subdit: « Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus », constans est quod ‘aeternus’ accipitur adiective nec accipitur cum articulo; ergo cum sequitur: « Non tres aeterni, sed unus aeternus », non erit accipiendum cum articulo; nulla igitur est praedicta distinctio de adiectivis absolutis, cum non accipitur ibi cum [a] articulo. Item, cum articulus nota [b] sit discretionis et distinctionis, cum adiectivum accipitur cum intellectu articuli, ergo accipietur cum intellectu distinctionis; cum ergo ex parte essentiae nulla sit distinctio, sed [c] ex parte personae sit acceptum adiectivum, magis stabit pro persona quam pro essentia. Cum ergo ex parte personae sit pluralitas et [d] ex parte essentiae singularitas, magis debent dici pluraliter, cum accipiuntur cum articulo, quam singulariter.

Propterea [e] dicitur ab aliis [6] quod adiectiva « nec in masculino nec in feminino debent recipi in plurali »; adiectiva, dico, absoluta. « Et ubi [f] invenitur in auctoritate, dicunt quod nomen accipitur pro adverbio; unde illam auctoritatem Augustini et consimiles »: « Illis rebus fruendum est, quae aeternae et incommutabiles sunt », exponunt: hoc est aeternaliter [g] et incommutabiliter sunt. — Sed contra: Cum adiectiva significent per modum adiacentium, ergo numerantur a suppositis substantivorum quibus innituntur [h]; si ergo supposita sunt [i] plura, et adiectivum debet significari pluraliter. Cum vero, [cum] dicitur [k] « rebus quibus fruendum est », suppositum huius nominis ‘res’ sit multiplex, ut Pater, Filius et Spiritus Sanctus: ergo hoc quod dico « aeternae et incommutabiles » proprie dicetur pluraliter.

Propterea Praepositinus [7] inter praedictos Doctores tenet viam mediam, dicens « quod vocabula nunquam [l] sunt recipienda in plurali numero in [m] masculino; in feminino autem recipimus cum iis nominibus ‘persona’ et [n] ‘res’, et ibi potius ponuntur ad differentiam notandam et confusionem removendam quam ad notandam essentiam, quia cum dicitur ‘res aeternae’, ad differentiam temporalium dicitur, et etiam quia hoc in Scriptura invenimus; illud autem in masculino genere et plurali nunquam dictum invenimus, sed prohibitum. Etsi enim aliquis posset ibi esse verus sensus, tamen nunquam sunt recipienda [o] a simili illius [p] quod dicit Dominus [q] in Osee [8]:

---

[a] S *dicuntur*. [b] V om. [c] V om. *c. e.* [d] G om. [e] BG *dicuntur*, quod L corr. [f] PVS *vulgale*. [g] Ita B, PVS *ben*, R *bonis*, GL *ban*. [h] BRG *vero*. [i] BRGL *absoluta*. [k] B om. [l] S om. *v. p. v. p.* [m] V om. *sed... pauciores*. [n] V om. *s. c. a.*, quod in P est add. mg. [o] L *sed*. [p] B add. *hoc*.

[a] V *de*. [b] G *non*. [c] G *sive*. [d] R om. [e] BRG *preterea*. [f] S *ibi*. [g] V *essentialiter*. [h] PS add. *cum*. [i] P om. [k] V add. *de*; P om. *cum*, RGL *ergo* pro *vero*. [l] PVS *non*. [m] S *et*. [n] B om. [o] PVS *recipiendi*, BRGL *recipiende*. [p] PVS *illud*. [q] S om.

1 Cf. infra, num. 386.
2 Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 25 (PL 210, 633).
3 Cf. Alan., loc. cit.; Praeposit., *Summa*, I (f. 1c).
4 Sequentia fere verbotenus apud Praeposit., loc. cit.
5 Loc. cit., ad sensum.
6 Quorum opinio refertur a Praeposit., loc. cit. (f. 1d).
7 Loc. cit. (f. 1c).
8 Cap. 2, 16.

Non vocabis[a] *me Baali, sed vocabis me 'vir meus'*; licet enim *Baali* tantum valere possit quantum *vir meus*, tamen propter suspicionem[b] dici prohibuit[1]. Ex iis colligitur, ut dicit Hieronymus[2], quod " ex verbis inordinate prolatis haeresis incurritur " ». — Secundum hoc patet solutio ad obiecta.

Consequenter notandum[c] hic de verbis et participiis opiniones[3]. « Quidam enim sunt qui non concedunt quod verba et participia in plurali praedicent divinam substantiam, et hoc volunt[d] habere ex illa auctoritate[4]: *Ego et Pater unum sumus*. Dicit Augustinus[5]: "Cum audis *unum*, liberaris ab Ario; cum audis *sumus*, liberaris[e] a Sabellio". Ergo '*sumus*' significat pluralitatem personarum. Sed hoc superius determinavimus[6], dicentes quod verba et participia principaliter significant divinam essentiam, secundario[f] distinctionem personarum; et propter consignificationem dixit hoc Augustinus ».

« Sed[g] contra hoc sic obicitur: Pater aliquo est, Filius aliquo est, Pater et Filius sunt; ergo aliquo vel aliquibus sunt; sed non aliquibus; ergo aliquo; sed quo, nisi divina essentia? ergo hoc[h] verbum 'est' significat divinam essentiam in plurali numero ». — Quod concedimus.

CAPUT II.

DE NOMINE '*qui est*'.

Consequenter quaeritur de hoc[i] nomine '*qui est*', de quo Exod. 3, 14: *Qui est misit me ad vos.*

Et quaeruntur duo:
Primo, an sit personale an[k] essentiale;
secundo, de ordine istius nominis ad alia.

ARTICULUS I. 351

An nomen 'qui est' *sit personale an essentiale.*

Ad primum sic: *a.* Augustinus, V *De Trinitate*[7]: « Sicut ab eo quod est[l] sapere dicitur sapientia, ita ab eo quod est[m] esse dicitur essentia. Et quis magis est quam ille qui dixit famulo suo Moysi[8]: *Ego sum qui sum; haec dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos?* » Ex quo[n] relinquitur quod hoc nomen '*qui est*' est essentiale.

b. Item, Dionysius, in libro *De divinis nominibus*[9]: « Si[o] non de tota aiunt divinitate laudari, cum dicitur: *Ego sum qui sum*, et[p]: *Qui est misit me ad vos*, sed secundum unam partem circumscribere conantur, quomodo audient[q][10]: *Qui est et*[r] *qui erat et qui venturus est* omnipotens? » Ex hoc videtur quod dicitur de divinitate et ita quod[s] sit essentiale.

c. Item, Ioannes Damascenus[11]: « Principalius eorum quae de Deo dicuntur nominibus est '*qui est*'[t], sicut ipse loquens in oraculo Moysi ait, totum in se ipso comprehendens velut quoddam pelagus substantiae infinitum et indeterminatum ». Ex quo manifeste relinquitur quod est essentiale et supponit essentiam.

Contra: 1. Isai. 73[12]: *Ecce ego ad gentes.* Glossa[13]: « Filius[u] loquitur, qui dixit Moysi: *Ego sum qui sum* ».

2. Item, obicit Praepositinus[14]: « Si ibi loquitur Trinitas, ergo Moyses potuit dicere 'ille

---

[a] BR *vocabitis*, item infra; codd. *Baalim* pro *Baali*, item infra. [b] L *suspicationem*. [c] L add. *est*. [d] P *voluit*. [e] V om. [f] BRGL add. *significant*. [g] L *si*. [h] PV om., in S est add. mg. [i] G add. *ordine*. [k] V add. *sit*. [l] VRGL om. [m] RG om., in B est add. interl. [n] L *hoc*. [o] S *sed*. [p] B om. [q] BRGL *audierit*. [r] B om. [s] B om. [t] G *sunt*. [u] B *si ibi*, exp. *Filius*.

[1] Cf. Hieronym., *In Osee*, c. 6, 16-17 (PL 25, 858).
[2] Ita etiam citatur a Lombardo, IV *Sent.*, d. 13, c. 2 (PL 192, 818); apud Hieronym. non invenitur, sed in Glossa ordinaria in Osee, 2, 16, ap. Lyran.
[3] Sequentia verbotenus occurrunt ap. Praeposit., loc. cit. (f. 2b); cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, IV, cc. 8 et 10 (PL 196, 635 sq.).
[4] Ioan. 10, 30.
[5] *In Ioan.*, tr. 36, n. 9 (PL 35, 1668), ad sensum, sed verbotenus ap. Praeposit.; cf. Lombard., I *Sent.*, d. 21, c. 4 (p. 197).
[6] Cf. supra, p. 519b, sub *Respondeo;* ap. Praeposit., loc. cit. (f. 70b): « Omne vocabulum quod dicitur de tribus personis ita quod de qualibet, illud dicitur secundum essentiam, sive sit nomen sive sit verbum sive participium ».
[7] Cap. 2 (PL 42, 912). [8] Exod. 3, 14.
[9] Cap. 2, § 1 (PG 3, 637, PL 122, 1120).
[10] Apoc. 1, 4.
[11] *De fide orthod.*, I, c. 9 (PG 94, 835).
[12] In edit. Clementina c. 65, 1.
[13] *Interlin.*, in h. l.; cf. Haymo, in h. l. (PL 116, 1065); Guil. Altissiod., loc. cit., c. 3, q. 7 (f. 7b).
[14] *Summa*, I (f. 2c).

qui est Pater et Filius et Spiritus Sanctus [a] misit me ad vos'. Si hoc: ergo ille qui est Pater, est Filius »; quod est falsum, quia [b] sicut dicit Augustinus, in I [c] *De Trinitate* [1]: « Non sunt tres Dii, sed unus [d] Deus, licet [e] Pater Filium genuerit et ideo non Filius sit qui Pater est ».

3. Sed tamen contra hoc obiciet aliquis: Deus est Pater, Deus est Filius; ergo qui est Pater, est Filius; medium sumitur personaliter, ergo conclusio debet sumi personaliter; melius ergo infertur: 'qui est Pater, est Filius' quam 'quod est Pater, est Filius'.

Respondeo 1. quod hoc nomen '*qui est*' potest duobus modis considerari. Uno modo secundum quod hoc nomen '*qui*' est [f] nomen infinitum: et hoc modo est nomen essentiale; et sic, secundum Damascenum [2], significat divinam essentiam « velut quoddam pelagus substantiae infinitae et [g] indeterminatae ». Vel potest considerari ut relativum, et hoc duobus modis: secundum proprietatem sermonis, in qua dictum est: *Qui est misit me,* aut secundum appropriationem. Si respiciatur proprietas sermonis, determinatur per substantivum antecedens, quod est essentiale; unde ibi dicitur [3]: *Deus patrum nostrorum misit me,* et sequitur: *Si dixerint: quod est nomen eius? Dices: Qui est misit me ad vos.* Si vero respiciatur appropriatio, tunc hoc nomen '*qui est*' attribuitur Filio, sicut et liberatio humani generis, quae ibi figurabatur. Praeterea [h], ut est relativum, habet in intellectu suo articulum subiectivi [i] ratione cuius arctatur ad supponendum personam et non quamlibet, sed personam Filii: articulus enim discretionem sive notitiam importat, quae appropriatur Filio.

2. Ad illud ergo quod obicit Praepositinus, patet responsio: procedit enim ab hoc nomine '*qui*' sumpto infinite ad sumptum relative.

3. Ad illud vero quod obicitur [k] ultimo 'Deus est Pater, Deus est Filius, ergo qui est Pater, est Filius': dicendum quod non sequitur; sed debet inferri: 'ergo quod est Pater'. Et ratio est: quia 'qui' dicit substantiam personaliter et praeterea identitatem, cum dicitur 'qui est Pater est Filius', quoniam ratione articuli consignificatio generis masculini trahit in personalem identitatem. Cum vero dicitur 'Deus est Pater, Deus est Filius', quamvis hoc nomen 'Deus' [m] utrobique supponat personaliter, tamen utrobique significatur una eadem essentia, non persona, et ideo neutrum debet inferri, scilicet [n] 'quod est Pater, est Filius', quia 'quod' [o] dicit identitatem essentiae.

352 ARTICULUS II.

De ordine nominis 'qui est' *ad alia nomina.*

Consequenter quaeritur de ordine huius nominis '*qui est*' ad alia nomina.

Ad quod *a.* dicit Damascenus [4] quod primum et principale nominum divinorum est '*qui est*'.

b. Item [p], hoc idem ostenditur ratione. Nam ens [q] est primum intelligibile et imaginabile intellectu; sed quod est primo intelligibile [r] est primo nominabile; 'ens' autem et '*qui est*' nominant ipsum esse absolutum, quamvis differenter: nam 'ens' nominat communiter, '*qui est*' vero nominat ut appropriabile enti quod est Deus, tum ratione [s] infinitatis substantiae designatae hoc nomine '*qui*', tum ratione actualitatis sive aeternitatis vel [t] immutabilitatis designatae per adiunctum '*est*', quod significat essentiam ut actum et praesenter [u], velut in nunc sive praesenti immutabili; ergo primum inter nomina erit '*qui est*'.

Contra: 1. Dionysius, in libro [v] *De divinis nominibus* [5], primum nomen constituit bonum unde prius declarat nomen boni quam entis.

[Solutio]: Ad hoc fuerunt [6] qui dicerent [x] quod in via qua consideratur Deus sicut efficiens, primum eius nomen est 'ens', quia intentio efficientis est ad hoc ut res sit. Si vero consideretur ut finis, bonum autem est ratio [y] finis, secundum hanc considerationem primum eius nomen est 'bonum'.

Sed obicitur: Cum, sicut dicit Boethius in libro *De consolatione* [7]: « Omnia appetunt esse » sed quod appetitur est in ratione finis; ergo ens est in ratione finis. — Ad quod posset dic

---

[a] V om. *e. S. S.* [b] S *qui,* PVS om. *sicut.* [c] PV *libro.* [d] VS add. *est.* [e] PVS *sed.* [f] B repet. [g] L *vel.* [h] B om. [i] Ita G R *subiectivum,* alii *subiunctivi.* [k] BRGL *obiciebatur.* [l] V add. *dicitur.* [m] V om. [n] V *secundum.* [o] G om. [p] R *et.* [q] V om. [r] V om. *intellectu... intelligibile.* [s] R *rationem.* [t] BRG *sive.* [u] V *presentem.* [v] BRGL om. *l. l.* [x] L *dixerunt.* [y] BRG *respectu* G om. *est.*

[1] Cap. 4, n. 7 (PL 42, 824). [2] Cf. supra, sub litt. *c.*
[3] Exod. 3, 13-14.
[4] *De fide orthod.,* I, c. 9 (PG 94, 835), ad sensum; cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 3, q. 2 (f. 4b).
[5] Cf. c. 2, § 1 et c. 4, § 1 (PG 3, 679, 694, PL, 122 1119, 1129); Guil. Altissiod., loc. cit.
[6] Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 4c).
[7] Lib. III, pr. 11 (PL 63, 774).

quod 'ens', si moveat appetitum, non movet nisi in quantum induit rationem boni; sed ex hoc non sequitur quod 'ens' secundum se nominet in ratione finis.

Sed tamen adhuc obicitur quia 'ens' et '*qui est*' significant in omnimoda absolutione; ergo significant praeter intentionem causalitatis efficientis vel finalis [a].

Quod concedendum est et dicendum quod '*qui est*' simpliciter est primum nomen, quoad nos vero primum nomen est 'bonum' [1]». Divinum enim esse potest considerari secundum se ut absolute: et sic consideratur ut infinitum pelagus sive abyssus divinae essentialitatis; et hoc modo proprie significatur [b] nomine '*qui est*'. Nota tamen, sicut supra tactum est [2], quod '*qui est*' uno modo [c] appropriatur Filio, alio modo significat essentiam, quae quidem est communis [d] tribus personis. Nam si respiciatur substantia infinita cum qualitate generali, quae designatur hoc nomine '*qui*', proprie [e] hoc nomen '*qui est*' nominat essentiam, ut dictum est [3]. Si vero respiciatur vis articuli, quae potest subintelligi hoc nomine '*qui*' [f] et est nota distinctionis [g], appropriatur personae Filii. — Item, potest considerari divinum esse ut causa, et secundum hoc consideratur in ratione boni 'Bonum' enim dicit conditionem efficientis; unde dicit Augustinus [4]: «Quia bonus est, sumus». Item, 'bonum' dicit conditionem finis; unde Boethius dicit, in libro *De consolatione* [5], quod omnia bonum exoptant; quod declaratum est supra, Quaestione De bonitate [6]. Bonum ergo dicit rationem «secundum quam est *alpha* et *omega* [7]», hoc est principium et finis: «bonitas enim Dei quasi movit eum ut faceret creaturas et ad hoc ut essent participes suae bonitatis». Prima consideratio est prior simpliciter, secunda vero est prior [h] quoad nos. Damascenus ergo intendit quod est prius simpliciter, Dionysius quod est prius quoad nos [8].

In hunc ergo modum quaeritur de divino esse secundum quod significatur absolute nominaliter.

MEMBRUM III.

De significatione pronominali.

Consequenter quaeritur de significatione pronominali, qua designatur divinum esse absolute.

Quaeruntur ergo duo:

Primo, utrum divina essentia habeat significari per pronomen;

secundo, utrum per pronomina masculini et feminini generis [i].

CAPUT I. 353

UTRUM DIVINA ESSENTIA HABEAT SIGNIFICARI PER PRONOMEN.

Ad primum sic: I. 1. Cum dicitur [9]: *Ego sum qui sum*, constans est quod hoc pronomen '*ego*' non significabat Moysi aliquam personam, sed divinam essentiam de se ad ipsum loquentem; ergo per pronomen '*ego*' significabatur et supponebatur divina essentia.

2. Item, Isai. [10]: *Non cognoverunt me*, Glossa [11]: «*me* [k] verum Deum», ducti propriis rationibus, et loquitur de gentilibus [l] qui non attendebant nisi essentiam; ergo hoc pronomen '*me*' significat et supponit essentiam.

3. Item, pronomina primae personae significant substantiam de se loquentem, secundae personae substantiam ad quam fit sermo [m], tertiae personae substantiam de qua fit sermo [n]; sed divina essentia potest loqui de se, et ad [o] ipsam et de ipsa potest fieri sermo; ergo potest significari per pronomina primae et secundae et tertiae personae.

---

[a] L *finis*. [b] R add. *hoc*. [c] R om. [d] BRGL *in*, L om. [e] Ita L, alii *improprie*. [f] RG add. *est*. [g] S *distinctione*. [h] G om. *e. p.*, [i] *vos* pro *nos*. [i] B om. [k] B om. [l] L *gentibus*. [m] BRGL add. *pronomen*. [n] V om. *tertiae... sermo*. [o] PVS add. *se*.

1 Guil. Altissiod., loc. cit.
2 Cf. supra, p. 522a, sub *Respondeo*.
3 Cf. parum supra et p. 522a, sub *Respondeo*.
4 *De doctr. christ.*, I, c. 32, n. 35 (PL 34, 32).
5 Lib. III, pr. 10 (PL 63, 768).
6 Cf. supra, num. 104.
7 Apoc. 1, 8; Guil. Altissiod., loc. cit., ubi et sequens.
8 Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 4b), quaerit «de contrarietate que videtur esse inter beatum Dionysium et Iohannem Damascenum».
9 Exod. 3, 14.
10 Cf. cap. 55, 5.
11 *Interlin.*, in h. l.; cf. Guil. Altissiod., *Summa*, c. 3, q. 7 (f. 7a).

4. Item, in libro *De regulis fidei*[1]: « Omne nomen datum a forma, dictum de forma cadit a forma ». Quod exponitur ibi: « Cum omne nomen secundum primam institutionem datum sit a proprietate sive a forma — unde Boethius[2]: "Rebus ex materia et forma constantibus solus humanus animus extitit qui, prout voluit[a], nomina rebus impressit" — ad significandum divinam formam translatum cadit a forma ex qua est datum et ita quodammodo fit informe et pronominatur ipsum nomen, cum significat divinam usiam: meram enim significat substantiam ». Ex hoc videtur quod divina essentia proprius[b] designetur pronominaliter quam nominaliter.

Contra: *a.* Proprium est pronominis pro proprio nomine poni et certas significare personas; ergo pronomen semper habet accipi pro persona, non pro essentia; ergo divina essentia non significatur nec supponitur per pronomen.

b. Item, sicut dicitur in libro *De regulis fidei*[3]: « Omne pronomen demonstrativum cadit a sua demonstratione in divinis »; sed pronomen cum cadit a demonstratione et relatione, cassum est et vanum; ergo omne pronomen demonstrativum cassum erit significando divinam essentiam.

c. Item[4], ad hoc est ratio, quia Deus nec sensu nec intellectu demonstrabilis est, quia nec intellectu nec sensu capi potest[c], omnis autem demonstratio fit ad sensum vel ad intellectum.

Respondeo: Dicunt[d][5] quod pronomina in masculino et[e] feminino genere substantiva[f] non possunt supponere[g] essentiam, in neutro vero genere significant et supponunt essentiam.

Notandum tamen, sicut dicitur in libro *De regulis fidei*[6], quod cum sint pronomina demonstrativa et relativa et possessiva, « pronomina demonstrativa[h] magis improprie conveniunt[i] Deo quam relativa ». Et ratio est: quia quamvis introducatur divina essentia « loquens de se, non habet ibi proprium locum demonstratio, quae fit[k] ad oculum », quia ipsa[l] non est sensibilis; « nec habet ibi locum demonstratio ad veri nominis intellectum »; et ratio est: quia « intellectus veri nominis surgit ex formae perceptione, qua res intelligitur esse quid vel qualis vel quanta. Cum ergo in Deo nulla forma sit qua intelligamus de eo quid sit vel qualis, proprie non erit demonstrabilis apud intellectum, sed magis per remotionem intelligimus quid non est ».

Unde nota quod « cum introducitur[m] Deus loquens de se », ut Exod. 3, 14: *Ego sum qui sum*, « duplex intelligitur prosopopeia[n]: una, quae dicitur anthropopathos[o], id est humana passio[p]; alia, quae dicitur ideotheos, id est divina proprietas. In hoc enim anthropopathos est, quia verba creaturae, id est angeli qui loquebatur in persona Dei quasi recitando quae legerat in mente divina, attribuuntur Creatori; in hoc vero attenditur ideotheos, quia creaturae attribuitur quod Creatoris est, quia illa verba, quae ab angelo proferuntur, de solo Deo vera esse intelliguntur ». Hinc patet quod pronomina demonstrativa improprie dicuntur in[q] divinis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur: dicendum quod hoc pronomen '*ego*' potest dicere substantiam de se loquentem; et hoc modo potest stare pro divina essentia, quia cum quaelibet persona de se loquatur, quidquid autem convenit tribus personis, est essentiale, stabit pro persona qualibet essentialiter. Item, potest dicere substantiam de se loquentem cum discretione, et hoc modo accipitur personaliter, et aliquando pro[r] persona Patris, ut Isai. penultimo[7]: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse sterilis ero?* aliquando pro persona Filii, Isai. 65, 1: *Ecce ego ad gentes*, Glossa[8]: « Filius loquitur »; aliquando pro persona Spiritus Sancti[s], ut Malach. 3, 1: *Ecce ego mitto angelum meum*, dicit Spiritus Sanctus de Ioanne.

2. Ad illud vero quod obicitur secundo quod *non cognoverunt me:* dicendum quod '*me*' supponit divinam essentiam, sed potest accipi substantive vel adiective. Si substantive, accipitur in neutro genere; si adiective, accipitur in masculino et debet suppleri hoc nomen 'Deus', sicut supplet Glossa « *me* verum Deum[9] ».

3. Ad tertium iam patet responsio, quia divina essentia potest de se loqui et ad ipsam potest fieri sermo secundum illam improprietatem quae supra dicta est[10], tamen absque nota discretionis sive distinctionis quam insinuat pronominalis designatio in masculino et[t] feminino genere.

4. Ad quartum dicendum quod pronomina proprie significant substantiam, quae est hypostasis,

---

[a] R add. *solus.* [b] V *prius.* [c] B *capitur* pro *c. p.* [d] B om. [e] VSRG add. *in.* [f] B *sumpta.* [g] PV add. *divinam,* quod S exp. [h] R om. *et relativa... demonstrativa,* in B est add. mg. [i] B *convenit.* [k] Ita SG, alii *sit.* [l] V *ipse.* [m] S *dicitur,* G *non* pro *cum.* [n] L add. *unde.* [o] PVSG *antropospatos,* BRL *antropospatas.* [p] P *parsio.* [q] R *de.* [r] V om. [s] R add. *scilicet.* [t] PVS add. *in.*

1 Reg. 17 (PL 210, 629), ubi et sequens.
2 Cf. *In libr. De interpret.* et *De definit.* (PL 64, 301 sqq., 420 sq. et 891).
3 Reg. 36 (PL 210, 638).
4 Cf. Alan. loc. cit.
5 Cf. Alan., loc. cit., reg. 27 (PL 210, 634); Praeposit., *Summa,* I (f. 2c).
6 Reg. 36 (PL 210, 639), ubi et sequentia (PL 210, 638), sed non omnino verbotenus.
7 Rectius cap. 66, 9.
8 Cf. supra, p. 521, nota 13.
9 Cf. supra, n. 2; Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 7b).
10 Cf. hic sub *Respondeo.*

non quae est usia, et dicitur 'substantia hypostasis' substantia discreta [a] sive singularis, sicut 'usia' substantia communis. Ideo proprie designatio pronominalis secundum primam intentionem pertinet ad personam, non ad essentiam. Quod ergo dicitur 'ipsum nomen pronominari, cum significatur divina essentia', non intelligitur quod significetur proprius per pronomina quam per nomina, sed quia in divinis nominibus debet intelligi substantia mera et simplex, abstractis accidentalibus proprietatibus et formis.

a-b. Ad ea vero quae ex parte opposita obiciuntur: dicendum quod rationes decurrunt in quantum pronominalis designatio accipitur proprie [b]; in divinis autem non est acceptio propria, sicut dictum est [1].

c. Et ad illud [c] quod obicitur de demonstratione: dicendum quod proprie in divinis non est accipienda demonstratio nec ad sensum nec ad intellectum; sed, sicut dicitur in libro *De regulis fidei* [2], dicatur quod « demonstratio fit ad fidem ».

II. Item, iuxta hoc quaeritur de pronominibus possessivis [d] utrum possint accipi ad significationem divinae essentiae.

Ad quod sic: 1. Isai. 1,14: *Solemnitates vestras odivit* [e] *anima mea;* et constans est quod '*anima mea*' non dicit aliud ibi nisi [f] essentiam divinam; ergo nomen possessivum designat divinam essentiam.

2. Item, in aliis locis pluribus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* Gen. 1,26.

Contra: *a.* « Possessivum notat differentiam possidentis ad possessum [3] » secundum essentiam; sed in divinis nullo modo est accipere differentiam [g] secundum essentiam; ergo nullo modo est accipere possessivum.

Respondeo, secundum quod dicitur in libro *De regulis fidei* [4]: « Pronomina possessiva per maximam improprietatem dicuntur in divinis, tamen secundum gradus improprietatis. Maxime enim improprie dicuntur de essentia respectu sui [h], ut Isai. 1,14: *Solemnitates vestras odivit anima mea,* impropriissime ponitur '*mea*': nulla enim [i] est differentia inter animam Dei et Deum; anima enim Dei est ipsa voluntas, quae est ipse Deus. Minus vero improprie [k] dicuntur, cum dicuntur [l] de persona respectu personae, inter quas non est differentia substantialitatis, quamvis personalitatis, ut cum dicitur Matth. 3,17: *Hic est Filius meus dilectus;* et quod dico '*meus*' insinuat divinae generationis proprietatem. Minime vero improprie dicuntur, cum dicuntur de essentia sive de persona respectu creaturae. Quod contingit duobus modis: aliquando ut notetur auctoritas gubernationis vel creationis, ut in Ioan. 17,10: *Omnia mea tua sunt; Mea est terra* [5] etc.; aliquando ut notetur gratia recreationis [m], ut in Luc. 11,7: *Filii* [n] *mei mecum sunt in cubili* ».

CAPUT II. 354

UTRUM DIVINA ESSENTIA POSSIT SIGNIFICARI PER PRONOMINA MASCULINI ET FEMININI GENERIS.

Consequenter [6] quaeritur utrum divina essentia possit significari per pronomina [o] masculini generis et feminini substantivata.

Et probatur quod non: *a.* Quia si posset, haec esset vera 'ille [p] qui est Pater, est Filius': quod esset haereticum dicere.

Sed quod possit, videtur: 1. Quia super illud Psalmi [7]: *Complaceat tibi, Domine,* Glossa [8]: « Tibi uni Deo »; sed iste terminus « uni Deo [q] » supponit pro essentia; ergo hoc pronomen « tibi » supponit pro essentia [r]. — Item, super idem Glossa [9]: « Tibi Trinitati »; ergo hoc [s] pronomen 'tibi' supponit pro Trinitate, et ita istae [t] duae Glossae contradicunt.

2. Item, Exod. [10]: *Qui est misit me ad vos,* ubi dicit Hieronymus [11]: « Merito Dominus, qui vere est, nomen essentiae tenuit »; et ita iste terminus '*qui est*' supponit pro essentia. — Item, Exod. [12]: *Ego sum qui sum,* aut supponitur [u] essentia aut persona; sed non persona, quia qua ratione una, ea ratione alia; ergo essentia. — Item, Moyses

---

[a] S *discreti.* [b] R om. [c] BRG *aliud,* G om. *ad.* [d] VS *possessionis,* P om. *de.* [e] S *odiunt.* [f] L *quam.* [g] L *differentias.* [h] G om. [i] V om. [k] V om. [l] BRG om. *c. d.* [m] V *increationis.* [n] L (corr. mg.) *pueri,* exp. *filii.* [o] G *nomina.* [p] B add. *est.* [q] V om. [r] V om. *ergo... essentia.* [s] PVS om. [t] BRG *ille.* [u] G add. *pro.*

1 Cf. p. 524, sub *Respondeo.*
2 Reg. 36 (PL 210, 638).
3 Alan., loc. cit. (PL 210, 639).
4 Loc. cit.
5 Exod. 19, 5.
6 Omnia sequentia, exceptis quae sub *Respondeo* dicuntur, usque ad finem occurrunt fere verbotenus ap. Guil. Altissiod., loc. cit., c. 3, q. 7 (f. 7ab).
7 Psalm. 39, 14.
8 *Interlin.* et Lombardi, in h. l. (PL 191, 405).
9 Loc. cit.
10 Cap. 3, 14.
11 *Epist.* 15 (PL 22, 357).
12 Cap. 3, 14.

per hanc vocem: *Ego sum qui sum,* non intelligebat aliquam personam; ergo solum intelligebat essentiam; ergo hoc pronomen '*ego*' supponit ibi pro essentia.

3. Item, vere dicitur 'Deus est et ille [a] est Trinitas', et constat quod hoc relativum 'ille' supponit pro essentia; eadem ratione hoc pronomen 'iste' [b] supponit pro essentia [c].

4. Item,

> Sit salus illi, decus atque virtus,
> Qui supra caeli residet cacumen,
> Totius mundi machinam gubernans,
> Trinus et unus [1].

Non potest dici quod hoc pronomen 'illi' et hoc pronomen [d] 'qui' supponat pro persona, quia nulla persona est trina et una; nec potest dici quod supponat pro tribus personis simul, quia secundum hoc haec [e] esset vera [f] 'aliquis est Trinitas'; ergo relinquitur quod supponit solum pro essentia.

5. Item, pronomen masculini generis [g] et pronomen neutri non differunt nisi in consignificatione [h] sexus; sed in divinis non est sexus; ergo in divinis aequipollent; sed pronomen neutri potest supponere pro essentia; ergo et pronomen masculini.

Respondeo [2]: Dicendum quod propter [i] distinctionem quam important pronomina in masculino et in feminino [k] substantivata [l] non habent designare essentiam vel [m] supponere, sed solum in neutro.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicunt quod hoc pronomen 'tibi' tenetur pro Trinitate et [n] tenetur adiective; unde subintelligitur 'Trinitati': ad Trinitatem enim fit sermo, quod notatur per praepositionem huius verbi 'complaceat' quae exigit pluralitatem; et secundum hoc non usquequaque proprie dicitur 'tibi uni Deo', quia haec dictio 'uni' non habet ibi nisi unitatem formae, cum ibi sit pluralitas suppositorum.

2. Ad secundum dicendum [o] quod iste terminus '*qui est*' supponit pro persona [p] nec aliter dicitur nomen essentiae nisi propter hoc verbum 'est', quod [q] essentiam significat, sed eam non significat ut in essentia, sed ut [r] in persona. — Similiter cum dicitur: *Ego sum qui sum,* hoc pronomen '*ego*' [s] supponit pro persona, scilicet pro Filio Dei, sicut dicit Glossa super illud Isai. 65, 1: *Ecce ego ad gentes,* Glossa [3]: «Filius loquitur, qui dixit Moysi: *Ego sum qui sum*»; magis autem supponit pro Filio Dei quam pro alia persona, quia ibi agitur de liberatione humani generis, quae facta est auctoritate et ministerio Filii Dei, et Moyses magis intellexit de Filio Dei quam de alia persona, quia ibi dictum est [4]: *Et descendi liberare eos;* sicut in Daniele [5], ubi dicitur: *Filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit,* intelligitur quod *antiquus dierum* est Pater per hoc quod [a] dicitur [6]: *Dedit ei* [b] *potestatem et honorem* etc.

3. Ad tertio [c] obiectum dicendum quod non est simile de relativo pronomine [d] et demonstrativo, quia relativum trahit suam suppositionem a suo antecedente; unde si antecedens supponit [e] pro essentia, et relativum pro essentia. Sed pronomen demonstrativum substantivatum importat distinctionem et rationalitatem [f]: non enim substantivatur, ut dicunt Grammatici, nisi ad rationalia [g] et propter distinctionem, quam importat, non potest supponere pro essentia.

4. Ad quartum dicendum quod cum dicitur 'sit salus illi' etc. hoc pronomen 'illi' tenetur adiective et [h] subintelligitur hoc nomen [i] 'Deo', et sic fit suppositio pro essentia. Bene enim dicitur 'ego Deus, tu Deus, ego Deus, ille Deus'.

5. Ad ultimo obiectum dicimus quod neutrum genus non tantum differt a masculino in sexu, sed in consignificatione rationalitatis et distinctionis, quae importatur per masculinum, non per neutrum. In significatione autem distinctionis et rationalitatis consistit [k] personalitas et propter hoc cum dicitur 'iste est', supponitur tantum [l] persona.

Sed obicitur: Constat quod divina essentia [m] est rationalis et distinguibilis re et intellectu: eius enim discretio prohibet illam praedicari de pluribus essentiis; ergo est distincta ab alia essentia; ergo nec distinctio nec rationalitas [n] nec illa sumpta insimul impediunt quin possit divina essentia demonstrari per hoc pronomen 'iste' [o]. — Ad hoc potest dici quod divina essentia discreta [p] est ut forma, sed non ut hypostasis; sed hoc pronomen 'iste' importat distinctionem substantiae subiectae et propter hoc non potest

---

[a] G om. *e. i.* [b] PV *qui,* quod S corr. [c] R om. *eadem... essentia.* [d] Ita S, alii *nomen.* [e] Ita B (mg.) L, alii om. [f] B add. *et.* [g] V om. [h] BRG *significatione.* [i] S om. [k] S *masculini et feminini,* B *masculina;* BRGL om. *in.* [l] BRG *substantivato,* L *substantinato.* [m] S *substantiam et* pro *e. v.* [n] V *vel.* [o] V om. [p] G *personis.* [q] RG *quia,* quod B corr. [r] Ita S, alii om. [s] L om.

[a] G om. [b] L om., V om. *dicitur.* [c] R *tertium,* RG om. *obiectum.* [d] Codd. *pronominis.* [e] BRGL om. [f] Ita P, alii *rationabilitatem.* [g] SG *rationabilia.* [h] V add. *sic.* [i] PVS *pronomen.* [k] G *consulit.* [l] V *tamen.* [m] P om. [n] BRGL *rationabilitas.* [o] G *ille.* [p] G om.

[1] Stropha finalis hymni *Iste Confessor,* iuxta Breviar. Monast. Cf. H. Rosenberg, *Die Hymnen des Breviers,* I, 174 (Freib. i. B. 1923).

[2] Cf. Alan., *Theol. reg.,* reg. 27 (PL 210, 635).

[3] Cf. supra, p. 521, nota 13.

[4] Exod. 3, 8.

[5] Cap. 7, 13.

[6] Dan. 7, 14.

demonstrare essentiam divinam. — Vel planius potest dici quod hoc pronomen 'iste' duplicem distinctionem exigit, scilicet distinctionem singularitatis et distinctionem incommunicabilitatis; primam non habet divina essentia, sed secundam: est enim communicabilis a tribus personis et propter hoc non potest demonstrari per hoc pronomen 'iste'.

QUAESTIO II.

DE NOMINE OPERATIONIS.

Inquisito de nominibus significantibus ipsum esse absolute, sequentes ordinem Ioannis Damasceni, inquirendum est de nomine operationis [a], quod est hoc nomen 'Deus', et in hunc modum:

Primo, de eius significatione;
secundo, de eius consignificatione;
tertio, de eius suppositione.

MEMBRUM I.

De significatione huius nominis 'Deus'.

Quantum ad primum notandum, secundum Sanctos [1], quod hoc nomen 'Deus' [b] accipitur tripliciter: naturaliter, cum accipitur pro essentialiter [c] Deo, ut [2]: *In principio creavit Deus caelum et terram;* adoptive, cum accipitur pro sanctis, eo quod sunt in participatione divinitatis — et hoc vel in participatione potentiae, propter quod dicitur Moysi, Exod. 7,1 et 22,28 [d]: *Constitui te deum Pharaonis. Diis non detrahes* [e]; vel in participatione sapientiae, ut in Psalmo [3]: *Ego dixi: dii estis,* quod exponit Dominus, Ioan. 10,34; vel in participatione bonitatis, unde [4]: *Deus deorum Dominus locutus est* — nuncupative, ut [f] cum hoc nomen 'Deus' [g] attribuitur iis qui non sunt dii participatione deitatis, ut idolis vel daemoniis, in Psalmo [5]: *Omnes dii gentium daemonia* [h].

Quaeruntur igitur duo:

Primo, utrum hoc nomen 'Deus' dicatur aequivoce vel univoce, cum [i] accipitur naturaliter, adoptive, nuncupative;

secundo, utrum hoc nomen 'Deus', secundum quod accipitur naturaliter, sit nomen operationis.

CAPUT I. 355

UTRUM HOC NOMEN 'DEUS' DICATUR UNIVOCE VEL AEQUIVOCE.

Ad primum obicitur sic: I. 1. Constans est quod deitas forma est Dei [6], nullo modo communicabilis creaturae; nomen ergo significans habentem deitatem, secundum hanc rationem, erit incommunicabile creaturae; si [k] ergo hoc nomen 'Deus' est tale, significans rem habentem deitatem [l], ergo est incommunicabile creaturae; si ergo dicatur de creatura, dicetur aequivoce.

2. Item, cum hoc nomen [m] 'Deus' accipitur naturaliter, significat increatam substantiam in [n] quantum huiusmodi; cum accipitur adoptive, significat creatam substantiam participem deitatis [o]; cum dicitur nuncupative, significat idolum, quod est confictio falsae opinionis; sed de iis non accipitur omnino ratio una, immo penitus diversa; ergo aequivoce.

---

[a] S *comparationis.* [b] V om. [c] PVS *essentialiter pro* pro *p. e.* [d] BRG add. *Exodi.* [e] P *detraheres.* [f] BRG om. [g] BRGL om. [h] V add. *Dominus.* [i] BRGL *et,* G om. *v. u.* [k] G om. [l] BRGL *divinitatem.* [m] BRGL om. *h. n.* [n] V om. [o] L *divinitatis;* BRG *participatione divinitatis* pro *p. d.*

1 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., c. 3, q. 4 (f. 5c).
2 Gen. 1, 1.
3 Psalm. 81, 6.
4 Psalm. 49, 1.
5 Psalm. 95, 5.
6 Cf. Alan., *Theol. reg.,* regg. 13-16 (PL 210, 629).

Contra: *a.* 'Bonum', cum [a] accipitur essentialiter de Deo et cum accipitur per participationem de creatura, non dicitur aequivoce, sed secundum analogiam; ergo hoc nomen 'Deus', cum accipitur naturaliter et cum accipitur per participationem, non dicitur aequivoce.

b. Item, hoc nomen 'beatitudo' dicitur secundum veritatem de aeterna gloria, secundum errorem hoc nomen attributum est delectationibus quae sunt in voluptate ab Epicuraeis, vel opulentiae quae est in divitiis et huiusmodi; nec tamen nomen beatitudinis aequivocatum est, cum acceptum est pro beatitudine vera et cum acceptum est pro beatitudine nuncupativa; ergo similiter hoc nomen 'Deus' non accipitur aequivoce, cum accipitur pro vero Deo et cum accipitur [b] nuncupative pro idolo.

c. Item, ratio unius intentionis beatitudinis, quae est « status omnium bonorum congregatione perfectus [1] », cum accipitur vere pro aeterna gloria et cum accipitur nuncupative pro voluptate, facit quod nomen beatitudinis non dicitur aequivoce de gloria et voluptate. Ergo similiter ratio intentionis una huius nominis 'Deus', quae est 'res omnipotens', quae accipitur a fideli, cum confitetur Deum verum, et ab idololatra, cum confitetur deum idolum — uterque enim accipit rem omnipotentem, sive fidelis de Deo vero sive idololatra de idolo — ergo haec intentio una, scilicet res omnipotens, faciet quod non dicetur aequivoce hoc nomen 'Deus' et [c] cum accipitur naturaliter et cum accipitur nuncupative [2].

d. Item, idem est omnino 'res omnipotens' quod 'Deus'; sed gentilis credit idolum esse rem [d] omnipotentem; ergo credit idolum esse Deum verum.

e. Item [3], infidelis dicit 'idolum est Deus', fidelis negat idolum esse Deum: contradicunt sic dicendo idololatra et fidelis, ita quod unus [e] affirmat, alius negat; sed non esset contradictio vera nisi hoc nomen 'Deus' utrobique acciperetur in eadem significatione [f]; in eadem ergo significatione affirmat infidelis [g], in qua negat fidelis; sed ille accipit pro Deo vero, scilicet fidelis; ergo et infidelis affirmat idolum esse verum Deum; non ergo aequivoce.

f. Item, cum dicit idololatra 'idolum est deus', aut dicit verum aut falsum. Si dicit verum: ergo non errat [h] dicens idolum esse Deum; si falsum: sed si hoc nomen 'Deus' accipitur nuncupative, non est [i] falsum 'idolum est Deus'; ergo in eadem significatione accipitur ab idololatra et fideli; ergo non aequivoce.

II. Item, quaeritur utrum praedicta divisio — quae sumitur de I ad Cor. 8, 5-6: *Nam etsi sunt qui dicantur dii multi sive in caelo sive in terra: et siquidem dii multi, nobis autem unus est Deus;* ibi Glossa [4]: « Deus dicitur tribus modis: substantive, Deus Trinitas; adoptive, sancti, qui per gratiam adoptionis dii sunt; nuncupative, daemones et idola, qui nominetenus tantum dii sunt, non natura vel participatione deitatis [k] » — quaeritur ergo utrum haec divisio sit vocis in significationes. Ad quod disputatum est.

III. Item [l], quaeritur circa singulas acceptiones secundum quod hoc nomen 'Deus' accipitur naturaliter vel substantive, utrum sit commune vel proprium.

a. Et cum hoc nomen 'Deus' non sit multiplicabile, immo, sicut dicitur Deuter. 6, 4 [5]: *Audi Israel mandata vitae, Deus tuus, Deus* [m] *unus est,* erit hoc nomen 'Deus' nomen proprium [n].

Contra: 1. Ioannes Damascenus [6]: « 'Deus' commune naturae significat et in unamquamque personam, id est hypostasim, ordinatur quemadmodum 'homo' ».

IV. Item, quaeritur de hoc nomine 'Deus' secundum quod sumitur adoptive, utrum angeli vocandi sunt dii sicut homines sancti.

Ad quod 1. est illud quod dicitur [o] I Cor. 8, 6, super illud: *Nobis unus est Deus,* ubi movetur haec quaestio et determinatur [p] sic [7]: « Si nusquam in divinis Eloquiis reperitur quod angeli dicantur dii, ea mihi potissimum causa occurrit ne ab hominibus putarentur colendi, ne homines ad hoc inclinarentur [q] ut servitium religionis, quae [r] graece λατρια dicitur, angelis exhiberent. Quod ergo dicitur *Deus deorum* [8] et *Rex magnus super omnes deos* [9] nonnisi de sanctis accipitur ». Cum ergo nihil de divinis fas sit [s] dicere praeter id quod invenimus in Eloquiis divinis expressum [10], ergo angeli non debent dici dii.

---

[a] V *quod*, L *tantum*. [b] S om. *aequivoce cum... accipitur*. [c] VS om. [d] G om. [e] V *alius*. [f] PSBLF add. *non enim esset contradictio nisi acciperetur in eadem significatione*, quod V om. et R delev. per *vacat*. [g] V *fidelis*. [h] PSL add. *a Deo;* L om. *dicens* pro quo BRG *dicendo*. [i] PS add. *hoc*. [k] BRGL om., V om. *vel*. [l] S om. [m] B om. [n] S delevit *hoc nomen Deus... proprium* per *vacat*. [o] S om. *q. d.* [p] V *terminatur*. [q] PVS *declinarentur*, L *reclinarentur*. [r] PVS *quod*. [s] PVS om.

1 Boeth., *De consol. philos.*, III, pr. 2 (PL 63, 724).
2 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 5c).
3 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.; Praepositi., *Summa*, I (f. 79c), etiam pro sequenti argumento.
4 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 532) et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1604).
5 Cf. Baruch, c. 3, 9.
6 *De fide orthod.*, III, c. 11 (PG 94, 1027).
7 *Glossa* Lombardi, in h. l. (PL 191, 1604), ex Augustino, *Enarr. in Psalm. 135* (PL 37, 1757).
8 Psalm. 49, 1.
9 Psalm. 94, 3.
10 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 1, § 1 (PG 3, 587, PL 122, 1113).

Contra: *a.* Angeli magis sunt in participatione divinitatis quam homines: unde « hominibus sanctis maximum praemium promittitur aequalitas angelorum [1] »; si ergo dii dicuntur sancti ratione participationis divinitatis, ergo angeli magis debent dici dii quam sancti.

b. Item, Dan. 3,92, super illud: *Species quarti* [a] etc., Glossa [2]: « Quoniam angeli sunt dii et filii Dei ».

V. Item, quaeritur de hoc nomine 'Deus' secundum quod dicitur nuncupative.

a. Nam cum dicit idololatra 'idolum [b] est deus', hoc nomen 'deus' habet aliquam significationem; aut igitur eamdem significationem quam habet catholicus [c] cum dicit 'Trinitas est Deus', aut aliam. Si aliam: sed secundum illam significationem convenit idolo; ergo haec erit vera 'idolum est deus'; si eamdem: sed in hac 'Trinitas [d] est Deus' accipitur hoc nomen 'Deus' [e] naturaliter et substantive; non ergo nuncupative.

VI. Item, quaeritur quid subsit huic intentioni 'idolum'.

Nam dicit Apostolus, I Cor. 8,4: *Idolum nihil est in mundo, et quod nullus est Deus nisi unus;* ergo videtur quod nihil subsit huic nomini quod est 'idolum'. — Si vero exponatur, sicut ibi exponitur in Glossa [3]: « *Nihil est idolum in mundo* [f], id est inter creaturas mundi » quod tamen intelligitur formaliter, non materialiter [g]; unde ibi dicitur [4]: « Materiam Deus [h] formavit, sed stultitia hominum formam dedit; quaecumque [i] enim facta sunt naturaliter, quaecumque sunt [k] in creaturis, facta [l] sunt per Verbum; sed forma hominis in idolo non est facta per Verbum » — contra: Quidquid est, in quantum est, a Deo est; sed forma hominis, quae imprimitur ipsi materiae per configurationem, aliquid est; ergo est a Deo et per Verbum; aliquid igitur est idolum.

Respondeo: Notandum [m] quod quidam circa hoc diversa dixerunt. Praepositinus [5] dixit quod hoc nomen 'Deus' penitus idem significat cum accipitur naturaliter, cum accipitur adoptive, cum accipitur nuncupative: semper enim significatur divina natura, cum hoc nomen 'Deus' dicitur de Trinitate vel de viro sancto vel de [n] idolo, sed tamen differenter est attributio. Nam cum dicitur 'Trinitas est Deus', hic significatur divina natura attributa ei quod ipsa est; cum vero dicitur de viro sancto 'deus vel dii', attribuitur divina natura non ei quod [o] est, sed ei cui per gratiam inest sive per participationem; cum vero dicitur ab idololatra 'idolum est deus', significatur etiam divina natura, sed attributa rei cui significatio sua non convenit nec per identitatem nec per participationem, et ideo simpliciter falsa est propositio. — Et si obiciatur quod idololatra nihil novit de divina natura nec de Deo vero et non significat nisi quod intelligit [p] nec etiam significare intendit: cum ergo dicit 'idolum est deus', non significat Deum verum — ad hoc respondet Praepositinus distinguendo inter intelligentem et ignorantem. Intelligens enim rei significationem semper [q] quod intendit significare significat; ignorans vero [r] multipliciter est: est enim ignorans « qui credit se ignorare et est ignorans qui credit se intelligere. In ignorante qui credit se ignorare, distinguitur: refert [s] enim utrum intendat dicere quod locutio significat, quamvis non intelligat, sicut mulier cantans psalterium, vel utrum intendat tantum verba proferre, ut puer qui nihil aliud intendit nisi ut proferat verba ». In primo casu ignorans enuntiat [t], in secundo vero nihil dicit, et hoc « nisi Spiritus Sanctus eo utatur tamquam organo, ut in asina Balaam [6]. Item [u], in ignorante qui credit se intelligere, distinguitur: nam refert utrum intellectum ad aliquid specialiter referat vel non [v]. Si specialiter ad aliquid referat, illud dicit, sed tamen locutio illius non significat; verbi gratia, si iste putet quod hoc vocabulum 'Sortes' idem significet quod hoc nomen 'sacerdos' et dicat 'iste est sacerdos' [x], dico quod dicit istum esse Sortem, non tamen propositio illud significat. Si vero non retorqueat intellectum specialiter ad aliquid, tunc dicit quod locutio significat, licet non credat se illud enuntiare. Secundum hoc de idololatra respondetur quod cum dicit 'idolum est deus' et putat quod hoc nomen 'deus' significat idolum: si [y] retorqueat intellectum suum ad ipsam rem quae est idolum, dicit vel enuntiat hoc esse idolum, propositio tamen illud non significat; si vero non retorqueat ad aliquid, tunc enuntiat quod locutio significat, scilicet idolum esse deum, licet non credat se illud enuntiare ». Secundum hoc [z] ergo idololatra putat se verum dicere, non

---

[a] PVS *quam.* [b] G add. *cuius.* [c] G *caro.* [d] L *Trinitate.* [e] R om. [f] V om. *i. m.* [g] S *materialiter non formaliter* pro *f. n. m.* [h] S om. [i] B *quicumque.* [k] B *enim sunt,* R om. *q. s.* [l] BGL repet. [m] BR *notando.* [n] V add. *illo.* [o] PV add. *ipsa,* S *cui* pro *ei.* [p] Ita L, alii *intelligitur.* [q] G *secundum.* [r] L *enim.* [s] BL *refertur,* quod R corr. [t] V *essentiat.* [u] G om. [v] R om. *v. n.* [x] RG om. *e. d. i. e. s.,* quod in SB est add. mg., sed S om. *et.* [y] L *sed.* [z] L om.

1 Lombard., loc. cit. Cf. Matth. 22, 30.

2 Hieronym., *In Danielem,* c. 4, 96 (PL 25, 511).

3 *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 532) et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1602), ex Augustino, *In Ioan.,* tr. 1, n. 13 (PL 35, 1385).

4 In *Glossa* Lombardi, loc. cit.

5 *Summa,* I (f. 79cd), ubi et obiectio ad sensum, sed responsio ad hanc fere verbotenus.

6 Cf. Num. 22, 28 sqq.

tamen intelligit quid est quod significat hoc nomen 'Deus'. Utrum autem verum dicat, infra declarabitur [1].

Aliter respondet ad istud Guilelmus [a] Altissiodorensis [2]. Distinguit enim sic: « Quidam sunt qui per creaturas cognoverunt Deum, sed quia *non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt,* ideo *obscuratum est insipiens cor eorum* [b] et *stulti facti sunt* ita ut servirent *potius creaturae quam Creatori* [3]. De istis verum est quoniam isti [c] credebant de idolo ipsum esse deum, qui bene poterant cogitare de vero Deo quem [d] prius cognoverant, sicut multi sunt suspicati fel esse mel [4]. Fuerunt autem alii qui nunquam cognoverunt Deum, qui idola sua credunt esse omnipotentia et posse iuvare in omni articulo; talis gentilis non credit idolum esse Deum, quia nihil cogitat de Deo. Secundum hoc ergo dicendum quod haec argumentatio non valet 'iste gentilis credit idolum esse rem omnipotentem, ergo credit idolum esse Deum'; licet enim naturaliter idem sit res omnipotens quod Deus, tamen haec vox 'res [e] omnipotens' potest trahi ad supponendum pro aliquo ad quod supponendum non potest trahi haec dictio 'Deus'. Sicut etiam vox ista 'rationale animal' potest trahi ad supponendum pro aliquo ad quod supponendum non potest trahi haec dictio 'homo' [f]: ut si aliquis cogitet rationalitatem in brunello [g], constat quod ipse cogitat de asino rationali; [si autem cogitat de asino rationali], cogitat de animali rationali, non tamen cogitat de homine. Et ita non valet: 'gentilis credit idolum esse rem omnipotentem, ergo credit idolum esse deum'; et est ibi fallacia consequentis a superiori ad [h] inferius. Sicut enim haec vox 'animal rationale' cum verbo 'cogitandi' superior est ad hanc dictionem 'homo', ita haec vox 'res omnipotens' cum verbo 'credendi' superior est ad hunc terminum 'Deus'; eodem modo dicitur quod haec argumentatio non valet: 'gentilis credit idolum habere divinitatem, ergo credit idolum esse deum' ».

Aliter autem dicimus [i] tenentes mediam viam. Nam, cum hoc nomen 'Deus' accipitur naturaliter, adoptive, nuncupative, non penitus idem significat nec penitus in alia ratione. Secundum enim propriam rationem huius nominis 'Deus', quae [k] est in uno simplici et solo, quod est 'omnibus principium et causa', accipitur in alia ratione: nam 'unum simplex principium et causa omnium' convenit uni soli increatae naturae. Secundum vero communem rationem, quae accipitur a notione mentis nostrae impressa, videlicet quod est aliqua res supra hominem veneranda, dicitur per prius et posterius hoc nomen 'Deus': nam res veneranda super hominem aut est veneranda secundum veritatem aut secundum falsam opinionem. Si secundum falsam opinionem, sic accipitur nuncupative et non subest veritas in re, ut cum dicitur idolum deus. Si vero est veneranda res secundum veritatem, aut ergo est veneranda veneratione latriae sive veneranda ex se et propter se velut principium et causa omnium, et hoc modo hoc nomen 'Deus' accipitur naturaliter et substantive, ut cum dicitur 'Trinitas est [l] Deus'; vel est [m] veneranda veneratione [n] duliae sive ex alio et propter aliud, secundum quem modum [o] accipitur adoptive, ut cum dicitur de sanctis quod sunt dii propter conformationem ad Deum per gratiam.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo patet responsio, quoniam secundum quod hoc nomen 'Deus' accipitur in ratione propria, significat formam incommunicabilem creaturae; secundum vero rationem communem dicitur per prius et posterius sive secundum simpliciter et secundum quid.

2. Et similis est responsio ad secundum.

a-e. Ad ea vero quae in partem oppositam obiciuntur: concedendum est [p] secundum distinctionem praedictam.

II. Ad illud vero quod quaeritur 'utrum sit divisio vocis in significationes': dicendum quod est in ea quae se habent secundum [q] prius et posterius et [r] simpliciter et secundum quid. Secundum prius et simpliciter dicitur substantive, secundum [s] posterius dicitur adoptive, secundum id quod est secundum quid [t] nuncupative.

III. Ad illud vero quod quaeritur 'cum hoc nomen Deus accipitur substantive, utrum sit commune aut proprium': dicendum quod, loquendo proprie, nec est commune nec proprium, quemadmodum nec id quod subest, scilicet divina natura, nec est commune nec proprium [u], sicut patet ex praecedentibus [5], nihilominus aliquid habet de uno, aliquid de altero. Nam si respiciamus ad significatum, quod est [v] unum solum, quasi proprium est; si vero respiciamus ad supposita, quae sunt divinae personae, quasi commune est.

IV. Ad aliud quod quaeritur 'cum hoc nomen Deus accipitur adoptive, utrum conveniat angelis':

---

[a] BRGL om. [b] BRG *illorum.* [c] BRG *ipsi.* [d] P *quam.* [e] B *rex.* [f] PV om. *Deus sicut etiam... homo,* in S est add. mg. [g] L *burnello.* [h] V *et.* [i] BRGL *dicendum* pro *a. d.* [k] G *qui.* [l] BRGL om. [m] BRGL add. *res.* [n] R *ratione.* [o] PV *quemadmodum* pro *q. m.,* quod S corr. [p] BRGL om. [q] BRG *per.* [r] BRG om. [s] L *sed;* B *prius* pro *posterius.* [t] S *id.* [u] R om. *quemadmodum... proprium.* [v] B *quasi* pro *q. e.*

1 Cf. infra, p. 531a, *ad V* et *VI.*
2 *Summa,* I, c. 3, q. 4 (f. 5cd).
3 Rom. 1, 21-25.
4 Cf. Aristot., *De elenchis,* c. 5 (I, 280); cf. supra, p. 44, nota 3.
5 Cf. supra, hic sub *Respondeo* et *ad 1.*

dicendum quod non negatur in praedicta auctoritate quod angeli non debeant vocari dii, sed quasi in dubio ponit utrum inveniatur in Scriptura; et sub hac conditione, si in Scriptura non inveniretur, redditur [a] ratio quae dicta est [1]. Notandum tamen quod alia ratione dicerentur angeli [b] dii, alia ratione homines; nam homines adoptantur ut sint in conformitate naturae cum Deo ratione humanae naturae [c] assumptae a Christo, et ideo in hac ratione non convenit angelis.

V. Ad aliud quod obicitur 'cum hoc nomen Deus accipitur nuncupative, ut cum dicitur idolum est deus', patet responsio: nam hoc nomen 'deus' non [d] accipitur pro Deo vero in ratione propria ab idololatra, accipitur tamen in ratione communi pro re super hominem veneranda [2]; et tamen quocumque modo acciperetur, falsa est [e] locutio, quia nec idolum est Deus sub ratione propria nec idolum est res super hominem veneranda.

VI. Ad ultimum vero quod quaeritur quid ponatur per intentionem huius nominis [f] 'idolum', cum dicatur '*idolum nihil est in mundo*': dicendum quod exponitur tripliciter in Glossa [3]. Uno modo « *idolum nihil est in mundo,* id est inter creaturas mundi »: et hoc debet [g] intelligi non materialiter, quia materiam idoli Deus creavit, nec formaliter quantum ad formam quae impressa est materiae, quae a Deo est et aliquid est, sed de forma impressa in mente idololatrae quae est dignitas quaedam existimata in idolo, et haec est forma idoli in quantum idolum: et hoc nihil est. Hinc dicitur Isai. 41,24: *Ecce vos estis ex nihilo et opus vestrum ex eo quod non est.* — Alio modo « *idolum nihil est in mundo,* id est illud, quod existimabatur ab idololatris idolum esse, nihil est: existimabant enim idolum esse personam compositam ex simulacro subsistente [h] et spiritu praesidente ». Contra quod dicitur in Psalmo 134,15-17: *Simulacra gentium* etc., sequitur: *Neque enim est* [i] *spiritus in ore ipsorum.* — Tertio modo « *idolum nihil est in mundo,* id est nullius rei quae sit in mundo similitudo », secundum quod fit differentia in Lege [k], Exod. 20,4 et Deut. 5,8 inter idolum et similitudinem: quia similitudo accipiebatur pro re configurata ad imitationem alicuius rei mundanae, ut hominis vel arietis; idolum est [l] res configurata ad imitationem solum humanae confictionis, sicut si aliquis configuraret chimaeram ex capite leonis et medio caprae [m] et cauda serpentis. — Quarto modo posset dici *idolum nihil est in mundo,* quod possit obesse [n] vel prodesse, Isai. 41,23: *Bene quoque aut male, si potestis, facite.*

CAPUT II. 356

UTRUM HOC NOMEN 'DEUS' ACCEPTUM NATURALITER SIT NOMEN OPERATIONIS.

Consequenter quaeritur de hoc nomine 'Deus' secundum quod accipitur substantive vel naturaliter, utrum sit nomen operationis.

a. Quod expresse dicit Ioannes Damascenus [4]. Unde dicit quod secundum nomen Dei est θεὸς, id est [o] Deus, quod dicitur vel ab eo quod est θέειν, quod est currere et fovere universa; vel ab αἴθειν, quod [p] est ardens: *Deus enim ignis* [q] *consumens est* [5] omnem malitiam; vel a θεᾶσθαι, id est a considerando omnia: nulla enim eum latent [6] ». Et [r] postmodum subdit quod est « nomen operationis ».

Contra: 1. Ambrosius [7]: « Deus nomen est naturae et Dominus nomen est potestatis ». Cum ergo sit nomen naturae, non ergo est nomen operationis.

2. Item, si hoc nomen 'Deus' est nomen operationis, ergo dicitur per habitudinem ad creaturam, sicut hoc nomen 'Creator'; ergo non decet poni in alia differentia nominationis [s] nomen operationis et nomen habitudinis.

3. Item, si [t] hoc nomen 'Deus' ab eo quod est currere sive fovere dicitur, quia [u] discurrit per omnia et fovet omnia, vel ab eo quod videt omnia [v] vel ab eo quod consumit malum: sed hae operationes dicuntur in habitudine ad creaturam; relinquitur igitur quod est nomen habitudinis.

4. Item, cum fovere sit actus bonitatis, videre actus sapientiae, consumere vero actus potestatis, bonitas autem appropriatur Spiritui Sancto, sapientia Filio, potestas Patri: videtur hoc nomen 'Deus' ratione unius proprietatis appropriatum

---

[a] RL *reddatur.* [b] PV om. [c] B om. *cum... naturae,* V *in* pro *a.* [d] P om. [e] RGL *esset.* [f] V *intentionis* pro *i. h. n.* [g] R *dicitur;* L *intelligitur* pro *intelligi.* [h] V *existentie.* [i] BRG om. [k] RGL add. *in.* [l] BRGL om. [m] VS *capite,* quod PBRG corr. [n] R *abesse.* [o] B om. *i. e.* [p] BRGL *id.* [q] PVS om. [r] BR om. [s] P *nomina.* [t] G om. [u] VBRG *quod.* [v] S om. *v. a. e. q. v. o.*

1 Cf. S. Bonav., *In Hexaëm.*, col. 5, n. 15 (V, 356b).
2 Cf. supra, p. 530b.
3 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1602).
4 *De fide orthod.*, I, c. 9 (PG 94, 835). Verba graeca latine redduntur sic in codicibus: *thein, ethim, theaste;* cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 3, q. 3 (f. 4c).
5 Deuter. 4, 24.
6 Cf. Iob. 42, 2.
7 *De Trinit.*, I, c. 1, n. 7 (PL 16, 530).

Patri, ratione alterius appropriatum Filio, ratione tertiae appropriatum Spiritui Sancto.

Respondeo: Nomen operationis dicitur duobus modis: uno modo nomen impositum ab operatione, alio modo nomen significans operationem. Primo modo dicit Damascenus[1] quod « hoc nomen 'Deus' est nomen operationis », quia impositum est et sumptum ab operatione fovendi, videndi vel consumendi, per quas operationes *a creatura mundi* cognoscitur *sempiterna virtus eius et divinitas*[2]. Secundo modo non est nomen operationis, immo significat ipsam divinam naturam in quantum huiusmodi et ad illam significandam impositum est. Quantum ergo ad illud a quo[a] imponitur, dicitur a Damasceno « nomen operationis »; quantum ad illud cui imponitur[b], dicit Ambrosius[3] quod est « nomen naturae ».

[Ad obiecta]: 1–2. Et per hoc solvitur primum et etiam secundum. Nam hoc nomen 'Creator' et imponitur ab operatione creationis et significat creationem ut in causa creante, et ideo nomen est habitudinis.

3. Ad tertium dicendum quod operatio Dei potest considerari dupliciter: secundum potentiam sive habitum et secundum actum. Secundum potentiam et habitum debet intelligi operatio sive fovendi[c] sive videndi[d] sive consumendi secundum quod ab operatione imponitur hoc nomen 'Deus'; secundum actum vero intelligitur operatio, a qua imponitur hoc nomen 'Creator'. Et ideo istud[e] nomen est habitudinis ad creaturam, non autem hoc nomen 'Deus'. Praeterea, est operatio Dei qua agit et est operatio quam[f] efficit[4]: quemadmodum in sole lucere est operatio qua agit et semper est in sole, et illuminare est operatio quam efficit in perspicuo susceptibili. Nomen ergo operationis ut qua Deus agit, est hoc nomen 'Deus' nec huiusmodi operatio dicitur in habitudine ad effectum: unde hoc modo debent intelligi illae operationes a qua hoc nomen 'Deus' imponitur, velut lucere, quod non dicitur in comparatione ad aliquid illustratum[g] vel illuminatum. Nomen vero[h] operationis, quam agens efficit, necessario ponit habitudinem ad effectum, sicut si diceretur 'sol lucens et illuminator': lucens dicitur respectu actionis absolute et qua agit, illuminator vero[i] ab operatione quam efficit: lucens absolute, illuminator in habitudine. Ita hoc nomen 'Deus', sive interpretetur fovens etc., dicitur absolute, sed 'Creator' dicitur in habitudine; haec autem debent intelligi in quantum dicunt habitum in causa et non actum in effectu.

4. Ad ultimum quod quaeritur[k] utrum sit appropriatum: dico quod non, sed[l] appropriabile; non enim significat has operationes, sed ab istis[m] operationibus imponitur ipsi naturae.

357

MEMBRUM II.

De consignificatione huius nominis 'Deus'.

Consequenter quaeritur de consignificatione huius nominis 'Deus' et hoc quantum ad numerum singularem et pluralem. Quantum ad consignificationem pluralem quaeritur an hoc nomen 'Deus', in quantum dicitur substantive, possit dici pluraliter.

I. Quaeritur ergo primo utrum possit[n] dici vere 'plures dii'[5].

Ad quod sic: 1. Idem est Deus quod habens divinam naturam; sed plures sunt habentes divinam naturam, scilicet tres personae.

2. Item, Gen. 1,1, ubi nos habemus: *In principio creavit Deus*[o] etc., hebraeus habet *heloim*, quod interpretatur dii vel iudices, sicut habetur 2 dist. I libri *Sententiarum*[6]. Ergo veritas hebraica praedicat plures deos.

3. Item, 'Deus' est nomen operationis, ut dictum est[7]; sed operatio Dei designatur pluraliter, Gen. 1,26: *Faciamus hominem ad imaginem*[p] etc.; actio enim numeratur[q] secundum personas; ergo similiter poterimus dicere plures deos.

4. Item, forma huius termini[r] 'Deus', quae respicit esse divinum, potest significari pluraliter per hoc nomen 'divinae', cum dicitur 'tres sunt personae divinae'; item, suppositum huius termini 'Deus' potest significari pluraliter, quia supponit personas; ergo tum ratione formae, tum ratione suppositi poterit significari pluraliter; ergo vere poterit dici 'plures dii'.

---

[a] R *qua.* [b] B om. *dicitur a... imponitur.* [c] B *foveri.* [d] L *vivendi.* [e] S *illud.* [f] P *quem.* [g] G add. *est.* [h] G *ergo.* [i] BRG *scilicet.* [k] V *dicendum quod* pro *q. q.* [l] S add. *non.* [m] S *ipsis.* [n] S *possent*, PV *posset.* [o] R add. *celum.* [p] RL add. *et similitudinem.* [q] S *enumeratur.* [r] L *nominis*, G *qui* pro *quae.*

[1] Cf. supra, sub litt. *a*.
[2] Rom. 1, 20.
[3] Cf. supra, sub n. 1.
[4] Cf. supra, p. 431, nota 6.
[5] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 4, a. un., q. 3 et d. 23, a. 2, q. 3 (I, 101, 414 sqq.); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 5 (f. 5d sqq.).
[6] Cap. 4 (p. 26).
[7] Cf. supra, num. 356.

Contra: *a. Symbolum* [1]: « Non tres dii, sed unus est [a] Deus ».

II. Item, quaeritur utrum possit in plurali congrue designari.

Ad quod sic: 1. Idem significat hoc nomen 'Deus' quod divina essentia [b] nisi quia in maiori abstractione significat hoc nomen 'essentia'; si ergo hoc nomen 'essentia', quod, secundum Augustinum [2], dicitur proprie de Deo, dicitur congrue pluraliter, ergo et hoc nomen 'Deus'.

2. Item, hoc nomen 'principium creaturarum' habet plurale, quia vere dicitur quod Manichaei credunt plura esse [c] principia creaturarum; sed aequipollent 'principium creaturarum' et 'Deus'; ergo hoc nomen 'Deus' habet plurale.

3. Item, ad Gal. 4,8: *Serviebatis iis* [d] *qui non sunt dii.* Glossa [3]: « *Non sunt dii* [e] natura, sed opinione hominum ». Congrue ergo negatur ibi hoc nomen 'dii' plurale, secundum quod significat naturaliter Deum; ergo hoc nomen 'Deus', prout accipitur naturaliter, ponitur congrue in plurali. — Item, ad idem est illud [f] [4]: « Itaque non tres Dii ».

Contra: *a.* I Cor. 8,5: *Etsi sunt dii multi,* Glossa [5]: « Adoptive vel nuncupative », *nobis tamen unus est Deus,* qui est Deus naturaliter. Ergo incongrue dicetur 'plures dii' quantum ad naturalem significationem.

b. Item, ibidem [6] dicitur: *Non est Deus nisi unus;* ergo hoc nomen 'Deus' est proprium Dei; ergo non habet plurale.

III. Item, quaeritur de consignificatione singularis utrum hoc nomen 'Deus', secundum quod accipitur adoptive, habeat singulare.

a. Nam in plurali loquuntur Scripturae: *Ego dixi, dii estis* [7]; et ad hoc facit praedicta auctoritas I ad Cor. 8,5, qua [g] dicitur: *Si sunt dii multi,* adoptive et nuncupative, *nobis tamen unus est Deus.* Ex quo relinquitur quod pluraliter debet dici 'dii' adoptive [h], non singulariter, similiter et nuncupative.

Contra: 1. Exod. 7,1: *Constitui te deum Pharaonis.* Constans est quod ibi dicitur 'deus' adoptive et tamen in singulari.

2. Item, sicut bonum dicitur dupliciter, per essentiam de Creatore, per participationem de creatura, sic hoc nomen 'Deus'; si ergo hoc nomen 'bonum', acceptum per participationem, convenit creaturae in singulari [i], et hoc nomen 'deus' conveniet viro sancto in singulari.

IV. Item, cum haec [k] possit esse vera aliquo modo 'Petrus est deus' et hoc propter communem rationem, numquid poterit haec esse vera 'idolum est deus', propter rationem [l] quae est secundum opinionem idololatrae?

Respondeo [m]: I. Ad primum dicendum quod hoc nomen 'Deus' nec vere nec proprie dicitur in plurali, secundum quod accipitur naturaliter. Et ratio est ex illa regula [8]: non habet locum distinctio, ubi non est ex diversis unio. Unde, quia est una divinitas [n] in tribus personis, non multiplicata, sed una eadem, necesse est tres personas unum esse Deum, non plures; si ergo vere significetur [o], nunquam dicetur [p] 'dii plures' vere, sed unus Deus.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod quemadmodum in aliis, cum dico 'humanitatem', dico quo [q] homo est; cum dico 'hominem', dico quod est; cum dico 'Petrum', dico quis est: secundum hoc dici potest in divinis, cum dico divinitatem, dico quo Deus est [r]; cum dico Deum, dico quod est; cum dico Patrem, dico quis est. Cum ergo obicit 'tres sunt habentes divinitatem', distinguendum est [s], quia 'habens divinitatem' dicitur dupliciter: ut quod est vel quis est; ut quod est, sic [t] dicitur per hoc nomen 'Deus'; ut quis est, per hoc nomen 'Pater'. Tres ergo sunt habentes divinitatem ut quis est, non sunt autem tres habentes divinitatem ut quod est, sed sunt tres personae, id est tres habentes divinitatem ut quis est. Secundum hoc ergo dicendum quod, cum dicitur 'Deus dicit idem quod habens divinam naturam', participium debet resolvi per 'quod', non per 'qui', ut sit sensus: 'Deus dicit quod est habens divinam naturam'; et sic habens divinam naturam est unum solum. Cum vero dicitur 'persona' de Patre aut de alia persona 'est habens divinam naturam', participium debet resolvi per 'qui est', non per 'quod est', ut sit sensus: 'Pater et Filius sunt habentes divinam naturam', id est qui habent; non tamen sequitur: ergo sunt dii [u]; commutatur enim [v] 'quis est' in 'quod est' sive ratio dicendi personaliter in rationem dicendi substantialiter.

---

[a] R om. [b] L om. [c] BRGL om. [d] PVS *diis.* [e] BG om. *G. n. s. d.*, in R est add. mg. [f] BRGL om. [g] S *quia.* [h] G om. *d. a.* [i] L *singularem.* [k] B om. [l] PVS *rem.* [m] S *solutio.* [n] BRGL *deitas.* [o] PVS *significentur.* [p] Ita BL, alii *dicentur.* [q] S *quod* [r] L om. [s] BGL om., R *dicendum quod* pro *d. e.* [t] S *sicut.* [u] G om. [v] V om.

1 Scilicet Athanasii.
2 Cf. *De Trinit.*, VII, c. 5, n. 10 (PL 42, 942).
3 *Interlin.* et Lombardi, in h. l. (PL 192, 139), ex Augustino, in h. l. (PL 35, 2128). 4 Ex *Symbolo* Athanasii.
5 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1604).
6 I Cor. 8, 4. 7 Psalm. 81, 6.
8 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 3 et Gilbert. Porret., in h. l. (PL 64, 1251, 1275 sq.).

2. Ad secundum dicendum [a] quod, sicut in graeco alia proprietas sermonis est quam in latino, similiter in hebraeo. Unde Graecis dicentibus 'tres hypostases' secundum proprietatem sui idiomatis, non tamen nos dicimus 'tres substantias', cum tamen hypostasis idem sit quod substantia, et hac ratione: quia hoc nomen 'substantia' in latina lingua indifferenter se habet ad designationem essentiae et suppositorum essentiae, in graeco vero 'hypostasis' est nomen suppositi essentiae; ideo quod in graeco sine ambiguitate dicitur 'tres hypostases' pro tribus suppositis personis, ambigue diceretur [b] latina lingua 'tres substantiae' [1]. Sermo autem catholicus debet esse certus, non ambiguus [2]. Simili modo iuxta proprietatem hebraici sermonis convenienter dicitur '*heloim*': appropriatum enim est suppositis essentiae et ideo convenienter pluraliter ponitur ratione suppositarum personarum. Apud Latinos vero hoc nomen 'Deus' pluraliter designaret non solum pluralitatem in suppositis, immo pluralitatem essentiae in suppositis.

3. Ad tertium dicendum quod, quamvis hoc nomen 'Deus' sit nomen operationis, praeter hoc habet intellectum substantiae perfectae et per se stantis. Operatio autem divina significatur dupliciter: adiective sive verbaliter, quoniam verba significant in adiacentia, et ideo propter pluralitatem personarum pluraliter significatur, cum dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem;* aliquando vero substantive et nominaliter, non per modum adiacentis, quae quidem operatio est eadem quod divina substantia et ideo non recipiet pluralitatem.

4. Ad quartum dicendum [3] « quod forma huius termini 'Deus' potest pluraliter significari respectu plurium suppositorum, sicut quando significatur [c] in adiacentia per hoc nomen 'divinae', ut cum dicitur 'personae divinae' [d], sed non potest pluraliter significari ad hoc ut in se recipiat pluralitatem vel distinctionem. Ad hoc autem quod hoc nomen 'Deus' haberet plurale, exigeretur quod haberet distinctionem » et multiplicaretur in suppositis.

II. Ad id quod secundo quaeritur ' utrum hoc nomen 'Deus' possit pluraliter congrue designari': dicendum quod non, quia cum sit absolutissimum et nomen simplicis naturae, importat omnes conditiones quae faciunt ipsum proprium absolutae et simplici naturae, quod prohibet ut non possit pluraliter designari, quemadmodum nec proprium nomen.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur de essentia, patet responsio ex praedictis [4]. Nam si hoc nomen 'essentia' intelligatur in sua generalitate, praedicari [e] potest de omnibus essentiis: unde potest habere plurale; sed si intelligeretur cum praecisione 'essentia se [f] ipsa ens et non alia', hoc modo proprium est divinae essentiae [g] nec recipit pluralitatem: talis enim est una sola et ideo non potest intelligi nec designari pluraliter.

2. Ad secundum dicendum [h] [5] quod « duo sunt genera eorum quae praedicantur de pluribus, sed non de uno solo: unum est [i] cuius imaginatio non prohibet ipsum praedicari de pluribus, sed ipsa res, sicut sol et luna; aliud est cuius imaginatio prohibet ipsum [k] praedicari de pluribus et ipsa res, ut Sortes. Talis differentia ponitur inter hoc nomen 'Deus' et 'primum principium creaturarum', quia hoc nomen 'Deus' [l] secundum rem non convenit pluribus naturis et [m] eius imaginatio istud [n] prohibet; iste vero terminus 'principium creaturarum' secundum rem non convenit pluribus naturis, sed tamen eius imaginatio istud non prohibet », quamvis tamen istud prohibeat verus intellectus; et ideo quamvis 'primum principium creaturarum' possit dici pluraliter, non tamen hoc nomen 'Deus'.

3. Ad aliud [o] vero dicendum [6] quod quandoque [p] per vocem non simpliciter significativam in coordinatione constructionis [q] melius designatur intentio dicentis quam per significativam; unde et apud poetas solent dicere 'duo Aiaces' [r] in coordinatione constructionis. Ita et in expressione veritatis fidei per vocem non significativam melius exprimitur intentio, ut in *Symbolo:* « Non plures dii » etc., id est [s] non sunt plures naturae quarum quaelibet sit deitas; et ad Gal. 4,8: *Serviebatis iis qui non* [t] *sunt dii.*

III. Ad illud quod consequenter quaeritur 'utrum hoc nomen [u] 'Deus' habeat singulare secundum quod sumitur adoptive': dicendum quod [v] non prohibet congruitas quin habeat singulare, sed ipsa proprietas dicendi prohibet ut in enuntiatione non dicatur sine determinatione. Unde Scriptura non dicit de Moyse: *Constitui te Deum,* sed *deum Pharaonis,* hoc est potentem super Pharaonem divinitus.

IV. Ad illud vero quod quaeritur an aliquo modo sit ista vera 'idolum est deus': dicendum

---

[a] BRGL *respondeo.* [b] PVS *dicerentur.* [c] PVS *significatio.* [d] R om. *u. c. d. p. d.* [e] BGL *prędicare,* quod R corr. [f] R *sic.* [g] L om. *et non alia... essentiae.* [h] BRGL om. [i] BRG om. [k] PVSL *ipsam.* [l] S om. *q. h. n. D.* [m] L in marg. *similiter,* expuncto *sed tamen.* [n] V *ista.* [o] P *illud.* [p] L *quando.* [q] L *instructionis.* [r] L vacat. [s] L om. *i. e.* [t] L om. [u] VBRGL om. *h. n.* [v] PVS add. *hoc.*

1 Cf. Lombard., I *Sent.,* d. 26, c. 1 (p. 163sq.).
2 Cf. Alan., *Theol. reg.,* reg. 34 (PL 210, 637).
3 Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 3, q. 5 (f. 6a).
4 Cf. in hoc membro.
5 Guil. Altissiod., loc. cit.
6 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.

quod non nisi cum determinatione trahente extra rationem [a], ut 'idolum est deus illi'. Simpliciter ergo istud nomen 'Deus' convenit Deo vero; secundum quid cum determinatione, ut [b] 'huius vel illius', convenit viro sancto; secundum quid vero cum determinatione, ut 'illi', potest convenire idolo: unde 'idolum est deus idololatrae' [c].

MEMBRUM III.

De suppositione huius nominis 'Deus'.

Consequenter quaeritur de suppositione huius nominis 'Deus'.

Circa quod fuerunt duae principales opiniones. Quorumdam opinio [1] fuit quod hoc nomen 'Deus' sic erat essentiale ut supponeret pro essentia proprie, tamen ex adiuncto, ut determinatione personali, trahitur extra propriam rationem ad supponendum pro persona. Unde cum dicitur 'Deus est', nullo modo supponit pro persona; cum dicitur 'Deus [d] generat', ex adiuncto trahitur ad supponendum pro persona. — Aliorum [2] vero opinio est quod hoc nomen 'Deus' significat naturam, sed ex modo suae significationis, quae est significans naturam ut quod est — 'quod est' autem convenit et naturae et rei naturae — ideo hoc nomen 'Deus' supponit quandoque naturam, ut cum dicitur 'Deus est tres personae'; quandoque vero supponit personam, et hoc differenter: quandoque pro una tantum, ut 'Deus generat', quandoque pro duabus, ut 'Deus spirat' [e], quandoque pro tribus, ut '*invisibili soli Deo*' etc., I Tim. ultimo [3].

CAPUT I. 858

UTRUM HOC NOMEN 'DEUS' SUPPONAT PRO ESSENTIA VEL ETIAM PRO PERSONA [4].

Contra primam opinionem obiciunt: *a.* In Psalmo [5] dicitur [f]: *Benedicat nos Deus, Deus noster* [g], *benedicat nos Deus* [h], *et metuant eum* [i] etc.; et dicit Ambrosius [6] quod « trina confessio Trinitatem exprimit personarum »; sed ibi non ponitur determinatio aliqua personalis, cum dicitur [k]: *Benedicat nos Deus* [l] etc.; hoc ergo nomen 'Deus' proprie supponit personam.

b. Item [7], « hoc nomen 'homo' proprie [m] supponit pro omni eo cui inest humanitas et hoc nomen 'asinus' pro omni eo [n] cui inest asinitas, et in similibus similiter; ergo hoc nomen 'Deus' proprie supponet pro omni eo cui inest divinitas; ergo supponit pro Patre et Filio et Spiritu Sancto ».

c. Item, « hoc nomen 'Deus' impositum est a deitate; aut ergo praecise impositum est ad insinuandam [o] essentiam aut ad insinuandam essentiam et personam. Si praecise ad insinuandam essentiam: ergo idem dicetur penitus, cum dicitur 'essentia' et 'Deus'; sed haec est [p] simpliciter falsa 'essentia divina genuit essentiam'; ergo et haec 'Deus genuit Deum' »: quod est contra Sanctos [8]. Si autem [q] ad insinuandam essentiam et personam: ergo habet supponere personam.

d. Item [9], « posito [r] quod iste dicat 'Deus Filius est', alius dicat 'Deus Pater est', obicitur sic: uterque loquitur de Deo, nam iste loquitur de Deo, ille loquitur de Deo [s], quaeritur quomodo

---

[a] L *naturam.* [b] L om. [c] P om., B *idolatrie.* [d] B om. *est nullo... Deus.* [e] B om. *q. p. d. u. D. s.* [f] R om. [g] S om. *D. n.* [h] V om. [i] P om., R add. *omnes.* [k] R *dicat.* [l] V om. [m] B om. [n] BRGL om. [o] P *insinuendam*, item subinde. [p] S om. [q] BRG om., V om. *ad.* [r] S *supposito.* [s] B om. *nam... Deo.*

1 Huic adhaeret Gilbert. Porret., de quo cf. infra num. 865. Praeposit., *Summa*, I (f. 72d), dicit: « Hoc nomen 'Deus' ubique significat divinam naturam ». Sententiam aliorum refert (ibid., f. 73ab) et addit: « Notandum autem quod hoc vocabulum 'Deus', ubicumque potest supponere pro essentia, potest supponere pro persona vel personis, sed non convertitur ». Quae dicit Alexander de duabus opinionibus fere verbotenus occurrunt apud Praeposit., loc. cit. et Guil. Altissiod., loc. cit. et q. 6 (f. 6c).

2 Inter quos Guil. Altissiod., loc. cit. c. 3, q. 4 (f. 5ab), qui easdem duas opiniones recitat, et de secunda hic allata dicit (f. 5b): « Aliorum est opinio, cui consentimus, quod hoc nomen 'Deus' habet suppositionem naturaliter tam pro essentia quam pro persona, quoniam impositum est a 'deitate'... Dicimus ergo quod hoc nomen 'Deus' supponit tam pro essentia quam pro persona, cum dicitur 'Deus est' ». Cf. Alan. *Thèol. reg.*, regg. 24 et 32 (PL 210, 632, 636).

3 Rectius c. 1, 17.

4 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 4, a. un., q. 4 (I, 102 sq.).

5 Psalm. 66, 7.

6 Apud Ambrosium non invenimus, sed ap. Lombard., I *Sent.*, d. 2, c. 4 (p. 26), ubi vox *alibi* non referenda est ad Ambrosium praecitatum, sed ad David psalmistam ex quo varii afferuntur textus. Pro *dicit Ambrosius*, Praeposit., loc. cit., habet *auctoritas dicit.*

7 Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 5a), ubi et sequens.

8 Cf. supra, num. 297. 9 Praeposit., loc. cit. (f. 72d).

accipiatur hoc nomen 'Deus': nam essentiam non supponit, quia neuter loquitur de essentia »; ergo personam supponit.

Contra haec obiecta ipsi replicant hoc modo: 1. Primo [a], quia cum dicitur: *Benedicat nos Deus* etc. *et metuant eum* [b] etc. « trina confessio Trinitatem exprimit personarum, unitatem vero essentiae cum singulariter subditur '*eum*' [1] ». Si ergo hoc pronomen '*eum*' exprimit unitatem essentiae, ergo refert unitatem essentiae; sed [c] non refert nisi illud quod supponebat hoc nomen 'Deus'; ergo supponebat unitatem essentiae, quamvis ex iteratione huius nominis 'Deus' [d] insinuetur pluralitas personarum [2].

2. Item, si nomen supponit pro omni eo cui attribuitur: sed hoc nomen 'essentia' attribuitur personae et [e] verum est quod Pater est essentia, Filius est essentia; ergo hoc nomen 'essentia' supponet pro persona proprie; ergo verum erit 'essentia generat, essentia generatur': quod non recipitur catholice. Si ergo hoc nomen 'essentia' non proprie supponit pro omni eo cui [f] attribuitur, ut pro personis, ergo nec hoc nomen 'Deus' [g] supponet pro personis, quamvis attribuatur personis.

3. Item, data positione praedicta [h] iuxta hoc quod dicit 'uterque istorum loquitur de Deo': si [i] hoc nomen 'Deus' [k] supponit personam, cum non sit persona [l] de qua uterque loquatur, ergo haec erit falsa 'uterque istorum loquitur de Deo' [m]; si ergo vera est et non est vera pro persona, est ergo vera pro essentia; ergo hoc nomen 'Deus' ibi supponit essentiam.

4. Item [3], « Deus est de quo iste loquitur, Deus est de quo ille loquitur, et non est nisi unus Deus; ergo unus Deus est de quo isti loquuntur ». Quaero ergo aut hoc quod dico 'unus Deus' supponit personam aut essentiam; non personam, quia non est una persona de qua isti loquuntur; ergo hoc nomen 'Deus' supponit essentiam.

Respondemus [n], tenentes secundam opinionem, quod hoc nomen 'Deus' ex modo suae significationis, quae imposita est ad significandum 'quod est Deus' — quod est autem [o] Deus, habet ponere naturam et rem naturae — habet supponere personam et naturam. Non sic autem est de hoc nomine 'deitas' vel de hoc nomine 'essentia divina'; nam horum significatio imposita est ad designandum 'quo Deus est' et ideo non habent supponere nisi naturam: 'quo est' enim non [p] ponit rem naturae sive personam. — Et si obiceretur quod in Deo non differt 'quod est' et 'quo est' [q]; ergo cui attribuetur 'quod est' et supponet, attribuetur 'quo est' et supponet; ergo si hoc nomen 'Deus' attribuitur personis et supponit personas, et hoc nomen 'essentia': – dicendum quod, quamvis in Deo secundum rem non differant 'quod est' et 'quo est', tamen refert in ratione dicendi quae [r] est secundum nos. Nam humana consideratio, considerans divinam essentiam in se et in quadam abstractione [s], significat ipsam ut 'quo est' per hoc nomen 'divinitas'; considerans vero divinam essentiam ut in habente illam, significat eam ut 'quod est' per hoc nomen 'Deus'. Quia ergo habens divinam [t] essentiam est divina persona, ut Pater et Filius, ideo persona supponetur per hoc nomen 'Deus', quod est nomen significans 'quod est', non autem per hoc nomen 'deitas', quod est nomen significans 'quo est'.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo [u] quod primo replicant: dicendum [4] « quod cum dicitur '*Benedicat nos Deus*' etc., hoc nomen 'Deus' significat divinam essentiam et supponit pro tribus personis, et hoc pronomen '*eum*', relatum ad illud, significat divinam essentiam in tribus personis; gratia ergo relationis essentiae ponitur in singulari, non gratia suppositionis ».

2. Ad secundum iam patet responsio. Nam aliter se habet hoc nomen 'essentia' sive 'divinitas' cum attribuitur personis, aliter hoc nomen 'Deus'. Nam hoc nomen 'Deus' attribuitur personis ut 'quod est' sive ut habens divinam naturam, et ideo habet supponere personam, sicut dictum est [5]; hoc vero nomen 'essentia' attribuitur personis ut 'quo [v] est', non tamen ut [x] quo persona est 'persona', sed ut quo persona 'est'. Et in divinis propter simplicitatem divini esse, de eo qui est, id est de persona, dicitur vere per identitatem 'quo est', non tamen habebit supponere personam, quia non significat essentiam ut in habente illam.

3. Ad tertium dicendum quod, cum dicitur 'uterque istorum loquitur de Deo': hoc quod dico 'Deo' [y] supponit personam indeterminate vel potius supponit [z] pro duabus personis, scilicet Patre et Filio.

4. Simili modo dicendum ad illud quod ultimo obicitur 'Deus est de quo uterque loquitur': quia hoc nomen 'Deus' supponit pro duabus personis habentibus unam deitatem.

---

[a] L om. [b] P om., BRGL om. *etc.* [c] V add. *hoc;* BG om. *essentiae,* in R est add. mg. [d] P repet. [e] R *ut.* [f] S *qui.* [g] L om. [h] PVS add. *data.* [i] PV om., in S est add. mg. [k] PVS add. *non.* [l] RGL repet. [m] L om. *d. D.* [n] Ita S, alii *respondeo.* [o] S *an.* [p] L om. [q] S om. [r] PV *quo.* [s] L *quamdam abstractionem* pro *q. a.* [t] P om. [u] L *vero.* [v] V *que.* [x] V *in.* [y] L om. *h. q. d. D.,* in B est add. interl. [z] S add. *personam.*

1 Lombard., loc. cit.
2 Cf. Praeposit., loc. cit.
3 Praeposit., loc. cit.
4 Praeposit., loc. cit.
5 Cf. sub *Respondemus* et supra, p. 533b, *ad 1.*

CAPUT II.

UBERIUS EXPONITUR QUOD HOC NOMEN 'DEUS' SUPPONAT ETIAM PRO PERSONA.

Circa secundam opinionem, quam tenemus, quaeritur [a] multipliciter:

Primo, an sequatur: 'Deus genuit Deum, ergo se vel alium';

secundo, an haec sit vera 'Deus genuit alium Deum';

tertio, utrum haec [b] sit concedenda 'Deus [c] genuit se';

quarto, an sequatur: 'Deus genuit Deum, ergo genuit Deum qui est Pater vel Deum qui non est Pater';

quinto, an haec sit concedenda 'Deus generat et ille non generatur';

sexto, an haec sit vera 'Deus generat et ille non est Trinitas';

septimo, an sicut haec est vera 'Trinitas est Deus', conversa sit vera 'Deus est [d] Trinitas', quam negavit Porretanus.

ARTICULUS I. 359

An sequatur: 'Deus genuit Deum, ergo se vel alium' [1].

Quantum ad primum arguitur: *a.* Si sequitur [e]: 'Deus genuit Deum, ergo se vel alium', da alteram partem. Si alium, ergo non est [f] tantum unus Deus; si se ipsum Deum, ergo idem generat se ipsum [g]: quorum utrumque est falsum. Aut igitur prima erit falsa 'Deus genuit Deum' aut non sequetur: 'Deus genuit Deum [h], ergo se vel alium'.

Contra: 1. Bene sequitur: 'homo generat hominem, ergo se vel alium hominem' [i]; ergo eadem ratione dicetur 'Deus genuit Deum, ergo se vel alium Deum' [k].

2. Praeterea, idem et diversum [l] dividunt ens immediate [2]; ergo si Deus genuit Deum, genuit eumdem [m] vel diversum Deum.

Respondeo: 1. Quaedam nomina divina significant essentiam, quaedam relationem; item, quaedam essentialia significant [n] per modum abstractionis, ut 'deitas, essentia, substantia', quaedam per modum concretionis, ut 'Deus', quod significat divinam essentiam ut est in habente illam [3]: unde habet significare divinam naturam et supponere personam. Cum ergo dico 'Deus genuit Deum', haec est vera, quia Pater, qui habet deitatem, genuit Filium, qui habet deitatem; et non sequitur: 'ergo se Deum [o] vel alium Deum' [p]: quia enim alia est persona generantis, alia geniti, non potest habere locum relativum identitatis [4] nec propter identitatem naturae relativum diversitatis. Quia ergo, cum dicitur 'Deus genuit Deum', in parte significatur idem ratione naturae quam significat hoc nomen 'Deus' et in parte diversum ratione personae quam supponit hoc nomen 'Deus', non potest inferri simpliciter idem nec simpliciter diversum, immo est ibi fallacia secundum quid et simpliciter.

2. Ad illud autem quod [q] obicitur quod 'idem et diversum condividunt ens': dicendum quod verum est quod [r] res eaedem sunt vel diversae, sed nos possumus significare in parte idem et in parte diversum, ut patet in parte et toto.

ARTICULUS II. 360

An haec sit vera 'Deus genuit alium Deum'.

Secundo [s] quaeritur an haec sit vera 'Deus genuit alium Deum'.

Quod videtur: 1. Videtur enim [t] sequi: 'Pater genuit alium, qui est Deus, ergo alium Deum' [5].

---

[a] SBRGL *obicitur*. [b] G om. [c] S om. [d] P om. [e] V *queritur*. [f] V om. [g] S add. *Deum*. [h] PVS om. [i] S om. *e. s. v. a. h.* [k] G om. [l] V *diversus*. [m] BRGL *idem*. [n] G om. [o] L exp.; S om. *ergo*. [p] RG om. [q] BRGL *Quod autem* pro *A. i. a. q.* [r] S om. *v. e. q.* [s] BR *deinde*. [t] R om., in B est add. interl.; V om. *videtur*.

[1] Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., q. 4 (f. 4d); Lombard., I *Sent.*, d. 4, c. 1 (p. 39); S. Bonav., I *Sent.*, d. 4, a. un., qq. 1 et 2 (I, 97, 99sqq.).

[2] Cf. Aristot., *Metaph.*, IX, c. 3 (II, 577).

[3] Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 30 (PL 210, 636).

[4] Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 5a).

[5] Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 73b), etiam pro solutione *ad 1*.

2. Praeterea, iste terminus ‘alium’ personale est et non essentiale; sed hoc verbum ‘genuit’ personale est; ergo per ipsum trahitur terminus essentialis ad supponendum pro personis, cum dicitur ‘Deus genuit Deum’, et notatur ibi distinctio personalis; quare similiter [a] debet trahi per istum terminum ‘alium’ et ita haec erit vera ‘Deus genuit alium Deum’.

Respondeo [b]: 1. Ad primum secundum hanc regulam [1]: non habet locum distinctio ubi non est ex diversis causis unio. Verbi gratia, humanitas est in Sorte et [c] Platone ex diversis causis; unde possum dicere quod Sortes est alius homo a Platone, quia alia est ratio qua Sortes est homo et alia qua Plato est homo [d], quia alia est [e] humanitas Sortis, alia humanitas [f] Platonis. In divinis autem non sic, quia Pater est Deus et Filius est Deus eadem divinitate; una ergo est causa et ratio qua Pater est Deus et Filius Deus. Unio ergo in hoc nomine ‘Deus’ non est ex diversis causis, immo ex una, et ideo non habet locum ibi distinctio. Quando ergo [g] obicitur: ‘alius a Patre est genitus et ille est Deus, ergo alius Deus a Patre [h] est genitus a Patre’ [i], non sequitur, quia in prima solum dicitur diversitas personalis, in conclusione vero ponitur diversitas personalis et essentialis et est commutatio praedicamenti a praedicamento relationis in praedicamentum substantiae. Immo ad hoc quod valeat, ita oporteret inferre: ‘alius a Patre est genitus, et ille est Deus alia deitate [k] quam Pater, ergo alius Deus a Patre est genitus’; sed media falsa est.

2. Ad aliud dicendum quod cum aliquod commune trahitur ad personam, debet trahi per aliquid quod sit personale et proprium, non per aliquod personale infinite; ergo hoc [l] verbum ‘gignere’ [m], cum determinet proprietatem qua una persona distinguitur [n] ab alia, potest trahere terminum essentialem ad certam personam: quod non potest iste terminus ‘alius’, quia [o] non determinat proprietatem personalem finite [p].

361 ARTICULUS III.

Utrum haec sit concedenda ‘Pater genuit se’.

Tertio quaeritur utrum haec sit concedenda ‘Pater genuit se’.

Quod videtur dicere 1: Augustinus, in quadam homilia *Super Ioannem* [2], quod « Pater, mittens Filium, se alterum misit ». Quare misit se [a].

2. Item, Augustinus, *Ad Maximinum* [3]: « Genuit de se alterum se ». Ergo [b] genuit se.

3. Item, Anselmus, in *Proslogion* [4]: « Cum dicitur Deus de Deo, Filius de Patre, non intelligimus alium Deum, sed eumdem Deum de se ipso; ergo Deus eumdem Deum genuit ». Quare Deus genuit se.

4. Item, Augustinus, XV *De Trinitate* [5]: « Tamquam se ipsum dicens Pater Verbum [c] genuit sibi per omnia coaequale; non enim se integre perfecteque [d] dixisset, si amplius vel minus esset in Verbo [e] quam in se ipso ». Sed dicere Dei gignere est [f]; unde in Psalmo [6]: *Semel locutus est Deus* [g], Glossa [7]: « Loqui Dei est aeternaliter [h] Verbum generare [i] ».

Respondeo: 4. Hoc verbum ‘dicere’ non sumitur ibi notionaliter, sed essentialiter; unde sensus est « Non se perfecte dixisset », id est manifestasset, quia non sufficienter declaratur potentia Patris in creatione creaturarum nec ostenditur usque ad summum, sed tota ostenditur quando totam potentiam communicat, hoc est quando [k] generat talem qualis [l] est et quantus est; per generationem ergo declaratur summitas potentiae Patris, Isai. 66,9: *Numquid qui* [m] *alios parere facio, sterilis ero?*

1-2. Ad alia prima [n] duo posset dici quod hoc relativum ‘se’ non significat terminum huius verbi ‘genuit’, sed potius terminum alteritatis significatae per hoc nomen ‘alterum’. — Vel aliter potest dici quod sicut commune per additionem coarctatur, ita quod personale est per aliquod additum potest fieri commune, ut cum dicitur ‘omnis Aristomenes intelligibilis [o], omnis Miccalus [p] musicus’ [8]. Similiter hoc relativum ‘se’, quod reciprocum est et personam discretam iterat [q], per hunc terminum ‘alterum’ sibi adiunctum fit

---

[a] B *qualiter* pro *q. s.*, G *deberet* pro *debet*. [b] VS *respondemus*. [c] S *in*. [d] S *a Platone quia alia est ratio* pro *et... homo*. [e] BRGL om. [f] L om., V om. *a. h.* [g] B *vero*. [h] R om. *a. P.* [i] G om. *a P.* [k] L *divinitate*, V *qua* pro *quam*. [l] V om. [m] L *gigneret*. [n] BRG *discernitur*. [o] P *qui*. [p] PVS *infinite*.

[a] B *me*. [b] P om. [c] S *Deum*. [d] BRG *perfecte*. [e] V *credo*. [f] V om. [g] B om., V repet. *Deus* et om. *Glossa*. [h] G *essentialiter*. [i] V add. *ut dicit Glossa*; P nota mg. *[Not]a: Anselmus. Generare Verbum est Verbum loqui. G.* [k] G *qui*. [l] L add. *ipse*. [m] L *ego quia*. [n] B *post*. [o] S *intelligitur*. [p] B *Muscalus*, RGL *Miscalis*. [q] B delev. et in mg. *significat*.

1 Cf. supra, p. 533, nota 8.
2 Tract. 14, c. 3, n. 11 (PL 35, 1509).
3 *Epist.* 170, n. 5 (PL 33, 749).
4 Rectius *De process. Spir. S.*, c. 24 (PL 158, 319).
5 Cap. 14, n. 23 (PL 42, 1076).
6 Psalm. 61, 12.
7 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 933) et Lombardi, in h. l. (PL 191, 568), ex Augustino, *Enarr.*, in h. l. (PL 36, 742).
8 Cf. Aristot., *Anal. priora*, I, c. 33 (I, 79).

essentiale et commune et extrahitur a ratione personalitatis, et ideo non sequitur: 'genuit se alterum, ergo genuit se', sed est ibi [a] fallacia secundum quid et simpliciter.

3. Ad aliud Anselmi dicendum quod haec est vera 'Pater genuit eumdem Deum de se ipso'; sed hoc relativum 'se', quod est personale [b], non est ex parte rei genitae, sed ex parte generantis; sed iste terminus 'eumdem' adiunctus termino essentiali non sumitur personaliter, sicut nec iste terminus 'alius', cum [c] adiungitur termino essentiali; unde non iterabitur persona Patris nec [d] valet hoc argumentum: 'de se ipso genuit eumdem Deum, ergo se Deum'.

ARTICULUS IV. 362

An sequatur: 'Deus genuit Deum, ergo genuit Deum qui est Pater vel Deum qui non est Pater'.

Quarto quaeritur an sequatur [e]: 'Deus genuit Deum, ergo genuit Deum [f] qui est Pater vel Deum qui non est Pater'.

1. Si genuit Deum qui non est Deus Pater, ergo Deus est qui non est Deus Pater; non ergo tantum unus Deus est. Si genuit Deum qui est Deus Pater, ergo Pater genuit se.

Respondeo, secundum Magistrum, in *Sententiis* [1]. Negat enim hanc 'Deus genuit Deum qui est Deus Pater', et distinguit hanc [g] 'genuit Deum qui non est Deus Pater'. Sicut cum dicitur 'non est homo albus', hoc potest esse vel quia non est homo vel quia non est albus: similiter 'Deus genuit Deum qui non est Deus [h] Pater', hoc potest dici vel quia non est Deus, et sic falsum, vel quia non est Pater, et sic verum. — Tamen, secundum Praepositinum [2], haec non est concedenda 'Deus genuit Deum qui non est Pater', quia aliter fit relatio in affirmativis, aliter in negativis: in affirmativis refertur suppositum tantum, in negativis suppositum et significatum; unde exigeretur ad veritatem huius 'Deus genuit Deum qui non est Pater' quod alia esset persona Patris, alia Filii et [i] alia divinitas, propter relativum 'qui', quod refert suppositum et significatum huius nominis 'Deus'.

Aliter potest dici et concedi ista 'Deus genuit Deum qui non est Deus Pater', sed non sequitur: 'ergo est Deus qui non est Deus Pater', quoniam in prima iste terminus 'Deum', propter proprietatem significatam per hoc verbum 'genuit' distinguentem personas, tenebatur personaliter et ideo relativum refert similiter. Sed in [k] conclusione, in hac [l] scilicet 'ergo Deus est qui non est Deus Pater', iste terminus 'Deus' tenetur essentialiter et ideo relativum similiter.

Aliter potest dici quod haec est [m] duplex 'Deus genuit Deum qui est Deus Pater vel [n] qui non est Deus Pater', quia [o] hoc quod dico 'Deus Pater' potest teneri dictionaliter, ut sit circumlocutio unius personae — sicut hoc quod [p] dico 'Spiritus Sanctus': cum tenetur dictionaliter [q], circumlocutio est unius personae — et hoc modo affirmativa falsa, negativa vera. Vel potest esse oratio, et [r] hoc dupliciter, quia iste terminus 'Pater' potest esse praedicatum [s] et iste terminus 'Deus' appositio vel e converso. Si primo modo [t], affirmative dictum non potest attribui vere, negative potest. Si secundo modo, adhuc dupliciter, quia isti duo termini 'Deus, Pater' vel possunt referri ad subiectum, et sic affirmative dictum non convenit [u], negative convenit; vel iste terminus 'Deus' tantum potest referri ad subiectum et iste terminus 'Pater' ad hunc terminum 'Deum', ut sit sensus: 'Deus genuit Deum qui est Deus Pater', id est [v] 'qui est Deus qui est Pater', et hoc modo affirmative dictum convenit, negative non convenit, quia relativum tenetur essentialiter eo quod refertur [x] ad hunc terminum 'Deus', qui [y] in praedicato positus tenetur essentialiter.

ARTICULUS V. 363

An haec sit concedenda 'Deus generat et ille non generatur'.

Quinto quaeritur I. an haec sit concedenda 'Deus generat et ille non generatur'.

Quod videtur [3]: 1. « Quia non est idem Deus qui generat et qui generatur [z]: ergo Deus generat

---

[a] G om. [b] S om. *q. e. p.* [c] V om. [d] B *ne*; G om. *unde*. [e] V om.; BRGL *de hac* pro *a. s.* [f] S om. *e. g. D.* [g] B add. interl. *Deus.* [h] G om. [i] P om. [k] V add. *hac.* [l] V om. *l. h.* [m] P om. [n] S *et.* [o] BRG *quoniam.* [p] L *cum* pro *h. q.* [q] P *distinctionaliter.* [r] BRGL *sed.* [s] L *predicamentum*, G *predicatio.* [t] PVSL om. [u] S om. [v] B *et* pro *i. e.* [x] V *refert.* [y] V om. [z] R add. marg. *sed contra: si Deus generat et ipse non generatur*; RG om. *qui*, in B est add. interl.

[1] Lib. I, d. 4, c. 1 (p. 40); cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 73b).

[2] Loc. cit.

[3] Cf. Praeposit., loc. cit. (f. 73a), ubi verbotenus sequens argumentum et solutio.

et ipse non est Filius; ergo Deus est et ipse non est Filius [a]. Eadem ratione Deus non est Pater, Deus non est Spiritus Sanctus et eadem ratione Deus non est [b] tres personae ».

II. Item, quaeritur de hac propositione, cuius quantitatis sit 'Deus spirat', et de ista similiter 'Deus generat vel generatur'.

Videtur quod sit indefinita [c], quia hoc nomen 'Deus' non supponit ibi magis pro Patre quam pro Filio.

Econtra videtur quod sit singularis, quia una et [d] singularis est significatio huius nominis 'Deus' [e], scilicet 'deitas'.

Respondeo [f] I. secundum Praepositinum, dicentem « quod relativa dictio in negativis refert significatum et suppositum, et nisi praedicatum [g] removeatur a supposito et significato, falsa est propositio; si autem removeatur, vera. Unde haec pro vera conceditur 'Deus generat et ipse non generatur', quia hoc relativum 'ipse' refert personam Patris et divinam naturam; sed nec persona Patris nec divina [h] natura generatur [i]. Haec autem est falsa 'Deus generat et ipse non est Filius', quia hoc relativum 'ipse' non tantum refert personam Patris, sed deitatem; deitas autem est Filius. Ad hoc autem quod haec esset vera, oporteret quod [k] haec esset vera 'divina natura non est Filius' ». Unde in argumentatione est mutatio praedicamenti ab abnegatione notionis, quae designatur cum dicitur [l] 'non generat', ad abnegationem personae quae designatur cum dicitur 'non est Filius'; sicut si diceretur 'divina essentia non generatur, ergo non est Filius'.

II. « Ad secundum dicimus quod haec propositio 'Deus generat vel generatur' nec est singularis nec [m] indefinita, quia hoc nomen 'Deus' nec est proprium nec appellativum, sed aliquid habet proprii, aliquid appellativi: habet enim significationem proprii et suppositionem appellativi, et ita illa propositio partim est singularis, partim indefinita ».

364 ARTICULUS VI.

An haec sit vera 'Deus est et ille non est Trinitas'.

Sexto quaeritur de hac 'Deus est et ille non est Trinitas' [1].

a. Quia Pater est et ille non est Trinitas; et Pater est Deus; ergo Deus est et ille non est Trinitas.

Contra: 1. Deus est et ille non est Trinitas; ergo Deus non est Trinitas.

2. Item, obicitur: Sequitur: 'Sortes non est Plato, ergo homo non est Plato'; ergo simili ratione 'Pater non est Filius', et Pater est Deus, ergo Deus non est Filius'. Item, videtur sequi, quia hoc nomen 'Deus' supponit personam; sed de alia persona est verum quoniam non est Filius, ut de Patre; ergo erit [n] verum 'Deus non est Filius' [o] et pari ratione 'Deus non est Pater' et 'Deus non est Spiritus Sanctus'; ergo Deus non est Trinitas.

Respondeo: 1. Secundum Praepositinum [2] haec est falsa [p] 'Deus [q] est et ille non est Trinitas', quia relativum refert suppositum et significatum; unde ad veritatem requireretur quod nec qui est Deus esset Trinitas ut supposita persona [r], nec quod est Deus esset Trinitas: quod est falsum pro hac parte 'non quod est Deus est Trinitas' [s]. Si autem arguat: 'Pater est et ille non est Trinitas, ergo Deus non est Trinitas' [t], mutatio est praedicamenti a ratione dicendi 'qui est', id est personali, ad rationem dicendi 'quod est', id est substantialem.

Secundum alios [3] conceditur ista 'Deus est et ille non est Trinitas', quia « propter naturam pronominis, cuius [u] proprium est pro proprio nomine poni et certas significare personas, quod dico 'ille' pro unica et certa persona tenetur, cum dicitur 'Deus est et ille non est Trinitas' »; haec autem [v] falsa 'Deus non est Trinitas'. Sed cum arguit: 'ergo Deus non est Trinitas', non sequitur, quia hic « fit abnegatio pro qualibet persona et etiam pro divina essentia ».

2. Ad illud [x] quod secundo obicitur: dicendum [4] quod « licet [y] nomen 'Deus' supponat pro qualibet trium personarum, tamen quia supponit pro eis indistincte — nisi addatur determinatio personalis, ut generans, genitus vel procedens, et pro una singulari deitate — negativa particula

---

[a] G om. *ergo Deus... Filius.* [b] L om., S om. *Spiritus... est.* [c] P *infinita.* [d] L *est.* [e] V om. [f] VS *respondemus.* [g] L *praedicamentum.* [h] S om. *et divinam... divina.* [i] S *generat.* [k] V om. [l] V om. *c. d.* [m] R *vel.* [n] PV *est.* [o] S om. *ut de... Filius.* [p] L om. *h. e. f.*, P om. *haec.* [q] S add. *non.* [r] B om. [s] R om. *quod est... Trinitas.* [t] PV om. *e. D. n. e. T.*, in S est add. mg. [u] S *cui.* [v] L add. *est.* [x] L *aliud*; S om. *obicitur.* [y] BG om., in R est add. interl.

[1] Pro sequentibus cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 4 (f. 5b).
[2] *Summa*, I (f. 80a), ad sensum.
[3] Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 5bc).
[4] Guil. Altissiod., loc. cit.

addita removet [a] pro quolibet supposito, tamquam si negatio praeponeretur [b]; unde aequipollent istae 'Deus non est Pater' et 'non-Deus est Pater'».

Patet igitur quod est mutatio praedicamenti in praedictis argumentationibus a personali ratione dicendi ad essentialem.

ARTICULUS VII. 365

An haec sit vera 'Deus est Trinitas'.

Septimo quaeritur an haec sit vera 'Deus est Trinitas', quam negavit Porretanus[1].

Et videtur bene dicere 1. quia Pater non est Trinitas, nec Filius nec Spiritus Sanctus, quare nec Deus; sequitur enim: 'iste homo non currit nec ille, ergo homo non currit'.

2. Item, haec est falsa 'homo est omnis homo', quia iste terminus 'homo', positus in subiecto, supponit personaliter; ergo cum dicitur 'Deus est Trinitas', iste terminus 'Deus', positus in subiecto, supponit personaliter, et hoc secundum quod dictum est[2] quod significat essentiam personaliter; sed hoc modo falsa est haec 'Deus est Trinitas'.

3. Item, dicit [c] Boethius, in libro *De Trinitate*[3], et Augustinus[4] similiter, quoniam quidquid de Deo praedicatur, praedicatur secundum substantiam vel ad aliquid; sed hoc nomen 'Trinitas' non dicit 'ad aliquid'; dicitur ergo secundum essentiam; sed secundum Boethium[5] et Augustinum[6], in eodem, quidquid praedicatur de Deo secundum essentiam, praedicatur de qualibet persona; cum ergo hoc nomen 'Trinitas' de nulla persona vere dicatur, haec est falsa 'Deus est Trinitas'.

Contra: *a.* Augustinus, I [d] libro *De Trinitate*[7]: «Recte ipse Deus Trinitas intelligitur». Ecce quod expresse dicit Deum esse Trinitatem.

b. Item, Augustinus[8], in verbis illis Apostoli, I Tim. ultimo, 15: *Beatus et solus potens*, id est «unus et solus verus Deus, qui est ipsa Trinitas».

c. Item, Augustinus, in sermone *De fide*[9]: «Credimus unum Deum unam esse divini nominis Trinitatem».

Ex quibus auctoritatibus relinquitur quod Deus est [e] Trinitas et Deus est tres personae sicut e converso. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1-2. Dicendum ergo quod per hunc terminum 'Deus' quandoque supponitur essentia, quandoque supponitur persona. Non enim similiter se habet essentia significata per hoc nomen 'Deus' ad personas, sicut se habet [f] essentia significata per hoc nomen 'homo' ad individua: essentia enim significata per hoc nomen 'homo' [g] multiplicatur in individuis, essentia vero significata per hoc nomen 'Deus' [h] indivisa remanet in personis. Dico ergo quod si essentia significata per hoc nomen 'homo' esset indivisa in individuis, haec esset vera 'homo est omnis homo'; ideo haec est vera 'Deus est Trinitas'. Unde differenter est in hoc termino [i] 'Deus' et in hoc termino 'homo', quia 'homo' per se supponit personaliter, ex adiuncto essentialiter, ut cum dicitur 'homo est dignissima creaturarum'; iste terminus 'Deus' e converso ex se supponit essentiam, ex adiuncto personam. Et in hoc fallebatur Porretanus, credens quod tantum supponeret essentiam cum [k] praedicatur, ut hoc non ex se haberet, sed ex ratione praedicati.

3. Ad ultimum dicendum quod aliud est esse 'ad aliquid' secundum rem, aliud secundum nomen et dictionem. Dicendum ergo quod hoc nomen 'Trinitas' non est 'ad aliquid' secundum nomen et dictionem, res tamen quae significatur 'ad aliquid' est; unde hoc nomen 'Trinitas' significat 'ad aliquid' [l] per modum substantiae. Sicut ergo [m] accidit in aliquibus relationibus aliis quod terminantur intra et non extra, ita est in hoc nomine 'Trinitas': in intellectu enim eius clauditur non solum quod dicitur 'ad aliquid', sed illud ad quod [n] dicitur.

Et in hunc modum terminatur Quaestio de nomine operationis.

---

[a] G add. *et.* [b] V *imponeretur.* [c] PVS om. [d] PVS *in.* [e] P om. [f] B om. *s. h.* [g] G om. *ad... homo.* [h] G *homo.* [i] L *nomine.* [k] BRGL *quando.* [l] V *aliud.* [m] P add. *etiam.* [n] B om., in R est add. interl.

[1] *Comment. in Boeth. De praed. trium person.* (PL 64, 1310sqq.). Cf. Denz.-Bannwart, *Enchirid.*, n. 389 (ed. 11).
[2] Cf. supra, num. 358 et 359.
[3] Cf. potius *De praed. trium person.* (PL 64, 1302).
[4] *De Trinit.*, V c. 3 (PL 42, 913).
[5] Loc. cit.
[6] Cf. *De Trinit.*, V, c. 8 (PL 42, 917).
[7] Cap. 6, n. 11 (PL 42, 826).
[8] Loc. cit., n. 10 (PL 42, 826).
[9] *Sermo* 233, n. 1 (inter opp. Augustini, PL 39, 2175).

QUAESTIO III.

DE NOMINIBUS PRIVATIVIS.

Inquisito de nominibus significantibus divinum esse absolute et de nomine operationis, consequenter tertio loco, secundum ordinem Damasceni, inquirendum est de nominibus privativis, sicut sunt: 'increatus, immensus, aeternus'. Et quia opposita iuxta se posita magis apparent [a] [1], ideo

Primo inquirendum [b] est de iis quae dicuntur secundum affirmationem de Deo, utrum dicantur de Deo et creatura univoce vel [c] aequivoce;

secundo, utrum dicantur vere;

tertio, an ea, quae dicuntur secundum privationem, dicantur [d] in divinis verissime et propriissime.

366 CAPUT I.

UTRUM AFFIRMATIONES CONVENIANT DEO ET CREATURAE UNIVOCE VEL AEQUIVOCE.

Quantum ad primum quaeritur [e] utrum nomen unum in una significatione conveniat Deo et creaturae secundum affirmationem.

Ad quod obicitur ex multis auctoritatibus: 1. Primo, ex auctoritate Augustini, *De doctrina christiana* [2]: «Rerum quaedam sunt quibus fruendum est, quaedam quibus utendum, quaedam quae fruuntur et utuntur». In hac divisione comprehenditur quaelibet res, creata et increata; si ergo divisio conveniens est, nomen divisum, quod est hoc nomen 'res', in eadem significatione conveniet rebus dividentibus; ergo et Deo et creaturae.

2. Item, Hieronymus [3]: «Omne quod est aut est ingenitum aut genitum aut factum», et accipitur hoc [f] vocabulum 'ingenitum', id est non-genitum, secundum quod convenit Patri et Spiritui Sancto, 'genitum' vero dicit Filium factum creaturam; sed in hac generalitate «omne quod est» comprehenditur Creator et creatura; si ergo conveniens est divisio, in eadem significatione accipitur quod dicitur «quod est».

3. Item, Augustinus [4]: «Omne bonum vel Deus est vel ab ipso»; in hac generalitate «omne bonum» comprehenditur Deus.

4. Item, in iis quae non dicuntur secundum univocationem est incongrua comparatio; sed secundum comparationem magnitudinis nos dicimus Deum [g] maiorem omnibus rebus, secundum comparationem bonitatis nos dicimus Deum [h] meliorem omnibus [i] creaturis; relinquitur ergo quod 'magnum' et 'bonum' non dicuntur aequivoce de Creatore et creatura.

5. Item, in Matth. [5]: *Nemo bonus nisi solus Deus*, Glossa [6]: «Ex se». Ergo aliquid praeter Deum est bonum quamvis non ex se; ergo illud et Deus sunt bona vel bonum.

6. Item, I Cor. 15,26, cum dicit: *Omnia subiecit sub pedibus eius*, intelligendum [k] est: *praeter eum* [l] *qui subiecit sibi omnia;* haec dictio '*praeter*' sumitur exceptive; ergo Deus est de numero omnium; ergo intentio eius quod dicitur 'omnis res' vel '*omnia*' non aequivoce convenit creaturae et Creatori.

7. Item, arguitur: cum dicitur 'omnis substantia est', aut in hac [m] generalitate comprehenditur Deus aut non. Si sic: habetur propositum quod hoc nomen 'substantia' non convenit aequivoce Creatori et creaturae. Si non, et constat quod haec vera est 'omnis substantia est', arguitur ergo: 'omnis substantia est et earum nulla est Deus,

---

[a] PV add. *et.* [b] L *requirendum.* [c] P *et.* [d] G om. [e] S *sic.* [f] P om. [g] V om. [h] G om. [i] BRGL om. [k] P *intelligendo.* [l] VSG *Deum.* [m] PVS om.

1 Cf Aristot., *Rhetor.*, III, c. 2 (I, 387).

2 Lib. I, c. 3 (PL 34, 20). Haec et fere omnia quae sequuntur in hoc capitulo vel verbotenus vel ad sensum occurrunt ap. Praeposit., *Summa,* I (f. 78ab).

3 Rectius Pseudo-Ambros., *In Symbol. Apost.*, c. 3 (PL 17, 512); etiam Praeposit., loc. cit., et Lombard., I *Sent.*, d. 13, c. 4 (p. 89), citant Hieronymum. De quo errore cf. ibid., p. 88, nota 3.

4 *De vera relig.*, c. 18, n. 35 (PL 34, 137). Hoc argum. deest ap. Praeposit.

5 Rectius Luc. 18, 19. Cf. Matth. 19, 17.

6 *Interlin.* in Marc. 10, 18.

ergo nulla substantia est Deus': quod manifeste falsum est. Et simili modo potest argui in aliis nominum intentionibus.

Contra[1]: *a.* Haec intentio 'res' vel 'ens', dicta de Deo, accipitur pro re et ente infinito, sed de creatura accipitur pro re et ente finito [a]; sed finitum et infinitum nunquam potest intellectus reducere in unam aliquam rationem; ergo non potest univoca significatio, sed aequivoca accipi [b], cum dicitur 'res' vel 'ens' de Creatore et creatura.

b. Item, bonitas, dicta de Deo et creatura, non convenit genere nec specie nec differentia nec proprio nec accidente; ergo in nullo conveniunt; ergo aequivoce dicitur bonitas de Creatore et creatura.

c. Item, iustitia, dicta de creatura, est species qualitatis et accidens [c]; iustitia, dicta de Creatore, est ipsa essentia et divina substantia; ergo aequivoce.

d. Item, comparatio, quae est secundum magis, est secundum participationem alicuius formae secundum plus vel minus, sicut participatione albedinis secundum plus [d] dicitur nix esse [e] albior pariete et Petrus iustior Lino. Si ergo non est accipere unam aliquam formam, quae secundum plus et minus participetur a Creatore et creatura, non erit dicere comparationem nec secundum magnitudinem nec [f] secundum bonitatem nec secundum iustitiam Creatoris et creaturae.

Respondeo: Notandum quod circa hoc diversae fuerunt sententiae Magistrorum. Nam quidam dixerunt quod in alia significatione accipitur nomen dictum secundum affirmationem de Creatore et creatura.

[Ad obiecta]: 1-3. Ad illas ergo auctoritates Augustini et Hieronymi respondent quod quia[2] « balbutiendo excelsa Dei resonamus, ideo sancti patres, licet vocabula in alia et alia significatione conveniant Deo et creaturis, usi sunt iis nominibus ad significandum Creatorem et creaturas », et hoc [g] propter indigentiam humanae locutionis et exigentiam theologicae facultatis, quae exigit, sicut ipsi dicunt, ut vocabulum, semel positum, aequivoce sumatur. Verbi gratia, hoc vocabulum 'nativitas' in alia significatione accipitur de nativitate aeterna et temporali et tamen dicimus duas nativitates. Ita etiam dicimus de Creatore et creatura quod sunt duae substantiae, duae res, duo bona et quasi in duabus significationibus ponitur ibi terminus, ut semel positus, bis intelligatur, id est hoc est substantia, illud est substantia, « hoc est bonum, illud est bonum. Et per hunc modum solvunt illas praedictas autoritates ».

4. Ad illud quod obicitur de exceptivis et exclusivis, respondent « quod haec vocabula 'praeter, solus' aliquando ponuntur ad exclusionem contenti sub suppositione termini, ut 'omnis homo praeter Sortem currit', quandoque [h] ad solam aequivocationis confusionem removendam, ut si dicatur 'omnis canis praeter caelestem est animal': quamvis enim hoc vocabulum 'canis', secundum quod ibi ponitur, non possit convenire caelesti, quia per praedicatum determinata est aequivocatio, tamen adicitur hoc exclusivum 'praeter' ut magis removeatur confusio [i] ».

5-6. Simili modo volunt intelligere: '*Nemo bonus nisi solus Deus*' et 'omnia subiecta esse *praeter eum qui subiecit*'; simili modo consimilia exponunt.

7. Ad alia vero, cum dicitur 'omnis substantia' etc.: dicendum quod signa universalia adduntur vocabulo accepto in alia et [k] alia significatione propter indigentiam humanae locutionis, quia aliter non est possibile eloqui divina. — Addunt etiam de adiectivis quod « quandoque ponuntur ad restrictionem et determinationem, quandoque [l] ad removendam confusionem aequivocationis. Ad determinationem et restrictionem nominum ponuntur quae accipiuntur univoce, ut cum dicitur 'animal risibile' ad differentiam illius quod non est risibile; unde inconvenienter dicitur 'homo risibilis', quia in homine intelligitur 'risibile'. Ad confusionem aequivocationis removendam, ut cum dicitur, 'canis latrabilis': quamvis enim 'canis' et 'latrabile', secundum quod accipitur univoce, paria supponant sicut 'homo' et 'risibile', tamen inconvenienter dicitur 'homo risibilis' et convenienter dicitur [m] 'canis latrabilis', quia hic tollitur confusio, ibi non ». Per hunc modum intelligunt [n] esse dictum: 'res fruendae, res aeternae' et huiusmodi.

Et per hunc modum solvunt omnia.

Secundum Praepositinum[3] dicitur in contrarium quod vocabula affirmativa dicta de Deo « secundum essentiam et dicta de creaturis univoce dicantur et eamdem essentiam [o] significent, sed aliter et aliter: ut cum dico [p] 'Deus est iustus', ibi praedicatur divina iustitia ita quod Deus est illa iustitia, cum vero dicitur [q] 'homo est iustus', praedicatur divina iustitia, sed homo non est illa

---

[a] G om. *sed... finito.* [b] L om. [c] R *accidentis.* [d] S add. *vel minus*, L om. *s. p.* [e] L om. [f] R om., in B est add. interl. [g] S om. [h] BRGL add. *vero.* [i] G *equivocatio.* [k] R add. *in.* [l] B add. *vero.* [m] P om. [n] S *intelligit.* [o] L om. [p] R *dicitur*, G om. [q] L om.

1 Quatuor argumenta posita sub *Contra* non sunt ap. Praeposit.

2 Sequentia verbotenus ap. Praeposit., loc. cit. (f. 78c).

3 Loc. cit.

iustitia [a], sed particeps eius; nihilominus tamen hic dicitur inesse quaedam iustitia cuius causa est divina iustitia. Similiter cum dico 'Deus est substantia, homo est substantia', utrobique divina substantia praedicatur [b], sed dissimiliter: nam Deus est substantia se ipso, homo vero dicitur substantia, quia divina substantia est causa existendi ei ». Secundum [c] hoc ergo dicit quod vocabulum in eadem significatione dicitur de Creatore et creatura, sed de Deo per essentiam, de creatura [d] per participationem [e].

Sed contra [1]: Bonitas divina non est bonitas per participationem, sed est bonitas per essentiam, similiter et iustitia et huiusmodi; sed bonitas et iustitia, dicta de creatura, est [f] bonitas per participationem, sicut dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [2]; relinquitur igitur quod non eadem bonitas praedicatur, cum dicitur 'Deus [g] bonus, creatura [h] bona'. Item, cum dicitur 'homo iustus', hic praedicatur iustitia quae est accidens; sed cum dicitur 'Deus iustus', praedicatur iustitia quae est ipsa essentia, nullo modo accidens; relinquitur ergo quod non eadem iustitia nec univoce accepta praedicatur. — Item, cum dicitur 'Deus iustus' [i], significatur divina essentia ut retribuens unicuique quod suum est [k]; cum dicitur 'homo iustus', significatur inesse habitus homini ex quo tribuit unicuique quod suum est; utrobique ergo, cum dicitur 'Deus iustus' et 'homo iustus', designatur comparatio iustitiae ad consimilem actum; ergo non est penitus ratio diversa; ergo non aequivoce. — Item, ad istud habes supra rationes, in Quaestione de bonitate [3], et iterum supra, in [l] Quaestione de hoc nomine 'essentia' [4].

[Ad obiecta]: *a-c.* Propterea [m], sicut supra dictum est [5], dicendum quod nomina quae non accipiuntur symbolice, hoc est secundum proprietatem formae corporalis, sed accipiuntur mystice, hoc est secundum proprietatem formae spiritualis, ut [n] iustus, bonus et huiusmodi, non dicuntur aequivoce nec univoce, quia non penitus secundum aliam rationem nec tamen secundum eamdem, sed [o] dicuntur analogice secundum prius et posterius. Quae quidem analogia attenditur ex una aliqua comparatione sive proportione alicuius effectus iustitiae vel bonitatis qua comparatur creatura ad Creatorem, ut 'reddere unicuique quod suum est' comparatur iustitiae Creatoris et iustitiae creatae. Consimili modo et ab [p] hac unitate comparationis accipitur una ratio secundum analogiam, quae quidem ratio non ponit convenientiam vel in genere vel in specie etc., sed in una comparatione.

d. Ad illud quod obicitur de comparatione secundum magis, dicendum quod duobus modis fit comparatio secundum magis: uno modo secundum comparationem formae secundum plus vel minus, sicut obiciebatur [q], quae non est in divinis; alio modo secundum gradum [r] perfectionis excellentioris sive secundum esse sive secundum magnitudinem sive secundum bonitatem et huiusmodi, quo modo dicimus quod [s] Deus magis est ens ceteris et maior omnibus et melior omnibus, et sic convenit comparatio [t] Creatori et creaturae.

367

CAPUT II.

UTRUM AFFIRMATIONES DE DEO DICANTUR VERE.

Consequenter quaeritur utrum affirmationes de Deo [u] sint verae.

Ad quod *a.* B. Dionysius [6]: « Affirmationes dictae de Deo sunt incompactae, negationes verae ». Simpliciter ergo nomina positiva non vere enuntiantur de Deo.

b. Item, Dionysius dicit omnium negationes veras de Deo, in libro [v] *De mystica Theologia* [7], hoc modo: « Neque anima est neque intellectus, neque phantasiam [x] aut opinionem aut intellectum aut intelligentiam habet, neque ratio est neque intelligentia neque dicitur neque intelligitur »; et sequitur: « Neque habet virtutem neque virtus est neque lux neque vita »; et sequitur [y]: « Neque lux neque sapientia neque deitas aut bonitas neque spiritus [z] neque filiatio neque paternitas ». Ex hoc videtur quod omnes affirmationes, quae maxime attribuuntur Deo, sunt simpliciter falsae.

---

[a] BRGL om.; L om. *nihilominus.* [b] V *predicabatur.* [c] V *sed.* [d] RGL add. *vero.* [e] B om. *d. c. p. p.* [f] BG *et.* [g] PVS add. *est.* [h] PVS add. *est,* [i] BGL om., in R est add. interl.; BRGL add. *per hoc quod dicitur iustus.* [k] P om. [l] BRGL om. [m] SG *preterea.* [n] V *et.* [o] V *si.* [p] BRG *de.* [q] BRGL *ut ipse obiciebat* pro *s. o.* [r] V *modum.* [s] V om. *d. q.* [t] G om. [u] BRGL om. *d. D.* [v] B om. *d. D. i. l.* [x] P *phantasia.* [y] G om. *Neque habet... sequitur.* [z] S om. *n. s.*

1 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 8, n. 2 (f. 8c).
2 Cf. lib. VIII, c. 3, nn. 4 et 5 (PL 42, 949 sq.).
3 Cf. supra, num. 117.
4 Cf. supra, num. 347.
5 Cf. supra, num. 334 et 335.
6 *De cael. hier.*, c. 2, § 3 (PG 3, 141, PL 122, 1041); cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 18 (PL 210, 630).
7 Cap. 5 (PG 3, 1045, PL 122, 1176).

Contra: 1. B. Dionysius, in libro [a] *De mystica Theologia* [1]: « Dicamus igitur quod omnium causa et [b] super omnia existens neque sine [c] substantia est neque sine vita neque sine ratione ».

2. Item, idem, in eodem [2]: « Diximus in libro qui est [d] *De divinis nominibus* [3], quomodo optimus nominatur, quomodo ens, quomodo vita et sapientia et virtus et quaecumque aliâ intelligibilia [e] sunt divinae nominationis ». Vere igitur est ista de ipso affirmare.

Respondeo, secundum Dionysium, in libro [f] *De mystica Theologia* [4]: « In ipso [g] oportet omnes existentium ponere et affirmare positiones veluti omnium causa et omnes ipsas [h] proprie negare sicut super omnia existente et non opinari negationes oppositas esse affirmationibus ». Ex hoc [i] accipitur quod sunt verae affirmationes et negationes omnium in divinis nec opponuntur affirmationes negationibus. Nam affirmationes aut accipiuntur symbolice aut mystice. Si symbolice, accipiuntur per translationem, ut lapis, Psalm. [5]: *Lapidem, quem reprobaverunt* etc.; et aer, in III libro Reg. [6]: *In sibilo aurae tenuis, ibi Dominus;* negationes vero 'non-lapis, non-aer' accipiuntur proprie. Sed mystice accipiuntur per superexcellentiam et perfectionem, quae est supra nos, ut 'vita, bonitas' et huiusmodi; unde Dionysius, in eodem [7]: « An non magis Deus est vita et bonitas quam aer et lapis? » Negationes vero accipiuntur secundum nos et nostram comprehensionem et ideo non opponuntur affirmationibus. Unde Dionysius [8]: « Neque spiritus est, sicut nos scimus, neque filiatio neque paternitas neque aliud cognitum a nobis neque est aliquid non-existentium neque aliquid existentium [k] neque existentia eum cognoscunt [l] ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem [m] obiectum dicendum quod [9] « quadruplex est compositio, scilicet compositio partium, secundum quod corpus dicitur compositum; et compositio proprietatis ad subiectum, et secundum hoc anima dicitur composita; materia etiam dicitur composita, quia componitur formae; quarto modo forma dicitur composita, quia componitur materiae. Item, per contrarium, quadruplex est simplicitas; solus autem Deus dicitur proprie simplex, quia caret omni genere compositionis. Item, notandum quod vocabula quaedam significant proprietates in adiacentia vel inhaerentia, quaedam in subsistentia, ut hoc nomen 'album' significat albedinem [n] in adiacentia, quia ostendit [o] eam alii inesse; sed hoc vocabulum 'albedo' significat albedinem in subsistentia, quia supponit eam; similiter hoc nomen 'homo' significat humanitatem in adiacentia sive inhaerentia, quia ostendit eam inesse subiecto, sed hoc vocabulum 'humanitas' [p] significat humanitatem in subsistentia [q]. Quia vero Deus omni genere simplicitatis simplex est, non ostenditur aliqua compositio simplicitatis circa eum [r]: unde cum dico 'Deus est bonus', non ostenditur bonitas inesse Deo quae ipse non sit. Quod attendens Dionysius dixit: "Affirmationes de Deo sunt incompactae", quia nullam compositionem proprietatis ad subiectum ostendunt; de negationibus vero dixit quod "sunt verae", quia quiddam veri innuunt, scilicet quod ibi non est compositio proprietatis ad subiectum ».

2. Ad secundum iam patet responsio ex dictis [s].

CAPUT III. 368

UTRUM PRIVATIVA DICANTUR DE DEO VERISSIME ET PROPRIISSIME.

Consequenter quaeritur de nominibus privativis vel negativis [t] an proprius [u] dicantur in Deo nominibus mysticis positivis, ut 'aeternus, incorruptibilis, increatus'.

Ad quod sic: 1. Dionysius, in libro [v] *De mystica Theologia* [10]: « Oportet ablationes [x] in contrarium positionibus laudare. Etenim illas », scilicet positiones, « a praestantissimis inchoantes et per media ad novissima descendentes apponimus; hic [y] vero a novissimis ad principalissimas ascensiones facientes omnia auferimus [z] ». Et dicit Commentator [11]: « Positiones sunt quaecumque in Deo proprie dicuntur, quia est eis lux et vita,

---

[a] BRGL om. *i. l.* [b] PS *est.* [c] B om. [d] L om. *q. e.* [e] BRGL *intelligibilis.* [f] BRGL om. *i. l.* [g] PVSL *ipsa.* [h] L *ipsa.* [i] R *hac.* [k] PVS om. *n. a. e.* [l] V *cum cognoscit* pro *e. c.* [m] BRGL om. [n] L *album.* [o] L *oportet.* [p] V *homo;* G *nomen* pro *vocabulum.* [q] L *substantia.* [r] PVS *eam,* L *ipsum.* [s] BRGL *predictis.* [t] P om. *v. n.* [u] V *propriis.* [v] BRGL om. *i. l.* [x] L *oblationes.* [y] B *hiis.* [z] S *afferimus.*

1 Cap. 4 (PG 3, 1039, PL 122, 1175).
2 Cap. 3 (PG 3, 1034, PL 122, 1174).
3 Cf. c. 5, § 1 et capp. sqq. (PG 3, 815, PL 122, 1147).
4 Cap. 1 (PG 3, 999, PL 122, 1173).
5 Psalm. 117, 22.
6 Cap. 19, 12.
7 *De myst. Theol.*, c. 3 (PG 3, 1033, PL 122, 1175).
8 Loc. cit., c. 5 (PG 3, 1047, PL 122, 1176).
9 Praeposit., loc. cit. (f. 78d).
10 Cap. 2 (PG 3, 1035, PL 122, 1174).
11 Scil. S. Maxim. Confessor, *Scholia in lib. De myst. Theol.*, c. 2 (PG 4, 423).

et similia; ablationes[a] vero quaecumque ut aliena a Deo asseruntur, ut puta quoniam non-corpus dicitur, non-anima, nec quidquam eorum quae[b] cognoscuntur aut intelligentiae submittuntur ». Ex quo relinquitur quod positiones dicuntur de Deo proprius quam privationes.

2. Item, Dionysius, in eodem[1]: « Ex praestantissimis[c] ponimus positiones, a novissimis vero inchoamus divinam ablationem, quia ponentes positiones[d] inchoamus a cognatiori, auferentes vero a[e] magis distantibus ipsi », 'divinae essentiae' supple. Et dicit Commentator[2] quod « positiones secundum affirmationem dicuntur, quia vita potius dicitur quam aer; negatio vero privatio est, quoniam non inebriatur, non irascitur; in positionibus magis cognate sive propinquius inchoamus ». Unde Dionysius[3]: « An non magis vita et bonitas quam aer? » Commentator[4]: « Familiarius sive magis proprium est Deo vita et bonitas quam aer et lapis. In privationibus a magis distantibus incipimus ». Unde Dionysius[5]: « An non magis crapulae et maniae[f], id est furores », supple 'removentur a Deo', « quam non dici vel non intelligi? » quasi dicat 'magis proprium[g] est Deo non crapulari, non irasci quam non dici, non[h] intelligi'. Unde Commentator[6]: « An non potius dicitur[i] 'non irascitur Deus' quam 'non intelligitur'? » Ex hoc relinquitur, cum affirmationes a familiariori ponamus in Deo, negationes a remotiori, quod proprius dicentur in Deo positiones quam negationes et nomina affirmativa quam privativa.

Ad oppositum *a.* est praedicta auctoritas Dionysii[7]: « Affirmationes in divinis sunt[k] incompactae, negationes vero verae ».

b. Item, Damascenus[8]: « Incorporeum, incorruptibile[l] non quid est Deus significant, sed quid non est; oportet autem [eum qui vult] alicuius[m] substantiam dicere quid est enuntiare, non quid non est, in Deo autem quid est dicere impossibile est; familiarius autem ex omnium ablatione facere sermonem ». Ergo negativa sunt magis propria affirmativis[n], quia affirmativa[o] insinuant quid est, negativa vero quid non est.

Respondeo: Affirmationes et negationes mystice in divinis possunt[p] accipi dupliciter: secundum proprietatem dicendi vel secundum veritatem essendi. Si secundum proprietatem[q] dicendi, quia affirmationes significant per insinuationes alicuius concretionis, verius conveniunt negationes quae removent modum concretionis, et secundum hoc improprie accipiuntur affirmationes. Unde B. Dionysius, ad proprietatem dicendi[r] respiciens, dicit quod « affirmationes sunt incompactae[s], negationes vero verae », non ad veritatem essendi. Unde Damascenus, cum dixit: « Familiarius ex omnium[t] ablatione facere sermonem », subdit[9] « Neque enim[u] eorum quae sunt neque ut non-ens, sed ut super omnia ens et super ipsum esse ens. Si enim eorum quae sunt cognitiones[v] nostrae sunt, quod super cognitionem est omnino et super substantiam erit », supple 'ipse Deus'. — Si vero respiciamus veritatem essendi, magis proprie conveniunt affirmationes mysticae, quae dicunt perfectionem, ut 'vita, bonitas[x], paternitas' etc. Unde Damascenus[10]: « Sciendum quod non ex nobis translatum est ad beatam deitatem paternitatis et filiationis et processionis nomen; e contrario autem inde nobis traditum est, ut ait divinus Apostolus[11]: *Propterea flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur* ».

Et sic patet solutio ad obiecta.

---

[a] S *oblationes*; L *alia* pro *aliena*, [b] V *qui*. [c] BRGL *prestantissimo*. [d] S *divinam positionem*; G om. *divinam... inchoamus*. [e] L om. [f] V *insanie*, SRL *inanie*. [g] BR *proprie*. [h] P om., V om. *quasi... intelligi*. [i] V *dicere*. [k] V *sint*, BRGL om. [l] L *incorporale*. [m] B *aliter* pro *a. a.* [n] VG *affirmationis*. [o] BR add. *non.*; PVS om. *vero*. [p] PV *possit*. [q] BRGL *proprietates*. [r] V om. [s] V *compacte*, BRGL om. *sunt*. [t] PR *omni*. [u] B om., RG *est*. [v] G *cognitiores*. [x] P *bonitatis*; B om. *ut*. [y] L add. *est*.

1 *De myst. Theol.*, c. 3 (PG 3, 1033sq., PL 122, 1175).
2 Loc. cit., c. 3 (PG 4, 427).
3 Loc. cit., c. 3 (PG 3, 1033, PL 122, 1175).
4 Loc. cit.; cf. supra, p. 545, nota 11.
5 Loc. cit.
6 Loc. cit.
7 Cf. supra, num. 367, sub litt. *a*.
8 *De fide orthod.*, I, c. 4 (PG 94, 799).
9 Loc. cit.
10 Loc. cit., c. 8 (PG 94, 819).
11 Eph. 3, 14sq.

QUAESTIO IV.

DE NOMINIBUS CONSEQUENTIBUS NATURAM.

Consequens est quaerere, secundum ordinem Damasceni, de nominibus consequentibus naturam.

Sciendum igitur quod huiusmodi nominum quaedam connotant effectum in creatura, ut 'iustus et misericors'; quaedam vero non connotant, ut 'bonus, sapiens'. Item, tam horum quam [a] illorum quaedam significant per modum abstractionis, ut 'iustitia, bonitas', quaedam per modum concretionis, ut 'iustus, bonus'.

Primo ergo quaeritur an significent substantiam divinam;
secundo, an eodem modo de Deo dicatur 'iustum' et 'bonum';
tertio, an iustitia et huiusmodi connotent effectum;
quarto, utrum eodem modo dicantur 'iustus' et 'iustitia'.

CAPUT I. 369

AN NOMINA CONSEQUENTIA NATURAM SIGNIFICENT SUBSTANTIAM DIVINAM.

Ad primum sic: I. *a.* Boethius, in libro *De Trinitate*[1]: « Cum dicitur 'Deus iustus vel bonus', praedicatur iustitia vel bonitas quae est divina [b] substantia ». Ergo significant substantiam [c].

b. Item, 'iustum' et 'bonum' conveniunt tribus personis et in summa singulariter [d]; ergo dicuntur essentialiter, secundum regulam Augustini[2].

Contra: 1. Damascenus[3]: « 'Iustum' et 'bonum' et 'sanctum' sequuntur naturam, non ipsam substantiam ostendunt ».

II. Item, quaeritur de hoc quod dicit Damascenus, 4 cap. I libri[4]: « Quaecumque in Deo affirmative dicuntur, non naturam, sed ea, quae sunt circa [e] naturam eius, ostendunt, ut si bonum [f], si iustum, si sapiens, si [g] quodcumque dixeris, non naturam dicis Dei, sed ea quae sunt circa naturam ».

Respondeo: I. 1. Est considerare dupliciter nomen Dei: aut quantum ad significatum aut quantum ad modum significandi. Considerando significatum, omnia huiusmodi nomina [h], sive operationis sive privationis sive [i] consequentia naturam sive habitudinis, ostendunt naturam. Considerando vero modum significandi qui est sicut in creatura, dicit Damascenus[5] quod non significant naturam, sed consequentia naturam, quia ad similitudinem dicuntur eorum [k] quae sequuntur naturam in creaturis et non significant substantiam, sed proprietatem substantiae: significant enim divinam naturam ut qualitatem sive ut habitum.

II. Ad secundum quod quaeritur quod « quaecumque dicuntur affirmative de Deo, non naturam, sed ea, quae circa naturam sunt [l], ostendunt », dicendum secundum istam [m] regulam fidei[6]: « Omne simplex alio est [n], alio dicitur esse, quia sua [o] propria essentia est, nominatur autem suo effectu ». Quia ergo nomen positivum [p] in divinis acceptum est ab effectu, ideo dicitur quantum ad modum significandi non significare naturam; et istud intelligitur de nominibus positivis significantibus Deum sub aliqua forma determinata, ut 'bonus, iustus, sapiens' etc.; nam istud non intelligitur de significantibus absolute et indeterminate, ut 'ens' et '*qui est*'.

---

[a] RGL *tum horum tum* pro *t. h. q.* [b] BRGL *Dei*; S *essentia* pro *substantia.* [c] S *divinam essentiam.* [d] S *essentialiter.* [e] V *secundum.* [f] BR add. *ut.* [g] G *sed.* [h] R *opera.* [i] V add. *in.* [k] V om. [l] G *eius*, BR om.; L *essentiam* pro *c. n. s.* [m] S om., BRGL *illam.* [n] L add. *et.* [o] S om. [p] P *positum.*

1 Cap. 4 (PL 64, 1252 sq.), ad sensum.
2 Cf. *De Trinit.*, V, c. 8 (PL 42, 917).
3 *De fide orthod.*, I, c. 4 (PG 94, 799).
4 Loc. cit. (PG 94, 799).
5 Loc. cit., c. 9 (PG 94, 838).
6 Alan., *Theol. reg.*, reg. 19 (PL 210, 630).

370

CAPUT II.

AN EODEM MODO DICANTUR 'IUSTUM' ET 'BONUM' DE DEO.

Consequenter quaeritur an eodem modo dicantur 'iustum' et 'bonum' de Deo.

Quod videtur: 1. Quia utrumque est nomen consequens naturam in ratione quae dicta est[1]; eodem ergo modo dicuntur.

Contra: *a.* Nomen boni [a] derivatur ad omnes creaturas; unde Boethius[2]: «Omnia bona», quia a bono, «iustum autem non»; non enim omnia iusta, quia a iusto.

Responsio [b] dicta est supra, in [c] Quaestione De bonitate[3]. Nam 'bonum' est conditio generalis ipsius causae, quae est Deus: quia enim bonus, ideo fecit creaturam; unde Augustinus[4]: «Quia bonus est, sumus»; et ideo 'bonum' respicit omnem creaturam cuius est causa. 'Iustum' vero est conditio [d] specialis et respicit specialem actum, scilicet [e] reddere unicuique quod suum est, quod pertinet ad rationalem creaturam; et ideo 'iustum' «non descendit ad omnia», sicut dicit Boethius, in libro [f] *De hebdomadibus*[5].

371

CAPUT III.

AN 'IUSTUM' ET HUIUSMODI CONNOTENT EFFECTUM.

Deinde quaeritur an 'iustum' connotet effectum in creatura.

1. Boethius[6]: «Deus est substantia super omnem substantiam et iustitia super omnem iustitiam»; sed cum dicitur 'homo est iustus', nihil praedicatur vel compraedicatur sive connotatur nisi iustitia hominis; ergo cum dicitur 'Deus [g] iustus', nihil praedicatur vel compraedicatur nisi iustitia Dei.

2. Item, sicut prima veritas influit super effectus suos, sic summa bonitas vel summum ens; sed cum dicitur 'Deus est [h] bonus, Deus est ens', nullus effectus praedicatur vel compraedicatur vel connotatur; ergo nec [i] cum dicitur 'Deus [k] iustus'[7].

3. Item, si connotatur effectus, cum dicitur 'Deus est iustus', ergo hoc nomen 'iustus' dicit respectum ad creaturam: nam effectus est in creatura; sed omne nomen designans respectum est nomen habitudinis, quae est quinta differentia nominum essentialium, secundum Damascenum, ut 'Creator et Dominus'; non ergo esset in opposita differentia.

Contra: Sive dicatur 'Deus iustus' sive 'homo iustus', semper ponitur redditio unicuique eius [l] quod suum est. Effectus igitur iste aut significatur, cum dicitur 'Deus iustus', aut connotatur cum principali significato; sed non significatur: nam significatum est divina iustitia, quae est divina essentia, ut dicit Boethius[8]; ergo connotatur.

Respondeo: Cum divinum esse significetur multis modis — ut [m] substantia, cum dicitur 'Deus', ut quantitas, cum dicitur 'magnus', ut qualitas, cum dicitur 'sapiens, iustus' et sic de ceteris generibus, ut supra declaratum est[9] — attendendum est [n] regulariter utrum nomen divinum significet differentiam [o] alicuius generis absolutam: et tunc non [p] connotatur effectus, sed solum significatur divina essentia, sicut cum dicitur 'magnus'. Si vero secundum differentiam comparatam [q], considerandum an comparatio sit determinata [r] ad actum temporalem vel ad actum aeternum, liceat sic loqui, ut 'sapere, generare, communicare', quae significant divina per modum actus. Si significent secundum differentiam generis comparatam ad actum temporalem, connotatur effectus in creatura. Verbi gratia, 'iustus vel iustitia, misericors vel misericordia' significant divinam essentiam per modum habitus, habitus autem comparationem habet ad actum; huiusmodi autem

---

[a] V *homini.* [b] S *ratio.* [c] BRGL om. [d] G *adeo.* [e] BR om. [f] BRGL om. *l. l.* [g] BRG add. *est.* [h] V om. [i] S om. [k] R add. *est.* [l] BRGL om. [m] S om. [n] G *ergo;* V *attribuendum* pro *attendendum.* [o] PV *substantiam,* quod S corr. [p] V om. [q] S add. *et.* [r] S *determinatio sit comparata* pro *c. s. d.*

1 Cf. cap. praeced.
2 *De hebdomad.* (PL 64, 1314).
3 Cf. supra, num. 105.
4 *De doctr. christ.*, I, c. 32, n. 55 (PL 34, 32).
5 Loc. cit.
6 *De Trinit.*, c. 4 (PL 64, 1252); cf. Guil. Altissiod. *Summa*, I, c. 3, q. 8 (f. 7c).
7 Cf. Gilb. Porret., *In Boeth. De Trinit.* (PL 64, 1285); Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 7d).
8 Loc. cit.
9 Cf. supra, num. 336, 339, 340, 342.

comparationem habent ad actum retribuendi, ad actum miserendi, et ideo cum[a] dicitur 'misericors, iustus', praedicatur divina essentia et connotatur vel compraedicatur[b] actus retributionis. Si vero significent secundum differentiam generis comparatam, sed non determinate[c] ad actum temporalem, immo indifferenter ad[d] actum temporalem et aeternum, non connotatur effectus temporalis. Verbi gratia, cum dicitur 'sapiens, potens vel bonus' de Deo, significatur divina essentia per modum habitus et ideo in comparatione[1]; sed comparatio huiusmodi non determinatur ad actum temporalem: 'sapiens' enim[e] vel 'sapientia' dicitur in comparatione ad sapere, qui non determinatur ad temporale, cum dicitur Deus sapere se. Similiter 'potens' vel 'potentia' non determinatur ad temporale[f], quia dicitur posse generare, posse cognoscere; similiter 'bonus' vel 'bonitas', quae dicuntur ad hunc actum 'communicare' vel 'se diffundere', quia communicatio est aeterna in divinis[g] personis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud[2] quod obicitur 'cum dicitur homo iustus, nihil connotatur': dico quod praedicatur habitus qui est virtus iustitiae et per consequens connotatur effectus qui est reddere unicuique etc., quia habitus dicit comparationem ad actum.

2. Ad secundum iam[h] patet responsio, quoniam non est simile de hoc nomine 'ens' vel de hoc nomine[i] 'bonus' et de hoc nomine 'iustus'.

3. Ad tertium dicendum quod nomen designans comparationem est duobus modis: aut enim designatur comparatio in actu aut in habitu. Si in actu: tunc dicitur tale[k] nomen habitudinis, sicut 'miserator, creator'; si vero in habitu: non dicitur nomen habitudinis nisi principaliter significaretur ipsa comparatio, sicut hoc nomine 'Dominus'. Inde est quod hoc nomen 'misericors', quod significat divinam essentiam et connotat aptitudinem[l] ad miserendum, non est nomen habitudinis; similiter nec[m] hoc nomen 'iustus', quod significat divinam essentiam et connotat aptitudinem ad effectum retributionis: unde et dicitur misericors et iustus ab aeterno, miserator vero[n] et retributor ex tempore.

CAPUT IV. 372

AN EODEM MODO DICANTUR NOMINA CONCRETA ET ABSTRACTA.

Consequenter quaeritur an[o] eodem modo dicantur huiusmodi nomina concreta et abstracta.

I. Quaeritur ergo utrum eodem modo[p] dicatur bonus vel bonitas et[q] iustus et iustitia.

Ad quod sic: 1. Si eodem modo dicantur iustus et iustitia, bonus et bonitas: sed Deus dicitur 'valde bonus'; ergo dicitur 'valde bonitas'; si ergo non dicitur 'valde bonitas', non eodem modo dicuntur de Deo 'bonus' et 'bonitas'.

Contra: *a.* Cum dicitur 'Deus bonus', praedicatur divina essentia, sicut cum dicitur 'bonitas', et idem utrobique connotatur; penitus ergo dicunt idem ex parte significati et ex parte[r] connotati.

Respondeo, secundum Praepositinum[3], « quod propositiones, in quibus praedicantur vocabula, quae significant in subsistentia, magis accedunt ad simplicitatem, ut cum dico 'Deus est bonitas', quia nec etiam ex modo locutionis videtur innui proprietas inesse Deo. Illae vero in quibus praedicantur vocabula quae significant in adiacentia, quodammodo accedunt ad compositionem, quia compositionem proprietatis ad subiectum innuere videntur, ut 'bonus, iustus' et huiusmodi; et cum idem significet hoc vocabulum 'bonus' quod 'bonitas', quia tamen hoc nomen 'bonus' secundum usitatam intelligentiam magis accedit ad compositionem, idcirco recipit adverbium per se ut dicatur 'Deus est valde bonus' et non 'valde bonitas', quia etiam incongrua esset locutio secundum regulam artis grammaticae, si diceretur 'valde bonitas' ».

II. Item quaeritur[4] an sicut Deus dicitur iustus et misericors, possit dici iustitia et misericordia:

a. Quia in multis locis sacrae Scripturae invenitur; unde[5]: *Dulcis et rectus Dominus,* et iterum[6]: *Patiens et multum misericors;* sed si est vera, hoc non est propter principale significatum illorum adiectivorum, illud enim unum est, sed propter connotata quae sunt diversa. Sed[s] si hoc, eadem

---

[a] PVS om. [b] V *notatur vel predicatur* pro *c. v. c.* [c] P *determinata.* [d] S om. [e] L om. [f] G om. *cum dicitur... temporale.* [g] B *diversis.* [h] L *rationem.* [i] S om. *ens... nomine.* [k] BR om. [l] SR *habitudinem.* [m] PVSB om. [n] B om. [o] G add. *Deo.* [p] G om. [q] BRGL om. [r] B om. *e. p.* [s] PVS om.

1 Cf. supra, p. 425a.
2 Pro hoc et sequenti cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 7d).
3 *Summa,* I (f. 78d).
4 Omnia sequentia verbotenus occurrunt ap. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 8a).
5 Psalm. 24, 8.
6 Psalm. 144, 8.

ratione haec est vera 'Deus est iustitia et misericordia' propter eadem connotata.

b. Item, talis locutio invenitur in Scriptura; unde Psalm.[a 1]: *Misericordia et veritas tua* etc. et I Cor. 1, 30: *Factus est nobis iustitia et sapientia et sanctificatio et redemptio.*

Sed contra: 1. Esse iustitiam est esse quid, esse misericordiam est esse quid, et ita si Deus est misericordia et iustitia, Deus est quid et quid et ita plura.

Solutio: Dictio copulativa copulat adiectiva, coniungit connotata per illa adiectiva; et[b], quia cum dicitur 'Deus est iustus et misericors', copulantur diversa connotata per illa adiectiva, habet copulativa coniunctio illud quod exigit: unde illa locutio est vera. Sed cum copulat inter substantiva, vult copulare supposita; et quia, cum dicitur[c] 'Deus est iustitia et misericordia', non sunt ibi diversa supposita, non invenit ibi haec dictio 'et' diversitatem quam exigit: unde proprie loquendo, falsa est. Recipitur tamen, sed improprie propter diversa connotata quae ibi sunt, quia quandoque per improprias locutiones magis exprimitur veritas fidei quam per proprias.

QUAESTIO V.

DE NOMINIBUS RESPECTIVIS.

Restat, opitulante divina gratia, inquirere de nominibus esssentialibus, quae sunt nomina habitudinis sive respectiva[d], quae est quinta differentia secundum Damascenum.

Horum omnium est differentia: nam[e] quaedam sunt quae dicunt sive connotant respectum personae ad personam, ut 'aequalitas, similitudo'; quaedam vero respectum ad creaturam, 'ut Dominus[f], Creator'. Item, connotantium respectum ad creaturam quaedam connotant respectum tantum, ut 'Dominus'; quaedam respectum et effectum, ut 'Creator et misericors'.

MEMBRUM I.

De nominibus connotantibus respectum ad creaturam.

Quaeritur circa haec nomina:

Primo, utrum significent essentiam et conveniant Deo ab aeterno;

secundo, utrum Deus omnium rerum sit Dominus ex tempore;

tertio, utrum dominium et huiusmodi respectus sint creata vel increata[g];

quarto, utrum respectus connotatus sit in Creatore vel creatura.

373

CAPUT I.

UTRUM HAEC NOMINA SIGNIFICENT ESSENTIAM ET CONVENIANT DEO AB AETERNO.

Ad primum sic[2]: 1. Augustinus[3]: « Cum quaeritur cuius rei ab aeterno fuit Dominus, si creatura non fuit ab aeterno[h], non audeo praecipitare[i] sententiam; nam et me ipsum intueor et recolo scriptum esse[4]: *Quis potest scire consilium Domini aut quis potest cogitare quid velit Dominus?* » Ergo ipse ab aeterno fuit Dominus alicuius rei; ergo ex tempore non convenit ei.

2. Item, 'Dominus' est illi nomen essentiale; ergo ipsum significat essentiam.

3. Item, Ambrosius[5] dicit quod « 'Deus' est nomen naturae, 'Dominus' nomen potestatis »; sed

---

[a] R *in Psalmo.* [b] PVS om. [c] L om. *c. d.* [d] G om. [e] PV *nec,* quod S exp. et corr. in mg. [f] G *Deus.* [g] G *increatum.* [h] S om. *cuius... aeterno.* [i] G *prescire.*

1 Psalm. 39, 12.

2 Fere totum hoc cap. verbotenus est apud Praeposit., *Summa,* I (f. 84d sqq.).

3 *De civit. Dei,* XIII, c. 15, n. 1 (PL 41, 363).

4 Sap. 9, 13.

5 Cf. *De fide,* I, c. 1, n. 7 (PL 16, 530).

potestas nihil aliud est quam essentia; ergo hoc nomen 'Dominus' [a] significat essentiam; ergo hoc nomen 'Dominus' non convenit Deo ex tempore.

Contra [b]: *a.* Augustinus[1] dicit quod « haec relativa appellatio 'Dominus' est Deo ex tempore ». Ergo convenit ei ex tempore.

b. Item, « si quis cogitet et dicat quod Deus non fuit Dominus ex tempore, quia non fuit prius tempus quam esset Dominus, et certe ipse coepit esse Dominus temporis, et certe ut meus esset Dominus vel tuus ex tempore incepit esse ». Ergo hoc nomen 'Dominus' non convenit ei [c] ab aeterno.

Respondeo: 2-3. Hoc nomen 'Dominus' quandoque absolute ponitur et tunc notat essentiam tantum et ab aeterno convenit Deo; quandoque [d] respective et tunc [e] principaliter significat essentiam et secundario relationem, et est sensus: 'Deus est Dominus', id est [f] 'Deus est Deus cui creatura subiecta est'. Similiter haec vocabula 'Creator' et [g] similia principaliter essentiam significant et secundario correlationem [h] quae inest creaturae. Est enim sensus: 'Deus est Creator, Deus est Deus a quo incipit esse creatura'.

Sed si inferatur: hoc ergo vocabulum 'Creator' ab aeterno convenit Deo – non sequitur: nam destruere facilius est quam construere omnino [i], ut dicit Aristoteles[2]. Ad hoc enim ut sim homo albus, necessaria sunt duo, scilicet ut sim homo et ut sim albus; et ad hoc ut non sim homo albus, sufficit ut non sim albus. A simili dico quod ad hoc ut Deus sit Creator, duo sunt necessaria, scilicet ut sit Deus et ut ab ipso incipiat esse creatura; sed ad hoc ut non sit Creator, sufficit ut ab eo non sit creatura.

Instantia [k]: Deus non semper erit praescius huius rei; ergo hoc nomen 'praescius' non significat divinam naturam? Sicut enim ad hoc ut vocabulum significet divinam naturam non exigitur ut semper conveniat ut in futuro, et hoc [l] consignificatione faciente, ita [m] non exigitur ut semper conveniat [n] significatione faciente [o].

1. Ad [p] illud quod dicit Augustinus, quod non audet praecipitare sententiam: dicimus quod tunc non audebat, sed post fecit[3]. Haec est sententia Praepositini.

Sed quia [q] videbitur alicui quod hoc nomen 'Dominus' nunquam significet absolute, sed semper respective — unde Augustinus, V *De Trinitate*[4]: « Creator relative dicitur ad creaturam, sicut dominus ad servum » — non videbitur convenire Deo ab aeterno; unde Augustinus, in eodem[5]: « Dominus non dicitur nisi cum habere incipit servum, unde ista appellatio relativa ex tempore est Deo ». Respondeo: Dicendum quod hoc nomen 'Dominus' semper accipitur respective, sed hoc duobus modis: nam [r] potest notari respectus in habitu vel in actu. Si in habitu: sic convenit Deo ab aeterno quod est Dominus, id est dominabilis sive potens coercere subditos, et est sensus: 'Deus est Dominus', id est Deus est Deus cui subicibilis est creatura, sive sit sive non sit. Si in actu: convenit ex tempore et idem est 'Dominus' quod 'Dominator', et est sensus [s]: 'Deus est Dominus', id est Deus est Deus cui subiecta est creatura.

CAPUT II. 374

UTRUM DEUS OMNIUM RERUM SIT DOMINUS EX TEMPORE.

Secundo quaeritur utrum Dominus [t] omnium rerum sit ex tempore.

Ad quod sic obiciet aliquis[6]: 1. « Quia non tantum est Dominus rerum quae coeperunt ex tempore, sed etiam illius rei quae non coepit ex tempore, id est ipsius temporis, quod non incepit in tempore, quia non erat tempus antequam inciperet: et ideo non coepit esse Dominus ex tempore ».

Respondet Magister, in *Sententiis*, I libro, dist. 30, quod « licet non coeperit ex tempore esse Dominus temporis, coepit tamen esse Dominus temporis, quia non semper fuit tempus, et ipsius hominis ex tempore coepit esse Dominus ». Unde Augustinus, V *De Trinitate*[7]: « Quando coepit [u] tempus, Deus coepit esse Dominus, nec ante tempus fuit Dominus, sed cum tempore, non ex tempore vel in tempore, quia non ante fuit tempus quam ipse Dominus, sed simul ».

---

[a] L *Deus.* [b] PV *item,* quod S corr. [c] SBRGL om. [d] G add. *ut.* [e] S om. *notat... tunc.* [f] G *et* pro *i. e.* [g] V add. *hiis.* [h] L *relationem.* [i] R *omnia.* [k] B add. *enim.* [l] L om. [m] PV om. [n] S om. *et hoc... conveniat.* [o] G om. *ita... faciente.* [p] BRGL *sed* et om. *illud,* S *sed ad.* [q] PVS *quid.* [r] B *Et ideo.* [s] PVS add. *Dominus.* [t] S om. [u] S add. *esse.*

1 *De Trinit.*, V, c. 16 (PL 42, 922), ubi et sequens.
2 Cf. *Topic.*, VII, c. 4 (I, 260); Boeth., in h. l. (PL 64, 993).
3 Hucusque Praepositinus.
4 Cap. 13 (PL 42, 920).
5 Cap. 16 (PL 42, 922).
6 Apud Lombard., I *Sent.*, d. 30, c. 1 (p. 188), ubi et sequens responsio.
7 Cap. 16 (PL 42, 922). Hic textus est notula apud Lombard., loc. cit. (p. 188, nota *e*).

Sed obicitur: *a.* Quia [a], secundum Isidorum [1], quatuor sunt coaeva: tempus, caelum empyreum, prima materia et angeli; ergo si est Dominus illorum trium ex tempore vel in tempore, erit Dominus temporis ex tempore; sed non est Dominus temporis ex tempore; ergo nec aliorum. Si enim ratio est [b] quod non coepit esse [c] Dominus temporis ex tempore, quia non erat [d] tempus ante tempus, eadem ratione non fuit Dominus aliorum trium ex tempore, quia tempus [e] non fuit ante illa.

b. Item, supposito quod omnia sint simul creata, secundum opinionem Augustini [2] — secundum illud Eccli. 18,1: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul,* et hoc est vel in genere vel in specie — igitur, cum omnis creatura sit coaequaeva tempori [f], videtur quod non sit Dominus creaturarum ex tempore vel in tempore sicut nec Dominus temporis.

c. Item, « cum Deus coeperit [g] esse Dominus temporis cum tempore », sicut [h] dicit Augustinus [3], quaeritur [i] utrum similiter possit dici e converso quod tempus coeperit esse cum Domino.

Respondeo quod Deus coepit esse Dominus ex [k] tempore rerum coaequaevarum tempori secundum quod 'Dominus' dicitur in actu. Et ratio huius est: quia non potest intelligi creatura quin intelligatur ens de nihilo, et sic intelligitur mutabilitas, quae non potest intelligi sine tempore; unde non potest intelligi creatura quin intelligatur [l] tempus; propter hoc oportet dicere quod coepit esse Dominus temporis cum tempore. Sed quia tempus possumus intelligere non intelligendo creaturam hanc vel illam, propter hoc possumus dicere de aliis creaturis quod coepit esse Dominus illarum ex tempore, quia potest intelligi tempus ante creaturam. Coepit ergo esse Dominus temporis cum tempore, aliarum rerum ex tempore.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur dicendum [m] quod 'incipere esse' non convenit Domino secundum se, sed per illud [n] ad quod refertur, cui secundum se convenit incipere esse, et ideo proprie dicitur de Domino quod coepit esse Dominus cum tempore, sed non e converso, quia tunc non [o] diceretur solum de Domino quod coepit esse propter relationem, sed etiam propter substantiam. — Aliter potest dici quod haec praepositio 'cum' dicit associationem sive simultatem, sed quandoque cum paritate, ut cum dicitur [4]: *Tecum principium;* quandoque non cum paritate, et hoc dupliciter, quia quandoque notatur [p] auctoritas in ablativo et subauctoritas in nominativo, ut cum dicitur 'miles est cum rege', quandoque [q] e converso, ut I Cor. 15,10: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Quando [r] ergo notatur associatio cum paritate, potest fieri conversio; quando vero notatur non cum paritate, non potest fieri conversio; unde non [s] sequitur: 'miles est cum rege, ergo rex est cum milite'; quia ergo, cum dicitur 'Deus coepit esse Dominus cum tempore', notatur [t] associatio non cum paritate, non potest fieri conversio ut dicatur 'tempus coepit esse cum Domino' [5].

375

CAPUT III.

UTRUM DOMINIUM ET HUIUSMODI RESPECTUS SINT CREATA VEL INCREATA.

Tertio quaeritur utrum dominium et huiusmodi respectus sint creata vel increata [u].

Ad quod sic: I. Dominium aut est creatum aut increatum. Si increatum, ergo aeternum, et dicitur de Deo ab aeterno; si creatum, et dicitur de Deo, ergo aliquid creatum [v] dicitur de Deo. — Item, cum dico 'Deus est Dominus', si praedico increatum, non dicitur Dominus ex tempore: quod non est verum; praedicatur ergo creatum et in rectitudine; ergo praedicatur creatum de increato; ergo haec est falsa 'Deus est Dominus'.

II. Similiter quaeritur de respectu creaturae ad Creatorem: aut est creatum aut increatum. Si creatum: ergo habet respectum ad Creatorem. Vocetur A ille respectus. Quaeritur ergo: A aut est creatum aut [x] increatum. Si creatum: cum habeat respectum ad Creatorem, quaeritur iterum de illo et sic in infinitum vel erit ponere respectum increatum creaturae ad Creatorem.

Respondeo [6]: « Dixerunt Porretani quod hoc nomen 'Dominus' significat quamdam relationem, quae est dominium, qua [y] Dominus est Dominus; et illa relatio non est divina essentia,

---

[a] L om. [b] R add. *eius.* [c] R om. [d] P *erit.* [e] V om. [f] B *ipsi.* [g] P *cepit.* [h] P *sic.* [i] BRGL om. [k] V *cum.* [l] G om. *ens... intelligatur.* [m] V om. [n] B add. *omnino.* [o] S om. [p] V *non,* quod P corr. [q] L *quando.* [r] L *quandoque.* [s] S om.; B om. *quando vero... conversio.* [t] V *non.* [u] BRGL *increatum.* [v] V om. *et... creatum.* [x] L add. *est.* [y] VG *quia.*

[1] Cf. *Differentiarum,* II, c. 11, n. 30; *Sent.,* I, c. 8 (PL 83, 74sq., 549sq.); Lombard., II *Sent.,* d. 2, cc. 1 et 2 (p. 313sq.).

[2] Cf. *De Gen. ad litt.,* IV, c. 33; V, c. 3 et 23; VI, c. 1sq. (PL 34, 317, 322, 337, 339); *De civit. Dei,* XI, c. 6 (PL 41, 321).

[3] *De Trinit.,* V, c. 16 (PL 42, 922). [4] Psalm. 109, 3.

[5] Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 30, dub. 2 (I, 527).

[6] Verbotenus ap. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 3, q. 1 (f. 8ab), ubi etiam varia sequentium argumentorum verbotenus vel ad sensum afferuntur. Cf. Gilb. Porret., *In Boeth. De Trinit.* (PL 64, 1292).

sed assistit ei et incepit [a] ei assistere ex tempore, id est quando coepit habere servum; eodem modo hoc nomen 'Creator' significat quamdam relationem quae incepit assistere quando creaturae inceperunt [b] esse ab eo » [c].

Contra: *a.* Boethius, *De Trinitate* [1]: « Dominium est potestas coercendi, quae in Deo est divina essentia ».

b. Item, Ambrosius [2]: « Deus et Dominus nomina sunt naturae, nomina sunt potestatis ».

c. Item [3], sicut albedine fit aliquis albus, ita dominio fit dominus; si ergo dominium est creatura, quod Deus sit Dominus habet a creatura: quod est haereticum.

d. Item, creatio qua Deus creat, si est creata, aut ergo se creatione vel alia. Si alia, erit quaerere de alia: aut est creata [d] aut non, et erit procedere in infinitum, aut erit aliqua creatio quae se ipsa [e] creata est; ergo idem est prius et posterius se; ergo nec creatio, qua creat sive qua [f] Creator est, nec dominium, quo est Dominus, est creatura.

e. Item, Ambrosius [g] [4]: « Non est creatura per quem [h] facta est omnis creatura [i] »; sed per creationem facta est omnis creatura; ergo creatio non est creatura.

Propter [k] hoc dixerunt alii [5] quod huiusmodi relationes sunt creaturae [l] et praedicantur de Deo non per identitatem, sed per causam, ut cum dicitur 'medicina [m] sana'.

Sed hoc non videtur: cum enim dicitur medicina sana, non dicitur quod sanitas insit medicinae, sed tamen aliquid est in medicina quo [n] est effectiva sanitatis; ergo similiter, cum dicitur Deus 'Creator', significatur aliquid in Deo quo ipse [o] est causa creaturae. Praeterea, ista nomina, 'Creator' et 'Dominus', non significant plura aequivoce sub uno nomine [p] sicut hoc nomen 'sanum'.

Respondeo: Cum dicitur Deus 'Creator et Dominus', praedicatur divina essentia et connotatur respectus in creatura; sed quandoque notatur [a] respectus solum, ut cum dicitur 'Deus est Dominus'; quandoque effectus et respectus, ut cum dicitur 'Deus Creator est', id est Deus est [b] divina essentia a qua creatura est; similiter 'Deus est Dominus' [c], id est Deus est divina essentia cui subiecta est creatura; unde praedicatur divina essentia in rectitudine et respectus in [d] obliquitate. Unde praedicatur de Deo divina essentia, cum dicitur Deus 'Dominus vel Creator' et cointelligitur aliud quod [e] refertur ad essentiam, non sicut cui insit, sed a qua sit vel cui subsit, non tamen attribuitur Deo, sed creaturae secundum rem, Deo vero secundum rationem [f], ut fiat differentia inter subiectum locutionis et subiectum rei sive attributionis. Cum enim dicitur 'album fit in scuto' [g], passio significata per hoc verbum 'fieri', non attribuitur albo, sed scuto; unde 'album' licet sit subiectum locutionis, non tamen est subiectum rei [h] vel attributionis. Similiter cum dicitur 'homo generatur', generatio non inest [i] homini sicut subiecto, sed materiae hominis.

I. 1. Cum ergo quaeritur [k] 'utrum dominium sit creatum vel increatum' [l]: dicendum quod dominium Dei est increatum ratione principalis significati, ratione vero connotati dicitur de Deo ex tempore. Unde non sequitur: 'dominium est increatum, ergo dominium est ab aeterno', quia cum dicitur 'Deus est Dominus', duo dicuntur: divina essentia et respectus connotatus [6]. Quamvis autem divina essentia fuerit ab aeterno [m], non tamen ab aeterno ei subiecta est creatura, quod notatur cum divina essentia per hoc quod dico 'dominium'.

II. Ad aliud dicendum quod respectus creaturae ad Creatorem est creatura nec est ponere alium respectum; unde in creatura est ille respectus et creatura est nec est currere in infinitum, quia se ipso refertur ad Creatorem.

CAPUT IV.

UTRUM RESPECTUS CONNOTATUS SIT IN CREATORE VEL IN CREATURA.

Quarto quaeritur utrum respectus connotatus sit in Creatore vel in [n] creatura. Et ad maiorem evidentiam quaeruntur tria:

Primo, utrum divina essentia referatur ad creaturam;

secundo, utrum ille respectus, qui connotatur in 'Domino' [o] vel 'Creatore', sit in creatura vel in Deo;

tertio, an similis sit ratio in respectu huius nominis 'Dominus' et huius nominis 'Creator'.

---

[a] BRGL *incipit*, item subinde. [b] BRGL *incipiunt*. [c] S *a Deo* pro *a. e.* [d] BRGL *creator*; V *aut* pro *et*. [e] PVSL *est ipsa* prò *s. i.* [f] G om. [g] P om. [h] BR *quam*. [i] P *creata*, B om. *o. c.* [k] S om. [l] PV *create*. [m] PVS add. *est*. [n] G *que*, alii *qua*. [o] PVS om. [p] V om. [a] S *connotatur*. [b] B om. *D. e.* [c] G om. *quandoque effectus... Dominus*. [d] P om. [e] PVSL *quo*. [f] GL *nomen*. [g] V *est in scuto vel fit* pro *f. i. s.* [h] V *re*. [i] S *est*. [k] L *sequitur*. [l] PV om. *v. l.*, in S est add. mg. [m] L om. *quia cum... aeterno*. [n] B om. [o] P (corr.) *dominio*.

1 Cap. 5 (PL 64, 1254), ad sensum.

2 *De fide*, I, c. 1, n. 7 (PL 16, 530).

3 Sequentia tria argumenta fere verbotenus apud Guil. Altissiod., loc. cit.

4 Cf. loc. cit., c. 5 (PL 16, 536), ad sensum.

5 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 85ab); Guil. Altissiod., loc. cit.

6 Cf. supra, p. 551b.

376 ARTICULUS I.

Utrum divina essentia referatur ad creaturam [1].

Ad primum sic: *a.* « In causali [a] et causato non recipimus reciprocationem », sicut dicit Dionysius [2]: causatum [b] enim refertur ad causam, sed non e converso, quia causa non dependet; ergo cum divina essentia causa sit, creatura causatum [c], non refertur divina essentia ad creaturam.

b. Praeterea, si refertur, ille respectus in ipsa est. Sed tunc quaeritur: ille respectus aut est [d] aeternus aut temporalis. Si aeternus: ergo creatura est aeterna; respectus enim ad creaturam actualis ponit creaturam. Si temporalis: ergo ex tempore est in Deo et ante non fuit; ergo alio [e] modo se habuit Deus quam prius; ergo mutatus est: quod enim alio modo se habet quam prius, mutatur; sed utrumque falsum est: quod [f] creatura aeterna et quod Deus mutatus sit; ergo non est respectus in Deo; ergo non refertur ad creaturam.

Contra: 1. Relativorum [g] esse est ad aliud se habere [3]; sed 'Dominus' et 'Creator' relativum est; ergo se habet ad aliud; ergo dico relationem de Deo, et ita esse ad aliud; ergo refertur.

2. Item, cum dico 'Dominus est [h] Creator', aut dico in relatione aut in habitudine. Constat quod in habitudine; ergo se [i] habet ad creaturam; ergo refertur ad creaturam. — Item, Augustinus [4]: « Deus dicitur Dominus sicut nummus dicitur pretium »; sed nummus, per hoc quod dicitur vel fit pretium, refertur [k] vel dicitur in relatione ad aliud; ergo et Deus, per hoc quod [l] 'Dominus', in relatione ad aliud.

Respondeo: Notandum quod relatio seu habitudo relativorum aliquando fundatur super duplicem respectum [5], ut cum dicitur 'isti sunt amici', aliquando super unicum. In primo casu utrumque relativorum refertur et dicitur relative, in secundo unum tantum refertur, tamen utrumque dicitur relative et hoc provenit ex duplici collatione intellectus: sicut enim intelligimus, sic significamus. Huiusmodi relativa sunt causa et causatum: causa, dico, perfecta quae perficit suum causatum et non perficitur ab ipso [m], qualis est prima causa. Dicendum ergo breviter quod divina essentia non refertur ad creaturam, sed e converso, quia non dependet a creatura, sed creatura ab ea; unde habitudo huiusmodi fundatur in unico respectu, qui est in creatura [6]; tamen divina essentia, prout significatur per haec nomina 'Dominus, Creator' et huiusmodi, relative dicitur propter collationem intellectus, tamen non refertur, quia non dependet.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud autem [n] quod obicitur quod 'relativorum esse' etc.: dicendum quod hoc verum est [o] de relativis quae relativa sunt in essendo; sed cum dicitur Deus 'Dominus vel Creator', 'Dominus' et [p] 'Creator' relativa sunt in dicendo, sed non in essendo. Unde horum est mutua relatio in dicendo, non in essendo [q].

2. Ad aliud dicendum quod verum est quod Deus dicitur in habitudine, non tamen eo quod se habeat ad creaturam, sed e converso.

377 ARTICULUS II.

Utrum respectus connotatus in 'Domino' vel 'Creatore' sit in creatura vel in Deo.

Consequenter quaeritur utrum respectus connotatus sit in Deo vel in creatura [7].

Ad quod sic: 1. Cum dicitur 'Deus [r] est Creator, Deus est Dominus', ista nomina significant habitudinem Dei ad creaturas; cum ergo relatio et correlatio oppositae sint habitudines [8], non poterunt simul esse in eodem; sed relatio creaturae ad Deum est in creatura; ergo sua correlatio erit in Creatore; erit ergo in Deo; cum ergo [s] utraque sit accidens, erit accidens in Deo.

2. Si autem dicatur quod praedicatur divina essentia de Deo et compraedicatur relatio de creatura – tunc quaeritur: illa relatio aut est in Deo aut in creatura. Si in Deo: ergo [t] falsa est propositio quae dicit quod Deus est Dominus

---

[a] G *causa enim.* [b] BR *creatum.* [c] PV *creatum.* [d] BG om. [e] P *alia.* [f] S *quia.* [g] BRGL *relationis.* [h] BRGL *aut.* [i] P om. [k] G *fertur.* [l] L add. *dicitur.* [m] Ita L, alii *ipsa.* [n] BRGL om. *A. i. a.* [o] R om. [p] G *vel.* [q] G om. *Unde... essendo.* [r] PVS om. [s] G om. [t] B om.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 30, a. un., q. 2 (I, 523).
2 *De divin. nomin.*, c. 9, § 6 (PG 3, 646, PL 122, 1162).
3 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 5 (I, 9).
4 *De Trinit.*, V, c. 16 (PL 42, 922), ad sensum.
5 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 15 (II, 526).
6 Cf. supra, p. 551a, sub *Respondeo.*
7 Cf. S. Bonav., loc. cit., et II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 3, q. 1 (II, 33 sq.).
8 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 10 (II, 522).

quia praedicatur creatura de Deo; si [a] in creatura: ergo nihil praedicatur ibi de Deo nisi divina essentia.

3. Praeterea, illa relatio significatur in rectitudine: quare debet attribui substantiae significatae in rectitudine. Eadem quaestio est de actione significata per hoc verbum 'creat', cum dicitur 'Deus creat'.

4. Praeterea, actio et passio opposita ad invicem dicuntur [1]; huic ergo actioni respondet passio. Quaeritur ergo: in quo est passio opposita huic actioni? subiectum enim passionis non est factum, sed materia eius [b]; cum igitur creatura non fiat ex materia, non potest esse in creatura passio, quare neque actio.

5. Item, Augustinus [2]: « Sicut nummus pretium dicitur, sic Deus Dominus »; sed relatio, qua nummus dicitur pretium, est in nummo; ergo relatio, qua Deus dicitur Dominus, est in Deo [c].

6. Item, nummus dicitur pretium per relationem quae ei accidit; ergo et Deus dicitur [d] Dominus per relationem quae ei accidit; ergo Deo aliquid accidit [e]. — Probatio quod nummus dicitur pretium per relationem secundum accidens: sunt enim duae quaedam relationes quae antecedunt ordinem substantiarum et accidentium, sicut relationes materiae et formae [3]: et hae naturales [f] sunt et non accidentales; et sunt relationes aliae quae consequuntur ordinem substantiarum et accidentium secundum superius et inferius, convenientiam et differentiam: et hae accidentales sunt vel secundum accidens, ut dextrum, sinistrum. Sine sinistro non posset esse dextrum, quamvis ipsum dextrum vel sinistrum non mutetur; similiter pretium non posset esse nummus, si non esset [g] usus vel aliquid tale in nummo. Si ergo nummus dicitur pretium relatione [h] quae est secundum accidens, ergo et Deus Dominus.

7. Item, cum dico 'Dominus', dico relationem quae est superpositio; sed haec non est in creatura; ergo est in Creatore: sicut enim servitus est in creatura, sic superpositio in Creatore [i].

Respondeo: Notandum, ut dictum est [4], quod nomina relative dicta de Deo ad creaturam, sunt relativa nomina, sed non significant relationem, ut 'Creator et Dominus'. Nomina vero creaturarum relative [k] dicta ad Deum, relativa sunt secundum nomen et relationem significant; unde inter Deum et creaturam non sunt relationes duae, sed una tantum: non enim necesse est ut uni relationi respondeat altera secundum rem, sed solum secundum dictionem vel secundum intellectum. Et si quaeratur unde [l] hoc: dicendum [m] quod hoc est a virtute intellectus conferentis unum extremum ad aliud et e converso. Quia ergo conferendo utrumque respicit utrumque, ponit quasi respectum ex utraque parte [n]; sicut autem intelligimus, sic significamus; quia ergo duplex est respectus in intellectu, duplex est in dictione: non enim potest intellectus noster finiri super aliquam relationem nisi intelligat alteram ei correspondentem; dictio enim nostra [o] non solum causatur a re, sed ab intellectu; ideo non oportet quod relatio [p] secundum nomen respondeat relationi [q] secundum rem. — Quod autem uni relationi non sit necesse semper [r] respondere alteram, patet in actione et passione quae dicuntur similiter relative, sed non [s] necesse est semper actioni respondere passionem, licet necesse sit semper ei respondere nomen passive significans [t]. Quod patet [5], cum dicitur 'Deus creat animam': hoc enim verbum 'creat' significat vere actionem, quoniam Deus dicitur vere agere, secundum Augustinum, in libro *De Trinitate* [6]; huic actioni respondet passio secundum nomen, non secundum rem, cum dicitur 'anima creatur': hoc enim verbum 'creatur' [u] passive dicitur, non tamen passionem significat; passio enim non est in facto ut in subiecto, sed in materia facti; unde cum creatio sit ex nihilo et non ex materia praeexistenti, in creatione rerum est actio sine passione: unde non est ibi nisi una relatio secundum rem vel unus respectus. Patet ergo quod non necesse est cuilibet relationi correspondere alteram secundum rem, sed secundum solum nomen. Dicendum ergo quod in Deo non est respectus, sed [v] solum in creatura, quantum est in re; sed in dicendo duplex est respectus: non enim est dependentia Dei [x] ad creaturam, sed e converso.

[Ad obiecta]: 1-2. Et per hoc solvuntur duo prima obiecta. — Si autem obicitur: aliquis respectus modo convenit Deo, qui non convenit ei ab aeterno; ergo et aliqua forma: dicendum quod non est simile de relatione et forma, quia [y] non dicitur ei convenire relatio, quia aliquid sit in eo mutatum, sed si diceretur de forma, intelligeretur mutatio. Dicendum ergo breviter quod

---

[a] P *sed*, quod S corr. [b] L om. [c] BRGL *domino*. [d] Ita PV, alii om. *D. d.* [e] B om. *e. D. a. a.*; VG *aliud* pro *aliquid*, item saepius. [f] PVBRG *materiales*. [g] BR *posset esse*. [h] V *relative*, B *relationis*. [i] RL *creatura*. [k] V *relativa*, R *relatione*. [l] BL add. *est*, G *est* pro *hoc*. [m] S om., BR add. *est*. [n] B add. interl. al. manu *relativum*. [o] VBGL *nomen*, quod R exp. et om. *nostra*; V om. *solum*. [p] BRGL *relativo*. [q] BRGL *relativum*, S *relati*. [r] PVS om. [s] V om. [t] L *significationis*. [u] L *creat*. [v] Ita R mg., alii om. [x] L om. [y] V *que*.

1 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 7 (I, 17).
2 *De Trinit.*, V, c. 16 (PL 42, 922), ad sensum.
3 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 2 (III, 447).
4 Cf. supra, num. **376**.
5 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 1 (f. 8b).
6 Lib. III, c. 5, n. 11 (PL 42, 874).

praedicatur divina essentia et connotatur respectus sive effectus in creatura, qui non praedicatur ut sit in divina essentia, sed in creatura.

3. Ad alia dicendum quod, proprie loquendo, est esse quod pertinet ad substantiam et est esse vel inesse quod pertinet ad [a] accidens et est esse vel adesse quod est esse habitudinis; tale esse reperitur in substantiis et accidentibus: substantiae referuntur et accidentia; est enim habitudo substantiae ad substantiam et accidentis ad accidens. Esse [b] habitudinis substantiae ad substantiam non est accidens, ut [c] secundum identitatem in specie habitudo singularium [d]; esse habitudinis accidentis ad accidens accidens est. Dicendum ergo quod non sequitur: 'hoc dicitur ad aliquid, ergo inest ei aliquid'; sed sequitur: 'ergo aliquid adest illi vel est ad illud'; cum enim dicitur Deus 'Dominus', relatio dominii in creatura est et est ad Creatorem et adest Creatori. Et nota quod duplex [e] respectus est in dicendo, sed unicus est [f] in essendo.

7. Ad illud quod obicitur quod 'servitus est in creatura' etc., dicendum quod dominium dicit duo: potestatem coercendi creaturam et comparationem vel superpositionem potestatis; ipsa potestas Deus est, comparatio vel superpositio [g] potestatis nulli inest, sed adest Deo; unde dominium est potestas superposita: superpositio nulli inest, sed Deo adest; unde non dicit aliquid in Deo secundum esse, sed [h] secundum modum dicendi, nec in creatura; illud tamen propter quod dicitur est in creatura [i]. Unde Augustinus [1] dicit quod Deus dicitur [k] Dominus non propter accidens quod sit in Deo, sed propter accidens quod est in creatura.

4-5-6. Et per hoc patet solutio ad alia.

378 ARTICULUS III.

Utrum similis ratio praedicandi sit in hoc nomine 'Dominus' et in hoc nomine 'Creator'.

Consequenter quaeritur utrum consimilis ratio praedicandi sit in hoc nomine 'Dominus' et in hoc nomine 'Creator'.

Quod videtur: *a.* Utrumque enim significat divinam essentiam principaliter, connotando aliquid in creatura; cum enim dicitur 'Deus est Dominus creaturae', necessario sequitur aliquid esse in creatura respectu cuius dicitur dominium esse in [l] Deo; unde Augustinus [2] dicit quod Deus dicitur Dominus [m] propter accidens quod est in creatura; similiter cum dicitur 'Deus est Creator huius creaturae'; unde non potest dici Creator nisi sit creatura.

Contra: 1. Ut vult Augustinus [3]: « Sicut nummus dicitur pretium, sic Deus Dominus »; sed per hoc quod nummus dicitur pretium, nihil est additum secundum rem ipsi nummo; sed cum dicitur Deus 'creator huius creaturae', significatur ex hoc esse datum ipsi rei creatae; igitur non est similis modus connotationis hic et ibi, quia praeter generalem modum relationis in hac 'Deus est Dominus' compraedicatur aliquid de Deo, ut dici possit causa vel auctor creaturae.

Respondeo: Sunt qui dicunt [4] « quod hoc nomen 'Dominus' significat divinam essentiam ut dominium; dominium autem est potestas coercendi subditos, ut dicit Boethius [5]; Deus [n] autem per se ipsum potest coercere subditos: unde ipsa divina essentia est dominium, quod dominium dominatur suis subditis. Ex hoc ergo modo significandi quo divina essentia significatur ut dominium et ut relatio, innuitur et coasseritur servitus de creatura; unde Deus 'Dominus' ab aeterno non fuit. Eodem modo videtur alicui quod sic esset dicendum in ista 'Deus creat hanc animam', scilicet quod ex modo significandi quo [o] Deus significatur ut actio, coasseritur effectus de creatura et quod iste effectus non praedicetur, nec compraedicetur [p] aliquid de Deo », sicut nec in hac 'Deus est Dominus'.

Alii dicunt [q 6]: « Cum dicitur 'Deus creat hanc animam', ille effectus ostenditur pertinere ad Deum tamquam ad causam, et ideo bene compraedicatur aliquid de Deo; sed cum dicitur [r] 'Deus est Dominus creaturarum', sic [s] pure ostenditur quomodo se habeat Deus ad rem subiectam sibi et e converso; nec ostenditur sic aliquid pertinere ad Deum

---

[a] L om. [b] G add. *enim.* [c] PVS *sed.* [d] G add. *est.* [e] G *quadruplex.* [f] V om. [g] BRG om. *v. s.*, L om. *vel.* [h] RGL *licet.* [i] V om. *illud... creatura.* [k] V *dicitur quod Deus est* pro *d. q. D. d.* [l] BGL om. *esse*, R om. *e. i.* [m] S *Deus.* [n] V *dicitur.* [o] PVS *quod.* [p] R *predicet nec compredicat* pro *p. n. c.* [q] BRG add. *quod.* [r] S om. *Deus creat... dicitur.* [s] VS om., BL *sicut.*

1 *De Trinit.*, V, c. 16 (PL 42, 922), ad sensum.
2 Loc. cit.
3 Loc. cit.
4 Inter quos Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 1 (f. 8b), cuius verba hic afferuntur.
5 *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1254), ad sensum.
6 Verbotenus apud Guil. Altissiod., loc. cit., qui illud sic introducit: « Sed non potest dici quod cum dico 'Deus creat hanc animam' » etc. ut hic.

tamquam effectus ad causam »: unde in hac 'Deus est Creator omnium' aliquid compraedicatur de Deo, in hac 'Deus est [a] Dominus' nihil, sed solummodo connotatur respectus.

Aliter videtur dicendum. Potest igitur dici quod in huiusmodi enuntiationibus 'Deus est Dominus, Deus est Creator' et consimilibus praedicatur divina essentia connotando aliquid extra unde notatur quidam respectus inter Deum et creaturas. Huiusmodi autem respectus quandoque notatur in habitu, ut cum dicitur 'Deus est exemplar rerum fiendarum', quandoque in actu, ut cum dicitur [b] 'Deus est Creator vel Dominus', secundum quod 'Dominus' dicit dominium in actu. — Praeterea, in huiusmodi enuntiationibus quandoque praedicatur divina essentia significata ut actio sive ut res quae est in agere, ut cum dicitur 'Deus est Creator'; quandoque ut res ens in quiete, ut cum dicitur 'Deus est Dominus': ibi enim praedicatur divina essentia ut potestas coercendi subditos; dicit enim Boethius[1] quod « dominium est potestas coercendi subditos ». — Praeterea, sicut dictum est[2], praeter divinam essentiam praedicatio [c] connotat aliquid ex parte creaturae; sed illud connotatum quandoque est pure respectus, ut cum dicitur 'Deus [d] est Dominus': hic enim notatur [e] subiectio ex parte creaturae, quae nihil addit esse creaturae in re nisi solum respectum ad Dominum; quandoque connotatur aliquid in creatura praeter huiusmodi respectum, ut cum dicitur 'Deus est iustificator'; quandoque connotatur [f] ipsum esse creaturae sive creaturam esse de nihilo, ut cum dicitur 'Deus est Creator', quia sensus est: 'Deus est a quo creatura est ex nihilo'.

Ad illud ergo quod quaeritur si consimilis est modus praedicandi, cum dicitur 'Deus est Dominus' et 'Deus est Creator', iam patet responsio. Quantum autem ad principale significatum, quod est divina essentia, idem est praedicatum et modus praedicandi. Quantum autem ad compraedicata [g] — hoc est quantum ad hoc quod divina essentia praedicatur in una ut actio, ut quando [h] dicitur 'Deus est Creator', et in alia ut qualitas, ut cum dicitur 'Deus est Dominus', quia ibi praedicatur Deus [i] ut potestas coercendi subditos — est diversitas quaedam. Quantum autem est ex parte connotati extra, est diversitas, quia in una, scilicet in [k] hac 'Deus est Dominus', connotatur respectus tantum; in alia, scilicet 'Deus est Creator', connotatur effectus qui est esse rei creatae de nihilo. Quantum igitur ad modum quemdam generalem consimilis est modus praedicandi, ut concludit prima ratio; quantum autem [l] ad compraedicatum ex parte Dei, sive quantum ad modum quo [m] significatur divina essentia quae praedicatur, est [n] qualiscumque differentia; quantum autem est [o] ex parte connotati extra, est differentia simpliciter, quia in una non est connotatum aliud quam respectus purus, in alia est connotatum ipsa res sive esse rei.

Si obiciatur quod cum dicitur 'Deus est Dominus', non connotatur tantum respectus in creatura, sed effectus aliquis sive res super quam fundatur respectus: quia sicut ex parte Dei compraedicatur potestas dominandi sive coercendi subditos, similiter ex parte creaturae connotatur subiectio sive debitum subiciendi — respondeo quod illud debitum sive subiectio non ponit aliquid sive addit ipsi creaturae in quantum comparatur ad Deum, in quantum est Dominus, immo solummodo est specificatio ipsius respectus, ut specialius dicatur: divinae essentiae, significatae ut dominium, respondet in creatura subiectio, quae quia nihil addit rei, dicenda est simplex [p] sive pure respectus. Tamen notandum cum aliis quod [q] cum dicitur 'Deus incipit esse Creator', inceptio notatur non [r] circa rem principaliter praedicatam, sed circa compraedicatam.

MEMBRUM II.

De nominibus designantibus respectum personae ad personam.

Consequenter quaeritur de nominibus essentialibus designantibus respectum personae ad personam. Haec autem designantur dupliciter: relative logice, ut 'aequalis et aequalitas, similis et similitudo', et relative grammatice, ut 'talis, qualis'.

---

[a] PVS om. [b] G om. *Deus... dicitur.* [c] BRG *predicatam;* BRGL *connotatur* pro *connotat.* [d] S *pure.* [e] L *connotatur.* [f] PV *notatur.* [g] S *predicata.* [h] L *quandoque.* [i] L om. [k] BRGL om. [l] P om., G *vero.* [m] S *hoc.* [n] V *ex.* [o] BR om., in L est add. [p] VRL *simpliciter.* [q] G om. [r] V om.

[1] *De Trinit.*, c. 5 (PL 64, 1254).

[2] Cf. hic, parum supra.

CAPUT I.

DE NOMINIBUS RELATIVE LOGICE DESIGNANTIBUS.

Circa primum [a] quaeritur sic [b]: Primo, utrum 'aequalis et similis' seu 'similitudo et aequalitas' dicantur secundum substantiam vel relative;

secundo, utrum Pater debeat dici aequalis vel similis Filio sicut dicitur e converso;

tertio, utrum Pater debeat dici [c] coaequalis Filio sive aequalis Imagini;

quarto, utrum Christus, secundum quod homo, sit similis sibi Deo.

379 ARTICULUS I.

Utrum 'aequalis, similis' etc. dicantur secundum substantiam vel relative [1].

Ad primum sic obicitur: 1. Magister, in *Sententiis*, 31 dist. I libri [d] [2], definit similitudinem, dicens: « Similitudo est indifferens essentia ». Ergo 'aequalis et similis' essentiam significant, quia, secundum Hilarium [3], aequalitas est idem quod similitudo.

2. Item, 31 dist. I libri *Sententiarum*, dicitur [e] [4]: « Aequalitas Patris et Filii non est relatio vel notio, sed unitas naturae et identitas ».

3. Item, nihil quod dicitur relative dicitur de qualibet persona; sed 'aequalis' de qualibet praedicatur; ergo non dicitur relative.

4. Item, sicut sapiens secundum sapientiam est sapiens, sic aequale [f] secundum aequalitatem [g] aequale. Cum ergo Pater et Filius secundum substantiam sint aequales, ergo aequalitas est essentia; ergo 'aequalis' significat substantiam; ergo non dicitur relative.

Contra hoc obicitur *a.* auctoritate Hilarii, *De Trinitate* [5]: « Nihil est sibi [h] simile vel aequale »; et ita 'aequalis [i], similis' connotant [k] pluralitatem; sed nihil dictum secundum substantiam pluralitatem significat; ergo dicuntur relative.

b. Item, definitio relativorum convenit 'aequali' et 'simili' [l]. — Praeterea [m], possunt pluraliter vere significari; cum ergo in divinis non sit pluralitas substantiae, sed relativorum tantum, necesse est ista relative dici.

c. Item, Boethius, in libro *De hebdomadibus* [6]: « In Patre unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu Sancto utriusque connexio ». Ergo aequalitas dicitur personaliter.

d. Item, Augustinus [7]: « Quod secundum substantiam dicitur, ad se dicitur »; sed aequalitas dicitur ad aliud vel ad alium; ergo aequalitas dicitur secundum relationem; ergo non dicit substantiam.

e. Item, Augustinus [8]: « Quod relative dicitur non indicat substantiam ». Ergo hoc nomen 'aequalis' [n] non significat substantiam.

f. Item, si hoc nomen 'aequalis' significat substantiam [o] et est relativum, ergo substantia relative dicitur; ergo ipsa per relationem ab aliquo distinguitur.

[Solutio]: Ad hoc nota triplicem opinionem. Quidam enim dicunt quod haec nomina 'aequalis, similis' tantum remotive accipiuntur, ut cum dicitur 'Pater et Filius sunt aequales', id est non sunt inaequales, et 'sunt similes', id est non sunt dissimiles. In qua sententia videtur fuisse [p] Lombardus. In prima [q] enim editione *Sententiarum* dixit [9]: « Similitudo est indifferens substantia »; et in secunda, quasi corrigens, dixit: « Similitudo est indifferentia », quasi dicat: Pater et Filius dicuntur [r] similes, quia non sunt differentes. — Sed contra hoc sic obicitur: Catholicus dicit 'Pater et Filius sunt aequales', Arius [10] haereticus dicit 'Pater et Filius non sunt aequales'. Inde sic:

---

[a] BRG *prima*. [b] BRG om., L *hoc modo*. [c] L *sit* pro *d. d.*; BRG om. *d. d.* [d] L om., S om. *I*. [e] BBGL add. *quod*, B om. *Ilibri*. [f] PVS add. *secundum equale*. [g] L add. *est*. [h] S *ibi*. [i] BR add. *vel*, GL add. *et*. [k] PVS *connotat*. [l] BR *consimili*. [m] R *item*. [n] R repet. [o] S om. *Item si... substantiam*. [p] V *esse*. [q] V *persona*. [r] G *sunt*.

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 31, c. 1 (p. 190 sq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 31, p. 1, a. un., q. 2 (I, 534 sqq.).

[2] Loc. cit. p. 191).

[3] *De Trinit.*, II, n. 1 (PL10, 51); cf. Lombard., loc. cit.

[4] Loc. cit.

[5] Lib. III, n. 23 (PL 10, 92).

[6] Ibi nihil simile, sed verbotenus ap. Alan., *Theol. reg.*, reg. 4 (PL 210, 625), ex Augustino, *De doctr. christ.*, c. 5 (PL 34, 21). Iam saec. XIII Alani opus quandoque sub titulo '*Boethius, De hebdomadibus*' nominatur. Cf. M. Manitius, *Gesch. d. latein. Liter. d. Mittelalt.*, München 1911, p. 36.

[7] *De Trinit.*, V, c. 6 (PL 42, 914).

[8] Loc. cit., c. 7 (PL 42, 916). Ab hoc textu usque ad *Respondeo* (p. 559a) exclusive omnia fere verbotenus occurrunt ap. Praeposit., *Summa*, I (f. 70d sq.).

[9] Lib. I, d. 31, c. 1 (p. 191, nota 4).

[10] Apud Athanas., *De Synodis*, n. 15 (PG 26, 707).

quod catholicus affirmat, haereticus negat, et haereticus aliquid removet dicendo 'Pater et Filius non sunt aequales'; ergo catholicus aliquid ponit, cum dicit 'Pater et Filius sunt aequales', et non tantum removet. Item, dicit auctoritas[1]: « In personis proprietas et in essentia unitas et in maiestate adoretur aequalitas »; ergo aequalitas trium est adoranda; sed non alia adoratione quam latria; ergo aequalitas trium est divina essentia; ergo hoc nomen 'aequalis' ponit aliquid. Item[2]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* ibi dicit auctoritas Hilarii[3] quod per *imaginem et similitudinem* intelligitur unitas essentiae; ergo similitudo est divina essentia; sed hoc nomen 'similis' significat similitudinem; ergo significat divinam essentiam. Si enim [a] similitudo aliquid est, quae ratio est quod 'bonus' bonitatem et 'magnus' magnitudinem, et 'similis' non [b] significat similitudinem'?

Aliorum[4] opinio est quod sunt relationes essentiales et personales: essentiales, ut 'similis, 'aequalis'; personales, ut 'Pater et [c] Filius', et dicunt quod relatio essentialis non est essentia. — Sed contra: 'Aequalis vel similis' aut dicit essentiam [d] aut relationem. Si essentiam: ergo essentia dicitur relative; si personam: ergo non convenit tribus; si autem non significat nec essentiam nec personam, ergo non est aliquid divinum; ergo est creatum. Item, Filius est aequalis Patri secundum substantiam; ergo hoc nomen 'aequalis' praedicat substantiam.

Ad hoc dicunt quod 'dici secundum substantiam' duobus modis dicitur, quia 'dici secundum substantiam' hoc est significare substantiam vel quod substantia sit causa dicti [e], ut cum dicitur 'Petrus est similis Martino albedine', hic est sensus: id est [f] albedo est causa similitudinis. Ita dicunt, cum dico [g] 'Filius est aequalis Patri secundum aequalitatem', hic notatur quod 'aequalis' significat aequalitatem [h], sed cum dico 'Filius est aequalis Patri secundum substantiam', notatur quod substantia sit causa aequalitatis. — Sed ad hoc sic obicitur [i]: Divina substantia est causa aequalitatis trium personarum et non est illa nec [id] quod illa; ergo naturaliter est prior illa, et Filius est aequalis Patri: illa ergo natura Patris est prior aequalitate Filii; ergo Filius illa aequalitate, non per omnia, est aequalis Patri[5].

Respondeo: Notandum quod divina essentia significatur quandoque ut substantia, quandoque ut quantitas, quandoque ut qualitas, quandoque ut relatio. Est enim significare eam absolute: et sic significatur ut substantia, ut quantitas, ut qualitas; et est [k] eam significare ut est in tribus personis, communis eis, et sic potest significari ut relatio, ut cum dicitur 'similitudo, aequalitas'; haec autem nomina principaliter significant divinam essentiam, sed connotant distinctionem personarum. Dicendum ergo quod 'unitas, aequalitas' secundum se significant divinam essentiam, sed tamen [l] unitas appropriatur Patri, quia unitas est primum principium numeri [m], similiter Pater est primum principium a quo omnis natura et omnis essentia; aequalitas vero appropriatur Filio, quia ordine naturae intelligitur ante Spiritum Sanctum aequalitas Patris et Filii. Praeterea, Filius est a Patre per generationem; in perfecta autem generatione est aequalitas generantis et geniti. — Quare autem connexio approprietur Spiritui Sancto habebitur infra[6] responsio, quod licet unitas et aequalitas quodam modo appropriationis attribuantur [n] determinate aliquibus personis, nihilominus omnibus indifferenter conveniunt. Intelligendum est igitur quod aequalitas in divinis est aliquorum distinctorum in uno communi essentiali convenientia indifferens, ut personarum [o] in una essentia sive substantia. Unde aequalitas principaliter significat divinam essentiam, sed consignificat distinctionem, ratione cuius attenditur [p] pluralitas personarum, quae sibi invicem sunt aequales. Ratione ergo principalis [q] significati dicit essentiam sive substantiam, ratione distinctionis consignificatae importat relationem.

[Ad obiecta]: Et [r] ex iis patet responsio ad obiecta ex utraque parte. Rationes enim concludentes quod significat substantiam sumuntur ex parte principalis significati, scilicet essentiae sive substantiae, concludentes quod relationem sumuntur ex parte distinctionis consignificatae.

1-4. Ad illud ergo quod obicitur quod « similitudo est indifferens essentia », similiter ad illud quod « aequalitas non est relatio, sed unitas naturae et identitas [s] », similiter ad illud quod 'aequalitas dicitur de qualibet persona', similiter ad illud quod [t] 'Pater et Filius secundum substantiam sunt aequales': dicendum quod omnia ista media sumuntur ex parte principalis significati eius [u] quod est aequalitas, ut ex [v] ipsis mediis patet.

a-f. Ad ea quae ex alia parte, ut cum dicitur « nihil est sibi aequale » et ita 'aequalis' significat

---

[a] V *vero.* [b] G om. [c] G *est.* [d] VBRGL *substantiam.* [e] G *dicta.* [f] G om. *i. e.* [g] V om. [h] G om. *hic... aequalitatem.* [i] BRGL om. [k] S om. [l] L *cum.* [m] L *numerus.* [n] PVS *attribuatur,* G *attribuitur.* [o] RG *personam,* quod B corr. [p] PVS *ostenditur;* P *eius* pro *cuius.* [q] V om. [r] V om. [s] G *identitatis.* [t] PVSL om. [u] B *significationis* pro *s. e.* [v] L om.

[1] In Praefatione SS. Trinitatis.
[2] Gen. 1, 26.
[3] *De Trinit.,* III, n. 10 (PL 10, 92).
[4] Inter quos Richard. de S. Vict., *De Trinit.,* II, c. 25 et III, c. 23 (PL 196, 915, 929).
[5] Hucusque Praeposit.
[6] Cf. infra, num. 449.

pluralitatem: dicendum quod medium sumitur hic ex parte consignificatae distinctionis sive multitudinis. Similiter cum dicitur 'ratio[a] relativorum convenit aequali', hoc verum est, non[b] ratione essentiae principalis significatae, sed ratione pluralitatis consignificatae[c] sive coimportatae. Similiter dicendum ad alia quae inducuntur pro[d] parte ista.

Ad maiorem autem evidentiam notandum quod haec nomina 'aequalis, similis[e], aequalitas, similitudo' nec sunt pure essentialia nec pure relativa. — Quod patet per Hilarium, in libro *De Trinitate*[1], exponentem illud Gen.[2]: *Faciamus hominem ad imaginem* etc. Ibi enim dicit quod « imago sola non est nec similitudo sibi est nec diversitatem duobus admisceri alterius ad alteram similitudo permittit ». Ex quo patet quod similitudo importat distinctionem personarum et unitatem essentiae[f], et aequalitas similiter. Unde nomina praedicta non sunt pure essentialia nec pure relativa, sed differenter significant haec nomina 'aequalis et similis et aequalitas[g] et similitudo': quoniam 'aequalis et similis' in intellectu suo claudunt relationem recte, essentiam oblique; 'aequalitas[h] et similitudo' e converso. Si enim quaeritur: qui sunt similes vel aequales? dicetur quoniam plures habentes indifferentem essentiam; aequalitas autem vel similitudo dicetur « indifferens essentia[i] » plurium; unde cum definitur similitudo per indifferentem essentiam, non dicitur totum esse similitudinis nisi addatur aliqua dictio importans distinctionem. Unde patet quod 'aequalis et similis' plus dicuntur relative, quia relationem important in recto; 'aequalitas' vero[k] et 'similitudo' plus dicuntur essentialiter; utraque tamen[l] partim essentialiter, partim relative dicuntur.

Item, nota cum praedictis quod definitio similitudinis vel aequalitatis per 'indifferentem essentiam' non est data per essentiam. — Quod patet: definiuntur enim sic in creaturis similitudo et aequalitas: similitudo est plurium subiectorum una qualitas[m], aequalitas autem plurium subiectorum una quantitas[n]; causatur enim similitudo ab unitate qualitatis et aequalitas[o] sub una quantitate. Unde hae definitiones non dantur per essentiam, sed per causam; unde non valet: 'similitudo est multorum una qualitas, nulla qualitas est relatio, ergo similitudo non est relatio'. Sed similiter est[p] in divinis: similitudo et aequalitas secundum rationem intelligentiae sunt ab indifferentia essentiae sicut a causa — secundum rationem intelligentiae, dico, non secundum rem, quia in divinis[q] idem est magnitudo et aequalitas quod essentia[3] — unde cum definitur similitudo per 'indifferentem essentiam', definitur non per essentiam, sed quasi[r] per causam; unde ex hoc non sequitur quod similitudo vel aequalitas non sint relationes vel relative dicta.

380 ARTICULUS II.

Utrum Pater debeat dici aequalis vel similis Filio.

Secundo[s] quaeritur utrum Pater debeat dici aequalis vel similis[t] Filio sicut dicitur e converso[4].

Ad quod sic: 1. Augustinus, VI *De Trinitate*[5], recitans verba Hilarii: « Aeternitas in Patre, species in Imagine, usus in Munere », dicit enim: « Imago, si perfecte implet illud cuius est imago, ipsa coaequatur ei, non illud imagini suae ». Ex quo videtur quod Filius aequalis sit Patri, sed non e converso.

2. Ad[u] idem, Dionysius, in libro *De divinis nominibus*[6]: « Hic igitur dicendum Deo similia secundum imaginem et similitudinem: non enim ipsis Deum similem, quia nec homo proprie imaginis suae similis est. In aequipollentibus enim[v] est similia haec ad invicem esse et inter se converti in alterutram similitudinem et esse ambo[x] sibi invicem similia secundum procedentem similis speciem: in causali vero et causatis[y] non recipimus reciprocationem ». Et ita videtur, cum in Trinitate sit ordo secundum positionem[z]

---

[a] B *relatio*; BRGL *dicit* pro *dicitur*. [b] L om. [c] G add. *distinctionis*. [d] PVS *ex*. [e] R om. [f] L om. [g] R *equalis*. [h] G *et aequalitas est*. [i] V *essentiam*, S om. *aequalitas... essentia*. [k] P om. [l] G *enim*. [m] L *equalitas*; R *vero est*, BL *est* pro *autem*. [n] G om. *aequalitas... quantitas*. [o] V *qualitas*, SR *equalitatis*. [p] BRG om. [q] L add. *enim*. [r] V om. [s] P *De secundo*. [t] P om. *v. s.* [u] B *Item ad*. [v] BRGL *equipotentibus enim vel equipollentibus* pro *a. e.* [x] BRL *a verbo*. [y] Codd. *causativis*. [z] BRG *rationem*, L *causam*.

1 Lib. III, n. 23 (PL 10, 92).
2 Cap. 1, 26.
3 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 4 (PL 64, 1252).
4 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 19, a. un., q. 3 (I, 346 sq.).
5 Cap. 10, n. 11 (PL 42, 931); Hilar., *De Trinit.*, II, n. 1 (PL 10, 51); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 31, c. 2 (p. 192).
6 Cap. 9, § 6 (PG 3, 913, PL 122, 1162).

causae, quoniam Pater est causa Filii nec est [a] ibi reciprocatio secundum aequalitatem aut similitudinem.

[Solutio]: Sed ista auctoritas Dionysii non multum cogit, quia potest dici quod loquitur de causis et causatis differentibus secundum essentiam et naturam. — Vel aliter potest dici quod 'aequalis et [b] similis' multipliciter dicuntur. Quandoque enim dicunt [c] unitatem naturae cum differentia personarum solum: et hoc modo dicuntur de qualibet trium personarum respectu alterius, et sic personae in Trinitate dicuntur sibi invicem aequales vel consimiles conversim [1]. Alio modo 'aequalis et similis' ultra unitatem naturae et multitudinem personarum important rationem aliquam ad aliquid prius secundum rationem intelligendi, prout dicitur quod Filius dicitur esse similitudo Patris et imago, et secundum hoc dicetur 'similis' a similitudine, 'aequalis' ab imagine; et sic convenit dicere de Filio quod est similis Patri, quia est Patris similitudo, et aequalis Patri [d], quia est Patris imago; et secundum hoc non convertitur, ut dicatur de Patre quoniam est similis Filio vel aequalis: secundum enim hunc modum 'aequalis [e] vel similis' dicunt esse ab alio, quod non convenit Patri. Tamen non quorumlibet est huiusmodi acceptio; ideo concedatur conversio secundum primum sensum et [f] exponantur auctoritates secundum alium sensum [g].

Item, obiciet aliquis: Filius est similis Patri; aut hoc quod dico 'similis Patri' dicitur de Filio secundum essentiam aut secundum relationem. Si secundum relationem, ergo hoc nomen 'similis' non est essentiale; si secundum substantiam, ergo conveniet Patri: quidquid enim secundum substantiam dicitur convenit tribus; ergo Pater est similis Patri. — Respondeo: sicut dictum est [2], 'similis' partim est essentiale, partim personale indeterminatum; cum autem sine aliqua determinatione accipitur vocabulum, potest addi ad quamlibet personam: unde [h] Pater similis, Filius similis; sed cum relatio determinatur [i], ut cum dicitur 'similis Patri', coarctatur ad determinatam personam, non ratione significatae essentiae, sed ratione determinatae personae. Dicendum ergo quod partim accipitur secundum substantiam, partim secundum relationem; et hoc significatur, cum dicitur 'Filius similis Patri', quod differens vel distinctus Filius a Patre habet conformem naturam sive formam cum Patre.

ARTICULUS III. 381

Utrum Pater debeat dici coaequalis Filio sive aequalis Imagini.

Tertio quaeritur I. utrum Pater debeat dici coaequalis Filio sive aequalis Imagini [3].

Ad quod sic: *a.* Hilarius, in libro *De Trinitate* [4]: « Imago, si [k] perfecte implet illud cuius est imago, ipsa coaequatur illi, non illud imagini suae ». Quaeritur ergo, cum Filius Patri et Pater Filio coaequalis dicitur, quare Filius coaequatur Patri, non autem [l] e converso.

Respondeo: Cum dicitur 'coaequalis', notatur unitas substantiae et Patris et Filii et non cointelligitur auctoritas sive [m] ordo naturae; cum autem dicitur 'Filius coaequatur Patri', sensus est: 'Filius est unum cum Patre in potentia', et hoc habet a Patre, quod non est dicere de ipso Patre; et ideo non convertitur sermo cum hoc verbo 'coaequatur'.

II. Sed adhuc quaeritur, si imago Patris est aequalis [n] Patri, utrum convertatur ut dicatur 'Pater est aequalis Imagini'. — Praeterea, si convertitur 'Filius est aequalis Patri, Pater Filio', quare non convertitur 'Imago est aequalis Patri, Pater est aequalis Imagini'?

Respondeo: Cum dicitur 'Imago', notatur respectus ad Patrem, sed non mutuus sicut cum dicitur 'Pater et Filius', et propter hoc non convertitur cum hac dictione 'Imago' sicut cum hac dictione 'Filius'. Praeterea, quia 'Imago' dicit respectum ad Patrem, non autem convertitur, 'aequalis' autem dicit indifferentiam potentiae, non convertitur ut Pater dicatur aequalis [o] Imagini; in prima enim [p] is est sensus: 'Filius est unum cum Patre et a Patre expressa similitudine', quod ultimum non est dicere de Patre respectu Imaginis.

---

[a] G *quod non est* pro *n. e.*, V *in* pro *ibi.* [b] SG *vel.* [c] S *dicuntur.* [d] G om. *quia... Patri.* [e] V *equale.* [f] R *ut.* [g] V om. *et... sensum.* [h] G *ut.* [i] G *dicatur.* [k] B om. [l] V *et non* pro *n. a.* [m] G *sed.* [n] G *coequalis.* [o] R *simtlis.* [p] G add. *nec.*

1 Cf. Pseudo-Dionys., loc. cit.
2 Cf. p. 559b sq.
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 31, p. 1, a. un., q. 3 (I, 537).
4 Rectius Augustin., *De Trinit.*, VI, c. 10 (PL 42, 931); cf. Hilar., *De Synodis*, n. 13 (PL 10, 490); Lombard., I *Sent.*, d. 31, c. 2 (p. 192).

382 ARTICULUS IV.

Utrum Christus secundum quod homo sit similis sibi Deo.

Quarto quaeritur utrum Christus secundum quod homo sit similis sibi Deo.

Ad quod sic: 1. I Ioan. 3, 2: *Scimus quoniam* [a] *cum apparuerit, similes ei erimus.* Quae autem maior similitudo in creatura Christi hominis ad se Deum? Nulla, ut videtur.

Contra: *a.* Cum dicitur 'Filius Dei est homo', una supponitur persona et ita idem [b]; sed idem non est sibi simile.

Respondeo et dico quod verum est quod Filius Dei non est similis sibi in quantum est Deus; sed haec similitudo, quae est Filii hominis ad Filium Dei, non est secundum substantiam, sed est similitudo gloriae perfectae, cum creatura unitur Creatori in persona. Cum autem dicitur 'Filius est similis Patri', similitudo illa est secundum substantiam et de illa loquitur hic. Cum autem dicitur [c] 'nihil est simile sibi', intelligitur quod non est vere similitudo, nisi ubi est naturae [d] differentia, ut in creaturis; in divinis autem nisi ubi fuerit distinctio vel discretio personae. Cum autem dicitur 'Filius Dei est homo similis sibi Deo', hic est unitas personae; secundum quod [e] sic dicitur, et [f] haturae differentia et ratione differentiae naturarum et unitatis [g] personae dicitur similitudo.

383 CAPUT II.

DE NOMINIBUS RELATIVE GRAMMATICE DESIGNANTIBUS.

Consequenter quaeritur de iis nominibus 'talis, qualis'. Haec autem aliquando accipiuntur in respectu creaturae ad Creatorem [h], aliquando in respectu personae ad personam.

I. Quantum ad primum modum obicitur sic: quaeritur [1] « utrum haec sit concedenda 'qualis est Deus, talis est Petrus' ».

« **Quod sic probatur**: Et Deus est iustus et Petrus est iustus [i]; ergo Deus et Petrus sunt iusti; ergo qualis est Deus, talis est Petrus; ergo Deus est aliqualis ».

Solutio secundum Praepositinum: « Haec [k] propositio est vera [l] 'qualis est Deus, talis est Petrus', quia aequipollet huic 'Petrus est similis Deo', quia particeps est bonitatis eius et iustitiae: nisi enim [m] esset particeps bonitatis eius, Petrus non esset similis ei. — Instantia [n] ultimi: Petrus est similis Deo et Petrus est [o] qualitate affectus [p]; ergo Deus qualitate est affectus [q] ».

« Sed quaeritur quid significent [r] 'talis et qualis', cum dicitur 'qualis est Deus, talis est Petrus'. Videtur enim quod significent qualitatem circa Petrum, et 'talis' ibi [s] refertur ad 'qualis'; ergo 'qualis' [t] similiter qualitatem significat ».

Ad hoc respondet Praepositinus dicens « quod 'qualis' ibi divinam naturam significat et 'talis', sed dissimiliter. Nam 'qualis' divinam naturam significat secundum [u] quod ipsa est Deus, 'talis' eamdem significat secundum quod Petrus particeps est eius ».

Sed dicendum aliter quod 'qualis' [v] significat divinam naturam ut qualitatem exemplarem, videlicet iustitiam, sapientiam etc.; 'talis' vero significat formam exemplatam [x] in Petro, quae est qualitas, ut iustitia, sapientia creata. Quod ergo arguit quod 'qualis' qualitatem significat, non sequitur, sed per modum qualitatis.

II. Quantum ad secundum modum obicitur [2]: « Cum dicitur 'qualis est Pater, talis est Filius, talis est [y] Spiritus Sanctus', quaeritur utrum 'talis et qualis' significent ibi divinam naturam [z] ».

« **Ad quod sic**: 1. Demonstrato Filio, dico 'talis est Pater'; hoc nomen 'talis' ibi demonstrat Filium; ergo significat Filium; ergo supponit pro Filio; ergo propositio est falsa », quia tunc intellectus est: 'talis est Filius', demonstrato Filio.

Dicunt quidam quod significatur effectus divinorum operum circa creaturas, id est qualis est effectus Patris erga creaturas, talis est effectus

---

[a] BR om. [b] G *dictum.* [c] R om. *filius est... dicitur.* [d] BRGL *vere.* [e] S add. *et.* [f] BR *ut.* [g] B *unitas;* S *et nature differentie naturarum et rationum et unitatis* pro *e. r. d. n. e. u.* [h] Codd. *creaturam.* [i] S om. *e. P. e. i.* [k] B add. *est.* [l] PV *natura.* [m] V *autem.* [n] S *in instantia.* [o] B om. [p] RG om. *e. P. e. q. a.* [q] G *effectus,* S om. *e. D. q. e. a.* [r] BRG *significet,* item subinde. [s] G *ubi.* [t] L *talis.* [u] S *sed.* [v] S *talis.* [x] PVS *exemplarem.* [y] BRGL om. [z] G *essentiam.*

[1] Praeposit., *Summa,* I (f. 79b), ubi et sequentia. | [2] Verbotenus ap. Praeposit., loc. cit., ubi et sequens.

Filii. — Quod non videtur, quia in *Symbolo* [1], ubi dicitur: « Qualis [a] Pater » etc., subiungitur: « Immensus Pater » etc., in quibus exemplis non fit sermo de effectu divinorum operum erga creaturas. Item, si de effectu: ergo antequam creatura esset, non erat verum de Patre et Filio quod modo dicitur 'qualis Pater, talis Filius' etc., quia nondum erat aliquis effectus divinorum operum erga creaturas.

2. Item, cum dicitur 'Pater est iustus et Filius est talis', idem significatur per hoc relativum 'talis' quod per hoc antecedens 'iustus'; sed per hoc nomen [b] 'iustus' significatur divina essentia; ergo per hoc nomen 'talis'. — Item [2], hac locutione 'qualis est Pater' fit interrogatio de essentia; sed tam hoc nomen 'Deus' quam hoc nomen 'bonus' significat divinam essentiam; ergo sicut ad praedictam interrogationem [c] congrue respondetur: 'Pater est bonus', ita 'Pater est Deus'.

3. Item, Pater est Pater et Filius est talis; ergo cum 'talis' non significat essentiam, sed personam, Filius est Pater [d].

Respondeo [e]: 1. Ad primum dicendum quod [3], « sicut in aliis facultatibus dicitur [f], 'nominales demonstrationes aliud demonstrant et aliud appellant', et ita [g] hoc nomen 'talis' demonstrat Filium et appellat Patrem, divinam tamen naturam significat ». Non est igitur verum quod supponat pro Filio, sed pro Patre.

2. Ad secundum dicendum quod [4] « licet vocabula essentialia divinam naturam significent, tamen dissimiliter significant. Quaedam enim significant [h] divinam naturam ad modum substantiae, ut omnia substantialia vocabula essentiam significantia, ut 'Deus, bonitas' et similia; et illa omnia respondentur ad interrogationem factam per 'quid est'. Quaedam significant divinam naturam ad modum qualitatis, ut adiectiva, quae in aliis facultatibus qualitatem significant, ut 'bonus, iustus, sapiens'; et illa respondentur ad interrogationem factam per 'qualis'. Quaedam [i] ad modum relationis, ut 'aequalis, similis, coaeternus' et illa respondentur ad interrogationem factam per 'quomodo se habet', ut si dicatur 'quomodo se habet [k] Pater ad Filium?' similis est ei [l], aequalis est [m] ei, et ita de reliquis per ordinem praedicamentorum intelligatur ».

3. Ad tertium dicendum: cum dicitur 'Pater est Pater', praedico non quid nec [n] quale nec quantum, sed quomodo se habens, id est ad aliquid, et ideo cum additur 'talis', incongrua est adiunctio, sed deberet [o] addi 'quomodo se habens', ut diceretur 'Pater est Pater et Filius est quomodo se habens vel alio modo se habens'; nec sequitur inconveniens, quia 'Pater et Filius', sicut [p] dicit Damascenus [5], dicunt existentiae modum, non quid vel quale.

QUAESTIO VI. 384

DE NOMINIBUS SYMBOLICIS.

Expedito per Dei gratiam de nominibus divinis essentialibus mysticis, restat dicendum de nominibus symbolicis. Notandum ergo: « Quia plura », secundum Damascenum [6], « in Deo corporaliter in divina Scriptura symbolice dicta inveniuntur », scire oportet ut homines existentes nos et grossam hanc carnem indutos divinas et excelsas et immateriales deitatis operationes intelligere et dicere impossibile est nisi imaginibus et formis et notis, quae sunt secundum nos, usi fuerimus. Quaecumque igitur de Deo dicuntur corporaliter, symbolice dicta sunt; habent enim quamdam [q] excelsiorem [r] intelligentiam: simplex enim est [s] Deus et infigurabilis ».

« Oculos igitur Dei et palpebras et visionem quidem universorum [t] considerativam eius virtutem et quod nihil cognitionem eius lateat intelligimus ex eo quod apud nos per hunc sensum perfectior et [u] cognitio et [v] certitudo innascitur [x]. Aures autem et auditum eius propitiationem et nostrae susceptionem deprecationis: etenim iis qui deprecationem faciunt, per hunc sensum mites

---

[a] BR add. *est.* [b] L om. [c] G *orationem.* [d] BRG *ergo Filius est Pater, cum hoc quod dico talis non significet essentiam sed personam* pro *ergo... Pater.* [e] BRGL om. [f] S *dicuntur.* [g] L *ibi.* [h] V om. *Q. e. s.* [i] BRG add. *enim.* [k] R om. *u. s. d. q. s. h.* [l] Codd. *eius.* [m] L om. *e. a. e.* [n] S *sed.* [o] S *debet.* [p] GL add. *enim*, quod R exp. [q] Ita PS, alii *quedam.* [r] L *excellentiorem.* [s] V om. [t] L add. *et.* [u] PVS om. [v] P om. [x] G *innoscitur.*

1 Scilicet Athanasii.
2 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 79b).
3 Verbotenus ap. Praeposit., loc. cit.
4 Praeposit., loc. cit.; cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 50 (PL 210, 643).
5 *De fide orthod.*, I, c. 10 (PG 94, 838).
6 Loc. cit., c. 11 (PG 94, 842), ubi et sequentia.

sumus, familiarius eis aures inclinantes. Os autem et loquelam demonstrationem voluntatis, quia apud nos per os et loquelam significantur quae [a] in corde sunt cogitationes. Cibum vero et potum nostrum ad eius voluntatem concursum: etenim nos per sensum gustum naturae replemus necessarium appetitum. Odoratum vero eius acceptionem quae ad ipsum nostrae intelligentiae et benevolentiae, quia apud nos per hunc sensum boni odoris acceptio [b] innascitur. Faciem vero eam [c] quae per operationes est [d] demonstrationem et manifestationem, quia nostra manifestatio per faciem fit. Manus autem perfectionem operis eius: etenim nos et [e] utilia et maxime pretiosiora dirigimus manibus. Dexteram autem id quod in prosperis eius auxilium, quia et nos magis in potioribus et plurima indigentibus virtute dextera utimur. Palpationem vero certiorem eius et valde subtilium et occultorum dignotionem et exquisitionem, quia apud nos non possunt ii qui palpantur in se ipsis quid occultare. Pedes autem et incessum auxilium indigentium vel inimicorum ultionem vel alium quemdam actum et gressum et praesentiam [f], ex eo quod apud nos per pedum usum [g] accessus perficitur. Iuramentum autem [h] immutabilitatem consilii voluntatis eius, ex eo quod apud nos [i] per iuramentum hae quae ad invicem sunt certificantur conventiones. Iram autem et furorem eam quae ad malitiam, inimicitiam [k] et aversionem: etenim nos, contraria mentis nostrae odio habentes, irascimur et avertimur. Oblivionem autem et somnum [l] et dormitationem [m] dilationem eius quae ad inimicos ultionis et consueti ad familiares auxilii retardationem ».

« Et simpliciter dicendum: omnia, quae corporaliter dicuntur in Deo, occultam habent quamdam intelligentiam ex iis, quae sunt apud nos, ea quae sunt supra nos edocentem, nisi quod de corporali Verbi Dei adventu dictum est. Ipse enim universum hominem propter nostram salutem suscepit: animam intellectualem et corpus et humanae naturae [n] proprietates et naturales et non detractabiles [o] passiones ».

Dubitabilia circa partem istam determinantur supra, Quaestione De doctrina Theologiae [p] [1], quaestione ultima, et supra, Quaestione De nominibus divinis in generali [2].

---

[a] B *quia.* [b] Ita S, alii *acceptatio.* [c] PVS add. *eius,* S om. *quae.* [d] S add. *ad.* [e] PVS om. [f] Codd. *presentium.* [g] Ita L, alii *usus.* [h] B add. *qui.* [i] S om. *per pedum... nos.* [k] B om. [l] S *insomnium* pro *e. s.* [m] PVS *dormitionem;* BGL *dilatio est* pro *dilationem.* [n] G add. *propter.* [o] Ita V, alii *detractibiles.* [p] PVS *theologica.*

[1] Cf. p. 12b, num. 7, III.

[2] Cf. supra, num. 333.

TRACTATUS SECUNDUS

DE NOMINIBUS PERSONALIBUS

SECTIO I. — De nominibus personalibus propriis.

QUAESTIO I.

DE NOMINIBUS PERSONALIBUS ABSOLUTIS.

Consequenter quaerendum [a] est de nominibus personalibus. Horum autem quaedam sunt absoluta, ut 'persona, hypostasis'; quaedam respectiva, ut 'Pater, Filius'; quaedam distinctiva, ut 'unus, aliquis'; quaedam collectiva, ut 'Trinitas et trinus' [b]. Vel aliter: nominum personalium quaedam sunt collectiva [c], quaedam distinctiva, quaedam nec sic nec sic; et horum quaedam sunt communia, ut 'persona, subsistentia, hypostasis'; quaedam propria, ut 'Pater, Filius, Spiritus Sanctus'. Secundum ergo hunc modum quaerendum est:

Primo, de nominibus personalibus communibus et absolutis;
secundo, de propriis et relativis;
tertio, de nominibus distinctivis;
quarto, de nominibus collectivis.

Item, nomina communia absoluta [d] personalia ponuntur tria: 'persona, subsistentia, hypostasis'.

Primo ergo quaerendum est [e] de nomine quod est 'persona';
secundo, de 'subsistentia';
tertio, de 'hypostasi'.

MEMBRUM I.

De nomine 'persona'.

Quantum ad primum notandum circa nomen 'personae' [f] ista esse quaerenda:

Primo, unde sumptum sit istud nomen 'persona';
secundo, utrum dicatur secundum substantiam vel secundum relationem;
tertio, de definitione personae;
quarto, de communitate huius nominis 'persona';
quinto, de suppositione;
sexto, de consignificatione;
septimo, de comparatione quae est ad intentionem essentiae.

CAPUT I. 385

UNDE SUMPTUM SIT ISTUD NOMEN 'PERSONA'.

Quantum ad primum nota differentes sententias. Nam secundum quosdam hoc nomen 'persona' originem sumpsit a persona grammatica, quae est substantia de qua quis loquitur, id est substantia noscibilis, id est habens notionem; unde hypostasis est substantia significata per [g]

---

[a] S *inquirendum.* [b] G *unus.* [c] S om. *ut Trinitas... collectiva.* [d] BR *absolute.* [e] PVS om. [f] G *personarum.* [g] S *vel.*

pronomen: substantia enim, ut est distinguibilis, dicitur hypostasis; unde persona prima in grammatica dicitur loquens de se [a], et secunda dicitur ad quam loquitur prima, et [b] tertia, de qua fit sermo inter primam et secundam [c]. Unde prima persona ab alia non est noscibilis, secunda a prima noscibilis [d], tertia ab utraque notionem trahit. Unde dicit Priscianus.[1] quod « tertia dicitur de qua quis loquitur per privationem [e] primae et secundae ».

Aliter dicit Boethius, in libro *De duabus naturis et una persona Christi*[2]: « Quoniam personis inductis [f] histriones individuos homines, quorum erat tragoedia, repraesentabant, ut Simonem et Chremetem, idcirco ceteros, quorum certa pro sui forma erat cognitio, et Latini 'personam' et Graeci 'πρόσωπον' nuncupaverunt ». Unde 'persona' a personando in concavitate larvae ante faciem positae, 'πρόσωπον' vero eo quod ponebatur ante faciem, a προτος, quod est 'in', et 'σωπος', quod est facies [3]; unde persona de prima institutione fuit ad designandum [g] certum hominem.

386 CAPUT II.

UTRUM 'PERSONA' DICATUR SECUNDUM SUBSTANTIAM VEL RELATIONEM.

Quaeritur ergo utrum 'persona' dicatur secundum substantiam vel secundum relationem [4].

Quod secundum substantiam, videtur: 1. per illud quod dicit Augustinus [5] quod « omnia nomina, quae secundum substantiam dicuntur de Deo, dicuntur singulariter de omnibus » in summa, praeter quam hoc nomen 'persona'. Igitur si congrua est exceptio, hoc nomen 'persona' [h] significat per [i] substantiam.

2. Item, Augustinus, VII *De Trinitate* [6]: « Non est aliud Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem ».

3. Item, idem, in eodem [7]: « In hac Trinitate cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris ».

4. Item, Augustinus [8]: « Pater ad [k] se quippe dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum Sanctum, sicut ad [l] se dicitur Deus magnus et bonus et iustus et huiusmodi. Et quemadmodum hoc est illi esse quod Deum, quod magnum, quod bonum, ita hoc illi est esse quod personam esse ».

5. Item, Augustinus [9]: « Certe quia [m] Pater est persona et Filius est persona et Spiritus Sanctus est persona, ideo dicuntur tres personae [n], quia commune est eis id quod persona est »; sed nihil est eis commune nisi essentia; ergo etc.

6. Item, Augustinus, V libro *De Trinitate* [10]: « Cum quaeritur: quid tres? magna prorsus inopia humanum laborat eloquium; dictum est tamen 'tres personae' »; sed [o] 'quid' quaerit substantiam; ergo hoc nomen 'persona' significat substantiam [p].

Contra [q]: *a.* Boethius, in libro *De Trinitate* [11]: « Omne nomen, dictum secundum substantiam, dicitur insimul et singulariter [r] de tribus »; sed 'persona' non dicitur insimul singulariter de tribus; ergo non dicitur secundum substantiam.

b. Item [s], cum dicitur 'idem est Deo esse et esse personam', aut intelligitur 'persona' ex parte suppositi vel ex parte appositi. Si suppositi: ergo nihil est ad id quod intendit probare; quamvis enim idem in supponendo, non tamen idem significant. Si autem ex parte appositi utrumque, ut sensus sit idem esse Deum et esse personam: nam sic intelligimus idem [t] secundum rationem; sed [u] hoc falsum est per illam considerationem [12]: « Quantulamcumque differentiam assignantes, ostendentes erimus quoniam non idem », quoniam non secundum omnem modum rationis quidquid uni attribuitur, et alii.

c. Item, Augustinus, VII libro [v] *De Trinitate* [13], dicit quod non significat hoc [x] nomen 'persona' idem quod substantia: « Ut enim substantia Patris ipse Pater est, non quo [y] Pater est, sed quo [z] est, ita persona Patris non aliud est quam

---

[a] L add. *ipsa*; V om. seq. *dicitur*. [b] PVS om. [c] L om. *fit... secundam*. [d] G *nascibilis*, S om. *s. a. p. n.* [e] L add. *persone*. [f] Codd. *indutis*. [g] P *significandum*. [h] S om. *igitur sl... persona*. [i] BRG om., L *secundum*. [k] L *a*. [l] G om., L *a* et om. *sanctum*. [m] PVS *quod*, L om. *est*. [n] L om. *i. d. t. p.*; PVS *dicantur* pro *dicuntur*. [o] S *secundum*. [p] Codd. argumenta 5 et 6 ordine inverso ponunt. [q] G *Item*. [r] V *singuli*. [s] L om.; S om. *idem*. [t] V *ad*, B *Deum*. [u] BRG om. [v] R om. [x] BR om. [y] V *quod*. [z] PS *quod*, L *quomodo*, V add. *Deus*.

1 Cf. *Grammatica*, II, 546; Alan., *Dist. dict. theol.* (PL 210, 699).
2 Cap. 3 (PL 64, 1343).
3 Cf. supra, p. 457, nota 2. Gilbert. Porret., *In Boeth. De pers. et duab. nat.* (PL 64, 1373) rectius dicit: « Πρός sonat *in* vel *ante*; ὠπας sonat faciem ».
4 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 25, a. 1, q. 1 (I, 435 sqq.).
5 *De Trinit.*, V, c. 8 (PL 42, 917), ad sensum, sed fere verbotenus ap. Praeposit., *Summa*, I (f. 71d), ubi plura sequentium argumentorum.
6 Cap. 6, n. 11 (PL 42, 943).
7 Loc. cit.; cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 3 (f. 10c).
8 Loc. cit.
9 *De Trinit.*, VII, c. 4, nn. 7 et 8 (PL 42, 941 sq.); cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 71d).
10 Cap. 9, n. 10 (PL 42, 918).
11 Rectius *De praedicat. trium person.* (PL 64, 1301), ad sensum. Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 22, c. 4 (p. 145); Alan., *Theol. reg.*, reg. 23 (PL 210, 631); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 3 (f. 10b).
12 Aristot., *Top.* I, c. 16 (I, 185).
13 Cap. 6, n. 11 (PL 42, 943).

ipse Pater ». Ergo persona in significando non est idem quod essentia.

d. Praeterea, si idem est persona quod essentia, quare non dicimus tres essentias sicut dicimus tres personas? aut quare non dicimus unam solam personam sicut dicimus unam solam essentiam?

e. Praeterea, persona distinguitur, essentia non; ergo non sunt idem in significando: dicimus enim quod persona est gignens vel [a] genita vel procedens, quod non dicimus de essentia.

f. Item, Boethius, in libro *De Trinitate* [1]: « Ex iis intelligimus Patrem ac Filium ac Spiritum Sanctum non de ipsa deitate substantialiter dici. Si enim substantialiter praedicaretur, et de singulis et de omnibus singulariter diceretur ». Igitur, cum persona de omnibus non praedicetur singulariter, patet quod non substantialiter praedicatur.

g. Praeterea, Boethius, in eodem: « Si personae divisae sunt, substantia vero indivisa, necesse est vocabulum, quod ex personis trahit originem, id [b] ad substantiam non pertinere ».

h. Item, cum in divinis non sint nisi duo praedicamenta, substantia et 'ad aliquid', necesse est omne quod praedicatur in divinis, praedicari aut secundum substantiam aut secundum 'ad [c] aliquid' [2]; igitur 'persona' aliquo istorum modorum praedicatur. Cum igitur in divinis sit unitas essentiae, relationum vero solummodo pluralitas, hoc nomen 'persona' praedicabitur secundum relationem, non secundum substantiam.

i. Item, persona se habet in divinis sicut individuum in creaturis [3]; sed hoc nomen 'individuum' [d], dictum de pluribus individuis, non praedicatur secundum essentiam: non enim est illis commune essentiale; ergo nec [e] hoc nomen 'persona' praedicabitur de Patre et aliis personis secundum essentiam.

k. Item, eorum quae sunt eadem simpliciter si unum est numerabile, et reliquum [4]; si ergo omnino idem est Patrem Deum esse et [f] Patrem esse personam, cum ipsa essentia non sit numerabilis, nec persona; et [g] si essentia est una, persona est una; vel si personae plures, et essentiae plures: quod est falsum.

l. Item, « persona est substantia rationalis naturae individua [5] »; ergo omnis persona est substantia incommunicabilis; sed si idem est persona quod essentia, persona communicabilis est, et ita communicabile est incommunicabile.

m. Item, si persona est [h] idem quod essentia, cum alia sit persona Patris, alia Filii [i], ergo et essentia alia.

Respondeo [6]: Persona secundum quosdam quandoque [k] dicit essentiam, ut cum dicitur absolute [l] 'persona est persona'; quandoque [m] vero hypostasim, ut cum dicitur 'aliqua persona vel Pater est alia persona a Filio'; quandoque notionem, ut cum dicitur 'Pater in persona distinguitur a Filio'. — Sed contra: 'Pater [n] est persona', hic dicitur absolute; ergo significat essentiam; ergo si fiat relatio, refert essentiam; ergo sicut [o] haec est vera 'Pater est essentia quae est Filius', ita et haec 'Pater est persona quae est Filius' [p]; sed hoc est [q] falsum.

Propter hoc dixerunt alii [7] quod essentia significatur tripliciter: aliquando enim significatur essentia ut essentia gratia sui, non ratione suppositorum; aliquando gratia suppositorum [r], non gratia sui [s]; aliquando vero utroque modo. Primo modo per haec nomina 'divinitas, deitas, substantia'; secundo modo per hoc nomen 'persona' [t], quod significat essentiam prout est in suppositis: ideo possunt ei attribui quae attribuuntur personis; utroque vero modo significatur per hoc nomen 'Deus': unde et personaliter potest sumi, ut 'Deus genuit Deum', et pro essentia, ut cum dicitur 'unus est Deus'. Secundum hoc [u] volunt dicere quod hoc nomen 'essentia' alio modo significat essentiam quam hoc nomen 'persona' vel hoc nomen 'Deus', quia ratione suppositorum sive prout est in suppositis significatur per hoc nomen 'persona' et per hoc nomen 'Deus', absolute [v] per hoc nomen 'essentia' [x]. — Sed contra: « Persona est rationalis [y] naturae substantia individua [8] »; sed essentia non dicit substantiam individuam, immo substantiam communem, ut usiam; 'persona' ergo non dicit essentiam.

Propter hoc dixerunt alii [9] quod hoc nomen 'persona' principaliter dicit essentiam, sed

---

[a] L *et*, BRG om. [b] L *idem*, VBG om. [c] V om. [d] V *dividuum*. [e] V om. [f] S *Deum* pro *p. D. e. e.* [g] G *ut*. [h] Ita GL, alii om. [i] V *sit persona Filii*, S add. *alia Spiritus sancti*. [k] VS *quoniam*, quod P corr. [l] PVS add. *ut*. [m] S *quando*. [n] G *persona*. [o] B *si*. [p] S om. *ita... Filius*. [q] BRGL om. [r] S om. *a. g. s.* [s] R om. *aliquando... sui*, in B est add. mg. [t] V add. *secundum*. [u] S *quod*. [v] S add. *et*. [x] R om. *absolute... essentia*, in B est add. mg. [y] G add. *creature*; R om. *sed*.

1 Rectius *De praedic. trium person.*, (PL 64, 1302), ubi et sequens.

2 Cf. Boeth., loc. cit., et *De Trinit.*, c. 4 (PL 64, 1301, 1252 sq.).

3 Cf. Gilb. Porret., *In Boeth. De Trinit.* et *De persona et duab. nat.* (PL 64, 1294, 1371).

4 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 3 (PL 64, 1251).

5 Boeth., *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1343).

6 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 71d).

7 Inter quos Magister Gerardus Puella (qui etiam vocatur *Pucella*) cuius sententiam exponit et refellit Praeposit., loc. cit. (f. 72a).

8 Cf. supra, nota 5.

9 Quorum sententiam affert Praeposit., loc. cit.

secundario distinctionem: persona enim dicit unum ens per se[1]. Quod dico 'unum' dicit[a] substantiam, quod dico 'per se' notat distinctionem; ratione cuius distinctionis dicitur alia persona Patris, alia Filii; ratione unitatis dicitur quod non est[b] aliud esse substantiam, aliud esse personam. Unde sensus est: 'Pater est persona', id est est[c] unum et per se, id est distinctus[d]; 'Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt personae', id est unum sunt et per se, id est distincti. — Sed contra hoc opponitur: si essentia est persona, ergo est una per se et distincta; sed hoc falsum; non ergo importatur per hoc nomen 'persona'[e] distinctio: tunc enim non esset essentia persona, quia si esset persona, esset distincta.

Propter hoc dixerunt alii[2] quod ante quaestionem haereticorum, qua quaesierunt: 'quid tres?' significabat 'persona' essentiam; post illam vero quaestionem translatum est nomen 'personae' ad significandum hypostasim. Unde auctoritates, quae dicunt quod hoc nomen 'persona' dicit substantiam, intelliguntur pro tempore ante quaestionem illam; quae vero dicunt quod hypostasim[f], intelligendae sunt secundum modernam significationem. — Sed contra: Boethius, in libro *De Trinitate*[3], dicit quod 'persona' de prima institutione fuit ad designandum certum hominem; ergo non significat essentiam, sed certum hominem[g], id est substantiam[h] singularem.

Respondeo, secundum Richardum, in libro *De Trinitate*[4]: « Persona secundum substantiam dicitur et substantiam significare videtur. Multum tamen interest inter significationem unius et significationem alterius. Nunquam dicitur persona nisi de rationali substantia et tamen cum nominamus personam, nunquam intelligimus nisi unam substantiam et singularem. Alias subintelligitur proprietas generalis, alias proprietas specialis; ad nomen autem 'personae' proprietas individualis, singularis et incommunicabilis. Nomine substantiae non tam quis quam quid significatur; e converso autem nomine 'personae' non tam quid quam quis designatur. Unde[i] ad interrogationem per 'quid' respondetur nomen generale, definitio vel aliquid tale; ad interrogationem per[k] 'quis' nomen proprium responderi solet vel aliquid quod aequipollet; ad interrogationem autem 'quae est ista persona vel quis est iste' solemus respondere nomen proprium[l] vel aequipollens », quia secundum Boethium[5], « persona est rationalis naturae substantia individua ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum dicendum quod apud Boethium sumitur substantia secundum essentiam, sed[m] secundum Augustinum et a Magistro[n], in *Sententiis*[6], sumitur communiter ad substantiam et hypostasim.

2. Ad aliud dicendum quod utrumque intelligitur ex parte suppositi et intelligitur idem[o] secundum rationem rei, non autem idem[p] secundum rationem dicendi vel medii. Est enim[q] triplex ratio: ratio rei, ratio dicendi et ratio medii sive attribuendi. Idem dictum[r] secundum rationem rei est, quando de aliquibus est dicere 'hoc est hoc', non per causalitatem, sed secundum substantiam; hoc autem dico propter huiusmodi: 'dies est sol'. Idem[s] secundum rationem dicendi vel intelligendi est, quando non alterum, sed[t] idem dictione significatur, alterum vero cum alterum dictione significatur; sicut cum dicitur 'Deus est magnus, Deus est iustus': licet utrobique supponatur substantia divina, alia tamen sunt connotata, a quibus nomina imponuntur — connotatum vero dico communiter, quando connotatur secundum rem vel secundum intellectum — quando ergo[u] alia fuerint connotata, tunc dicitur alterum dictione, sicut conceditur in nominibus divinis secundum essentiam, ut 'essentia, sapientia, magnitudo', et in divinis secundum substantiam, sicut 'Deus[v], sapiens, magnus'. Ratio vero attribuendi vel medii altera est cum aliquid attribuitur uni quod non alteri, sicut huic nomini 'persona' attribuitur distingui, huic nomini 'essentia' non attribuitur. Cum ergo dicitur quod 'esse Deum' et 'esse personam' sunt idem omnino, intelligitur secundum rationem rei, non dicendi vel attribuendi: aliquid enim attribuitur uni quod non alteri. Alterum enim[x] cointelligitur cum dicitur 'persona', alterum cum dicitur 'essentia': cum enim dicitur 'essentia', nihil cointelligitur[y] praeter essentiam; cum autem dicitur 'persona', intelligitur habens[z] sub proprietate incommunicabili; attribuitur[a] ergo aliquid essentiae quod non personae; sic ergo debet intelligi auctoritas Augustini: « Non est aliud Deo esse[b], aliud personam esse ».

3. Ad tertium dicendum quod cum dicit Augustinus: « Cum dico personam Patris, non aliud dico quam substantiam Patris », substantiam

---

[a] V BRGL *dico*. [b] L om. [c] VS om. [d] BRGL add. *et*. [e] L om. [f] B *hypostases*. [g] R om. *ergo non... hominem*. [h] PV repet. *i. e. s.* [i] BRGL om. [k] BRGL om. [l] RGL add. *scilicet*. [m] B *et*. [n] L *Magistrum* pro *a. M.* [o] V om. [p] S om. [q] BRG *autem*. [r] P (interl.) V repet. *dictum*, quod S exp. [s] S *item*. [t] G *sic*. [u] BRG *vero*. [v] L *dominus*. [x] S om. *attribuitur uni... enim*. [y] PVS *intelligitur*. [z] S *hunc*. [a] BRL *attribuetur*. [b] P *de non esse*, V *Deum esse* pro *D. e.*, quod S corr.

1 Cf. S. Bonav., *Opp. omnia*, I, 405, nota 9.
2 Praeposit., loc. cit.; Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 3 (f. 10c).
3 Rectius *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1343 sq.).
4 Lib. IV, cc. 6 et 7 (PL 196, 934 sq.).
5 Loc. cit.
6 Lib. I, c. 23 (p. 147 sqq.).

accipit pro substantia[a] quae est hypostasis, hoc est substantia incommunicabilis ad modum singularis; cum enim dico personam Patris, dico substantiam sub proprietate incommunicabili.

4. Ad quartum iam patet responsio, quia Pater dicitur persona ad se, quia hoc nomen 'persona' non significat per modum relationis, sed per modum substantiae, quae quidem[b] est substantia hypostasis, non usia, quamvis distinctio relationis sive proprietatis cointelligatur: 'persona' enim[c] dicit habentem rationalem naturam sub proprietate incommunicabili[d] [1].

5. Ad aliud dicendum quod aliquid dicitur commune personis duobus modis, secundum esse et secundum habitudinem: commune secundum esse, ut[e] cum dico 'Sortes est homo, Plato est homo'; commune secundum habitudinem, ut[f] cum dico 'Sortes est suppositum hominis, Plato est suppositum hominis': 'homo' enim commune est eis secundum esse, 'suppositum' vero secundum habitudinem. Secundum hunc modum dicendum in divinis quod essentia communis est secundum esse, hypostasis vero dicit commune secundum habitudinem: idem enim est hypostasis quod suppositum. Cum ergo dicit quod « nihil est commune nisi essentia », verum est de communitate secundum esse, non de ea quae est secundum habitudinem.

6. Ad sextum[g] quod obicitur quod 'persona' respondetur ad quaestionem factam per quid, ut cum quaesitum est: quid tres?': dicendum quod quaestio fuit non de essentia, sed de dictione, id est[h] quid in dicendo deberet addi; 'persona' ergo significat substantiam, sed singularem vel individuam sive hypostasim.

Nota tamen hic sententiam[i] [2] quasi mediam inter praedictas. Dicunt enim quod in divinis hoc nomen 'persona' medium est inter ea quae praedicantur relative et ea quae praedicantur secundum substantiam; significat enim essentiam divinam cum distinctione suppositorum, de quibus praedicatur essentia non cum distinctione: essentia enim nec distinguitur nec distinguit. Unde sicut in hoc termino 'homo individuus' est duplex communitas respectu particularium hominum, similiter in hoc termino 'persona' respectu Patris et Filii et Spiritus Sancti: homo enim individuus ratione hominis dicitur secundum substantiam de unoquoque homine, ratione individui non; individuum enim distinctionem significat particularium hominum. Similiter hoc[k] nomen 'persona' ratione essentiae praedicatur substantialiter de Patre et Filio et Spiritu Sancto, ratione vero distinctionis, quae similiter communis est illis, non praedicatur secundum substantiam. Sed essentia aliter est communis, aliter relatio; essentia enim communis est eo quod ipsa manet una et eadem[l] numero, non divisa in illis: unde communitas sua non est communitas universalis. Distinctio vero[m] sive incommunicabilitas communis est magis per modum universalis; non enim est[n] distinctio eadem in Patre et Filio et Spiritu Sancto[o], sed alia Patris, alia Filii: hoc enim commune multiplicatur et numeratur, reliquum non sic; ergo[p] persona medium est inter ea quae dicuntur relative et quae dicuntur substantialiter, et ratione unius extremi dicitur singulariter, ratione alterius recipit multiplicationem. Quod ergo dicitur 'persona praedicari secundum substantiam' et quod dicitur 'idem esse personam et essentiam et quod dicitur communis', hoc dicitur ratione primae communitatis; quod autem dicitur 'individua, numerabilis' et consimilia, hoc dicitur ratione communitatis secundae, scilicet ratione distinctionis, et quantum ad hoc non praedicatur secundum substantiam, sed secundum relationem, licet persona secundum nomen suum non dicatur ad aliquid: sicut enim hoc nomen 'color' qualitatem significat, sed per modum substantiae, ita hoc nomen 'persona' relationem significat[q], sed per modum substantiae[r]; unde licet 'persona'[s] secundum nomen non dicatur secundum relationem, secundum rem tamen dicitur.

Item, notandum quod cum dicitur 'non est[t] aliud persona Patris, aliud essentia', hoc potest intelligi ratione primae communitatis, sicut dictum est[3], vel eo quod Pater aut Filius aut Spiritus Sanctus sunt omnino[u] idem quod essentia quantum ad rationem rei, licet quantum ad rationem intelligendi sive attributionis non sint omnino idem, quoniam[v] aliquid potest attribui uni quod non alteri; sed hoc melius infra[4] declarabitur.

---

[a] L exp. et corr. in mg. *essentia*. [b] PVS om. [c] V *autem*. [d] P *incommunicabilis*. [e] V om. [f] PVS om. [g] G add. *tamen*. [h] G *et* pro *i. e.* [i] PVS *substantiam*. [k] R om. [l] B *eodem*. [m] PVS *enim*. [n] BRGL om. [o] R om. [p] L *enim*. [q] S om. [r] G om. *ita... substantiae*. [s] BRGL om. [t] G om. [u] L om. [v] P *quod*.

1 Cf. Richard. de S. Vict. *De Trinit.*, IV, c. 22 (PL 196, 945).
2 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 3 (f. 10b sqq.).
3 Cf. hic parum supra.
4 Cf. infra, num. 392 et 393.

387

CAPUT III.

DE DEFINITIONE PERSONAE.

Consequenter quaeritur quid sit persona [1].

a. Constat autem quod persona non est accidens; ergo est ens per se; ergo est [a] substantia; sed non genus vel species; ergo est substantia individua, non quaecumque, sed quae est rationalis naturae, quae possit per se sonare; persona ergo est, secundum Boethium [2], « substantia rationalis naturae individua ».

Contra [3]: 1. « Si persona est substantia individua rationalis naturae [b] », ergo cum tres sint [c] personae, tres erunt substantiae individuae.

2. Item [d], secundum hoc videtur quod anima sit [e] persona, quia est « substantia rationalis naturae individua [4] ».

3. Item, Richardus, in libro *De Trinitate* [5]: « Substantia divina est rationalis natura et individua, quia non est dividua [f] ». — Si dicatur quod substantia accipitur ibi pro hypostasi, ergo ibi tenetur pro substantia subiecta quae substat proprietatibus – contra: inhaerentia proprietatis non facit subsistere, sed existere [6]. — Item, humana natura Christi est « rationalis naturae individua substantia »; ergo est persona; similiter ex parte deitatis est persona; ergo in Christo erunt duae personae secundum hoc: quod falsum est.

4. Item, anima nostra est separabilis a corpore; ergo si separetur, videtur quod remaneat individua, id est incommunicabilis, et ita persona.

5. Item, sicut in angelis [g] est simplex essentia et personalis discretio, sic in anima separata est simplex essentia et personalis discretio, et ita persona [h].

6. Item, deitas est communicabilis [i]; ergo secundum deitatem non est persona in Christo.

7. Item, divina essentia est personalis [k]; ergo [Christus] secundum divinam essentiam est persona; ergo secundum divinam essentiam est incommunicabilis; sed cum ipsa divina essentia sit communicabilis, qualiter secundum [l] eam dicetur incommunicabilis?

8. Item, Boethius dicit, in libro *De duabus naturis et una persona Christi* [m 7], quod quatuor sunt significationes huius nominis 'natura'. Dicitur enim natura ut est in omni re, quae sic definitur: « Natura est earum rerum quae cum sint, quoquo [n] modo intellectu capi possunt »; dicitur etiam natura de solis substantiis et definitur sic: « Natura est vel quod facere vel quod pati possit »; dicitur etiam natura de solis corporibus, et sic dicitur natura « principium motus per se [o], non per accidens »; dicitur etiam natura « unamquamque rem informans specifica differentia », et isto modo dicitur natura in ratione personae, ut dicit Boethius [8]; sed qualiter specifica differentia [p] reperitur in divina natura? Unde Commentator [9]: « Altera dicitur Dei natura et hominis, quoniam quae est hominis [q] specifica differentia, non est Dei, et quae est Dei [r] specifica, non est hominis »; unde tota ratio convenit naturae Dei praeter specificam [s].

9. Item, quaeritur de differenti assignatione definitionum [t] personae. Nam Richardus [10] ponit duas; prima est haec: « Persona est intellectualis naturae incommunicabilis existentia », secunda est haec [11]: « Persona est existens per se solum iuxta quemdam rationalis existentiae modum ». Magistri [12] vero ponunt tertiam talem: Persona est hypostasis, distincta proprietate [u] ad dignitatem pertinente. Boethius [13] vero ponit quartam: « Persona est rationalis naturae individua substantia ». Quaeritur ergo de differentia assignationis.

Solutio: Notandum quod Richardus, in libro *De Trinitate* [14], corrigit definitionem Boethii sic: « Persona est rationalis naturae incommunicabilis existentia », et dicit 'incommunicabilis' [v] propter animam, quae est individuum, tamen communicabilis ut pars; item ad excludendum

---

[a] BRGL om. [b] BRGL *etc.* pro *r. n.* [c] BRGL om. [d] G om. [e] S *fit.* [f] P *individua.* [g] BRL *angelo.* [h] G om. *Item... persona.* [i] G *incommunicabilis.* [k] BRGL *persona.* [l] B om. [m] GL om. *in libro... Christi.* [n] PVS *quodam.* [o] BRGL om. *p. s.* [p] V om. *et isto... differentia.* [q] V om. *q. q. e. h.* [r] BRGL add. *non.* [s] B add. *differentiam.* [t] S *distinctionum.* [u] S add. *patet.* [v] BRGL *incommunicabile.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 25, a. 1, q. 2 (I, 439sqq.); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 1 (f. 9b).
2 *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1343).
3 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 71d).
4 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 9d).
5 Lib. IV, c. 21 (PL 196, 945), ad sensum.
6 Cf. Richard. de S. Vict., loc. cit., c. 20 (PL 196, 943).
7 Cap. 1 (PL 64, 1341sq.)
8 Loc. cit., c. 2 (PL 64, 1342sq.).
9 Gilb. Porret., *In Boeth. De persona et duab. nat.* (PL 64, 1368).
10 *De Trinit.*, IV, c. 22 (PL 196, 945).
11 Loc. cit., c. 24 (PL 196, 946).
12 Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 32 (PL 210, 637).
13 *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1343).
14 Lib. IV, c. 22 (PL 196, 945); cf. supra, p. 456b, *ad 5.*

naturam divinam quae est communis tribus personis, 'existentiam' dicit, non substantiam, quia in divinis non dicitur proprie substare vel subsistere. — Vel aliter, secundum eumdem Richardum[1]: « Cum accipiatur substantia dupliciter, pro usia et pro hypostasi, in definitione personae accipitur pro hypostasi a Boethio ». Unde secundum intentionem Boethii, qui utebatur substantia pro hypostasi, tres sunt substantiae, sicut tres personae: et secundum hoc substantia distinctionem aliquam significat. Item, secundum Richardum[2], individuum accipitur pro incommunicabili, et per hoc excluditur anima, quia [a] non est individua, sed communicabilis ut pars, et [b] divina essentia, quia non convenit uni soli. Sic ergo accepta 'substantia' pro hypostasi, 'individua' pro [c] incommunicabili, stat definitio Boethii de persona: « Persona est rationalis naturae substantia individua ».

[Ad obiecta]: 1-2. Ex hoc [d] patet solutio ad duo prima.

3. Ad tertium dicendum quod individuum in ratione personae dicitur incommunicabile. Unde persona secundum rationem nominis dicitur per se primo unus vel [e] sonans; et quia 'per se', ideo anima rationalis persona esse non potest, cum sit pars in unione hominis; et quia 'primo', ideo humana natura in Christo non est persona: dicit enim Boethius[3] quod persona semper trahitur ad dignius et ad principalius; et quoniam 'unus', ideo divina essentia non potest esse persona, nec res irrationalis [f]: 'unus' enim, prout hic accipitur, importat distinctionem vel excellentiam proprietatis. Sciendum etiam [g] quod divina essentia communicabilis est per modum praedicationis et anima per modum compositionis et humana natura per modum assumptionis; unde individuum in ratione personae excludit omne quod est in aliquo; sed tribus modis est aliquid in aliquo [h]: ut pars in toto, sicut [i] anima in homine, aut ut praedicatum in eo de quo praedicatur, ut essentia divina, aut ut assumptum in eo qui [k] assumit, et sic humana natura.

4. Ad aliud dicendum quod anima nostra persona non posset esse, quoniam [l] non dicitur persona quia [m] non communicatur, sed quia est [n] incommunicabilis; et sic non est anima Petri, quoniam semper habet respectum ad corpus, cum quo unietur post resurrectionem [o].

5. Ad quintum dicendum quod aliud est discretio personalis, aliud discretio [p] personarum: discretio enim personalis est tam in angelis quam in animabus, sed [q] discretio personarum in angelis ita quod non in animabus. Et dico discretionem personalem, quae convenit personae, discretionem personarum quae facit personam.

6. Ad sextum dicendum quod non secundum divinam essentiam est persona, sed secundum hypostasim vel personalitatem est persona.

7. Ad septimum dicendum quod, cum dicitur 'secundum divinam essentiam Christus est persona', 'secundum' notat conditionem personae, non rationem [r] personae. Cum vero dicitur 'secundum hypostasim vel personalitatem est persona', notatur ibi ratio qua [s] est persona, et ideo non sequitur: ergo secundum essentiam est incommunicabilis.

8. Ad octavum dicendum quod, sicut dicit Augustinus, in III libro *Sententiarum*, cap. 1 [4], quod [testimoniis] Sanctorum natura dicitur forma; unde formae nomine designatur natura; unde forma Dei et forma servi dicitur [5], id est natura Dei et natura servi.

9. Ad ultimum dicendum quod definitio Boethii et illa Richardi: « Persona est intellectualis naturae » etc., dicunt de persona quid est secundum rem. — Quod patet: quia Boethius colligit huiusmodi definitionem ex divisione entis in substantiam et accidens et ex divisione substantiae usque in ultimas differentias: rationale et irrationale; illa vero definitio, quae est Richardi, « persona est subsistens per se », dicit de persona quid est iuxta naturam nominis, prout dicit Isidorus [6] quod « persona est res per se una »; quarta vero, quae est magistralis, dicit de persona quid est secundum usum nominis: sic enim utimur hoc nomine 'persona' ut dicamus personas differentes secundum differentias dignitatum. — Item, de persona quid est secundum esse in creatura dicit definitio Boethii; illa vero Richardi: « Persona est intellectualis naturae » etc. de persona dicit quid est secundum esse in divinis, quia in Deo non est proprie substantia [7], sed in creaturis, sed existentia proprie est in Deo; nec in Deo proprie est individuum, sed incommunicabile, nec rationalis natura, sed intellectualis: intellectus enim proprium est Dei, sicut dicit Boethius.

---

[a] PV *quare*, quod S corr. [b] BG *ut*, quod R corr. [c] P *vel*. [d] V om. [e] B add. *per se*. [f] BRGL *irrationabilis*. [g] B *autem*. [h] V om. *sed... aliquo*, in P est add. mg.; BRG *quid* pro *aliquid*. [i] BRGL *sic*. [k] PVS *quod*, BRGL *illo* pro *eo*. [l] R *quia*. [m] S *quoniam*. [n] PVSL om. [o] P nota mg. *[Sicut] amasia in amasium etc. G*. [p] G om. [q] S *et*. [r] PVL *ratione*. [s] V *que*.

1 Loc. cit., c. 4 et c. 20 (PL 196, 932, 943), ad sensum.
2 Loc. cit., c. 23 (PL 196, 945 sq.).
3 *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1344).
4 Lombard., III *Sent.*, d. 5, c. 1 (p. 566 sqq.).
5 Cf. Philipp. 2, 6 sq.
6 Rectius Alan., *Theol. reg.*, reg. 32 (PL 210, 637); cf. supra, p. 567, nota 10.
7 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 4 (PL 64, 1252).

CAPUT IV.

DE COMMUNITATE HUIUS NOMINIS 'PERSONA'.

Consequenter quaeritur de communitate huius nominis 'persona'.
Et quaeruntur duo:

Primo, utrum dicatur univoce;
secundo, quae sit communitas personae in divinis.

388

ARTICULUS I.

Utrum 'persona' dicatur univoce [1].

Ad primum sic: 1. Hoc nomen 'persona' dicitur multipliciter: dicitur enim hoc nomen 'persona' essentialiter, ut cum dicitur 'Pater est persona, Filius est persona'; alio modo dicitur personaliter, ut cum dicitur « alia est persona Patris, alia Filii [2] » etc.; alio modo dicitur significare proprie, ut cum dicitur Pater in persona differre a persona Filii; ergo persona non dicitur univoce [a].

2. Item, differentia personarum [b] in creaturis est rerum differentium, in divinis autem indifferentium; ergo non est una ratio. — Praeterea, personae in creaturis determinantur per proprietates accidentales, in divinis per relationes. — Praeterea, haec [c] est definitio personae creatae [3]: « Rationalis naturae substantia individua », et removetur a divinis, tum quia rationalis, tum quia individua, tum quia [d] substantia; nam in divinis non tres sunt substantiae, nec individua dicitur, aut si dicitur, eadem videtur esse ratio individui et personae. Definitio autem divinae personae est haec: « Naturae divinae incommunicabilis existentia », sicut dicit Richardus [4]; ergo cum alia et alia sit hic definitio personae, non dicetur persona univoce.

Respondeo: Conceditur a Magistro, in *Sententiis* [5], quod nomen personae diversam facit intelligentiam: aliquando intelligentiam essentiae, aliquando hypostasis, aliquando proprietatis [e]. Intelligentiam essentiae, cum dicitur 'Pater est persona'; hypostasis, ut cum dicitur « alia [f] persona Patris, alia Filii »; proprietatis, cum dicitur Pater differre persona, id est personali proprietate; et concederet ex hoc quod aequivoce diceretur hoc nomen 'persona' in divinis.

Sed contra: Non aequivoce dicitur 'homo', cum dicitur 'alius homo est Petrus, alius [g] Paulus', cum dicitur 'Petrus est homo, Paulus est homo' [h], et cum dicitur 'Petrus differt [i] a Paulo in sua humanitate'; ergo nec ex alia parte. — Quod concedendum est [k].

[Ad obiecta]: 1. Et [l] dicendum ad primum quod talis diversitas non facit diversam significationem, sed potius diversum modum praedicandi: unde talia sunt praedicata, qualia permiserint subiecta [6]; et ita alio modo sumitur cum hoc verbo 'est' et cum hoc verbo 'differt'.

2. Ad aliud [m] dicendum quod persona non dicitur communiter de persona creata et increata, sed per prius et posterius; tamen aliquo modo est una ratio quae est: « persona est existentia [n] incommunicabilis intellectualis naturae » vel [o] existens per se solum secundum quemdam modum existendi. Illa tamen ratio est communis et [p] dicitur secundum prius et posterius de Deo et de [q] creaturis. — Si vero quaeritur utrum secundum prius dicatur de divinis et rationabilibus: dicendum quod principalius dicitur de divinis, sed secundum [r] usum nominis dicitur de creaturis [s].

Notandum [t] hic secundum quosdam [7] quod multiplex [u] est univocatio. « Est enim univocatio quaedam per conformitatem, sicut hoc nomen 'homo' est univocum ad omnes homines et 'album' ad omnia alba. Secunda univocatio est secundum generalem naturam intellectus: est enim intellectus imago Dei, qui habet similitudinem cum qualibet re, et propter hoc intellectus est imago cuiuslibet rei; unde et utitur se ipso sicut imagine, cum intelligit omnia, et hoc modo est univocum hoc nomen 'res' ad personas creatas

---

[a] V *equivoce*. [b] L om. [c] P *hic*. [d] V om. *rationalis... quia*. [e] V *proprietas*, item subinde. [f] L add. *est*. [g] V add. *est*. [h] PVS om. *cum... homo*. [i] PVS *differre*. [k] BRGL om. *Q. c. e.* [l] R add. *est*. [m] R *illud*. [n] L add. *et*. [o] V *et*. [p] BRGL *communis* pro *e. c. e.* [q] R om. [r] L om. [s] BG *creatis*. [t] BRGL *nota*. [u] BRGL *multipliciter*.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 25, a. 2, q. 2 (I, 444sq.); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 2 (f. 9dsq.).
2 *Symbolum* Athanasii.
3 Boeth., *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1343).
4 *De Trinit.*, IV, c. 22 (PL 196, 945).
5 Lib. I, d. 25, c. 2 (p. 159).
6 Cf. Boeth., *In lib. De interpretat.* (PL 64, 462).
7 Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 3 (f. 10b).

et increatas in illa divisione rerum [1]: " Quaedam sunt quibus fruendum [a] et quaedam quibus utendum ". Tertia univocatio est per denominationem formae quae est ex parte animae, ut ' intelligibile, opinabile ' et similia; et hoc modo [b] univocum est hoc nomen ' notio ' ad proprietates personales. Quarta univocatio est secundum convenientiam effectuum, sicut dictum est superius [2] de hoc nomine ' iustus ', et hoc modo hoc nomen ' persona ' univocum est ad personas creatas et increatas, quia rationalitas creata et rationalitas increata conveniunt in effectu ».

ARTICULUS II. 389

Quae sit communitas personae in divinis.

Deinde quaeritur quae sit communitas personae in divinis [c 3].

Ad quod sic: 1. Nihil est commune tribus nisi divina essentia secundum rem [4]; sed significatum per nomen ' personae ' est commune tribus [d]; ergo significat idem quod essentia. — Contra: Una est essentia in tribus, non una persona.

2. Unde quidam dixerunt duplex [e] commune: secundum rem et secundum intellectum; secundum rem, ut significatur per hoc nomen ' essentia '; secundum intellectum [f], ut significatur per hoc nomen ' persona '. — Contra: Intellectus cassus est et [g] vanus nisi habeat rem sibi respondentem; ergo communitas intellectus est a communitate rei.

3. Item, si [h] significatum huius nominis ' persona ' dicitur de tribus [i] ita quod in illis multiplicatur, quia alia est persona unius, et alterius; omne autem quod est in multis multiplicatum, est aptum natum praedicari de illis et omne tale est universale; ergo persona est universale – contra: Boethius, in libro *De Trinitate* [5]: « In omni simplici non differt ' quod est ' et ' quo est ' »; si ergo unaquaeque persona est simplex, non differt ' quod est ' et ' quo est '; ergo nec universale nec particulare; et hoc idem dicit Boethius [k 6] quod in divinis nec universale [est] nec particulare.

4. Item, si persona dicitur de tribus: aut ergo sicut ens de ratione trium aut non. Si primo modo, et non adaequatum alicui illorum: ergo erit aut sicut genus aut sicut species aut sicut differentia. Non sicut differentia: haec enim est [l] quo alterum ab altero differt; sed intentione personalitatis non differt Pater a Filio. Quod autem non sicut genus, patet per Augustinum, 23 dist. I libri [m] *Sententiarum* [7]. Si non de ratione: ergo persona non dicitur secundum substantiam de illis; cuius contrarium supra habitum est [8].

Respondeo: Cum dicitur ' Petrus est homo et Paulus ', hic accipitur [n] communis essentia, cuius supposita sunt illi duo: unde haec intentio ' suppositum ' dicitur de illis; unde quia [o] communicant idem secundum rem, consequitur quod habent unam communem habitudinem: unde unum est commune secundum rem, alterum commune secundum rationem. Similiter ' Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus ', tres habitudinem habent ad unum in hoc quod Pater est suppositum divinae essentiae [p] et Filius et Spiritus Sanctus, et idem designatur [q] per hypostasim et suppositum: ' hypostasis ' enim dicit idem quod ' stans sub ' [9]. Unde, quia idem est commune secundum rem, una ratio est communis, quae designatur per hypostasim [r]; sed idem designatur per hoc nomen ' persona ' quod per hoc quod dico hypostasim distinctam proprietate [s]; cum ergo ista duo similem habeant modum communitatis et hoc nomen ' hypostasis ' sit [t] commune secundum rationem, id est secundum consimilem modum habendi trium [u] ad unum, erit significatum per hoc nomen ' persona ' commune [v] secundum rationem ab eadem habitudine; sed haec habitudo non est communis nisi ex consequenti [x]: quia enim est habitudo ad unum commune, ideo est communis habitudo; quia vero [y] illa habitudo est trium habitudo, ideo pluraliter dicitur hoc nomen ' persona ' et ' hypostasis '; sed sic non est de hoc nomine ' essentia vel ' substantia ', quia ibi [z] est habitudo simplex [10].

---

[a] BR add. *est;* BRGL om. *sunt.* [b] G *nomen.* [c] Ita RG, alii add. *respondeo I libro, 23 dist.,* quod in B est add. mg. [d] L add. *personis.* [e] G om. [f] BRGL add. *vero.* [g] P om. [h] G om. [i] L add. *personis.* [k] G add. *in libro de Trinitate;* V om. *hoc.* [l] V om. [m] S *in libro* pro *I. l.* [n] BRGL *est.* [o] V om. [p] BRG add. *et idem designatur.* [q] BRG om. *e. i. d.* [r] G om. *et suppositum... hypostasim.* [s] L *proprietatem.* [t] S *sive.* [u] V *tria.* [v] B om. [x] G *sequenti.* [y] G *ergo.* [z] P *tibi.*

1 Augustin., *De doctr. christ.*, I, c. 3 (PL 34, 20).
2 Cf. supra, num. 371.
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 25, a. 2, q. 1 (I, 442sqq.).
4 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 23, c. 1 (p. 147).
5 Cap. 2 (PL 64, 1250).
6 Cf. *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1344).
7 Cap. 1 (p. 147), ubi adducitur Augustin., *De Trinitate*, VII, c. 6, n. 11 (PL 42, 943).
8 Cf. supra, num. 386.
9 Cf. Boeth., *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1343sqq.).
10 Cf. supra, num. 347.

[Ad obiecta]: 1. Cum ergo quaeritur utrum hoc nomen 'persona' sit commune secundum rem: dicendum quod ita, ex consequenti.

2. Si autem quaeratur, cum dicitur 'persona est commune, essentia est commune', utrum ibi duplex sit commune: dico quod non, immo idem, sed aliter et aliter. Nam ut est in hoc nomine 'essentia', est commune secundum se, in hypostasi vero est commune in habitudine ad illud; haec autem habitudo non est in intellectu tantum [a], sed designatur, cum dicitur 'tres sunt unus Deus'. Cum enim [b] dicitur 'Deus', dicitur una essentia; cum vero dicitur 'sunt', dicitur essentia eadem, sed non sub ratione essentiae, sed habitudinis trium ad unum.

3. Si vero quaeritur cuiusmodi commune est significatum per hoc nomen 'persona': dicendum est quod commune [c] proportione; commune enim proportione dicitur commune habitudine. Tale autem [d] commune dicitur dupliciter [e]: quandoque ex habitudine duorum ad unum, quandoque ex habitudine alterius ad alterum; duorum ad unum, sicut dicitur 'rector in navi et scholis'; alterius ad alterum, ut cum dicitur 'corpus est sanum et urina est sana': omnia enim haec referuntur ad sanitatem humani corporis. Cum ergo dicitur 'Deus est bonus, creatura est bona', commune dicitur proportione; cum autem dicitur 'divinae [f] personae sunt personae' [g], dicitur ibi commune secundum communem habitudinem alterius ad alterum, quemadmodum cum dicitur 'Pater est persona, Filius est persona', dicitur secundum habitudinem ad idem; sed quia non secundum eiusdem habitudinem ad idem [h], ideo persona dicitur pluraliter, essentia vero non. — Si vero obicitur secundum hoc quod [i] erit universale: dicendum quod non, quia universale dicitur ubi est communis natura, non ubi est communitas habitudinis. — Si autem quaeritur utrum contingat abstrahere huiusmodi commune ab illis quibus est commune: dico quod non. Sicut enim cum dicitur 'essentia divina est [k] communis', non aliud dicitur communitas quam ipsa essentia; sed cum dicitur 'Pater est divina essentia' et 'Pater est suppositum essentiae divinae', non aliud secundum rem est Pater et suppositum.

4. Ad illud quod quaeritur [l] 'utrum persona dicitur de Patre et Filio etc. ut ens de ratione' etc.: respondeo quod dicitur ens ipsum et non sicut [m] substantiale aut accidentale. Unde licet [n] per modum dicendi hoc nomen 'persona' sit commune tribus secundum rem, tamen nihil aliud est 'Pater est persona' quam 'Pater est Pater', et similiter de aliis. Unde hoc nomen 'persona' secundum substantiam idem est quod hypostasis.

390

CAPUT V.

DE SUPPOSITIONE HUIUS NOMINIS 'PERSONA'.

Consequenter quaeritur de suppositione huius nominis 'persona'. Quaeritur ergo utrum supposita persona supponatur essentia.

Ad quod sic: 1. In rebus creatis, cum unum vere alteri attribuitur et non secundum accidens, uno supposito alterum supponitur; sed vere dicitur, non secundum accidens, 'persona divina est essentia'; ergo supposita persona supponitur essentia.

2. Praeterea, in quibus est omnimoda indifferentia, uno supposito supponitur alterum; ergo etc.

3. Item, abstrahantur per intellectum proprietates, non erunt tria, quia secundum hoc viderentur tres essentiae absolutae, sicut abstractis proprietatibus [o] duae sunt substantiae Petrus et Paulus, et ita esset [p] haeresis quae ponebat tres substantias [1]. Si vero remanet essentia et remanet illud quod subsistebat proprietatibus, ergo subsistit proprietatibus [q]; ergo persona erit essentia distincta proprietate; ergo supposita persona supponetur essentia.

Contra: *a*. Proportionaliter [r] dicuntur 'persona' et 'essentia' in divinis et humanis quoad modum significandi et supponendi; sed in creatura supposita persona non supponitur essentia; ergo nec in divinis.

b. Item, persona distinguitur, essentia non; ergo etc.

Respondeo: In divinis verum est quod idem est essentia quod persona et e converso propter simplicitatem [s] divini esse, tamen modus, qui non detrahit simplicitati, est personae, qui non est essentiae; hic autem modus est differentia habitudinis et proprietatis originis, qua dicitur 'Pater est, sed non ab alio, Filius est a Patre per

[a] G *causatum*. [b] PVS om. [c] V add. *est*. [d] V om., B *enim*. [e] PVS *tripliciter*. [f] V *due*. [g] B om. *c. p. s. p.* [h] V om. *sed... idem*, BRGL om. *a. i.* [i] L om. [k] V om. [l] BRGL *Quod autem obicitur* pro *A. i. q. q.* [m] R om. [n] PVSGL *hic*. [o] L *proprietatis*. [p] PVS *erit*. [q] SG om. *e. s. p.* [r] R *proportionalia*. [s] PVSL *subtilitatem*.

[1] Ita docebant Ioan. Askunages, praesertim Ioan. Philoponus et Stephan. Gobarus. Cf. Damascen., *De haeres.*, c. 83 (PG 94, 744 sqq.); Timoth., *De recept. haeret.* (PG 86, 61).

generationem, Spiritus Sanctus ab utroque per processionem'; secundum istius existentiae modum differunt personae, non essentia. Cum ergo [a] consequatur suppositio ipsum modum, patet quoniam supposita persona non supponetur essentia.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur patet solutio. Quod enim unum attribuatur alteri, hoc est ratione simplicitatis rei; quod vero non idem supponatur, hoc facit differentia significationis.

2. Ad secundum dicendum quod omnimoda est indifferentia personae ad essentiam, quia non differunt aliqua differentia, modus tamen est personae qui [b] non est essentiae: ideo non sequitur quod supposito hoc supponatur illud, quemadmodum cum idem sit definitio et definitum, est modus definitionis qui non convenit [c] definito.

3. Ad tertium dicendum quod abstractis proprietatibus, scilicet personalibus, adhuc erunt tres nec tamen tres erunt [d] substantiae; hoc infra planius determinabitur [1].

Nota tamen ad evidentiam praedictorum quod persona non dicitur per additionem ad essentiam, sed essentia est in intellectu personae oblique secundum rationem intelligentiae: dicitur enim persona divina [e] hypostasis divinae naturae. Illud enim dicitur supponi altero supposito quod est [f] in intentione eius in rectitudine, ut [g] supposito homine supponitur animal et supposito Petro supponitur homo; essentia autem [h] in ratione personae non est secundum [i] rectitudinem, sed [k] oblique [2]; similiter supposita notione [l] non supponitur persona. Vel si coarctetur [m] intentio suppositi, illud dicitur supponi altero supposito, quando quod attribuitur uni, attribuitur alteri. Ideo dixerunt antiqui quod licet persona essentia esset, quia tamen persona generat, essentia non, supposita persona non supponitur essentia; non ergo sequitur: 'persona gignit, essentia non, ergo persona non est essentia', sed quod altera ratio intelligentiae in hoc nomine 'persona' et in hoc nomine 'essentia'.

CAPUT VI. 391

DE CONSIGNIFICATIONE HUIUS NOMINIS 'PERSONA'.

Consequenter quaeritur de consignificatione [n] huius nominis 'persona'. Quaeritur ergo utrum idem significetur nomine personae in plurali et singulari.

Si enim dicatur quod idem: sed in singulari significat essentiam; ergo cum [o] non contingat dicere plures essentias divinas, nec dicentur plures personae. — Sed quod idem significetur, videtur: quia numerus pluralis non potest significari nisi circa aliquod communicabile; sed in personis nihil est commune nisi essentia; ergo necesse est [p] illud nomen in plurali significare essentiam.

Respondeo [q], secundum quosdam [3], quod [r] hoc nomen 'persona' sine [s] determinatione et in singulari significat essentiam [t], sed in plurali significat hypostasim. Sed quod istud non possit esse: ostensum est prius [4]. Propter hoc dicendum secundum Richardum, in libro *De Trinitate* [5], et Boethium [6], quod in singulari et in plurali hoc nomen 'persona' significat substantiam, quae est hypostasis, hoc est per modum substantiae singularis. Unde Richardus: « Cum dicitur persona, intelligitur unus aliquis, qui tamen sit rationalis substantiae; cum dicitur 'personae tres', intelliguntur tres aliqui, qui tamen sint rationalis naturae ».

CAPUT VII.

DE COMPARATIONE 'PERSONAE' AD 'ESSENTIAM'.

Consequenter quaeritur de comparatione 'personae' ad intentionem 'essentiae'. Circa quod quaeritur in hunc modum:

Primo, an persona sit essentia [u];

secundo, utrum persona differat ab essentia;

tertio, utrum essentia [v] differat a persona;

quartò, utrum convenientius dicatur persona esse essentiae in obliquitate quam esse essentia in rectitudine.

---

[a] PVS om. [b] G *quin*. [c] BRGL *conveniet*. [d] S om. *t. t. e.* [e] R *Dei*, G om. [f] P om. [g] G *et*. [h] L *dicitur*. [i] L om. [k] S *et*. [l] L om. [m] PVS *coarctaretur*. [n] R *significatione*. [o] V add. *hoc*. [p] VL om. [q] L add. *dicendum*. [r] BRGL om. [s] G om. [t] V om. [u] S add. *sit persona*. [v] V om.

1 Cf. infra, num. 404.
2 Cf. infra, num. 394.
3 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 72c); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 4 (f. 11c).
4 Cf. supra num. 358.
5 Lib. IV, c. 8 (PL 196, 935), ubi et sequens.
6 *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1343).

392 ARTICULUS I.

An persona sit essentia[1].

Ad primum sic: *a.* Boethius, in libro *De hebdomadibus*[2]: « Naturae simplici idem est 'quod est' et 'quo est' »; et Deus simplicissimus est[a]; ergo idem est in ipso 'quod est' et[b] 'quo est'; ergo Deus est deitas; ergo cum Pater sit simplicissimus, idem est Pater et 'quo est'[c]; sed 'quo est' est essentia vel deitas; ergo Pater est essentia; ergo persona est essentia.

b. Item, Augustinus[3] dicit quod « Pater est quidquid ipse habet, excepto quod Filium habet et ipse non est Filius ». Ergo, cum habeat essentiam, Pater est essentia et ita persona est essentia.

Contra: 1. Dicit Aristoteles[4]: « Quantulamcumque differentiam ostendentes fuerimus, monstrabimus quoniam non[d] idem »; sed persona generat et generatur, essentia nec generat nec generatur; ergo persona et essentia non sunt idem.

2. Item, in naturis bene tenet quod si haec res est illa, supposita hac re supponitur illa, et hoc est propter essentialem identitatem[e] quam significat hoc verbum 'est'; ergo si haec est vera 'persona est essentia' propter consimilem identitatem, quam significat hoc verbum 'est', supposita persona supponitur essentia: quod est contra praedicta[5].

3. Item, 'esse in pluribus[f], non esse in pluribus' sunt opposita; ergo non sunt in eodem; sed sunt in persona et in essentia, quia nulla persona in pluribus est et essentia est in pluribus; ergo persona et essentia non[g] sunt idem.

4. Item, Hilarius, VIII *De Trinitate*[6]: « Non idem est ens natura quod res naturae, sicut non idem est homo et quod hominis est nec idem est ignis et quod ipsius ignis est; et secundum hoc non idem est Deus et quod Dei est[h] », scilicet persona et essentia.

5. Item, dicit Boethius, in libro *De duabus naturis et una persona Christi*[7], quod Nestorius dicebat in Christo duas personas sicut duas naturas, Eutyches vero unicam naturam et unicam personam. Distinguenda ergo sunt et separanda propriis definitionibus 'natura et persona', quia diversas habent significationes sive definitiones, quas ibidem ponit Boethius. Est enim natura, prout ibi[i] accipitur[8], « uniuscuiusque rei specifica differentia » et « persona est rationalis naturae[k] individua substantia »; sed quorum definitiones sunt diversae, ipsa sunt diversa; ergo persona et natura sive essentia diversa sunt.

6. Item, Damascenus[9]: « De hypostasi non est deitatem[l] dicere; deitatem enim esse solum Patrem aut solum Filium aut solum Spiritum Sanctum nunquam audivimus: deitas enim naturam manifestat, Pater hypostasim, sicut humanitas naturam hominis, Petrus hypostasim; Deus enim res divina est et in unaquaque hypostaseon, id est personarum, denominatione dicitur ». Ergo secundum hoc, si « de hypostasi non est deitatem dicere », persona[m] non est deitas.

7. Item, 'esse' in qualibet persona dicitur de divina essentia; ergo vel secundum substantiam vel secundum relationem. Si secundum substantiam: ergo dicitur de qualibet persona per se; et hoc falsum. Si secundum relationem[n]: ergo et essentia secundum istam relationem distinguitur a qualibet persona; ergo sicut Pater non est Filius, a quo distinguitur per paternitatem, sic essentia non est persona.

8. Item, 'esse ab alio, non esse ab alio' sunt in persona et in essentia, reddendo singula singulis; et non secundum idem, cum sint opposita; ergo secundum diversa; ergo persona et essentia sunt diversa.

9. Item, intellectus distinguit personam ab essentia; unde Boethius[10]: « Separanda sunt essentia et persona propriis definitionibus »; illi distinctioni[o] aut respondet aliquid in re aut nihil. Si nihil: ergo cum in re unica sit essentia divina, in re non est nisi unica persona divina. Si vero aliquid respondet in re: ergo secundum rem differunt persona et essentia; ergo persona non est essentia.

Ad solutionem huius notandum[p] quod dixit Praepositinus[11] quia in divinis « distinguimus tripliciter, scilicet voce, intellectu et[q] proprietate.

---

[a] BRG om. [b] S add. *a*. [c] R om. [d] PV om. [e] BG *dignitatem*. [f] G add. *et*. [g] G om. [h] BRGL om. [i] GL *hic*. [k] BRG *natura*. [l] L *divinitatem*, item subinde. [m] G *personam*. [n] V om. *Si secundum substantiam... relationem*. [o] L *diffinitioni*. [p] BRGL *nota*. [q] BRGL om.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 34, a. un., q. 1 (I, 586sqq.).
2 PL 64, 1311. Sequentia usque ad solutionem fere verbotenus occurrunt ap. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 4 (f. 11a-12a).
3 *De civit. Dei*, XI, c. 10, n. 1 (PL 41, 325), ad sensum.
4 *Topic.*, I, c. 16 (I, 185). 5 Cf. supra, num. 390.
6 Num. 22 (PL 10, 252).
7 Cap. 5 (PL 64, 1347).
8 Loc. cit., c. 4 (PL 64, 1345).
9 *De fide orthod.*, III, c. 11 (PG 94, 1027).
10 Loc. cit., prooem. (PL 64, 1341), ad sensum.
11 *Summa*, I (f. 72c).

Voce: ut duos similes diversis nominibus significemus; intellectu: ut cum omnino idem sit essentia quod persona, distinguimus tamen intellectu inter essentiam et personam, loquentes de essentia ita quod non de persona; vel [a] proprietate, ut [b] inter Patrem et Filium. Ubi autem fit [c] distinctio sola voce, nulla est distinctio, ut hoc nomen 'essentia' videtur esse nomen generalis substantiae et 'divinitas' nomen specialis [d] substantiae, sed omnino idem est [e] in divinis ita quod non possumus loqui de essentia quin loquamur de divinitate et e converso. Unde nulla est distinctio inter generalem et specialem ».

Secundum alios [1] nota quod principia sunt fidei: quorum unum est quod Deus est simplicissimus, ex quo sequitur quod persona est essentia et Deus deitas; aliud est, quod aliquid convenit essentiae quod nulli personae: et ex hoc sequitur quod supposita persona non supponitur essentia.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum dicimus quod 'generare vel generari' non est [f] differentia personae ad essentiam, sed personae ad personam. Ex hoc enim quod Pater generat, sequitur quod non sit ille quem generat, sed non sequitur quod non sit essentia; unde [g] non sequitur ut assignetur per hoc [h] differentia inter proposita eo modo quo per assignationem differentiae destruit Philosophus assignationem eiusdem.

2. Ad secundo obiectum dicimus quod non est simile de naturalibus et theologicis propter duas causas simul sumptas. Prima est, quia in naturalibus essentia commetitur se personae, quia unica essentia est unius personae et plurium personarum plures essentiae; sed in theologicis unica est [i] essentia numero et [k] plures personae. Secunda causa [l] est, quia in naturis quaecumque proprietas est personae, est et essentiae; sed non est ita in theologicis, quia proprietas Patris est [m] paternitas, quae non est proprietas essentiae; unde in [n] theologicis supposita persona non supponitur essentia [2], sed in naturis.

3. Ad tertio obiectum dicimus quod non valet haec argumentatio: 'esse in pluribus, non esse in pluribus non sunt [o] in eodem, et sunt in essentia et persona, ergo essentia et persona non sunt idem', quoniam in prima iste terminus 'eodem' unicam habet suppositionem: aut tantum pro essentia aut tantum pro persona; in secunda duae sunt [p] suppositiones: una pro persona, alia pro essentia. Et est instantia [q]: hoc artificiale et inartificiale non sunt in eodem et sunt in aere et statua; ergo statua non est aes.

4. Ad quartum, scilicet Hilarii, dicendum secundum Magistrum, in *Sententiis*, I [r] libro, dist. 34 [3], quod Hilarius « ad naturam rerum creatarum respiciens, inquit: "Non idem est natura, quod res naturae", subiciens exempla de creaturis. Inde ostendens erroris esse sub mensura creaturarum metiri Creatorem, addit: "Et secundum hoc non idem est Deus et quod Dei est", ac si diceret: si ad instar creaturarum de Creatore sentis, cogeris fateri quia non idem est Deus et quod Dei [s] est; quod dicere impium est, cum Spiritus Dei Deus sit. Non ergo secundum corporales modos, ut in eadem serie subdit, accipienda sunt haec quae de Deo dicuntur; ubi evacuat opinionem eorum qui ita putant aliud esse Deum et aliud quod Dei est aliudque naturam Dei et rem naturae, ut est in creaturis ».

5. Ad quintum, scilicet ad auctoritatem Boethii [t], distinguenda est duplex separatio, scilicet separatio secundum rem et separatio secundum intellectum. Separatione secundum rem non sunt separata persona et essentia, sed separatione secundum intellectum separatae sunt; tamen sicut persona et natura non sunt diversae, sic nec definitiones eorum diversae sunt proprie loquendo: in definitione enim personae cadit natura, ut patet per praedicta [4], et ipsa definitio naturae praedicatur de persona, quia natura est sua perfectiva substantialis differentia sive sua substantialis perfectio; unde solvendum est per interemptionem: non enim sunt definitiones diversae.

6. Ad auctoritatem Damasceni dicendum quod sic intelligenda est: « De hypostasi deitatem dicere non possumus », id est de una sola hypostasi deitatem dicere non possumus; et hunc intellectum innuit ipse, cum dicit: « Deitatem esse solum Patrem aut solum Filium aut solum Spiritum Sanctum nunquam audivimus [u] »; Filium autem esse deitatem bene audivimus, quia Christus est Dei virtus et Dei sapientia [5], quae sine dubio essentiam significant.

7. Ad aliud dicendum quod 'esse' in qualibet persona dicitur [v] de essentia secundum relationem, non tamen propter [x] hoc distinguitur essentia a persona, quia dicit Boethius, *De Trinitate* [6]: « Deus est quantus sine quantitate, qualis sine qualitate, non tamen relatus sine relatione ».

---

[a] BRGL *et*, V om. *de*. [b] PVS om. [c] G *est*. [d] L *personalis*. [e] BRGL om. [f] PV om., in S est add. [g] L om. [h] PV *hec*. [i] BRG om. [k] BRGL *est*. [l] R *ratio*. [m] S *et*. [n] L om. [o] G *fiunt*. [p] BR om. [q] G *in secunda*. [r] VL *in*. [s] V *Deus*. [t] S om. [u] PVBL *audimus*, quod R corr., item subinde. [v] G add. *esse*, V om. *de*. [x] G om.

1 Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 4 (f. 11b-12a), ubi omnia sequentia usque ad finem huius articuli.
2 Cf. supra, num. 390.
3 Cap. 1 (p. 215).
4 Cf. supra, num. 387.
5 Cf. I Cor. 1, 24.
6 Rectius Gilb. Porret., *In Boeth. De persona et duab. nat.* (PL 64, 1361).

Intelligendum est tamen de relationibus personalibus: Pater enim non est relatus ad Filium sine relatione, quia paternitas non significat divinam essentiam; sed quando divina essentia significatur ut relatio, tunc Deus est relatus sine relatione, sicut cum dicitur 'Deus est Dominus' [a] sine relatione; unde per huiusmodi relationem non distinguitur a persona. Sic dicimus hic: essentia divina est in qualibet persona, essentia est relata sine relatione: se ipsa enim est in qualibet persona, non aliqua proprietate distincta.

8. Ad aliud dicendum quod haec argumentatio non valet: 'esse in aliquo, non esse in aliquo sunt in essentia et persona et non secundum idem, ergo secundum diversa', quia sufficit opponi secundum affirmationem et negationem, ut sit differentia secundum unam proprietatem existentem in uno et absentiam eiusdem proprietatis in alio, quomodo diximus speciem differre a genere et individuum a specie et personam ab essentia; unde sufficit differentia ex altera parte. Et est instantia: Sortes non praedicatur de pluribus; homo praedicatur de pluribus; ergo Sortes non est homo. — Si autem fiat haec argumentatio [b]: magis differunt opposita secundum affirmationem et negationem quam relative opposita; sed propter relativam oppositionem haec est vera 'Pater non est Filius'; ergo propter oppositionem affirmationis et negationis haec est vera 'persona non est essentia' – solvendum autem [c] est per interemptionem primae: relativa enim oppositio magis exigit mutuam differentiam, sed oppositioni [d] secundum affirmationem et negationem sufficit differentia ex altera parte.

9. Ad ultimum dicendum quod intellectus facit differentiam aliquando per suam abstractionem, aliquando per rei proprietatem. Et cum [e] per suam abstractionem, non oportet aliquid respondere, sicut cum intellectus abstrahit albedinem a subiecto, non oportet illam abstractam esse re; nec ideo est mendacium in illa abstractione, quia huiusmodi abstrahere nihil aliud est quam intelligere albedinem, non intelligendo subiectum. Quando autem facit distinctionem per rei proprietatem, tunc illi distinctioni aliquid respondet in re [f]. Unde distinctioni quam facit inter personam et essentiam aliquid respondet in re. Sed haec distinguenda est [g] 'intellectus distinguit personam ab essentia'; si enim sic [h] intelligatur: 'intellectus ponit personam non esse essentiam', falsa est; si autem sic: 'intellectus ponit aliquid inesse personae quod non essentiae', vera est. Quod autem praedictorum solutio vera sit, patet per Augustinum, VII libro [i] *De Trinitate* [k] [1]: « Nefas est dicere Deum subiacere bonitati suae et non esse suam bonitatem ».

393 ARTICULUS II.

Utrum persona differat ab essentia et e converso.

Consequenter quaeritur utrum persona differat ab essentia et e converso.

Ad quod sic: 1. Aliquis [l] modus existentiae [m] secundum rem est [n] personae qui non est essentiae [o], ut genitus, generans, procedens, qui sunt, sicut dicit Damascenus [2], differentes existentiae modi; ergo secundum rem differet persona ab essentia.

2. Item, proprietas distinguens additur personae, non essentiae; abundat igitur in aliqua differentia persona ab essentia.

3. Item, si dicatur, sicut quidam voluerunt dicere, quod persona differt ab essentia, sed non e converso essentia a persona, et hoc quia aliqua est proprietas personae quae non est essentiae – contra: sicut proprium est personae distingui, ita proprium est essentiae indifferentem esse et indistinctam; ergo sicut proprietas est personae distinctio et [p] ex hoc differt ab essentia, ita proprium erit essentiae indifferentia et indistinctio qua differet [q] essentia a persona.

4. Item, si dicatur quod indifferentia et indistinctio nihil ponit secundum affirmationem, sed solum removet, et ideo non est proprietas qua differat essentia a persona – obicitur: proprium est essentiae secundum affirmationem esse communem tribus personis et communicabilem [r], sicut proprium est personae esse quasi singularem et [s] incommunicabilem; ergo proprietas essentiae erit [t] communitas sive communicabilitas [u] qua differt a persona, sicut proprietas est personae [v] singularitas et incommunicabilitas qua differt ab essentia; differet igitur essentia a persona.

Contra: *a.* Ubicumque ponitur differentia, non est omnimoda identitas. Si ergo est differentia

---

[a] L *Deus.* [b] P *a Christo.* [c] G om. [d] G *oppositio.* [e] BRG *tamen.* [f] V om. *l. r.* [g] L om., G om. *haec.* [h] BRGL om. [i] R om. [k] BRGL add. *quod.* [l] L *aliquid.* [m] BR *existendi,* quod L corr. [n] P om. [o] BRGL *est essentie qui non est persone* pro *est personae... essentiae.* [p] P *erit,* G om. [q] VG *differt.* [r] L (corr. interl). *incommunicabilem,* S *communicabile.* [s] P om. [t] L *est.* [u] GL *incommunicabilitas;* B *quod* pro *qua,* quod R corr. [v] BRGL add. *quasi.*

[1] Cap. 5, n. 10 (PL 42, 942).

[2] *De fide orthod.,* I, c. 8 (PG 94, 830).

personae ab essentia vel e converso, non est omnimoda identitas [a] personae et essentiae; ex quo relinquitur quod non erit simpliciter persona essentia: quod manifeste est contra Sanctos.

b. Item, si differt persona ab essentia, aut ergo differentia naturae aut relationis, quia constat quod non est ibi differentia accidentis. Non differunt differentia naturae, quia sic sequeretur esse in Deo multiplicitas naturae; nec differentia relationis, quia persona non refertur ad essentiam nec e converso; ergo non different re persona et essentia.

c. Item, Bernardus, *Ad Eugenium* [1]: « Ipsas divinas personas non aliud quam ipsum Deum, unam divinam substantiam, naturam, maiestatem confitemur ». Idem est igitur in Deo persona, essentia, substantia, natura, maiestas.

d. Item, Augustinus, VII *De Trinitate* [2]: « Tres personas [b] non dicimus ex eadem essentia, quasi aliud sit essentia, aliud sit persona ».

Respondeo dicendo quod est differentia secundum rem et est differentia secundum intelligentiae rationem. Differentia secundum rem non differt persona ab essentia nec e converso. Unde Augustinus, VII [c] *De Trinitate* [3]: « Non est aliud Deo esse et personam esse, sed omnino idem »; et iterum in eodem: « Quemadmodum hoc est illi esse quod Deum esse, ita hoc est illi esse quod personam esse ». Differentia vero secundum intelligentiae rationem differt persona ab essentia, quia alia est ratio intelligentiae personae [d], alia essentiae. Cum enim intelligitur essentia, intelligitur [e] unum quid indistinctum in tribus; cum vero dicitur persona, intelligitur unus quis distinctus a ceteris proprietate, quamvis non essentia. Et hac ratione dicit Damascenus, IV libro [4], quod « aliud est substantia, aliud hypostasis », scilicet intelligentiae ratione.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur quod 'aliquis est modus existentiae personae secundum rem qui non est essentiae', concedendum est; sed ex hoc non sequitur: 'ergo persona differt ab essentia'. Et ratio huius est: quia ille [f] existentiae modus facit differentiam personae ad personam, non personae ad essentiam: ut 'generans' dicit distinctionem Patris a Filio, non Patris a divinitate; relativa enim est differentia relativi respectu sui correlativi, non est autem correlativa essentia personae.

2. Ad secundum quod dicit quod 'proprietas additur personae quae non essentiae', distinguendum est [g]: quia aut loquitur de additione quae est secundum intelligentiae rationem, et hoc modo verum est, quia in ratione intelligentiae proprietas additur personae, non tamen ex hoc sequitur quod non [h] sit ibi differentia nisi intelligentia rationis; aut loquitur de additione quae est secundum rem, et hoc modo falsum est: proprietas enim relativa sic est relativi, sicut ostendit Boethius, *De Trinitate* [5], quod « nec addit nec mutat nec minuit »: ut patet cum, aliquo accedente in differenti situ [i] circa me, ego sum nunc dexter ad illum, nunc [k] autem sinister sine alicuius formae additione, sine aliqua mutatione mea [l]. Proprietas vero in divinis, quae est ipsius personae, est proprietas relativa, et ideo non ponit additionem vel concretionem alicuius ad personam, sed solum ponit differentem existentiae modum; et hoc secundum rationem ordinis naturae sive originis, quod sufficit ad veritatem [m] et alietatem [n] personae a persona, sicut declaratum est supra, Quaestionibus De veritate personarum [o] [6] et Quaestionibus De numero personarum [7].

3-4. Ad alia vero iam patet solutio, hoc adiuncto quod aliter dicitur in divinis proprietas essentiae, aliter proprietas [p] personae. Proprietas enim personae nominatur in divinis duobus modis: uno modo, nomine primae intentionis, sicut [q] 'generans, genitus, procedens'; alio modo, nomine secundae intentionis, ut cum dicitur 'differens, distinctus'. Prima nominatio est ab intellectu considerante modum essendi; secunda vero nominatio est ab intellectu considerante modum [r] intelligentiae rei. Ex hoc enim quod intellectus considerat Patrem ut personam a qua producitur conformis in substantia, nominat generantem; consequenter vero ex hoc quod considerat actum mentis discernentis [s] generantem a genito, nominat distinctum, ut 'generans' sit nomen primae intentionis, sicut homo et Sortes, 'distinctus' vero nomen secundae intentionis [t], sicut species et individuum. Proprietas vero essentiae, quae quidem non convenit personae, nominatur nomine secundae intentionis, ut 'commune, indistinctum' et huiusmodi: haec enim nomina sunt sumpta a modo considerationis. Ex hoc enim quod est una essentia in tribus personis, nominatur communis quasi secunda intentione.

---

[a] BG om. *Si ergo... identitas.* [b] BR *persone.* [c] BRGL add. *libro.* [d] B om., G om. *differt... personae.* [e] G om. [f] PVS add. *nature.* [g] BRGL om. [h] BRGL om. [i] PVS *sita,* quod L corr. [k] V *non,* G *nec,* quod L corr. [l] SB *in ea,* quod L corr. [m] Ita L, alii *identitatem.* [n] S *ad alietitatem.* [o] P om. [p] S om., PV om. *e. a. p.* [q] B *sic.* [r] B om. *essendi secunda... modum.* [s] R *discernentem.* [t] S om. *sicut homo... intentionis.*

1 *De consider.*, V, c. 8, n. 18 (PL 182, 799); cf. Ambros., *De fide*, prolog. (PL 17, 551).
2 Cap. 6, n. 11 (PL 42, 945).
3 Cap. 6, n. 11 (PL 42, 943), ubi et sequens.
4 *De fide orthod.*, III, c. 4 (PG 94, 998).
5 Cap. 5 (PL 64, 1254), ubi et sequens exemplum.
6 Cf. supra, num. 312.
7 Cf. supra, num. 316.

Nomina vero omnia quae nominant intentionem essentiae prima [a] intentione, sicut 'aeternitas, incommutabilitas' et huiusmodi [b], universaliter conveniunt personae. Non sequitur ergo, quamvis [c] communitas sit proprietas essentiae, incommunicabilitas personae, quod differant persona et essentia secundum rem, sed solum secundum intelligentiae rationem.

394 ARTICULUS III.

Utrum convenientius dicatur persona esse essentiae in obliquitate quam esse essentia in rectitudine [1].

Consequenter quaeritur utrum convenientius dicatur, secundum rationem intelligentiae, persona esse [d] essentiae in obliquitate quam persona esse essentia in rectitudine.

a. Et [e] cum in definitione personae cadat 'natura rationalis' in obliquitate, quia dicitur persona «rationalis naturae individua substantia», ergo dicetur convenientius in obliquitate persona esse [f] naturae vel essentiae quam natura vel essentia.

b. Item, persona est res naturae, essentia vero ipsa natura; respiciendo ergo ad proprietatem rationis intelligentiae, intellectus naturae est in obliquitate in ratione personae; ergo et intellectus essentiae. Convenientius ergo dicetur esse persona essentiae quam persona essentia.

Contra: 1. Augustinus, VII *De Trinitate* [2]: «Non dicuntur tres personae ex eadem essentia [g] ne putetur aliud essentia, aliud persona». Ergo non convenienter dicentur tres personae unius essentiae. — Probatio [h]: Nam, sicut dicit Priscianus [3], obliqui omnes transitivi sunt; omnis autem transitio notat diversitatem sive alietatem; si ergo dicantur tres personae unius essentiae [i], notabitur quod aliud est essentia, aliud persona; ergo non est dicendum tres personas unius [k] essentiae, sicut nec dicendum est tres personas esse «ex eadem essentia», secundum Augustinum.

2. Item, non convenienter dicitur tres personas esse unius Dei, sed tres personas esse unum Deum; ergo non convenienter dicetur tres personas esse unius essentiae, sed tres personas esse unam essentiam.

3. Item, potestne dici unus Deus trium personarum, sicut una essentia trium personarum? Si ergo non convenienter dicitur unus Deus trium personarum, sed tres personae in rectitudine, ergo non convenienter dicitur una essentia trium personarum, sed una essentia est tres personae; non dicitur ergo persona [l] de essentia in obliquitate, sed in rectitudine.

4. Item, sicut dicit Augustinus, VII *De Trinitate* [4]: «Cum quaesitum est de Patre, Filio et Spiritu Sancto: 'quid [m] tres?' dictum est: tres personae»; sed quaestio [n] 'quid' quaerit de eo quod est essentia, non de eo quod est essentiae in obliquitate; si ergo recte responsum est: 'persona [o] in rectitudine dicit essentiam, non in obliquitate', convenientius igitur in rectitudine dicitur persona essentia quam essentiae.

[Solutio]: Ad hoc fuerunt [5] qui dixerunt quod hoc [p] nomen 'persona' dicit essentiam in rectitudine et distinctionem in obliquitate: principaliter enim significat essentiam, sed secundario distinctionem tam in singulari quam in plurali. Et hoc est clarum sic. Cum dicitur 'Pater est persona', sensus est: id est 'unum ens per se', 'unum', id est una essentia, 'per se', id est distinctus [q] ab alia, ut hoc pronomen 'se' sit masculini generis et singularis numeri. Cum vero dicitur 'Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres personae', sensus est: id est sunt unum et per se, id est a [r] se invicem distincti, ut hoc pronomen 'se' sit [s] masculini generis et pluralis numeri. Confirmationem autem [t] suae opinionis trahunt ex etymologia nominis: dicitur enim persona quasi 'per se una', et hoc nomen 'una' designat unitatem essentiae, quod dico 'per se' distinctionem.

Sed quod [u] haec opinio sit falsa et propinqua errori, patet sic [6]: cum dicitur 'haec persona est Pater' [v], cum per hoc nomen 'persona' non supponatur nisi essentia, sicut ipsi dicunt, ergo [x] cum dicitur 'haec persona', demonstratur essentia, similiter cum dicitur 'haec persona est Filius', demonstratur eadem essentia; sequetur ergo quod

---

[a] P *primi*. [b] V om. *e. h.* [c] V add. *proprie*. [d] V *est*. [e] R *ut*. [f] PVS om. [g] G *scientia*. [h] G om. [i] B om. *u. e.* [k] P *maius*, V om. *notabitur... essentiae*. [l] V om. [m] BRGL *qui*. [n] RL *quo*, quod B corr.; PVS add. *per*. [o] BRL repet. [p] S *hic*. [q] PVS *indistinctus*. [r] BRGL *ad*. [s] G om. [t] P om. [u] S *quia*, G om. [v] G *persona*. [x] G om.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 34, a. un., q. 2 (I, 589 sqq.).
2 Cap. 6, n. 11 (PL 42, 945).
3 *Grammatica*, XV, c. 1.
4 Cap. 4, n. 7 (PL 42, 940).
5 Scilicet Gilb. Porret., *In Boeth. De Trinit.*, (PL 64, 1294 sqq.). Huius sententia affertur ap. Praeposit., *Summa*, I (f. 71d) et Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 3 (f. 10d): «Quidam magne auctoritatis dixerunt... Sed quod eorum solutio nulla sit patet» etc.
6 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.

persona, quae est Pater, est Filius, respiciendo ad suppositum personae quod est essentia, non ad connotatum quod est distinctio. Si vero dicant [a] quod cum dicitur ' haec persona ', ibi est demonstratio respectiva respectu distinctionis quae designatur per hoc quod dico ' per se ', quaeratur circa quid notetur distinctio, cum dicitur persona ' unum per se '. Si dicant quod circa illud quod est in rectitudine: sed illud [b] est essentia; ergo essentia est distincta: quod est falsum. Nec possunt aliud invenire. Item, si persona dicit [c] unum ens per se distinctum, ergo essentia non est persona, cum ipsa non [d] sit una ens per se, hoc est distincta.

Propterea dicendum quod respiciendo ad simplicitatem rei convenientius dicitur persona esse essentia quam persona [esse] essentiae; respiciendo vero ad rationem intelligentiae convenientius dicitur persona esse essentiae vel naturae quam persona esse essentia vel natura. Persona enim secundum rationem intelligentiae dicit rem naturae rationalis sive hypostàsim, et ideo dicit in divinis ' quis est ', sicut essentia vel natura dicunt ' quo est ': et ideo oblique erit intellectus naturae vel essentiae in [e] intellectu personae [1].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur de transitione quae est in obliquis, distinguendum [f] quod transitio duplex est: aliquando enim notat diversitatem rei, aliquando vero diversitatem rationis. Diversitatem rei notat in habitudine ablativi, maxime cum praepositione; unde cum dicitur tres personas esse « ex eadem essentia », cum ' ex ' [g] dicat habitudinem causae materialis ad effectum vel partium ad totum, quae quidem habitudo est diversorum secundum substantiam [h], si diceretur hoc, notaretur quod aliud esset essentia, aliud persona. Transitio vero secundum rationem notatur in habitudine genitivi: unde sufficit ad transitionem genitivi diversitas sola secundum rationem, quamvis sit identitas secundum rem; unde convenienter dicitur ' bonitas Dei ', quamvis idem sit bonitas quod Deus secundum rem [i], propter differentem [k] intelligentiae rationem. Similiter convenienter dicentur tres personae unius essentiae.

2. Ad secundum dicendum quod non est similis ratio dicendi, cum dicitur ' Deus ' [et] cum dicitur ' essentia '. Essentia enim dicit ' quo est ' sive deitas, Deus vero dicit ' quod est '; ' quod est ' autem supponit personam, quod [l] non ' quo est '; unde et ' Deus ' supponit personam, non essentia [m]. Intellectus autem [n] supponentis intelligitur in supposito in rectitudine, non in [o] obliquitate, ut in Sorte ' homo ', ita et in divina persona ' Deus '; ideo convenienter dicitur ' tres personae unus Deus ', non ' unius Dei '. Cum vero essentia non supponat personam — quod autem [p] non supponit, intelligitur in supposito in obliquitate, ut natura in re naturae — convenientius dicetur secundum rationem intelligentiae ' tres personas unius essentiae ' quam ' tres personas essentiam '.

3. Ad tertium dicendum simili modo quod hoc nomen ' essentia ' dicit divinam essentiam sicut formam; forma autem semper est alicuius et dicitur esse alicuius, et ideo convenienter dicitur [q] essentia trium personarum; hoc vero nomen ' Deus ' dicit divinam essentiam ut in habente illam vel habentem divinam essentiam, et ideo non dicit divinitatem ut est alicuius, sed ut est aliquid; et ideo non convenienter [r] dicitur ' Deus trium personarum ', sed ' Deus est tres personae '.

4. Ad ultimum dicendum quod illa interrogatio qua quaesitum est: ' quid [s] tres? ' sicut supra dictum est [2], erat quaestio [t] de nomine. Cum enim quaerebatur de Patre, Filio, Spiritu Sancto ' quid tres ', quaestio erat quod substantivum posset iungi huic nomini ' tres ', et responsum est: tres personae; unde quaestio illa non fuit quaestio de essentia. — Vel si dicatur quod erat quaestio de re, dicendum quod hoc nomen ' quid ' quaerit quandoque essentiam, quandoque vero partem subiectivam. Quando quaerit [u] essentiam, quaerit partem definitivam, ut differentiam vel genus vel speciem, ut [v] cum quaeritur ' quid est homo? ' et respondetur: animal rationale; cum vero quaerit partem subiectivam, quaerit quod est inferius, ut [x] cum quaeritur: ' quid est in mari? ' convenienter respondetur: piscis. Similiter in divinis ' quid ' quandoque potest quaerere essentiam, quandoque personam.

---

[a] S *dicatur,* [b] S om. *quod... illud.* [c] S om. [d] PVS om., L om. *sit.* [e] P om. [f] PVS add. *est.* [g] G om. [h] R *habitudinem.* [i] G *rationem.* [k] PVS *indifferentem.* [l] PVL om., SG om. *non.* [m] PVSL *essentiam.* [n] B *enim.* [o] P om. [p] BRGL *vero.* [q] BRG add. *esse.* [r] S *inconvententer.* [s] Codd. *qui,* item infra. [t] RG om., in B est add. interl. [u] G *quandoque* pro *q. q.* [v] BR *unde.* [x] S *et.*

[1] Cf. supra, p. 575b.

[2] Cf. supra, p. 569, *ad 6;* Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 11a).

MEMBRUM II.

De nomine 'subsistentia'.

Consequenter quaeritur de hoc nomine 'subsistentia'. Dicit autem Boethius, in libro *De duabus naturis et una persona Christi* [1], quod « non verborum inops Graecia est, sed essentiam, subsistentiam, substantiam, personam [a] totidem nominibus [reddit]: essentiam οὐσίαν, subsistentiam [b] οὐσίωσιν, substantiam ὑπόστασιν [c], personam πρόσωπον appellant. Ideo autem Graeci hypostases individuas substantias vocaverunt, quoniam ceteris subsunt [d] et quasi quibusdam accidentibus subiectae sunt ». Vult ergo dicere quod haec quatuor nomina: essentia, subsistentia, substantia, persona, habent quatuor aequipollentia in graeco: videlicet οὐσίαν, οὐσίωσιν, ὑπόστασιν [e], πρόσωπον. Circa hoc igitur quaeruntur haec:

Primo, an haec quatuor nomina sint ponenda in divinis;

secundo, qualiter distinguantur;

tertio, utrum nomen substantiae sit personale vel essentiale.

395 CAPUT I.

AN NOMINA USIA, USIOSIS, HYPOSTASIS, PROSOPON SINT PONENDA IN DIVINIS [2].

Quantum ad primum obicitur: *a.* Augustinus, VII *De Trinitate* [3]: « 'Subsistere vel substare' dicitur de rebus in quibus sunt ea quae sunt in subiecto [f] », ut accidentia. Si ergo in re simplici, quae est Deus, nihil est sicut in subiecto — quia, sicut dicit Boethius, in libro *De Trinitate* [4]: « Deus nulli est subiectum » — ergo in Deo [g] non dicitur 'subsistere vel substare'; sed ubi non est vel dicitur 'subsistere vel substare' [h], non potest dici subsistentia vel substantia; ergo in Deo non dicetur subsistentia vel substantia [i], id est usiosis vel hypostasis.

b. Item, ubi dicitur 'sub', notatur respectus ad aliquid quod est supra; cum ergo in divinis non sit 'supra' et 'sub', non poterit ibi dici subsistentia vel substantia. — Quod autem ita sit, dicit Hieronymus, in *Expositione fidei catholicae ad Alypium et Augustinum* [5]: « Non est prorsus aliquis in Trinitate gradus nihilque quod [k] inferius superiusque dici possit ».

c. Item, Exod. 20,26: *Non ascendes ad altare meum per gradus*, et exponitur [6]: '*altare*' fides Trinitatis, in qua Trinitate non sunt faciendi gradus; sed qui dicit 'sub' respectu alicuius 'supra', dicit gradum; ergo non est dicere 'sub' in Trinitate; ergo nec substantiam nec subsistentiam [l].

Contra: 1. Augustinus, XI *Confessionum* [7]: « Pater et Filius non differunt in substantia, sed causa et [m] gradu ». Differentia igitur est Patris et Filii secundum gradum; non ergo absurde dicitur gradus in divinis.

2. Item, Augustinus, *Contra Maximinum* [8]: Cum dicitur Filius a Patre genitus, « non ostenditur inaequalitas substantiae, sed ordo naturae »; sed ubi ordo unius ab alio, ibi videtur differentia gradus; erit igitur gradus in divinis.

3. Item, persona substat essentiae, quia est suppositum essentiae; unde Damascenus [9]: « Deitas naturam manifestat, Pater hypostasim »; sed hypostasis idem est quod suppositum; ergo in divinis est 'sub' et substantia et subsistentia.

4. Item, ubicumque dicitur [magis] commune respectu minus communis, dicitur inferius et superius; sed in divinis dicitur essentia sicut magis commune, divinitas sicut minus commune.

5. Item, quaeret aliquis: cum haec nomina non inveniantur ex Scriptura, qua auctoritate possunt poni ad significanda divina? Nam, sicut dicit Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [10]: « Universaliter non audendum [n] dicere vel intelligere quid de superessentiali et occulta divinitate praeter divinitus nobis ex sacris Eloquiis expressa ». Item, Hilarius, IV libro *De Trinitate* [11]: « Ipsi Deo de se credendum est, et iis, quae cognitioni nostrae de se tribuit [o], obsequendum; non potest aliter de eo quam ut ipse de se [p] testatus est intelligi ».

---

[a] P add. *et.* [b] S *substantiam.* [c] PVS om. *s. u.* [d] S *subsistit.* [e] S repet. *hypostasim* et om. *usiosim*, V om. *prosopon.* [f] B *substantia.* [g] P *Deum.* [h] B om. *sed... substare.* [i] S om. *ergo... substantia.* [k] G *ad*, B add. *ad*, quod R exp. [l] B om. *n. s.* [m] S *in.* [n] P *audiendum.* [o] S om. [p] PV om. *d. s.*, in S est add. mg.

[1] Cap. 3 (PL 64, 1344).

[2] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 23, a. 1, qq. 1 et 2 ac d. 25, dub. 4 (I, 404 sqq. et 446 sq).

[3] Cap. 5, n. 10 (PL 42, 942).

[4] Cap. 2 (PL 64, 1250).

[5] PL 39, 2181 et PL 45, 1716. Est potius *Libellus fidei Pelagii.*

[6] *Glossa interlin.*

[7] Cf. potius Pseudo-Augustin., *Quaest. ex utroq. mixtim*, q. 122 (PL 35, 2369), ad sensum.

[8] Lib. II, c. 14, n. 8 (PL 42, 775), ad sensum.

[9] *De fide orthod.*, III, c. 11 (PG 94, 1027).

[10] Cap. 1, § 1 (PG 3, 587, PL 122, 1113).

[11] Num. 14 (PL 10, 107).

6. Item, cum maior sit simplicitas incomparabiliter in divinis quam in creaturis, in creaturis autem non sint nisi duo genera nominum — nomen universalis et nomen particularis, quibus in divinis respondent [a] nomen essentiae, quae est communis, et nomen personae, quae est incommunicabilis — ergo solum in divinis nomina generalia debent esse nomen essentiae, nomen personae; superfluunt igitur nomen substantiae, nomen subsistentiae.

Respondeo: Dicendum quod sicut subsistere vel substare dicitur duobus modis, ita et subsistentia vel [b] substantia. Uno modo subsistere dicitur quod [c] stat in se et substantia dicitur secundum hoc quod est ens per se, non indigens alio ut sit, secundum quod dicit Hilarius, in libro *De Synodis* [1]: « Proprie essentia idcirco dicta est, quia semper est; idcirco etiam [d] substantia est, quia res, quae est, necesse est [e] subsistat in sese ». Alio modo subsistere dicitur a 'stando sub'; unde Augustinus, VII *De Trinitate* [2]: « Si subsistit Deus, ut proprie substantia [f] dici possit, inest in eo aliquid tamquam in subiecto et non est simplex; nefas autem est dicere ut subsistat Deus bonitati suae atque illa bonitas non sit essentia; manifestum est igitur Deum abusive substantiam nuncupari ». Patet igitur quod uno modo in divinis convenienter dicitur substantia et subsistentia, alio modo non.

[Ad obiecta]: *a.* Ad [g] illud tamen quod primo obicitur, notandum quod respicientes ad rationem substandi et subsistendi, minus proprie dicitur in Deo substantia quam subsistentia, quia, sicut dicit Boethius, in libro *De duabus naturis et una persona Christi* [3], differt subsistere et substare: « Ipsum autem subsistit quod accidentibus, ut possit esse, non indiget; substat autem quod accidentibus subiectum quoddam, ut esse valeant, subministrat: sub illis enim stat, dum subiectum est accidentibus. Itaque genera et species subsistunt tantum: neque enim accidentia generibus speciebusve contingunt; individua vero non tantummodo subsistunt [h], sed substant ». Ex hoc ergo relinquitur, cum substantia dicatur a [i] 'substare', subsistentia a 'subsistere', ratio [k] eius quod est 'subsistere' magis convenit [l] divinis, quia negat accidens et ponit esse per se.

b. Ad secundum dicendum quod in divinis non dicitur 'sub' respectu eius quod est [m] 'supra' secundum rem, sed solum secundum [n] intelligentiae rationem; noster [o] enim intellectus propter sui compositionem non potest intelligere vel eloqui illam simplicitatem quae est divinae essentiae. Tamen nota quod duobus modis in divinis secundum rationem intelligentiae dicitur 'sub': uno modo 'sub' dicitur respectu essentiae communis, alio modo 'sub' dicitur respectu proprietatis. Unde secundum rationem intelligentiae [p] substans vel subsistens essentiae dicitur vel substans vel subsistens proprietati. Secundum haec variatur intentio eius quod est substantia vel subsistentia, sicut iam patebit [4].

c. Ad illud vero quod obicitur de gradu: dicendum quod in Trinitate non est gradus, sed ordo naturae solum. Differunt autem ordo et gradus sicut unitas et punctus: punctus enim est unitas habens positionem, unitas vero non habens positionem; quia ergo positio et situs sunt solum in rebus materialibus [q], ideo et punctus solum in illis est; unitas vero, quae abstrahit a positione et situ, est in spiritualibus. Similiter dicendum de gradu et ordine, quoniam gradus dicit positionem et situm, et ideo non [r] debet poni in divinis [s]; ordo vero non, et ideo ordo ponitur in divinis, non gradus.

1. Ad illud vero quod obicitur ex auctoritate Augustini quod 'differunt gradu Pater et Filius', volunt quidam distinguere, quia aliqua dicuntur differre gradu dupliciter: uno modo, quando [t] utrumque participat differentem gradum, ut quando iste maior, ille minor, et hoc modo non est verum quod Pater differat a Filio gradu; alio modo dicuntur differre gradu [u], quando in altero tantum ponitur gradus, id est proprietas dignitatis, quae non in altero, et hoc modo dicit Hilarius, in libro *De Trinitate* [5]: « Pater est maior Filio generatione, non genere; non tamen Filius minor est, sed aequalis ». Et [v] hoc modo dicitur Pater a Filio differre gradu, sed [x] ille gradus non dicit excessum in Patre respectu Filii, sed solum auctoritatem. Tamen posset dici quod loquitur Augustinus de gradu quantum ad actum intelligendi, non quantum ad inaequalitatem existendi, quia Pater sub proprietate innascibilitatis prius intelligitur quam Filius, quia innascibilitas non ponit per intellectum generationem.

2. Ad auctoritatem Augustini, *Contra Maximinum*, iam [y] patet responsio.

3. Ad illud quod dicit quod 'persona substat essentiae, ergo ibi est supra et sub': dicendum quod non sequitur. Nam haec nomina [z] proprie dicuntur ubi unum est materiale, alterum formale. In divinis autem transumuntur et secundum rationem intelligendi Deum et secundum

---

[a] PVS *respondeat.* [b] R *et.* [c] PVS *quia.* [d] RG *et,* B om. [e] PVS om. [f] L *subsistentia.* [g] S om. [h] PVS *subsunt.* [i] S om. [k] Ita V, alii add. *autem.* [l] V *autem convenit in.* [m] R *dicitur.* [n] L om. [o] V *videtur.* [p] G om. *dicitur sub uno... intelligentiae.* [q] G *naturalibus.* [r] P om., V exp. [s] P add. *et.* [t] S *quia.* [u] BRG *gradus.* [v] PVS *sed.* [x] R *si.* [y] L om. [z] V *omnia.*

1 Num. 12 (PL 10, 490).
2 Cap. 5, n. 10 (PL 42, 942).
3 Cap. 3 (PL 64, 1344).
4 Cap. sequenti.
5 Lib. IX, nn. 54 et sqq. (PL 10, 325 sqq.), ad sensum.

modum nostri intellectus iuxta similitudinem creaturarum: quia aliter non potest capere illam summam simplicitatem, ponit ista nomina in divinis.

4. Ad illud vero quod obicitur quod 'in divinis est magis commune et minus' etc.: dicendum quod hoc est solum quantum ad modum significandi in creaturis. Nam in divinis non est unum magis commune altero: non enim est [a] differentia generalis et specialis nominis nisi sola voce, ut supra dictum est [b], Quaestione De persona [1].

5. Ad illud vero quod quaeritur 'cum haec nomina non [c] sint expressa in sacris Eloquiis, quomodo dicentur in divinis': respondeo quod quaedam nomina exprimuntur secundum vocem, quaedam secundum fidei rationem. Dicendum ergo quod, quamvis ista nomina non exprimantur voce, exprimuntur tamen in Scripturis fidei ratione. Praeterea, sunt assumpta propter haereticos ad explicandum fidei veritatem, sicut dicit Augustinus [2] de hoc nomine 'persona': « Cum quaesitum est: 'quid tres?' dictum est: tres personae, non ut illud diceretur, sed ne [d] taceretur ».

6. Ad ultimum dicendum quod [e] in creaturis inveniuntur ista quatuor nomina secundum differentiam universalis et particularis. Nam 'quo est' dicitur usia, 'quod est' dicitur usiosis: et haec duo sunt ex parte universalis, ut humanitas dicit 'quo est', homo 'quod est'. Ex parte particularis dicitur 'qui est', ut 'iste' pronominaliter substantia dicitur sive [f] hypostasis, et 'quis est', ut Sortes, nominaliter dicitur persona vel prosopon.

396

CAPUT II.

DE DISTINCTIONE HORUM NOMINUM.

Consequenter quaeritur de distinctione horum nominum.

1. Nam, cum in Deo non differat 'quod est' et 'quo est', non videbitur differre usiosis et usia.

2. Item, cum in Deo nihil sit in potentia quod non sit in actu, quia nihil imperfectum, nihil informe, differunt autem hypostasis et persona, quia hypostasis dicit rem distinguibilem, id est entem in potentia ad distinctionem, persona vero dicit rem actu distinctam; ergo [g] non differet hypostasis et prosopon; vana est igitur ista nominum multiplicatio in divinis.

3. Item, si dicatur, sicut dixit [h] Praepositinus [3], ignorans rationem istorum nominum, « quod hoc vocabulum 'substantia' [i] aequivocum est, sicut in aliis facultatibus didicimus, ad substantiam subiectam [k] et ad substantiam subiecti. Substantia subiecta est ipsum subiectum, ut Sortes; substantia subiecti est substantialis eius proprietas; et haec est triplex: generalis, specialis et individualis; generalis, ut proprietas qua Sortes est substantia; specialis, ut proprietas qua Sortes est homo; individualis, ut proprietas qua Sortes est Sortes, quae ficto nomine dicitur socratitas [4] [l]. Et ad haec quatuor designanda [m] graecus habet quatuor vocabula appropriata: οὐσία, οὐσίωσις, ὑπόστασις, πρόσωπον; οὐσία, quasi generalis substantia subiecti; οὐσίωσις, quasi specialis; πρόσωπον, quasi individualis; ὑπόστασις, quasi substantia subiecta ». — Contra: In divinis, sicut supra probatum est [5], non est forma, nec generalis nec specialis nec individualis; ergo vana est positio istorum, cum idem sit significatum nominis generalis et specialis.

4. Item, si dicatur, sicut dixerunt alii [n] [6] iuxta intentionem Boethii, quod « essentia sive usia est forma, in quantum facit simpliciter esse et propter hoc essentia vel [o] usia solam significat naturam nec unquam [p] transumitur ad significandum personas; subsistentia [q] sive usiosis est forma generalis vel specialis, in quantum facit esse quid, ut animalitas quae facit esse animal, humanitas quae facit esse hominem; subsistentia sive usiosis dicitur esse ipsum subiectum, prout sua substantialis forma est quid non indigens accidentibus ut sit; ideo hoc nomen 'subsistentia' quandoque per similitudinem translatum est ad significandum ipsas personas, ut dicatur 'Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres subsistentiae', id est tres qui vere sunt, non indigentes aliqua alia re ut sint. Substantia sive hypostasis dicitur individuum primi praedicamenti sive substantia prima, quae dicitur hypostasis, quae substat accidentibus eam individuantibus sive discernentibus. Hoc modo sumit Aristoteles hoc nomen 'substantia', in principio *Praedicamentorum,* ubi dicit [7]: Substantia est quae proprie et [r] principaliter et maxime dicitur. Ideo hoc nomen 'hypostasis' apud Graecos per similitudinem translatum est ad Patrem et Filium

[a] VGL om. [b] L om. [c] V om. [d] V *ut ne*, S *nec.* [e] PL *quoniam.* [f] G om. [g] L om. [h] P *dicitur.* [i] P om. [k] P om. [l] PV *socracitas.* [m] S *ad designandam.* [n] L *quidam.* [o] PVS *essentialis* pro *e. v.* [p] S *nunquam.* [q] G add. *vero.* [r] P *est.*

1 Cf. supra, p. 576b sq., *Solutio.*
2 *De Trinit.*, V, c. 9, n. 10 (PL 42, 918).
3 *Summa,* I (f. 72b).
4 Cf. Duhem, *Le système du monde*, V, 396 sq.
5 Cf. supra, num. 337.
6 Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 4, q. 1 (f. 9b), ubi sequentia verbotenus occurrunt.
7 *De categ.*, c. 3 (I, 2).

et Spiritum Sanctum, et hoc nomen 'substantia' apud nos, quia sicut individuum primi praedicamenti distinctum est suis accidentibus, ita Pater et Filius et Spiritus Sanctus distincti sunt suis notionibus; et ideo dixerunt Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres hypostases [a], id est tres res distinctas, et Latini dixerunt Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres [b] esse substantias in eadem prorsus significatione secundum [c] quam Graeci accipiunt hoc nomen 'hypostasis'; sed haec significatio non est usitata modo. Persona vero [d] sive prosopon proprie dictus est homo larvatus, qui repraesentabat certos homines, ut Chremetem [e], et Simonem; dicitur [f] enim prosopon a 'προ', quod est 'in', et 'σωπος', quod est 'facies' [1], quia in facie habebant larvam et ex hoc inolevit consuetudo dicere ut certi homines dicerentur personae. Et ex hac significatione translata sunt nomina per similitudinem ad Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quia sicut homines distincti sunt suis [g] propriis qualitatibus, ita Pater et Filius et Spiritus Sanctus suis notionibus. Secundum hanc [h] translativam significationem persona est idem quod hypostasis, id est res distincta rationalis ». — Sed contra hoc obicitur: nam cum hypostasis sit idem quod substantia, si convenienter diceretur 'tres hypostases', et convenienter diceretur 'tres substantiae'. Ad quod iterum videtur facere Hilarius, IV *De Trinitate* [2]: « Tres substantiae sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus ». Item, ad idem est auctoritas Anselmi, in *Monologion* [3]: « Substantia maxime dicitur de individuis, quae in pluralitate consistunt, individua autem maxime substant accidentibus ». Unde manifestum est summam essentiam non sumi pro substantia, et ideo dicimus tres personas sive substantias.

Sed contra: *a.* Augustinus, VII *De Trinitate* [4]: « Tam substantia quam essentia ad se [i] utrumque dicitur, non relative »; unde hoc est Deo esse quod subsistere, sicut una essentia catholice dicitur, non tres, ita una substantia dicetur, non tres [k] substantiae.

[Solutio]: Ad hoc dixerunt quidam quod [l] essentia significat ens nec ex se nec ex alio distinctum vel distinguibile; substantia ens ex [m] se nec distinctum nec distinguibile, sed ex alio distinguibile [n]; subsistentia vero sive hypostasis ens ex se distinguibile, sed non distinctum; persona vero significat ens ex [o] se distinguibile et distinctum. Unde secundum hoc hypostasis et subsistentia differt a persona aliter quam prius dictum sit, quia hypostasis sive subsistentia dicitur ut est potens subsistere proprietati, persona ut est actu [p] substans: qualiter in creaturis differunt dealbabile et dealbatum; tamen ibi est differentia secundum rem, hic autem solum secundum rationem intelligentiae. Hinc est quod nomen essentiae non numeratur nec recipit notionalem distinctionem ut dicatur generans vel genita vel plures essentiae; nomen vero substantiae non numeratur, sed tamen ex [q] adiuncta determinatione supponit personam, ut dicatur 'Deus generans vel genitus', sed nunquam 'tres Dii', sed 'unus Deus'; nomen vero hypostasis numeratur et recipit personalem determinationem: unde dicuntur 'tres hypostases' et 'tres personae' et 'hypostasis generans' et 'hypostasis genita'; similiter et persona. Tamen isti [r] unde probant non dicunt nisi ex usu Ecclesiae [5].

Propterea dicendum quod diversitas istorum nominum in divinis contingit ex diversa intelligentiae ratione. Cum enim consideramus Deum, aut cogitamus divinam essentiam ut formam aut consideramus ut habentem illam. Primo modo dicimus usiam; secundo modo [s] distinguitur: quia aut habens illam cogitatur secundum indifferentiam per modum communis sive universalis, et hoc modo dicimus usiosim; aut secundum distinctionem et [t] per modum singularis vel incommunicabilis. Quod est duobus modis: aut cogitamus distinctum, sed non cum determinata proprietate, et hoc modo dicimus hypostasim; aut cum determinata proprietate [u] et in rationali natura, et hoc modo [v] dicimus personam. Primo modo significamus 'quo est', ut 'deitas'; secundo modo significamus 'quod est', ut 'Deus'; tertio modo 'qui est', ut 'iste' [x], demonstrato Patre; quarto 'quis est', ut 'Pater' secundum quod accipitur substantive.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod licet in Deo idem sit 'quod est' et 'quo est', natura et res naturae [6], aliquid tamen potest attribui uni quod non alteri: generare enim non conveniet essentiae, licet conveniat ei quod est. 'Quod est' enim significat essentiam personaliter, essentia vero essentialiter; ideo 'quod est' et 'quo est', licet non [y] differant in Deo secundum rem, tamen differunt secundum rationem intelligentiae.

---

[a] P add. *distinctas.* [b] B om. *hypostases id est... tres.* [c] BRGL om. [d] R om. [e] VBR *Clementem.* [f] PR *dicunt*, SBG *dicuntur.* [g] G om. [h] L om. [i] PV om. [k] S om. *ita... tres.* [l] P add. *est.* [m] V *existens per* pro *e. e.* [n] PV om. *s. e. a. d.*, in S est add. mg. [o] S *per.* [p] L *actum.* [q] S om. [r] B *istud*; G *unum* pro *unde.* [s] BRGL om. [t] V om. [u] B om. *et hoc... proprietate.* [v] V *huiusmodi* pro *h. m.* [x] V *ipse.* [y] V *in.*

[1] Cf. supra, p. 566, nota 3.
[2] Num. 13 (PL 10, 106).
[3] Cap. 78 (PL 158, 222).
[4] Cap. 5, n. 10 (PL 42, 942 sq.).
[5] Cf. Boeth., *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1345); Alan., *Theol. reg.*, reg. 34 (PL 210, 637).
[6] Cf. Alan., loc. cit., reg. 32 (PL 210, 636).

2-3. Ad secundum quod obicitur de hoc nomine 'hypostasis' quod superfluit: dicendum quod in divinis licet non differant 'esse' et 'posse' secundum rem, differunt tamen secundum rationem intelligentiae; nomina autem non dantur solum secundum differentiam rei, sed secundum differentiam intelligentiae: sicut forma, quae non potest esse sine subiecto [1], habet tamen nomen significans illam sine subiecto [2] et potest de ea dari definitio sine subiecto, licet non possit esse sine subiecto; unde non superfluit nomen 'hypostasis'.

4. Ad ultimum notandum quod substantia dicitur dupliciter: uno modo a proprietate substandi, alio modo quod est ens per se, non indigens alio ut sit. Item, a proprietate substandi dicitur dupliciter: vel eo quod substet essentiae, ut homo est substantia quae substat humanitati, quae est essentia qua homo est homo, vel eo quod substet essentiae et accidenti, ut [a] 'iste homo dicitur substantia' quia substat essentiae sive humanitati et etiam quia substat accidentibus quae non est in alio reperire. Substantia ergo communis dicitur substantia, eo quod substat essentiae; substantia prima, eo quod substat accidentibus. Dicendum ergo quod secundum quod nos modo [b] utimur nomine substantiae, non debet dici 'tres substantiae': accipitur enim nunc pro usiosi, pro re scilicet quae est ens per se, non indigens alio ut [c] sit [3], et sic solum debet dici una substantia. Sed secundum alium modum quo antiquitus accipiebatur, posset, sed propter haereticos, qui, si dicerentur tres substantiae, possent credere quod diceremus tres essentias, non dicitur. Sicut in Osee 2,16 dicitur: *Non vocabis me ultra Baali, sed vocabis me vir meus*, quamvis [d] idem dicat *Baali* quod *vir meus*, sed quia idololatrae utebantur [e] nomine Baalim, noluit sic nominari. Similiter haeretici, cum dicebamus tres substantias, credebant nos dicere tres essentias: utebantur enim [f] nomine substantiae pro essentia; ideo non dicimus tres substantias [g], quamvis sane posset dici, sed propter haereticos translatum est nomen substantiae [h] ad nomen hypostasis. Et ad hoc est auctoritas Augustini, VII *De Trinitate* [4], dicentis: « Humana inopia loquendi timuit [i] dicere 'tres essentias' ne intelligeretur in illa summa aequalitate ulla diversitas. Rursum, non esse tria quaedam non poterat dicere: pie enim credendum est Patrem [esse] et Filium et Spiritum Sanctum, neque [Filium] eumdem esse qui Pater est, neque Spiritum Sanctum [k] eumdem Patrem esse vel Filium. Quaesivit [l 5] quid 'tria' diceret, et dixit [m] 'substantias sive personas', quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit, ut non solum ibi unitas intelligatur ex eo quod dicitur una [n] essentia, sed Trinitas, eo quod dicuntur tres substantiae vel personae. Nam si hoc est Deo [o] esse quod subsistere, ita non erunt dicendae tres substantiae, ut non [p] dicuntur tres essentiae ».

397

CAPUT III.

UTRUM NOMEN 'SUBSISTENTIA' SIT ESSENTIALE VEL PERSONALE.

Ultimo quaeritur utrum nomen 'subsistentiae' sit essentiale vel personale [6].

Ad quod sic: *a.* Richardus, *De Trinitate* [7]: « Subsistentia [q] est incommunicabilis existentia »: tot enim sunt incommunicabiles existentiae quot proprietates; tot autem sunt proprietates quot personae; ergo tot sunt subsistentiae quot personae [r]; sed tres sunt personae; ergo tres subsistentiae; ergo subsistentia est personale et non dicit essentiam; nullo enim [s] modo sunt tres essentiae.

b. Item, Hieronymus, in *Expositione fidei catholicae ad Alypium et Augustinum* [8]: « Tres personas, vel, ut [t] Graeci exprimunt, hypostases, id est subsistentias [u], confitemur ». Ergo subsistentia idem est quod hypostasis; ergo est personale.

Contra: 1. Boethius, in libro *De duabus naturis et una persona Christi* [9]: « Deus usia est [v] et essentia. Ipse enim maxime est a quo omnium [x] esse proficiscitur; est etiam usiosis, id est [y] subsistentia: subsistit enim nullo indigens. Unde etiam [z] dicimus unam esse usiam vel usiosim, id est essentiam vel subsistentiam deitatis, sed tres hypostases, id est tres substantias ».

---

[a] P add. *et*. [b] R om. [c] S om.; B om. *sic*. [d] PV add. *non*, quod S exp. [e] BR add. *hoc*. [f] V om. [g] V *essentias*. [h] P *simile*, quod V corr. [i] L *innuit*. [k] V om. *neque [Filium]... Sanctum*. [l] Codd. *quesierunt*. [m] Codd. *dixerunt*. [n] PVS add. *beata*; P *in* pro *ex*. [o] P *Deum*. [p] P *ideo*. [q] B *substantia*. [r] V *substantie quot persone vel subsistentie* pro *s. q. p.* [s] G om. [t] V *prout* et om. *T. p. v.* [u] PVS *substantias*. [v] BR om. [x] P add. *non*. [y] V add. *quod*. [z] L om.

1 Cf. Nicol. Ambian., *De artic. cath. fidei*, n. 4 (PL 210, 599).
2 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).
3 Cf. Boeth., *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1344).
4 Cap. 4, n. 9 (PL 42, 941 sq.).
5 Nempe Sabellius.
6 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 1 (I, 411 sqq.).
7 Lib. IV, cc. 22 et 23 (PL 196, 945).
8 Est *Libellus fidei Pelagii* (PL 45, 1717); cf. supra, p. 582, nota 5.
9 Cap. 3 (PL 64, 1345).

Relinquitur igitur quod subsistentia est essentiale et quod [a] inconvenienter dicitur 'tres subsistentiae' in divinis.

2. Item, sicut ibi [b] dicit Boethius[1]: « Illud subsistit quod accidentibus, ut possit esse, non indiget ». Unde subsistentia dicitur quod non indiget accidentibus ut sit; si ergo hoc dicitur de Deo secundum essentiam, ergo erit una subsistentia, non tres.

3. Item, cum substantia, secundum Boethium[2], sit idem quod hypostasis et tamen graece conceduntur tres hypostases, subsistentia vero idem [c] quod usiosis, graece [d] autem non concederetur 'tres usioses', sed una tantum, inconvenientius ergo latine dicuntur tres subsistentiae in divinis quam tres substantiae.

Respondeo 1-2. secundum Boethium, in libro *De duabus naturis* [e][3], quod quemadmodum intentio substantiae duobus modis exponitur: per negationem; unde Boethius[4]: « Substantia dicitur, quoniam in nullo subiecto est », hoc est quod est [f] per se, ad differentiam accidentis cuius esse est inesse, hoc est esse [g] in subiecto; alia est per affirmationem; unde Boethius: « Substantia est, quoniam subest ceteris », id est accidentibus — primo modo intentio substantiae convenit rei generibus et speciebus, quae dicuntur in logicis substantiae secundae; secundo modo convenit singularibus individuis, quae dicuntur substantiae primae — ita in divinis intentio substantiae duobus modis dicebatur: uno modo essentialiter pro essentia communi, et secundum hoc intentio substantiae eadem est quae [h] usiosis; alio modo personaliter pro re subsistente proprietati, et hoc modo idem est substantia quod hypostasis; tamen propter haereticos non utimur hac significatione substantiae in divinis, sicut dictum est[5]; remanet ergo apud Latinos intentio substantiae, secundum quod dicit usiosim, non [i] hypostasim, et ideo una substantia, non tres. — Simili modo dicendum quod intentio subsistentiae dicitur duobus modis: uno modo subsistentia dicitur, sicut dicit Boethius[6], quoniam « non indiget accidentibus ut sit », et hoc modo subsistentia dicitur essentialiter et una subsistentia, sicut una usiosis; alio modo subsistentia dicitur ab actu subsistendi, et hoc modo subsistentia dicitur idem quod [k] hypostasis. Unde Boethius: « Intellectus universalium rerum ex particularibus [l] sumptus est; quocirca cum ipsae substantiae in [m] universalibus quidem sint [n], in particularibus vero [o] capiant subsistentiam, iure subsistentias particulariter substantes [hypostases] appellaverunt ». Secundum hoc dicuntur tres subsistentiae, id est tres hypostases: nihil enim aliud dicit [p] hypostasis quam res substans proprietati. Alio ergo modo nunc [q] utimur illis quatuor nominibus quam tempore Boethii: in duobus enim est mutatio, quia modo idem dicitur substantia et [r] usiosis, et subsistentia et [s] hypostasis; sed sicut prius idem modo dicuntur essentia et usia, similiter persona et prosopon.

3. Ad ultimum dicendum quod substantia, quia nomen est primi praedicamenti, habet oppositionem immediatam cum relatione; subsistentia vero non ita immediate opponitur: non enim opponitur nisi quia substantia est, et ideo plus accedit ad relativam praedicationem; et ita [t] in divinis non dicitur una subsistentia sicut una substantia, quia plus accedit ad relativam praedicationem 'subsistentia', et propter hoc in divinis non dicitur una subsistentia, sicut una substantia.

MEMBRUM III.

De nomine 'hypostasis'.

Consequenter quaeritur de hoc nomine 'hypostasis'. A manifestioribus ad minus nota [u] debet esse inquisitionis ordo; magis autem nobis manifestum est nomen [v] personae quam subsistentiae [x], et subsistentiae, quod est latinum, quam hypostasis, quod est graecum. Quaeritur igitur hoc modo:

Primo, an in divinis debeat dici nomen [y] 'hypostasis';

secundo, quid dicatur 'hypostasis';

tertio, an univoce dicatur;

quarto, quomodo comparetur ad essentiam quantum ad significationem;

quinto, qualiter quantum [z] ad suppositionem;

sexto, quantum ad simplicitatem;

septimo, quaeritur de comparatione 'hypostasis' ad proprietatem.

---

[a] S om. [b] G om. [c] V add. *est*. [d] S *greci*. [e] L add. *et una natura Christi*. [f] B om. *q. e*. [g] R om. [h] L *quod*. [i] S exp. [k] G *quam*, V om. *idem*. [l] G *partibus*. [m] P om. [n] G *sicut*. [o] G *non*. [p] BR *dicitur*. [q] S *non*. [r] PVS *est*. [s] V *substantia est* pro *s. e*. [t] R *ideo*. [u] L *tota*. [v] G *nam*. [x] S *substantie*, PVSG om. *et subsistentiae*, quod in BR est add. mg. [y] L om., V om. *an*. [z] V om.

1 *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1344).
2 Loc. cit.
3 Loc. cit.
4 Loc. cit. ubi et sequens, ad sensum.
5 Cf. p. 586b.
6 Loc. cit., ubi et sequens.

398

CAPUT I.

AN IN DIVINIS DEBEAT DICI NOMEN 'HYPOSTASIS'.

Ad primum sic: 1. Hieronymus, *Ad Damasum Papam* [1]: « Ab Arianorum praesule hypostaseon novellum nomen a me, homine Romano, exigitur. Taceamus tres hypostases, si placet: hoc enim nomen non bonae [a] suspicionis est, cum in eodem verbo sensus dissentiunt; aut si rectum putatis tres hypostases cum interpretationibus suis debere nos dicere, non negamus; sed mihi [b] credite, venenum sub melle latet ». Ergo, cum nomina ambigua et suspecta non debeant dici in divinis [2], hoc nomen 'hypostasis' non debet ibi dici.

2. Item, Damascenus, III libro [c] [3]: « Hypostasim determinant substantiam cum accidentibus »; hypostasis ergo est substantia cum accidente; sed « in Deo nullum est accidens », sicut dicit Augustinus [4]; ergo in Deo non est hypostasis. — Si dicatur quod in Deo nullum est accidens, est [d] tamen ibi aliquid [e] per modum accidentis – contra: omne accidens adveniens est; ergo si nihil est adveniens in Deo, nec ratio advenientis [f], ergo nec ratio accidentis; ergo non dicitur aliquid per modum accidentis.

Contra: *a.* Boethius [5]: « Hypostasis est res subsistens »: sicut enim essentia est qua res est, ita hypostasis est qua res subsistit; sed subsistere est in Deo; ergo hypostasis est in Deo [g].

Respondeo, 1. secundum quod dicit Magister, in *Sententiis*, 26 dist. I libri [6], Hieronymus « non negat esse utendum nomine hypostasis, sed haereticos eo [h] prave usos ostendit, contra [i] quos cautela opus erat in distinctione significationis; alioquin sibi contradiceret [k] », quia ipse Hieronymus dicit [7]: « Clamamus: si quis tres hypostases, id est tres subsistentes personas non confitetur [l], anathema sit; si autem [m] hypostasim usiam intelligens non in tribus personis unam hypostasim indicit, alienus est a Christo » etc.

2. Ad aliud Damasceni dicendum quod loquitur de hypostasi proprie secundum quod est in creaturis et illa dicitur proprie cum accidentibus propriis; et hoc modo non est in divinis, immo hypostasis, prout est in divinis, est res subsistens cum proprietate, quae nullo modo dicitur accidens, quia non est adveniens, sed aeterna et [n] immutabilis.

399

CAPUT II.

QUID DICATUR 'HYPOSTASIS'.

Consequenter quaeritur quid sit [o] 'hypostasis' secundum quod accipitur in divinis.

a. Ponitur autem haec ratio: Hypostasis est substantia [p] cum proprietate. Quaeritur ergo: hoc nomen 'substantia' aut dicit ibi [q] essentiam sive [r] 'quo est' aut 'quod est' aut dicit idem quod 'hypostasis'. Si autem dicit 'quo est' vel 'quod est', ut scilicet addita proprietate faciat hypostasim, obicitur sic: una est substantia Patris et Filii et Spiritus Sancti; adveniat ergo per intelligentiam paternitas substantiae, ergo inest paternitas substantiae [s] ut fiat hypostasis Patris; similiter filiatio addatur ad hoc ut [t] fiat hypostasis Filii; ergo eadem substantia est sub oppositis [u] relationibus: quod est impossibile intelligere. Si autem [v] sumitur ibi substantia pro hypostasi, ergo idem notificatur per se ipsum, et sic erit abire in infinitum.

Contra: 1. Damascenus [8]: « Substantia est quod commune est, hypostasis vero individuum ». Ergo substantia, secundum quod ponitur in ratione hypostasis, dicit substantiam communem [x] quae dicit 'quo est' vel 'quod est'.

Solutio: Dicendum quod haec propositio 'hypostasis est substantia cum proprietate' valet tantum quantum haec 'hypostasis est res subsistens cum [y] proprietate'. Unde substantia accipitur ibi pro re naturae; unde hypostasis hic

---

[a] S *bene.* [b] V add. *nunc.* [c] V om. [d] G om. [e] G om. [f] P *adveniens.* [g] V om. *ergo... Deo.* [h] S *eos.* [i] L om. [k] G *contradicent.* [l] G om. [m] L *enim.* [n] G *eo.* [o] L om. [p] L *autem ratio* pro *e. s.* [q] L om. [r] L *sicut.* [s] V om. *e. i. p. s.* [t] L om. [u] G *oppositionibus.* [v] L om. *s. a.* [x] PV *quem.* [y] RG *a,* quod B corr. in mg.

1 *Epist.* 15, nn. 3 et 4 (PL 22, 356 sq.); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 26, c. 1 (p. 164).
2 Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 34 (PL 210, 637).
3 *De fide orthod.*, III, c. 6 (PG 94, 1002).
4 *De Trinit.*, V, c. 4 (PL 42, 913 sq.).
5 Cf. *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1344).
6 Cap. 1 (p. 164). 7 *Epist.* 15, n. 3 (PL 22, 356).
8 *De fide orthod.*, III, c. 4 (PG 94, 998).

dicitur res naturae subsistens, unde hypostasis [a], sub proprietate. Non dico 'substans', quia substare proprie non dicitur in divinis, quia, sicut vult Augustinus[1], non est proprie substare nisi ubi est subiectum et accidens; sed 'subsistere' proprie est respectu proprietatis. Haec autem res naturae non determinat ipsum 'quo est' vel [b] ipsum 'quod est'; unde substantia non accipitur ibi secundum quod dicit 'quod est' vel 'quo est', immo accipitur ibi substantia [c] secundum quod dicit 'qui est', secundum quod accipitur in ratione personae cum dicitur[2]: « Persona est substantia individua rationalis naturae ». Haec autem substantia dicitur res naturae et per ipsam bene notificatur hypostasis, quoniam [d] in intellectu hypostasis non solum debet cadere quid respectivum, immo etiam quid absolutum, aliter [e] non haberet intellectus super quod quiesceret intelligendo hypostasim: ideo oportet ibi [f] ponere quid absolutum et hoc est res naturae. Haec autem res naturae dicitur hic substantia, hypostasis autem dicit illam [g] rem naturae cum proprietate et ita cum respectu. — Et si quaeritur: aut [h] res illa est substantia aut hypostasis – dicendum quod in re haec omnia sunt unum, tamen quantum ad notificationem non [i] est bona quaestio, quia licet idem sint in re, tamen alio et alio modo dicitur per ista. Et sic potest notificari hypostasis per illam rem naturae tamquam per illud quod est in suo intellectu.

CAPUT III. 400

AN UNIVOCE DICATUR 'HYPOSTASIS'.

Consequenter quaeritur, cum dicitur 'Pater est hypostasis et Filius hypostasis', utrum dicatur hypostasis univoce.

1. Nam, cum nihil sit commune Patri et Filio nisi essentia, cum autem dicitur 'Pater est hypostasis, Filius est hypostasis', non significatur commune quod est essentia, relinquitur [k] quod non praedicatur commune in ratione eiusdem substantiae; ergo aequivoce.

2. Item, si dicatur, sicut supra dictum est in [l] Quaestione De persona[3], quod cum dicitur 'Pater est hypostasis et Filius est [m] hypostasis', quod praedicatur commune respectu vel habitudine, quia per hoc significatur quod sunt supposita essentiae Pater et Filius – contra: nullus est medius respectus [n] Patris vel Filii ad essentiam, quia Pater [o] se ipso est essentia, similiter Filius[4]; ergo aequivoce dicetur.

Contra: *a.* Augustinus, VII *De Trinitate*[5]: « Ideo Pater est persona, Filius est persona, quia commune est illis id [p] quod est persona ». Ergo persona univoce dicitur. Si ergo eodem modo dicitur hypostasis et persona, hypostasis [q] univoce dicetur, cum non sit ibi communitas secundum nomen tantum, sed etiam secundum rem.

Respondeo: Sicut supra dictum est[6], in Deo est duplex communitas, scilicet essentialis et habitudinalis: prima est ex relatione suppositorum ad essentiam, secunda [r] ad hypostasim sive ad personam. Dicendum ergo quod hypostasis non dicitur univoce de personis, scilicet univocatione quae dicitur communitas essentiae; dicitur tamen univoce univocatione quae dicitur communitas [s] habitudinis. Unde, proprie loquendo, non dicitur nec aequivoce nec univoce; dicitur tamen quodam modo univoce, scilicet [t] secundum quod univocatio dicitur uniformis communitas habitudinis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod quaeritur an hypostasis dicatur univoce vel aequivoce: dicendum quod non est sufficiens divisio. Cum enim dicitur 'substantia est [u] ens' vel 'quantitas est ens' vel 'substantia est universale' vel 'Petrus individuum vel Paulus', in nulla istarum est praedicatio univoca, quia nec praedicatur unum natura, et ita non univocum [v], nec diversa natura praedicantur [x], et ita nec aequivocum [y], sed id ipsum est in supposito et apposito [q] aliter designatum: utrobique enim designatur 'quis'; sed cum dicitur 'Pater', designatur in respectu ad Filium [z]; cum autem dicitur 'hypostasis', designatur in respectu ad proprietatem vel essentiam: sunt enim tres hypostases trium proprietatum et tres hypostases unius essentiae.

2. Ad secundum quod quaeritur de respectu qui est in hoc nomine 'hypostasis': respondeo

---

[a] G om. *s. u. h.* [b] G *ut.* [c] R om. [d] R add. *cum.* [e] V *unde*, L om. *etiam.* [f] G om. [g] G add. *esse.* [h] R *utrum.* [i] PV om. [k] L add. *ergo*, G om. *est.* [l] BRGL om. [m] Ita V, alii om. [n] RG *respectu.* [o] S add. *de.* [p] S (mg.) *illud*, PV om. [q] B om.; PV *est pro et.* [r] L add. *est.* [s] G om. *essentiae... communitas.* [t] BRG *sed*, V om. *d. t. q. m. u.* [u] V om., P om. *ens.* [v] G om. *quia... univocum.* [x] V *significantur*; L *equivoce* pro *aequivocum.* [y] RG *opposito*, quod B corr. [z] RG *alium*, quod B corr.

1 *De Trinit.*, VII, c. 5, n. 10 (PL 42, 942).
2 Boeth., *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1343).
3 Cf. supra, num. 389.
4 Cf. supra, p. 569a, *ad 6.*
5 Cap. 4, n. 8 (PL 42, 941 sq.).
6 Cf. supra, p. 569a, *ad 5.*

quod licet ex [a] parte rei non sit medius respectus inter Patrem et divinam essentiam, immo se ipso Pater [b] est divina essentia, tamen cum ista comprehenduntur [c] in intellectu humano, comprehenditur Pater sub quodam respectu ad essentiam et essentia sub quodam respectu ad Patrem, cum dicitur 'Pater est hypostasis essentiae' et cum dicitur 'essentia commune est Patri et Filio et Spiritui Sancto'.

401

CAPUT IV.

QUOMODO COMPARETUR 'HYPOSTASIS' AD ESSENTIAM QUANTUM AD SIGNIFICATIONEM.

Consequenter quaeritur de comparatione hypostasis ad essentiam quantum ad significationem utrum significet essentiam aliquo addito.

Ad quod sic: 1. Damascenus[1]: « Hypostasis est substantia cum caracteristicis idiomatibus ». Ergo hoc [d] nomine suo addit super intentionem substantiae vel essentiae.

2. Item, Damascenus dicit quod in divinis « commune est substantia, particulare vero hypostasis »; sed particulare super commune addit aliquid. — Item, Boethius[2]: « Substantiae, cum substant in particularibus, hypostases dicuntur ».

3. Item, sicut in intellectu 'personae' est intellectus 'hypostasis', tamen aliquo addito, sic ponitur in intellectu 'hypostasis' intellectus 'essentiae', sed non praecise, quia si praecise, tunc idem utrique conveniret; ergo aliquo addito; ergo 'hypostasis' addit ad essentiam.

Contra: *a.* In divinis sicut essentia una [e] est in tribus personis, ita et substantia una, non multiplicata: unde addas proprietates, ipsae proprietates non multiplicant substantiam [f]; si ergo hypostasis dicit distinguibile et etiam distinctum, quia tres sunt hypostases, ergo neutrum illorum est alterum cum additione, quia si [g] sic poneret unum alterum in rectitudine, tunc [h] substantia, adveniente proprietate, multiplicaretur et ipsa multiplicata [i] [multiplicata] esset hypostasis — sicut patet de 'homine', qui [k] addit ultra [l] 'animal'[3] et ponit illud in rectitudine: unde multiplicato homine multiplicatur animal — quod cum sit inconveniens, ergo 'hypostasis' non est substantia cum additione, prout substantia idem dicit quod essentia, licet dicamus tres hypostases esse unius substantiae vel essentiae.

b. Item, Boethius[4]: « Persona est substantia individua rationalis naturae »; et hoc male diceretur [m], si hypostasis idem esset quod natura vel si esset natura aliquo addito: tunc enim natura deberet poni in definitione personae in rectitudine.

c. Praeterea, non est ita in creatura, quia 'hypostasis' in creatura non dicit idem quod essentia aliquo addito. Ut 'iste est homo': 'iste' dicit hypostasim, 'homo' essentiam; si quis autem resolvat significatum per hoc nomen 'iste', resolvet in materiam [n] et formam, ut in animam et corpus, significatum 'hominis' in genus et differentiam [o], dicendo 'homo est animal rationale' [p] etc. Cum ergo alia sint principia huius et illius, manifestum est quod 'hypostasis' non dicit essentiam aliquo addito.

d. Praeterea, hypostasis in natura est particulare, essentia autem commune; istud [q] autem additum aut est particulare aut [r] commune. Si commune: sed [s] commune communi additum facit commune et non omnino particulare, et sic hypostasis non esset particulare. Si vero illud additum sit particulare, cum particulare dicat hypostasim: aut eamdem hypostasim aut non; si eiusdem essentiae, ergo erit idem in ratione sui; si alterum, erit in infinitum abire. Eodem modo in divinis, cum essentia simplex sit et hypostasis.

Solutio: Cum quaeritur an 'hypostasis' addat aliquid ad substantiam, aut sumitur substantia pro re subsistente [t], et sic addit ei hoc quod dico 'incommunicabile'; aut accipitur substantia pro essentia, et sic oblique venit in ratione hypostasis sicut essentia, quia hypostasis est res incommunicabilis subsistens divinae essentiae sive ipsius divinae essentiae [u]; ideo cadit ibi in obliquo, quia [v] si caderet ibi in recto, ad multiplicationem hypostasis sequeretur multiplicatio essentiae vel substantiae; et ita non addit aliquid in rectitudine, addit tamen in hoc quod substantia vel essentia cadit oblique in eius definitione [5].

---

[a] V *in.* [b] G *Petri.* [c] P *apprehenduntur.* [d] BRGL om. [e] V om. [f] V exp. [g] G om. [h] G om. [i] G *in ipsa* pro *e. i. m.* [k] S *quia.* [l] BRG *supra.* [m] S add. *quod.* [n] B *naturam.* [o] L add. *in.* [p] L om. [q] PVS *quod,* L om. *autem.* [r] R add. *est.* [s] B om. [t] V *existente,* G *subsistentie.* [u] V om. *s. i. d. e.* [v] V *sed.*

[1] *De fide orthod.*, III, c. 6 (PG 94, 1002), ubi et sequens.
[2] *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1344).
[3] Cf. Aristot., *Topic.*, VI, c. 6 (I, 242).
[4] Loc. cit., c. 3 (PL 64, 1343).
[5] Cf. supra, num. 393 sq.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad duo obiecta patet solutio per praedicta [a] superius, in [b] Quaestione De persona [1].

3. Ad ultimum dicendum quod 'hypostasis' non supponit essentiam aliquo addito, sed oblique cadit essentia in ratione hypostaseos, sicut dictum est [2] et sicut patet ex definitione quam ponit Boethius [3], et hoc idem vocatur ibi natura quod essentia. Nec est simile de persona respectu hypostaseos et hypostasi [c] respectu essentiae. Quod ex eorum definitionibus patet: persona enim [d] est hypostasis distincta proprietate; hypostasis vero est res substans vel subsistens proprietati [4].

CAPUT V. 402

QUOMODO COMPARETUR 'HYPOSTASIS' AD ESSENTIAM QUANTUM AD SUPPOSITIONEM.

Consequenter quaeritur de comparatione hypostasis ad essentiam quantum ad suppositionem. Quamvis istud posset solvi ex Quaestione superiori De suppositione personae [5], tamen ad maiorem intelligentiam repetendo aliqua praedicta, addimus [e] alia. Quaeritur igitur, cum supposita persona supponatur hypostasis, an supposita hypostasi supponatur essentia.

Ad quod sic: 1. In rebus creatis [f] ita est quod cum unum attribuitur alteri et non secundum accidens, supposito [g] uno supponitur reliquum; sed non dicitur secundum accidens 'persona divina est essentia', per illam regulam Boethii [6]: « In simplici non [h] differt 'quod est' et 'quo est' » sive 'qui est' et 'quod est'. Cum ergo hypostasis dicat 'qui est', essentia 'quo est', non differt hypostasis ab essentia; ergo supposita persona supponitur Deus sive essentia.

2. Praeterea, in quibus est omnimoda indifferentia [i] secundum substantiam, supposito uno supponitur alterum; sed omnimoda indifferentia est hypostasis et essentiae; ergo primum.

Contra: *a.* Hypostasis distinguitur, essentia non; ergo supposito uno non supponitur alterum.

b. Item, haec dicuntur de creaturis [k] et Creatore, ut dicit Augustinus, VII *De Trinitate* [7], qui dicit haec esse nomina generalia; sed in creaturis sic est quod supposita hypostasi non supponitur essentia: est enim de persona hominis dicere quod est animal rationale, de essentia autem [l] non, et de hypostasi hominis quod est individuum, de essentia quod est universale; sic ergo erit in divinis [m]: hypostasis gignit vel gignitur vel procedit, essentia non; ergo supposita hypostasi non supponitur essentia.

[Solutio]: 1-2. Ad hoc dicendum quod supposita hypostasi [n] non supponitur essentia, licet quidam antiquorum ita dicerent. Haec enim fuit haeresis reprobata [o] in Concilio Lateranensi propter Ioachim [8]: concessit enim quod essentia generatur. Ratio autem haec est: quia aliquid dicitur supponi altero supposito, quando ipsum est in ratione eius secundum rectitudinem, ut [p] supposito homine supponitur animal et supposito Petro supponitur animal [q] et homo, et ideo quia hypostasis est secundum rectitudinem in persona, ideo supposita persona [r] supponitur hypostasis; essentia autem non est in ratione hypostaseos vel personae in rectitudine, sed oblique, et ideo per unum non supponitur alterum. Similiter supposita notione non supponitur persona, et qualiter hoc sit postea [9] dicetur. Si autem coarctemus omnino intentionem eius [s] quod est 'supponi', illud dicitur supponi supposito altero, quando quidquid attribuitur uni, et alteri; ideo dixerunt quidam antiqui quod licet persona sive hypostasis essentia esset, quia tamen persona generat, essentia non, ideo supposita persona non supponitur essentia. Ista autem nomina generalia sunt in Creatore et creatura; in creatura autem differt [t] 'quod est' et 'quo est': 'quo est' autem est essentia, 'quod est' substantia; unde [u] non est homo sua humanitas; eodem modo in creatura differt 'quis est' sive 'qui est' et 'quod est'; unde non est homo iste sua humanitas. Cum autem « in omni simplici omnino [v] sint idem 'quo est' et 'quod est' [10] » sive 'quo est' et 'quis est' et non differant, nihilominus tamen modus significandi est differens; et ideo quantum est de se, supposita persona vel hypostasi non supponitur essentia, sed distinguitur quadam [x] ratione

---

[a] V *quod predicatur* pro *p. p.*; B om. *per*, in R est add. interl. [b] BRGL om. [c] L *hypostasis*. [d] BRG om. [e] S *repetimus*. [f] S *causatis*, B om. *quod*. [g] L *supponendo*. [h] B *vero*. [i] V *differentia*. [k] V add. *hec*. [l] PVS om. [m] BRG add. *item*. [n] S om. [o] G om. [p] G *et*. [q] G om. [r] V om. *i. s. p.* [s] P om. [t] G *affert*. [u] BRGL *ubi*. [v] BRG om. [x] B *qua*.

1 Cf. supra, num. **387**.
2 Cf. hic, in *Solutione*.
3 *De persona et duab. nat.*, c. 3 (PL 64, 1343).
4 Cf. supra, num. **387**, **398** et **399**.
5 Cf. supra, num. **390**.
6 *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).
7 Cap. 4, n. 7 (PL 42, 939sq.).
8 Cf. supra, p. 422, nota 2.
9 Cf. infra, num. **466** et **469**.
10 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).

intelligentiae. Nec sequitur: 'si hoc est idem illi, quod hoc supposito supponatur illud'. Quod enim persona est idem quod essentia in divinis, hoc est quia in divinis, ubi est summa simplicitas, non quia persona, non quia essentia: tunc enim teneret in creaturis, in quibus et illa reperiuntur. Nec si omnino est indifferentia secundum rem, sequitur quod uno supposito supponatur reliquum; sed si est indifferentia secundum rationem intelligentiae, tunc uno supposito supponitur alterum [a]. Est autem differens ratio intelligentiae in hoc nomine 'persona sive hypostasis' et in hoc nomine 'essentia', sicut in creaturis est videre, et ideo non sequitur: 'persona [b] gignit vel gignitur vel procedit, essentia non, non ergo est essentia persona', quia altera est ratio intelligentiae in hoc nomine 'persona' et in [c] hoc nomine 'essentia'.

403

CAPUT VI.

QUOMODO COMPARETUR 'HYPOSTASIS' AD ESSENTIAM QUANTUM AD SIMPLICITATEM.

Consequenter quaeritur [d] de comparatione hypostasis ad essentiam quantum ad simplicitatem. Quaeritur ergo an maior sit simplicitas essentiae quam hypostasis vel e converso.

Ostenditur autem [e] quod maior sit simplicitas essentiae: *a*. Quia in ratione hypostasis venit intellectus essentiae, non [f] e converso; ergo simplicius videtur dici essentia quam hypostasis.

Contra: 1. Essentia est communis tribus hypostasibus; hypostasis autem [g] non est communis alii hypostasi sive communicabilis ab alia; sicut ergo maior est unitas individui quam universalis, ita videtur per simile maior unitas hypostasis quam essentiae.

2. Item, ubi est eadem entitas, ibi [h] est eadem unitas; sed eadem est entitas essentiae et hypostasis; ergo et eadem unitas.

Respondeo: 1. Cum [i] aeque simplicia dicuntur in Deo natura et res naturae et sine aliqua additione unius ad alterum in re, tamen intelligendo aliter [k] est, quia compositius intelligit intellectus noster ipsam [l] hypostasim quam essentiam. — Et si obicitur quod si huic [m] intellectui nihil respondet in re, falsus [n] est – dicendum quod nihil [o] ei respondet in re quod sic magis intelligit hypostasim quam essentiam nisi defectus suus. Unde non ita intelligit, quia ita [p] sit in re, sed quia defectibilis est et compositus nec potest intelligere sive [q] accipere sicut est in re; unde defectus suus est causa huiusmodi et non alia differentia vel additio quae possit poni ex parte rei: intellectus enim capit secundum suam possibilitatem et imperfectionem, et non secundum possibilitatem rei quam capit: unde ex parte ipsius intellectus apprehendentis venit istud, non ex parte rei. Et ex hoc est [r] quod dicimus quod nomen 'hypostasis' magis est compositum quam nomen 'essentiae', quia scilicet plus in [s] intelligendo ei attribuimus, non tamen ipsa est res magis composita, immo aequaliter simplex, quia omnino est eadem.

2. Ad secundum dicendum quod secundum rem unitas essentiae et unitas hypostasis non discernuntur, quia haec unitas est illa nec compositior [t] est illa; tamen secundum nominis rationem, quae provenit ex parte nostri intellectus, discernuntur. Si ergo loquamur de unitate nominis quantum ad definitionem, amplior est unitas in hoc nomine [u] 'essentia' quam in hoc nomine 'hypostasis', quia 'hypostasis' ponit rem subsistentem in rectitudine, 'essentia' in obliquitate. Si vero loquamur de nominis unitate quantum ad proprietatem significandi, amplior est unitas in nomine 'hypostasis' quantum ad significandi proprietatem, quod significat rem cum proprietate incommunicabili, quam in nomine 'essentiae', quod significat rem in nomine communi [v]. — Et sic patet responsio ad obiecta.

404

CAPUT VII.

DE COMPARATIONE 'HYPOSTASIS' AD PROPRIETATEM.

Deinde quaeritur de comparatione hypostasis ad proprietatem I. utrum una hypostasis subsit tribus proprietatibus vel tres hypostases solum quia tres proprietates.

---

[a] L *reliquum*, G *enim* pro *autem*. [b] BRGL add. *vel*. [c] PVS om. [d] R om. [e] BRG *enim*. [f] G *sicut*. [g] BRG *enim*. [h] P *tibi*. [i] V *cum ergo* pro *R. c.* [k] V *alterum*. [l] BRG *istam*. [m] BRG *isti*, R om. *si*. [n] L add. *intellectus*. [o] G om. *intellectui... nihil*. [p] L add. *non*. [q] L *nec*. [r] V om. [s] BRG om. [t] S *compositor*, BRGL *hec* pro *est*. [u] G om. *i. h. n.* [v] S om., V om. *et*.

Ad quod sic: 1. Maior est simplicitas in esse divino quam in aliquo esse creato [a]; sed videmus in igne quod ibi [b] est forma ignis et calor et splendor, et licet haec tria sunt ibi, non tamen sunt ibi plures hypostases, sed una sub tribus proprietatibus; ergo multo magis in divino esse erit una hypostasis sub tribus proprietatibus et ita non erit ibi numerus hypostasum. — Item, in divinis invenimus aliquid quod nec est distinguibile nec distinctum, et hoc est essentia; item, invenimus distinguibile et distinctum, et huiusmodi est persona. Inter autem haec duo extrema intercidunt secundum rationem intelligentiae duo media, scilicet substantia et hypostasis, sicut inter 'quo est' et 'quis est' intercidunt 'quod est' et 'qui est'; essentia autem dicit 'quo est', substantia 'quod est', hypostasis 'qui est', persona 'quis est'; hypostasis ergo est medium illorum [c] quantum ad distingui et non distingui; ergo neutrum est illorum de se; ergo non est distincta; sed quod non est distinctum non cadit sub numero, et quod tale est non est numerabile; ergo hypostasis non est numerabilis sicut nec essentia.

2. Item, substantia in divinis dicitur idem quod essentia; sed essentia non multiplicatur; ergo nec substantia; si ergo idem est apud Graecos hypostasis quod substantia apud nos, ergo non numeratur nec multiplicatur hypostasis sicut nec substantia.

3. Item, Boethius, *De Trinitate* [1]: « Substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem »; auferatur ergo relatio per intellectum, non remanebit nisi substantia quae continet unitatem; auferetur ergo multiplicatio; sed dicit Damascenus [2] quod hypostasis est sub proprietatibus; sicut ergo eadem est substantia in tribus — quoniam, ut dicit Damascenus [3]: « Substantia est commune » et tale commune cui insunt proprietates — ita erit eadem hypostasis sub hac proprietate et illa; non est ergo numerus hypostasum in divinis, sed una sub distinctis proprietatibus. — Item, si essent plures in se, abstractis relationibus iam relatio non [d] multiplicaret Trinitatem, sicut dicit Boethius.

Contra: *a.* Communis animi conceptio est quod oppositae relationes non possunt simul inesse uni [e] subiecto. Unde paternitas et filiatio, cum sint oppositae relationes respicientes se invicem, non possunt inesse simul [f] uni et eidem rei subsistenti, sed differentibus; sed res subsistentes illis proprietatibus vel relationibus sunt [g] hypostases; ergo positis [h] proprietatibus vel relationibus differentibus [i] in divinis, necesse est ibi ponere differentes hypostases. Et hoc etiam [k] est quod vult dicere Damascenus [4]: « Quod in hypostaticis proprietatibus differunt ad invicem sanctae Trinitatis tres hypostases ». Et vult ostendere quod non est simile de igne et de Deo, quoniam in Deo quaelibet hypostasis est perfecta hypostasis in se: unde Filius est perfecta hypostasis quae non est Pater, et Spiritus Sanctus similiter; sed in igne non sic: non enim lumen [l] habet propriam hypostasim praeter ignem sive praeter illam quae ignis est sive praeter formam substantialem ignis, ideoque non oportet, si in igne hoc [m] non distinguantur [n] tres hypostases, quod similiter in divinis [o] non sint tres hypostases.

[Solutio]: Quod concedendum est, scilicet quod proprietates sive relationes in divinis exigunt tres [p] hypostases differentes.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod non est simile de igne, quoniam secus est [q] ubi sunt proprietates incompossibiles et ubi sunt compossibiles: quoniam ubi sunt incompossibiles [r], requirunt diversas hypostases, sicut album et nigrum in creaturis sunt formae incompossibiles, ideo requirunt diversa subiecta. Quia ergo proprietates vel relationes in Deo sunt distinctae et incompossibiles, scilicet paternitas et filiatio et processio, ideo distinctas habent hypostases; sed in igne formae illae, quae sunt lumen, calor et splendor, compossibiles sunt omnino: unde etiam simul sunt nec una alteri [s] repugnat, et ideo non exigunt diversas hypostases. Ad [t] illud etiam habes manifestam declarationem Quaestione De numero personarum [5]. — Ad illud quod obicitur de illis duobus mediis, quae [u] sunt substantia et hypostasis: dicendum quod verum est quod haec duo sunt media inter illa duo secundum rationem intelligentiae, licet non secundum rem; verumtamen ita se habent quod unum magis se tenet cum uno extremorum et reliquum cum reliquo, quia substantia apud nos tenet se magis cum essentia, hypostasis vero tenet [v] se magis cum persona; unde non sunt media propter hoc quod differenter [x] participent naturam extremorum, immo substantia tenet se cum ipsa essentia et dicitur esse una sicut et essentia. Similiter sicut dicimus tres personas, ita dicimus tres hypostases, differenter tamen in hoc quod hypostasis dicit distinctum, sed non habet in suo nomine unde distinguitur, sed dicit respectum ad distinguentem: hypostasis

---

[a] G *causato*. [b] BRG *ubi*. [c] S *verborum*. [d] BRG om. [e] BRG *eidem*, L *substantie* pro *subiecto*. [f] PVSL om. [g] G *sicut*. [h] L om. *e. p.* [i] S *differentes*. [k] BRG om. [l] S *ignem*. [m] S corr. mg. *licet*, exp. *hoc*, quod G om. [n] Ita PV, alii *distinguant*. [o] S add. *hoc*. [p] BRGL om. [q] S *sunt*. [r] V om. *q. u. s. i.* [s] BRGL *alii*. [t] G om. [u] VS *qui*. [v] Ita SBL, alii add. *indifferenter*; V om. *se*, RG om. *magis*. [x] BRG *magis*.

1 Cap. 6 (PL 64, 1255).
2 Cf. *De fide orthod.*, III, c. 6 (PG 94, 1002).
3 Loc. cit.
4 Loc. cit., c. 8 (PG 94, 827).
5 Cf. supra, num. 816.

enim dicit rem subsistentem [a] respectu proprietatis; non habet ergo [b] in suo nomine proprietatem distinguentem, sed dicit respectum [c] ad illam. Persona autem est hypostasis proprietate distincta; unde in hoc addit quantum ad rationem intelligentiae nomen personae respectu nominis hypostasis, quia persona dicit distinctum et iterum habet in suo intellectu et de suo nomine proprietatem distinguentem; nihilominus tamen distinctum est hypostasis actu sicut persona, sed non habet de suo intellectu proprietatem distinguentem. Unde, quia hypostasis dicit respectum ad illam et [d] etiam dicit distinctum, ideo dicitur quod magis tenet se ex parte personae. Quantum ergo ad quid [e] dicuntur esse media substantia et hypostasis. — Quod sic patet: Essentia in divinis suo nomine dicit 'quo est', substantia [f] vero 'quod est'; unde suo nomine substantia plus propinquat ad personam quam essentia; tamen sicut est ibi unum 'quo est', ita est ibi unum 'quod est' [g]: 'quod est' enim plus tenet se ex parte 'quo est' quantum ad unitatem vel multiplicationem quam ex parte 'qui est' vel 'quis'. Item, hypostasis dicit in divinis [h] 'qui est'; persona autem dicit 'quis est'. In hoc autem abundat 'quis est', quia 'quis est' dicit habentem actu proprietatem, 'qui [i] est' autem dicit rem subsistentem habentem respectum ad illam, tamen sicut 'quis est Pater' non est 'quis est Filius' sive persona quae est Pater non est persona quae est Filius, ita 'qui est Pater' non est 'qui est Filius', nec hypostasis quae [k] est Pater est hypostasis quae [l] est Filius. Sicut ergo 'quod est' et 'qui est' sunt media inter 'quo est' et 'quis est', ita substantia et hypostasis sunt media inter essentiam et personam; et sicut [m] 'quod est' magis propinquat ipsi 'quo est' et ipsi immediatius [n] respondet quam ipsi 'quis est', et 'qui est' magis se tenet ex parte 'quis est', quia sine medio intelligendi, quam 'quod est', ita substantia plus se tenet ex parte hypostasis quam ex parte personae; nec [o] tamen substantia ita appropinquat [p] hypostasi sicut hypostasis personae [q] nec hypostasis ita appropinquat substantiae sicut substantia essentiae. Unde substantia proprie appropinquat unitati essentiae, hypostasis distinctioni personae: unde sicut essentia non est multiplicabilis, nec substantia, et sicut persona [r] est multiplicabilis, ita et hypostasis. In hoc tamen differunt quod unum habet in se proprietatem distinguentem [a], alterum non, sed habet respectum ad illam.

2. Ad secundum patet solutio ex praedictis.

3. Ad ultimum dicendum quod per [b] illud verbum Boethii non intelligitur quod in Deo non sit distinctio nisi relationum, immo est ibi distinctio rerum subsistentium, scilicet hoc modo quod haec res subsistens non est illa; verumtamen relatio manifestat distinctionem in divinis, et respectu diversarum proprietatum sunt plures res subsistentes, non quod non sint plures solum per illas, immo etiam se ipsis, sed respectu illarum, non respectu essentiae, quia hypostasis dicit respectum ad proprietatem, sicut dictum est [1]. Unde remota per intellectum proprietate personali est intelligere hypostasim, quia adhuc est intelligere rem subsistentem habentem respectum ad proprietatem et licet tollatur proprietas per intellectum, non tamen in re potest tolli; unde adhuc est intelligere res distinctas actu, sed non per proprietates personales, sed se ipsis. Unde Bernardus [2]: « Proprietates sunt [c] ipsae personae, ipsae personae sunt ipsa essentia; numera [d] ergo, si potes, aut sine substantia personas quae ipsae sunt, aut sine proprietatibus [e] personas quae ipsae sunt ». Et est exemplum: Petrus et Paulus sunt duo homines, unus pater, alius filius: distinguitur ergo [f] relatione et hypostasi; abstrahe [g] per intellectum paternitatem et filiationem, nihilominus remanent duae hypostases, immo etiam duae substantiae individuae [h]; unde non tantum dicuntur duae res subsistentes relationibus, sed etiam duo homines. In divinis similiter, ablatis per intellectum proprietatibus, remanent duae hypostases sive duae res subsistentes, non tamen duae substantiae sicut in creatura: et in hoc est dissimilitudo; et hoc est quia in divinis propter unitatem essentiae una hypostasis est [i] in altera et e converso, et ita licet sint duae hypostases, non tamen duae [k] substantiae, id est essentiae. Unde Damascenus [3]: « Divinae hypostases in se ipsis sunt, ut non multiplicationem deorum [l] dicamus, secundum quod dicitur in Evangelio [4]: *Ego in Patre et Pater in me est* ». In hypostasibus vero humanis non sic est, immo differunt plurima differentia [m] separativa: unde non tantum dicuntur hypostases, immo etiam diversae substantiae. Fit [n] igitur ut non sit una

---

[a] G *subsistere esse*. [b] L om. [c] V repet. *ad distinguentem hypostasis... respectum*, quod P delevit per *vacat*. [d] V *ut*. [e] L (corr. interl.) *aliquid*. [f] S add. *est*. [g] L add. *per*. [h] S om. *i. d.* [i] V *quia*. [k] P *qui*. [l] B *qui*. [m] BR *sic*. [n] B *mediatius*. [o] PV om., in S est add. mg. [p] B *propinquat*. [q] G om. *nec... personae*. [r] R *substantia*.

[a] B add. *sed*. [b] RL om. [c] P om. [d] BG *numerata*, quod R corr. [e] L *proprietate*. [f] L om. [g] S (corr.) *abstrahendo*, G *abstrahere*; V om. *p. i.* [h] PV *in divisione*. [i] G om. [k] L om. [l] L *multitudinem deo* pro *m. d.* [m] L om. [n] RG *sic*.

1 Cf. supra, p. 593b, *ad 1*.
2 *De consider.*, V, c. 8 (PL 182, 799).
3 *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 826).
4 Ioan. 14, 10.

hypostasis in divinis sub tribus relationibus vel proprietatibus, sicut ponebat Manichaeus[1] quod una erat [a] persona Patris et Filii et Spiritus Sancti, quae quando volebat erat Pater, quando volebat erat Spiritus Sanctus, et quando volebat erat [b] Filius; immo sicut distinctae sunt proprietates [c] et differentes, ita plures sunt habentes illas, qui [d] dicuntur plures, sed subsistentes, ut habens hanc proprietatem non sit [e] habens illam, qui intelliguntur sine illis.

Et ad hoc sunt rationes. Prima est talis: generatio [f] in divinis dicitur per translationem; sed generatio motus est; motus autem non est in 'ad aliquid' secundum quod sic est, immo consequitur relatio ad illud quod est terminus motus; unde aliquo facto fit consequenter 'ad aliquid', et corrupto similiter desinit esse 'ad aliquid'; ergo in [g] relatione oportet intelligere qui est principium motus et qui est terminus motus [h]; ergo praeter illam relationem qua est Pater et qua est Filius, oportet intelligere hunc et hunc. — Praeterea, omne relativum [i] aliquid est extra hoc quod dicitur relative[2], ut nummus et arrha. Si ergo Pater dicitur relative, praeter relationem est aliquid; ergo praeter relationem est aliquis Pater et non in uno et eodem est paternitas et filiatio et processio; ergo erunt ibi tres aliqui, exceptis relationibus; ergo tres distincti erunt praeter relationes[3].

II. Hic non est praetermittendum, cum dictum sit quod hypostasis est res naturae, an [k] concedendum sit [l] tres res esse Trinitatem, sicut tres hypostases; et haec quaestio est de comparatione hypostasis ad rem naturae.

Ad quod *a.* Augustinus, in libro *De doctrina christiana*[4]: « Res quibus fruendum est beatos [m] nos faciunt ».

Contra: 1. Dicitur consequenter[5] quod [n] « tres personae sunt una summa res »; ergo non sunt tres res.

2. Item, Damascenus[6]: « Aliud est considerare re, aliud ratione »; et dicit quod ista e contrario se habent in creaturis et divinis. In creaturis enim differentia re [o] consideratur: differunt enim secundum rem Petrus et Paulus; communitas vero ratione consideratur; in divinis autem e converso: communitas sive unitas re consideratur, differentia ratione, et ita personae in divinis non differunt secundum rem; ergo non sunt tres res.

3. Item, Hilarius, in libro *De Trinitate*[7]: « Pater et Filius et Spiritus Sanctus solum nominibus differunt ». Non ergo re; ergo non sunt tres res.

Respondeo 1. ad primum [p]: res dicitur dupliciter; quandoque enim est personale, et sic dicuntur tres personae tres res; quandoque autem sumitur essentialiter, et [q] sic tres personae dicuntur una res, non tres res [r].

2. Ad aliud dicendum quod ratio medium est inter rem et intellectum; et ratio, quae vana non est, non causatur totaliter ab intellectu, sed a re. Cum ergo dicit Damascenus quod in creaturis differentia consideratur re, communitas ratione, non dicitur communitas considerari ratione eo quod non sit aliqua communitas secundum rem, sed quia communitas [s] secundum rem est ibi diminuta, sed differentia perfecta; unde sequitur [t]: 'si creaturae differunt numero, quod differunt simpliciter'; sed non sequitur: 'sunt unum genere [u], unum specie, ergo sunt unum'; propter hoc ergo dicitur quod communitas eorum non re consideratur. In divinis autem est e converso. Sequitur enim: 'si personae sunt unum in essentia, quod sunt unum simpliciter'; sed non sequitur: 'differunt secundum personas, ergo sunt diversae simpliciter'. Licet ergo differentia personarum sit secundum rem, tamen, quia ista differentia non facit diversitatem nisi secundum quid, ideo dicit Damascenus quod differentia hypostasum consideratur ratione, non [v] re: non enim in divinis est dicenda diversitas hypostasum, sed distinctio solum.

3. Ad tertium dicendum quod nomen dicitur multipliciter: est enim nomen sensibile sive audibile, ut quo homines loquuntur sibi invicem, et est nomen intelligibile, ut quo angeli « tradunt sibi invicem intelligentias suas et [x] consilia », sicut dicit Damascenus[8]. Quorum nominum diversitas non est sine aliqua [y] rei differentia: unus enim intellectus non potest esse signum rerum multarum, licet unum nomen possit signum esse multorum intellectuum. Quod ergo dicit Hilarius, intelligitur de nomine intelligibili, non vocali, quod ponit rei differentiam.

---

[a] G *unde inerat* pro *u. e.* [b] Ita G, alii om. [c] L *proprietate;* P om. *sunt.* [d] VRG *que,* quod B corr. [e] Ita PV, alii *sic.* [f] L *generato Filii.* [g] BG *cum.* [h] V om. *e. q. e. t. m.* [i] L add. *ad.* [k] RG *aut.* [l] BRG om., in L est add. interl. [m] PVS *bonos.* [n] BRGL *quoniam.* [o] L add. mg. *in divinis ratione.* [p] BRGL om. *a. p.,* V *respondit* pro *Respondeo.* [q] PVS om. [r] BRGL om. [s] PVSL *unitas.* [t] S *sequimur.* [u] BR add. *sunt,* G om. *unum specie.* [v] S add. *in.* [x] G *vel.* [y] G add. *re.*

1 Potius Sabellius. Cf. S. Epiph., *Adversus haeres.*, II, n. 62 (PG 41, 1051).
2 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 5 (I, 9).
3 Cf. Augustin., *De Trinit.*, VII, c. 1 (PL 42, 935).
4 Lib. I, c. 3 (PL 34, 20).
5 Augustin., loc. cit., c. 5 (PL 34, 21).
6 *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 828).
7 Lib. II, n. 4 (PL 10, 52), ubi illud Sabellii assertum impugnatur.
8 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).

QUAESTIO II.

DE NOMINIBUS PERSONARUM PROPRIIS ET RELATIVIS.

Dicto de nominibus personalibus communiter dictis de personis, dicendum est de nominibus propriis personarum et relativis, ut ‘Pater’, quod est nomen personae generantis in Trinitate, ‘Filius, Verbum et Imago’, quae sunt nomina personae genitae, ‘Spiritus Sanctus, Donum’, quae sunt nomina personae procedentis. Quaerendum est igitur in primis:

Primo, de nomine quod est ‘Pater’;
secundo, de nomine quod est ‘Filius’;
tertio, de nomine quod est ‘Imago’;
quarto, de nomine quod est ‘Verbum’;
quinto, de nominibus [a] ‘Spiritus Sanctus’ et ‘Donum’.

MEMBRUM I.

De nomine ‘Pater’.

De hoc nomine ‘Pater’ quaeruntur tria:
Primo, utrum ratio huius nominis ‘Pater’ prius sit in divinis quam in creaturis [b];
secundo, quomodo istud nomen praedicetur [c] de essentia;
tertio, secundum quid [d] de ipso notio generationis dicatur.

405

CAPUT I.

UTRUM RATIO NOMINIS ‘PATER’ PRIUS SIT IN DIVINIS QUAM IN CREATURIS.

Ad primum sic: *a.* Ad [e] Eph. 3,14-15: *Flecto genua mea ad Patrem* etc. *ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur* [f]. Ergo omnis paternitas in caelo nominationem habet ab illa qua Pater est Pater Christi; sed illa est proprietas personalis Patris; ergo omnis paternitas et filiatio in creaturis dicentur a paternitate et filiatione, quae sunt in divinis.

b. Item, Damascenus [1]: « Nomen istud non est translatum a nobis ad beatam divinitatem [g], sed a divinis ad nos ».

Contra: 1. Damascenus [2] ponit exemplum generationis aeternae in creaturis, dicens quod Adam innascibilis tenet locum, Seth autem per generationem fuit ab eo, et Eva per processionem. Ergo a paternitate et filiatione in creaturis [h] per similitudinem accipiuntur in divinis.

2. Si dicatur quod in divinis ‘Pater’ sumitur essentialiter, cum dicitur [3] ‘*Pater noster, qui es in caelis*’, et personaliter, ut [i] cum dicitur Pater Christi; quando ergo dicit Apostolus quod *omnis paternitas in caelo et in terra nominatur*, ‘Pater’ ponitur ibi essentialiter, quia paternitas in caelo est, ut cum dicitur ‘Pater angelorum’, paternitas in terra, ut cum dicitur ‘Pater hominum’; sed illa est paternitas *a qua* [k] *omnis paternitas in caelo et in terra nominatur*, quae est adoptione vel creatione: dicitur enim Pater angelorum creatione, hominum vero adoptione [l]; sed sic sumitur [m] essentialiter; ergo ‘Pater’ stat ibi essentialiter – contra: Dionysius [4]: « Fontalis deitas est Pater; Filius, Spiritus Sanctus velut flores, germina [n] divina; paternitas et [o] filiatio quae data est nobis ex supercaelestibus ex patriarchia [p] ab omnibus segregata

[a] V add. *que sunt.* [b] BRGL *prius sit in creaturis quam in divinis* pro *prius... creaturis.* [c] S *dicetur.* [d] B *quod.* [e] BRGL om. [f] V om. [g] PV *paternitatem*, SL *trinitatem.* [h] BRGL *creatura.* [i] V om. [k] VBRG *quo.* [l] PVS *adoptatione.* [m] BRG add. *ibi.* [n] PVSL *germinat*, BRG *germinant.* [o] S *velut.* [p] G add. *et filiarchia.*

[1] *De fide orthod.*, I, c. 8 (PG 94, 819).
[2] Loc. cit. (PG 94, 818), ad sensum.
[3] Matth. 6, 9.
[4] *De divin. nomin.*, c. 2, §§ 7 et 8 (PG 3, 646; PL 122, 1123).

et filiarchia [a] ». Ergo a patriarchia et filiarchia [b], cum sumuntur notionaliter, sumitur omnis paternitas; ergo a Patre personaliter dicto sumitur omnis [c] paternitas.

3. Item, quaedam est relatio divinarum personarum inter se, quaedam creaturae ad Deum; constat quod respectus personarum prior est, quia est ab aeterno, alter vero non, quia Deus est Dominus ex tempore; sed Pater Filii non est [d] ex tempore, sed ab aeterno [e]; ergo respectus Patris ad Filium est prius quam respectus Dei ad creaturas; sed respectus [f] Patris essentialiter dicti est respectus ad creaturas; ergo sumitur omnis paternitas a paternitate personaliter dicta et non essentialiter.

4. Sed contra: contingit intelligere Deum sine Trinitate, sicut philosophi intellexerunt, et contingit intelligere Creatorem absque intellectu Trinitatis [1]; sed hoc intellecto contingit intelligere habitudinem creaturae ad Deum; ergo si Pater, essentialiter dictus, dicit habitudinem ad creaturam et hoc potest intelligi etiam non [g] intellecta personalitate et paternitate [h] personaliter dicta, ergo ab hac potius dicitur omnis paternitas quam ab illa [i], sine qua potest intelligi paternitas et filiatio in creaturis.

Respondeo [k]: 1. Ad primum dicendum quod prius sumitur in divinis ratio paternitatis quam in creaturis [l], sicut Dionysius dicit et Apostolus. Dicit enim Dionysius [2]: « Habent causata causarum imagines contingentes, in se autem causae a causatis segregantur et collocantur secundum proprii principii rationem ».

2-3. Ad hoc quod quaeritur 'utrum Apostolus sumat essentialiter vel personaliter' et quod quaeritur circa hoc 'utrum Pater, secundum quod respective dicitur ad creaturam, sit prius secundum intelligentiam quam secundum quod dicitur ad Filium': dicendum quod cum dicitur 'Pater est principium Filii', non habet ordinem ad aliquid prius se; sed cum dicitur [m] 'Pater est principium Spiritus Sancti', habet alium ordinem ante se, ad hanc scilicet 'Pater est [n] principium Filii', et haec 'Pater est principium creaturarum' habet utramque ante se. Si quis ergo vult reducere per ordinem naturae, in reducendo ad primum invenitur intentio Patris dicti ad Filium in intellectu [o] Patris dicti ad creaturas, quia quod Filius est pater creaturae et Spiritus Sancti, hoc habet a Patre secundum quod Pater.

4. Ad aliud quod [p] opponitur quod 'contingit intelligere sicut philosophi intellexerunt Creatorem et non Trinitatem personarum, ergo contingit [q] intelligere Patrem ut dicit respectum ad creaturam, inintellecto [r] Patre ut dicitur personaliter', respondeo: aliud est dicere 'Pater est Pater creaturae rationalis' quam cum dicitur 'principium creaturae irrationalis' [s], quia non dicitur Pater aliarum creaturarum a rationali et tamen bene dicitur principium: unde abundat 'Pater' a 'principio'. Unde sub ratione principii intellexerunt philosophi, tamen ratione eius quod abundat non intellexerunt; et haec est ratio qua abundat 'Pater' a 'principio' quod creatura est ad imaginem respectu illius ad cuius imaginem est [t]. Unde in respectu eius quod est imago et ad imaginem est Pater; unde Pater bene dicitur principium Spiritus Sancti, non tamen Pater eius; uterque ergo intellectus importatur [u] ibi. Unde in Christo etiam istud quod est 'Filius', et secundum quod est homo et secundum quod Deus, respicit Patrem; sed [v] secundum quod Deus respicit Patrem dictum personaliter, secundum vero quod homo respicit Patrem dictum essentialiter ad creaturam.

CAPUT II. 406

QUOMODO NOMEN 'PATER' PRAEDICETUR DE ESSENTIA.

Consequenter quaeritur I. quomodo hoc nomen 'Pater' de essentia et ceteris praedicatur.

Obicitur ergo [x] **sic: Pater est essentia; ergo** essentia est Pater. Quaeritur ergo utrum [y] hoc nomen 'Pater' praedicetur secundum substantiam vel secundum relationem.

a. Nam non sunt nisi ista duo praedicamenta in divinis: non enim secundum substantiam, quia non dicitur Pater ad se, sed ad alium; ergo secundum relationem.

b. Item, Boethius, in libro *De Trinitate* [z]: « Intelligimus Patrem ac Filium ac Spiritum Sanctum » non de ipsa divinitate [z] substantialiter dici;

---

[a] L add. interl. *sunt*; PS om. *a.* [b] V om. *a. p. e. f.*, G om. *e. a. p. e. f.* [c] S om. [d] G om. [e] V om. *alter... aeterno.* [f] BR *respectu.* [g] V *in.* [h] V *proprietate.* [i] G *alia.* [k] BRGL om. [l] L *divinis.* [m] PVS om. *c. d.* [n] PL om. [o] L *intellectus pro i. l.* [p] L add. *obicitur.* [q] V *oportet.* [r] BR (corr.) *non intellecto.* [s] BG *rationalis*, quod R corr., L *materialis.* [t] S om. [u] V *separatur.* [v] S om. [x] G om [y] V *quomodo.* [z] G *trinitate.*

1 Loc. cit., c. 2, § 8 (PG 3, 646, PL 122, 1124).
2 Cf. supra, num. 10.
3 Rectius *De praedic. trium person.* (PL 64, 1302), ubi et sequens.

si enim substantialiter praedicaretur, et [a] de singulis et de omnibus singulariter diceretur.

c. Item, idem, in eodem: « Hoc ad aliquid dici manifestum est; nam Pater [b] alicuius Pater est [c] et Filius alicuius [d] Filius et Spiritus Sanctus alicuius Spiritus [e] est ».

Contra: 1. Si essentia est Pater, ergo cum dicatur 'Pater [f] alicuius est Pater' [g], quia relativum est: ergo essentia alicuius est Pater; ergo essentia est generans, quod idem est.

2. Item, haec est per se 'Pater generat'; cui ergo convenit unum, et alterum. Si ergo essentia est Pater, essentia generat [h]; sed hoc est falsum; relinquitur igitur quod essentia non est Pater; ergo Pater non dicitur de [i] essentia.

3. Item, si per identitatem essentia est Pater, cum essentia sit quid, si quaeratur 'quid est essentia?' convenienter respondetur: 'Pater'; ergo praedicatur in 'quid', non [k] in 'ad aliquid'; ergo secundum substantiam.

4. Item, Damascenus [1]: « Deitas naturam manifestat, Pater hypostasim ». Ergo Pater praedicat hypostasim; sed [l] hypostasis dicitur secundum substantiam et non secundum relationem; ergo hoc nomen 'Pater' praedicatur secundum substantiam.

5. Item, hoc nomen 'Pater' accipitur multis modis, quia dicitur 'essentia est Pater', item dicitur 'persona generans est Pater', item dicitur 'aliqua persona est Pater Filii', item dicitur [2]: « Credo in Deum Patrem », item dicitur [m] [3]: '*Pater noster, qui es in caelis*': quae horum differentia?

[Solutio]: Ad hoc [n] sunt qui dicunt [4] quod hoc nomen 'Pater' significat hypostasim divinam cum proprietate, et ideo cum dicitur 'essentia est Pater', sensus est: essentia est hypostasis generans, et actus generationis vel proprietas non copulatur essentiae, sed hypostasi; unde si argueret: 'ergo est generans', mutaret praedicamentum 'quid' in 'quale' [o] sive 'quomodo', hoc est praedicamentum substantiae in praedicamentum relationis.

Alii [5] sunt qui non concedunt quod quoad vocabulum significet [p] hypostasim cum proprietate, sed sicut in aliis facultatibus dicitur quod vocabulum aliud significat, aliud appellat, ita hic dicunt. Verbi gratia, hoc nomen 'Sortes' appellat Sortem et significat propriam ipsius existentiam; ita hoc nomen 'Pater' appellat Patrem et significat paternitatem quae est eius proprietas [q]. Ii nunquam concedunt personam praedicari, sed tantum supponi, ut si dicam 'Pater est Pater', hic praedicatur proprietas qua Pater generat; sed si dicam 'essentia est Pater', hic non praedicatur nisi terminus: intelligitur enim hoc nomen 'Pater' cum articulo.

Sed melius et generalius dicendum ad solutionem omnium obiectorum [a], secundum quod dicitur in libro *De regulis fidei* [6], quod « hoc nomen 'Pater', de Deo dictum, aut praedicat personam aut [b] personalem proprietatem aut relationem Patris ad Filium aut relationem ad creaturas secundum creationem aut relationem Patris ad hominem secundum recreationem [c]. Verbi causa [d], cum dicitur 'deitas est Pater', hic praedicatur [e] persona de usia, ut sit sensus: deitas est Pater, id est ille qui generat; et secundum hoc substantivatur hoc nomen 'Pater' subintellecto articulo, ut sic exponatur gallice: 'divinitas est Pater', id est '*ly père*'. Nec mirandum si in divinis persona praedicatur, cum in naturalibus non praedicetur per inhaerentiam nisi rei proprietas. In naturalibus enim aliquid praedicatur per inhaerentiam, quando aliquid ostenditur [f] alicui inhaerere vel convenire [g] tamquam rei proprietas; in divinis vero, ubi nihil inhaeret vel nihil concretum est [h], non ostenditur quid [i] de quo vel quid cui inhaereat, sed quid [k] sit vel quomodo se habeat, ut cum dicitur 'divinitas est Pater', hic non attenditur quid de divinitate dicatur vel quid ei inhaereat, cum nihil ei insit, sed potius quid [l] sit divinitas; unde ad interrogationem factam de divinitate 'quid ipsa sit' convenienter respondetur: 'Pater'. Non enim dicere possumus ibi praedicari relationem de divinitate, cum divinitas nec generans nec genita nec procedens sit, nec relationes personales in divinitate esse intelliguntur, per quas deitas a [m] Patre et Filio et Spiritu Sancto distinguatur. Personalis vero proprietas praedicatur, cum respondetur ad hanc interrogationem 'quis est Deus generans?': 'Pater', ut simul intelligatur articulus et nomen substantivetur. In naturalibus autem [n] personalis proprietas dicitur proprius status personae, qui attenditur ex concursu [o] substantialium et accidentalium rei, qui significatur hoc vocabulo 'Socrates' et hoc vocabulo 'Plato', quae etiam propria qualitas a Grammaticis dici solet. In divinis autem non proprie, sed per similitudinem potest assignari status

---

[a] P om. [b] L add. *aliquid*. [c] PV om. [d] S om. *P. e. e. F. a.* [e] VBRG add. *Sanctus*, V om. *est*. [f] V om., L *dicitur dicatur* pro *d. P.* [g] V om., SBL om. *est*. [h] R *significat*. [i] R *esse*. [k] L add. interl. *ergo*. [l] BRG *et*. [m] BRG om. [n] G *adhuc* pro *a. h.* [o] Ita G, PVSBL *que*. [p] L add. interl. *Pater*. [q] L *proprietatis*.
[a] L *subiectorum*. [b] P *ut*. [c] PVSL (corr.) *creationem*. [d] PVG *ut* pro *v. c.* [e] G add. *de*. [f] V add. *ei vel*. [g] L *communicare*. [h] BRGL om. [i] G *quia* [k] RG *qua*. [l] G *aliquid*. [m] G om. [n] S *enim*. [o] G *cursu*, item infra.

1 *De fide orthod.*, III, c. 11 (PG 94, 1027).
2 *Symbolum* Apostolorum.
3 Matth. 6, 9.
4 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 81c et 83c).
5 Cf. Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 27 (PL 211, 891 sq.).
6 Alan., *Theol. reg.*, reg. 50 (PL 210, 642 sq.).

personalis, ut personalis proprietas Patris dicatur eius singularis status, quae attenditur ex concursu divinitatis, innascibilitatis [a], paternitatis, spirationis. Nec etiam [b] est veri nominis proprietas personalis, sed quasi personalis proprietas, nec facit 'quid' vel [c] 'ad aliquid', sed 'quem'. Non sunt autem propria vocabula in Sacra Pagina quibus isti personales status designentur, sed quaedam circumlocutiones, ut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, quae respondentur ad interrogationem factam per 'quis'. Relatio vero Patris ad Filium cum [d] praedicatur, respondetur ad interrogationem factam per 'quomodo', ut si quaeratur 'quomodo se habet Pater?' convenienter respondetur: 'Pater est Pater [e] Filii'; similiter Filius est Filius Patris. Unde hoc nomen 'Pater', adiective retentum, praedicat relationem de Patre. Aliquando hoc nomen 'Pater' praedicat relationem ad creaturas secundum creationem, ut cum dicitur: "Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem"; aliquando relationem ad hominem secundum recreationem, ut cum dicitur: *Pater noster* [f] ».

Et sic patet solutio [g] ad omnia quaesita.

II. Item [h] [1], iuxta hoc quaeritur an concedendum sit [i] quod essentia paternitate sit Pater.

Quod videtur: 1. Quia essentia est Pater; ergo aliquo est Pater vel nullo; sed si aliquo, non alio quam paternitate; ergo paternitate est Pater; ergo paternitas facit essentiam esse Patrem; ergo paternitas est proprietas essentiae: quod supra negatum est [2].

Ad hoc respondent quidam [3] quod essentia nullo modo [k] est Pater, eodem modo de proprietate dicunt; de sola vero persona concedunt quod ipsa aliquo est Pater.

2. Sed adhuc aliter probatur: quia cum dico 'essentia est Pater', sensus est: 'essentia est persona [l] generans'; sed essentia generans [m] est persona quae generat generatione; ergo est persona generans generatione [n]; ergo essentia est Pater generatione; ergo essentia paternitate est Pater.

Item [o], alii [4] dicunt quod cum dico 'essentia est Pater', ibi quasi duo praedicantur, scilicet [p] et persona de essentia et proprietas de persona [q]. Unde haec potest concedi 'essentia est Pater paternitate', id est essentia est persona quae generat generatione, ut 'generatione' determinet quasi alterum praedicatum. Verbi gratia, si dicam 'iste est novus miles', hic duo praedicantur, scilicet militia de isto et novitas de militia; similiter etiam per unum vocabulum, ut si dicam 'iste est tiro'; unde si dicam 'iste est tiro [r] novitate', '[novitate]' quasi alterum praedicatum determinat. Si autem praeponatur, ut dicatur 'divina essentia paternitate est Pater', tunc iste ablativus 'paternitate' determinabit essentiam, et ideo falsa est.

CAPUT III. 407

SECUNDUM QUID DE PATRE NOTIO GENERATIONIS DICATUR.

Consequenter quaeritur, cum generare Filium conveniat Patri, utrum conveniat ei quia Pater aut secundum alteram rationem [5].

Ad quod sic: 1. In creaturis pater, in quantum pater, sequitur generationem, quoniam pater et filius, quoniam sunt relativa, simul sunt natura [6]; sed filius, in quantum filius, naturaliter sequitur generationem; ergo in creaturis pater sequitur secundum naturam generationem; generatio vero sequitur illud cuius est generatio; ergo cum in divinis habeant ordinem secundum intelligentiam, Pater secundum rationem intelligentiae sequitur generationem et generatio [s] secundum rationem intelligentiae illud cuius est generatio, patet quod [t] non quia Pater, generat; et ita circumscripta paternitate secundum rationem intelligentiae a Patre, adhuc remanet 'generans'; sed circumscripta paternitate non remanet nisi 'Deus'; ergo Pater generat quia Deus.

2. Item, Anselmus, in libro *De processione Spiritus Sancti* [7]: « Pater spirat non quia Pater, sed quia Deus; et Filius similiter [u] ». Ergo eadem ratione Pater generat quia Deus.

---

[a] Codd. *innascibilis.* [b] V *enim;* BG om. *est,* in R est add. interl. [c] V *sed.* [d] Ita S, alii om.; V om. *a. F. c.* [e] P add. *est.* [f] BRG add. *qui es in celis.* [g] V *responsio;* B om. *Et... quaesita.* [h] B om. [i] BRGL om. [k] PVGL om. [l] S *Pater.* [m] BRG om. [n] L om. *sed essentia... generans;* B om. *ergo... generatione.* [o] BRG om. [p] S om. [q] G *personis.* [r] S add. *de.* [s] G om. *s. g. e. g.* [t] R om. [u] L om.

1 Sequentia, usque ad finem huius capitis, verbotenus occurrunt ap. Praeposit., loc. cit. (f. 81c).
2 Cf. supra, p. 598b.
3 Praeposit. dicit: « Magistri nostri ».
4 Cf. Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 27 (PL 211, 894).
5 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 27, p. 1, a. un., q. 2 (I, 468sqq.).
6 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 5 (I, 11).
7 Cap. 7 (PL 158, 297), ad sensum.

Contra: *a.* Si Pater[a] generat quia Deus, sed quaelibet persona est Deus; ergo quaelibet persona generat.

b. Item, dicit Augustinus[b], I *De Trinitate*[1], quod « nihil se ipsum generat », et ita generans distinguitur a genito; sed Pater, in quantum Deus, non distinguitur a genito, sed solum in quantum Pater; ergo Pater, in quantum Pater, generat.

c. Item, cum dicitur 'Deus generat', iste terminus 'Deus' tenetur personaliter, et ita solius[c] personae est generare; ergo Pater, quia Pater, generat.

d. Si dicatur, ut quidam[2] dicunt[d], quod Pater, quia est Deus innascibilis, generat – sed innascibilis est ens non ab alio, sed sive agat sive generet, non[e] tamen quia non ab alio.

e. Si dicatur, ut quidam dicunt, quod generat, non quia Pater, sed quia potens generare – contra: hoc quod dico 'potens generare' aut significat idem quod hoc nomen 'Deus' aut non. Si aliud: quid aliud nisi relationem? et quam relationem nisi paternitatem[f]? et ita idem est dicere 'Pater[g], quia potens est generare, generat' et 'Pater, quia Pater, generat'.

Respondeo: Quidam dicunt quod paternitas relatio est et proprietas. Proprietas dicitur per relationem ad id cuius est, relatio dicitur in quantum per ipsum refertur persona Patris ad alium: et secundum hoc non est distinctiva personae, sed in quantum proprietas; paternitas ergo, ut relatio est, secundum rationem intelligentiae sequitur generationem, sed ut est proprietas, praecedit. Secundum hoc ergo dicendum quod generare convenit Patri quia Pater[3], sed non notatur paternitas ratio generationis ut est relatio, sed ut est proprietas; similiter Filius non est terminus generationis, prout filiatio[h] se habet per modum relationis, sed prout se habet per modum proprietatis.

Sed obicitur: Anselmus, in *Monologion*[4]: « Non ex relationibus[i] quae plures sunt, sed ex substantia sua[k], Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum ». Ergo a simili Pater ex sua relatione non generat Filium, sed ex sua substantia. — Item, idem[l], ibidem[5]: « Nullatenus Patris et Filii secundum ipsas proprietates, ut secundum paternitatem et filiationem, est potestas vel voluntas »; sed posse generare et velle generare secundum idem attribuuntur secundum quod generare; non ergo generare erit ratione proprietatis; ergo non generat in quantum Pater.

Respondeo: Cum generatio sit productio similis in natura[6], actus generandi per se ponit naturam generantis et productionem similis vel conformis. Potest ergo attribui personae generanti per se[m] ratione naturae et ratione[n] proprietatis productionis. Verum ergo est quod Pater, in quantum[o] Deus, generat, ut sit attributio ratione naturae; et Pater, in quantum Pater, generat, ut sit attributio ratione proprietatis productionis. Si autem[p] coniungis utrumque 'Pater, in quantum Deus Pater, generat', habes expressam totam rationem per se generationis, ut in hoc quod dico 'Deus' exprimatur natura, in hoc quod dico 'Pater' proprietas productionis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud[q] quod obicitur quod esse patrem consequitur generare: dicendum quod verum est in creaturis, sed non in divinis. Relationes enim in creaturis sunt rerum comparatarum ad se invicem, et ideo sunt advenientes[r][7]. In divinis autem sunt rerum, id est personarum[s], relatarum et in invicem existentium et ideo insistentes — quia sicut dicitur Ioan. 14,10: *Ego in Patre et Pater in me est*[t]; unde Damascenus[8]: « Deitatis[u] hypostases in invicem sunt » — et quia in divinis relationes sunt insistentes et ideo sunt proprietates et[v] relationes idem. Unde paternitas et proprietas est et relatio: in quantum proprietas, secundum rationem intelligentiae praecedit generare, in quantum vero relatio, simul est.

2. Ad illud vero Anselmi patet responsio. Nam, sicut dictum est[9], generare attribuitur Deo Patri ut tota ratio determinetur: Deus enim genuit Deum, Pater Filium, sed in uno determinatur[x] natura gignentis[y], in altero proprietas generationis, et sic verum est quod dicit Anselmus quod Deus genuit Deum, tangendo naturam, non generantis proprietatem.

a. Ad aliud dicunt quod non sequitur: 'si generat secundum quod Deus, quod generare conveniat toti Trinitati', quia cum dicitur 'Deus genuit Deum', hoc nomen 'Deus' ex adiunctione verbi trahitur[z] ad supponendum pro Patre; similiter cum dicitur 'Deus spirat Deum', trahitur

---

[a] B om. [b] BRG add. *in*, V om. *dicit*. [c] L add. *nature*. [d] R om. [e] G *sic*. [f] L add. *principaliter*. [g] V om. [h] L in mg. *filius*, expuncto in textu *relatio*. [i] S *rationibus*. [k] V *ipsius*. [l] P om. [m] R om. *p. s.* [n] V om. [o] P add. *quod*. [p] L *ergo*. [q] G *aliud*. [r] PVS *venientes*; BRGL *vero* pro *autem*. [s] PG *personaliter*; V om. *et*; PSBRG om. *in*. [t] BRG add. *etc*. [u] L *deitas*, G om. *in*. [v] P om. [x] R om. [y] S *gignens*. [z] R *contrahitur*.

1 Cap. 1 (PL 42, 820).
2 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 4 (f. 5a sqq.), ubi etiam sequens notatur.
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, praeloc. (I, 2b).
4 Cap. 54 (PL 158, 202).
5 Rectius *De fide Trinit.*, c. 3 (PL 158, 268).
6 Cf. supra, p. 414, nota 6,
7 Cf. Boeth., *De Trinit.*, cc. 4 et 5 (PL 64, 1253 sq.).
8 *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 826).
9 Cf. hic, parum supra.

ad supponendum pro Patre vel Filio. Cum itaque dicitur [a] 'velle vel posse generare', dicuntur duo: 'velle et posse', quod ad Deum pertinet, 'generare' quod ad Patrem, et ideo sic intelligendum est: suppositum Deus Pater potuit vel voluit genérare.

MEMBRUM II.

De nomine 'Filius'.

Consequenter quaeritur de hoc nomine 'Filius'. Circa quod quaeruntur plura. In primis ergo quaerendum esset utrum aequivoce vel univoce diceretur de Filio Dei per naturam et de nobis, qui dicimur filii [b] per adoptionem; sed istud cum aliis quae quaeruntur de filiatione per adoptionem determinatur infra, Tractatu de fide humanitatis, Quaestione de nativitate temporali Christi [1]. Sed ad praesens quaeruntur ista [c]:

Primo, quomodo sit proprium nomen [d] personae divinae;

secundo, an nos dicamur filii Dei per naturam vel per solam gratiam;

tertio, utrum daemones vel mali homines dicantur filii Dei;

quarto, an Adam in statu innocentiae dicatur filius Dei;

quinto, de sanctificatis in utero.

CAPUT I. 408

QUOMODO 'FILIUS' SIT NOMEN PROPRIUM PERSONAE DIVINAE.

Ad primum movetur quaestio, 26 dist. I *Sententiarum* [2], Quomodo etc.: « Quomodo sit proprium nato Deo [e] esse Dei Filium vel genitum ex Deo, cum et homines filii Dei vocentur, secundum illud Psalmi [f] 81,6: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes;* et Deuter. 6 [3]: *Filius meus primogenitus Israel* ».

Et respondet [4] quod Deus natus est Dei Filius et nos, sed differenter: quoniam ille est Filius per naturam, nos per adoptionem; ille simul [g] natus et Filius, nos prius nati quam filii; ille originis proprietate, nos factura; ille Filius vere, nos nuncupatione; ille Filius solius Patris, nos totius Trinitatis. Unde Hilarius [h], III libro *De Trinitate* [5]: « Dominus dicens: *Pater* [i], *clarifica Filium tuum* etc., Ioan. 17,1, non solo nomine contestatus est se esse Filium, sed etiam [k] proprietate; nos filii Dei sumus, sed non talis hic Filius: hic enim verus et proprius Filius origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione, nativitate, non creatione ».

CAPUT II. 409

AN NOS DICAMUR FILII DEI PER NATURAM VEL PER SOLAM GRATIAM.

Secundo quaeritur an nos dicamur filii [l] per naturam vel per solam gratiam.

a. Cum enim sit in nobis duplex esse, scilicet naturae et gratiae, aut ergo dicimur filii propter esse naturae aut propter esse gratiae. Si propter esse naturae: tunc quaelibet creatura potest dici filius Dei sicut et rationalis, quoniam illo modo non dicitur Deus Pater [m] nisi per creationem; sed Creator est omnium; ergo paternitas, quae inest ei per creationem, erit respectu cuiuslibet creaturae. Si autem dicimur filii solum propter esse gratiae, hoc non videtur: dicimur enim filii [n] propter imaginem Dei, quae est in nobis; sed imago non differt nisi [o] secundum magis et minus in conformatione [p] ad Deum, prout dicitur imago creationis et recreationis sive imago naturae et gratiae; sed magis et minus non facit

---

[a] L om. [b] G om., B add. *Dei.* [c] P om. [d] S om. [e] G *de eo*, BRG om. *Dei.* [f] V *idem Spiritus Psalmus*, L *in Psalmo*; G *ecce* pro *Ego.* [g] G *similis*; S *est* pro *et.* [h] BRGL add. *in.* [i] BROL om. [k] V add. *nos.* [l] P add. *Dei*, BROL om. *nos.* [m] G om. [n] G om. *solum... filii.* [o] V om. [p] S *confirmatione.*

[1] In libro III huius *Summae.*
[2] Cap. 4 (p. 166).
[3] Rectius Exod. 4, 22.
[4] Lombard., loc. cit. et c. 5 (p. 167sq.), ad sensum, ubi et textus Hilarii.
[5] Num. 11 (PL 10, 82).

differre filium a non-filio; ergo utroque modo dicemur esse filii [a].

[Solutio]: Quod concedendum est. Rationalis enim [b] creatura eo dicitur filius Dei in quantum capax Dei est; hoc autem est in quantum ad imaginem et similitudinem Dei est [c]; et, in quantum capax Dei est [d], potest participare Deum; et in quantum potest participare Deum, potest esse deus participatione, non natura [1]; et ideo ratione praedictae capacitatis, rationalis creatura filius Dei appellatur.

410 CAPUT III.

UTRUM DAEMONES VEL MALI HOMINES DICANTUR FILII DEI.

Consequenter quaeritur an mali homines vel daemones possunt dici [e] filii Dei.

Quod sic, videtur per praedicta [2], *a.* cum sint creati ad imaginem.

b. Praeterea, factura ipsius sunt; dicit autem [f] Hilarius [3] quod homines dicuntur « filii Dei per facturam ».

Contra: 1. Ezech. 16, 3: *Pater tuus amorrhaeus et mater tua cethaea*, dicitur de malis.

2. Item, Ioan. 8, 44: *Diabolus mendax est et pater eius;* sed per mendacium intelligitur omne peccatum: « omne enim peccatum mendacium est », ut dicit Augustinus [4]; quilibet ergo peccator filius est diaboli; non ergo Dei. Et Ioan. 8, 44: *Vos ex patre diabolo estis;* et I Ioan. 3, 10: *In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli.*

3. Item, diabolus non habet possibilitatem aliquam ad imitationem divinae bonitatis, cum voluntas sua universaliter sit contraria voluntati Dei.

Respondeo: Creatura rationalis dicitur imago eo quod Dei capax. Ista capacitas sive potentia per peccatum corrupta est in diabolo nec est recreabilis diabolus, nec poenitentiae [g] susceptibilis, ut dicit Damascenus [5]; ideo non est filius Dei, sed fuit, quia non est imago in eo, ut est ad Deum participandum, sed fuit a principio creationis. Similiter dicendum de damnatis. De aliis malis dicendum quod simpliciter sunt *filii diaboli*, secundum quid autem *filii Dei*, eo quod in ipsis [h] potestas est ad recreationem, et ita capacitas, licet diminuta, et ita eo modo filii [i] quo capaces.

411 CAPUT IV.

UTRUM ADAM IN STATU INNOCENTIAE DICERETUR FILIUS DEI.

Deinde quaeritur utrum Adam in statu innocentiae diceretur filius Dei.

Ad quod sic: I *Sententiarum*, 26 dist. [6], dicitur quod nos sumus prius nati quam filii. Secundum hoc videtur quod Adam in primo statu [k] non fuit filius, nec angeli [l] similiter, et quod postea non potuerunt dici filii adoptivi, quoniam adoptio [m] est mutatio ab ira in amorem.

Respondeo: Quod dicitur quod 'nascimur prius quam simus filii', intelligendum est de statu post lapsum. Unde Adam fuit simul plasmatus et filius et postea mutari potuit in filium gratiae; unde Magister loquitur de filiis per adoptionem. Et similiter fuit in Adam, quia prius fuit quam filius per gratiam gratum facientem, sed in hoc est dissimile [n] quod nos sumus prius filii irae, quod [o] ipse non fuit. Notandum etiam [p] quod Adam etsi non tempore, tamen natura prius fuit quam fuerit filius Dei sive per gratiam innocentiae [q] sive per gratiam gratum facientem, sicut prius est considerare naturam, postea eius innocentiam.

Ad aliud dicendum quod, cum adoptio sit mutatio in gratiam, duplex dicitur adoptio, sicut duplex mutatio. Mutatio enim quaedam est secundum contradictionem sive negationem, quaedam secundum contrarietatem, sicut cum [r] anima mutatur ab ignorantia in scientiam: cum mutatur ab ignorantia in scientiam [s] secundum negationem, tunc est mutatio secundum contradictionem; cum vero ab ignorantia secundum dispositionem,

[a] L add. *Dei.* [b] V om. [c] G om. *hoc... est.* [d] V om. *hoc... est.* [e] V esse. [f] G *enim.* [g] L om. [h] V *istis* pro *i. i.* [i] L om. [k] V add. *suo.* [l] BRG *angelus.* [m] Ita PL, alii *adoptatio.* [n] PVS *diminibile.* [o] G *quam.* [p] L *tamen.* [q] SR om. *s. p. g. i.* [r] R om. [s] PVS om. *c. m. a. i. i. s.*

1 Cf. supra, num. 355.
2 Cf. cap. praecedens.
3 Cf. *De Trinit.*, XII, nn. 12 et 13 (PL 10, 440).
4 *Enchir.*, c. 18 (PL 40, 240).
5 Cf. *De fide orthod.*, II, c. 30 (PG 94, 978).
6 Cap. 4 (p. 167).

mutatio est secundum contrarietatem. Secundum hoc adoptio potest esse mutatio in gratiam secundum negationem, cum scilicet de non-grato fit gratus; vel potest esse mutatio de ingrato secundum dispositionem. Primo modo fuit adoptio in Adam, secundo modo in nobis.

CAPUT V. 412

UTRUM SANCTIFICATI IN UTERO DICANTUR FILII DEI.

Consequenter quaeritur an sanctificati in utero dicantur filii Dei [a].

Nam si nos [b] sumus prius nati quam filii, ergo cum illi nondum sint nati, non erunt [c] filii.

Contra: Creatio praecedit recreationem et conditio [d] sanctificationem; sanctificatio vero ponit filiationem; cum ergo iam in utero sint conditi et sanctificati, ergo filii.

Respondeo: Est nativitas duplex: nativitas in utero qua prius fuerunt nati, et nativitas ex utero qua non [1].

MEMBRUM III.

De nomine 'Imago'.

Consequenter quaeritur de nomine Imaginis: eo enim dicitur Imago quo Filius, ut dicit Augustinus [2].

De quo quaeruntur haec:

Primo, an Imago in divinis dicatur essentialiter et quid sit secundum quod sic accipitur;

secundo, quid sit [e] Imago in divinis personaliter;

tertio, quomodo Imago esse [f] conveniat soli Filio.

CAPUT I. 413

AN IMAGO IN DIVINIS DICATUR ESSENTIALITER ET QUID SIT [3].

Ad primum sic: *a.* Imago est, cuius generatio per imitationem est, sicut dicit Philosophus [4].

b. Item, Hilarius, in libro *De Synodis* [5]: « Imago est eius rei [g], quam imaginatur [h], species indifferens »; item: « Imago est rei ad rem coaequandam imaginata [i] et indistincta similitudo ».

I. Contra primam sic obicitur: 1. Nam secundum hoc non erit imago quod non erit ens ab alio, cum imago sit « cuius generatio per imitationem est »; non ergo divina natura potest dici imago nec Trinitas personarum. Quod est contra Hilarium, IV *De Trinitate* [6]: « Deus ad communem sibi cum Deo imaginem eamdemque similitudinem reperitur hominem operari »; item, contra Bedam [k], Gen. 1,26: *Faciamus hominem* etc., Glossa [7]: « Cum dicitur '*faciamus*' et '*nostram*', non est una communis imago Dei et angelorum, sed trium personarum [l] intelligitur imago ».

II. Quaeritur ergo secundum hoc quid sit Imago: aut essentia solum aut essentia in personis.

a. Et cum Imago intelligatur quae est « communis [m] trium personarum », et in quantum huiusmodi, sicut dicit Beda [8], erit imago secundum hanc [n] acceptionem essentia in tribus personis. Et hoc est quod dicit Augustinus, in sermone *De Imagine* [9]: « Est similitudo Trinitatis in anima, quae est ad imaginem sui Conditoris perfecte [o] in Patre et Filio et Spiritu Sancto condita. Et licet illa unius naturae sit, habet tamen in se tres dignitates: intellectum, voluntatem et memoriam. Et sicut [p] Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tamen tres dii, ita anima est

---

[a] BRGL om. [b] BRGL non. [c] BRG add. nec. [d] B ideo. [e] BRG om. [f] V om. [g] BRG add. secundum, SL qua pro quam, V om. est. [h] PVS imaginamur. [i] Ita P (corr.), alii imaginaria; G distincta pro indistincta. [k] V om. [l] PVS personaliter. [m] L om. communis [n] PVS om. [o] B persone. [p] S sic.

1 Cf. supra, num. 53.

2 Cf. *De Trinit.*, VII, c. 1, n. 1 (PL 42, 933).

3 Totum hoc caput verbotenus habetur ap. Ioan. de Rupella, *Summa de anima*, c. 25 (ed. Domenichelli, p. 138 sqq.). Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 31, p. 2, a. 1, q. 1 (I, 539 sqq.).

4 Aristot., *Topic.*, VI, c. 2 (I, 236).

5 Num. 13 (PL 10, 490), ubi et sequens.

6 Num. 18 (PL 10, 111).

7 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.; ex Beda, in h. l. (PL 91, 29).

8 Loc. cit.

9 Cf. *Sermo* 52, c. 6, n. 17 et c. 7, nn. 18 et 19 (PL 38, 361 sq.), ad sensum.

intellectus, voluntas et memoria, non tamen tres animae ». Ex hoc relinquitur quod, cum dicitur Imago in divinis essentialiter, Imago est essentia in tribus personis.

Sed contra: 1. Si Imago dicit essentiam in tribus personis, ergo per intellectum abstractis personis non erit dicere Imaginem; ergo nec anima poterit dici ad imaginem. Quod est contra Augustinum, in sermone *De Imagine*[1], ubi [a] dicit quod anima gerit quamdàm similitudinem Trinitatis, secundum quam est imago omnipotentis Dei primo in eo quod sicut Deus est, vivit et sapit, ita anima secundum modum suum est, vivit et sapit: sed esse [b], vivere et sapere possumus intelligere in essentia Dei, circumscripta Trinitate personarum [c]; ergo et Imaginem; non ergo Imago dicit essentiam in personis.

2. Item, obicitur: cum imago semper dicatur ad aliquid, scilicet alicuius imago aut aliquorum, si essentia divina est imago, erit igitur alicuius. Sed cuius? Non potest dici quod alicuius creati nec aliquorum, quia non posset nisi divinarum personarum; sed cum necesse sit diversitatem esse vel alteritatem imaginis et illius cuius est imago, nulla autem [est] diversitas vel alteritas essentiae ad personas, non igitur est essentia imago personarum; nullo ergo modo poterit dici imago.

Respondeo: I. Dicendum quod imago dicitur dupliciter: proprie, scilicet quod ad imitationem alterius est, et improprie, et hoc dupliciter: uno modo ad cuius imitationem alterum est expressum [d], alio modo secundum quod in imitatione sunt aliqua. Primo modo dicitur quasi passive, scilicet forma expressa ad imitationem alterius; secundo modo quasi active, scilicet forma ad cuius expressionem [e] est alia; tertio quasi relative [f], scilicet respectus imitationis aliquorum in aliqua forma. Secundum primum modum essentia divina non potest dici imago, sed Filius dicitur Imago Patris et homo imago Dei secundum suum modum. Secundum alium modum essentia divina in personis dicitur imago hominis, quia ad imitationem eius expressissime est homo. Secundum tertium modum dicitur essentia imago personarum, quia secundum ipsam sunt in omnimoda imitatione essentiae et virtutis; et tunc significatur essentia divina ut relatio vel ut forma respectiva, quemadmodum significatur per hoc nomen ' similitudo '. Nec sequitur ex hoc quod sit [g] alteritas vel diversitas essentiae ad personas, sed quod alius modus vel alter intelligendi essentiam et personas.

Nota ergo quod cum dicitur essentia [h] « imago communis trium personarum », connotatur relatio vel respectus intrinsecus personarum in aequalitate essentiae. Unde Beda[2], super Gen., 1,26: *Faciamus hominem ad imaginem* [i] etc.: « In eo quod dicitur *faciamus* una operatio trium personarum exprimitur; in eo quod *ad imaginem*, una et aequalis substantia Trinitatis ». Secundum vero [k] quod dicitur imago ad hominem, notatur respectus extrinsecus et connotatur respectus creaturae imitantis expresse Deum, secundum quod possibile est. Et [l] est exemplum huius: cum dicitur [m] ' isti sunt similes ', notatur intrinseca relatio, et cum dicitur ' isti sunt similes illi ', notatur extrinseca.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet solutio ad primum et ultimum obiectum.

II. Ad illud vero quod quaeritur an imago, dicta de essentia, significet essentiam aut etiam [n] essentiam in personis: dicendum quod imago improprie [o] significat essentiam, minus tamen proprie significat essentiam in personis. Et ratio huius est, quia imago notat pluralitatem et dicit respectum, qui respectus plurium est, quia ex parte essentiae, in quantum huiusmodi, nulla est pluralitas nisi consideretur in personis; et tunc pluralitas personarum est unitas, secundum quam significatur imitatio ex parte essentiae, propter quam imago minus proprie sumpta significat essentiam in personis, magis vero improprie posset significare essentiam. Unde secundum quemdam modum, abstractis personis, intelligemus hominem ad imaginem Dei secundum esse, vivere et sapere, nec intelligemus ex parte essentiae pluralitatem [p] vel diversitatem substantiae nec distinctionem personarum secundum hunc modum, sed multiplicitatem virtutis, non dico multitudinem, quia multiplicitas virtutis dicitur respectu effectuum. Est enim regula: « quanto aliquid simplicius in essentia, tanto multiplicius in virtute [3] »; sicut patet: imaginatio simplicior est in [q] essentia sensu exteriori et multiplicior in virtute, ratio imaginatione, intellectus ratione. Secundum hoc ergo diceretur quod imago connotaret multiplicitatem [r].

III. Item, quaeritur secundum quod imago dicit essentiam ad cuius imitationem fit aliud, quid [s] praecise sit imago. Numquid erit essentia secundum rationem exemplaritatis?

Contra: 1. Si hoc, ergo quaecumque sunt ad exemplar, erunt ad imaginem; sed omnes

---

[a] PVS *ibi*. [b] Ita L add. mg., alii om. [c] G *personaliter*. [d] V *expressis*. [e] L *imitationem*. [f] PVS *relativa*. [g] P om. [h] V add. *est*. [i] B om. *a. i.* [k] L om. [l] S *ut*. [m] BR om. *c. d.* [n] G *secundum*. [o] P *proprie*. [p] GL *pluraliter*, G om. *vel*. [q] PVS om. [r] G *multiplicationem*. [s] G *sit aliud quam* pro *f. a. q.*

1 Cf. loc. cit. et *De div. quaest. 83*, q. 50, n. 2 (PL 40, 32 sq.).

2 *Hexaëm.*, I (PL 91, 29).

3 *Lib. de causis*, §§ 4, 9 et 16 (p. 166, 173, 179).

creaturae sunt ad exemplar; ergo omnes creaturae sunt ad imaginem; ergo ipsis poterit convenire istud: *Faciamus ad imaginem* [a] etc., quod negant omnes.

Respondeo: Imago dicit divinam essentiam in tribus personis ut exemplar ad imitationem expressam; et haec est plena et praecisa ratio imaginis secundum quod convenit divinae essentiae in tribus personis. Additur autem super rationem exemplaris [b] respectus imitationis expressae, qui quidem respectus erit in creatura, scilicet anima rationali, comparatione Dei, et connotatus in significatione imaginis secundum quod designat divinam essentiam in tribus personis.

CAPUT II.

QUID SIT IMAGO IN DIVINIS PERSONALITER.

Deinde quaeritur quid sit imago in divinis secundum quod accipitur personaliter.

Ad quod nota duas definitiones Hilarii [1]. Prima est haec: « Imago est eius [c], quod imaginatur, species indifferens »; secunda est [d]: « Imago est [e] rei ad rem coaequandam imaginata et indiscreta similitudo ».

Primo ergo quaeritur de partibus primae definitionis;

secundo, de partibus secundae;

tertio, de differentia harum definitionum.

ARTICULUS I. 414

De partibus primae definitionis.

Quaeritur [f] primo de prima definitione [2].

1. Nam dicit Hilarius consequenter [3] quod « necesse est imaginem habere in se speciem et essentiam et naturam auctoris ». Quare ergo magis definitur imago per speciem quam per naturam vel essentiam, et quare magis appropriatur imago Filio quam essentia vel natura?

2. Item, Spiritus Sanctus est « species indifferens » in substantia cum Patre et ipsum repraesentat; ergo est imago ipsius.

3. Item, quid dicitur ibi « species »? Aut enim species dicit essentiam aut personam; non essentiam, quia essentia non dicitur relative; nec personam, quia non est persona « indifferens », sed differens Filius a Patre.

4. Item, quaeritur si Spiritus Sanctus est species vel imago. Videtur enim quod sic: quia sicut Filius repraesentat Patrem et convenit cum eo in substantia et in [g] notione, quia alius a Filio sicut a Patre, sic [h] Spiritus Sanctus indifferens est in substantia cum Filio, etiam in notione, quia sicut Filius a Patre est, sic [i] Spiritus Sanctus.

Respondeo quod imago est species, id est conformitas expressiva eius quem imaginatur, id est [k] repraesentat, et indifferens in substantia cum illo; quod dicitur ad differentiam imaginis [l] creatae, quae alterius est substantiae cum eo quem imaginatur [4].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo quaeritur: dicendum quod species refertur ad cognitionem, cognitio autem appropriatur Filio, et ideo imago magis per speciem definitur. Differunt autem species, natura et essentia: essentia enim est quo res est; natura, quo movet [m] vel agit; species, quo cognoscitur.

2. Ad aliud dicendum quod species hic dicitur relative: dicit enim essentiam, sed connotat conformitatem plenam quam habet Filius cum Patre in essentialibus et notione. Licet enim Spiritus Sanctus habeat conformitatem in essentialibus, non tamen [n] habet conformitatem cum Patre in aliqua notione; unde non potest dici « species indifferens », prout sumitur species in hac definitione: dicit enim divinam essentiam, sed connotat notionalem conformitatem [5].

3. Ad aliud dicendum quod species supponit divinam essentiam et supponit personam et connotat [o] conformitatem: unde est indifferentia in conformitate quae est notionis, non personae. Unde quod dicitur « species indifferens » idem est ac si diceretur 'persona conformis indifferens', ut notetur indifferentia respectu conformitatis, non respectu personae; et ista conformitas

[a] V *hominem* pro *a. f.* [b] R *exemplarem.'* [c] G om. [d] L add. *hec.* [e] VB om., in R est add. interl. [f] BRGL add. *ergo.* [g] BRG om. [h] B *sicut.* [i] V *ita.* [k] PV *et* pro *i. e.* [l] V *hominis.* [m] L *manet;* BR *qua* pro *quo.* [n] G om. [o] G *notat.*

1 *De Synodis*, n. 13 (PL 10, 490), ubi et sequens.
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 31, p. 2, dub. 4 (I, 550 sq.).
3 Loc. cit.
4 Cf. supra, p. 604a, sub *Respondeo.*
5 Cf. S. Bonav., loc. cit., dub. 5 (I, 551).

attenditur quantum ad essentiam et quantum ad communem notionem: quantum ad essentiam, quia Pater et Filius Deus; quantum ad notionem, quia uterque spirat Spiritum Sanctum.

4. Ad aliud quod obicitur quod 'Spiritus Sanctus est imago Filii, quia convenit cum eo in [a] essentia et in proprietate, quae est quia ipse ab alio sicut Filius, per auctoritatem Damasceni' [1]: dicendum quod 'esse ab alio' non facit notionem personae, quia aequivoce dicitur de Filio et Spiritu Sancto. Praeterea, 'esse ab alio' sive 'accipere' non notat nisi privationem seu negationem: idem enim est accipere quod non habere a se; ad hoc autem quod dicatur aliquid esse imago alterius, exigitur conformitas in aliqua positione [b]: non enim lapis dicitur imago ligni, quia non est homo. Quod autem dicit Damascenus quod Spiritus Sanctus est imago Filii, intelligitur effective, et illud amplius declarabitur [2].

415

ARTICULUS II.

De partibus secundae definitionis.

Secundo quaeritur de partibus secundae definitionis quae est [c]: « Imago est rei ad rem coaequandam imaginata et indiscreta similitudo ».

Videtur enim haec convenire essentiae et Spiritui Sancto: 1. Idem enim est similitudo et essentia; ergo quidquid convenit uni, et alii; sed similitudini convenit quod sit « imaginata »; ergo et essentiae.

2. Item, sicut in Filio et Patre est essentia in nullo differens, ita et in Spiritu Sancto; ergo « imaginata et indiscreta similitudo [d] ».

3. Item, similitudo aut sumitur ibi essentialiter aut personaliter. Si essentialiter: ergo male dicitur « imaginata », quia essentia non distinguitur, 'imaginatum' autem dicit distinctum; si personaliter: ergo male dicitur « similitudo indiscreta », persona enim discreta [e] est ab alia.

Respondeo: Quod dicitur « similitudo » non convenit essentiae, quod dicitur « imaginata » non convenit Spiritui Sancto. Similitudo enim [f] dicit duo: distinctionem personarum, quia non est similitudo eiusdem ad se, et unitatem formae in qua assimilantur. Quod ergo dicitur « imaginata » [g], dicitur ratione expressae imitationis; quod dicitur « indiscreta », ratione unitatis [h] essentiae. Cum ergo dicitur Filius similitudo Patris, notatur quod sit distinctus a Patre et quod conveniat cum eo in aliqua forma, scilicet in essentia. Unde similitudo secundum rem sive principale significatum idem est quod essentia; sed essentia significat [i] absolute, similitudo vero in respectu: est enim similitudo unitas aliquorum in forma. Unde non valet: 'idem est similitudo quod essentia, sed similitudo est imaginata, ergo et essentia, ergo distincta'. Nam similitudo non dicitur « imaginata » ratione principalis significati, sed ratione imitationis expressae ibi connotatae; sed « indiscreta » dicitur ratione principalis significati, scilicet essentiae; item, Spiritus Sanctus non est similitudo expressa, quia non convenit in notione. Cum ergo dicitur « imago est similitudo indiscreta », notatur unitas essentiae, distinctio personarum; cum vero additur « imaginata », notatur expressio similitudinis quae convenit soli Filio, quia Filius est similitudo Patris expressa, quod non Spiritus Sanctus; « rei ad rem coaequandam » dicitur ad differentiam imaginis creatae, quae non coaequatur ei cuius est imago.

Aliter dicunt quidam ad praedicta et ad ultimo quaesitum, quia [k] imago habet quasi [l] duo de suo intellectu: essentiam, in qua communicat cum auctore, et distinctionem, qua distinguitur ab eo; et haec duo significat Hilarius in utraque definitione. Quod enim dicitur in prima quod « est species indifferens », unitatem significat essentiae; per hoc quod additur « quam imaginatur », notatur distinctio. Unde in hac definitione ponitur essentia recte, distinctio oblique; in altera vero distinctio recte, eo quod imago recipit distinctionem in sua definitione, sicut primum definiens, similitudo autem dicit distinctionem, quia similitudo sola non est; unde ista definitio ordine partium et positione differt a prima, quemadmodum differunt istae duae definitiones: simus est nasus curvus, simitas est [m] nasi curvitas [3].

Ex iis patet differentia secundum rationem intelligentiae speciei et similitudinis, quia species demonstrat essentiam sive naturam, simi-

---

[a] S *in eo cum* pro *c. e. i.* [b] G *compositione.* [c] L add. *hec.* [d] PV add. *est ab anima,* quod S exp. [e] G om. *similitudo. Item... discreta.* [f] BRG om. [g] BRGL *imaginatum,* P om. *dicitur.* [h] L *imitationis.* [i] V *dicitur.* [k] BRGL *quesita quod* pro *q. q.*; R *ultima* pro *ultimo.* [l] BRG om. [m] P om.

1 Cf. *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 855), cui, tacito nomine, innititur quarta obiectio; cf. infra, num. **418**, litt. *b*.

2 Cf. infra, num. **418**.

3 Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 5 (II, 542).

litudo distinctionem: species enim est quo res cognoscitur; et idem convenit similitudini, sed addit[a] similitudo esse ab alio[b]: unde similitudo est species ens ab alio. Sed adhuc imago addit supra similitudinem expressionem convenientiae; unde dicit Augustinus, in libro 83 *Quaestionum*[1], quod omnis imago est similitudo, sed non e converso, quia imago est expressa similitudo; et additur hoc[c] ad demonstrandum veritatem rei cuius est imago; et ideo in definitione imaginis additur « imaginata » supra similitudinem, ad demonstrandum expressionem similitudinis. Ultra vero additur « indiscreta », ad demonstrandum veritatem essentiae et indifferentiam.

Si quis autem obiciat quod oppositio est cum dicitur « indiscreta similitudo », quia « similitudo » dicit distinctionem, « indiscreta » indifferentiam – dicendum quod indifferentia essentiae non opponitur distinctioni personarum.

Notandum autem est quod ex iis quae dicit Hilarius[2], quod « necesse est imaginem habere speciem, naturam et essentiam auctoris », patet quod species non est proprietas imaginis, sed solum appropriata: supponitur enim idem nomine speciei, essentiae et naturae. — Item, per hoc quod dicitur « ad rem coaequandam » in secunda definitione imaginis demonstratur[d] perfectio sive perfecta rei impletio; unde Augustinus[3]: « Imago[e] si perfecte implet illud cuius est imago, coaequatur ei, non illud imagini ». Per illam secundam differentiam separatur imago increata a creata. — Quoniam vero « imaginata » notat distinctionem, quae non convenit essentiae, ideo non ponitur recte, sed oblique in prima definitione, ut diceretur: « Imago est species indifferens », quia « species » ibi supponit essentiam; ponitur autem recte in secunda, quia « similitudo » supponit[f] rem distinguibilem vel distinctam[g].

ARTICULUS III. 416

De differentia harum definitionum.

Deinde quaeritur de differentia harum definitionum, quamvis iam tacta sit[4].

In utraque enim notatur[h] quod est convenientiae et quod est differentiae: alia enim est convenientia et alia differentia imaginis ad id cuius est imago. In prima enim, cum[i] dicitur « species indifferens », notatur convenientia; in secunda, cum dicitur « similitudo indiscreta », notat convenientiam[k]; quod additur « imaginata » notat differentiam. Quaeritur ergo quomodo differant.

Respondeo: Cum Filius sit[l] expressa similitudo Patris quantum ad cognitionem et virtutem[m] quae ei attribuitur, in quantum est Dei virtus et sapientia[5], prima definitio imaginis datur secundum expressam similitudinem quantum ad cognitionem: unde dicitur « species indifferens », speciei autem ratio pertinet ad cognitionem; secunda vero definitio datur secundum expressam similitudinem in virtute: unde dicitur « imago rei[n] ad rem coaequandam imaginata et indiscreta similitudo »; aequalitas autem dicit unitatem in quantitate[o], quae in divinis est virtus, coaequalitas vero dicit expressam imitationem in virtute.

Nota etiam, quod Filius dicitur essentia in quantum est et habet esse, natura in quantum habet esse per generationem, species vero dicitur in quantum est principium cognoscendi Patrem.

Et sic patet differentia illarum definitionum.

CAPUT III.

QUOMODO IMAGO ESSE CONVENIT SOLI FILIO.

Restat quaerendum quomodo Imaginis nomen proprie conveniat Filio Dei[p]. Et quaeruntur duo[q]: Primo, utrum nomen imaginis posset convenire rationali creaturae et Filio Dei; et si conveniat aliquo modo, utrum univoce vel aequivoce;

secundo, utrum posset attribui Spiritui Sancto[r].

---

[a] P om. [b] P add. *est species ens ab alio.* [c] G om. [d] G *detur.* [e] BRG om. [f] SL *ponit.* [g] G *distinctio.* [h] G *natura.* [i] PVS *quod.* [k] G om. *in secunda... convenientiam.* [l] V *dicitur.* [m] G *unitatem.* [n] G om. [o] V *quantitatem in unitate* pro *u. i. q.* [p] BRGL om.; BR om. *proprie.* [q] BRL *tria.* [r] G om. *secundo... Sancto.*

[1] Quaest. 74 (PL 40, 86).
[2] Cf. supra, p. 605, n. 1.
[3] *De Trinit.*, VI, c. 10 (PL 42, 931).
[4] In articulo praecedenti.
[5] Cf. I Cor. 1, 24.

417 ARTICULUS I.

Utrum nomen imaginis posset convenire rationali creaturae et Filio Dei [1].

I. **Ad primum sunt auctoritates:** *a.* Nam [a] dicit Augustinus, in sermone *De Imagine* [2], quod [b] nulli alii creaturae ab homine dedit quod sit imago.

b. Item, Gen. 1, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem* [c] etc.

c. Item, Augustinus, in libro [d] *De Trinitate* [3]: « Quia mens imago Dei est, capax Dei est ». – Quod concedendum est.

II. Sed adhuc quaeritur utrum univoce vel aequivoce dicatur de Filio Dei et homine.

Quod univoce, videtur sic: 1. Univoca enim dicuntur quorum nomen commune est et ratio substantiae eadem [4]; sed imagini, prout Filius dicitur Imago, et imagini, prout homo dicitur imago, convenit ratio una, scilicet « imago est cuius generatio est per imitationem [5] »; ergo univoce dicitur imago de Filio Dei et de [e] homine.

Contra: *a.* Imago, quae est Filius, est similitudo expressa a Patre [f] in identitate substantiae, imago, quae est homo, in diversitate substantiae; ergo non univoce dicetur imago.

b. Item, imago, quae est Filius, est expressa a Patre, imago quae est homo, a tota Trinitate; ergo non univoce.

Respondeo: Dicendum quod [g] est imago creata et increata, quemadmodum et verbum; et quia nihil est univocum creaturae et Creatori, ideo imago non dicitur univoce de homine et de Filio Dei, quia imago est ens ab alio per imitationem; sed ens ab alio non dicitur univoce de homine et de Filio Dei, quia, in quantum dicitur de Filio Dei, haec praepositio 'ab' non dicit causalitatem, sed naturae ordinem; in [h] quantum de homine dicitur, causalitatem notat. Similiter iste terminus 'alio', prout 'ens ab alio' de Filio Dei dicitur, supponit personaliter, non essentialiter: unde distinctionem notat unius ab altero secundum personalem proprietatem, non secundum essentiam; prout dicitur de homine 'ens ab alio', iste terminus 'alio' supponit essentialiter et notat diversitatem secundum essentiam imaginis ad id cuius est imago. Unde imago, prout dicitur de Filio, tantum ad Patrem refertur; prout dicitur de homine, ad totam Trinitatem: secundum enim memoriam, intelligentiam et voluntatem, quae sunt in mente, dicitur homo esse ad imaginem Dei. Unde est imago Trinitatis et unitatis, et hoc significatur per hoc quod dicitur: *Faciamus hominem* etc.; Filius vero non est imago Trinitatis et unitatis, sed solum Patris. Quia ergo imago, dicta de Filio respectu Patris, non importat distinctionem essentialem, sed solum [i] personalem, ideo dicitur de Filio quoniam est imago Patris, non ad imaginem, ut dicit Augustinus [6]; de homine vero dicitur quoniam est imago et ad imaginem, ut per hanc praepositionem 'ad' notetur diversitas imaginis et separatio a re cuius est imago. Et secundum hoc [k] patet quomodo imago non sumatur univoce; imago enim, prout dicitur de Filio, sic definitur ab Hilario, in libro *De Synodis* [7]: « Imago est eius rei, quam [l] imaginatur, species indifferens ».

418 ARTICULUS II.

Utrum nomen 'Imago' posset attribui Spiritui Sancto.

Secundo quaeritur I. utrum nomen Imaginis possit attribui Spiritui Sancto.

a. **Nam videtur** ei convenire praedicta ratio imaginis.

b. Item, Damascenus [8] dicit quod « Spiritus Sanctus est Imago Filii, per quam Christus, inhabitans hominem, dat quod secundum imaginem [m] est Deus ».

c. Praeterea, sicut Filius est a Patre, habens cum Patre naturae indifferentiam, ita Spiritus Sanctus est a Patre, habens cum Patre naturae

---

[a] BRL add. *sicut*. [b] P add. *Filio Dei*. [c] BR add. *nostram*. [d] BRG om. *l. l.* [e] BRGL om. [f] G om. *a. P.* [g] BR add. *duplex*. [h] S *et*. [i] BRG *solummodo*, V *etiam*. [k] L *homo*. [l] PV *quod*, V *re* pro *rei*. [m] B add. *non*.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 31, p. 2, a. 1, q. 2 (I, 541 sqq.).
2 Cf. *Sermo* 52, c. 6, n. 17 (PL 38, 360 sq.); *De spiritu et anima* (PL 40, 805).
3 Lib. XIV, c. 8, n. 11 (PL 42, 1044).
4 Cf. Aristot., *Metaph.*, III, c. 2 (II, 500).
5 Aristot., *Topic.*, VI, c. 2 (I, 236).
6 *Retract.*, I, c. 26 (PL 32, 626); cf. *De Trinit.*, VII, c. 6 (PL 42, 946).
7 Num. 13 (PL 10, 490).
8 *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 855).

indifferentiam; quare videtur Spiritus Sanctus imago Patris sicut Filius: non enim videtur Filius dici Imago nisi quia est [a] ab ipso per naturae indifferentiam.

Respondeo: Secundum Augustinum, in libro *De Trinitate* [1] et *83 Quaestionum* [2], omnis imago est similitudo, sed non convertitur. Est enim imago expressa similitudo, quae in creaturis determinatur quantum ad figuram, quantitatem et materiam: in creaturis enim filius materiam habet a patre; in divinis autem determinatur quantum ad naturam simpliciter et ratione naturae: est enim Filius ens a Patre communicans cum Patre in natura et ratione naturae, hoc est notione qua sunt unum principium Spiritus Sancti; Spiritus Sanctus vero habet unitatem cum Patre in essentia, sed non in communi notione qua ab eis producatur alia persona. Quia ergo ratio imaginis est ens ab alio indifferens illi in [b] natura et ratione naturae [c], ideo esse imaginem Patris convenit Filio [d] et ratio imaginis supra posita ab Hilario [3], sed [e] non convenit Spiritui Sancto; nam nomine speciei intelligit Hilarius non solum conformitatem naturae, sed etiam communitatem notionis. Et hoc est quod dicit Richardus, in libro *De Trinitate* [4]: « Fides catholica confitetur: " qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus " et quod uterque per omnia Patri consimilis et coaequalis. Si [f] igitur Filius recte dictus est imago Patris ratione expressae in eo similitudinis, cur non etiam Spiritus Sanctus imago Patris recte dicatur, cum uterque similis et coaequalis inveniatur? Sed huius quaestionis nodum [g] citius, ut credo, solvemus, si ad proprietatum considerationem recurramus. Commune est omnibus omnem plenitudinem habere; commune [h] Patri et Filio non tam habere quam dare; proprium autem Spiritui Sancto habere nec alii dare. In hoc igitur solus Filius expressam similitudinem Patris in se et habet et imaginem tenet, quod sicut *divinitatis plenitudo* [5] manat de uno, sic et eadem plenitudinis largitio manat de alio [i]; nec minus aliquid nec alio [k] modo accipit Spiritus Sanctus ab uno quam ab alio; nulla autem persona omnino a Spiritu Sancto plenitudinem divinitatis accipit, et ideo imaginem Patris in se ipso non [l] exprimit ». Ecce habes cur imago Patris [m] dicatur Filius, non Spiritus Sanctus.

[Ad obiecta]: *b.* Ad illud Damasceni quod « Spiritus Sanctus est Imago Filii »: dicendum quod [n] Filius dicitur esse imago Patris multipliciter. Uno modo quasi effective: sicut enim artifex, habens imaginem Herculis in mente, per illam facit eam in materia, sic [o] Pater per Filium Imaginem dicitur operari imaginem creatam. Unde Augustinus, *Ad Ianuarium* [6]: « *Imago invisibilis* [7] Patris Salvator noster est: quantum ad Patrem veritas est, quantum ad nos, quibus revelat, Imago est ». Sed sicut Pater per Filium [p] operatur imaginem creationis, ita per Spiritum Sanctum imaginem recreationis; et ita Spiritus Sanctus imago est sicut Filius, scilicet quasi effective. Secundum hoc ergo dicendum [q] de Spiritu Sancto quod non dicitur imago simpliciter, sed quasi effective, scilicet respectu imaginis recreationis. Unde imago de Spiritu Sancto duo importat: quod est a Filio et quod ab ipso est Donum, secundum [r] quod in nobis est imago recreationis; sed absolute non est Imago sicut Filius, quia non est a Patre ut habens conformitatem in productione personae ex se.

II. Sed adhuc obicitur sic: Filius est Imago Patris, quia est eius [s] expressa similitudo; sed tunc, cum Spiritus Sanctus sit a Filio, quare non est Imago Filii, quia est eius expressa similitudo? non enim contingit invenire expressiorem [t]. Praeterea, Filius [u] dicitur esse imago Patris et habere in se expressam Patris similitudinem eo quod sicut a Patre manat *plenitudo divinitatis*, sic a Filio; quare similiter, cum esse ab alio conveniat Spiritui Sancto sicut et Filio [v], erit Spiritus Sanctus expressa similitudo Filii.

Respondeo, salvo semper meliori iudicio, quod Spiritus Sanctus non dicitur esse imago proprie nec Filii nec Patris. Filii non potest dici, cum Filius sit imago; si [x] ergo esset imago Filii, esset imago imaginis: quod non convenit dicere. Et est exemplum: cum a re extra nascitur similitudo in mente artificis, expressa imago est; si autem per [y] illam operaretur statuam ad similitudinem Herculis, non diceretur statua imago similitudinis in mente, sed magis ipsius Herculis. Similiter secundum hanc rationem, cum Filius [z] rationem medii habeat, non potest dici quod Spiritus Sanctus sit imago eius, sed potius Patris. Non tamen

---

[a] P om. [b] PVS om. [c] PVS om. [d] BRL-add. *non Spiritui Sancto, ideo esse imaginem Patris convenit Filio;* BRGL om. *imaginis.* L om. [f] PVS *sic.* [g] S *notandum.* [h] PVS *communem.* [i] G om. *sic et... alio.* [k] V *aliquo.* [l] V om., G *modo.* [m] V om. PS *quoniam.* [n] SGL *sicut.* [p] BRGL add. *imaginem.* [q] V *dicitur,* L om. [r] Ita GL, *alii secundo.* [s] V *ens.* [t] Codd. *expressionem.* B add. *non.* [u] L om. *s. e. F.;* V *sic* pro *sicut.* [x] S *cum,* R om. *esset.* [y] L om. [z] S add. *hanc,* P *ratione* pro *rationem.*

1 Lib. VI, c. 10 (PL 42, 931).
2 Cf. quaest. 74 (PL 40, 86).
3 Cf. num. 418.
4 Lib. VI, c. 11 (PL 196, 975) et *Symbolum* Athanasii.
5 Cf. Col. 2, 9.
6 Pseudo-Augustin., *De incarnat. Verbi, ad Ianuar.,* I, c. 11 (PL 42, 1179).
7 Col. 1, 15.

dicitur imago Patris [a], quoniam non est expressissima similitudo: quoniam in Filio est expressior.

III. Sed adhuc quaeritur, cum Spiritus Sanctus sit omnino similis Patri sicut Filius et in nullo dissimilis, quare [b] non potest dici imago Patris secundum hanc rationem sicut et Filius?

Respondeo: Imago dicitur quasi imitago [c], quia repraesentat [d] illud a quo est. Dicendum est igitur quod proprie imago non dicitur nisi unius solius, ut imago Achillis non est nisi Achillis; sed Spiritus Sanctus a duobus est: unde neutrum eorum proprie repraesentat; sed Filius ab uno solo est nec repraesentat nisi unum tantum [e] a quo est: ideo [f] Filius tantum dicitur Imago, non Spiritus Sanctus. Et dicitur imago sive speculum, quia in eo videtur Pater quem repraesentat, sicut et Verbum dicitur, quia ipsum notificat. Unde super Matth. 11, 27: *Nemo novit* etc.[1]: « In Verbo suo Pater se declarat, quia mentis nostrae lumen est ».

MEMBRUM IV.

De nomine ' Verbum '.

Consequenter inquirendum est [g] de nomine Filii quo dicitur Verbum. Circa quod quaeruntur ista:

Primo, de intentione seu significatione ' Verbi ';

secundo, de proprietate ' Verbi ';

tertio, de operatione [h] ' Verbi ';

quarto, de cognitione ' Verbi '[2].

CAPUT I.

DE SIGNIFICATIONE VERBI.

Circa primum quaeruntur quinque:

Primo, ad cuius verbi creati similitudinem dicatur in divinis nomen ' Verbi ' [i];

secundo, utrum in divinis sit prius nomen notitiae quam ' Verbi ';

tertio, secundum quam intentionem notitiae [k] dicatur Verbum, cum verbum sit a notitia;

quarto, an effectus in creatura connotetur nomine Verbi;

quinto, utrum Filius possit dici cogitatio [l] sicut Verbum.

419

ARTICULUS I.

Ad cuius verbi creati similitudinem dicatur in divinis nomen ' Verbi '[3].

Ad primum sic: Verbum dicitur tripliciter: verbum sensibile vocis, verbum intelligibile vocis et verbum intelligibile rei [4], Sap. 2, 1: *Dixerunt impii apud se, non recte;* constat quod illud 'dicere' non fuit vocis sensibilis, sed fuit dicere interius. Similiter in Evangelio Matth. 9, 4: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* et primo dicitur [5]: *Ecce quidam de Scribis dixerunt;* relinquitur igitur quod cogitationes dictiones dicuntur. Item, Augustinus [6]: « Si verba non sonant, in corde nihilominus dicit qui cogitat ». Ad cuius ergo similitudinem istorum verborum dicitur Verbum aeternum de quo dicitur [7]: *Fiat lux, et facta est lux?*

Et videtur quod ad similitudinem verbi vocis: 1. Quia verbum rei [m] nunquam assumit formam sensibilis vocis, quia illud non fit vox, sed verbum vocis fit vox; sed Verbum aeternum est ad similitudinem illius verbi quod accipit formam vocis, quia dicitur in I Canonica Ioan. cap. 2, 1, super illud: *Si peccaverimus* etc., in Glossa [8]: « Sicut [n] verbum nostrum fit vox corporis quodammodo assumendo formam in qua manifestatur

---

[a] V om. *n. t. d. i. P.* [b] B *quando.* [c] L *imitatio.* [d] V *representatur.* [e] L *solum.* [f] V *unde.* [g] VG *queritur* pro *i. e.* [h] VBL *comparatione.* [i] G *Dei.* [k] S om. [l] L *cognitio.* [m] G *Dei.* [n] Ita R, alii *sic.*

[1] *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 114, 123), ex Beda, in h. l. (PL 92, 69).
[2] Tractatio huius omittitur.
[3] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 27, p. 2, a. un., q. 1 (I, 481 sqq.).
[4] Cf. Augustin., *De Trinit.*, XV, c. 10, n. 17 (PL 42, 1070).
[5] Matth. 9, 3.
[6] Loc. cit.
[7] Gen. 1, 3.
[8] Ap. Lyran., in h. l.; ex Augustino, *De Trinit.*, XV, c. 11, n. 20 (PL 42, 1072).

sensibus, sic[a] *Verbum* Dei *caro factum*[b] *est*[1] assumendo eam formam in qua manifestatur sensibus[c] hominum; et sicut verbum nostrum fit[d] vox nec mutatur in vocem, ita *Verbum* Dei *caro factum est* nec mutatur in carnem ». Ergo assimilatur verbo vocis.

Contra: *a.* Verbum rei[e] tolle, nec iam erit verbum intelligibile mentis[f] nec verbum sensibile vocis; sed tolle utrumque eorum et tertium remanet[g]; ergo prima intentio verbi est in ratione[h] verbi rei. — Probatio: Si enim res ipsa non sit tibi manifesta[i] aliquo modo vel per se vel per suum simile vel per suum oppositum vel effectum, nunquam per speciem vocis sensibilis duceris ad cognoscendum rem; ergo prima ratio verbi ponitur in re; ergo ad similitudinem huius dicetur Verbum aeternum.

b. Praeterea, Verbum aeternum dicitur expressa similitudo dicentis, et verbum sensibile vocis vel intelligibile[k] vocis non dicitur expressa similitudo rei quae significatur; sed ipsum verbum rei est expressa similitudo rei; ergo Verbum increatum magis assimilatur huic verbo quam aliis.

Respondeo: Dico quod tripliciter[l] dicitur verbum, ut[m] dicit Anselmus[2]: « Aut loquimur[n] cum sensibilibus signis aut eadem signa, quae foris sensibilia sunt, intra nos insensibiliter cogitando aut nec sensibiliter nec insensibiliter signis utendo ». Patet ergo quomodo tripliciter[o] dicitur verbum. Concedo autem, sicut obiectum est ultimo, quod verbum aeternum maximam similitudinem habet ad verbum intelligibile rei.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur[p] quod 'verbum intelligibile rei non fit vox, sed verbum vocis fit[q] vox': dico quod verbum intelligibile rei unit se cum verbo vocis sicut significatum[r] cum signo, et sic verbum vocis est quasi habitus verbi intellectus rei, nec propter hoc desinit esse verbum rei[s]. Sic Verbum aeternum unitur carni « nec mutatur in carnem », sed remanet Verbum. Verbum ergo rei unit se cum verbo vocis, et sic factum est sensibile, non in se, sed in voce, nec mutatur in vocem, licet voci copuletur. Unde illud quod dicitur ab Augustino, in Glossa super I Canonicam Ioan. 2, intelligitur de verbo rei[a]. Verbum enim intelligibile vocis fit ipsa, ita quod eadem sit essentia vocis intelligibilis et sensibilis; unde haec sentitur in se ipsa. Sic non est de verbo rei, quia verbum intelligibile rei[b] sentitur voce sensibili nec est ipsa vox, sed non est alia natura verbi intelligibilis vocis quam verbi sensibilis[c] vocis. Unde patet quod maxime dicitur Verbum aeternum ad similitudinem verbi intelligibilis rei.

Notandum: Cum verbum dicatur ipsa vox significans exterior, alio modo ipsa imago vocis in anima, tertio modo ipsa species intelligibilis quae generatur ex memoria vel ex ipsa[d] scientia rei, et ad eius similitudinem accipitur Verbum in divinis. Unde Augustinus explicat illud multipliciter, XV *De Trinitate*[3], dicens: « Quisquis potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam[e] sonorum eius imagines cogitatione volvantur, hoc est quod ad nullam pertinet linguam, iam potest videre per hoc speculum aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est[4]: *In principio erat Verbum*. Necesse est[f] enim, cum verum loquimur, id est *quod scimus*[g] *loquimur*[5], ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur verbum, quod sit huiusmodi cuiusmodi scientia de qua nascitur; formata quippe cogitatio ab ea[h] re quam scimus verbum est quod in corde dicimus, quod nullius linguae est ». Item, in eodem[6]: « Verbum rationalis animantis, quod neque prolativum est in sono neque in cogitatione, in similitudine[i] soni quod alicuius linguae non est, omnia, quibus significatur, signa praecedit, et gignitur de scientia quae manet in animo quando eadem scientia intus[k] dicitur sicuti est: simillima enim est visio cogitationis visioni scientiae. Et est in ista similitudine verbi nostri similitudo Verbi Dei[l], quia potest esse verbum nostrum quod non sequitur opus, opus autem esse non potest nisi praecedat verbum; sic Verbum Dei potuit esse, nulla existente creatura; creatura autem nulla esse potest nisi per Verbum, per quod *facta sunt omnia*[7] ».

ARTICULUS II. 420

Utrum in divinis sit prius nomen notitiae quam Verbi.

Consequenter quaeritur an prior sit intentio notitiae quam 'Verbi'[8].

Dicitur enim 1. Sap. 1[9]: *Fons sapientiae verbum in excelsis;* sed illud quod est fons alterius

---

[a] Ita BR, alii *sicut*. [b] R *nostrum*, quod B corr., G add. *nostrum*. [c] S om. *sicut Verbum... sensibus*. [d] L *fuit*. [e] PS *Dei*, V om. [f] BRL *vocis*, G *intelligentie vocis* pro *i. m.* [g] G *removet*. [h] S *creatione*. [i] BGL *manifestat*, quod SR corr. [k] GL *intelligentie*. [l] R *triplex*. [m] BRG *unde*. [n] L *loquitur*. [o] S *triplex*. [p] R om. *q. o.* [q] G *sit*. [r] L add. *est*. [s] V *et*, B *Dei*.
[a] V om. [b] PVSL om. [c] V om., B om. *q. v. s. v.* [d] G *expressa* pro *e. i.* [e] V *quam*. [f] L om. [g] PV *sumus*. [h] L *ipsa*. [i] SBRG *similitudinem*. [k] G *in cuius*. [l] G om.

1 Ioan. 1, 14.
2 *Monol.*, c. 10 (PL 158, 158).
3 Cap. 10, n. 19 (PL 42, 1071).
4 Ioan. 1, 1.
5 Ioan. 1, 11.
6 Augustin., loc. cit., c. 11, n. 20 (PL 42, 1072 sq.).
7 Cf. Ioan. 1, 3.
8 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 27, p. 2, a. un., q. 3 (I, 487 sq.).
9 Rectius Eccli. 1, 5.

est prius intellectu eo cuius est fons; cum ergo Verbum sit fons sapientiae, Verbum prius est intellectu quam sapientia.

Contra: *a.* Anselmus [1]: « Dicere nihil aliud est quam cogitando [a] intueri »; sed intuitio [b] ad notitiam pertinet vel sapientiam et [c] intueri prius est quam dicere; ergo notitia vel sapientia est prior [d] intellectu quam verbum.

b. Item, Sap. 11,21: *Omnia in sapientia disposita sunt;* sed in Verbo sunt operata, quia *dixit, et facta sunt* [2]; cum ergo dispositio praecedat opus, relinquitur quod a sapientia secundum intellectum procedat [e] Verbum, Eccli. 1,3: *Sapientia Dei omnia praeordinat* etc., et sequitur: *Prius* [f] *omnium creata est sapientia,* et post sequitur: *Fons sapientiae Verbum Dei in* [g] *excelsis,* hoc est: sapientia Dei increata omnia praecedit [h], ab hac autem procedit sapientia creata, scilicet ordo rationalis in rebus creatis, medium secundum intellectum inter haec duo est Verbum Dei, de quo dicitur: *Dixit, et facta sunt.* Ergo sapientia secundum intellectum prior est quam Verbum.

Respondeo: Concedo omnes rationes quae probant quod sapientia secundum intellectum prior est quam Verbum, tum scilicet quia sapientia est initium dispositionis, tum quia Verbum est initium operis. Unde Augustinus, XV *De Trinitate* [3]: « Verbum rationalis animantis, quod neque prolativum est in sono nec in cogitatione » etc., ut supra.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur: *Fons sapientiae verbum Dei* [i] etc.: dico quod non exponitur de sapientia increata, sed de creata [k]: Verbum enim est fons sapientiae creatae, id est ordinis rationalis, qui est in rebus [l] creatis.

421 ARTICULUS III.

Secundum quam intentionem notitiae dicatur ' Verbum '.

Consequenter quaeritur secundum quam intentionem notitiae dicatur verbum, scilicet utrum verbum [m] secundum quod est in ratione [n] operativa maiorem habeat similitudinem ad Verbum increatum quam verbum secundum quod est in ratione cognitiva [4].

Et videtur quod verbum secundum quod est in ratione operativa: 1. Eccli. 37,20: *Initium omnis operis verbum* [5]; verbum autem, secundum [o] quod est in ratione operativa, est initium operis; ergo secundum hoc ' verbum ' erit expressissima similitudo Verbi increati: verbo enim in cognitiva existenti deest aliquid ad [p] hoc quod sit principium operis, sed verbo operativo nihil.

2. Item, Ioan. 1,4: *Omnia sunt in ipso vita;* sed bona sunt quaecumque vivunt in Verbo, mala autem, licet non vivant in ipso, tamen mala [q] cognoscuntur ab eo: licet enim simplicem notitiam habeat bonorum et malorum, tamen non est nisi ars bonorum tantum. Eodem modo verbum nostrum cognitivum [r] respectum habet ad bonum et ad malum; secundum autem quod operativum est, principium est [s] bonorum, et sic verbum operativum tantum habebit imitationem Verbi increati.

3. Item, in cognitiva est duplex verbum: unum quod procedit ex cogitatione, alterum quod ex visione. Quod ergo istorum [t] dicitur similitudo Verbi increati? Videtur quod istud quod ex cogitatione procedit, quia dicit Anselmus [6]: « Quid est dicere nisi cogitando intueri? »

Sed contra: *a.* Hoc verbum, scilicet cogitationis, possibilitatem habet ad verum et falsum, quia cogitamus quandoque verum, quandoque falsum; sed verbum procedens ex visione determinatum est ad verum; ergo verbum ex visione procedens est similitudo Verbi increati.

b. Item, Amos 3,7: *Non est verbum, quod non revelet Deus* etc.; revelatio autem est ex parte visionis; sed ex Verbo increato fit revelatio; unde Isai. 2,1: *Verbum, quod vidit Isaias,* Glossa [7]: « Verbum, quod venturum erat in carne [u] »; verbum ergo visionis imaginativae vel intellectualis est similitudo Verbi increati.

Respondeo: Verbum increatum triplicem habet actum: unus est quod Pater per ipsum omnia operatur, Ioan. 5,17: *Pater meus usque modo operatur et ego operor,* et ibidem [8]: *Opera* [v] *quae dedit mihi Pater ut perficiam;* alius actus est quod Pater declarat se per Verbum, sicut dicit Glossa Bedae super Matth. 11 [9]; tertius actus

---

[a] G *cogitatio.* [b] L *intentio.* [c] PV om. [d] G om. [e] V *precedat.* [f] S om., PV *primo.* [g] L om. [h] S *procedit.* [i] L *Domini.* [k] V *increata,* GL om. *de.* [l] L *verbis.* [m] PS om. *u. v.,* VG om. *s. u. v.* [n] V *creatione.* [o] V om. [p] R *ab.* [q] PVS add. *non.* [r] L *agnitivum,* G *cognoscitivum.* [s] G om. [t] B *iste,* quod R corr. [u] BRGL *carnem.* [v] L *omnia.*

1 *Monol.,* c. 63 (PL 158, 208).
2 Psalm. 32, 9 et 148, 5.
3 Cap. 11, n. 20 (PL 42, 1072); cf. p. 611, nota 3.
4 Cf. S. Bonav., 1 *Sent.,* d. 27, p. 2, a. un., q. 4 (I, 488 sq.).
5 Cf. Augustin., loc. cit. (PL 42, 1073).
6 *Monol.,* c. 63 (PL 158, 208).
7 *Interlin.,* ap. Lyran., ex Hieronymo, in h. l. (PL 24, 45).
8 Ioan. 5, 36.
9 Cf. supra, p. 610b.

est quod Verbo revelat Prophetis quae futura sunt. Verbo ergo, secundum quod operatur Pater per ipsum, assimilatur verbum secundum quod est in ratione operativa, et sic dicitur Eccli. 37,20: *Initium omnis operis verbum;* Verbo autem, secundum quod [a] revelat se Prophetis, scilicet [b] prout est Veritas, assimilatur verbum quod est in ratione cognitionis. Est autem verbum secundum quod fit revelatio divinae bonitatis, et hoc est in cognitiva extendente se ad opus, et non dico in [c] cognitiva quoad cogitativam [d] quae potest esse veri et falsi, sed quoad visionem: et hoc [e] quoad visionem [f] intellectualem, non imaginariam [g] sive phantasticam, et quoad intellectualem quantum ad illam partem quae pertinet ad imaginem; huiusmodi autem verbum [h] medium est inter illud quod est pure operativum et pure cognitivum, et huic respondet Verbum increatum in quantum Pater declarat se per ipsum. Est igitur verbum simpliciter operativum, quod assimilatur Verbo increato in quantum per illud operatur Pater; et est verbum cognitivum simpliciter, cognitivum dico quod est visionis,quod assimilatur Verbo increato in quantum per ipsum fit revelatio [i] Prophetis; est etiam verbum medio modo se habens, scilicet cognitivum per modum visionis, extendens se ad opus, quod assimilatur Verbo increato in quantum Pater declarat se per illud.

[Ad obiecta]: 1-2. Ex iis patet responsio [k] ad quaesita.

3. Ad illud quod opponitur per Anselmum: dico quod loquitur secundum proprietatem nostram, cum dicit: « Quid est dicere nisi cogitando intueri? » sed proprie diceret 'visione simplici intueri', quia cogitatio non est [l] proprie in Deo.

ARTICULUS IV. 422

An effectus in creatura connotetur nomine 'Verbi'.

Deinde quaeritur an nomine 'Verbi' notetur effectus in creatura [1].

Ad quod sic: *a.* Damascenus [2]: « Verbum Dei est subsistens, electivum, operativum »; sed operativum de suo intellectu habet opera; et sic Verbum Dei [m] de suo intellectu habet creaturam.

b. Item, ad Hebr. 11,3: *Fide aptata* [n] *sunt saecula Verbo eius* [o], Glossa [3]: « Sicut exemplum exemplari ». Vult ergo per illud Verbum intelligere exemplar; sed exemplar dat cointelligere [p] exemplatum; restat ergo quod in Verbo sit cointellectus creaturae.

c. Item, Basilius [4]: « Filio Dei attribuitur sensus, sapientia, virtus, verbum, lumen »: sensus, quo cogitantur omnia; sapientia, qua disponuntur; virtus, qua operantur; verbum, quo enuntiantur [q]; lumen, quo clarescunt. Verbum ergo dicit illud quo enuntiantur [r]; sed enuntiata sunt creaturae; ergo in ratione Verbi cointelliguntur creaturae.

Contra: 1. I *Sententiarum* 27 dist., cap. *Aperte ostensum est* [5], dicitur « quod eo dicitur Verbum sive Imago quo [s] Filius ». Ergo Verbum vel Imago non habent respectum ad creaturas sicut nec Filius.

2. Item, Anselmus, in *Monologion* [6]: « Verbum, quo creaturae dicuntur, non est verbum creaturae; dicit enim creaturam non verbo creaturae, sed suo Verbo, quia est eius similitudo ». Ergo Verbum respectum habet ad dicentem, et ita non cointelligitur nomine Verbi creatura.

3. Item, sol illuminat; sive aliquid illuminetur sive non, non est aliqua variatio ex parte solis vel substantiae vel potentiae [t]; multo fortius ergo est hoc reperire in illo fonte spirituali, in quo ipsa actio est ipsa potentia et potentia est ipsa essentia; et ita sicut essentia non habet respectum ad aliquid, nec actio sua secundum [u] esse suum. Cum ergo 'Verbum' se habeat sicut 'dicere' et 'dicere' secundum esse suum non importet respectum ad creaturas, ergo nec 'Verbum'.

4. Item, dicens et 'Verbum' sunt correspectiva [v]; sed dicens non importat respectum ad creaturam; ergo neque 'Verbum'.

5. Item, verbum sensibile dependet a verbo mentis et non e converso [7]; si ergo eodem modo se habet verbum sensibile ad Verbum insensibile, scilicet Verbum aeternum, sicut verbum sensibile, quod est in prolatione ad verbum mentis: relinquitur quod verbum sensibile, quod est mundus, habebit dependentiam ad Verbum aeternum et non e converso.

6. Item, Augustinus [8]: « Si verbum transiens est ostensivum sui et eius [x] de quo dicitur, ergo Verbum aeternum non respiciet nisi Patrem

---

[a] G *se.* [b] R om. [c] V om. [d] S *cognitivam*, BRG *cogitationem.* [e] P *si.* [f] VS om. *e. h. q. v.* [g] P *imaginativa*, VS *imaginativam.* [h] V om. [i] V add. *in.* [k] L *solutio.* [l] BRG om. [m] S om. [n] PVSL *aperta*, G *apta.* [o] R exp. *eius.* corr. interl. *Dei.* [p] V *intelligere.* [q] Codd. *annuntiantur.* [r] V *essentiantur*, BL *annuntiantur.* [s] L *quod.* [t] G *positione.* [u] S *nec.* [v] R *respectiva.* [x] L *id.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 27, p. 2, a. un., q. 2 (I, 484 sqq.).
2 *De fide orthod.*, I, c. 6 (PG 94, 806).
3 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., et Lombardi, in h. l. (PL 192, 490), ex Augustino, *De Gen. c. Manich.*, I, c. 7, n. 12 (PL 34, 179).
4 *De Spiritu Sancto*, c. 8 (PG 32, 102).
5 Cap. 3 (p. 175).
6 Cap. 33 (PL 158, 188), ad sensum.
7 Cf. supra, num. 419.
8 *De Trinit.*, VII, c. 3, n. 4 (PL 42, 937).

dicentem et se ipsum », secundum quod se ipsum declarat.

Respondeo: Aliud est dicere 'Pater dicit Verbum' et 'Pater dicit Verbo creaturas', sicut dicitur XV *De Trinitate*[1]: « Novit omnia in se ipso Deus Pater, novit in Filio »; sed hoc est nosse quod dicere; ergo Pater dicit se[a] et dicendo se gignit Filium[2]. Unde dicit Augustinus[3]: « Pater tamquam se ipsum dicens genuit Verbum aequale sibi per omnia ». Secundum hoc ergo quod dicitur 'Pater dicit Verbum', non ponitur respectus ad creaturam, immo hoc Verbum est dicentis Verbum. Dicit iterum: « In Verbo hoc Pater omnia fecit », sicut dicitur in Glossa[4] super illud Psalmi 61,12: *Semel locutus est Deus* etc.: « Verbum aeternaliter[b] genitum, in quo omnia fecit et omnia aeternaliter disposuit »; ergo ratione illius quod[c] dicitur « in quo omnia fecit et disposuit[d] » habet Verbum cointellectum[e] creaturae. In intellectu ergo eius quod est '*locutus est*' iacet et quod notio est, scilicet 'genuit', et quod creaturae est[f], scilicet 'fecit'; sed unum est ibi principaliter, reliquum connotatum. Similiter in Verbo intelligitur quod « genitum est aeternaliter » et illud 'in quo omnia disposita sunt et facta'; et secundum hoc ponitur cointellectus creaturae, sed non ponitur dependentia ad creaturam. Unde in una dependentia sunt duo ad invicem dicta: creatura enim[g] dependet a Verbo et dicitur ad ipsum; e converso Verbum, licet dicatur ad creaturam, non tamen[h] dependet ab eadem. Et hoc est quod dicit Anselmus[5]: « Verbum, quo creaturam dicit, non est verbum creaturae », quia non habet dependentiam secundum esse ad creaturam, immo e converso; Verbum enim est expressa similitudo Dei Patris[i], creatura autem est aliquantula similitudo non expressa: iste autem respectus in dicendo est, non in se. Et quod respectus mutuus sit in una dependentia, dicit Philosophus[6]: « In quibusdam ita est quod aliqua[k] dicuntur ad invicem et utrumque ad alterum est, in quibusdam ita est[l] quod duo dicuntur ad invicem et unum tantum est ad alterum ».

[Ad obiecta]: 1-6. Ad illud quod dicit Magister, in *Sententiis*, « quod eo dicitur Verbum vel Imago quo Filius »: respondeo quod[m] hoc exponit postmodum dicens[7]: « Id est eadem proprietate vel notione »; eadem proprietas designatur in Verbo quae in Filio, licet altera sit ratio intelligentiae Verbi et Filii, sicut dicitur eodem capitulo. Iste autem respectus, qui cointelligitur in Verbo, non est notio vel proprietas. Unde non sequitur quod si Filius dicitur tantum respectu Patris, quod propter hoc Verbum: non enim possum dicere quod Pater dicit Filio creaturas sicut Verbo, quia 'Filius' non dicit[n] respectum ad creaturam. Et ex iis patet responsio ad obiecta pro[o] parte illa.

c. Ad[p] aliud quod dicit ex opposito Basilius: « Verbum est quo enuntiantur » etc., sed hoc importat cointellectum[q] creaturae, ergo et Verbum: concedo quod secundum quod dicitur 'Pater dicit Verbo creaturas', sic Verbo enuntiantur omnia, et ita importat respectum ad creaturas, non autem secundum quod dicitur 'Pater dicit Verbum'.

Per hoc patet quomodo respondendum est ad omnes quaestiones sive obiectiones factas ad utramque partem.

b. Ad hoc autem quod obicitur per Glossam ad Heb. 11,3 « sicut exemplum exemplari »: dico quod est ibi fallacia accidentis. Licet enim Verbum sit exemplar, non oportet quod Verbum dicatur ad illud ad quod dicitur exemplar; secundum enim quod dicitur 'Verbo dicit creaturas', cointelligitur creatura, sed oblique; sed sic non est de exemplari quod dicitur recte ad exemplatum: non enim dicitur Verbum 'creaturae Verbum'[r], sed Verbum dicitur quo fit creatura, quia Verbum istud sufficiens est[s] ad positionem operis.

423 ARTICULUS V.

Utrum Filius possit dici cogitatio sicut Verbum.

Deinde quaeritur utrum Filius possit dici cogitatio[t] sicut Verbum.

Ad quod sic: 1. Ioannes Damascenus[8]: Verbum dicitur tripliciter, scilicet « intellectus secundum quem movetur, intelligit, cogitat »; dicitur etiam verbum, « quod in corde enuntiatur »; dicitur etiam verbum, quod[u] « est angelus », id est nuntius, « intelligentiae », et hoc est verbum vocis: primo enim est cogitatio, postmodum

---

[a] B add. *ipsum.* [b] PVSL *essentialiter.* [c] V *qui,* RG om. [d] L om. *ergo ratione... disposuit;* V *dicit* pro *habet.* [e] P *quo intellectum.* [f] L om. *iacet et... est.* [g] L *autem.* [h] V om. [i] RG add. *scilicet,* quod B exp. [k] L *alia.* [l] G om. *quod aliqua... est.* [m] BRGL *ad.* [n] V add. *Verbum ad creaturas vel.* [o] V *ex.* [p] L om. [q] V *ad intellectum.* [r] BR om. [s] V om. [t] Codd. *cognitio.* [u] R om. *in corde... quod.*

1 Cap. 14, n. 23 (PL 42, 1077).
2 Cf. supra, p. 419b, II.
3 Loc. cit. (PL 42, 1076).
4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 568).
5 *Monol.*, c. 33 (PL 158, 188).
6 *Metaph.*, IV, c. 15 (II 527).
7 Lombard. I *Sent.*, d. 27, c. 3 (p. 175).
8 *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 857).

cogitatio[a] quomodo pronuntietur, deinde pronuntiatur; et sic dicitur verbum tripliciter. Non autem dicitur Filius Verbum ad similitudinem verbi quod exterius pronuntiatur nec ad similitudinem verbi quod in corde enuntiatur, sed ad similitudinem ipsius motus mentis. Unde Augustinus, *De Trinitate*[1]: « Quisquis potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum eius imagines mente volvantur, iam potest videre per hoc speculum aliquam similitudinem Verbi de quo dictum est[2]: *In principio erat Verbum* ». Si ergo[b] verbum est cogitatio mentis, sicut ergo Filius dicitur Verbum, sic dicitur cogitatio.

Respondeo: Non debet dici cogitatio; cogitatio enim dicit motum mentis imperfectum: non enim potest intelligi cogitatio nisi accipiatur volubilis motus mentis[3]; cogitatio enim dicitur quasi coagitatio intellectus. Unde Augustinus[4]: « Verbum ita dicitur ut Dei cogitatio non dicatur, ne aliquid esse volubile Deo credatur ».

Et si obiciatur ex[c] verbo Anselmi, in *Monologion*[5], quod « dicere nihil aliud est summo[d] Spiritui quam cogitando intueri »; ergo in divinis accipitur intentio cogitationis sicut intentio verbi; — praeterea, sicut intentio verbi per Scripturas nominatur in Deo, Ioan. 1,1: *Verbum erat apud Deum*, ita et intentio[e] cogitationis; unde Propheta[6]: *Ego cogito cogitationes pacis;* ergo[f] aeque dicetur unum sicut alterum – dicendum quod verbum cogitationis in nobis semper ponit mutabilitatem, intentio vero Verbi, ut patet ex praedictis[7], secundum quod accipitur pro ipsa notitia quae[g] generatur ex mente, non ponit mutabilitatem; inde est quod intentio cogitationis per improprietatem transfertur a nobis ad[h] divina. Unde et per Isaiam dicitur 55,9: *Sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt cogitationes meae a cogitationibus vestris.*

CAPUT II. 424

DE PROPRIETATE VERBI[8].

Consequenter quaeritur de proprietate Verbi. Quaeritur ergo I. an intentio 'Verbi' conveniat soli Filio in Trinitate.

Ad quod sic[i] **obicitur**: 1. Anselmus, in *Monologion*[9]: « Unusquisque in Trinitate se ipsum et omnes[k] alios dicit »; Pater igitur dicit se et Filius dicit se[l] et Spiritus Sanctus; cum ergo sint tres dicentes et tres qui dicuntur, non erit unum Verbum, sed tria, quia Verbum non habet relationem nisi ad dicentem et ad eum qui dicitur; ergo non potest habere unitatem nisi a parte unius illorum. Cum ergo sit pluralitas ex utraque parte non potest esse unum Verbum; erunt igitur plura Verba sicut plures personae.

2. Item, verbum creatum non est unum, dummodo sint plures dicentes, licet sit unius rei verbum; ergo cum in divinis etiam[m] quaelibet persona dicat se, et plures res, quae dicuntur, erunt plura Verba.

3. Item, Verbum in divinis non dicitur per similitudinem verbi exterioris, sed verbi quod est ante omnem sonum, ante cogitationem soni, quod est visio cogitationis et de visione scientiae oritur, ut dicit Augustinus, XV *De Trinitate*[10]; sed verbum istud nihil aliud est quam notitia sive intelligentia; cum ergo notitia creata sive intelligentia communis sit toti Trinitati, ergo Verbum commune erit toti[n] Trinitati et nulli personae proprium.

4. Item, cum[o] Spiritus Sanctus sit manifestativus veritatis, sicut dicitur Ioan. 16,13, quare non dicitur Verbum sicut Filius?

5. Item, cum dicat Augustinus, XV *De Trinitate*[11]: « Non perfecte se[p] ipsum dixisset, si aliquid magis vel minus esset in suo Verbo quam in se ipso ». Cum enim[q] dicitur 'Pater dicit Filium', intelligitur 'Pater dicit Verbum' et supponitur Filius, quare similiter, quando dicitur 'Pater dicit se', non intelligitur 'Pater dicit Verbum' et supponetur Pater?

6. Item, 27 dist. I *Sententiarum*[12], dicitur: « Eo dicitur Verbum quo[r] Imago »; sed imago dicitur communiter de tribus personis et essentialiter, cum dicitur[13]: *Faciamus hominem ad imaginem* etc.; ergo et Verbum dicetur communiter de tribus personis.

---

[a] PVL *cognitio*; BRGL *qualiter* pro *quomodo*.. [b] VL *enim*. [c] V *in*. [d] PVSBG *sermo*, sed B corr. in mg. [e] V om. *e. i.*, G *unde* pro *ita*. [f] L *et*. [g] G *qua*, V *in* pro *ex*. [h] SBG *a*, quod R corr.; P om. *a*, V om. *a nobis*. [i] V om. [k] PV om., in S est add. mg. [l] S om. *e. F. d. s.* [m] BGL *cum*. [n] PBG om., V om. *ergo... Trinitati*. [o] L om. [p] S *sed*. [q] G *quando*. [r] G *quod*.

1 Lib. XV, c. 10, n. 19 (PL 42, 1071).
2 Ioan. 1, 1.
3 Cf. Augustin., loc. cit., c. 15, n. 25 (PL 42, 1078).
4 Loc. cit., c. 16, n. 26 (PL 42, 1079).
5 Cap. 63 (PL 158, 208).
6 Ierem. 29, 11.
7 Cf. supra, num. 421.
8 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 27, p. 2, a. un., q. 1 (I 481 sqq.).
9 Cap. 63 (PL 158, 209).
10 Cf. cap. 10, n. 19 (PL 42, 1072 sq.).
11 Cap. 14, n. 23 (PL 42, 1076).
12 Cap. 3 (p. 175).
13 Gen. 1,26.

Contra: *a.* Augustinus, XV *De Trinitate*[1]: « In hac Trinitate nihil dicitur Verbum nisi Filius, nec Donum nisi Spiritus Sanctus ».

b. Item [a], VI *De Trinitate*[2]: « Verbum quidem solus Filius accipitur, non simul Pater et Filius, tamquam ambo sint unum Verbum: sic enim Verbum dicitur quomodo Imago ».

c. Item, Anselmus, in *Monologion*[3]: « Mirum in Deo [b] unumquemque trium pariter se et alios dicere, et unum solum ibi esse Verbum; nullatenus tamen Verbum ipsum potest dici Verbum trium, sed tantum unius eorum, cuius est Filius et [c] Imago ».

II. Item, dubitatur de hoc quod dicit Augustinus, XV *De Trinitate:* « Pater non perfecte se ipsum dixisset » etc. Nam 'dicere' Patris est generare, Iob. 33,14: *Semel loquitur Deus* [d], « loqui Dei est generare Verbum, quod est semel[5] »; si ergo Pater perfecte se dixit, ergo perfecte se generavit. — Si vero diceretur quod, cum dicitur 'Pater dicit se ipsum', 'dicere' ibi accipitur essentialiter – contra: in illo eodem textu praecedit haec sententia: « Pater, tamquam se ipsum dicens, genuit Filium »; si ergo vult probare quod dicens genuit, oportet quod 'dicere' importet [e] notionem quae est generatio [f].

Propterea quaeritur, cum loqui sive dicere in divinis inveniatur multipliciter — quia aliquando invenitur quod Pater loquitur se et aliae personae, aliquando quod Pater loquitur Verbum, aliquando Pater loquitur in Filio, aliquando Filius loquitur, aliquando Spiritus Sanctus loquitur — numquid eodem modo accipietur loqui et dicere?

Respondeo: I. Loqui vel dicere accipitur in divinis multipliciter. Aliquando dicit essentiam, non connotando aliquid in creatura, ut cum dicitur 'Pater dicit se vel loquitur' [g], accipitur essentialiter, sed tamen cointelligitur [h] aliquo modo Verbum, quia cointelligitur intelligentia, quae appropriatur Filio: istud enim dicere nihil aliud est quam intelligere; unde Anselmus: « Quid est dicere summo [i] Spiritui nisi videndo intueri? » Aliquando vero notionaliter, ut cum dicitur 'Pater loquitur Verbum', idem est Patrem Verbum dicere quod generare; in Psalmo[6]: *Semel locutus est Deus,* Glossa[7]: « Verbum aeternaliter [k] genuit, in quo omnia fecit et disposuit », et Iob 33,14: *Semel loquitur Deus,* Glossa[8]: « Loqui Dei est Filium generare, quod est semel, quia praeter Unigenitum non genuit aliquod Verbum ». Aliquando vero notionaliter et connotat effectum in creatura, ut cum dicitur 'Pater loquitur in Filio nobis', ad Heb. 1,2: *Locutus est nobis in Filio* etc. Aliquando vero accipitur essentialiter et connotat effectum indistincte trium personarum, Iob 1,12: *Locutus est Dominus ad Satan.* Aliquando vero connotat effectum appropriatum, ut cum dicitur Matth. 10,20: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur quod 'tres sunt dicentes, ergo tria verba': dicendum quod non sequitur. Nam 'dicere' ibi accipitur pro intelligere, cum dicitur quod quaelibet persona se [l] dicit, hoc est intelligit. Unde cum sit unum intelligere trium, una erit intelligentia trium [m], et ita per consequens unum Verbum, quia intelligentia appropriata idem dicit quod Verbum, sicut patebit[9]. Quamvis ergo tres sint qui dicuntur et tres qui dicunt, non tamen sequitur quod triplex sit 'dicere', quemadmodum nec triplex 'intelligere', quamvis tres intelligantur et tres intelligant.

2. Ad secundum dicendum quod non omnino similiter accipitur 'dicere' in Creatore et [n] creatura. Nam in Creatore 'dicere' accipitur multis modis: nam aliquando accipitur 'dicere' de persona respectu sui, aliquando respectu alterius personae, aliquando respectu creaturae. Cum dicitur de persona respectu sui, ut cum dicitur 'Pater dicit se' vel 'Filius dicit se' vel 'Spiritus Sanctus dicit se' [o], 'dicere' idem est quod intelligere, et unum est 'dicere' sicut unum intelligere et esse. Cum vero dicitur de persona respectu alterius personae, accipitur secundum duos modos; nam cum [p] 'dicere' dicatur respectu dicibilis, dicibile autem dicitur verbum et dicibile dicitur res, cum ergo dicimus 'una persona aliam dicit', hoc potest intelligi duobus modis: aut sicut Verbum aut sicut rem. Si sicut Verbum: hoc modo Pater solus in Trinitate dicit Filium, quia profert ipsum ut Verbum, et hoc modo [q] 'dicere' idem est quod generare. Si sicut rem: hoc modo quaelibet persona, in quantum indicat aliam, dicit eam, et hoc modo 'dicere' est indicare, et hoc modo dicit Anselmus quod [r] tres personae se invicem dicunt. Cum vero dicitur

---

[a] G add. *Augustinus.* [b] G *aurum* pro *m. i. D.* [c] PVS *vel.* [d] L om. [e] V *oportet.* [f] S *generare.* [g] L add. interl. *se.* [h] V *intelligitur.* [i] PVS *summe.* [k] VS *essentialiter.* [l] V om. [m] PVSL om. [n] BRG add. *in.* [o] G om. [p] BRG om. [q] L om., V om. *idem.* [r] R add. *dicere,* quod B exp.

1 Cap. 17, n. 29 (PL 42, 1081).
2 Cap. 2, n. 3 (PL 42, 925).
3 Cap. 63 (PL 158, 209).
4 Cap. 14, n. 23 (PL 42, 1076).
5 *Glossa ordin.*, ap. Lyran. in h. l.
6 Psalm. 61, 12.
7 Lombardi, in h. l. (PL 191, 568), ex Augustino, in h. l., n. 18 (PL 36, 742).
8 Cf. nota 5.
9 Cf. infra num. 452.

respectu creaturae, similiter dicitur duobus modis: uno modo secundum quod 'dicere' dicitur respectu verbi, secundum quod dicitur Deus loqui Prophetis, et istud dicere idem est quod declarare sive revelare, hoc est notitiam dare, quae dicitur verbum; unde[1]: *Factum est verbum Domini ad Ieremiam*[a], et cum sit actus totius Trinitatis, appropriatur Filio, sicut dicitur Matth. 11,25: *Revelasti ea parvulis,* ibi Beda[2]: « Pater declarat se per Verbum ». Alio modo secundum quod 'dicere'[b] dicitur respectu rei, et secundum hoc Deum dicere rem idem est quod Deum creare rem, in Psalmo[3]: *Dixit, et facta sunt.* Et quamvis istud 'dicere' sit effectus totius Trinitatis, appropriatur tamen Patri in quantum generat Filium; unde Gen. 1,9: *Dixit Deus, et factum est,* id est Verbum genuit, in quo erat ut fieret; unde[c] Anselmus[4]: « Verbum quo creaturas dixit, non est verbum creaturae, sed similitudo Creatoris ».

3. Ad tertium dicendum quod quamvis in intentione[d] 'Verbi' intelligatur notitia, non tamen notitia absolute, sed notitia, quae est ex alio orta, videlicet ex scientia memoriae ut[e] imago illius. Unde intentio verbi[f] dicit notitiam ortam et imaginem memoriae, secundum quod transfertur ad divina. Non ergo sequitur quod quamvis notitia sit communis, quod propter hoc Verbum; nam Verbum dicit[g] notitiam, non quocumque modo, sed quae est orta ex memoria, ut Patre; et ideo non convenit intentio Verbi Patri; et etiam orta ut imago, ad differentiam processionis amoris a memoria et a notitia, quae tamen non procedit ut imago, quamvis ut similitudo, in quem modum est processio Spiritus Sancti; generatio vero[h] Filii est ut notitiae a memoria, quae est imago, id est expressa et « indiscreta[i] similitudo[5] ». Ex quo patet quod intentio Verbi est propria Filio.

4. Ad quartum ergo quod obicitur de Spiritu Sancto, dicendum[k], secundum Richardum, *De Trinitate*[6]: « Absque dubio una eademque veritas corde concipitur, verbo profertur, auditione auditur: verbum habet esse a solo corde, auditio ab utroque. Quoniam ergo verbum de solo corde procedit et per ipsum cordis sagacitas innotescit, recte Dei Filius Verbum Patris dicitur, per quem paterna claritas manifestatur. In Patre omnis veritatis conceptio, in eius Verbo omnis veritatis prolatio, in Spiritu Sancto omnis veritatis auditio, iuxta hoc quod in Evangelio legitur Ioan. 16,13: *Quaecumque audiet, loquetur.* Non igitur Pater potest dici Verbum, qui non ab alio[l], nec Spiritus Sanctus, qui non ab uno solo, sed solus Filius, qui est ab uno solo, a quo emanat omnis veritatis manifestatio. Sicut interior[m] locutio in nobis fit sine humani flatus cooperatione[n], sic sane in illa supereminenti natura illa locutio agitur a[o] Patre solo: nam solus Pater dicit, solus Spiritus Sanctus[p] audit; exterior autem locutio peragitur auctore etiam Flamine divino, hoc est Spiritu Sancto ».

5. Ad quintum iam patet responsio[q]. Nam cum dicitur 'Pater dicit se', 'dicere' ibi dicitur respectu dicibilis quod est res, et istud 'dicere' est intelligere; cum vero 'Pater dicit Filium', ibi dicitur respectu dicibilis quod est Verbum, et istud 'dicere' est generare, et ideo non accipitur 'dicere'[r] uno modo hinc et inde.

6. Ad sextum dicendum quod imago in divinis accipitur duobus modis: uno modo essentialiter, et secundum hoc[s] imago dicit divinam essentiam, ad cuius imitationem exprimitur alterum, et hoc modo accipitur[t][7]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* alio modo accipitur notionaliter, et secundum hoc significat personam Filii ut[u] similitudinem expressam ab altero sive alterius, et attenditur expressio similitudinis non solum quantum ad ea quae dicuntur de Patre essentialiter, ut potentia, sapientia, bonitas, in[v] quibus per omnia Filius similis est Patri, immo quantum ad dignitatem, quae dicitur de Patre notionaliter, ut sicut Pater habet personam de se procedentem per spirationem, ita Filius, scilicet Spiritum Sanctum, et secundum hoc 'Imago' soli convenit Filio. Et hoc modo dicit Augustinus quod « sic dicitur Verbum quo Imago », quia eadem notione dicitur Verbum et Imago, scilicet notione generationis quae est a[x] Patre.

II. Ad illud vero[y] quod ultimo quaeritur de hoc quod dicit Augustinus, XV *De Trinitate:* « Pater non perfecte se ipsum dixisset » etc., dicendum quod cum 'dicere' dicatur tripliciter — et essentialiter et notionaliter, et hoc vel connotando effectum in creatura vel non connotando — quod si velis probare quod Deus Pater dicens genuit Filium, oportet quod manifestetur per 'dicere' notionale, sed notionale oportet manifestari per essentiale. Si enim quaeratur propter quid Pater genuit Filium? apte[z] respondetur: ut sufficienter declaret potentiam suam. In creatione enim creaturae usque ad summum non manifestatur

---

[a] Codd. *Isaiam.* [b] V om. [c] BRGL om. [d] V *ihtentio,* PV om. *in.* [e] R *et,* quod B corr. [f] L *illius.* [g] G *dat.* [h] V om. Codd. *discreta;* V om. *e. e.* [k] R add. *est.* [l] BRGL add. *sed.* [m] PVS *superior.* [n] V *comparatione.* [o] BRGL om. [p] BRL om. G *solutio.* [q] L *generare.* [r] V om. [s] V *exprimitur.* [t] BR *vel.* [u] BR om. [v] B *in.* [x] V om. [y] PV *aperte.*

[1] Ierem. 32, 26; 33, 1; 35, 12 et alibi passim.
[2] Cf. supra, p. 610b.
[3] Psalm. 148, 9.
[4] *Monol.,* c. 33 (PL 158, 188).
[5] Cf. Hilar., *De Synodis,* n. 13 (PL 10, 490).
[6] Lib. VI, c. 12 (PL 196, 977).
[7] Gen. 1, 26.

potentia Patris, sed tunc ostenditur usque ad summum, cum communicatur in generatione. Unde Augustinus, XV *De Trinitate*[1]: « Pater, tamquam se ipsum dicens, genuit Filium: non enim se ipsum perfecte[a] dixisset, id est potentiam suam perfecte declarasset, nisi Filius esset aequalis ei potentia et sapientia et bonitate ». Unde dicit Augustinus: « Si aliquid minus vel amplius esset in Filio quam in se ipso, non se ipsum perfecte dixisset ». Unde summitas potentiae declaratur per generationem. Dicit ergo Augustinus: « Pater tamquam se ipsum dicens », id est ostendens summe suam potentiam, quia perfecta eius declaratio non est in creaturis, Isai. penultimo[2]: *Ego, qui aliis generationem tribuo* etc., quasi dicat: ex quo do patri carnali potentiam communicandi naturalia sua etc., nonne ego communicabo vel habeo potentiam communicandi? Declaratio ergo processionis et generationis est[b] in generatione creaturarum, declaratio vero potentiae ad summum est in generatione et processione; unde 'dicere' est essentiale. Est autem 'dicere' essentiale secundum rationem intelligentiae ante 'dicere' notionale, et 'dicere' notionale ante creationem.

CAPUT III.

DE OPERATIONE VERBI.

Consequentur quaeritur de operatione[c] Verbi ad duo cognoscenda:

Primo, quod Verbum non sit factum;

secundo, quod ad aeternitatem Verbi non sequitur aeternitas facti.

425

ARTICULUS I.

Quod Verbum non sit factum.

Ad primum sic obicitur: *a.* Ioan. 1,1: *In principio erat Verbum, et Deus erat Verbum*[d]. Ergo infactum[e] et aeternum.

b. Item, Augustinus, super Ioan. 1,1[3]: « Si omnia per Verbum[f] facta sunt, concede non factum per quem facta sunt omnia ».

Contra[4]: 1. *Omnia per ipsum facta sunt;* ex hoc videtur quod Verbum tenet[g] rationem medii inter facientem et factum. Arguit autem Augustinus[5] per istud quod Verbum non sit creatum: nihil enim quod sit[h] ante creaturas, est creatura; sed Verbum, cum teneat[i] rationem medii, est ante[k] creaturas; ergo non est creatura; sed eadem ratione, cum teneat rationem medii inter facientem et factum, non computabitur in natura facientis plus quam in ratione facti; ergo non est Creator.

Respondeo: Verbum tenet rationem medii inter Patrem et creaturam, non inter facientem et factum nec inter creaturas et Creatorem, quia faciens et Creator est commune Patri et Verbo et Spiritui Sancto. Finalis autem causa convenit per appropriationem Spiritui Sancto: ei enim appropriatur bonitas, propter quam facta sunt omnia; haec autem efficit quodammodo, eo quod finis movet efficientem[6]; efficiens convenit Patri, formalis Filio per appropriationem. Unde summa potentia est faciens, summa sapientia, summa bonitas; unde ratio facientis unicuique personae convenit. Verbum ergo non cadit medium secundum rationem intelligentiae inter faciens et factum, sed inter facientem non ab alio et factum.

426

ARTICULUS II.

Quod ad aeternitatem Verbi non sequitur aeternitas facti.

Ad secundum[l] **sic obicitur:** 1. Augustinus, in libro *Confessionum*[7]: « Verbo tuo sempiterno dicis omnia quae dicis ». Ergo necessaria est haec argumentatio: 'Deus dixit, ergo facta sunt'; sed antecedens fuit ab aeterno; ergo consequens ab aeterno, et dico hoc esse ab aeterno 'esse sine

---

[a] PV om., in S est add. mg. [b] PVBG om. *vel habeo... est,* in SR est add. mg. [c] BG *comparatione.* [d] B om. *e. D. e. V.* [e] P *non factum,* V *factum.* [f] BRG *ipsum.* [g] P add. *et.* [h] R add. *creatum.* [i] SRGL *contineat.* [k] PVS *inter.* [l] V *quod.*

1 Cap. 14 (PL 42, 1076), ubi et sequens.
2 Cap. 66, 9.
3 *In Ioan.*, tr. 1, n. 11 (PL 35, 1384).
4 Ioan. 1, 3.
5 Loc. cit.
6 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3 et *Metaph.*, II, c. 2 (II, 264, 515).
7 Lib. XI, c. 7, n. 9 (PL 32, 813).

initio durationis'. — Quod autem sit ab aeterno, probatio: quia suum[a] 'dicere' est sua actio; sed si hoc est cum[b] initio durationis, ergo habuit initium essendi, et ita per[c] aliquam actionem, et ita oporteret abire in[d] infinitum; ergo non habuit initium, et ita neque initium durationis. Relinquitur ergo quod dictio[e] actio sit ab aeterno, et ita consequens necesse est fuisse ab aeterno; ergo omnia fuerunt ab aeterno.

2. Item, quod per se est operativum, semper est operativum; Verbum Dei per se est operativum[f]; ergo semper est operativum; ergo semper operatur.

Respondeo[g]: 1. Ad primum dicendum quod bene sequitur: 'dixit, ergo[h] facta sunt'. — Ad hoc quod opponitur quod 'antecedens est sine initio durationis, ergo et consequens': dico quod antecedens est sine initio, et tamen consequens habet initium durationis. Unde dicit Augustinus[1]: « Verbo tuo sempiterno fit quidquid fit, nec tamen sempiterne fit ». Aliter autem est ex parte passivae, quia ex illa parte semper fuit initium durationis; sed si aeternitas ponatur principium, non invenies medium vel finem; pone autem factum, et iam necesse est ponere initium durationis. Unde non sequitur: 'antecedens est sine initio durationis, ergo consequens'; haec autem bene sequitur: 'antecedens est necessarium, ergo consequens'[i]. Si enim antecedens inest semper quoad totalitatem temporis, ergo et consequens eodem modo; sed non sequitur de 'semper'[k] aeternitatis: ex parte enim facti est 'semper' temporis, ex parte autem dicentis est 'semper' aeternitatis.

2. Per hoc patet solutio ad aliud. Nam cum dicitur 'quod per se est operativum[l], semper est operativum', hoc intelligitur de 'semper' aeternitatis; cum autem dicitur 'quod semper est operativum, semper operatur', hoc verum est de 'semper' temporis, non autem de 'semper' aeternitatis.

MEMBRUM V.

De nomine 'Spiritus'.

Postea inquirendum est de nominibus personae Spiritus Sancti, qui dicitur Spiritus Sanctus et Donum. Quaeritur ergo de hoc nomine 'Spiritus'[m]:

Primo, an sit commune;

secundo, qualiter approprietur per hoc quod dicitur 'Sanctus';

tertio, an debeat dici 'Spiritus noster'.

CAPUT I. 427

UTRUM NOMEN 'SPIRITUS' SIT COMMUNE TRIBUS PERSONIS.

Circa primum quaeritur utrum hoc nomen 'Spiritus'[n] sit commune tribus personis vel proprium Spiritui Sancto[2].

Ad quod sic: *a.* Hilarius, VII *De Trinitate*[3], ostendit in Spiritu Dei aliquando significari Patrem, ut cum dicitur[4]: *Spiritus Domini super me;* aliquando significari Filium, ut cum dicitur[5]: *In Spiritu Dei eicio daemonia,* « naturae suae potestate eicere se daemones demonstrans »; aliquando de Spiritu Sancto, ut ibi[o 6]: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Ex hoc ergo relinquitur quod nomen 'Spiritus' dicitur communiter de tribus personis et essentialiter.

Contra: 1. Richardus, in libro *De Trinitate*[7]: « Spiritus de homine procedit, sine ipso homo omnino non vivit. In eo igitur quod Spiritus Sanctus 'Spiritus[p] Dei' dicitur, aeterna de eo, qui aeternus est, processio demonstratur: immo et de ipso, quod est aeterna processio, in eo ipso, inquam, intelligi[q] datur quod Deo consubstantialis sit, quia de Deo procedere et aeternitatem habere non potest quod Deus non sit ». Ergo nomen Spiritus appropriatur Spiritui Sancto.

2. Item, obicitur contra auctoritatem Hilarii: videtur quod cum dicitur *Spiritus Domini super me*, hoc nomen 'Spiritus' teneatur pro tertia persona in Trinitate. Nam super illud: *Spiritus*

---

[a] BRGL om. [b] PV om., S *in*. [c] L om. [d] V om. [e] BRGL *dicta*. [f] V om. *semper... operativum*. [g] BRGL om. [h] BRGL *et*. [i] L om. *e. c.* [k] V *super*, item infra. [l] PVSG *operatio*. [m] L add. *Sanctus* et om. *hoc*. [n] Ita V, alii *nomen* pro *h. n. S.* [o] P *Dei*. [p] PVSL om. [q] P add. *quod*.

1 Loc. cit.
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 18, a. 1, q. 1-6 (I, 322sqq.).
3 Lib. VIII, nn. 23-25 (PL 10, 253sqq.). Cf. Hieronym., *In Matth.*, 12, 27 (PL 26, 80).
4 Isai. 61, 1; Luc. 4, 18.
5 Matth. 12, 28.
6 Ioel 2, 28.
7 Lib. VI, c. 10 (PL 196, 974).

Domini super me, Glossa[1]: « quia maior; unde[2]: *Requiescet supèr eum Spiritus Domini* »; sed constat quod hoc intelligitur de tertia persona; ergo et hic.

3. Item, Luc. 11,20, super illud: *Si in digito Dei* etc., Glossa[3]: « Digitus Dei dicitur Spiritus Sanctus pro participatione[a] donorum ». Ergo similiter, cum dicitur in Matth.: *Si in Spiritu*[b] *Dei* etc., hoc nomen 'Spiritus' tenetur pro Spiritu Sancto[c 4].

Respondeo: 1. Spiritus[d] dicitur a spirando active, eo quod spiret, secundum quod dicitur Ioan. 3,8: *Spiritus ubi vult, spirat*, et hoc modo hoc[e] nomen 'Spiritus' commune est tribus[f] personis in Trinitate; sed per appropriationem convenit Spiritui Sancto. Alio modo dicitur a spirando passive[g], eo quod spiretur; et hoc modo proprium est Spiritus Sancti, qui procedit per modum spirationis, et hoc modo loquitur Richardus; et istud declaratum est Quaestione De processione Spiritus Sancti[5].

2. Ad illud quod obicitur contra auctoritatem Hilarii: dicendum quod diversa est expositio eius quod dicitur: *Spiritus Domini super me* etc. Si enim exponitur de Christo secundum quod est homo, tunc intelligitur de tertia persona; et hoc patet quia dixit: « quia maior[h] »: non enim Spiritus Sanctus maior est Filio, sed Christo secundum quod[i] homo. Si vero de prima persona intelligatur, tunc de spiritu sancto qui est Pater, necesse est intelligere: solus enim Pater mittit Filium. Et sic intelligit Hilarius, secundum reliquum modum Glossa Hieronymi[k].

3. Ad aliud dicendum quod duplex est constructio, cum dicitur *Spiritu Dei*: vel intransitiva, ut cum dicitur 'essentia Patris'; vel transitiva, ita quod hoc ipsum[l] '*Dei*' teneatur personaliter et supponat communiter pro Patre et Filio; et tunc transitive tenetur. Primo modo[m] intelligit Hilarius, secundo modo Glossa super Matthaeum.

428

CAPUT II.

QUALITER APPROPRIETUR NOMEN 'SPIRITUS' PER HOC QUOD DICITUR 'SANCTUS'.

Deinde quaeritur qualiter appropriatur hoc nomen 'Spiritus' per additionem eius quod est[n] 'Sanctus'.

1. Nam ex duobus nominibus communibus non efficitur proprium; si ergo nomen 'Spiritus'[o] est commune, et hoc[p] nomen 'Sanctus', Isai. 6,3: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth*, non erit proprium ex iis.

2. Item, commune additum communi non coarctat commune[q] ut sit proprium; ergo nec hoc nomen 'Sanctus' additum nomini 'Spiritus' faciet ipsum proprium.

Contra: *a.* In libro *De regulis fidei*[6]: « Haec circumlocutio 'Spiritus Sanctus' aut personam aut personalem proprietatem aut relationem praedicat in divinis. Personam quidem, cum dicitur 'divinitas est[r] Spiritus Sanctus'; personalem proprietatem, cum respondetur ad interrogationem factam per 'quis', ut cum dicitur 'quis est tertia in Trinitate persona?' respondetur[s]: Spiritus Sanctus[t]; relationem, cum dicitur 'Spiritus Sanctus[u] est Spiritus Patris', acsi dicatur: Pater spirat Spiritum Sanctum. Haec enim[v] circumlocutio 'Spiritus Sanctus' non proprie dicitur relative, sed specialiter inventa fuit ad circumloquendum personalem proprietatem Spiritus, et sumitur per maiorem improprietatem ad praedicandum processionem qua Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio ». Sed nullo istorum modorum est commune; ergo est proprium.

Respondeo: Secundum Richardum, in libro *De Trinitate*[7]: « Illi quidem dicuntur unum[x] habere spiritum[y], uno spiritu incedere, quibus inest unum consilium, idem propositum, qui idem amant, idem affectant et pari voto desiderant. Sed spiritus iste spiritualis tunc veraciter sanctus est, tunc veraciter sanctus dici potest, quando pietate impellitur et secundum veritatem movetur; spiritus enim humanus tunc procul dubio sanctus esse incipit, quando quod pietatis est diligit, quod impietatis est detestatur et odit. Ad huius itaque spiritus similitudinem, qui procedit et spirat de multorum cordibus, dictus est Spiritus Sanctus[z] ille qui in Trinitate personarum procedit ex duobus ».

[Ad obiecta]: 1-2. Ad illud quod obicitur quod 'utrumque est commune': verum est, secundum

---

[a] S *per participationem* pro *p. p.* [b] PVS *digito spiritus.* [c] B om. *etc. hoc... Sancto.* [d] B om. *R. S.* [e] BRGL om. [f] BRGL om. [g] BRGL om. [h] L add. *est.* [i] R add. *est;* codd. *illa* pro *prima.* [k] BRGL om. [l] B exp. et corr. interl. *nomen.* [m] BG om., in R est add. interl. [n] BRGL om. *e. q. e.* [o] B add. *Sanctus.* [p] BRGL om. [q] G om.; R om. *nec.* [r] P *quod.* [s] Ita PV, SBRL *respondeo,* G *responsio.* [t] PVS add. *habet.* [u] PS add. *est Spiritus Sanctus.* [v] G om. [x] P *unde.* [y] V *patrem.* [z] V om.

[1] *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 1304), ex Hieronymo, *In Isaiam*, 61, 1 (PL 24, 599). [2] Isai. 11, 2.
[3] *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 290), ex Beda, in h. l. (PL 92, 477).
[4] Cf. Hieronym., *In Matth.*, 12, 28 (PL 26, 80).
[5] Cf. supra, num. 306.
[6] Reg. 53 (PL 210, 646).
[7] Lib. VI, c. 10 (PL 196, 974).

quod Spiritus dicitur a spiratione activa [a], sed secundum quod a passiva, non. Unde additur 'Sanctus' ad significationem spiritus mitigandam: spiritus enim nomen terroris est; dicitur ergo Sanctus ut intelligatur proprietas procedentis amoris ordinati a pluribus, scilicet duobus.

CAPUT III. 429

UTRUM SPIRITUS SANCTUS DEBEAT DICI 'SPIRITUS NOSTER'.

Consequenter quaeritur utrum debeat Spiritus Sanctus [b] dici 'Spiritus noster'.

Ad quod sic: *a.* Luc. 1,17 [1], « de Ioanne dicitur quod *in spiritu Eliae* veniret; ecce dictus est Spiritus Sanctus spiritus [c] quem accepit Elias. Et Moysi ait Dominus, Num. 11,17: *Tollam de spiritu tuo et dabo eis*, id est dabo eis de Spiritu Sancto, quem iam dedi tibi »; ecce hic dictus est spiritus Moysis. Patet ergo quoniam Spiritus Sanctus noster dicitur Spiritus.

b. Item, 18 dist. I *Sententiarum* [2]: « Cum Spiritus Sanctus in Scriptura dicatur Spiritus noster vel Spiritus tuus vel illius, ut de Moyse et de [d] Elia dictum est, nusquam tamen in Scriptura occurrit ita dici 'Spiritus Sanctus noster vel tuus vel illius', quia Spiritus Sanctus eo dicitur quo Donum et utrumque dicitur relative ad Patrem et ad Filium ».

Contra: 1. Quaeritur quare Spiritus Sanctus dicatur Spiritus noster et non similiter Filius dicatur [e] 'noster'. Si dicatur hoc esse eo quod Filius relative dicitur ad Patrem – sed similiter. Spiritus Sanctus relative dicitur ad Patrem et Filium, et ita uterque eadem ratione dicitur 'noster'.

2. Item, si propter collationem donorum dicitur Spiritus Sanctus 'noster', eadem ratione et Filius debet dici 'noster', quia similiter dantur nobis bona in eius missione spirituali sicut in missione spirituali Spiritus Sancti.

3. Praeterea, Filius dicitur 'noster redemptor'; quare similiter non dicitur 'noster Filius'?

4. Item, Pater dicitur 'Pater noster', quare non Filius? cum magis communicemus cum Filio quam cum Patre, quia Filius est incarnatus, non Pater.

5. Item, si ratione effectus dicitur 'redemptor noster', quare non dicitur 'sapientia nostra'? cum connotatur effectus in creatura. Unde I Cor. 1,30: *Factus est nobis sapientia* etc.

6. Item, quare non dicitur 'Spiritus Sanctus noster', sicut 'Spiritus noster'?

7. Item, quare dicitur 'Deus noster' et non 'essentia nostra'? cum hoc nomen 'Deus' significet essentiam.

8. Praeterea, quaeritur utrum Spiritus Sanctus dicatur haberi, cum habetur eius donum.

Respondeo: Nullum nomen essentiale abstracte significans divinam essentiam [f], vel nomen personale, quod dicit tantum respectum personae ad personam, recipit hoc nomen 'noster' supra se. Unde non potest dici 'sapientia vel deitas nostra', sed '*Deus noster, refugium* nostrum' [3]. Similiter et in personalibus; unde cum Filius dicat solum respectum ad Patrem, non potest recipere supra se hanc adiectionem [g] 'noster'. Sed nomina quae significant divinam essentiam vel [h] personalia, quae dicunt respectum ad creaturas, possunt eam [i] recipere.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod non dicitur 'Spiritus Sanctus noster', eo quod Spiritus Sanctus rationem eius quod est 'ab alio' habet; sed dicitur 'Spiritus noster', prout Spiritus dicitur [k] a spiratione activa, vel prout etiam dicitur a spiratione passiva in creatura [l], secundum quod dicitur [m] 'tota Trinitas spirat Spiritum Sanctum in nobis' vel 'Spiritus Sanctus inspiratur nobis a tota Trinitate', quarum utraque est effectus totius Trinitatis. Et hoc modo Spiritus sumitur essentialiter, licet per appropriationem supponat pro tertia persona. Igitur propter hunc respectum ad creaturas dicitur 'Spiritus noster'; non autem quia [n] Spiritus Sanctus, in quantum supponit tertiam personam in Trinitate et rationem habet [o] eius quod est 'a principio' per processionem a Patre et Filio, dicitur 'Spiritus noster'; unde, ut sic est, dicit habitudinem ad eum a quo est, et non ad [p] aliquid quod est ab ipso, sicut et Filius; unde nec potest dici 'Spiritus Sanctus noster' nec 'Filius noster'.

2. Ad aliud dicendum quod licet in missione Filii detur nobis Filius, sicut Spiritus Sanctus, non tamen dicitur Filius 'Filius [q] noster' sicut Spiritus Sanctus 'Spiritus noster', quoniam Filius non dicit nomine suo respectum ad creaturas

---

[a] S *active*. [b] BR om. [c] P om. [d] G om. [e] PVS om. [f] G om. [g] BRG *ablectionem*. [h] PVS *ut*, V om. *essentiam*. [i] P *eas*. [k] V add. *a spirando vel*, G om. *Spiritus*. [l] G *increata* pro *l. c.* [m] S add. *ibi*, V om. *spirat*. [n] V om. [o] BRGL om. [p] G om. [q] L om.

1 Augustin., *De Trinit.*, V, c. 14 (PL 42, 921).
2 Cap. 5 (p. 123).
3 Psalm. 45, 2. Cf. Augustin., *De Trinit.*, c. 16 (PL 42, 923).

sicut hoc nomen 'Spiritus'. Unde Spiritus, prout dicitur a processione aeterna quasi passive [a] dicta, non potest dici 'noster', quoniam sic habet respectum ad Patrem et Filium solum a quibus spiratur. — Si autem obiciatur ad hoc quod in Spiritu Sancto remanet Spiritus, ergo cum Spiritus [b] dicat respectum ad creaturas, et Spiritus Sanctus, quare Spiritus Sanctus dicetur 'noster' sicut et 'Spiritus' – respondeo quod 'Spiritus', prout additur ei 'Sanctus', dicit quasi passivo modo solummodo spirationem aeternam; unde, in quantum sic est, refertur ad Patrem et Filium a quibus procedit, et non ad creaturam.

3. Ad tertium dicendum quod 'redemptor' dicit respectum ad creaturam, scilicet ad redemptum; sed Filius solum [c] ad Patrem refertur; ideo Filius non dicitur 'noster', licet dicatur 'redemptor noster'.

4. Ad quartum dicendum quod 'Pater' dicitur dupliciter. Dicitur enim principium per generationem, et sic est solum personale nec recipit supra se [d] 'noster'; dicitur etiam [e] principium per creationem, et sic essentiale [f] et connotat effectum in creatura; sed Filius dicitur tantum uno modo, scilicet relative ad Patrem: unde non dicit nomine suo respectum ad creaturam, ideo non potest dici 'Filius noster', licet dicatur 'Pater noster'.

5. Ad illud quod quaeritur 'utrum possit dici sapientia nostra, sicut redemptor noster' [g]: dicendum quod non, quia sapientia dicit divinam essentiam ut formam, et ideo per modum abstracti, et ideo non connotatur ut in respectu ad creaturam nisi [h] loquendo per causam, et sic posset dici sapientia nostra, quia facit nos sapere, I Cor. 1,30: *Factus est nobis sapientia* etc.

7. Ad aliud dicendum quod Deus potest dici [i] 'noster', quia 'Deus' est nomen operationis [1]: unde notatur effectus in creatura; essentia vero non sic; ideo non potest dici 'essentia nostra'. Deus enim dicitur a 'θεᾶσθαι' quod est considerare vel a 'θάλπειν' quod est fovere [2]; unde ratione effectus connotati dicitur 'Deus noster', essentia vero nullum habet huiusmodi respectum: unde nec dicitur 'nostra'.

8. Ad ultimum dicendum quod est donum Spiritus quod non est cum Spiritu Sancto, ut timor servilis, et quod est cum Spiritu Sancto, ut caritas; et sunt dona a Spiritu Sancto, quae aliquando sunt cum Spiritu Sancto, aliquando non cum Spiritu Sancto, ut fides et prophetia. Ratione ergo illorum donorum quae sunt a Spiritu Sancto et cum Spiritu Sancto, dicitur haberi vel dari.

MEMBRUM VI.

De nomine 'Donum'.

Sequitur quaerere de hoc nomine 'Donum', de quo quaeruntur tria:

Primo, an sit commune vel proprium Spiritus Sancti;

secundo, an conveniat Spiritui Sancto ab aeterno;

tertio, an donabilitas sit notio [k] Spiritus Sancti.

430

CAPUT I.

UTRUM NOMEN 'DONUM' SIT COMMUNE VEL PROPRIUM SPIRITUS SANCTI [3].

Ad primum sic: 1. Tota Trinitas dat se; ergo tota Trinitas [l] potest dici Donum. Vel si dat se tota Trinitas, quare magis dicitur Spiritus Sanctus Donum quam Pater et Filius? nam dare se [m] est communicare se [n]; communicat autem se tota Trinitas; ergo potest dici Donum.

2. Item, summum inter dona, de quibus Isai. 11,2-3, est sapientia; sed sapientia appropriatur Filio [4]; ergo debet dici Donum.

3. Item, Augustinus, in *Sententiis* [5]: «Eo dicitur Donum quo [o] procedit»; sed procedere convenit Filio [6]; ergo est Donum; non ergo [p] solum Spiritus Sanctus est Donum. — Item, Isai. 9,6: *Filius datus est nobis*. Ergo est donum [q].

4. Item, sicut Spiritus Sanctus est nobis donabilis ab aeterno, ita Filius; ergo Filius [r] debet dici donum sicut Spiritus Sanctus. — Item, Spiritus Sanctus dicitur esse [s] donum per spiritualem

[a] P *passi ut*. [b] P om. *e. c. S.* [c] BRGL *solummodo*. [d] BRGL om. *s. s.* [e] V *enim*. [f] L add. *est*. [g] BRGL om. [h] PV *non*, quod S corr. [i] S add. *Deus*. [k] PV *donatio*, quod S corr. [l] S om. *dat ... Trinitas*. [m] S om. [n] PVB om. [o] S *que*. [p] V om. [q] V om. *e. e. d.* [r] R om. *e. F.* [s] R om.

[1] Cf. supra, num. 356.

[2] Cf. supra, p. 531a, sub litt. *a*.

[3] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 18, a. un., qq. 1 et 4 (I, 323, 328). Cf. supra, num. 307.

[4] Cf. infra, num. 452.

[5] *De Trinit.*, IV, c. 20, n. 29 (PL 42, 908), ap. Lombard., I *Sent.*, d. 18, c. 2 (p. 118).

[6] Cf. supra, num. 305.

missionem in mentes hominum, in qua missione datur nobis amor gratuitus; sed similiter in missione spirituali Filii datur cognitio menti[a] nostrae, et ita Filius debet dici donum sicut Spiritus Sanctus: datus est enim[b] nobis in incarnatione et datur spiritualiter in sapientiae effusione.

Contra: *a.* Augustinus, XV *De Trinitate*[1]: « In Trinitate[c] non est Verbum nisi Filius nec Donum nisi Spiritus Sanctus ».

b. Item, Spiritus Sanctus secundum suam proprietatem amor est a Patre et Filio; sed amor proprie et per se donum est: quod enim ex amore non exhibetur, non proprie donum est[2]; igitur Spiritus Sanctus proprie[d] donum est.

Respondeo: Spiritus Sanctus proprie Donum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud autem[e] quod obicitur 'si convenit toti Trinitati esse datum, ergo[f] et esse donum', respondet Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[3]: « Omnis usus divinitatis est nobis ex Munere, qui est Spiritus Sanctus ». Unde et communio Patris et communio Filii attribuitur Spiritui Sancto[g], quia illa communio est ex amore, qui attribuitur Spiritui Sancto, et ideo quia Spiritus Sanctus dicit rationem donationis, ideo proprie dicitur Donum.

2. Ad aliud dicendum[h] quod est donum simpliciter et est donum in ratione doni; inter dona simpliciter maxima est sapientia; sed donum in ratione doni[i] et summum est caritas, quia dicitur in ratione amoris, amor autem dicitur in ratione doni.

3. Ad aliud dicendum quod 'procedere' dicitur dupliciter[4]: est enim procedere secundum modum[k] naturae et est procedere secundum modum[l] voluntatis, quia duo sunt principia: natura et voluntas, et secundum hoc duplex processio[m]: principalis processio[n] per modum naturae est generatio, processio per modum voluntatis est processio per modum amoris. Sicut ergo Filio proprium est procedere per modum naturae et Spiritui Sancto procedere per modum voluntatis, processio autem per modum voluntatis[o] eo quod processio est, eo est donum; non[p] sic autem est de processione quae est per modum naturae.

4. Ad aliud dicendum quod Spiritus Sanctus non habet rationem doni vel donabilis ex habitudine ad creaturas, sed[q] ex modo suae processionis a Patre et Filio. Ratio autem doni[r] tripliciter est in Spiritu Sancto: uno modo secundum respectum ad id quod est ante, non tempore, sed ut eius principium: procedit enim sicut donum a dante; alio modo secundum respectum ad ea quae consequuntur vel debent consequi, et hoc dupliciter: vel secundum habitum vel secundum actum. Filius autem primo modo non habet rationem doni, quoniam procedit a Patre secundum rationem[s] generantis, non dantis; unde Augustinus[5]: « Filius procedit a Patre, quomodo natus, non quomodo datus ». Habet autem Filius rationem doni secundum potentiam ad creaturas, prout in dono est connotatio alicuius effectus in creatura, non autem habet rationem doni proprie secundum habitum, licet sit donabilis, quia aliud est potentia, aliud aptitudo. Unde Spiritus Sanctus dicitur Donum, non solum quia dari potest, sed quia ad hoc est ut detur: unde aptitudinem importat respectu dantis, non solum potentiam. Sed aliud est habere potentiam, aliud aptitudinem; pater enim potest docere filium, sed ad hunc actum non habet aptitudinem in quantum pater, sed in quantum magister; unde patri, in quantum pater, docere[t] accidit, sed generare est ei naturale. Patet ergo quod ratio doni ab aeterno convenit Spiritui Sancto quasi habitualiter, Filio quasi potentialiter; ideo proprie convenit ut dicatur Spiritus Sanctus Donum, et non Filius. — Praeterea, aliud est fieri, aliud[u] dari: dari enim convenit rei existenti; propter hoc primum esse rei non est donum, sed dispositiones consequentes, quae faciunt ad bene esse rei, donum dicuntur[v] proprie. Quia ergo in Filio res fiunt[x], secundum illud[6]: *Omnia in sapientia fecisti,* et[7]: *Ipse dixit, et facta sunt,* id est genuit Filium, in quo erat ut omnia fierent[8]; in Spiritu Sancto vero[y] largiuntúr rebus factis bonitates et carismata sive gratiae, ideo[z] Spiritus Sanctus dicitur donum, non Filius. — Item, donum, in quantum donum, voluntarium est; sed cognitio, in quantum huiusmodi, non dicitur esse voluntaria; ideo Spiritui Sancto, qui amor est, convenit ratio doni, non Filio qui est sapientia. — Praeterea, omne donum, in quantum donum, gratia est; Spiritus autem Sanctus gratia est, non solum effective, immo formaliter, sicut et caritas; et ideo, cum Filius non sit gratia, donum sive ratio doni non convenit Filio secundum se.

---

[a] S *mentis* et om. *ita.* [b] GL om.; G om. *in,* in P est add. interl.; P om. *et.* [c] G om. *I. T.* [d] V om., R om. *igitur... proprie.* [e] PVS add. *etiam.* [f] B om. [g] BRGL om. [h] BRGL add. *est.* [i] R *Dei.* [k] PVS *esse.* [l] S *motum.* [m] L *processus.* [n] V om. [o] G om. *p. a. p. m. v.*; V om. *autem.* [p] V *nam.* [q] PVS om. [r] V om. [s] G *generationem.* [t] L add. *non*; S *generale* pro *generare.* [u] BRGL add. *est.* [v] V add. *esse*; S *bone* pro *bene.* [x] V *sunt.* [y] V *ut.* [z] R *hoc.*

1 Cap. 17, n. 29 (PL 42, 1081).
2 Cf. supra, p. 439, nota 1.
3 Cap. 6 (inter opp. Augustini, PL 40, 783).
4 Cf. supra, num. 305.
5 *De Trinit.*, V, c. 14 (PL 42, 921).
6 Psalm. 103, 24. 7 Psalm. 32, 9.
8 Cf. *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 113, 1076), et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1285).

431

CAPUT II.

AN ESSE DONUM CONVENIAT SPIRITUI SANCTO AB AETERNO.

Consequenter quaeritur an esse Donum conveniat Spiritui Sancto ab aeterno [1].

Ad quod sic: *a.* Augustinus, V *De Trinitate* [2]: « Aliter intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest; sempiterne ergo Spiritus Sanctus Donum est, temporaliter vero donatum [a] ».

b. Item, ibidem: « Spiritus Sanctus non ex tempore [b], sed ab aeternitate procedit; sed quia sic procedebat ut esset donabile, iam Donum erat antequam esset cui donaretur ». Ex quibus aperte [c] colligitur quod sicut Spiritus Sanctus ab aeterno procedit, ita ab aeterno Donum est, non quia donaretur a Patre [d] Filio vel a Filio Patri, sed quia ab aeterno processit donabilis [3].

Contra: 1. Augustinus, XV *De Trinitate* [4]: « Eo est Donum quo datur alicui »; sed dari alicui est ex tempore; ergo Donum dicitur ex tempore.

2. Item [5], « eo est Donum quo processit ut donabilis »; sed 'donabile' semper dicit respectum ad creaturam; ergo non dicitur Donum vel donabilis [e] ab aeterno.

3. Item, V *De Trinitate:* « Eo dicitur Donum quo daturus erat »; sed ex tempore erat daturus; ergo ex tempore erat Donum.

4. Item, unde « est haec differentia inter Donum et datum [f] quod Donum dicitur ab aeterno, datum ex tempore? »

5. Item, « Spiritus Sanctus dicitur Donum ab aeterno eo quod donabilis ex tempore ». Quare similiter non dicitur Filius natus ex [g] Virgine ab aeterno [h] eo quod nascibilis [i] in tempore?

Respondeo: 1. Donum tripliciter accipitur: quandoque enim notat notionem aeternam, et sic solummodo dicitur respectu Patris et Filii; quandoque praeter notionem aeternam dicit habitudinem ad creaturas, non tamen connotat effectum in creatura, et sic dicitur ut donabilis; tertio modo accipitur prout dicit notionem aeternam et praeter hoc habitudinem ad creaturas, connotando ultra effectum in creatura, et sic dicitur datum et dicitur ex tempore. Unde Donum accipi potest vel pro ipso donabili vel pro ipso dato; et hoc modo dicit Augustinus [6] quod « in tantum dicitur Donum in quantum datus [k] eis quibus datur »; dōnum enim cum significet habitum, significare potest habitum ut est [l] ad actum vel in potentia tantum vel in aptitudine [m] vel in effectu: habitus enim dicitur multipliciter. Primo modo est Donum ab aeterno, secundo modo similiter, tertio modo in [n] tempore, et hoc modo « in tantum dicitur Donum » etc. Primo ergo modo dicitur Spiritus Sanctus amor procedens a Patre et Filio; secundo, amor procedens a Patre et Filio communicabilis [o] creaturae; tertio [p], ut iam communicatur creaturae, efficiens in ipsa consimilem amorem. Dicendum ergo quod Magister [7] accipit Donum primo et secundo modo, Augustinus vero [q], *De Trinitate*, tertio modo.

2. Ad aliud dicendum quod Donum sive donabile dicit respectum ad creaturam; sed notandum quod nomina quaedam connotant effectum in creatura, quaedam respectum; et effectum dupliciter: in habitu, ut misericors, in actu, ut miserator; et respectum similiter dupliciter [r]: in habitu, ut Dominus, in actu, ut Dominator. Unde quae connotant effectum vel respectum in habitu possunt dici de Deo ab aeterno, quae vero in actu nonnisi ex tempore; 'donabile' ergo dicit respectum in habitu, ideo dicitur de Deo ab aeterno; 'datum' in actu, ideo ex tempore.

3. Ad illud Augustini, V *De Trinitate*: « Eo ipso [s] dicitur Donum quo daturus erat »: dicendum quod hoc quod dico « eo ipso quo daturus » dicit rationem quare dicitur Donum et non causam.

4. Ad aliud dicendum quod Donum, quia nomen est, significat rem per modum habitus et ut sine tempore, ideo significat rem [t] ut est intemporalis; datum vero, quia participium est, significat rem per modum actus et motus [u], et ita sub tempore, et inde habetur [v] distinctio praedicta quod Donum ab aeterno, datum ex tempore.

5. Ad aliud dicendum quod Filius nullum dicit respectum nisi ad Patrem, sed Donum, secundum quod accipitur in significatione secunda, dicit respectum ad creaturam; ideo dicitur Spiritus Sanctus Donum, ut sit donabilis ex tempore, non autem 'Filius natus', ut sit nascibilis in tempore, quia aeterna nativitas Filii nullum dicit respectum ad creaturam.

---

[a] R *donum.* [b] V *parte.* [c] S *a parte.* [d] V add. *et.* [e] S *donabile.* [f] B *creatum.* [g] Ita L, alii *in.* [h] S om. *a. a.* [i] PVS *innascibilis,* P om. *in.* [k] B *datum.* [l] L om. [m] S *habitudine.* [n] V *ex.* [o] PV *commutabilis.* [p] BRG add. *modo.* [q] R add. *in.* [r] V add. *in actu vel.* [s] BRGL om. [t] G om. *per modum... rem.* [u] B om. *e. m.*, RG *modus.* [v] V *queritur.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 18, a. un., qq. 2 et 3 (I, 325 sqq)..
[2] Capp. 15 et 16 (PL 42, 921 sq.), ubi et sequens.
[3] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 18, c. 2 (p. 118).
[4] Cap. 19, n. 36 (PL 42, 1086), ad sensum.
[5] Augustin., *De Trinit.*, V, c. 15 (PL 42, 921), ad sensum, ubi et sequentes tres loci.
[6] *De Trinit.*, XV, c. 19, n. 36 (PL 42, 1086).
[7] Loc. cit., nota 3.

CAPUT III. 432

AN DONABILITAS SIT NOTIO SPIRITUS SANCTI.

Tertio quaeritur an donabilitas sit notio Spiritus Sancti [1].

Quod sic videtur: 1. Quia significat proprietatem aeternam Spiritus Sancti, proprietas autem aeterna notio est.

2. Praeterea, per illam proprietatem distinguitur Spiritus Sanctus ab aliis personis; ergo est notio.

Contra: *a*. Non est eadem notio qua Filius refertur ad id quod est ante et ad id quod sequitur: refertur enim ad Patrem per generationem, ad Spiritum Sanctum per spirationem; quare similiter Spiritus Sanctus eadem notione non refertur ad ante et ad posterius. Cum igitur Spiritus Sanctus donabilitate refertur ad posterius [a], id est ad creaturas, non illa refertur ad Patrem et Filium, et ita non est notio.

Respondeo: Proprietates sunt distinctivae [b] personarum secundum se, circumscripta omni habitudine secundum actum et secundum potentiam ad creaturas, et ideo 'donabile', ratione habitudinis ad creaturas, non est notio Spiritus Sancti [2]; sed praeter istam habitudinem habet proprietatem qua refertur ad Patrem et Filium, ratione cuius dicitur notio Spiritus Sancti et distinguit Spiritum Sanctum a Patre et Filio. Unde Augustinus, in V libro *De Trinitate* [3]: « Quod datum est, et ad eum qui dedit refertur et ad eos quibus dedit ».

QUAESTIO III.

DE NOMINIBUS PERSONALIBUS DISTINCTIVIS.

Dicto de nominibus personarum relativis, consequens est investigare [c] de nominibus distinctivis.

Primo ergo [d] quaeritur quae nomina distinctiva sint recipienda in divinis et quae non;

secundo, quaeritur de nominibus partitivis 'unus, una, unum';

tertio, de nominibus exclusivis, ut 'solus, solum'.

CAPUT I. 433

QUAE NOMINA DISTINCTIVA SINT RECIPIENDA IN DIVINIS ET QUAE NON.

Ad primum quaeritur an diversitas vel diversum vel divisio sive separatio vel singularitas vel solitudo dicenda sit in divinis.

Quod non videtur: *a*. Hilarius [e], VII *De Trinitate* [4]: « Sicut in Patre et [f] Filio credere duos Deos impium est, ita Patrem vel Filium singularem Deum praedicare sacrilegum [g] est; nihil in iis novum, nihil diversum, nihil alienum, nihil separabile ».

b. Item, Augustinus, in libro *Quaestionum Veteris et Novae Legis* [5]: « Unus est Deus, non singularis ».

c. Item, Ambrosius, in libro *De Trinitate* [6]: « Quod unius est substantiae separari non potest, etsi non sit singularitatis, sed unitatis [h] ». 'Deus' cum [i] dicitur, nequaquam Trinitatem deitatis [k] excludit, et ideo non quod singularitatis, sed quod unitatis est praedicatur.

Sed obicitur in contrarium: 1. Quare praedicta in divinis non admittuntur? cum ibi recipiatur

---

[a] RG om. *cum ... posterius*. [b] V *distincte*. [c] PVS *intelligere*. [d] BRG om. [e] V add. *in*. [f] BRGL add. *in*. [g] RL *sacrilegium*. [h] P *seu unitas* pro *s. u.* [i] P *tamen*. [k] L *deitas*.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 18, a. un., q. 5 (I, 329sqq.).
2 Cf. supra, p. 623a, *ad 4*.
3 Cap. 14 (PL 42, 921).
4 Num. 39 (PL 10, 232 sq.).
5 Pseudo-Augustin., quaest. 122 (PL 135, 2367).
6 Lib. V, c. 3, n. 46 (PL 16, 658).

distinctio, discretio et differentia et dicantur distinctae, discretae et differentes personae.

2. Item, Anselmus, in libro *De incarnatione Verbi*[1]: « Cum Deus nascitur de Deo vel [a] procedit de Deo, nec substantia potest amittere unitatem nec relatio pluralitatem; ideo tria est ibi unum, et unum tria, [nec] tamen tria de se invicem dicuntur ».

3. Item, Hilarius, IV libro *De Trinitate*[2]: « Est unus ab uno, neque praeter innascibilem Deum innascibilis Deus alius neque praeter unigenitum Deum [b] unigenitus Deus alius est [c]; uterque unus solus est proprietate in [d] unoquoque innascibilitatis et originis ». Ergo est ibi accipere solitudinem.

Respondeo: 1. Solitudo dicit negationem multarum personarum, singularitas individuitatem per accidentia sive plurium exclusionem, proprie discretio pertinet ad visum, distinctio ad tactum; accipiuntur autem haec per translationem, et accipitur discretio quoad visum spiritualem qui est fidei. Dicitur ergo discretio personarum, quia non est necesse, qui fide movetur in unam personam, quod propter hoc in aliam; distinctio vero est [e] ipsarum personarum inter se differentia, differentia vero communiter se habet ad distinctionem et diversitatem. Quod patet per divisionem Philosophi[3]: « Prima divisio unius comparati ad aliud est per conveniens et differens ». Differens autem est aut in substantia aut in quantitate aut in qualitate aut in situ. Si in situ [f], dicitur non simul; si in qualitate, dissimilitudo; si in quantitate, inaequalitas; si in substantia vel secundum substantiam: vel secundum quod dicitur persona vel secundum quod dicitur [g] essentia; si ut dicitur essentia, tunc dicitur diversitas; si secundum quod persona, tunc dicitur distinctio vel discretio. Ex quo patet quod differentia communiter dicitur ad diversitatem sive discretionem sive differentiam; divisio autem vel separatio semper [ad] ubi vel quasi ubi. Hic autem non est separatio secundum esse in diversis essentiis [h], et quia non sunt diversae essentiae differentium personarum, ideo non est separatio in divinis. Divisio autem est multiplicatio essentiae generalis per [i] substantias particulares; multiplicatio autem huiusmodi [k] removetur a divinis: propter quod in divinis non est diversitas vel divisio.

b. Ad auctoritatem Augustini [l] dicendum quod utitur hoc nomine 'singulare' extenso nomine, quia divina essentia est [m] indivisa.

c. Quod [n] autem dicit Ambrosius [o] 'excluditur singularitatis [p] intelligentia', ibi sumitur 'singularitas' ut est in personis proprie.

2. Quod autem Anselmus dicit: « tria », id est tres intelliguntur et supponuntur hypostases, in littera dicitur « unum » et sumitur pro essentia.

3. Ad auctoritatem Hilarii dicendum quod 'solus' dicitur dupliciter: potest enim esse sensus: 'Filius est solus', id est solus Filius vel solus Deus; primo modo est vera, secundo modo est falsa, et sic intelligit Hilarius in dicta [q] auctoritate.

CAPUT II.

DE NOMINIBUS PARTITIVIS.

Consequenter quaeritur de nominibus numeralibus 'unus, duo, tres' et ceteris partitivis:

Primo, quid significent, utrum essentiam vel personam vel notionem;

secundo, cuius praedicamenti rem significent;

tertio, an possit dici 'unus Pater et Filius' secundum quod est dictio numeralis;

quarto, utrum nomen distinctivum 'unus aliquis' convenienter addatur nomini essentiali;

quinto, quaeritur specialiter de iis nominibus 'differens [r], distinctus' [s].

434 ARTICULUS I.

Utrum 'unus, duo, tres, plures' significent substantiam vel notionem.

Quaeritur ergo primo de istis nominibus 'unus, duo, tres, plures' quid significent, utrum substantiam vel notionem[4].

Ad quod sic: 1. Augustinus[5]: « Omne nomen [t], quod dicitur de Deo, aut dicitur secundum substantiam aut secundum relationem »; sed hoc

---

[a] PVSL *non.* [b] PV om., in S est add. mg. [c] V om. [d] S *et.* [e] PV om., in S est add. [f] V om. *s. i. s.* [g] V add. *pro.* [h] L *substantiis.* [i] V *vel.* [k] R om. [l] Codd. *Anselmi.* [m] V add. *in divinis.* [n] P *cum.* [o] Codd. *Hilarius.* [p] V *singularitas,* P *ubi* pro *ibi.* [q] S *predicta.* [r] BGL add. *et.* [s] V *distinctis* pro *d. d.*, R del. *quinto... distinctus.* [t] BRGL om.

[1] Cap. 9 (PL 158, 284).
[2] Num. 33 (PL 10, 120).
[3] Aristot., *Metaph.*, IV, c. 2 (II, 501).
[4] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 24, a. 1, q. 2 (I, 423 sq.).
[5] Cf. *De Trinit.*, V, c. 5 (PL 42, 913 sq.), ad sensum; Alan., *Theol. reg.*, reg. 22 (PL 210, 631).

nomen 'unus' non dicitur ad aliquid: quod patet per definitionem eius quod est[a] 'ad aliquid'; ergo secundum substantiam.

2. Praeterea, nihil dictum secundum relationem praedicatur de qualibet persona; ergo non dicitur secundum relationem, sed secundum substantiam.

3. Item, 'unus et ens' masculine sumpta convertuntur[1]; sed 'ens' significat substantiam; ergo et 'unus'.

4. Item, cum dicitur 'Pater et Filius et Spiritus Sanctus[b] sunt unus Deus', constat quod 'unus' hic non significat vel non dicit personam, sed essentiam.

5. Praeterea, unitas personae non est alia ab unitate essentiae; ergo cum dicitur 'Pater est unus, Filius est unus, Spiritus Sanctus est unus', significabit unitatem essentiae.

6. Praeterea, hoc nomen 'unus' de qualibet persona praedicatur; ergo non potest significare notionem vel proprietatem, quoniam per notiones et proprietates distinguuntur personae invicem; et ita[c] non significat 'ad aliquid', et ita vel essentiam vel substantiam.

Contra: *a.* Omne nomen, quod dicitur secundum substantiam, dicitur de omnibus personis singulariter et in summa, excepto hoc nomine 'persona'; ergo et hoc nomen 'unus' non dicitur secundum substantiam, quia non dicitur in summa et singulariter de singulis, ut dicatur 'Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unus', quia sunt tres, non ergo unus.

b. Item, 'unus' est ens divisus[d] ab aliis; sed non potest dici 'divisus' nisi de persona; ergo nec 'unus' potest dici nisi de persona.

c. Item, 'tres' non significat nisi ter unitatem; si ergo hoc nomen 'unus' significat essentiam vel unitatem essentiae, cum dicitur 'tres', significaret trinitatem[e] essentiarum.

d. Praeterea, cum dicitur 'Pater est unus', sensus est: 'Pater est indivisus sua proprietate'; sed 'sua proprietas'[f] dicitur ad aliquid; ergo hoc nomen 'unus' dicitur[g] ad aliquid, et ita videtur quod non significet substantiam.

[Solutio]: Ad hoc respondent[h] quidam, ut Magister, in *Sententiis*[2], et sui sequaces quod huiusmodi nomina dicuntur negative, non secundum positionem, ut sit sensus: 'Deus est unus' vel 'Pater est unus', hoc est non plures. Et dicunt quod praedicta divisio, scilicet quod « omne nomen, dictum de Deo[i], dicitur secundum substantiam vel secundum relationem », intelligitur de illis quae dicuntur secundum positionem, non de illis quae dicuntur secundum privationem. — Sed contra: unitas dicitur secundum proportionem in divinis unitati quae est in creaturis; sed unitas, quae est in creaturis, dicitur secundum positionem[k] et non solum secundum exclusionem[3]; quare similiter erit in divinis, cum verius sit unitas in divinis quam in creaturis[l]. Item, si nomina praedicta dicuntur solum secundum privationem, tunc intelligetur unitas per privationem pluralitatis et pluralitas per privationem unitatis, et ita erit circulatio in[m] intelligentia sive in ratione illorum, et ita idem erit notificatio sui.

Propter hoc dixerunt alii[4] quod huiusmodi dictiones sunt dictiones officiales et nihil significant in re, sed solum in intellectu. — Sed hoc nihil videtur, quia omnis intellectus[n] est rei similitudo et vanus est sermo cui non respondet aliquid in re[o]. Item, unitas rerum in natura est proprietas distinctiva unius ab alio, quia unum est indistinctum in se et divisum ab aliis[5].

Propter hoc dicunt[p] alii[6] quod unitas est proprietas, distinctio et notio; sed alia ratione dicitur proprietas, alia notio.

Sed dicendum quod alia est[q] ratio horum nominum quando tenentur adiective, alia quando tenentur substantive; et alia ratio est[r] quando dicuntur absolute, alia ratio quando dicuntur cum aliis. Dicendum[s] ergo[7] quod in neutro dicit 'unum' unitatem essentiae, et 'unitas', secundum quod significatur hoc nomine 'unum', significat essentiam: unde huiusmodi unitas est in divino[t] esse; 'unus' autem[u] masculine significat unitatem personae[v] et indivisionem; 'unitas', prout significatur per hoc nomen 'una', indivisionem significat notionis aut proprietatis. Unitas essentiae non multiplicatur nec dicitur de multis unitatibus; unitas personae multiplicatur et dicitur de multis unitatibus; tertia, scilicet notionalis, multiplicatur et dividitur per quinque differentias; unitas utique[x] personae multiplicata

---

[a] V *dicitur.* [b] R om. [c] P *item.* [d] L *distinctus.* [e] PVS *unitatem.* [f] V *proprietate.* [g] BRGL om. [h] G *habent.* BRGL om. *d. d. D.* [i] S *expositionem.* [l] BRGL *creatura.* [m] V om. [n] G (mg.) *sermo.* [o] P nota mg.: *Ergo ydolum vanum; nic[hil] enim est ydolum, quia non [est] aliquid in rerum natura ad cuius ymaginem vel similitu[dinem] hoc fiat vel fieri v[a]leat.* G. [p] S om. [q] S add. *notio.* [r] BRGL om. [s] PVS *dicit.* [t] P *indivisio* pro *t. d.* [u] R *enim.* [v] G om. [x] PVS *quoque*, R *itaque.*

[1] Cf. Aristot., *Topic.*, IV, c. 1 (I, 207); *Metaph.*, VI, c. 4 (II, 541).; Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 12, § 2 (PG 3, 978, PL 122, 1168).

[2] Lib. I, d. 24, cap. unic. (p. 154). « Et in isto articulo non sustinetur communiter a magistris Parisiensibus », ut notat S. Bonav., loc. cit. (I, 426a).

[3] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 6 (f. 13b); Praeposit., *Summa*, I (f. 71b).

[4] Cf. Guil. Altissiod., loc. cit.: « Alii dicunt quod hoc nomen 'tres' nihil significat nisi intellectu et est dictio officialis distinctiva ».

[5] Cf. supra, p. 112, nota 1.

[6] Guil. Altissiod., loc. cit.: « Unitas nihil aliud est quam eius notio personalis; sed alia ratione dicitur notio, et alia unitas ».

[7] Cf. Praeposit., loc. cit. (f. 71c).

per tres unitates, praeintellecta unitate essentiae [a] constituit Trinitatem. — Dicendum ergo quod unitas, significata per hoc nomen 'unum', significat essentiam; significata per hoc nomen 'unus', significat 'ad aliquid': sed quia 'unus' significat indivisionem personae communiter, non hanc vel illam, ideo dicit personam, sed non personaliter; similiter hoc nomen 'una', quia significat notionem communiter, non hanc vel illam, ideo dicit notionem, non notionaliter. Dicendum utique quod per hoc nomen 'unus' [b] persona dicitur et per hoc nomen 'una' notio vel proprietas, sed non secundum quod notio vel proprietas est relatio personae ad personam, sed secundum quod proprietas est personae cuius est proprietas, et persona est essentiae persona [c]. Ideo huiusmodi nomina [d] non dicuntur ad aliquid simpliciter, sed quodammodo sicut media inter ea quae dicunt substantiam simpliciter et quae dicunt [e] 'ad aliquid' simpliciter; secundum hoc [f] idem est 'unus' [g] quod 'indivisus sua proprietate'.

Praeterea, nota quod in masculino et feminino nunquam dicunt essentiam, sed [h] in neutro; unde 'unus' dicit personam, 'unum' essentiam [i], 'una' notionem. Iuncta tamen essentialibus trahuntur ad significationem essentialem, ut cum dicitur 'unus Deus', 'una essentia'; similiter iuncta personalibus trahuntur ad significationem [k] personalem, ut cum dicitur 'unus Pater, una persona'; sed per se sumpta in masculino et feminino nunquam [l] significant essentiam; similiter dicendum de partitivis et divisivis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud autem [m] quod obicitur quod « omne nomen, quod de Deo [n] dicitur, dicitur [o] aut secundum substantiam aut secundum relationem », dicendum quod 'dici ad aliquid' dicitur multipliciter: vel quod significat relative, ut Pater, sic 'unus' vel 'una' non significant relationem; vel quod importat in se relationem, sic hoc nomine 'persona', et 'unus' et 'una' dicuntur ad aliquid.

2. Ad aliud dicendum quod licet dicatur de tribus, non sequitur quod dicatur secundum substantiam, quia non dicitur de tribus singulariter et [p] in summa.

3. Ad aliud dicendum quod licet 'ens' et 'unus' masculine convertantur, tamen alio modo significant ens: 'ens' enim significat absolute, 'unus' in distinctione; ideo 'ens' dicit essentiam, 'unus' relationem.

4. Ad aliud patet responsio, quia cum dicitur 'unus Deus', 'unus' ibi [q] trahitur ad significationem substantiae per adiunctum.

5. Ad aliud quod obicitur quod 'unitas personae non differt ab unitate essentiae': dicendum quod licet idem sit essentia quod persona, aliquid tamen attribuitur uni quod non alteri, quare similiter aliquid potest [r] attribui unitati personae quod non unitati essentiae. Unde unitas essentiae non multiplicatur, licet alia multiplicetur: 'unus' enim distinguitur, 'unum' autem est indistinctum.

6. Ad hoc quod obicitur quod hoc nomen 'unus' non significat notionem, quia non distinguit ut notio: dicendum quod hoc nomen 'unus' [s] significat notionem communiter, non hanc vel illam, ideo non notionaliter; propter hoc non oportet quod distinguat, sicut notio significata per hoc nomen 'notio' non distinguit, sed quae est significata per hoc nomen 'paternitas' vel 'filiatio'.

435 ARTICULUS II.

Cuius praedicamenti rem significent nomina partitiva [1].

Secundo quaeritur I. supposito quod haec nomina 'unus, duo, tres' non dicantur solum privative, sed ponant aliquid, cum dicitur 'Pater est unus, Filius est unus, Pater et Spiritus Sanctus sunt duo [t], Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres', cuius praedicamenti [u] rem significent.

Et necesse est quod significent [v] substantiam aut relationem: 1. Quia solum ista duo praedicamenta sunt [x] in divinis, secundum Boethium, *De Trinitate* [2], alia vero convertuntur in praedicamentum substantiae; sed ista dicta de creaturis significant rem de [y] praedicamento quantitatis; ergo in divinis convertuntur in praedicamentum substantiae. — Praeterea, non videntur dici secundum 'ad aliquid', quia non convenit eis ratio 'ad aliquid'; substantiam autem non possunt significare, cum in divinis nec [z] substantia nec essentia possint significari pluraliter.

---

[a] P add. *et.* [b] P *una.* [c] S *persone.* [d] V om. [e] G *dat.* [f] G om., V *sed* pro *s. h.* [g] V *unum.* [h] PL add. *non*, V add. *etiam.* [i] S *unus dicit essentiam, unus personam* pro *u. d. p. u. e.* [k] G om. *essentialem... significationem.* [l] S *nusquam.* [m] BRGL om. *A. i. a.*, V *aliud* pro *illud.* [n] Ita V, S om. *de*, P om. *Deo.* [o] BGL om. *q. d. D. d.*; R om. *q. d. D. d. d.* [p] S *sed.* [q] PV om., in S est add. mg. [r] G om. *attribuitur... potest.* [s] S om. *non significat... unus.* [t] PSB *est unus* pro *s. d.*, V om. *P. e. S. S. s. d.*, G om. *Filius est... duo.* [u] G *predicati.* [v] R add. *aut.* [x] PVS om.; S om. *duo.* [y] V *cum.* [z] G add. *in.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 24, a. 2, q. 2 (I, 426sqq.). | [2] Cap. 4 (PL 64, 1252).

II. Item, quaeritur similiter de aliis nominibus distinctivis, ut 'aliquis, quidam, alius', cuius praedicamenti rem significent.

[Solutio]: I. Ad [a] primum dicendum quod significant rem de genere 'ad aliquid', relationem scilicet, licet [b] non ut relationem; sicut enim unitas essentiae idem est quod essentia, similiter unitas personae idem est [c] quod persona. Unde hoc nomen 'unus', dictum de Patre, eamdem rem significat quod hoc nomen 'Pater'. Similiter hoc nomen 'tres', dictum de Patre et Filio et Spiritu Sancto, idem significat [d] quod illa nomina; unde illa nomina significant rem de genere 'ad aliquid'.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod 'nomina significantia quantitatem convertuntur in praedicationem [e] substantiae': dicendum quod hoc est intelligendum quantum ad principalem nominum significationem, non quantum ad consignificationem; sed nomina ista non attribuuntur divinis nisi cum masculine significantur; unde si in neutro genere significarentur, essentiam significarent. Posset [f] tamen dici quod Boethius hoc dixit volens praedicta nomina a sua significatione removere; unde per hoc non intendebat quod in divinis non possent significare relationem, sed quod ibi non significabant qualitatem aut quantitatem.

II. Ad ultimum dicendum, secundum quod dicitur in libro *De regulis fidei* [g] [1]: « Omne nomen vel pronomen distinctivum in masculino vel feminino, nomini personali adiunctum, pertinet ad personam, in neutro vero ad essentiam: ut 'Pater est a Filio alius', 'persona Patris est alia a persona Filii, sed non aliud', 'Pater non est ille qui Filius, sed [h] est illud quod Filius'. Nec mirum, si nomina vel pronomina distinctiva in masculino vel feminino pertineant ad personam, in neutro ad essentiam, cum [i] in naturalibus nomina in masculino et feminino pertineant ad rem generis, in neutro ad genus rei. Adiectiva enim in masculino et feminino genere distinctiva sunt ratione generis: genus enim masculinum vel femininum distinctum est; unde et ipsum adiectivum, quia ex virtute discretionis ad rem generis [k] pertinet, exigit substantivum quod decet [l] rem generis, ut albus equus, alba mulier. Adiectivum vero in neutro genere confusum est: neutrum enim genus non dicitur per positionem, sed per abnegationem, ita et in neutro genere adiectivum, quia confusum est, pertinet ad genus rei, non ad rem generis. Unde solet dici quod in adiectivo neutri generis intelligitur vel solet intelligi hoc substantivum 'res' [m] et substantive solet teneri, ut cum dicitur 'album currit'; similiter per 'quis' in masculino solet intelligi persona, ut cum dicitur 'quis currit?', per 'quae' etiam in feminino, per 'quid' in neutro essentia. Similiter in divinis ratione discretionis nomina distinctiva in masculino et feminino pertinent ad personam, in neutro vero ratione confusionis ad essentiam ».

ARTICULUS III. 436

An possit dici 'unus Pater et Filius' secundum quod est dictio numeralis.

Tertio quaeritur utrum Pater et Filius possint dici 'unus' substantive.

Quidam [2] dixerunt quod haec dictio 'unus' [n] significat essentiam, sed quia est dictio numeralis excludit maiorem numerum. Supposito autem quod dicat essentiam, non excludit maiorem numerum personarum, sed essentiarum; sed omnia alia adiectiva, quando substantivantur, dicuntur singulariter de personis et non pluraliter, ut 'unus omnipotens, non tres omnipotentes', quaeritur quare similiter non dicitur 'Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus', ita quod substantivetur.

Respondeo: In omni adiectivo, quando substantivatur, intelligitur articulus ex virtute substantivationis. Sed aliter est in nominibus distinctivis et partitivis [o], aliter in aliis, quia in distinctivis significatur distinctio ex ratione significandi. Inde est quod substantivata non possunt supponere essentiam, quoniam significant rem articulatam distinguibilem, et hoc est persona. In aliis vero adiectivis non significantibus distinctionem non est sic; unde etsi substantiventur, non coarctantur [p] ad personam. Absolute igitur non poterit dici 'Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus', sed dicitur 'unus aeternus, unus omnipotens' et huiusmodi cum determinatione.

---

[a] S *respondeo ad.* [b] R om. [c] PVS om. [d] G *significant.* [e] L *predicamentum.* [f] P *possent.* [g] R om. [h] G add. *non.* [i] G om. [k] L om. [l] L add. *ad.* [m] P *tres*, BRG *ut* pro *et.* [n] S add. *substantive.* [o] R om. *e. p.* [p] PV *coartatur.*

[1] Reg. 27 (PL 210, 634).

[2] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, *c.* 4, q. 6 (f. 13cb).

437 ARTICULUS IV.

Utrum nomina partitiva et distinctiva possint addi nomini essentiali.

Deinde quaeritur generaliter de nominibus acceptis partitive vel distinctive utrum possint addi nominibus essentialibus in divinis.

Ad quod sic: 1. Deuter. 6,4: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est;* item [a], I Cor. 8,5: *Si quidem sunt dii multi, nobis tamen Deus unus est;* sed *'unus'* [b] est nomen distinctivum et additur nomini essentiali; ergo convenienter nomen distinctivum [c] potest addi nomini essentiali.

2. Item, Boethius, in libro *De Trinitate* [1]: « Deus a nullo Deo differt »; sed 'nullus' est signum distinctivum et additur huic nomini 'Deus'.

3. Item, Exod. 15,2: *Iste Deus* [d] *meus et glorificabo eum;* sed hoc pronomen *'iste'* est partitivum et distinctivum; ergo simili ratione potest dici 'quidam vel aliquis Deus'.

Contra: *a.* In libro *De regulis fidei* [2]: « Dictio partitiva partitur inter [e] appellata quae actu vel natura sunt plura. Unde convenienter dicitur 'aliquis phoenix, quidam phoenix': quamvis enim non sint plures actu, tamen plures possunt esse natura; sed nec actu nec natura plures possumus intelligere deos; et quamvis plures personae sint, quae sunt appellata huius nominis 'Deus', tamen circa hoc nomen non habet locum partitiva dictio, quia sicut partitur in appellativis, ita in appellatorum naturis; non enim vere diceretur 'Petrus est alius homo quam Paulus', nisi alia humanitate esset homo quam Paulus ».

Solutio: Secundum quod dicitur in libro *De regulis fidei* [3]: « Nullum nomen vel pronomen partitivum convenienter adiungitur nomini essentiali; minus enim congrue dicitur 'aliquis Deus' vel 'quidam Deus' vel 'solus Deus' [f] vel 'iste Deus' ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum [g], sicut dicitur in libro *De regulis fidei,* quod « hoc nomen 'unus' [h], quamvis aliquando partitive teneatur, tamen quia aliquando tenetur [h] exclusive, admittitur ut dicatur 'unus Deus', id est non plures ».

2. Ad secundum dicendum quod « etsi alicubi inveniatur signum universale vel particulare adiunctum nomini essentiali, intelligatur illa universalitas vel partitio referri ad pluralitatem personae, non essentiae, ut cum dicitur a Boethio, in libro *De Trinitate:* "Deus a nullo differt", hic est sensus: nulla res, quae sit Deus, in eo quod Deus est, differt a re quae Deus est ».

3. Ad tertium dicendum quod haec dictio 'iste' aliquando accipitur improprie [i] et demonstrative, prout dicitur demonstratio fidei, ut supra dictum est [4], cum actum est de significatione pronominali, et hoc modo accipitur cum dicitur: *Iste Deus meus;* aliquando vero proprie, cum accipitur partitive et discretive, et hoc modo sicut inconvenienter dicitur 'aliquis Deus', sic inconvenienter dicitur 'iste Deus'.

CAPUT III.

DE NOMINIBUS EXCLUSIVIS.

Consequenter quaerendum est [k] de nominibus exclusivis. Quaeritur ergo:

Primo [l], de intentione huius nominis 'solus' secundum quod adiungitur nomini personali;

secundo, secundum quod adiungitur nomini essentiali;

tertio, quaeritur qualiter intelligitur illud [5]: *Nemo novit Patrem nisi Filius* [m].

---

[a] PVS om. [b] PR *unum.* [c] B *distinctioni.* [d] B *Dominus.* [e] B add. *tria;* P *appellativa* pro *appellata.* [f] PVS om. *v. s. D.* [g] BRGL om. [h] G *tenet.* [i] PVS *proprie.* [k] VG *queritur* pro *q. e.* [l] BRGL om. [m] Codd. *Filium nisi Pater* pro *P. n. F.*

1 Cap. 5 (PL 64, 1254); cf. Alan., *Theol. reg.,* reg. 28 (PL 210, 635).
2 Loc. cit.
3 Loc. cit., ubi et sequentia usque *ad tertium.*
4 Cf. p. 524, sub *Respondeo.*
5 Matth. 11, 27.

ARTICULUS I. 438

De intentione nominis 'solus' adiuncti nomini personali.

Ad primum quaeritur I. qualiter possit dici 'solus Pater'.

Respondeo: Si 'solus' excludit consortium a paternitate, verum est; si dicat exclusionem consortii [a] simpliciter, falsum est; est enim sensus: 'Pater est solitarius'.

II. Item, quaeritur de hac 'solus Pater est Deus' an sit concedenda.

Ad quod obicitur sic [b]: *a.* Augustinus, VI *De Trinitate* [1]: « Quoniam ostendimus quomodo possit dici 'solus Pater' vel 'solus Filius', consideranda est illa sententia [c] 'non esse solum Patrem Deum verum solum, sed Patrem et Filium et Spiritum Sanctum' ».

Contra: 1. In Hymno angelorum [2] dicitur de Filio: « Tu solus Altissimus ».

2. Item, Augustinus, VI *De Trinitate* [3]: « Etsi de solo Patre praedicta [d] dicerentur, non inde excluderetur Filius vel Spiritus Sanctus, quia et ii tres unum sunt »; sicut in Apoc. [4] legitur quod *habet nomen scriptum, quod nemo scit nisi* [e] *ipse,* non tamen inde separatur Pater vel Spiritus Sanctus; et cum dicitur [5]: *Nemo novit Patrem nisi Filius,* non inde separatur Pater vel Spiritus Sanctus, quia inseparabiles sunt.

Respondeo [f]: 1. Dicendum quod si fiat exclusio ratione essentiae, prima est vera; si ratione personalis proprietatis, falsa.

2. Ad secundum dicendum quod [6] « aliquando nominatur Pater et Filius et tacetur Spiritus Sanctus, sicut Veritas ad Patrem loquens, ait [g] [7]: *Ut cognoscant te solum Deum, et quem misisti, Iesum Christum,* esse unum verum [h] Deum. "Cur ergo", inquit Augustinus [8], "tacuit de Spiritu Sancto? quia consequens est ut ubicumque nominatur unus, sicut Pater et Filius, tanta pace uni adhaerens intelligatur etiam [i] ipsa pax, quamvis non commemoretur". Uno ergo nominato etiam reliqui intelliguntur; quod in pluribus Scripturae locis occurrit ».

ARTICULUS II. 439

De intentione nominis 'solus' adiuncti nomini essentiali.

Deinde quaeritur I. utrum haec sit concedenda 'Pater est solus Deus'.

Ad quod sic: *a.* Augustinus, *Contra Maximinum* [9]: « [Trinitas] intelligitur, cum Apostolus dicit [10]: *Beatus* [k] *et solus potens,* et ibi [11]: *Soli sapienti Deo,* et ibi [12]: *Invisibili soli Deo.* Non enim de [l] solo Patre haec accipienda sunt, ut contendebant [m] Maximinus et alii haeretici, sed de Trinitate; sicut et illud [13]: *Solus habet immortalitatem* ».

b. Item, Augustinus, in eodem [14]: « Cum unus [n] Deus sit Trinitas, haec nobis sit solutio quaestionis ut intelligamus solum Deum sapientem, solum potentem Patrem [o] et Filium et Spiritum Sanctum, qui unus et solus Deus est ».

Sed contra: 1. Pater est Deus et non est aliud quam Deus; ergo est solus Deus [p].

Respondeo: 1. Distinguendum est, quia si fiat exclusio a [q] parte suppositi, falsa est, et est sensus: 'Pater est solus Deus', id est Pater est Deus et non alius a Patre. Si a parte appositi [r], vera est, et est sensus: 'Pater est solus Deus et non alius Deus'. — Sed potest aliter dici quod cum ista negatur 'Pater est solus Deus', quod haec dictio 'solus' sit a [s] parte praedicati et non excludat aliud praedicatum ab eadem persona,

---

[a] V add. *similiter et.* [b] BRGL om. [c] R add. mg. *qua dicitur.* [d] S add. *dicta.* [e] PVS add. *Pater.* [f] BRGL *ad hoc.* [g] BR om. [h] P *unum.* [i] L om. [k] PV *Deus,* quod S corr. in marg. [l] G om. [m] Ita R, alii *contendebat.* [n] S *solus.* [o] G om. *p. P.* [p] V om. *e. e. s. D.* [q] S *ex.* [r] V *supposita.* [s] BRGL *ex,* S *patre* pro *parte.*

1 Cap. 9 (PL 42, 930).
2 Id est in *Gloria in excelsis Deo.*
3 Loc. cit., ad sensum.
4 Cap. 19, 12.
5 Matth. 11, 27.
6 Sequentia sunt ex Lombardo, I *Sent.*, d. 21, c. 3 (p. 143).
7 Ioan. 17, 3.
8 *De Trinit.*, VI, c. 9 (PL 42, 930).
9 Lib. II, c. 12, n. 2 et c. 13, n. 1 (PL 42, 767 sqq.); cf. Lombard., I *Sent.*, d. 21, c. 2 (p. 142).
10 I Tim. 6, 15.
11 Rom. 16, 27.
12 I Tim. 1, 17.
13 I Tim. 6, 16.
14 Loc. cit., c. 13, n. 1 (PL 42, 769); cf. Lombard., loc. cit.

sed potius idem praedicatum removetur ab aliis personis, sicut cum dicitur 'iste comedit solus', 'solus' [a] non removet aliud praedicatum ab eodem [b] subiecto, sed potius idem praedicatum [c] ab aliis subiectis, et sic est falsa. — Adhuc aliter potest dici quod haec dictio 'solus', adiuncta termino essentiali praedicando, non notat [d] remotionem alterius rei essentialis ab eodem subiecto, quoniam ista remotio habetur virtute praedicati ipsius. Sequitur enim: 'homo est animal, ergo non est lapis'; unde ad hoc frustra adderetur dictio exclusiva; unde cum dicitur 'homo est solum animal', non est sensus: 'homo est animal et non est alia res quam animal'; quid enim notatur per hunc terminum 'solum' nisi remotio praedicati ab aliis substantiis? Vel haec dictio 'solum' terminatur totaliter in praedicato, et erit sensus: 'homo est animal solum', id est homo est animal quod est solum, et ita per hanc dictionem 'solum' notabitur privatio communitatis. Sic cum dicitur 'Pater est solus Deus', notabitur remotio praedicati ab aliis personis vel solitudo sive privatio communitatis circa Deum, et ideo falsa est, quoniam dicit Hilarius, in libro *De Trinitate* [1]: « Neque diversus neque solitarius nobis confitendus est Deus ».

II. Item, quaeritur an [e] haec sit concedenda 'Trinitas est solus Deus'.

Ad quod sic: 1. Augustinus, VI *De Trinitate* [2]: « Si quis interroget Pater solus utrum sit Deus, quomodo respondebimus non esse? nisi forte ita dicamus: esse quidem Patrem Deum, sed non esse solum Deum, esse autem solum Deum dicamus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum »; sed secundum ea quae dicta sunt videtur quod non sint concedenda.

2. Item, Hilarius, in IX *De Trinitate* [3]: « Christum Deum verum nescis in fide solius veri Dei ad vitae aeternitatem confitendum. Sed Ecclesiae fides verum Deum Patrem confessa confitetur et Christum, neque Christum verum Deum confitendo non solum verum Deum Patrem confitetur, neque rursum verum Deum Patrem confessa non confitetur etiam [f] Christum: per id enim Christum verum Deum confessa est per quod solum verum Deum confessa sit Patrem, ita quod solus Pater Deus verus est, Deum verum esse confirmat et Christum. Non enim Unigenito Deo naturae demutationem [g] naturalis nativitas [h] intulit, nec qui ex subsistente Deo [i] secundum divinae generationis naturam Deus subsistit, ab illo, qui solus Deus est, separabilis est veritate naturae: tenuit enim natura veritatis suae ordinem, ut nativitatis [k] veritatem veritas naturalis inveheret [l] nec alterius esse generis Deum Deus unus inferret. Atque ita sacramentum Dei non in solitudine nec in diversitate consistit, cum nec alter Deus deputetur, qui ex Deo cum naturae suae proprietate subsistit, nec in unione maneat [m] quem Patrem nativitatis veritas doceat confitendum ». Ex quibus videtur quod haec sit concedenda 'Pater est solus verus Deus'.

3. Praeterea si conceditur quod 'Trinitas sit solus Deus' – contra: iste terminus 'solus Deus' [n] non praedicatur secundum 'ad aliquid', sed substantialiter, et ita videtur quod debeat praedicari de qualibet persona; ergo Pater est solus Deus, et Filius [o] et Spiritus Sanctus similiter.

4. Praeterea, hoc nomen 'Deus', per se sumptum, praedicatur de qualibet persona, quod non posset esse si in suo intellectu multitudinem personarum colligeret; sed haec dictio 'solus' ei addita non addit multitudinem personarum; quare cum hoc nomen 'Pater' [p] non differat ab hoc nomine 'Trinitas' nisi propter multitudinem personarum, manifestum est quod quidquid praedicabitur de Trinitate, praedicabitur de Patre nisi quod in [q] intellectu suo colligit multitudinem, et ita solus Deus praedicabitur de qualibet persona.

Responsio patet ex praedictis. Tamen nota quod dicitur in libro *De regulis fidei* [4], quod « quotiescumque dictio exclusiva adiungitur nomini essentiali, nomen [r] potius facit in genus rei quam in rem generis, nec est pro quo fiat suppositio, sed indeterminate fit sermo de aliquo, ut cum dicitur 'unus Deus, solus Deus, tantum Deus'. Sicut enim in naturalibus, adiuncto termino [s] exclusivo nomini appellativo, potius nomen fertur ad genus rei, non ad rem generis, ut cum dicitur 'tantum homo' vel 'solus homo est hic intus', non pro Petro vel pro Paulo fit suppositio, sed pro homine indeterminate; sic, cum dicitur 'solus Deus' vel 'tantum Deus' vel 'unus Deus', non pro Patre fit suppositio vel pro Filio vel pro Spiritu Sancto [t], sed pro re unius naturae indeterminate. Unde non concedimus hanc [u] 'unus Deus genuit unum Deum vel solus vel tantum'

---

[a] L *iste*. [b] R add. *in*. [c] S add. *removetur*. [d] R add. *per*. [e] R *utrum*. [f] PVSL *in*, B *et etiam per*. [g] S (corr.) *diminutionem*. [h] RL *nativitatis*. [i] PVS om. [k] S *nativitas*. [l] BR *innueret*. [m] R *remaneat*. [n] BRG om. [o] L add. *est solus Deus*. [p] S om. [q] PVBRG om. [r] L *notio*. [s] V add. *nomine*. [t] V om. [u] BRGL om.

[1] Lib. IV, n. 18 (PL 10, 308).
[2] Cap. 9 (PL 42, 930).
[3] Num. 35 et 36 (PL 10, 307).
[4] Reg. 29 (PL 210, 635).

nec ‘unus solus Deus genuit vel gignitur’, quia pro nulla persona fit suppositio. Ex hoc ergo patet quod quamvis de Trinitate concedatur ‘solus Deus’, non tamen de aliqua persona determinate, eo quod indeterminate tenetur terminus essentialis, cui adiungitur dictio exclusiva ».

ARTICULUS III. 440

Qualiter intelligitur: ‘Nemo novit Patrem nisi Filius’.

Consequenter quaeritur de hoc quod dicitur [1]: *Nemo novit Patrem nisi Filius:*

Quia iste terminus ‘*nemo*’ aut supponit pro creato aut pro increato. Si pro creato, sensus est: *nemo*, id est nullus homo nisi Filius; sed hoc nihil est, cum Filius non sit pars hominis. Si pro increato, sensus est: nulla persona nisi Filius; sed haec est falsa. — Si dicatur quod illud ‘ens increatum’ non supponit personam [a], sed essentiam, hoc nihil est, quoniam cum unum solum sit ens aeternum, non posset aliquid ab eo excipi; in omni autem oratione exceptiva necesse est praedicatum alicui attribui et ab aliquo removeri; unde sequeretur: ‘nullum ens aeternum novit Patrem nisi Filius, ergo aliquod aeternum non novit Patrem’.

Respondeo: Iste terminus ‘*nemo*’ supponit communiter pro ente creato et increato, pro omni substantia intellectiva [b], et iste terminus ‘Filius’ excipitur ratione essentiae, in qua communicat cum Patre et Spiritu Sancto, et ideo istud [c] praedicatum non removetur a Patre neque a Spiritu Sancto.

Si obiciatur: *Nemo novit Patrem nisi Filius*, ergo solus Filius novit Patrem, non ergo Pater nec Spiritus Sanctus – dicendum quod in praedicta locutione non additur exclusio ratione proprietatis, sed ratione essentiae.

Ad praedicta etiam notandum quod regula est [2] « quod quotiescumque dictio exclusiva additur nomini essentiali, nomen facit potius in genus rei [d] quam in rem generis », ut cum dicitur ‘solus homo currit’, non sequitur: ‘non ergo Sortes’, sed ‘non ergo asinus’; similiter non sequitur: ‘solus Deus, non ergo Pater [e] vel Filius’.

QUAESTIO IV.

DE NOMINIBUS PERSONALIBUS COLLECTIVIS.

Consequentia ordinis requirit inquirere [f] de nominibus collectivis, ut ‘Trinitas et trinus’.

Primo ergo quaeritur de hoc nomine ‘Trinitas’;

secundo, de hoc nomine ‘trinus’.

MEMBRUM I.

De nomine ‘Trinitas’.

Circa nomen ‘Trinitatis’ quaeritur:

Primo, quae unitas ponitur nomine ‘Trinitatis’;

secundo, qualiter intelligatur numerositas Trinitatis, quamvis tactum sit supra, Quaestione De numero personarum;

tertio, an ‘Trinitas’ dicatur secundum substantiam aut [g] secundum relationem;

quarto, an possit dici in divinis ‘Trinitas vel triplicitas’.

---

[a] BRGL *personas.* [b] BRGL *intellecta.* [c] B *om.* [d] L *om.* [e] P *om.* [f] G *inquiretur pro r. i.*; B *ordinibus pro nominibus.* [g] S *an.*

[1] Matth. 11, 27.

[2] Alan., *Theol. reg.*, reg. 29 (PL 210, 635).

441

CAPUT I.

QUAE UNITAS PONITUR NOMINE 'TRINITATIS' [1].

Ad primum obicitur: 1. Trinitas, sicut dicit Isidorus [2], est « multiplex et numerabilis »; cum ergo Trinitas sit trium unitas et in divinis non est unitas trium nisi essentia, ergo essentia est Trinitas; sed Trinitas numerabilis est; ergo et essentia: quod falsum est.

2. Item, cum dicitur 'Trinitas est trium unitas', aut dicitur unitas essentiae aut personae sive hypostaseos. Si essentiae: sed unitas essentiae non est numerabilis vel multiplicabilis; ergo non est unitas essentiae. Si personae: sed nulla unitas personae est unitas trium; ergo illa unitas non [a] dicetur unitas personalis.

Respondeo: Cum dicitur 'Trinitas est trium unitas', haec unitas dicit unitatem trium personarum distinctarum. Et distinguendum: quia unitas dicitur essentiae vel personae vel notionis; unde cum dicimus 'Trinitas est trium unitas', dicimus unitatem personae. Sed unitas personae dicitur multipliciter: vel secundum quod est in hac persona tantum vel secundum quod multiplicatur in tribus [b]. Hic ergo dicitur unitas, non secundum quod est in hac persona tantum, sed secundum quod est [c] in istis tribus, scilicet quod est communis [d] secundum rationem intelligentiae tribus. Et sic verum est quod unitas est numerabilis; et licet unitas essentiae praedicetur de Trinitate, non tamen praedicabitur de ea formaliter, quia non imponitur ab [e] ea hoc nomen 'Trinitas', sed ab unitate personae vel personali multiplicata in personis.

442

CAPUT II.

QUALITER INTELLIGATUR NUMEROSITAS TRINITATIS.

Secundo quaeritur qualiter intelligatur numerositas Trinitatis, quamvis tactum sit supra, Quaestione De numero personarum [3].

Ad quod sic: 1. Boethius [4]: « Hoc vere unum est in quo nullus [f] numerus est ». Ergo si in Trinitate aliquo modo numerus est, non est vere unum. — Probatio mediae: Augustinus, super illud Ioan. [5]: *Multa habeo vobis dicere*, Glossa [6]: « Videte, si non apparet quasi numerus Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Si vero quaeratur: quid [g] tres? iam deest numerus, et ita Deus nec recedit a numero nec capitur a numero ». Sed ubi aliquo modo numerus, ibi non est vere unum; restat ergo quod Trinitas non est vere una.

2. Item, unum est indivisibile secundum intellectum; sed nonne magis indivisibile est [h] secundum intellectum, ubi est intelligibile quod non habet intelligibile ante se, quam quod habet intelligibile ante se? Sed cum dico Trinitatem vel personam, dico intelligibile quod habet intelligibile ante se, quia Trinitas habet personam et persona [i] essentiam; ergo Trinitas vel persona non dicetur vere indivisibile secundum intellectum, ergo nec Trinitas nec persona est vere unum.

3. Item, Dionysius [7]: « Omnis numerus monade participat; non enim est multitudo non participans [k] uno, sed haec quidem multa partibus, unum toto; haec quidem multa accidentibus, unum subiecto; haec quidem multa speciebus, unum genere, aut multa virtutibus, unum forma, vel multa numero, unum specie, aut multa processibus, unum principio ». Quaeritur ergo quo istorum modorum dicitur multitudo in Trinitate. Constat quod illo [l], scilicet « multa processibus, unum principio », quia iste praecedit alios; ergo oportet Trinitatem procedere ab essentia divina vel ab aliqua persona: quod est inconveniens, et ita relinquitur quod non possumus dicere « multa processibus, unum principio »; et constat quod nullo aliorum [m] reperitur.

Respondeo [n]: 1. Ad primum, secundum quod dicit Bernardus [8]: « Numera, si potes, aut sine

---

[a] PVS *nulla unitas* pro *i. u. n.* [b] V om. *i. t.* [c] PS add. *communis.* [d] P om. [e] S *ad.* [f] G *in quo nullius* pro *e. i. q. n.* [g] G *qui.* [h] PVS om. [i] L add. *habet.* [k] V add. *est.* [l] BG *illa.* [m] B *istarum.* [n] R *respondendum.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 24, a. 3, q. 1 (I, 428sqq.).
[2] Cf. *Etymol.*, VII, c. 4, n. 1 (PL 82, 271); Lombard., I *Sent.*, d. 24, c. un. (p. 156).
[3] Cf. supra, num. 315.
[4] *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).
[5] Cap. 16, 12.
[6] Augustin., *In Ioan.*, tr. 39, c. 8, n. 4 (PL 35, 1683).
[7] *De divin. nomin.*, c. 13, § 2 (PG 3, 978, PL 122, 1169).
[8] *De consider.*, V, c. 8 (PL 182, 799).

substantia personas quae ipsa sunt, aut sine personis proprietates quae ipsae sunt, aut si dividere quis conatur aut personas a substantia aut a personis proprietates [a], nescio quomodo divinitatis cultorem se possit confiteri ». Dico ergo [b] quod quando dicitur: « hoc vere [c] unum est, in quo nullus numerus est », hoc intelligendum est [d] quando repetuntur [e] unitates quae non habent eamdem rem pro essentia, scilicet ubi est hoc et hoc, quia ibi non est vere unum, et hoc est in omni creatura. Unde notandum quod unum, in quo est numerus, est unum creaturae; unum autem, in quo non est numerus, est unum in essentia divina. Nota autem quod per prius et posterius ratione et intelligentia dicitur unitas in essentia et persona in [f] Trinitate. — Ad hoc quod dicit Augustinus, quod « apparet quasi numerus »: dico quod verum est quod « quasi numerus » est ibi [g], non tamen vere numerus, quia ibi non est vere numerus ubi non potest vere [h] respondere numerabile.

2. Ad hoc quod dicit quod 'Trinitas habet intelligibile personam ante se, et persona essentiam, et ita divisibile secundum intellectum': respondeo dicendum quod [i] secus est de intellectu et de eo quod intelligitur. Dico ergo [k] quod intellectus essentiae plus indivisibile est per modum nostri intellectus quam intellectus personae, et plus intellectus personae quam intellectus Trinitatis; tamen secundum [l] quod intelligitur non magis indivisibile [m], quia unum et idem est.

3. Ad aliud Dionysii dicendum quod vult ostendere quod numerus in Trinitate est excedens omnem numerum; appellat autem « multa processibus, unum [n] principio » processum omnium rerum a primo principio; post illum autem est « unum genere, multa speciebus »; ante haec autem omnia est una essentia in tribus personis; unde unum in tribus, quod dicit quasi [o] rationem principii, praecedit omnia illa quae ibi numerantur, et hoc in Trinitate reperitur. — Ad hoc autem quod obicitur « omnis numerus monade participat »: dicendum quod quoad hoc quod est ibi numerus, est ibi [p] monas in tribus, sed non per participationem, sed per essentiam, in creaturis autem dicitur per participationem.

CAPUT III. 443

AN 'TRINITAS' DICATUR SECUNDUM SUBSTANTIAM AUT SECUNDUM RELATIONEM.

Deinde quaeritur an Trinitas dicatur secundum substantiam vel [q] secundum relationem.

Ad quod sic: 1. Boethius [1]: « Omne vocabulum, quod ex personis originem capit, ad substantiam non pertinet »; sed Trinitatem facit diversitas personarum; ergo 'Trinitas' non pertinet ad substantiam: quo fit ut substantia 'Trinitas' non dicatur.

2. Item, si 'Trinitas' diceretur ad aliquid, ab aliquo distingueretur, ut Pater et Filius; sed a nullo distinguitur; ergo non dicitur ad aliquid.

Contra: *a.* Augustinus [2] dicit quod « persona substantiam dicit », ratione scilicet suppositorum; si ergo 'Trinitas' dicit personam, per quamdam scilicet aggregationem, constat quod substantiam dicet. Non ergo dicetur ad aliquid.

b. Item, in nullo sunt unum tres personae nisi in essentia; sed unum sunt in Trinitate; ergo 'Trinitas' vel est essentia vel designat essentiam.

Respondeo: Dico quod 'ad aliquid' dicitur secundum plures modos: uno modo quando alterum refertur [r] ad aliquid extra vel quando habet in se tres vel duos, quorum unus ad alterum refertur. 'Trinitas' ergo non dicitur ad aliquid eo quod ad aliquid extra referatur, sed quia includit in se tres, quorum unum ad alterum refertur.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad hoc [s] quod obicitur per Boethium, quod scilicet ad substantiam non pertinet 'Trinitas': dico quod verum est quod [t] ad substantiam, id est [u] essentiam, non pertinet; pertinet [v] tamen ad substantiam hypostasim; 'Pater' enim uno modo dicit relationem, 'ingenitus' autem alio modo, quia per privationem: eamdem enim relationem dicit 'ingenitus' [x] quam 'genitus', sed alio modo, quia per privationem. Et [y] adhuc alius est modus relationis, cum dicitur 'Trinitas' et cum dicitur 'distinctus'. Trinitas enim dicit Patrem et Filium et Spiritum Sanctum: unde hypostasim dicit et relationem in rectitudine; unde intrinsecus dicit 'ad aliquid', quia in se complete dicit relationem; 'distinctus' vero dicit hypostasim in rectitudine et proprietatem in obliquitate;

---

[a] PVS *proprietatem.* [b] S om. [c] R om. [d] BRG om. [e] PVS *reperiuntur.* [f] VBRGL *et*, BRGL om. *et.* [g] P *numerus* [h] RG om., in B est add. mg. [i] BRGL om. *d. q.* [k] S om. [l] BRG om. [m] S *divisibile.* [n] P *unde.* [o] V om. [p] S om. [q] R *an*, L om. *secundum.* [r] S *profertur.* [s] BRGL add. *ergo.* [t] L om. [u] L add. *ad.* [v] V om. [x] V *uni-* *enitus.* [y] L *sed.*

[1] *De praedic. trium person.* (PL 64, 1302). [2] *De Trinit.*, VII, c. 6, n. 11 (PL 42, 943).

distinctus enim est Pater proprietate: unde complete intelligit in se relationem, ita quod nulla extra intelligatur.

b. Ad aliud dicendum quod, cum dico 'tres personae sunt unum in essentia et sunt unum in Trinitate', dico modum differentem. Cum enim dico 'sunt unum in Trinitate', non possum dicere 'sunt unum ad constituendum Trinitatem', sed sensus est: 'sunt ipsa Trinitas'; sed cum dico 'sunt unum in essentia', sensus est: 'essentia est commune [a] secundum rem, in quo conveniunt tamquam in uno praedicabili de illis'; cum autem dico 'unum in essentia', ibi est 'unum' ad modum universalis; cum autem dico 'unum in Trinitate', ibi accipitur 'unum' quasi collective, non tamen collective [b].

444

CAPUT IV.

AN POSSIT DICI IN DIVINIS 'TRINITAS VEL TRIPLICITAS'.

Ultimo quaeritur an possit dici in divinis [c] 'Trinitas vel triplicitas' [1].

Ad quod sic obicitur: 1. Tres unitates faciunt ternarium; sed Patris est una unitas, alia Filii, alia Spiritus Sancti; ergo tres unitates sunt in personis; ergo faciunt ternarium.

2. Item, Isidorus [2]: « Unitas est simplex et singularis, Trinitas multiplex et numerabilis », et ita 'multiplex' dicitur de Deo, et ita 'triplex' poterit dici.

3. Item, Spiritus Sanctus dicitur *multiplex* [3] ratione effectuum; ergo multo fortius essentia dicetur triplex ratione personarum, quia personae magis coniunctae sunt et unitae essentiae quam effectus Spiritui Sancto.

Contra: *a.* Augustinus, VI *De Trinitate* [4]: « Nec quoniam Trinitas est Deus, ideo triplex putandus est, alioquin minor erit [d] Pater solus et Filius solus quam simul Pater et Filius ». Ergo Deus non est triplex; ergo nec in ipso erit ternarius personarum.

b. Item, Isidorus [5]: « Unitas est simplex et singularis, Trinitas [e] multiplex et numerabilis »; sed a quocumque removetur omnis species, ab eodem removetur genus; omnis autem species 'multiplicis' removetur a Trinitate, quia 'triplex' non dicitur de Deo [f] de quo magis videtur, sicut dicit Augustinus [6]: « Non quia Deus Trinitas est, ideo triplex putandus est esse ».

Respondeo: 1. Sicut [g] dicit Augustinus: « Non ideo [h] quia Deus Trinitas est, ideo triplex putandus est esse, quia ibi non est triplicitas, ubi est unitas et indifferens aequalitas [i] », 19 dist. I *Sententiarum* [7]. Et haec est ratio: quia cum dicitur 'triplex', notatur differentia positionis, quia non dicit tantum ordinem, sed positionem; ordo autem in spiritualibus est, non autem situs. Unde 'triplex' non conceditur, sed 'trinus'.

2. Ad hoc quod obicitur qualiter conceditur multiplex esse: dico [k] quod secundum quod commune est ad triplex et quadruplex, non convenit ei, sed secundum quod improprie dicitur de Trinitate, sicut dicit Isidorus, non propter aliud nisi quia unitas personae multiplicatur.

b. Ad hoc quod obicitur quod omnis species [l] removetur: dico quod sicut species removetur, ita et genus; secundum enim quod proprie [m] sumitur, non dicitur de Trinitate, sed secundum quod improprie. Ratio autem quare potuit transferri genus ad divina et nulla specierum est, quia minus habet de positione quam aliqua specierum.

3. Ad aliud dicendum quod licet in Spiritu Sancto non sit positio, tamen in effectibus est positio, sed neque in personis neque in essentia contingit reperire positionem. Unde cum dicitur 'Spiritus Sanctus est multiplex', retorquetur improprietas ad effectus, ubi positio [n] invenitur.

---

[a] PVS *communis.* [b] V om. *n. t. c.* [c] S om. *i. d.* [d] Ita RG, alii *est.* [e] BRG add. *est.* [f] B *eo*, exp. *Deo.* [g] G *ut.* [h] V om. [i] B add. *ut.* [k] L *dicendum*, B om. *quod.* [l] PV om., in S est add. mg. [m] V add. *dicitur vel.* [n] L *potentia.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 19, p. 2, dub. 3 (I, 365b).
2 Cf. *Etymol.*, VII, c. 4, n. 1 (PL 82, 271).
3 Sap. 7, 22.
4 Cap. 7, n. 9 (PL 42, 929).
5 Loc. cit.
6 Loc. cit.
7 Lombard., I *Sent.*, d. 19, c. 12 (p. 136).

MEMBRUM II.

De nomine 'trinus'.

Consequenter quaeritur de hoc nomine 'trinus'. Circa quod quaeritur:

Primo, quid praedicet cum dicitur 'Deus est trinus' [a];

secundo, an possit dici 'Trinitas trina' [b];

tertio, qualiter intelligatur dictum « Trinitas [c] in unitate et unitas in Trinitate ».

CAPUT I. 445

QUID PRAEDICET 'TRINUS' CUM DICITUR 'DEUS EST TRINUS'.

Ad primum sic [1]: 1. Si Deus est trinus, ergo unus Deus et alius Deus et tertius Deus; quod falsum est.

2. Item, hoc nomen 'Deus' aut supponit pro essentia aut pro persona. Si pro persona: sed nulla persona est trina et una; ergo illa est falsa.

3. Item, dictio numeralis respicit formam; ergo hoc nomen 'trinus' respicit formam [d] huius nominis 'Deus'; ergo ponit distinctionem in illa; ergo illa propositio est falsa. Si dicatur quod supponit pro tribus personis simul, ergo pro Trinitate; ergo is est sensus: 'Trinitas est trina et una'; et hoc [e] falsum, quia Trinitas non est nisi una. Si supponat pro essentia: igitur is est sensus: 'essentia est trina et una'; sed haec est [f] falsa, quia haec dictio 'trina' ponit distinctionem in essentia, quae nec distinguit nec distinguitur.

[Solutio]: Ad hoc dixerunt quidam quod haec dictio 'trinus' nullam rem significat, sed solum intellectum. — Sed hoc non potest esse, quia intellectus est similitudo rei; ergo si significat intellectum, significat rem. Praeterea, si haec dictio 'trinus' nullam rem significat, cum dicitur 'Deus est trinus et unus', ergo nulla res ibi praedicatur de Deo; ergo illa vox non est propositio.

Alii dixerunt quod hoc nomen 'Deus' aliquando supponit pro una persona, ut cum dicitur 'Deus [g] generat'; aliquando [h] pro duabus, ut cum dicitur 'Deus procedit a Patre'; aliquando pro tribus [i] simul, ut cum dicitur 'Deus est Trinitas'; hoc autem est quia unica et singularis deitas est in una persona, in duabus et in tribus. Unde Augustinus, in II libro *De Trinitate* [2]: « Quidam dicunt Patrem non apparuisse in subiecta [k] creatura, non attendentes, propter imbecillitatem intellectus sui, quod cum dicit Apostolus [3]: *Immortali* [l], *invisibili soli Deo* [m] etc., indistincte fit ibi sermo de Trinitate, quia Pater aliquando apparuit distincte, aliquando indistincte. Distincte, ut Danieli, Dan. 7,9, dicitur *antiquus dierum apparuisse,* a quo legitur Filius hominis accepisse regnum », sicut dicit Augustinus, II *De Trinitate* [4]. Unde Dan. 7,9 dicitur: *Aspiciebam, donec throni positi sunt* et *antiquus* [n] *dierum sedit;* et paulo post [5]: *Aspiciebam in visu noctis, et ecce in nubibus caeli Filius hominis venit, et datus est ei principatus et honor et regnum.* Ecce apparet quod Pater aliquando distincte apparuit in subiecta creatura. Indistincte autem apparuit cum Filio et Spiritu Sancto Abrahae in ilice Mambre [o] [6], ubi tres vidit et unum adoravit [p] [7]. Ita enim dicit Augustinus, II libro *De Trinitate* [8]: « Cum tres visi sint nec quisquam in eis vel forma vel aetate vel potestate maior ceteris dictus est, cur non [q] accipiamus hic insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis aequalitatem atque in tribus personis unam eamdemque substantiam? Nam ne quisquam putaret sic intimatum unum in tribus fuisse maiorem et eum [r] Dominum Dei [s] Filium intelligendum, duos autem alios angelos eius, quia cum [t] tres visi sint, uni Domino illic loquitur

---

[a] V *minus.* [b] PV om., in S est add. mg., B *una.* [c] B repetit. [d] L om., S om. *e. h. n. t. r. f.* [e] V *sed hoc est* pro *e. h.* [f] V om. *quia... est.* [g] V om. [h] B add. *supponit.* [i] V add. *personis.* [k] L *substantia.* [l] R *immorali,* L add. *et.* [m] V add. *honor et gloria.* [n] BRG *antiquitus.* [o] L *illecebris* pro *i. M.* [p] P om. *e. u. a.* [q] P om. [r] PVS *cum.* [s] PVSL *dicit.* [t] G om. *intelligendum... cum.*

[1] Sequentia, usque ad *Monadi trinae gloriam canamus* inclusive (p. 638b), verbotenus occurrunt ap. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 3, q. 6 (f. 6c).

[2] Cap. 17, n. 32 (PL 42, 866).

[3] I Tim. 1, 17.

[4] Loc. cit., c. 18, n. 33 (PL 42, 866).

[5] Dan. 7, 13.

[6] Cf. Gen. 18, 1 sqq.

[7] Ex II Respons. ad Matutin. Domin. Quinquag.

[8] Loc. cit., c. 11, nn. 20 et 21 (PL 42, 858).

Abraham: Sancta Scriptura futuris talibus cogitationibus atque opinionibus contradicendo [a], non praetermisit occurrere, quando paulo post duos angelos dicit venisse ad Loth [1], in quibus ille vir iustus, qui de [b] Sodomorum incendio meruit liberari, ad unum Dominum loquitur ». Dominus autem, ad quem Abraham loquebatur, intelligitur Trinitas, et ita hoc nomen 'Deus' vel hoc nomen 'Dominus' unā suppositione supponere potest pro tribus personis [2]. Potest ergo dici, et ita videtur secundum auctoritates Sanctorum, quod cum dicitur 'Deus est trinus et unus', hoc nomen 'Deus' [c] supponit indistincte pro tribus personis et haec dictio 'unus' respicit formam tantum et haec dictio 'trinus' significat ternarium theologicum personarum [d], prout indistincte supponuntur per hoc nomen 'Deus', quia determinat illum ternarium in personis, secundum quod sunt unius naturae.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo [e] dicendum quod 'trinus' dicitur ab iis nominibus 'tres et unus', et ita respicit suppositum et formam significatam, quia per primo significatum, id est ternarium [f], respicit tantum suppositum; quantum ad secundo significatum, id est unitatem, respicit formam. Et ita patet quod [g] hoc nomen 'trinus' non sequitur regulam aliorum nominum numeralium, quia quantum ad ternarium significatum non respicit formam significatam, sed tantum suppositionem [h]. Unde patet quod [i] haec argumentatio non valet: 'trinus Deus est, ergo unus Deus [k] et alius et tertius [l] Deus est', quia hoc adiectivum 'trinus' in prima propositione respicit suppositum tantum quantum ad ternarium primo significatum. Ad hoc enim fuit institutum a Theologis ut determinaret indistinctam suppositionem huius nominis 'Deus'. Indistincte autem nomina numeralia respiciunt formam secundum communem naturam nominum numeralium: quia enim hoc nomen 'Deus' supponere potest pro tribus personis sub forma una, suppositione una, ideo inventum fuit hoc adiectivum 'trinus' ad determinandum talem suppositionem, ponendo [m] ternarium in suppositis et unitatem in forma, et ideo non sequitur regulam aliorum nominum numeralium. Eodem modo dicendum est de hac locutione: « Monadi trinae gloriam canamus [3] ».

2. Ad secundum dicendum quod 'trinus' dicit unitatem essentiae et Trinitatem personarum; unde sensus est: 'Deus est trinus', id est Deus [n] est una essentia in tribus personis. Unde in hoc nomine 'trinus' cadit unitas essentiae in rectitudine, distinctio personalis oblique. Hoc autem nomen 'Deus', quod est quasi medium inter personam et essentiam, significat essentiam personaliter: essentia [o] enim significat 'quo est', persona 'quis est', Deus 'quod est' [p]; 'quod est' autem medium est inter 'quo est' et 'quis est, secundum rationem intelligentiae [4]. Unde hoc nomen 'Deus', quia significat medium inter 'quo est' et 'quis est' [q], id est essentiam et personam, supponit essentiam personaliter.

3. Ad tertium dicendum quod [5] non sequitur: 'Deus est trinus, ergo Trinitas est trina' [r], licet hoc nomen 'Deus' supponat ibi pro tribus personis, quia haec dictio 'Trinitas' significat distinctionem et in illa distinctione supponit tres personas. Unde [s] haec dictio 'trina' non determinat suppositionem indistinctam, sed distinctam; unde vult distinguere ipsam distinctionem et triplicare Trinitatem; unde ad hoc quod haec esset vera [t] 'Trinitas est trina' exigeretur quod tres essent Trinitates. — Vel potest dici quod hoc nomen 'Deus' supponit pro divina essentia et haec dictio 'trinus' non respicit formam nec ponit distinctionem in essentia, sed in supposito [6].

446

CAPUT II.

AN POSSIT DICI 'TRINITAS TRINA'.

Secundo quaeritur an possit dici 'Trinitas trina' [u].

Ad quod sic [7]: 1. Haec dictio 'trina' copulat ternarium theologicum, qui est in tribus personis; igitur potest addi dictioni [v] significanti illum ternarium, et ita haec erit vera 'Trinitas est trina'. Per hoc etiam patet quod est vera, quia hoc nomen 'Trinitas' supponit tres personas sub ternario theologico. Unde haec propositio

---

[a] S *contractando*, alii *contrectando*. [b] R om. [c] BRG *unus*. [d] R exp. [e] V om. [f] G om. *et formam... ternarium*. [g] S *per*. [h] G *suppositum*. [i] S om. [k] BRGL om. [l] G *trinus*. [m] PVS *ponendum*. [n] V om. [o] L *essentiam*. [p] G om. *quasi... est*. [q] R om. [r] S *una*. [s] R *ergo*. [t] V add. *iam*; B om. *haec*. [u] S add. *quod*. [v] V *illi distinctioni*, quod P corr.

1 Cf. Gen. 19, 1.

2 Cf. Augustin., *De Trinit.*, c. 12, n. 21 (PL 42, 859).

3 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 13, § 3 (PG 3, 980, PL 122, 1170): Μονὰς ὑμνουμένη καὶ τριάς.

4 Cf. supra, p. 594a.

5 Sequentia fere verbotenus ap. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 3, q. 6 (f. 7a).

6 Cf. supra, *ad 1.*

7 Sequentia, usque ad *Videtur tamen* exclusive (p. 639b), verbotenus occurrunt ap. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 4, q. 6 (f. 13c sq.).

'Trinitas est trina' similis est isti 'album est album'.

2. Item, idem significatur per subiectum et praedicatum; ergo est vera. — Si dicatur quod haec dictio 'trina' respicit formam huius nominis 'Trinitas' [a] et propter hoc illa est falsa – contra: haec est vera 'Deus est trinus', et si haec dictio 'trina' [b] triplicaret formam, falsa esset; respicit ergo solum suppositum; ergo et haec dictio 'trina' respicit solum suppositum [c] huius nominis 'Trinitas'; ergo est vera.

Contra: *a.* Trinitas est una, quia est una individua Trinitas, non ergo trina. Haec argumentatio est necessaria, quia dictio numeralis semper excludit alium numerum. Unde bene sequitur: 'isti sunt tres, non ergo quatuor sive duo'; eadem ratione bene sequitur: 'Trinitas est una, non ergo trina'.

Solutio: Dicunt quidam [1] quod haec dictio 'trina' non sequitur regulam aliorum nominum numeralium, quia nomina numeralia semper habent respicere formam: omnis enim [d] numerus et discretio respicit suppositum; sed hoc adiectivum 'trinum' inventum fuit a Theologis ad determinandum solum suppositum huius dictionis 'Deus', ut praedictum est [2]. Unde patet quod ista argumentatio non valet: 'Trinitas est una, non ergo trina', quia haec dictio 'una' determinat formam, haec dictio 'trina' solum suppositum. Si autem haec dictio 'trina' determinet formam sicut haec dictio 'una', tunc necessaria esset argumentatio, et haec esset falsa 'Trinitas est trina', quia secundum hoc exigeretur quod tres essent ternarii personarum et [e] novem personae, sed quia [f] haec dictio 'trina' mere suppositum determinat, ideo haec est vera 'Trinitas est trina et una' sicut dicunt. — Videtur tamen aliter dicendum, sicut supra dictum [g] est [3], quod quia [h] haec dictio 'trina' determinat suppositionem [i] distinctam circa hoc quod dico 'Trinitas', illa distinguit: unde dicit tres esse Trinitates.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur quod 'copulat ternarium qui est in [k] tribus personis': dicendum quod non, immo dicit Trinitatem distinctam copulans ternarium trinitatum [l]. — Ad hoc quod obicitur quod est similis modus loquendi acsi diceretur 'album est album': dicendum quod non est verum, immo simile est acsi diceretur 'albedo est alba'.

2. Ad hoc quod obicitur 'quod idem significatur per subiectum et praedicatum': dicendum quod etsi hoc sit verum, tamen quia haec dictio 'Trinitas' dicit numerum personarum, haec dictio 'trina' ei addita copulat ternarium trinitatum, et ideo est falsa simpliciter. Nec oportet quod cum idem significatur per praedicatum et subiectum, dummodo diversis modis significetur [m], ut alterum sit principale, alterum denominativum, quod omnino sit vera; haec enim falsa est 'albedo est alba' et haec similiter 'humanitas est homo'. — «Secundum Praepositinum [4] haec est vera 'Deus est trinus et unus', ita quod haec dictio 'trinus' supponat primo pro tribus personis; haec autem est [n] falsa 'Trinitas est triplex', quia haec dictio 'triplex' significat ternarium essentiarum. Et nota quod cum dicitur 'Trinitas est una', haec dictio 'una' significat unitatem quae est in ternario personarum sive Trinitatis; non enim potest dici quod significet unitatem essentiae, quia non est sensus: 'Trinitas est unius essentiae, et non plurium essentiarum', sed is est sensus: 'Trinitas est una et non plures trinitates [5]».

CAPUT III. 447

QUALITER INTELLIGATUR «TRINITAS IN UNITATE ET UNITAS IN TRINITATE».

Tertio quaeritur qualiter intelligatur dictum [o] [6] «Trinitas in unitate et unitas in Trinitate», quid scilicet significet haec praepositio 'in'.

Respondeo [7]: Sicut potest patere, cum dicitur 'unitas est in Trinitate', notat quasi informationem passive circa casuale praepositionis, sicut in istis 'deitas sive essentia est in Patre et Filio et Spiritu Sancto', 'deitas sive potentia sive sapientia sive bonitas est in Trinitate'. In omnibus talibus haec praepositio 'in' notat quasi informationem, quoniam deitas est quasi forma Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut dictum est [8]; unitas autem essentiae nihil aliud est quam

---

[a] S om. [b] V *trinus*. [c] S om. *ergo et... suppositum*. [d] S *autem*. [e] P om. [f] G om. [g] BRGL *tactum*. [h] B om. [i] S *distinctionem*. [k] P om. [l] RG *trinitatis*. [m] G om. *per... significetur*. [n] R om. [o] V om.

1 Guil. Altissiod., loc. cit.
2 Cf. supra, p. 638a, *ad 1*.
3 Cf. supra, p. 638b, *ad 3*.
4 Cf. *Summa*, I (f. 80a); Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 13d), ubi verbotenus sequentia.
5 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 24, a. 3, q. 2 (I, 430sq.).
6 *Symbolum* Athanasii.
7 Omnia sequentia, usque ad finem capitis, verbotenus occurrunt ap. Guil. Altissiod., loc. cit.
8 Cf. supra, num. 358 et p. 538a, *ad 1*.

essentia, et ideo patet quod [a] haec praepositio 'in' notat quasi informationem in hac 'unitas est in Trinitate', id est in tribus personis.

Sed dubium est quid notet in hac 'Trinitas est [b] in unitate'. Non enim potest notare informationem vel quasi informationem [c]: non enim potest dici quod Trinitas sit in unitate sicut species in genere vel genus in specie nec sicut [d] contentum in continente nec sicut partes in toto nec sicut totum in partibus nec sicut effectus in causa nec sicut cognitio in cognoscente. Et generaliter videtur quod nullus modus, quo [e] aliquid in aliquo dicitur esse, possit aptari huic modo.

Dicunt autem quidam quod, cum dicitur 'Trinitas est in unitate' [f], haec dictio 'in' notat identitatem pure, quia nulla est distinctio Trinitatis ad unitatem essentiae. Sed hoc contra naturam praepositionis est, quia semper praepositio vult notare transitionem aliquam, sicut dicit Priscianus [1]. Ideo dicimus quod cum dicitur 'Trinitas est in unitate', haec dictio 'in' notat quasi subiectionem, non dico respectu [g] sui casualis, sed respectu eius quod supponitur per hoc quod dico 'Trinitas': sicut enim unitas est quasi forma Trinitatis, ita Trinitas [h] quasi subiectum unitatis. Et sunt plures modi loquendi naturalibus similes, quia dicitur 'albedo est in albo et album [i] in albedine'. — Vel potest dici quod 'Trinitas' hic accipitur non pro ipsis personis, sed pro ternario personarum, et hoc nomen 'unitas' sumitur ibi emphatice pro Deo, scilicet Trinitate quae est unitas, ut is sit sensus: 'Trinitas est in unitate', id est 'in Deo qui est unitas', ut iste terminus 'Deus' supponat pro tribus personis. Et sic patebit quod haec praepositio 'in' notabit quasi informationem sicut in hac [k] 'unitas est in omnibus tribus personis'.

SECTIO II. — De nominibus personalibus appropriatis.

Postquam tractatum [l] est de nominibus proprie ad discretionem personarum pertinentibus, consequenter agendum est de iis quae appropriantur, quae tamen sunt nomina significantia essentiam.

Notandum est igitur quod quaedam appropriantur personis ex ratione suae significationis; quaedam vero ratione adiunctionis. Ratione significationis appropriavit Hilarius aeternitatem Patri et speciem Filio, usum Spiritui Sancto, in libro *De Trinitate* [2]; item, Augustinus [3] unitatem Patri, aequalitatem Filio, concordiam Spiritui Sancto; item, in libro *De Trinitate* [4], potentiam Patri, sapientiam Filio, bonitatem [m] Spiritui Sancto. Item, ex adiuncto est appropriatio et ex quibusdam aliis conditionibus, sicut in illo verbo Apostoli: *Ex ipso et per ipsum et in ipso,* ad Rom. 11,36.

Quaeritur ergo primo de appropriatione aeternitatis, speciei et usus;
secundo, de appropriatione unitatis, aequalitatis, concordiae;
tertio, de appropriatione potentiae, sapientiae, bonitatis;
quarto, de appropriatione verborum Apostoli: *Ex ipso et per ipsum et in ipso.*

---

[a] G om., R om. *p. q.* [b] BRGL om. [c] PVSL om. *v. q. i.* [d] R *vel* pro *n. s.* [e] G add. *ad.* [f] P add. *et.* [g] G *respectum.* [h] V om. [i] R add. *est.* [k] P *hoc.* [l] R *determinatum.* [m] G *sapientiam.*

[1] *Grammatica,* XIV, c. 1 sqq.
[2] Lib. II, n. 1 (PL 10, 51).
[3] *De doctr. christ.,* I, c. 5 (PL 34, 21).
[4] Augustin., lib. VII, cc. 1-3 (PL 42, 931 sqq.).

QUAESTIO I. 448

DE APPROPRIATIONE AETERNITATIS, SPECIEI ET USUS.

Quaeritur igitur quantum ad primam [a] appropriationem, quam ponit Hilarius: « Aeternitas est in Patre, species in Imagine, usus in Munere ».

Cuius appropriationis rationem [b] assignat Augustinus, VI *De Trinitate* [1], dicens primo quare aeternitas Patri [c]: « Quia Pater non habet patrem de quo sit [d], Filius autem de Patre est ut sit atque ut illi coaeternus sit »; item, quare species imagini, id est Filio, dicens: « Imago, si perfecte implet illud cuius est imago, ipsa coaequatur ei, non illud imagini suae; in qua imagine speciem nominavit, credo, propter pulcritudinem, ubi est tanta congruentia et prima aequalitas et prima similitudo in nulla re dissidens [e] »; item, quare usus Muneri, id est Spiritui Sancto, approprietur, dicit: « Est ineffabilis quidam complexus Patris et Imaginis qui non est sine perfruitione, id est sine caritate; illa ergo dilectio sive delectatio 'usus' ab illo appellata est et est in Trinitate Spiritus Sanctus, non genitus, sed genitoris genitique suavitas ».

Circa assignationem multipliciter obicitur:

1. Cum aeternitas communis sit omnibus personis, sicut habetur in *Symbolo* [2]: « Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus », ergo non erit ratio quare aeternitas approprietur Patri plus quam alii personae.

2. Item, in I *Sententiarum*, dist. 8 [3], dicitur aeternitas proprietas divinae essentiae; ergo non videtur appropriabilis personae.

Contra: *a.* Anselmus, in libro *De incarnatione Verbi* [4]: « Unus est Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus ». Et postmodum loquens de nativitate et processione dicit quod « nativitas et processio sine principio sunt, alioquin esset aeternitas [f] nata et procedens; quod falsum est. Nequaquam Deum habere principium aut incepisse Patrem et Filium aut Spiritum Sanctum cogitare debemus ». Ex iis [g] ergo videtur relinqui quod cum aeternitas non debeat dici nata vel procedens, quod conveniet soli Patri.

II. 1. Item, quaeritur de hoc quod dicitur quod [h] « species est in Imagine ». Quaeritur [i] ergo quare imago approprietur Filio, et supra posita est ratio, in Quaestione De imagine, secundum Richardum, in libro *De Trinitate* [5], qui movet quaestionem: « Si Filius recte dictus est Imago Patris pro ratione expressae similitudinis, cur non etiam Spiritus Sanctus Imago Patris recte dicatur? cum utrique similis et coaequalis inveniatur ».

2. Item, quaeritur de hoc quod dicit Augustinus, quod « imago coaequatur illi cuius est imago, non illud imagini ». Ex hoc enim videtur quod Filius sit coaequalis Patri, non e converso, cum tamen contrarium dicatur in *Symbolo* [6]: « Tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales ».

3. Item, obicitur de hoc quod dicit quod [k] in specie est « prima similitudo ». Nam cum [l] primum non dicatur nisi ratione secundi, videtur [m], cum in Filio sit prima [n] similitudo, quod in Spiritu Sancto sit secunda similitudo, cum tamen dicatur in *Symbolo:* « In hac [o] Trinitate nihil prius aut posterius ».

4. Item, cum totius Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, sit una virtus et operatio sicut una substantia, quae est ratio ut 'usus' approprietur Spiritui Sancto?

Respondeo: I. Dicendum quod ratio appropriationis praedictae [p], scilicet ut aeternitas Patri approprietur, est haec: aeternitas enim est ens [q] non ab alio essentialiter, Pater autem est [r] ens non ab alio personaliter; quia ergo intellectus eius quod est 'non esse ab alio' intelligitur in ratione aeternitatis, inde est quod appropriatur Patri. Species autem appropriatur Filio eo quod species est ratio et principium cognoscendi: unumquodque enim cognoscitur per speciem suam; quia ergo generatio Filii [s] a Patre est ut notitia a mente, ratione notitiae appropriatur Filio species. Usus vero appropriatur Spiritui Sancto ratione

---

[a] S *primum.* [b] VS *appropriationem rationis* pro *a. r.* [c] VS *Pater.* [d] BR *fit.* [e] P *residens* pro *r. d.* [f] G *trinitas.* [g] G *hoc.* BRG om. [i] G om. [k] L om. [l] P om., in S est add. interl. [m] R om. [n] V *in prima sit* pro *i. F. s. p.* [o] V om. [p] Ita BG, alii ld. *est.* [q] P om. [r] V om. [s] PVS *sic.*

[1] Cap. 10 (PL 42, 931 sq.).
[2] *Symbolum* Athanasii.
[3] Cap. 1 (p. 57 sq.).
[4] Cap. 9 (PL 158, 283 sq.), ubi et sequens.
[5] Lib. VI, c. 19 (PL 196, 983); cf. supra, p. 609a.
[6] *Symbolum* Athanasii, ubi et sequens.

operationis et utilitatis, cuius principium proximum [a] est voluntas; processio autem Spiritus Sancti est sicut voluntatis a notitia et mente.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad illud ergo quod primo obicitur: dicendum quod aeternitas, quamvis sit communis tribus personis, appropriatur tamen Patri ratione praedicta.

a. Ad illud vero quod dicit Anselmus notandum quod, cum aeternitas dicatur per privationem initii et finis, initium autem dicitur duobus modis: initium [b] durationis, initium originis. Si [c] determinatur aeternitas per privationem initii durationis, communis est tribus personis; si vero determinatur per privationem initii sive durationis sive originis, cedit in proprietatem Patris. Et hoc modo intendit Anselmus et Hilarius accipere nomen aeternitatis.

II. 1. Ad secundum quare imago respondet Filio et non [d] Spiritui Sancto, respondet Richardus [1] tangens duplicem rationem: « In hoc solus Filius expressam Patris imaginem et similitudinem tenet quod sicut *divinitatis* [e] *plenitudo* [2] manat de uno, sic et eadem plenitudinis largitio manat et de alio nec alio modo accipit Spiritus Sanctus ab uno quam ab altero ». Propter [f] uniformitatem ergo, quam habet Filius ad Patrem in producendo ex se personam aliam, dicitur Imago. Alia ratio est quam ponit: quia « imago iuxta consuetudinem humanam magis solet dici [g] propter uniformitatem extrinsecam quam intrinsecam [h]. Quasi intrinsecus unicuique est quod est apud semetipsum, quasi extrinsecus est habitudo quam habet ad alium; eamdem autem habitudinem, quam habet Pater ad Spiritum Sanctum, eamdem, inquam, constat habere et Filium ».

2. Ad aliud [i] vero quod obicit dicendum [k] quod Pater est aequalis Filio et coaequalis, sed non coaequatur Filio: hoc enim verbum 'coaequatur', eo quod significat rem suam passive, denotat quod illud, cui attribuitur, habet esse ab alio et habet illi esse aequalis [l], et ideo quamvis concedatur 'Pater est aequalis [m] vel coaequalis Filio nominaliter', in quo significatur quod sit eadem virtus Patris et Filii, non tamen sequitur quod coaequetur Pater [n] Imagini. Tamen habes responsionem de hoc supra [o], Quaestione De iis nominibus 'similis et aequalis' [3].

3. Ad illud quod obicitur 'qualiter dicitur in specie, quae est Filius, prima similitudo': dicendum quod per hanc dictionem [p] 'prima' non notatur prioritas secundum durationem vel secundum essentiam, sed notatur prius, id est amplius, conveniens, ut sit sensus: 'Filius est prima similitudo', id est Filius convenit in omnibus cum Patre et nullus ita convenit; Spiritus enim Sanctus in hoc non convenit quod spiret se ipsum. Nec est concedendum quod sit secunda aequalitas in Spiritu Sancto, quia 'primum' non dicitur per ordinem ad posterius, sed per negationem prioris, sicut in Matth. 1,25: *Peperit Filium suum primogenitum*, non quia post ipsum natus sit alius, sed quia [q] ante ipsum nullus [4].

4. Ad ultimum [r] quod quaeritur 'quare usus approprietur Spiritui Sancto': dicendum secundum Augustinum, in libro *De anima et spiritu* [5]: « Capabilis est Deus omnibus, quia naturali suo munere ab omnibus participatur quantum ad essentiam qua sunt, et secundum illam ad idoneam speciem qua ab aliis differunt, et secundum utrumque ad illud congruum quo [s] proficiunt. Tria haec omni [t] existenti insunt quasi vestigia summae Trinitatis, essentiae, imaginis, muneris [u]: aeternitas quippe vel essentia in Patre, species in Imagine, usus in Munere; nobis autem divinitatis omnis usus in Munere est, qui [v] Spiritus Sanctus [x] est ». Ex quo patet quod usus refertur ad operationem et profectum [y], operatio autem et profectus ad donum, donum autem ad Spiritum Sanctum: inde est quod Spiritui Sancto appropriatur usus.

---

[a] L om. [b] PVS add. *autem*. [c] L *sed*. [d] V om. [e] V *humanitatis*. [f] G add. *hoc* et om. *ergo*. [g] L om. [h] P om. *q. l.*; PVS *quia* pro *quasi*. [i] R *illud*. [k] BRG add. *est*. [l] V *coequalis*, quod G corr. [m] V om. [n] G *Patri*. [o] S add. *de*. [p] V *distinctionem*. [q] L om. [r] S add. *dicendum*. [s] Ita RL, alii *que*; S *perficiunt* pro *proficiunt*. [t] P *omnis*. [u] S *munus*. [v] L *quia*. [x] R add. *in munere*. [y] VS *perfectum*.

1 *De Trinit.*, VI, c. 11 (PL 196, 975), ubi et sequens.
2 Cf. Col. 2, 9.
3 Cf. supra, num. 380 et 381.
4 Cf. Hieronym., *De perpet. virgin. B. Mariae, adv. Helvid.*, n. 10 (PL 23, 192); *In Matth.*, 1, 25 (PL 15, 25).
5 Cap. 6 (inter opp. Augustini, PL 40, 783).

QUAESTIO II. 449

DE APPROPRIATIONE UNITATIS, AEQUALITATIS ET CONCORDIAE.

Consequenter quaeritur de appropriatione unitatis, aequalitatis et concordiae [1]. Nam dicit Augustinus, *De doctrina christiana* [2]: « In Patre est unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu Sancto unitatis aequalitatisque concordia, et tria haec unum omnia propter Patrem, aequalia propter Filium, connexa omnia [a] propter Spiritum Sanctum ».

Circa quod obicitur multipliciter: 1. Primo cum unum et ens convertantur [3], ergo unitas convertitur [b] cum essentia; sed essentia est communis tribus personis et nullo modo appropriata; ergo et unitas non appropriabitur Patri.

2. Item, Augustinus, VI *De Trinitate* [4]: « Sive Spiritus Sanctus sit [c] unitas amborum sive sanctitas sive caritas, manifestum est quod non est alter duorum quo uterque coniungitur ». Ex quo relinquitur quod unitas magis appropriatur Spiritui Sancto quam Patri.

3. Item, cum in Trinitate idem sit magnitudo quod essentia, aequalitas autem dicit unitatem in magnitudine, aequalitas igitur [d] in divinis personis non est nisi unitas illorum in essentia; si ergo Patri appropriatur unitas, ergo et aequalitas.

4. Item, cum de Filio dicatur [5] quod ipse *est pax, qui facit utraque unum*, quare Filio non attribuitur concordia sicut et Spiritui Sancto?

5. Item, obicitur de hoc quod dicitur [6] « omnia haec tria [e] unum propter Patrem, aequalia propter Filium, connexa propter Spiritum Sanctum »; sed omnia dicuntur unum [f] esse propter Patrem, quia habent unitatem a Patre, sive sint divinae personae sive [g] creaturae; ergo [h] omnia erunt aequalia propter Filium, sive sint divinae personae sive creaturae [i]; ergo Pater per Filium erit aequalis; ergo habet aequalitatem a Filio: quod falsum est. — Item, simili modo obicitur: si « omnia connexa propter Spiritum Sanctum », ergo Filius et Pater connexi sunt per Spiritum Sanctum [k]; ergo a Spiritu Sancto habent aliquid: quod est falsum. Similiter videtur sequi quod Spiritus Sanctus sit connexus propter se ipsum.

Respondeo: Unitas appropriatur Patri duplici ratione. Prima est, quia sicut Pater non est ab alio, ita unitas non est ab alio, sed principium aliorum. Alia ratio est, quia sicut dicitur 'Pater genuit Filium, unum secum Deum', ita unitas per se multiplicata non generat nisi unum. Ad hoc Hugo, *Ad Bernardum* [7]: « Subsistentia, quae ab alia non est, substantialiter vel personaliter nullam pluralitatem ingerit, nullam pluralitatem concludit: nam in eo quod gignit, nihil sibi, sed Filio confert [l] ut sit; genita autem substantia, quae ab alio accepit quod habet, sicut nec esse per se ipsam, ita nec intelligi valet. Si igitur pluralitatem ingerit subsistentia Filii, tanto magis quae a duobus est, subsistentia Spiritus Sancti! Recte ergo unitas Patri attribuitur ». Propterea [m], cum Pater habeat unitatem et Filius ab eo et Spiritus Sanctus, secundum principalitatem attribuitur Patri. Aequalitas vero non attribuitur Patri [n], quia non intelligitur aequalitas nisi intelligatur pluralitas; intellecto autem Patre secundum quod est innascibilis, non intelligitur pluralitas; ergo non recte appropriaretur Patri aequalitas, sed posito Filio, cum sit Deus, necessario ponitur aequalitas. Propter quod dicit Augustinus [8]: « Imago coaequatur Patri, non Pater Imagini »; unde recte attribuitur aequalitas Filio; et quia Spiritus Sanctus habet a Filio aequalitatem, non attribuitur Spiritui Sancto, et ideo recte Filius dicitur aequalitas. Concordia vero Spiritui Sancto attribuitur [9]. « Sicut enim nulla aequalitas [o] est sine consistentium pluralitate, ita nec ponitur concordia duorum sine consistentium Trinitate [p]: in Patre origo unitatis, in [q] Filio inchoatio pluralitatis,

---

[a] BRG om. [b] P add. *sed.* [c] L om. *S. s. s.* [d] V *autem.* [e] BRGL om. *h. t.* [f] R om. [g] B add. *humane.* [h] S *hec.* [i] G om. *ergo... creaturae.* [k] G om. *ergo... Sanctum.* [l] G *convenit.* [m] V *propter.* [n] G om. [o] G om. *concordia... aequalitas.* [p] P *vel veritate,* V *eternitate.* [q] G *que.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 31, p. 2, a. 2, q. 3 (I, 548 sq.).
2 Lib. I, c. 5 (PL 34, 21).
3 Cf. supra, p. 627, nota 1.
4 Cap. 5, n. 7 (PL 42, 928).
5 Ephes. 2, 14.
6 Cf. supra, nota 2.
7 Rectius Richard. de S. Victore, *De trib. appropr. person. in Trinit., ad Bernardum* (PL 196, 991).
8 *De Trinit.*, VI, c. 10 (PL 42, 931), ad sensum.
9 Cf. Richard. de S. Vict., loc. cit., ubi et sequens.

in Spiritu Sancto completio Trinitatis ». Praeterea, « alia est habitudo Patris ad Filium, alia ad Spiritum Sanctum; sed Filii similiter alia est habitudo ad Patrem, alia ad Spiritum Sanctum »; uniformiter autem se habent tam Pater quam Filius ad Spiritum Sanctum; recte ergo dicitur concordia in quo habitudinis uniformitas omnino invenitur. « Praeterea, cum in Patre sit unitas, et hanc habeant Filius et Spiritus Sanctus a Patre, recte dicuntur unum propter Patrem. Item, « si sola [a] ingenita persona esset, non esset aequalitas; similiter si persona Spiritus Sancti non esset, nihilominus esset aequalitas ». Recte ergo propter Filium sunt aequalia, non quod Pater habeat aequalitatem a Filio, sed quia eo posito ponitur aequalitas in Patre [b] et similiter eo remoto removetur. Similiter, « tolle Spiritum Sanctum, non erit in divinitate qui sit plurium connexio », sed cum ille sit amor Patris et Filii, illo [c] posito ponitur connexio [d].

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod primo obicitur quod 'unitas non debet appropriari Patri, quia unum et ens convertuntur': dicendum quod alia est ratio dicendi unitatem, alia est ratio dicendi [e] essentiam. Nam cum dico essentiam, dico absolute; cum dico unitatem, dico rationem primi [f] principii: unitas enim est primum principium; quia ergo unitas addit rationem primi principii supra essentiam [g], ideo appropriatur Patri, qui ens a nullo est [h] principium personarum omnium et essentiarum; non sic autem Filius vel Spiritus Sanctus.

2. Ad secundum quod obicitur de auctoritate Augustini, dicendum quod duplex est unitas: essentialis sive natura, quae appropriatur Patri, et est unitas relativa sive unitas consensionis sive voluntatis [1], quae appropriatur Spiritui Sancto, de qua in Evangelio Ioan. 17,22: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus;* et hoc modo dicitur Spiritus Sanctus unitas amborum, scilicet Patris et Filii.

3. Ad tertium dicendum quod aequalitas appropriatur Filio propter tres rationes. Primo, quia [i] cum aequalitas sit unitas virtutis, non potest intelligi nisi intelligantur aliqui duo in illa unitate; Filius autem est qui primo intelligitur post Patrem in unitate virtutis ordine naturae, ideo Filio attribuitur aequalitas. Secunda est, quia omnis inaequalitas per aequalitatem reducitur ad unitatem: aequalitas enim est principium in proportionibus [2] sicut unitas in numeris; quia ergo creatura rationalis reconciliatur Patri per Filium, Patri autem attribuitur unitas, inaequalitas vero culpae rationali [k] creaturae: propter hoc Filio attribuitur aequalitas velut medio reductionis creaturae ad Patrem. Tertia est, quia primo in Filio [l] intelligitur aequalitas et ipse primo accipit aequalitatem et dat eam; sed Spiritus Sanctus nec primo accipit nec dat eam, et [m] ideo Filio attribuitur aequalitas, non Spiritui Sancto. — Ad illud vero quod obicitur, dicendum quod aequalitas non solum dicit unitatem in magnitudine, sed ponit pluralitatem et distinctionem ex [n] consequenti, quod non ponit essentia.

4. Ad illud vero quod quaeritur quare concordia Spiritui Sancto attribuitur: dicendum quod quatuor rationibus. Prima est, quia signum connexionis Patris et Filii; secunda, quia ipse unus a Patre et Filio et Pater et Filius conveniunt in eo, ideo uniuntur in eo in quantum ipse [o] est unus ab eis; tertia, quia procedit ab eis secundum unum et secundum unam notionem quae est communis spiratio; quarta, per rationem causae, quia ei attribuitur conservatio totius esse, unitas autem est principium conservationis rerum in esse. — Quod vero dicitur de Filio quod sit '*pax*', istud refertur ad assumptionem humanitatis, non ad intellectum proprietatis Filii.

5. Ad aliud [p] dicendum quod, cum dicitur « omnia haec tria unum propter Patrem », haec praepositio 'propter' notat auctoritatem quae est in Patre: Pater enim a se habet quod sit unum, Filius et Spiritus Sanctus a Patre. Cum autem dicitur « omnia aequalia propter Filium », notatur per haec ratio ostensiva: ostendit enim Filius aequalitatem personarum trium. Cum autem dicitur « connexa propter Spiritum Sanctum », notatur quasi ratio formalis in eo quod est Spiritus Sanctus [q], scilicet in eo quod est amor quo Pater et Filius [r] diligunt se: amor enim ad amantem quasi ratio formalis, non quod formalis, in quantum sunt vel in quantum sunt [s] Pater et Filius; non enim sequitur: 'Pater et Filius diligunt Spiritu Sancto, ergo sunt Spiritu Sancto'. — Alii vero dicunt quod hoc quod dico [t] 'propter' dicit rationem signi sive causae cognoscendi: Spiritus enim Sanctus est causa cognoscendi nobis quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, et in hoc connexi; nec dicitur Spiritus Sanctus connexus Patri aut Filio, sed [u] nexus Patris et Filii propter se ipsum.

---

[a] G *alia.* [b] G om. *i. P.* [c] RL *ipso.* [d] G om. *sed... connexio.* [e] R om. *u. a. e. r. d.* [f] B om. [g] G *iam.* [h] PVS *ens.* [i] V om. [k] PVS *rationalis;* V *nature* pro *creaturae.* [l] V om. *i. F.* [m] BRGL om. [n] V *in.* [o] V om. [p] P *illud.* [q] VBRG om. [r] PVS add. *et.* [s] V om. *v. i. q. s.* [t] G *hec dictio* pro *h. q. d.* [u] V *et.*

[1] Cf. supra, p. 119a, II.

[2] Boeth., *De arithm.*, II, c. 1 (PL 63, 1114).

QUAESTIO III.

DE APPROPRIATIONE POTENTIAE, SAPIENTIAE ET VOLUNTATIS.

Consequenter quaeritur de appropriatis quae sunt potentia Patri, sapientia Filio, voluntas [a] Spiritui Sancto. Circa quod quaeritur:

Primo, quae sit ratio appropriationis horum trium generaliter;

secundo, quaerendum esset [b] de potentia secundum quod appropriatur Patri, secundum quod dicitur potentia generandi, sed istud determinatum est supra, in Quaestione [c] De generatione aeterna [1];

tertio, quaerendum est de sapientia, quae appropriatur Filio;

quarto, de voluntate [d], quae appropriatur Spiritui Sancto.

MEMBRUM I. 450

Quae sit ratio appropriationis horum trium [2].

Quantum ad primum obicitur sic: 1. In libro Sap. 12,18: *Subest tibi posse, cum volueris;* ex quo accipit Anselmus [3] quod « potentia sequitur voluntatem »; potentia igitur non dicit rationem primi principii nec etiam principium ratione voluntatis; ergo non debet appropriari Patri.

2. Item, Hugo de S. Victore, in *Sententiis* [4]: « Voluntas movet [e], sapientia disponit, potentia operatur ». Ergo intentio voluntatis dicit rationem principii, scientia vero rationem quasi medii, potentia vero rationem principii ab illis [f]; voluntas igitur est [g] approprianda Patri et potentia Spiritui Sancto.

3. Item, I Cor. 1,24: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Virtus ergo appropriatur Filio; sed eadem est [h] intentio virtutis et potentiae; ergo potentia appropriatur Filio.

4. Item, scientia comprehendit omnem [i] respectum potentiae et potentia omnem respectum voluntatis, et non convertitur: quidquid enim potest Deus, scit, sed non convertitur: quiquid scit, potest, quia scit mala, non potest facere illa. Similiter quidquid vult potest, non tamen quidquid potest vult [k]: multa enim potest facere quae non vult facere [5]. Si ergo secundum proprietatem personarum sit appropriatio istorum [l], appropriabitur scientia Patri, cui convenit producere sive generando sive spirando sive creando; sed non convertitur, quia Pater producit generando, quod non Filius; similiter Filio [m] convenit potentia et Spiritui Sancto voluntas, quia quidquid producit Spiritus Sanctus, producit Filius; sed non convertitur, quia Spiritus Sanctus producit creando, sed non spirando, Filius vero creando et spirando.

5. Item, de voluntate dubitatur. Nam dicit Augustinus, IX *De Trinitate* [6], quod partum mentis praecedit appetitus; partus autem mentis dicitur notitia, appetitus [n] voluntas; principium igitur notitiae voluntas est; sed [o] quod est principium notitiae debet appropriari Patri, cum notitia approprietur Filio; ergo voluntas appropriatur Patri.

6. Item, in antiphona de Trinitate [7]: « Caritas Pater, gratia Christus, communicatio Spiritus Sanctus ». Si ergo caritas, ut dicit Bernardus [8], non est nisi communis boni voluntas, ergo voluntas appropriatur Patri.

7. Item, Col. 1,13: *Transtulit nos in regnum Filii caritatis suae;* et constans est quod non potest ibi stare 'caritas' pro Spiritu Sancto, quia sic diceretur Filius Spiritus Sancti. Exponitur ergo ab Augustino [9] duobus modis: *Filii*

---

[a] L *bonitas.* [b] B *est,* R *erit;* V *queritur* pro *q. e.* [c] GL *inquisitione,* L om. *in.* [d] L *bonitate.* [e] P *monet.* [f] L *aliis.* [g] BRG om. [h] Ita L, alii om. [i] PVS om. [k] S om. *potest non... vult.* [l] BR *Istarum.* [m] G om. [n] B om. *partus ... appetitus.* [o] S *secundum.*

[1] Cf. supra, num. 298.

[2] Cf. Robert. Melodun., I *Sent.*, p. 3, cc. 24-27 (edid. R. M. Martin, O. P., *Rev. d. Sciences philos. et théol.*, XII, 1923, p. 328 sq.).

[3] *Cur Deus homo,* II, c. 10 (PL 158, 408).

[4] *De sacram. christ. fid.,* I, p. 2, c. 5 (PL 176, 208).

[5] Cf. supra, num. 134 et 135.

[6] Cf. cap. 12, n. 18 (PL 42, 972).

[7] In festo SS. Trinitatis, prima antiph. III Noct.

[8] Rectius Richard. de S. Vict., *De Trinit.,* III, c. 15 (PL 196, 925).

[9] Cf. *De Trinit.,* XV, c. 19, n. 37 (PL 42, 1086 sq.).

caritatis, id est Filii quem diligit, ergo secundum hoc caritas appropriabitur Patri; alio modo: « *Filii caritatis,* id est Filii dilecti [1] », ergo secundum hoc [a] caritas appropriabitur Filio.

8. Item, cum principium sciendi et intelligendi sit sapientia, cum [b] Spiritui Sancto attribuatur principium sciendi et intelligendi, I Cor. 2,10: *Nobis revelavit Deus per Spiritum Sanctum,* et iterum [2]: *Accepimus* [c] *Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus,* et Ioan. 16,13: *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* videtur quod Spiritui Sancto approprietur sapientia vel scientia.

Respondeo: Ratio appropriationis potentiae Patri [d], sapientiae Filio, voluntatis Spiritui Sancto, sive benignitatis, facta est duplici ratione: primo, ratione remotionis erroris; secundo, ratione ostendendae veritatis. Ratione remotionis erroris, ut dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [3], quia in creaturis ex antiquitate [e] in patre defectus, ex posteritate in filio imperfectio sensus solet notari, ideo occurrit Scriptura dicens Patrem omnipotentem, ne videatur prior Filio et ideo minus potens, et Filium sapientem, ne videatur posterior Patre et ideo minus sapiens. Item [f], quia nomen Spiritus videbatur quasi nomen inflationis et tumoris, ne cum dicitur Spiritum habere Deus, crudelis putaretur, Scriptura temperavit sermonem, Spiritum bonum nominans. — Ratione vero ostendendae veritatis, Richardus de S. Victore [4]: « Potentia potest esse ubi nulla est sapientia vel esse potest », ut in plantis potentia est nutriendi et generandi et « in animalibus audiendi et videndi, non autem [g] sapientia »; sed ubi est [h] sapientia, necessario [i] est potentia, secundum quam est sapere; et si non est potentia, non est sapientia: « nam posse sapere est aliquid posse; dat ergo posse esse non sapientia potentiae, sed potentia sapientiae. Item Lucifer, qui mane oriebatur [5], multam habuit potentiam et multam cognitionem, sed non habuit bonam voluntatem; quid autem est bonitas nisi bona voluntas? Ut ergo possis [k] bonam voluntatem habere, oportet ut valeas et scias bonum eligere. In hac ergo trinitate sola potentia non est de reliquarum [l] alia, sapientia vero est de sola potentia, bonitas vero secundum actum est de potentia et sapientia. Expressae ergo sunt proprietates summae Trinitatis: ibi est proprietas ingeniti, quae est [m] non ab aliquo alio, geniti quae est ab ingenito solo, persona Spiritus Sancti quae tam ab ingenito quam a genito. Quoniam ergo in [n] potentia exprimitur proprietas ingeniti, attribuitur Patri, in [o] sapientia vero proprietas geniti, et ideo attribuitur Filio, in bonitate proprietas Spiritus Sancti, et ideo specialiter ei appropriatur ».

[Ad obiecta]: 1-2. Ad ea vero quae primo obiciuntur de potentia: dicendum quod potentia [p] uno modo determinatur per actus temporales, ut cum dicitur 'Deus potest creare'; alio modo determinatur per actus aeternos vel quasi aeternos, ut cum dicitur 'Deus potest scire, Deus potest velle'. Primo modo, quamvis in Deo sit idem potentia et scientia et voluntas, tamen secundum rationem intelligendi, quae accipitur secundum nos, « voluntas movet, scientia disponit, potentia operatur »; prior est voluntas, deinde scientia, tertio potentia, sed in hac via non est assignata praedicta appropriatio. Secundo modo, secundum quod potentia extenditur ut determinetur per actus aeternos, prior est potentia scientia et voluntate, sicut posse scire et posse velle prius quam scire et velle. Et in hac via assignata est appropriatio potentiae Patri, sapientiae Filio, voluntatis [q] Spiritui Sancto, sicut patuit per Richardum.

3. Ad illud [r] vero quod obicitur quod 'Filio appropriatur virtus et quod eadem est intentio potentiae et virtutis': dicendum quod intentio virtutis non dicit rationem primi [s] principii, immo virtus dicitur potentiae velut habitus sive habilitas, et ideo dicit intentionem principii ab alio et ad aliud in modum principii, qui ab alio est et ad aliud, et ideo convenienter appropriatur Filio, qui est persona quae ab alia et a qua [t] alia; potentia vero dicit rationem primi principii, et ideo appropriatur Patri qui est non ab alio. Et per hoc [u] patet solutio ad omnia obiecta de appropriatione potentiae.

4-8. Ad alia vero quae quaeruntur de appropriatione scientiae et de appropriatione voluntatis patet solutio ex superioribus [v], inquisitione De potentia, Quaestione De comparatione intentionis potentiae ad intentionem scientiae et voluntatis [6], et iterum [x], inquisitione [y] De processione Spiritus Sancti, Quaestione an Spiritus Sanctus procedat per modum amoris aut sapientiae [7].

---

[a] P om. [b] BRG om [c] P *accipimus.* [d] V om., L *Patris,* quod BR corr. [e] PVS add. *est.* [f] V *iterum.* [g] V add. *est.* [h] BGL om. [i] L *necessaria.* [k] R *possit.* [l] P *dereliquare* pro *d. r.* [m] GL om. [n] V om. [o] BRG om. [p] V om. [q] S (corr.) *voluntas.* [r] B *aliud.* [s] B om. [t] V *quo.* [u] V add. *perbene.* [v] VB add. *in.* [x] VS add. *in.* [y] V add. *questione.*

[1] Cf. Lombard., *In Epist. ad Col.,* c. 1 (PL 192, 262), ex Augustino, loc. cit., c. 17 (PL 42, 1079 sq.).
[2] I Cor. 2, 12.
[3] Cf. lib. XV, c. 7, n. 12 (PL 42, 1065).
[4] *De Trinit.,* VI, c. 15 (PL 196, 979), cetera ad sensum.
[5] Cf. Isai. 14, 12.
[6] Cf. supra, num. 134 et 135.
[7] Cf. supra, num. 306 et 307.

MEMBRUM II.

De sapientia quae appropriatur Filio.

Consequenter quaeritur specialiter de appropriato quod est sapientia, nam de potentia alias inquisitum est [1]. Circa quod quaeruntur plura:

Primo, utrum nomen sapientiae, dicatur univoce vel aequivoce secundum quod dicitur personaliter et essentialiter;

secundo, utrum dicatur proprie personaliter;

tertio, utrum Pater sit sapiens sapientia genita;

quarto, utrum Filius sit sapiens sapientia ingenita [a];

quinto, utrum sapientia dicat causam rerum;

sexto, utrum dicatur Deus sapere [b] creaturas;

septimo, quaeritur de infusione sive perceptione sapientiae.

Et se habent hae quaestiones consequenter, sicut patebit.

CAPUT I. 451

UTRUM 'SAPIENTIA' DICATUR UNIVOCE VEL AEQUIVOCE.

Ad primum sic obicitur: 1. Filius dicitur sapientia Patris [2], Pater etiam et Filius et Spiritus Sanctus dicuntur sapientia; videtur quod aequivoce, quia nihil est commune secundum rem personae et essentiae; ergo aequivoce dicitur secundum quod dicitur personaliter et secundum quod dicitur essentialiter. Diversorum enim generum sunt persona et essentia: nam ea quae dicuntur essentialiter, sunt in genere substantiae; quae personaliter, in genere relationis; nihil autem est univocum [c] ad haec duo genera, scilicet substantiam et relationem.

Contra: *a.* Hoc nomen 'Deus' dicitur essentialiter, cum dicitur 'Deus creat', personaliter, cum dicitur 'Deus generat' [3], non tamen dicitur aequivoce; sed ita dicitur 'sapientia de sapientia' sicut [d] 'Deus de Deo', et sicut 'unus Deus', ita 'una sapientia', sicut [e] dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [4]; ergo similiter non dicitur aequivoce [f] hoc nomen 'sapientia' sicut nec hoc nomen 'Deus'.

Respondeo: Quaedam nomina sunt quae non sunt appropriabilia personis, ut hoc nomen 'essentia, deitas' et huiusmodi, et haec non possunt trahi ad supponendum pro persona. Alia autem sunt appropriabilia, non tamen appropriantur, ut illa quae significant ut 'quod est', non ut 'quo est', ut 'Deus'; 'Deus' enim significat ut 'quod est', deitas ut 'quo est' [g]: impositum enim est hoc nomen 'Deus' [h] ut habenti deitatem, et quia habens deitatem est persona, potest huiusmodi nomen trahi ad supponendum pro persona [i 5]; unde appropriabilia personis sunt huiusmodi nomina, non tamen appropriata quantum est de se nisi per adiuncta. Alia autem sunt nomina [k] appropriata personis, ut 'sapientia' quae appropriatur Filio, et 'caritas' Spiritui Sancto. Sunt etiam nomina propria, ut 'Pater, Filius, Spiritus Sanctus', et haec impossibile est supponere essentiam; nomina autem [l] appropriabilia possunt supponere essentiam et personam et etiam appropriata. Cum ergo quaeritur utrum dicatur 'sapientia' univoce vel aequivoce: dicendum quod univoce. Quamvis enim significet essentiam, tamen supponit personam, sicut hoc nomen 'Deus', cum dicitur 'Deus generat Deum', significat essentiam et supponit personam. Est ergo diversitas cum sumitur essentialiter et cum personaliter, scilicet in suppositione, non significatione: utroque enim modo significat [m] essentiam.

CAPUT II. 452

UTRUM 'SAPIENTIA' DICATUR PROPRIE PERSONALITER.

Consequenter quaeritur utrum dicatur 'sapientia' proprie personaliter et non appropriate.

Ad quod: *a.* Augustinus, XV *De Trinitate* [6]: « Sicut proprie Verbum Dei sapientia dicitur, cum

---

[a] PVS *genita.* [b] Codd. add. *per.* [c] PV *equivocum*, quod S corr.; BRGL om. *est.* [d] V add. *dicitur Deus.* [e] L om. *Deus de... sicut.* [f] V add. *univoce.* [g] V om. *u. q. e.* [h] V *hoc nomen* pro *e. h. n. D.* [i] G om. *potest... persona.* [k] V om. [l] V *in.* [m] G *significant.*

1 Cf. supra, num. 138.
2 Cf. I Cor. 1, 24.
3 Cf. supra, num. 358.
4 Lib. VII, c. 2 (PL 42, 936).
5 Cf. supra, num. 358.
6 Cap. 17, n. 28 (PL 42, 1081).

et Pater et Spiritus Sanctus sint una sapientia, sic caritas proprie Spiritus Sanctus dicitur, cum Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint una caritas ».

b. Item, Augustinus, in eodem [1]: « Sicut unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiae, cum tamen Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint sapientia, sic caritas proprie Spiritus Sanctus dicitur, cum tamen communiter de tribus dicatur ». Ergo sicut 'amor' proprie, non appropriate, dicitur de Spiritu Sancto, similiter 'sapientia' de Filio.

Contra: 1. Si hoc, non erit ratio quare haec negetur ab Augustino [2] 'Pater est sapiens sapientia quam genuit', et haec concedatur 'Pater diligit amore ab ipso procedente' [a]: similis videtur ratio, cum idem sit 'diligere' quod 'esse', sicut idem 'sapere' quod 'esse'.

2. Item, 'diligere' dicitur essentialiter et notionaliter, ut dictum est [3]; quare similiter non 'sapere' essentiale et notionale?

3. Item, quaeritur unde est hoc quod sapientia appropriabilis est Filio, sed non est eius proprium, et amor est appropriabilis Spiritui Sancto et est eius proprium?

Respondeo quod quantum ad suppositionem loquitur Augustinus de hoc nomine 'sapientia', quod accipitur proprie pro Filio aliquando, sicut hoc nomen 'caritas' pro Spiritu Sancto, sed non quantum ad [b] significationem; nam significatio sapientiae [c] non potest fieri propria ipsius Filii, quemadmodum significatio amoris propria Spiritus Sancti, ut iam patebit [4].

[Ad obiecta]: 1. Dicendum ergo ad primum quod diligere et sapere sunt motus animae: sapere est motus intellectus, diligere motus affectus; motus intellectus est ad se, motus affectus a se [5]. Cum ergo dicitur 'intellectus sapit aliquo', cum sapere dicat motum ad animam, necesse est quod illud quo dicitur 'sapere' sit causa alicuius in illo qui dicitur sapere ipso. Cum ergo Filius non sit aliquo modo causa alicuius in Patre, non potest dici Pater vel sapere vel sapiens esse Filio. Sed aliter est in motu qui est ab anima: sicut enim cum dicitur Pater operari Filio sive per Filium, non notatur Filius principium respectu Patris, sed respectu operationis, similiter cum dicitur 'diligo amore', non per hoc notatur quod amor sit principium mei, sed e converso quod ego sim principium dilectionis; similiter si Pater dicitur diligere amore qui est Spiritus Sanctus, non dicitur Spiritus Sanctus ut principium respectu Patris, sed [d] potius e converso.

2. Ad aliud dicendum quod sapientia dicit ut habitum, et ita ut qualitatem, et ita [e] divinam essentiam; sed dicit in comparatione ad actum, et ideo est appropriabilis; sed quia non exit [f] a qualitate sive non mutat genus, ideo semper dicitur essentialiter. Sed non est [g] simile de amore: ideo quia amor potest intelligi ut qualitas quaedam, scilicet ut voluntas sive affectus boni, sic dictus amor dicit essentiam; alio modo potest dici amor similitudo et unitas voluntatum; sicut ergo diceretur quod similitudo dicit 'ad aliquid', sic amor, et sic dicit notionem.

3. Ad ultimum dicendum quod amor potest intelligi velut forma quaedam qua informatur anima, et sic cadit in genere qualitatis; potest etiam intelligi velut relatio quaedam sive relativum prout dicit similitudinem quamdam, et sic cadit in genere relationis; potest etiam intelligi amor velut motus quidam. Similiter in divinis. Sic autem non est de sapientia.

453

CAPUT III.

UTRUM PATER SIT SAPIENS SAPIENTIA GENITA.

Consequenter quaeritur utrum [h] Pater sit sapiens sapientia genita [6].

Ad quod sic: 1. Omnis artifex est sapiens per artem suam; sed Filius est ars [i] Patris, ut dicit Augustinus [7], 25 dist. I libri *Sententiarum* [8]; ergo est sapiens per Filium; ergo est sapiens sapientia genita [k].

2. Item, Augustinus, in libro *Retractationum* [9]: « Dixi de Patre quod ea ipse sapiens est

---

[a] G *amorem ab ipso procedentem* pro *a. a. i. p.* [b] S om. [c] B *proprie.* [d] P *et*, quod S corr. [e] G add. *per*, L add. *ut.* [f] L *exigit.* [g] P om. [h] L *ut.* [i] G om. [k] V om. *Ad quod... genita.*

1 *De Trinit.*, XV, c. 17, n. 29 (PL 42, 1082).
2 Cf. *De Trinit.*, VII, c. 1 et XV, c. 19, n. 37 (PL 42, 935, 1086).
3 Cf. supra, p. 444b.
4 Cf. caput sequens.
5 Cf. Aristot., *De anima*, III, cc. 8-10 (III, 470 sqq.).
6 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 32, c. 2 (p. 201 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 32, a. 2, q. 1 (I, 561 sqq.).
7 *De Trinit.*, VI, c. 10, n. 11 (PL 42, 931).
8 Dist. 31, c. 2 (p. 193).
9 Lib. I, c. 26 (PL 32, 625).

quam genuit sapientia, sed melius hanc quaestionem in libro *De Trinitate*[1] tractavi ». Ergo bene in libro *83 Quaestionum*[2]; sed ibi dixit[a]: « Pater est sapiens sapientia quam genuit »; ergo hoc est bene dictum.

3. Item, Augustinus, XV *De Trinitate*[3]: « Pater novit omnia in se ipso, novit in Filio: in se ipso tamquam se ipsum, in Filio tamquam Verbum suum ». Ergo Pater noscit omnia in Filio.

4. Si[b] dicatur quod cum dicitur « Pater novit omnia in Filio », ly 'omnia' solum distribuit pro creaturis quarum Filius est principium, quod haec praepositio 'in' notat – contra: similiter accipitur, cum dicitur « noscit omnia in se ipso » et cum dicitur « noscit omnia in Filio »; sed non solum fit distributio pro creaturis, cum dicitur « noscit omnia in se ipso », quia in se ipso noscit[c] se Pater et Filium et Spiritum Sanctum; ergo nec similiter cum dicitur « noscit omnia in Filio », fit solum distributio pro creaturis.

Contra: *a.* Si Pater est sapiens per Filium et idem est sapere quod esse, ergo habet esse per Filium. Ad quod inconveniens deducit Augustinus, in libro *De Trinitate*[4].

Respondeo[5]: Haec nullo modo est concedenda 'Pater sapit per Filium'; refert enim cum[d] haec praepositio 'per' adiungitur verbo transitivo et cum adiungitur absoluto. Cum enim adiungitur verbo transitivo, notat subauctoritatem, ut cum dicitur 'rex regit per praepositum'; cum adiungitur verbo absoluto, notatur auctoritas, ut cum dicitur 'rex[e] regnat per praepositum'. Similiter cum dicitur 'Pater operatur per Filium', notatur subauctoritas in Filio respectu Patris, sed cum dicitur 'Pater sapit vel est sapiens per Filium', notatur auctoritas in Filio respectu Patris, et haec nullo modo est concedenda.

[Ad obiecta]: 1. Ad id ergo quod[f] obicitur quod 'omnis artifex est sapiens per suam artem, Filius est ars Patris' etc., respondemus[g]: ars alicuius dicitur dupliciter: vel ut informans[h], et sic dicitur ars hominis, vel ut ab aliquo, et sic dicitur Filius « ars Patris », quia est a Patre, non quia informet Patrem. Unde bene dicitur quod homo sapit per artem suam, non tamen hoc dicitur de illo[6], quia non est ars informans Patrem, sed ut a Patre. Si autem diceretur sapere Pater[i] per Filium, non notaretur Filius esse a Patre, sed potius Pater ab ipso.

2. Ad illud quod dicit Augustinus quod « melius in libro *De Trinitate* » tractavit, respondemus[k]: haec propositio[l] duplex est « Pater est sapiens ea quam[m] ipse genuit sapientia », quia potest esse sensus: Pater genuit Filium qui est sapientia, qua sapientia dicitur sapiens Pater qui genuit. Hoc autem relativum 'qua' potest facere relationem personalem vel simplicem. Si personalem: falsa est, et est sensus: Pater genuit Filium qui est sapientia, qua sapientia, id est quo Filio, Pater sapiens est[n]. Si simplicem, vera est, et est sensus: Pater genuit Filium qui est sapientia, quae sapientia est essentia qua Pater est sapiens. Et iste fuit intellectus Augustini, in libro *83 Quaestionum*, et propter hoc dicit Augustinus[o] quod « melius » dixerat in libro *De Trinitate*, non tamen dixit quod in libro *83 Quaestionum* male.

3. Ad illud 'Pater omnia novit in Filio': dicendum quod[p] praepositio 'in' potest dicere habitudinem principii ad illud quod est de principio, et secundum hoc 'omnia' non distribuit nisi pro creaturis; unde sensus est: Pater novit creaturas in Filio sive per Filium. Sed haec[q] duplex, quia haec determinatio 'in Filio sive per Filium' potest determinare hoc verbum 'nosse' in comparatione ad nominativum vel suppositum, et sic falsa[r], et est sensus: Pater in Filio vel per Filium noscit omnia, id est Pater noscit creaturas et hoc habet a Filio; vel in comparatione ad accusativum, et sic vera est, et est sensus: Pater noscit creaturas esse per Filium.

4. Ad illud quod obicitur in contrarium: dicendum quod non similiter accipitur haec dictio 'omnia', cum dicitur 'Pater noscit omnia in se ipso' et 'Pater noscit omnia in Filio'. Quod patet per illud quod sequitur in auctoritate illa: « In se ipso noscit tamquam se[s] ipsum, in Filio tamquam Verbum suum »; Verbum autem dicitur Filius respectu creaturarum. Unde respiciendum[t] si invenitur aliqua determinatio cuius possit Filius dici principium, et tunc potest concedi quod 'in Filio vel per Filium'; sed si non sit aliquid in oratione respectu cuius possit dici Filius principium, non est recipienda talis propositio, ut cum dicitur 'Pater noscit per Filium, sapit per Filium', sed potest recipi 'noscit creaturas per Filium'.

---

[a] BRGL add. *quod.* [b] S *item.* [c] S *nescit;* V *Patrem* pro *Patre.* [d] G om. [e] L om. [f] BRGL *Quod ergo* pro *A. i. e. q.* [g] G *respondeo.* [h] L *formans,* G om. *vel.* [i] V *Patrem.* [k] GL *Respondeo.* [l] VGL *prepositio.* [m] PVS *qua.* [n] R om. [o] V om. *in... Augustinus.* [p] RL add. *hec.* [q] V *hic.* [r] V add. *est.* [s] L om. [t] L add. *est.*

1 Lib. XV, c. 7, n. 12 (PL 42, 1065sq).
2 Quaest. 23 (PL 40, 16).
3 Cap. 14, n. 23 (PL 42, 1077).
4 Cf. supra, nota 1.
5 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 7, q. 2 (f. 20d).
6 Intellige *de Filio Dei.*

454

CAPUT IV.

UTRUM FILIUS SIT SAPIENS SAPIENTIA INGENITA.

Consequenter quaeritur I. utrum Filius sit sapiens sapientia ingenita [a].

Ad quod sic *a.* arguit Magister, in *Sententiis*, 32 dist. I libri [1]: « Si non est sapiens sapientia genita, nec se ipso sapiens est [b]; si vero sapientia genita sapiens est, non videtur esse sapiens sapientia ingenita, et ita non videtur esse sapiens [c] a Patre, cum a Patre habeat omnia ». Ad quod respondet quod « Filius tantum est sapiens sapientia genita et Pater sapientia ingenita [d]; et sapientia genita est de sapientia ingenita vel a sapientia ingenita [e]. Et cum idem sit ibi esse quod sapientem esse, relinquitur ut sapientia genita sit de sapientia ingenita ».

Sed obicitur 1. quia sapientia ingenita idem est quod innascibilitas; sed esse sapientem idem est quod esse; Pater autem non est sapiens innascibilitate.

2. Praeterea, eadem sapientia sapiens est Pater formaliter qua Filius; sed Filius quasi formaliter non est sapiens sapientia ingenita; ergo nec Pater.

Respondeo: 1-2. Non sunt idem quoad modum significandi sapientia ingenita et innascibilitas, licet idem sint secundum rem. Sed sensus est: cum dicitur 'Pater est [f] sapiens sapientia ingenita', Pater sapiens est se ipso et a se ipso; unde est ratio quasi formalis et exclusio originis. Nam in [g] hoc quod dicitur 'sapiens sapientia ingenita', per hunc ablativum 'sapientia' notatur ratio quasi formalis, per hunc autem 'ingenita' originis exclusio.

II. Item, quaeritur si Spiritus Sanctus sit sapientia de sapientia vel procedens sapientia.

Quod non, videtur: 1. Quia hoc nomen 'sapientia' in hoc sermone non stat pro essentia; tunc enim esset verum de essentia [h] quod esset procedens, sed personaliter videtur appropriari Filio.

Respondeo 1. per [i] Augustinum, XV *De Trinitate* [2]: « Spiritus Sanctus, quia [k] est procedens sapientia de sapientia, non Patrem habet memoriam aut Filium intelligentiam [l] aut Spiritum Sanctum dilectionem; neque enim esset sapientia, si alius ei meminisset vel intelligeret ac tantummodo sibi ipsi diligeret ». Sed Pater habet haec tria, quae sunt quod ipse, verumtamen illi est unde procedit. Haec est ergo concedenda 'Spiritus Sanctus est sapientia [m] procedens de sapientia', ne videatur Filius tantum sapere Patri aut Spiritui Sancto. Et licet hoc nomen 'sapientia' per se non approprietur Spiritui Sancto, appropriatur [n] tamen per adiunctum. Sumitur autem 'procedere' non quod attribuitur Filio, sed quod distinctivum est Spiritus Sancti ab aliis personis.

III. Item, quaeritur utrum Filius sit sapiens se ipso vel per se ipsum.

Quidam dicunt hic fieri multiplicem intelligentiam, et ideo distinguendum fore ita ut cum dicis 'Filium esse sapientem se ipso vel per se ipsum', si sui natura et essentia sapientem [o] intelligas, verus sit intellectus; si vero a se ipso vel de se ipso sapientem intelligas esse, falsitati subiectam habes intelligentiam. — Alii vero simpliciter et absque determinatione concedunt huiusmodi locutiones 'Filius est sapiens per se', sed non 'a se' vel 'de se', confirmantes verbis [p] Hilarii qui Filium non a se, sed [q] per se agere [r], in IX *De Trinitate* [3], ait: « Naturae, inquit, cui contradicis, haeretice, haec unitas est ut ita per se agat Filius ne a se agat et ita non a se agat ut per se agat ».

Sed quaeritur quae est differentia inter 'per [s] se' et 'a se'. — Respondeo: 'per se' dicit sufficientiam agentis, 'a se' vero notat originem vel principium a quo est illa sufficientia.

455

CAPUT V.

UTRUM SAPIENTIA DICAT CAUSAM RERUM.

Deinde quaeritur an sapientia dicat causam rerum.

Ad quod sic: *a.* Psalm. [4]: *Omnia in sapientia fecisti;* illa enim quorum non est auctor Deus

---

[a] V *genita.* [b] P *ens,* quod V corr. [c] B om. *sapientia ingenita... sapiens.* [d] V om. *e. P. s. i.* [e] R om. *v. a. s. i.* [f] V om. [g] L *etiam.* [h] R om. *d. e.* [i] B *secundum.* [k] P *qui.* [l] L *intellectum.* [m] V om. [n] G om. *S. S. a.* [o] S *sapientiam.* [p] BG *verbum.* [q] V add. *de se vel.* [r] G *vel de se* pro *s. p. s. a.* [s] G om.

1 Cap. 2 (p. 202), ubi et sequens.
2 Cap. 7 n. 12 (PL 42, 1065).
3 Num. 48 (PL 10, 319).
4 Psalm. 103, 24.

comprehenduntur in scientia; non ergo omnia fecit in scientia; sed dicitur: *Omnia in sapientia fecisti;* facere autem dicit causam rerum: ergo sapientia est causa rerum [a].

b. Item, quia Deus novit res, sunt res, sicut dicit Augustinus [1], nec intelligitur hoc de scientia [b] simplicis notitiae: ex hoc enim sequeretur quod Deus esset causa mali; ergo intelligitur de scientia approbationis; unde [c] dicit Magister, in *Sententiis* [2], quod scientia cum approbatione est causa rerum, et haec est sapientia; ergo sapientia est causa rerum.

c. Item, Filius est ars sapientis Dei [3]; ergo ars dicitur secundum rationem sapientiae; sed ars dicit ut causam rerum; ergo et sapientia dicit ut causam [d] rerum.

Contra: 1. Deus dicitur sapere se, similiter Pater dicitur sapere Filium; constat autem quod Pater non est causa Filii nec Deus est causa sui; ergo sapere non importat causalitatem; ergo nec [e] sapientia.

2. Item, Augustinus, 35 dist. III libri *Sententiarum* [4]: « Sapientia consistit in contemplatione, scientia in operatione ». Ergo sapientia est tantum speculationis, scientia vero debet dici operationis, et ita potius ut causam.

Respondeo: 2. Scientia dicitur multipliciter, similiter et sapientia. Scientia enim [f] uno modo dicitur donum gratuitum, Isai. 11,2: *Spiritus scientiae* [g] *et pietatis;* alio modo scientia [h] acquisita, secundum quod dicitur [5]: scire est causas rei cognoscere; tertio modo dicitur scientia assimilativa intellectus ad rem scitam, secundum quod dicitur quod scientia Dei significat essentiam divinam ut assimilativam. Eodem modo sapientia dicitur donum sapientiae, Isai. 11,2: *Spiritus sapientiae et intellectus;* sic dicitur in *Sententiis* quod « sapientia pertinet ad contemplationem, scientia ad actionem »; nec sumitur ibi 'contemplatio' [i] pro speculatione pura, sed pro speculatione a qua dicitur vita contemplativa, quia illam regit sapientia [k], activam scientia. Alio modo dicitur sapientia acquisita ut est de causa simpliciter, quae est causa causarum, secundum quod dicit Philosophus [6] quod Philosophia Prima debet dici sapientia, quia est de causa, scientia acquisita per creaturas, secundum quod dicitur Rom. 1,20: *Invisibilia Dei* etc. Tertio modo dicitur sapientia [l] intelligentia divina de se ut causa et cum sapore: nam dicit cognitionem Dei secundum quod 'se' respicit causam, scientia secundum quod respicit effectum in causa.

Ad illud ergo [m] quod quaeritur utrum sapientia sit causa rerum, respondeo quod causa potest considerari tripliciter. Quemadmodum enim causa materialis dicitur tripliciter — primo modo possibilis, quando nulla est dispositio ad formam; et dispositio, quando habet aliquas dispositiones, sed remotas; et dicitur necessitas, quando est in proxima dispositione ad formam — sicut ergo de potentia passiva est loqui, ita et de potentia activa Dei; potest enim considerari vel ut [n] in potentia vel ut in [o] dispositione vel ut [p] quasi in necessitate [q] sive proxima dispositione. Dicendum ergo quod scientia simplicis notitiae non dicit causam; scientia approbationis dicit ut [r] causam in potentia, quia sequitur: 'scit [s] cum approbatione, ergo est vel fuit vel erit', sed non quod 'est'. Sapientia vero dicit causam ut in dispositione; sed ars dicit ut in necessitate vel proxima dispositione; necessitas autem non dicitur hic qua constringatur causa, sed qua cogatur effectus. Propter hoc ergo dicitur: *Omnia in sapientia fecisti,* quia in dispositione sua fecit [t] omnia; nec dicuntur facta in causa, quia [u] scientia de se non dicit in causam.

1. Ad illud [v] quod obicitur quod 'dicitur sapere se': dicendum quod cum dicitur 'sapere se' absolute, ut 'Deus sapit' vel 'sapit se', notatur scientia cum approbatione et delectatione; scientia autem non dicit causam in ratione [x] causae, sed ut quod est causa. Dicitur etiam sapientia respective, et hoc dupliciter: vel respectu personae ad personam vel respectu Creatoris ad creaturam. Secundum quod dicitur respectu personae ad personam, sic adhuc non dicit causam, ut cum dicitur 'Pater sapit Filium'; si respectu creaturae, sic dicit sapientiam cum approbatione et causalitate, ut cum dicitur 'Pater scit creaturam'.

---

[a] V om. *e. s. e. c. r.* [b] L *notitia.* [c] R *sicut,* G *ut.* [d] V om. *d. u. c.* [e] V add. *ipsa.* [f] V *vero.* [g] V *veritatis,* SGL *sapientie,* P *spiritus.* [h] V *secunda.* [i] Ita S, alii *contemplativa.* [k] BRGL add. *et.* [l] G add. *vel.* [m] BRGL *Quod ergo* pro *A. i. e. q.* [n] S om. [o] PVSR om. [p] S om. [q] G *nativitate.* [r] S om. [s] V *cum sit.* [t] P *facit.* [u] V *que.* [v] BRGL om. *a. i.* [x] G *rationem.*

1 Cf. *De Trinit.,* VI, c. 10, n. 11 (PL 42, 931).
2 Lib. I, dist. 38, c. 1 (p. 243).
3 Cf. Augustin., loc. cit. et XV, c. 13, n. 22 (PL 42, 1076).
4 Cap. 1 (p. 708); Augustin., *Enarr. in Psalm. 135,* n. 8 (PL 37, 1760), ad sensum; ap. Lombard., III *Sent.,* d. 35, c. 1 (p. 708).
5 Cf. Aristot., *Metaph.,* I, c. 3 (II, 471).
6 *Metaph.,* I, c. 2 (II, 470).

456

CAPUT VI.

UTRUM DICATUR DEUS SAPERE CREATURAS.

Quaeritur postea utrum Deus dicitur sapere creaturas.

Ad quod sic opponitur: *a.* Sapientia dicitur de aeternis; sed creaturae non sunt aeternae; ergo etc.

b. Item, 35 dist. III [a] libri *Sententiarum* [1]: « Sapientia non tantum superiora cognoscimus, sed etiam cognitis delectamur ». Sapientia ergo dicit cognitionem cum delectatione; sed Deus non habet delectationem extra se; ergo non sapit aliquid extra se.

c. Item, sapientia dicitur cognitio de causa [2]; sed cognitio de creatura non est cognitio de causa; ergo non est sapientia de creatura.

Contra: 1. Anselmus [3]: « Creatura in Creatore est creatrix essentia »; ergo in causa non differt ipsa causa et effectus in causa; ergo erit eadem cognitio causae et effectus in causa; si ergo cognitio causae dicitur sapientia, ergo cognitio effectus in causa similiter debet dici sapientia; ergo sapit creaturas.

2. Item, in *Sententiis*, I libro, dist. 35 [4]: « Sapientia est de temporalibus et aeternis ». Ergo est de temporalibus; ergo est de creaturis.

Respondeo: Est considerare creaturas in sua natura et est considerare ipsas in causa. Primo modo non dicitur Deus sapere creaturas; secundo modo potest dici sapere creaturas, scilicet in causa, ut non dicatur sapere creaturas [b] simpliciter, sed cum determinatione, scilicet [c] sapit creaturas in causa. Sapientia enim, secundum quod proprie dicitur, dicit cognitionem cum delectatione [d]; non habet autem Deus delectationem in creatura secundum quod in propria natura, ideo non dicitur sapere creaturas; dicitur tamen scire eas, quia cognitio eius transit super res.

[Ad obiecta]: 1. Ad id quod obicitur quod 'in Deo idem est causa et effectus in causa': dicendum quod verum est et potest recipi quod sapit effectum in causa; magis tamen proprie dicitur scire effectum in causa [e].

2. Ad illud [f] quod obicitur quod 'sapientia est de temporalibus': dicendum quod, secundum quod temporalia considerantur in natura propria, sapientia non est de temporalibus, sed secundum quod temporalia considerantur ut in causa vel dispositione divina, sic dicuntur sapientia et scientia esse de temporalibus et aeternis.

CAPUT VII.

DE INFUSIONE SUMMAE SAPIENTIAE.

Ultimo quaeritur de perceptione summae sapientiae. Et quaeruntur tria:

Primo, an [g] sapientia participetur ab irrationabilibus creaturis;

secundo, utrum percipiatur [h] a rationalibus creaturis malis;

tertio, utrum perceptio sapientiae sit innata animae vel addita.

457

ARTICULUS I.

An sapientia participetur ab irrationalibus creaturis.

Ad primum sic obicitur: *a.* Sap. 8,1: *Sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter.* Extenditur igitur sapientia a prima creatura usque ad extremam; ergo extendit se usque ad irrationabilem.

b. Item, Augustinus [5], secundum aliam litteram Eccle. 7,26: *Circuivi* [i] *cor meum ut scirem et considerarem et quaererem sapientiam et numerum.* Et dicit Augustinus, in II *De libero arbitrio* [6]: « Mirantur homines sapientiam, numerosque

---

[a] PV *in.* [b] V om. *scilicet... creaturas.* [c] G om. [d] S *dilectione.* [e] V om. *magis... causa.* [f] B *aliud.* [g] P *in.* [h] VG *participatur*, L *participatur.* [i] Codd. *circuivit.*

[1] Cap. 2 (p. 709). Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, XII, c. 24, n. 50 (PL 34, 174).
[2] Cf. Aristot., *Metaph.*, I, c. 2 (II, 470).
[3] *Monolog.*, c. 36 (PL 158, 190).
[4] Cap. 6 (p. 221).
[5] *De libero arbitr.*, II, c. 8, n. 24 (PL 32, 1253).
[6] Cap. 11, n. 31 (PL 32, 1258), ubi et sequentes duo loci.

contemnunt; docti autem et studiosi quanto magis a labe terrena remoti sunt, tanto magis et[a] numerum et sapientiam in[b] ipsa veritate contuentur ». Hinc relinquitur[c] quod idem est numerus et sapientia; si ergo numerus participatur ab omnibus, etiam corporalibus creaturis — unde Augustinus: « Dedit numeros omnibus, etiam infimis et in fine rerum locatis, et corpora omnia, quamvis in rebus extrema sint, habent numeros suos » — ergo et sapientia ab omnibus.

Contra: 1. Augustinus, II *De libero arbitrio*: « Sapere pauci possunt, numerare etiam stultis concessum est ». Si ergo sapere dicitur a participatione sapientiae, paucis datum est percipere sapientiam.

2. Praeterea, si sapere paucis, numerare stultis, non erit[d] idem numerus et sapientia.

Respondeo: Secundum Augustinum, II *De libero arbitrio*[1]: « De sapientia dicitur quod *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter*. Ea potentia, qua *fortiter a fine usque ad finem attingit*, numerus fortasse dicitur, ea vero qua *disponit omnia suaviter*, sapientia vocatur, cum sit utrumque unius eiusdemque sapientiae; sed numeros[e] dedit omnibus, sapere autem non dedit nisi rationalibus, tamquam in eis sibi sedem locaverit, de qua disponat omnia illa, etiam infima, quibus numeros dedit ».

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet responsio ad primum.

2. Ad secundum respondet Augustinus, in[f] eodem[2]: « Quemadmodum in uno igne consubstantialis[g], ut ita dicam, sentitur fulgor et calor nec separari ab invicem possunt, calor tamen ad ea pervenit quae prope[h] admoventur, fulgor vero longius latiusque diffunditur, sic intelligentiae[i] potentia quae sunt sapientiae propinquiora fervescunt, ut animae rationales; ea vero quae remotiora sunt, ut corpora, non attingit calore sapiendi, sed perfundit lumine numerorum ».

ARTICULUS II. 458

Utrum sapientia percipiatur a rationalibus creaturis malis.

Secundo quaeritur utrum sapientia percipiatur a rationalibus creaturis malis.

Ad quod sic: 1. Ambrosius[3], super illud I Cor. 12,3: *Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu Sancto*[k]: « Omne verum, a quocumque dicatur, a Spiritu Sancto est[l] ». Ergo similiter omne verum a quocumque sciatur[m]. Similiter dicit Augustinus[4]: « Omnia sunt vera a veritate prima »; sed in Deo nihil aliud est sapientia quam cognitio veritatis; ergo quicumque est in participatione veritatis est in participatione sapientiae; sed quicumque scit aliquid est in participatione veritatis; ergo quicumque est[n] in participatione scientiae, est in participatione sapientiae.

2. Item, sapientia nihil aliud est quam cognitio cum sapore; sed sicut summe tristabile necesse est inferre tristitiam, ita summe delectabile necesse est[o] inferre delectationem; sed prima veritas est summe delectabilis intellectui; ergo omnis intellectus percipiens primam veritatem percipit delectationem[p], ergo et sapientiam.

Contra: *a.* I Cor. 2,7-8: *Praedicamus sapientiam in mysterio*[q] *absconditam, quam nemo principum*[r] *huius saeculi novit*, id est philosophi vel daemones, et tamen habebant scientiam, non autem sapientiam, ut ibi dicitur; et post[5]: *Animalis homo non percipit ea quae Dei*[s] *sunt*; ergo nec sapientiam Dei; ergo non[t] quicumque habet scientiam vel percipit scientiam Dei, percipit sapientiam.

[Solutio]: 1. Quod concedendum est, si fiat vis in verbo sapientiae. Possum enim considerare divinam veritatem ut veritatem vel divinam veritatem ut bonitatem[6]; idem enim verum et bonum, sed differunt in consideratione[7]: verum enim percipitur[u] in consideratione esse rei simpliciter, bonum vero in consideratione esse rei cum actu suo[v] sive utilitate, quia verum est in consideratione[x] esse rei simpliciter, bonum vero in consideratione esse rei cum actu suo, scilicet[y] secundum quod sic vel sic utilis. Dicendum ergo quod mala anima potest habere notitiam divinae veritatis ut est veritas[z], sed non notitiam divinae veritatis ut est bonitas; unde mali sunt in perceptione

---

[a] PVS om. [b] P *et*. [c] Ita L, alii *relinquit*. [d] P *noverit* pro *n. e.* [e] PV *numero*. [f] P add. *libro*. [g] Codd. *consubstantiali*. [h] Ita R, alii *proprie*. [i] PVS *intellige*; R *diffundit* pro *diffunditur*. [k] BRGL om. *n. i. S. S.* [l] S om. [m] V *indicatur* et om. *omne verum*. [n] PS repet. *est*, L (corr.) *perceptione* pro *participatione*, item subinde. [o] P om. [p] R *dilectionem*. [q] RGL *ministerio*. [r] G *principium*, quod P corr. [s] V om. *Animalis... Dei*. [t] BRL *nec*. [u] L *participatur*. [v] PV om. *in consideratione esse rei simpliciter... suo*, in S est add. mg.; PVSB *sine* pro *sive*. [x] PV add. *est*, quod S exp.; G om. *esse*. [y] BG om. [z] R *veritatis*.

1 Cap. 11, nn. 30-31 (PL 32, 1258).
2 Loc. cit., n. 32.
3 Ambrosiaster, in h. l. (PL 17, 245); ap. Lombard. in h. l. (PL 191, 1651).
4 *De div. quaest. 83*, q. 1 (PL 40, 11).
5 I Cor. 2, 14.
6 Cf. supra, p. 5b, *ad 1-4*.
7 Cf. supra, num. 88.

scientiae Dei, sed non sapientiae, ut patet de philosophis, Rom. 1,21: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* etc.

2. Ad illud [a] quod obicitur quod 'prima [b] veritas est summe delectabilis': dicendum quod verum est [c], sed non sequitur quod semper delectet. Sicut enim lux summe delectabilis est visui, tamen oculis aegris est odiosa, non delectabilis, ita lux primae veritatis, quantum est de se, summe est delectabilis, non tamen semper delectat quemlibet intellectum; non tamen hoc est propter defectum qui sit in ipsa, sed propter pravam dispositionem quae est in ipso intellectu. Dicendum ergo quod est intellectus speculativus et practicus; veritas autem prima delectat intellectum speculativum malorum, sed non practicum intellectum; delectat ipsos lux primae veritatis ut lucens, sed odio habent eam in quantum arguens, sicut dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [1].

459 ARTICULUS III.

Utrum perceptio sapientiae sit animae innata vel addita.

Deinde quaeritur utrum perceptio sapientiae innata sit animae vel addita.

Ad quod 1. Augustinus, II *De* [d] *libero arbitrio* [2]: « Sicut antequam beati simus, impressa est mentibus nostris notio bonitatis — per hanc enim sine dubitatione dicimus beatos nos esse velle — ita priusquam sapientes simus, sapientiae notionem in mente habemus impressam [e] per quam unusquisque nostrum, si interrogetur an velit esse sapiens, sine ulla dubitatione se velle respondet ». Ergo notio sapientiae est nobis innata.

2. Item, quod unum et idem est apud omnes, est naturale sive innatum; sed sicut dicit Augustinus [3]: « Si summum [f] bonum omnibus unum est, oportet etiam veritatem, in qua cernitur et tenetur et sapientiam omnibus unam [g] esse communem ». Ergo sapientia est innata.

Contra: *a.* Augustinus [4]: « Quanto magis in via vitae quis errat, tanto minus sapit [h]. Tanto enim magis longe est a veritate, qua cernitur et tenetur [i] summum bonum, quanto minus sapit ». Si ergo contingit errare plures, contingit longe esse a sapientia; sed ab eo quod innatum est, non est longe esse; ergo sapientiae notio non est innata.

b. Item, si notio sapientiae innata est, ergo quilibet [k] naturaliter sapiens est; sed hoc est falsum, quia, sicut dicit Augustinus [5], sapientes sunt perpauci [l].

c. Item, sapientia innata, si qua est, est respectu summe appetibilis, ut vult Augustinus, II libro *De libero arbitrio* [6]; sed diversi diversa sentientes de summe appetibili et illud ponentes diversum, variantur quantum ad sapientiam respectu illius [7]; sed si sapientia innata esset, una esset; ergo non est innata.

Respondeo: Est notio de re 'quia est' et 'quid est' [m] et 'quomodo est'. Notio sapientiae 'quia est' nobis est impressa naturaliter, quemadmodum notiones [n] beatitudinis et veritatis primae sunt nobis impressae. Notio vero sapientiae 'quid est' et 'quomodo est' non est nobis impressa [o], secundum quod dicitur [p] in libro *De libero arbitrio* [8]: « Sicut multa et diversa sunt quae in luce solis homines vident et eligunt ad fruendum, lux tamen in se una est: ita etsi [q] multa bona sunt, ex quibus eligat quisque [r] quod volet fieri, tamen potest esse ut lux ipsa sapientiae, in qua haec videri et teneri possunt, omnibus sapientia sit una communis ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum dicendum quod Augustinus loquitur de sapientia secundum quod concomitatur beatitudinem, « a qua magis distant qui magis errant [9] ». Quod patet per hoc quod subditur ibi ab Augustino [10]: « Summo [s] bono assecuto et adepto beatus quisque fit [t], quod omnes sine controversia volumus; ut ergo constat nos beatos esse velle, ita nos constat velle esse sapientes, quia nemo sine sapientia beatus est ».

2. Ad aliud dicendum quod omnes sunt sapientes naturaliter notione 'quia est sapientia', ut dictum est [11]. Unde Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [12]: « Sicut antequam beati [u] simus, mentibus tamen nostris impressa est notio bonitatis, ita priusquam sapientes simus, sapientiae notionem in mente habemus impressam [v] ».

---

[a] BRGL om. *a. i.* [b] V *illa.* [c] L om. [d] PVS *libro de Trinitate.* [e] BRGL *expressam.* [f] G om. [g] L om. [h] B om. *t. m. s.* [i] G om. *et sapientiam... tenetur.* [k] P *quelibet.* [l] L (corr.) *pauci.* [m] PVS om. [n] Codd. *notio.* [o] G add. *quod dicit Augustinus respondet,* quod BR del. [p] R exp. *s. q. d.* [q] Ita BG, alii *et etiamsi.* [r] BG om. [s] R *summe.* [t] L *fuit.* [u] G om. [v] L *expressam.*

1 Rectius *Confess.*, X, c. 23, n. 34 (PL 32, 794).
2 Cap. 9, n. 26 (PL 32, 1254 sq.).
3 Loc. cit., n. 27 (PL 32, 1255).
4 Loc. cit., c. 8, n. 16 (PL 32, 1254).
5 Loc. cit., c. 11, n. 31 (PL 32, 1258).
6 Cap. 9, n. 26 (PL 32, 1254 sq.).
7 Cf. Augustin., loc. cit.
8 Lib. II, c. 9, n. 27 (PL 32, 1255).
9 Loc. cit., n. 26 (PL 32, 1254), ad sensum.
10 Loc. cit.
11 Sub *Respondeo.*
12 Loc. cit.

MEMBRUM III. 460

De voluntate quae appropriatur Spiritui Sancto.

Consequenter inquirendum est[a] de appropriato Spiritui Sancto, quod est voluntas vel amor.

I. Circa quod quaeritur an Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto[1].

Quod probatur: 1. Per Augustinum, VI *De Trinitate*[2]: « Non est aliquis duorum quo uterque coniungitur, quo genitus a genitore diligatur genitoremque suum diligat ». Ergo Filius diligitur a Patre Spiritu Sancto et e converso; ergo diligunt se Spiritu Sancto.

2. Item, Hieronymus[3]: « Spiritus Sanctus est dilectio quam habet Pater in Filium et Filius in Patrem ». Ergo Spiritus Sanctus est dilectio Patris et Filii; sed diligentes diligunt dilectione sua; ergo Pater et Filius diligunt dilectione sua[b]; ergo Pater et Filius diligunt se[c] Spiritu Sancto.

3. Item, Spiritus Sanctus est nexus Patris et Filii[4]: aut ergo est nexus, quia amat Patrem et Filium aut quia est[d] amor quo Pater et Filius se diligunt aut quia Pater et Filius diligunt ipsum. Non[e] primo modo, quia non oportet quod si quis diligit aliquos duos, quod ipsi coniungantur amore, immo forte erunt inimici. Item, nec tertio modo, quia non est necesse quod si aliqui duo diligant aliquem tertium, quod ipsi diligant se et coniungantur amore. Relinquitur igitur quod ideo[f] dicetur nexus sive vinculum Patris et Filii[g] Spiritus Sanctus, quia est amor quo se[h] invicem diligunt Pater et Filius.

4. Item, omnes amantes diligunt amore suo; si ergo Spiritus Sanctus est amor Patris et Filii, et diligunt se, ergo diligunt se Spiritu Sancto.

Contra: *a.* Diligere dicitur de tribus personis; quidquid autem communiter dicitur de tribus, est essentiale, sicut dicit Augustinus[5]; ergo diligere est esse; si ergo diligunt se Spiritu Sancto, sunt Spiritu Sancto.

b. Item, diligere aliquem est velle ei bonum[6]; si ergo Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto, volunt sibi bonum Spiritu Sancto[i]; sed idem est Deo velle et esse, quemadmodum posse et scire; relinquitur igitur quod sunt Spiritu Sancto, si volunt sibi bonum Spiritu Sancto.

c. Item, cum dicitur 'Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto', 'diligere' aut dicitur secundum substantiam aut secundum[k] relationem. Si secundum substantiam, ergo illa est falsa; si secundum relationem, ergo dilectio significat relationem. — Contra: Dicit[l] in genere qualitatis; praeterea, non significat paternitatem nec filiationem nec processionem: quamvis[m] enim amor procedat, non tamen significat processionem.

d. Item, Augustinus[7] dicit hanc esse falsam 'Pater est sapiens sapientia quam genuit', quia ex hoc sequeretur quod esset per sapientiam quam genuit; ergo similiter non est concedendum 'Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto', quia ex hoc sequeretur quod essent Spiritu Sancto, cum idem sit diligere et esse sicut idem[n] sapere et esse.

Sed obicitur: Non videtur valere[o] argumentum 'diligit[p] per Spiritum Sanctum, et[q] diligere est idem quod esse, ergo est per Spiritum Sanctum': nam Pater operatur per Filium; operari vero idem est quod esse; ergo est per Filium. — Respondeo: Verum est, si dicatur 'Pater diligit Filium per Spiritum Sanctum', et 'diligere' idem est[r] quod esse, non sequitur: 'ergo est per Spiritum Sanctum'. Sed refert dicere 'Pater diligit Filium per Spiritum Sanctum' et 'Pater diligit per Spiritum Sanctum': nam in hac, cum dicitur 'Pater diligit', hoc ipsum 'diligit' tenetur essentialiter; cum autem[s] dicitur 'diligit Filium', tenetur notionaliter; in priori ergo commutatur 'ad aliquid' in 'quid': nam diligere Filium dicit 'ad aliquid', 'diligere' autem per se positum vel[t] cum dicitur 'Pater diligit se', sumitur essentialiter, et tunc non recipit determinationem.

II. Sed adhuc manet haec quaestio principalis si tales sunt concedendae 'Pater diligit Filium per Spiritum Sanctum' vel 'Spiritu Sancto'.

---

[a] BRGL *queritur* pro *i. e.* [b] Ita BR, alii om. *ergo... sua.* [c] P *de*, quod S, corr. [d] V om. [e] S om. [f] R *idem.* [g] PVS add. *et.* [h] G add. *ad.* [i] V om. *v. s. b. S. S.* [k] P om. *s. a. s.* [l] R (corr.) *dilectio est.* [m] G *quatenus.* [n] G om. [o] G om. [p] R *diligunt.* [q] L *ergo.* [r] P *esse.* [s] BRG om. [t] V *ut.*

1 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 32, c. 1 (p. 199 sq.); Petr. Pict., I *Sent.*, c. 21, (PL 211, 871 sqq.); Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 7 (f. 19a); Praeposit., *Summa*, I (f. 84c); S. Bonav., I *Sent.*, d. 32, a. 1, qq. 1 et 2 (I, 556 sqq.).

2 Cap. 5, n. 7 (PL 42, 928).

3 *In Psalm. 17*, n. 1 (PL 26, 863).

4 Cf. supra, num. 308.

5 Haec sententia ab Augustino in toto libro V *De Trinit.* exponitur (PL 42, 911 sqq.).

6 Cf. Aristot., *Moral. Eudem.*, VII, c. 2 (II, 222); *Rhetor.*, II, c. 4 (I, 351).

7 *De Trinit.*, VII, c. 1 (PL 42, 935).

a. Non enim expresse habentur istae ab Augustino, in libro *De Trinitate*, sed haec habetur[1]: « Pater et Filius diligunt se invicem amore qui est Spiritus Sanctus ». Licet autem idem sit amor quod Spiritus Sanctus, non propter hoc sequitur: si diligunt se amore suo, quod diligant se Spiritu Sancto; amor enim nominat per modum vinculi amantium — « quid enim amor, secundum Augustinum, in eodem libro[2], nisi copula amantis cum amato? » — Spiritus Sanctus vero nominat ut procedentem a Patre et Filio spirando. Sic ergo alter est modus dicendi, cum dicitur 'Spiritus Sanctus' et cum dicitur 'amor Patris et Filii'.

b. Praeterea, etsi haec concederetur 'Pater et Filius diligunt se invicem Spiritu Sancto', non tamen haec 'Pater et Filius diligunt se invicem per Spiritum Sanctum'[a]. Cum enim dicitur 'per Spiritum Sanctum', notatur aliqua ratio principii per praepositionem talem respectu alicuius positi in locutione; sed Spiritus Sanctus non est principium Patris aut Filii diligentium ad invicem vel dilectionis qua se invicem diligunt; tunc enim esset principium sui ipsius vel communis notionis, quae dicitur de Patre et Filio: quorum[b] quodlibet est falsum. Cum autem dicitur 'Pater diligit Filium Spiritu Sancto', non significatur ratio alicuius principii et propter hoc non sequitur: si Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto, quod diligunt se per Spiritum Sanctum.

[Solutio]: Magistri autem concedunt hanc 'Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto', sed dissentiunt in determinatione ablativi. Est enim ablativus ostensivus signi secundum quosdam[3], ut sit sensus: Spiritus Sanctus, procedens a Patre et Filio, signum est quod se diligunt. — Sed contra hoc obicitur: similis est ratio in hac 'duo amici diligunt se amore' et in hac[c] 'Pater et Filius diligunt se amore'; sed non est ratio signi ibi denotata; ergo nec hic: quod enim dicuntur diligere se invicem Spiritu Sancto, hoc est ratione amoris qui est Spiritus Sanctus.

Alii vero dicunt quod cum dicitur 'Pater et Filius diligunt se per Spiritum Sanctum', per praepositionem notatur subauctoritas secundum Praepositinum[4]. — Sed contra: in Spiritu Sancto non est subauctoritas[d] nisi respectu creaturae; sed hic[e] nihil dicitur respectu creaturae, sed respectu Filii; et ideo non potest in hoc sermone notari subauctoritas per Spiritum Sanctum.

Alii[5] dicunt quod notatur formalis constructio per ablativum, sicut si diceretur 'isti duo homines diligunt se amore communi sive dilectione'[f]. — Sed contra: Spiritus Sanctus non est causa formalis vel ratio Patris et[g] Filii vel alicuius in Patre et Filio; tunc enim aliquo modo cederet in ratione principii respectu Patris et Filii. — Item, si dicatur quod ablativus significat Spiritum Sanctum ut formam, non tamen ut causam formalem – obicitur: nam si dicitur forma respectu Patris et Filii, ergo aliquam proprietatem formae tenebit; formae autem est continere, unire, perficere; nullum autem horum dicitur de Spiritu Sancto respectu Patris et Filii. Nam si dicatur 'Spiritus Sanctus est unitas Patris et Filii', cum[h] unitatis sit unire, non propter hoc Pater et Filius uniuntur: illa enim uniuntur[i] quae fiunt unum; nihil autem fit[k] unum in divinis personis, ut dicit Bernardus[6]; si enim Pater et Filius essent unum, cuius esset illud facere? Praeterea, omne[l] fieri concomitatur tempus; divinae autem personae sunt ante omne tempus; non ergo earum est uniri, similiter nec perfici nec contineri. Et generaliter omnis forma dicit semper rationem principii et causalitatis respectu eius cuius dicitur forma. Si ergo formaliter accipiatur ablativus, cum dicitur 'Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto', significabitur quod Spiritus Sanctus est causa vel principium aliquo modo amoris[m] Patris et Filii. Item, licet dicatur in Scriptura Spiritus Sanctus nexus Patris et Filii, non tamen invenitur quod Spiritus Sanctus connectat Patrem et Filium.

Fuerunt qui dixerunt quod hoc verbum 'diligere' accipitur duobus modis: aliquando enim accipitur essentialiter, aliquando notionaliter. Essentialiter, ut[n] cum dicitur 'Pater et Filius diligunt se essentia sua'; notionaliter, ut cum dicitur 'Pater et Filius diligunt se[o] Spiritu Sancto'; unde ipsum 'diligere' notat spirationem. Unde sic exponunt istam 'Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto': id est spirant Spiritum Sanctum[p] a se; et illam 'Pater diligit Filium Spiritu Sancto': id est spirat Spiritum Sanctum ad illum; et 'Filius diligit Patrem Spiritu Sancto': id est spirat Spiritum Sanctum a Patre, et iste ablativus 'Spiritu Sancto' dicit in ratione eius quod est de principio, non in ratione principii; similiter 'diligunt nos Spiritu Sancto': id est spirant Spiritum Sanctum ad nos.

---

[a] R om., V om. *invicem*. [b] PV om., in S est add. mg. [c] V om. *duo... hac*. [d] G om. *secundum... subauctoritas*, in V est add. mg. [e] R om. [f] G *sine delectatione* pro *s. d.* [g] BR *vel*. [h] BRGL *et*. [i] PVS om. *i. e. u.* [k] G *est*. [l] S *esse*. [m] L om. [n] BRG om.; L om. *e. u.* [o] B om. *essentia... se*. [p] BRG om.

[1] *De Trinit.*, XV, c. 19, n. 37 (PL 42, 1086).

[2] Lib. VIII, c. 10, n. 14 (PL 42, 960).

[3] Inter quos Simon Tornac., *Summa*, Paris., Bibl. Nation. cod. lat. 14886, fol. 18b: « Nec Pater Filium nec Filius Patrem Spiritu Sancto diligunt, sed Spiritus dicitur amor Patris et Filii, quia eo ipso quod Spiritus eadem singulari spiratione spiratur ab eis, signum est, non causa, amoris eorumdem indissolubilis ».

[4] *Summa*, I (f. 84c).

[5] Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 7 (f. 19d).

[6] Cf. *De consider.*, V, c. 7, n. 17 (PL 182, 798).

Secundum istos fuerunt quidam [a] [1] qui dixerunt [b] quod diligere in Deo est duobus modis et amor, scilicet naturale et gratuitum. Diligere naturale est essentiale; unde hoc modo accipitur cum dicitur 'Pater et Filius diligunt se essentia', formaliter loquendo: et istud 'diligere' est esse; diligere autem gratuitum est notionale; unde nihil aliud est quam spirare amorem, et hoc modo Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto, formaliter etiam [c] loquendo. Sed istorum opinio videtur in parte destrui rationibus praedictis.

Propterea [d] videtur dicendum quod Spiritus Sanctus est amor quo Pater et Filius diligunt se [e] ad invicem, nec tamen sequitur quod diligant se Spiritu Sancto vel per Spiritum Sanctum: hoc enim ponit Augustinus [f], XV *De Trinitate* [2], neque ponit alterum illorum; sermones autem [g] Sacrae Scripturae circa unitatem divinae essentiae et Trinitatem personarum non sunt extendendi, maxime cum altera sit ratio dicendi cum dicitur [h] 'Spiritus Sanctus' et cum dicitur 'amor Patris et Filii'. Nam 'Spiritus Sanctus' nomen proprium personae est, 'amor' autem appropriabile, et est appropriatum cum dicitur 'amor Patris et Filii'. Bene ergo [i] dicuntur diligere se amore: diligere enim et amor sunt unius condescensionis; si enim diligere essentialiter, et amor; si diligere notionaliter, et amor; sed non convertitur, ut [k] si haec est vera 'diligunt se amore qui est Spiritus Sanctus', non convertitur: 'ergo per amorem'. 'Per' enim notat rationem principii respectu alicuius positi in sermone, ut 'Pater operatur per Filium'; 'per' notat rationem principii respectu operati [l]; et cum dicitur 'Filius operatur per Patrem', 'per' notat rationem principii et respectu operantis et [m] respectu operati: est enim principium Filii et creaturae. Hic autem neutro modo est sumere rationem principii: non enim Spiritus Sanctus principium est Patris et Filii nec dilectionis quae ei attribuitur vel qua se diligunt.

Si vero quaeritur cuiusmodi habitudo sit notata in ablativo: dicendum quod non causae formalis, sed quasi formae existentis in [n] iis quorum est quasi forma in quantum diligunt; vinculum enim vel nexus vel copula cedit in rationem formae respectu eorum quorum est vinculum [o] vel copula.

Si vero quaeritur, cum 'diligere se invicem Spiritu Sancto' non praedicetur secundum substantiam de Patre et Filio, praedicabitur secundum relationem. Quod autem non secundum substantiam, patet: quia [p] non convenit Spiritui Sancto. Si praedicatur secundum relationem, praedicabitur secundum relationem sicut hoc verbum 'referri' aut 'distingui'; erit ergo notio, quae est spiratio, data intelligi per hoc verbum 'diligere'; quare haec erit vera 'Pater et Filius spirant [a] Spiritu Sancto': quod falsum est [b]. Praeterea, diligere est habere communem voluntatem; sed [c] Pater et Filius hoc non habent Spiritu Sancto; qualiter ergo haec erit vera 'diligunt se ad invicem Spiritu Sancto?' — Respondeo [d]: Non sequitur: 'diligunt se invicem Spiritu Sancto, ergo spirant se Spiritu Sancto'; 'spirare' enim dicit respectum ad Spiritum Sanctum ut procedentem a Patre et Filio; diligere autem dicit respectum ad ipsum [e] ut est nexus et amor, et ita licet eadem notio designetur, non tamen eodem modo, et est deceptio quasi secundum accidens in huiusmodi argumentationibus.

Si vero quaeratur quae sunt verba quae recipiunt determinationem huius ablativi: dicendum quod illa quae pertinent ad unitatem, sicut haec 'coniunguntur, copulantur, diligunt et [f] volunt'; sed dilectione diligunt, volunt voluntate communi, copulantur copula, coniunguntur nexu aut vinculo.

[Ad obiecta]: 1-4. Ex iis patet solutio ad quaesita. Quae enim dicunt 'Patrem et Filium diligere se Spiritu Sancto' exponi habent sic: id est diligunt se dilectione quae est Spiritus Sanctus. Sicut enim dictum est, istae locutiones 'Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto' sive 'per Spiritum Sanctum' proprie loquendo falsae [g] sunt, nec absolute concedi debent, immo exponendae sunt [h], ut dictum est [3]. In huiusmodi vero [i] argumentis 'Pater et Filius diligunt se amore qui est Spiritus Sanctus, igitur diligunt se Spiritu Sancto', est peccatum secundum accidens. — Praeterea, amor [k] uno modo dicit essentiam, alio modo dicit [l] proprietatem: amor enim, prout est absolute voluntas boni, dicit essentiam et est essentiale; prout autem est [m] voluntas procedens, dicitur per proprietatem et est proprie Spiritus Sanctus. Unde in huiusmodi argumentis 'Pater et Filius diligunt se dilectione quae est Spiritus Sanctus, sed diligere in divinis idem est quod esse, igitur sunt [n] dilectione quae est Spiritus Sanctus', uno modo est commutatio praedicamenti, scilicet si 'dilectio' in prima dicit dilectionem essentialem, in ultima notionalem; sed si in utraque essentialem, vera est conclusio et concedenda; cum autem dicitur 'Pater et Filius diligunt se dilectione quae est Spiritus Sanctus', quod dico 'dilectione' potest dicere essentiam vel proprietatem, ut dictum est [4].

---

[a] PVS om. [b] BRGL *distinxerunt.* [c] PVS om. [d] G *preterea.* [e] V om. [f] BRGL add. *in.* [g] P *aliter.* [h] P om. [i] BG om. [k] BG *et,* quod R corr. [l] PVS *operari.* [m] P om. [n] BRGL *ab.* [o] P add. *vel nexus;* BRGL *aut pro vel.* [p] PVS om. [a] P *spirat.* [b] S om. [c] P *scilicet.* [d] R *responsio.* [e] G *Spiritum Sanctum.* [f] PVS om. [g] G om. [h] BRG om. [i] G *ergo.* [k] B add. *enim.* [l] R om. [m] PVS om. [n] S add. *in.*

1 Guil. Altissiod., loc. cit.
2 Cap. 7, n. 12 (PL 42, 1065).
3 Cf. supra, p. 656b et sq.
4 Cf. supra, p. 657a.

461

QUAESTIO IV.

DE APPROPRIATIONE VERBORUM APOSTOLI: EX IPSO ETC.

Consequenter quaeritur de appropriatione verborum Apostoli [1]: *Ex ipso et per ipsum et in ipso* [2].

Ad quod sic: *a.* Augustinus, in libro *De Trinitate* [3]: « *Ex ipso* dicit propter Patrem, *per ipsum* dicit propter Filium, *in ipso* propter Spiritum Sanctum; per hoc vero quod non ait [a] 'ex ipsis et per ipsos et in ipsis' nec ait [b] 'ipsis gloria', sed 'ipsi', insinuavit hanc Trinitatem unum Deum esse ».

Contra: 1. Eadem est omnino causalitas trium personarum respectu creaturae. Si ergo '*ex, per, in*' [c] dicunt circumstantias causalitatis, convenit aeque tribus personis.

2. Item, ad idem Ambrosius, in libro *De Spiritu Sancto* [4]: « Haec tria '*ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia*' unum esse supra diximus. Cum dixit *per ipsum* esse omnia, negavit in ipso esse omnia? Eamdem vim habent omnia haec, scilicet *in ipso et cum ipso* [5] *et per ipsum*, et unum in iis atque consimile omnino, non contrarium intelligitur ». Ex iis habetur quod ex eadem intelligentia Scriptura dicit omnia esse *in ipso et per ipsum et ex ipso* vel *cum ipso*.

Respondeo: 1-2. Verum est: secundum propriam significationem praepositionum aeque conveniunt tribus, sicut dicit Ambrosius, tamen significatio appropriatur hac ratione: quia '*ex*' est nota primi principii, Pater autem est primum principium sine principio, et ideo '*ex*' notat Patrem ut proprie est principium; '*per*' vero est nota principii quo fit operatio, ut instrumentum agentis, ut artifex operatur per securim vel per dolabram, vel est nota principii quo est operatio tamquam medii inter agentem et actionem, ut artifex operatur per artem vel per sapientiam, et sic notat Filium tamquam principium de principio, per quod omnia facta sunt; '*in*' vero nota continentiam: continentia vero omnis bonitatis est quae attribuitur Spiritui Sancto, et sic nota Spiritum Sanctum. Unde sensus est: *ex ipso* Patre creata sunt omnia *per* summam sapientiam sive per Filium *in* summa bonitate seu Spiritu Sancto. Et nota quod septem modis in Scripturis ostenditur distinctio personarum: significatione, suppositione, consignificatione, modo loquendi, connotatione, numero verborum et ordine. Significatione, ut Pater et Filius et Spiritus Sanctus; suppositione, ut 'Deus generat Deum'; consignificatione, plurali scilicet, ut *heloim*, id est divinae personae; connotatione, ut in iis verbis 'mittere, mitti, dare, dari'; modo loquendi ut *Verbo Domini* [6] etc. [d]; numero verborum, ut *Sanctus, sanctus, sanctus* [7]; ordine verborum ut *Benedicat nos Deus, Deus noster* [e] [8].

---

[a] G *aut.* [b] S *aut.* [c] P repet. *in.* [d] BRG *et cum.* [e] B om., V om. *Deus*, G om. *D. n.*

1 Rom. 11, 36.
2 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 36, c. 3 (p. 227 sq.).
3 Lib. I, c. 6, n. 12 (PL 42, 827); cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 1493), et *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 114, 510).
4 Lib. III, c. 11, n. 84 (PL 16, 796), ad sensum.
5 Col. 1, 16.
6 Cf. Psalm. 32,
7 Isai. 6, 3.
8 Psalm. 66, 7.

TRACTATUS TERTIUS

DE NOMINIBUS NOTIONALIBUS

SECTIO I. — De nominibus notionalibus in generali.

QUAESTIO UNICA.

Expedito per Dei gratiam de nominibus essentialibus et personalibus, consequens est quaerere de nominibus notionalibus. Et primo est inquisitio in generali, secundo in speciali. In generali autem [a] quaerenda sunt ista:

Primo [b], an sit ponere notiones in divinis personis;

secundo, an sit ponere notiones, proprietates et relationes, et quid sint secundum rationem intelligentiae;

tertio, de numero notionum;

quarto, si idem est numerus notionum, proprietatum et relationum;

quinto, de comparatione proprietatum et notionum [c] ad personas et essentiam.

MEMBRUM I.

De positione notionum.

De positione notionum quaeruntur duo:
Primo, an sit ponere notiones;
secundo, an sit licitum contraria ponere de notionibus.

CAPUT I. 462

AN SIT PONERE NOTIONES [1].

Ad primum sic: 1. Dionysius, *De divinis nominibus* [2]: « Universaliter non audendum est dicere aliquid de superexcellenti deitate praeter quod [d] in divinis Scripturis invenitur expressum »; sed in Scripturis non invenitur expressum [e] de notionibus; ergo nullo modo est dicere notiones in divinis.

2. Item, in divinis non differunt 'quod est' et 'quo est' [3], 'Deus' et 'deitas', et hoc propter simplicitatem divinae essentiae; ergo in divinis non differet 'quo est' et 'quis [f] est' propter simplicitatem divinae personae; ergo nec Pater et paternitas; sicut ergo ad essentiam pertinet et ad modum dicendi essentialem 'Deus' et 'deitas' [4], sic ad personam et ad modum dicendi personalem pertinebit 'Pater' et 'paternitas'; ergo non erit dicere paternitatem in alia ratione dicendi quam Patrem; ergo nihil erit dicere in divinis notionaliter, ut scilicet diversus modus a ratione dicendi personaliter.

3. Item, sicut Deus se ipso est, ita se ipso distinguitur; similiter cum Pater se ipso sit, se

---

[a] V add. *concedenda vel.* [b] BRL om. [c] G om. *proprietatum et... notionum.* [d] G *quam.* [e] R om., G om. *non,* V om. *sed... expressum.* [f] PVSG *quo,* L *quid.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 26, a. un., q. 1 (I, 451sqq.).
[2] Cap. 1, § 1 (PG 3, 587, PL 122, 1113).
[3] Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).
[4] Cf. supra, num. 358.

ipso distinguitur a Filio; ergo cum paternitate distinguatur, non differet paternitas et Pater in ratione intelligentiae.

4. Item, prima simplicia se ipsis differunt; sed Pater et Filius sunt prima simplicia; ergo se ipsis differunt; ergo non est ponere quod differant notionibus vel proprietatibus.

5. Item, in divinis, secundum Augustinum, *De Trinitate* [1], et Boethium [2], non sunt nisi duo praedicamenta: secundum substantiam et [a] secundum relationem, ut cum dicitur 'Deus bonus', dicitur [b] secundum substantiam, cum vero dicitur 'Pater et Filius', secundum relationem; ergo non erit ponere tertium secundum notionem vel proprietatem.

Contra: *a.* Augustinus [3] dicit: « Proprium est Patri generare et proprium [c] Filio generari et proprium Spiritui Sancto [d] est procedere ». Ergo alia est proprietas qua Pater generat et alia qua Filius generatur etc.

b. Item, in Praefatione [4]: « In personis proprietas, in essentia unitas » etc. Ergo aliqua est proprietas in personis nec videtur magis concedendum [e] quod una quam quod plures; ergo plures sunt ibi proprietates.

c. Item, Hieronymus [5]: « Confitemur non tantum [f] nomina, sed etiam nominum proprietates, id est personas ». Ergo ibi sunt proprietates.

d. Item, Ioannes Damascenus [6] dicit: « Idiomata sunt caracteristica, id est [designativa] hypostaseos et non naturae », id est proprietates. quae sunt determinativae personarum et non naturae; ergo aliquae proprietates sunt quibus determinantur personae.

e. Item [g] [7], « singula hypostaseon perfecta est et propriam proprietatem, id est proprium existentiae modum, possidet »; sed [h] non sunt [i] notiones.

f. Item [8], cum dicitur 'Pater generat Filium', hoc verbum 'generat' non significat pure nisi Patrem: idem [k] prorsus significatur per hoc quod dico 'generatio' et per hoc quod dico 'Pater'; eodem modo sequitur quod cum dico 'Pater spirat Spiritum Sanctum', hoc verbum 'spirat' mere [l] significat Patrem; ergo ista duo verba 'generat, spirat' idem significant; ergo istae duae propositiones prorsus idem significant 'Pater generat Filium', 'Pater spirat Spiritum Sanctum'.

g. Item, quaeritur quare dicit Augustinus [9] quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti. Oportet enim quod ipse hoc dicat propter unam notionem communem Patri et Filio; oportet igitur quod una sit notio communis quae non sit paternitas, et ita ea supposita non supponitur paternitas; sed supposita paternitate supponitur Pater et e converso; ergo supposita illa communi notione non supponitur Pater; erunt igitur differentes notiones.

h. Item, Pater generat Filium; ergo Pater aliquo modo [m] se habet ad Filium — et est locus a definitione, quia relativorum esse est ad aliud quodam modo se habere [10] — similiter Pater spirat Spiritum Sanctum [n]: eodem modo Pater se habet ad Filium quo ad Spiritum Sanctum vel alio modo. Si dicatur quod eodem modo prorsus: sed ad Filium se habet ut Pater; ergo ad Spiritum Sanctum se habet ut Pater. Si dicatur quod [o] alio modo: sed ille alius modus non est nisi notio aliqua [p]; ergo diversae notiones sive relationes sunt in Patre respectu Filii et Spiritus Sancti.

Respondeo: Notandum quod praedictis rationibus inductus Praepositinus [11] dixit nullas esse notiones nisi in modo loquendi; unde concedit de paternitate quod de Patre, et de filiatione quod de Filio. Et probabilitas huius opinionis [q] apparet, quia sicut Deus, cum sit omni modo simplex, se ipso cognoscit, se ipso creat, ita Pater se ipso distinguitur, se ipso refertur ad Filium, et ideo [12] « cum dicitur 'paternitas est in Patre' vel 'Pater paternitate distinguitur a Filio', modi loquendi sunt, et est sensus: paternitas est in Patre, id est Pater est Pater, sicut cum dico 'rogo dilectionem tuam', id est 'te dilectum', et in similibus simile ».

---

[a] Ita SL, alii om. [b] G om. [c] BRG add. *est.* [d] S add. *que*, V om. *est.* [e] B add. *quam.* [f] V add. *omnia.* [g] BR *idem*; PV om. *singula*, in S est add. mg. [h] PVS *si.* [i] PVSL *sint.* [k] S *item.* [l] V om. [m] G om. [n] R om., in SB est add. interl. [o] V om. [p] BRG om. [q] G *questionis*, quod L corr.

1 *De Trinit.*, V, c. 5 (PL 42, 913 sq.).

2 *De Trinit.*, c. 4 (PL 64, 1252).

3 Fulgent., *De fide ad Petrum*, c. 2, n. 7 (PL 40, 755). Pro sequentibus cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 84a).

4 Praefatio SS. Trinitatis.

5 Cf. *Expositio fidei* (PL 22, 357 et PL 39, 2181 et PL 45, 1717), est *Libell. fidei Pelagii*. Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 33, c. 1 (p. 207).

6 *De fide orthod.*, III, c. 6 (PG 94, 1002).

7 Damasc., loc. cit., c. 5 (PG 94, 1002).

8 Sequentia argumenta, usque ad *Respondeo*, occurrunt fere verbotenus ap. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 5, q. 1 (f. 14bc sq.); cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 84a).

9 *De Trinit.*, V, c. 14 (PL 42, 920).

10 Cf. Aristot., *De categor.*, c. 5 (I, 9).

11 Loc. cit. (f. 83d): « Ex praedictis innotuit diversas esse opiniones de proprietatibus. Quidam enim, ut dictum est, pene infinitas in Deo constituunt proprietates, ut Magister Gilbertus; quidam sex, ut Magister Gandulphus; quidam quinque, ut Magister Petrus Lombardus; quidam tres, ut Magister Robertus [de Belmonte seu de Monte, cf. f.83c]; quidam nullam, in qua sententia dicitur fuisse Magister Ivo Carnotensis, et huic opinioni consentimus ». Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 14a).

12 Sequentia verbotenus sunt ap. Praeposit., loc., cit. (f. 83d et 84a); cf. Guil. Altissiod., loc. cit.

Ad obiecta vero respondet per ordinem. *a.* Primo ad primum dicens « quod auctoritas Augustini sic est intelligenda: "Proprium est Patri generare", id est solus Pater generat, et sic in aliis. Unde Hilarius[1]: "Proprium est Patri quod semper est Pater, proprium est Filio quod semper est Filius, proprium est [a] Spiritui Sancto quod semper est Spiritus Sanctus; ergo alia est proprietas" etc. Haec auctoritas exponatur ut praemissa: solus Pater est Pater etc. ».

b. « Similiter secunda auctoritas est exponenda: "In personis proprietas, in essentia unitas et in maiestate adoretur aequalitas [b]", id est personae quae sunt distinctae et sunt unum in essentia et aequales in maiestate adorentur [c] ».

c. Ad aliud dicendum quod illa « auctoritas Hieronymi est contra eos qui dicunt quod proprietates non sunt personae et contra alios [d] qui ponunt notiones. Si enim diligenter attendatur, apparebit quod non dixit: confitemur [e] proprietates personarum, sed "nominum", et proprietas nominis dici solet eius significatio. Est ergo sensus: "confitemur non tantum nomina, sed etiam proprietates nominum, id est personas", id est significationes; quae [f] autem sint nominum significationes, exponit cum addit "id est personas"; sic ergo personae sunt significata istorum nominum [g] 'Pater, Filius, Spiritus Sanctus' ».

d. Ad auctoritatem Damasceni dicendum: cum dicit "idiomata sunt caracteristica" etc. [h], hoc est dictu quod « personae ad invicem distinguuntur, sed non natura ab aliqua earum, et in hoc intelligimus differentiam quod Pater est Pater, Filius est Filius et Spiritus Sanctus ab utroque procedit ».

e. Ad aliam dicendum « quod exponi debet, cum dicit quod quaelibet persona "proprium existentiae modum possidet", id est quaelibet persona ita [i] est una substantia quod non est alia. — Et si obicitur sic: Nulla proprietate Pater distinguitur a Filio nec Filius a Patre et Pater idem est Filio in essentia, ergo Pater est Filius[2] » — dicendum [k] quod non sequitur, quia se ipsis differunt hypostases et non proprietatibus, alioquin ratio procederet [l] in infinitum: in proprietatibus enim se ipsis differunt ipsae personae.

h. Ad aliud [m] quod obicitur[3] « quod 'Pater eodem modo se habet ad Filium et ad Spiritum Sanctum; sed ad Filium se habet ut Pater' etc.: dicendum quod licet, quantum in se est, eodem modo se habeat ad Filium et ad Spiritum Sanctum, scilicet [n] propter suam simplicitatem, tamen diverso modo se habet ad illos quantum quasi ad plures effectus. — Instantia: Deus, in quantum in se est, se [o] habet ad omnes homines eodem modo; sed ad bonos se habet ut pater spiritualis; ergo ad malos se habet eodem modo [p]. Si autem proponat generaliter sic [q]: 'prorsus eodem modo se habet Pater ad Filium et ad Spiritum Sanctum' [r], neganda est haec, sicut haec 'Deus prorsus eodem modo se habet ad bonos homines et ad malos' ».

f. Ad aliud dicendum quod « ista duo verba 'generat, spirat' quantum ad Deum Patrem idem significant, sed connotant diversa ex modo significandi, sicut ista duo nomina 'Creator, Dominus', dicta de Deo, idem significant quantum ad Deum, tamen connotant diversa ex modo significandi ».

g. Ad ultimum dicendum « quod haec est vera 'Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti' eodem modo loquendi quo Spiritus Sanctus dicitur *multiplex*[4] propter diversos effectus, eodem modo, quasi [s] propter unum effectum quem habet Pater et Filius, qui est Spiritus Sanctus, dicuntur unum principium et quia [t] eodem modo prorsus procedit ab eis Spiritus Sanctus per modum benignitatis[5] ».

Secundum communem Magistrorum opinionem ponuntur notiones in divinis personis nec vane, sed vere. Cum enim intelligatur divinum esse vere, una est [u] essentia in tribus habentibus illam in propria habitudine, quae est originis — ut [v] in Patre essentia est non ab alio, in Filio eadem essentia, sed per generationem a Patre, in Spiritu Sancto per processionem ab utroque — tres rationes intelligentiae et dicendi ex hoc erunt: una, qua [x] significabitur essentia communis; alia, qua significabitur hypostasis sive persona habens essentiam sub proprietate sive habitudine incommunicabili; alia, qua significabitur ipsa proprietas habitudinis. Triplex enim quaestio circa hoc nascitur: quid, quis, quomodo, ut quaerentes de aliqua persona 'quid est', respondebitur nomen significans essentiam, ut Deus; quaerentes 'quis est', respondebitur nomen significans hypostasim, ut Patrem vel personam; quaerentes 'quomodo se habet haec persona', respondebitur

---

[a] L om. [b] B *etc.* pro *e. i. m. a. a.* [c] PVS *adorantur.* [d] G *illos.* [e] V om. [f] PVSL *quod.* [g] BRGL om. [h] PVS add. *dicendum quod.* [i] PVS om. [k] L om., BRG *respondeo.* [l] PV *procedet.* [m] S add. *dicendum.* [n] G *solum,* BR add. *solum.* [o] V om. [p] PV om. *sed... modo,* in S est add. mg. [q] G *sicut.* [r] V add. *scilicet.* [s] BG *id est;* S add. *ratio.* [t] PVS om. *e. q.* [u] BRGL om. [v] R om. [x] P om.

[1] *De Trinit.,* XII, n. 23 (PL 10, 447).

[2] Hucusque verbotenus ap. Praeposit., cetera, sub *dicendum,* ad sensum.

[3] Sequentia, usque ad *Secundum communem Magistrorum opinionem* exclusive, verbotenus occurrunt apud Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 5, q. 6 (f. 16bc).

[4] Cf. Sap. 7, 22.

[5] Hucusque Guil. Altissiod., loc. cit.

proprietas vel relatio, ut generans vel genitus, quamvis aliqui dicant quaestionem de notione quaestionem 'quae'.

Notandum ergo quod habitudo vel proprietas, quae est notio, aliquando significatur in adiacentia, ut nominaliter adiective vel verbaliter [a] vel participialiter, ut cum dicitur 'irascibilis, generare, generans'; aliquando in subsistentia, ut substantive, 'paternitas, filiatio, innascibilitas, nativitas', per quae nomina fit sermo de habitudinibus et proprietatibus. Hinc est quod quaestio de notione potest poni differenter. Nam cum quaeritur notio in subsistentia, respondetur 'quae', ut [b] 'quae est notio Patris?', respondetur: paternitas. Cum vero quaeritur in adiacentia, et hoc cum quaeritur ut notio, respondetur 'quomodo', ut [c] 'quomodo se habet Pater ad Filium?', et respondetur: ut generans.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo obiectum dicunt quod B. Dionysius dicit non audere [d] dicere, id est asserere sive affirmare; ea autem quae ponuntur a Magistris de notionibus non dicuntur per assertionem, sed per aestimationem fidelem iuxta sensum fidei orthodoxae et traditiones Sanctorum. Nomen enim proprietatis ponitur secundum Sanctos; unde Damascenus: « Non differunt ab invicem hypostases secundum substantiam, sed secundum caracteristica idiomata », id est determinativas [e] proprietates. Nomen vero relationis ab Augustino, V *De Trinitate* [1]: « Relative dicitur [f] genitor, genitus, Verbum et Imago ». Nomen vero notionis [g] ponitur ab Augustino, V libro *De Trinitate* [2]: « Sicut Filius ad Patrem, sic [h] genitus ad genitorem referetur, et sicut Pater ad Filium, sic genitor ad genitum », ideoque alia est notio qua intelligitur genitor, alia qua genitus.

2. Ad secundum dicendum quod quamvis secundum rem non differant 'quod est' et 'quo est' in divinis et 'quod [i] est' et 'quis est', tamen secundum rationem intelligentiae ex parte 'quis est', id est personae, ponitur existentiae proprius modus, quo ipsa persona est, sicut Pater paternitate vel generatione Pater est. Et in veritate ita in re est quod quaelibet persona, sicut dicit Damascenus, « proprium [k] existentiae modum possidet »; et cum sit significare illum modum proprium, non significabitur ut essentia, quae communis est, nec ut persona, cuius ipse modus est; significabitur igitur ut habitudo vel proprietas, quia sic intelligitur et est. Erit igitur triplex ratio dicendi secundum differentem intelligentiae rationem: ratio dicendi essentialiter, personaliter, notionaliter; non tamen proprius modus ponitur ex parte 'quod est', id est substantiae, qui scilicet modus sit essentia quo substantia [l] sit, ut Deus deitate; et ideo quamvis ex parte 'quod est' et 'quo est' non sit huiusmodi differentia, est tamen ex parte 'quis est' et 'quo est'.

3. Ad tertium dicendum quod quamvis Pater [m] se ipso distinguatur, tamen distinguitur [n] proprietate; proprietas enim non ponit in numerum cum persona, immo proprietas personae est ipsa persona, ut paternitas Pater, et tamen aliquid attribuitur uni quod non alteri. Sicut quidam ponunt quod unitas, quae est principium numeri [3], proprietate suae simplicitatis differt ab alia unitate, et tamen se ipsa differt et proprietas simplicitatis ipsa unitas est.

4. Ad quartum iam patet responsio quod 'differre se ipso' non excludit differre habitudine sua in simplicibus, ut punctus medius circuli, quod est centrum, differt a quolibet puncto ex centro et se ipso et proprietate suae habitudinis, quae est quod ab ipso ductae lineae ad circumferentiam sunt aequales [4]. Multo magis in divinis personis 'differre se ipso' in persona non excludet differre proprietate suae habitudinis.

5. Ad ultimum dicendum quod in divinis primam differentiam dicendi facit substantia et relatio; secundam [o] vero differentiam substantia communis personae, proprietas sive notio. Substantia est indistincta et absoluta, persona distincta, relata, notio et proprietas distinguens et referens. Est igitur in nomine communis essentiae significata substantia, non relatio; in nomine notionis significata relatio et non substantia; in nomine personae significatio substantiae et relationis: persona enim est hypostasis proprietate distincta, quae quidem proprietas est relativa.

Notandum ergo [p] quod relatio tribus modis significatur: significatur enim relatio personaliter [q] per nomina fixa [r], concreta, ut 'Pater, Filius', cum accipiuntur substantive; significatur etiam quasi essentialiter per nomina abstracta [s] 'paternitas, filiatio'; significatur tertio relative per nomina adiectiva 'generans, genitus' vel 'Pater et Filius', cum accipiuntur adiective.

---

[a] P *adverbialiter*. [b] R *et*. [c] G *et*, R om. *q. u.* [d] BRGL *audeo*. [e] PVS *determinatas*. [f] PVSL *dicuntur*. [g] PVS *vocationis*. [h] V om. [i] GL *quis*, quod B exp.; P om. *est*. [k] R *proprie*. [l] S *substantia quo essentia* pro *e. q. s.* [m] V om. [n] BG om. *t. d.* [o] PVSB *secundum*. [p] RGL add. *est*. [q] B *personarum*. [r] P om. [s] L add. *ut*.

1 Cap. 13 (PL 42, 920).
2 Capp. 6 et 7 (PL 42, 914 sq.).
3 Cf. Aristot., *Metaph.*, IX, c. 1 (II, 574).
4 Cf. Euclid., *Geometria*, n. 3 (f. 16).

CAPUT II. 463

AN SIT LICITUM PONERE CONTRARIA DE NOTIONIBUS.

Consequenter quaeritur an sit licitum ponere contraria de notionibus [1].

Nam quidam, sicut Praepositinus [2], dicunt quod non sunt notiones nisi in modo loquendi. « Quidam vero ponunt proprietates sive notiones quasi infinitas, ut Porretanus, dicentes quod notio non est persona, ut paternitas non est Pater. Dicunt enim quod quaedam proprietates sumuntur secundum essentiam, ut aequalitas, coaeternitas, similitudo; quaedam secundum hypostasim, ut paternitas, filiatio. Ii etiam [a] dicunt quod aliud est proprietas, aliud distinctio. Nam aliter accipitur ablativus iste 'paternitate', cum dico 'Pater paternitate est Pater', et aliter [b] cum dico 'Pater paternitate [c] distinguitur a Filio', quia cum dico 'Pater paternitate est Pater', hic est sensus: paternitas facit Patrem esse Patrem; cum autem dico 'Pater distinguitur a Filio', hic est sensus: Pater est causa distinctionis, ut si dicam 'Sortes est albedine similis Platoni', est sensus: albedo est causa similitudinis ». Quidam vero ponunt tantum tres: paternitatem, filiationem, processionem. Quidam quinque, ut communis positio modernorum: dicunt quod paternitas est Pater et notio est persona, tamen supposita notione non supponitur persona. « Magistri autem nostri dicunt quinque esse proprietates: duae sunt in Patre, scilicet paternitas et innascibilitas; una est in Filio, scilicet filiatio; una [d] in Spiritu Sancto, scilicet processio; una in duobus, scilicet Patre et Filio, quae dicitur spiratio qua Pater et Filius communiter spirant Spiritum Sanctum. Tres istarum sunt personales, scilicet paternitas, filiatio, processio; duae sunt tantum personarum distinctivae, sed non personales. Dicitur autem personalis [e] proprietas, quia facit hanc personam esse [hanc] personam; et dicitur proprietas personae, quia [f] distinguit unam personam ab alia: unde [g] omnis personalis proprietas est personae, sed non convertitur ».

Obicitur ergo hoc modo: 1. Ex secunda opinione, quae fuit Gilberti Porretani [3], « sequitur quod paternitas sit creata, quia cum paternitas sit aliquod bonum, sequitur quod sit Deus vel a Deo; sed non est Deus, secundum quod dicunt; ergo vel a Deo: ergo est ab essentia divina vel de nihilo. Si dicatur quod ab essentia divina [h]: ergo est Deus, ut patet ex praedictis [4]; relinquitur ergo quod sit ex [i] nihilo; ergo creata; et ita ex secunda opinione sequitur quod paternitas sit creata; et ita si prima opinio est vera, ultima asserit de creatura quod sit Deus; et si ultima est vera, prima asserit de eo [k] quod est Deus, quod est creatura; et utrumque est haereticum. Ergo altera opinio est haeretica, quia oportet quod altera sit vera, cum sint contradictoriae ».

2. « Item, probatur quod isti vel illi peccant mortaliter, quia dicit B. Augustinus [5] quod "nihil fructuosius invenitur quam in Trinitate, et nusquam [l] periculosius erratur"; sed vel isti vel illi errant in Trinitate; ergo periculosissime errant; ergo mortaliter peccant [m]. Sed hoc videtur esse contra B. [n] Ambrosium [6], qui dicit quod Magistri qui dicunt falsum de Deo [o], sed non pertinaciter, ferunt secum *lignum, foenum, stipulam* [7]; sed hoc est non peccare mortaliter [8]; ergo [p] non peccant mortaliter ».

3. Item, si dicatur quod non licet contraria asserere de notionibus, licet tamen opinari, tunc quaeritur quare non liceat Magistris aliquid asserere de notionibus, nec videtur esse alia ratio nisi quia hoc est contra [q] fidem; sed si hoc, eadem ratione non licet Magistris aliquid opinari contrarie de notionibus, quia non licet dubitare circa fidem; ergo nec opinari.

4. « Item, si prima opinio est vera, probatur quod secunda est contra fidem: quia probatum est [9] secundum secundam [r] opinionem quod paternitas est creata; et ultima opinio ponit paternitatem esse Deum; ergo ponit creatum esse Deum, et hoc est contra fidem; ergo si prima opinio est vera, non licet secundam sustinere, quoniam si prima est vera, secunda est contra fidem ».

5. « Item, ultima opinio est vera, quae dicit [s] 'paternitas et Pater sunt idem'; sed prima dicit

---

[a] L *autem*. [b] L om., V om. *dico*. [c] G om. *est Pater... paternitate*, V add. mg. *est Pater*. [d] V add. interl. *est*. [e] V *personalitas*. [f] Ita BG, R *qua*, alii *que*. [g] PVS *ut*. [h] V om. [i] BRGL *a*. [k] PVS *Deo*. [l] BRGL *nihil*. [m] B om. *e. m. p.* [n] V om. [o] G om. *d. D.* [p] BRGL add. *in hoc*. [q] RL *circa*. [r] PVS om. [s] G add. *quod*.

1 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 5, qq. 1 et 3 (f. 14ab et 15b sq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 27, p. 1, a. un., q. 4 (I, 477 sqq.).

2 *Summa*, I (f. 80c), ubi et sequentia verbotenus.

3 Sequentia, usque ad finem capitis, fere omnia verbotenus ap. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 15bc).

4 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., q. 1 (f. 14d).

5 *De Trinit.*, I, c. 3, n. 5 (PL 42, 822).

6 *In I Cor.*, c. 3, 12 sqq. (PL 17, 200), ad sensum.

7 Cf. I Cor. 3, 12.

8 Cf. Lombard., IV *Sent.*, d. 21, cc. 1-6 (p. 880 sqq.).

9 Cf. supra, sub num. 1.

paternitatem non esse Patrem; ergo dicit Patrem [a] non esse Patrem, et hoc est contra fidem; sic ergo sequitur quod vel [b] isti vel illi dicunt contra fidem ».

[Solutio]: 1. Ad haec respondent [c] « quod nulla illarum opinionum sit haeretica. Cum enim a Sacra Scriptura non habeamus determinatum de notionibus, ideo licet Magistris opinari, sed non [d] licet eis asserere; si enim quis asserat aliquid, dicendo quod non sit determinatum in Sacra Scriptura vel quod non sequatur directe ex fide, mortaliter peccat, quia se constituit supra Deum [e]: iudex enim est supra id de quo habet iudicare. Qui [f] ergo sua auctoritate asserit aliquid de Deo, ponit se supra Deum, quia iudicat de Deo, et ita peccat mortaliter; haec est superbia intellectus, quam prohibet Apostolus, Rom. 12,3: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Magistri autem Theologiae nihil asserunt, sed tantum opinantur, inquirentes de talibus ad defensionem fidei contra haereticos; et ideo quia [g] nihil asserunt, non peccant, licet propter aliquas rationes versetur animus eorum magis ad unam partem [h] quam ad aliam [i]: quod est opinari ».

2. Ad secundum dicendum quod ubi est opinio, non est error: nam error ponit [k] pertinaciam sententiae, cum falsum asseritur esse [l] verum vel verum [m] falsum. Dicunt ergo quod « revera [n] si Magister [o] adhaeret suae opinioni [p], sibi ipsi [q] gloriando de ingenio suo, contingit quod ipse peccat; sed si ita leviter glorietur quod paratus sit ad correctionem, venialiter peccat, et in hoc [r] dicit B. [s] Ambrosius quod "ferunt secum *lignum, foenum, stipulam*"; sed si ita vehementer glorietur quod pertinax sit, sic peccat mortaliter; vel [a] si asserit illud de talibus, mortaliter peccat, et ideo dicit B. Augustinus quod "nusquam [b] periculosius erratur": error enim in aliis non est [c] peccatum vel non est tantum peccatum [d] ».

3. Ad aliud dicendum « quod non licet Magistris asserere contrarie de notionibus, non quia hoc sit contra fidem, sed quia non est determinatum in Sacra Scriptura, nec debet aliquis aliquid asserere de Deo sua auctoritate. Et ita solvitur obiectio per interemptionem ».

4. Ad aliud dicendum « quod quamvis prima opinio sit vera, non tamen secunda est contra fidem, quia prima opinio non diceret quod paternitas esset creatura nec diceret quod esset Deus, tamen [e] diceret quod esset idem quod Deus, et illa [f] ratio Augustini [1]: "Omne bonum aut est Deus aut est a Deo", tenet in Deo et [g] creaturis tantum ».

5. Ad ultimum dicendum « quod 'Patrem non esse Patrem' et 'paternitatem non esse Patrem' non sunt idem, licet aequipolleant, et duorum aequipollentium unum potest esse contra fidem, reliquum vero non; non [h] est enim determinatum in Sacra Scriptura an paternitas sit Pater, sed determinatum est quod [i] Pater est Pater; nec determinatum est an supposita paternitate supponatur Pater [k], et propter hoc unum illorum est contra fidem, reliquum non. — Et praeterea, aliquid unum et idem aliquo modo significatum est contra fidem et [l] alio modo significatum non est [m] contra fidem [n], sicut dicitur Osee [o] 2,16: *Vocabis me vir meus et non vocabis me ultra Baali* [p], et tamen idem est *Baali* quod *vir meus* [2] ».

Et sic patet responsio ad obiecta [q].

464

MEMBRUM II.

Quid sint notiones, proprietates et relationes.

Consequenter quaeritur quid sint notiones, proprietates et relationes in divinis [3].

1. Et cum dicat Apostolus, Rom. 1,20: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur,* ergo quaelibet creatura potest dici notio Creatoris; notio ergo Dei ponetur in creatura.

2. Item, dicit Augustinus [4] quod notio primae veritatis est menti humanae impressa; sed quod est impressum menti est creatum; ergo etc.

3. Item, Boethius [5]: « Notio est insita et ante percepta cuius est quam formae cognitio ». Cum ergo essentia divina sit forma, Philip. 2,6: *Cum in forma Dei esset* etc., ergo notio est essentiae.

---

[a] V add. *esse;* S om. *n. e.* [b] Ita BR, alii om. [c] BRG *respondet.* [d] V add. *sic.* [e] V add. *iusta.* [f] PVS *quia.* [g] PVS om. [h] V add. *quod.* [i] R *aliquam;* PVSL *que* pro *quod.* [k] P add. *pertinacia,* V *pertinacia* pro *pertinaciam.* [l] P om. [m] L add. *esse,* G add. *asseritur.* [n] P *vera.* [o] L add. interl. *aliquis.* [p] Codd. *sua opinione* pro *s. o.* [q] P om., B add. interl. *scilicet.* [r] L add. interl. *casu.* [s] B om.

[a] B om. [b] BRGL *nunquam.* [c] S om. [d] S om. [e] R *cum.* [f] G *ita.* [g] BRG add. *in.* [h] PVS om., BRG om. *vero,* L om. *enim.* [i] PVS *quia.* [k] L om. [l] V om. *praeterea... et.* [m] PVSGL om. [n] G om. *aliquo... fidem.* [o] VS *Exodi.* [p] Codd. *Baalim.* [q] L *obiectio.*

[1] *De vera relig.*, c. 18, n. 35 (PL 34, 137).

[2] Cf. supra, p. 521a.

[3] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 26, a. un., q. 2 (I, 455 sq.); Praepositi., *Summa,* I (f. 80c sqq.).

[4] Cf. *De lib. arbit.*, II, c. 9, n. 26 (PL 32, 1254).

[5] *In Topica Cicer.*, III (PL 64, 1106): « Notio est insita et ante percepta cuiusque formae cognitio enodationis indigens ».

4. Item, « notio est intellectus quidam et simplex[a] mentis conceptio, quae ad res pertinet differentes[1] »; sed proprietas personalis non pertinet ad res differentes; ergo non est notio.

5. Item, socratitas in Socrate non est paternitas; sed socratitas est proprietas, paternitas est[b] relatio; ergo non est idem proprietas[c] et relatio; ergo in divinis relatio non erit proprietas; cum ergo[d] paternitas sit relatio, non erit proprietas.

6. Item, proprietas est quo res distinguitur[e] et convenit uni soli; sed communis spiratio, quae est relatio, non convenit uni soli, immo pluribus; ergo relatio non est proprietas.

7. Item, innascibilitas convenit uni soli, scilicet Patri; ergo est proprietas; sed cum per innascibilitatem non referatur Pater ad aliquid, ergo non erit relatio; non sunt igitur in divinis idem proprietas, relatio et notio.

Quid ergo in divinis dicuntur notio, proprietas et relatio?

Respondeo[f 2]: Secundum rationem intelligentiae communem sciendum est quod proprietas dicitur quod uni soli convenit, hunc ab illo distinguens, ut socratitas soli Socrati convenit et ipsum a Platone distinguit. Relatio vero est hunc ad illum referens, ut paternitas est referens Sortem ad Platonem. Notio vero dicitur[g] rem notam faciens, et hoc dicitur multipliciter. Nam cum notio sit illud quo res fit nota, quo autem res fit[h] nota dicitur multis modis: uno modo ex parte cognoscibilis, forma[i] vel dispositio rei qua noscibilis est[k]; alio modo ex parte cognoscentis, species rei apud animam, per quam rem cognoscit; alio modo ex parte medii exterius[l] per quod res noscitur, ut per effectum manifestum causa occulta; tribus ergo modis dicitur notio rei. Secundum hoc[m] notio Dei dicitur uno modo creatura, in quantum eius effectus per eam, sicut medio extrinseco, cognoscitur; Dionysius[3]: « Ipsa apparentis mundi operatio est et[n] invisibilium Dei propositio ». Alio modo dicitur species veritatis menti rationali impressa, qua sicut similitudine vel specie cognoscitur. Et iis duobus modis notio dicit quid creatum vel concreatum. Tertio dicitur ipsa dispositio formae, quae Deus est et[o] vera Trinitas, qua cognoscibilis est, et haec est notio increata[p] et dicitur duobus modis: uno modo dicitur dispositio formae, qua cognoscitur in unitate et indistinctione[q], et hoc modo notio est ipsa essentia in quantum noscibilis est; alio modo dicitur dispositio, qua cognoscitur[b] in personarum Trinitate sive in distinctione, et hoc modo accipitur in praesenti inquisitione notio. Secundum hoc ergo dicendum, secundum rationem intelligentiae propriam in[c] divinis, quia proprietas est quo est distinctio personae a persona, relatio vero in Trinitate est habitudo personarum in[d] invicem, sed in creaturis est relatio personarum ad invicem[e]. Unde Ioan. 14, 11: *Ego in Patre et Pater in me*[f], Pater est in Filio et Filius in Patre. Notio vero est per se et prima et propria ratio distinctionis et relationis, ut per quod distinguitur persona a persona vel per[g] quod refertur persona ad personam[h]. Sciendum etiam quod dicitur proprietas, quoniam uni soli convenit, ut generare convenit[i] soli Patri: proprietas est ut hunc ab alio[k] distinguens, relatio hunc ad illum[l] referens, ut socratitas distinguit Sortem a Platone, et paternitas est referens Sortem patrem ad Platonem filium eius; notio est ut[m] hunc distinctum ab illo notum faciens. Prima et propria discretio Trinitatis est in iis tribus: relatio, proprietas, notio, quoniam sicut essentia facit esse, et proprietas facit differre et[n] relatio referri et notio facit in relatione distinctum cognosci.

[Ad obiecta]: 1-4. Ad quatuor prima patet responsio[o] per distinctionem praedictam notionis.

5. Ad quintum quod obicit quod 'socratitas in Socrate non est paternitas': dicendum quod secus est in Trinitate increata et in creaturis, quoniam relatio et proprietas sunt unum[p] in Deo, in quo est summa simplicitas; sed illud unum in persona una habet duplex officium, scilicet distinguendi et referendi; sed in Socrate est socratitas habens officium distinguendi et paternitas officium referendi; unde Socrates prius est sua proprietate distinctus quam sit sua relatione relatus; sed in Trinitate sic non est quod Pater prius sit distinctus quam Pater ad Filium relatus. Unde in Trinitate forte idem est esse distinctum et esse Patrem secundum rem, sed non sic est in creatura[q]. Unde relatio in Trinitate non est accidens substantiae, sicut accidit esse in creaturis.

---

[a] BRG *simpliciter.* [b] VSBL om., in P est add: mg. [c] Ita L corr., alii *paternitas.* [d] P om. [e] PVS *distinguuntur.* [f] L *Responsio.* [g] B *dicit.* [h] Ita BL, alii *sit;* P per *vacat* delev. *q. a. r. f. n.*, quod V exp. [i] PVS *forme.* [k] G om. [l] R *exterii.* [m] B add. *ergo.* [n] V *in.* [o] RGL *etiam*, quod B corr. [p] PVS *in creatura.*

[a] PVS *in hac distinctione*, P om. *et.* [b] Ita SL, alii *noscitur.* [c] GBL om. [d] PVB om. [e] V om. *sed... invicem.* [f] Ita P, alii add. *etc.*; BRG om. sequens *est.* [g] P om. [h] V om. *a persona... personam.* [i] V om. *u. g. c.* [k] RG *illo.* [l] G *se.* [m] V *et.* [n] P *ut.* [o] R om. *p. r.* [p] Ita L (add. mg.), alii om. [q] P *creata.*

1 Boeth., loc. cit.

2 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 80d): « Hae autem proprietates variis modis designantur: dicuntur enim *proprietates*, quia per eas distinguuntur personae; *relationes*, quia per eas referuntur personae ad invicem; *notiones*, quia per eas innotescunt nobis; *idiomata*, quod idem est quod proprietas ».

3 Cf. *De cael. hier.*, c. 1, § 3 (PG 3, 122, PL 122, 1039).

6. Ad sextum dicendum quod proprietas dicitur communiter quo inseparabiliter distinguitur persona vel personae a persona vel personis, et hoc modo communis [a] spiratio est proprietas; alio modo stricte, ut dicatur proprietas quo distinguitur persona a persona, et uni soli convenit.

7. Ad septimum dicendum quod relatio similiter [b] dicitur duobus modis: communiter, quod designat [c] habitudinem relativam affirmative vel negative, et hoc modo innascibilitas est [d] relatio, quia significat privationem nascibilitatis [e], secundum quod dicit Augustinus [f], V *De Trinitate* [1], quod in eodem genere relationis secundum affirmationem dicitur relatio [g] cum dicitur 'genitus', secundum negationem [h] cum dicitur 'ingenitus'; proprie, quod significat habitudinem relativam affirmative. Et [i] per hoc patet responsio.

MEMBRUM III.

De numero notionum, proprietatum et relationum.

Quaeritur postea de numero notionum, proprietatum et relationum [2].

465

CAPUT I.

DE NUMERO NOTIONUM.

Dicuntur enim esse quinque notiones: Pater enim est persona non ab alio et a quo alius per generationem et a [k] quo alius per spirationem. In hoc quod dicitur 'persona non ab [l] alio' intelligitur notio innascibilitatis; cum dicitur 'a quo alius per generationem', intelligitur notio paternitatis; cum dicitur [m] 'a quo alius per spirationem', intelligitur communis notio, scilicet spiratio.. Item, Filius est persona ab alio per generationem et a quo [n] alius per spirationem. Cum dicitur 'ab alio per generationem', notatur notio filiationis; cum dicitur 'a quo alius per spirationem' [o], intelligitur notio alia. Item, Spiritus Sanctus est persona ab alio per spirationem, in quo intelligitur notio processionis. Quinque ergo sunt notiones: tres Patris, innascibilitas, paternitas, spiratio communis; duae sunt propriae et una communis Patri et Filio. Similiter duae sunt Filii, una propria, scilicet filiatio; una communis Patri et Filio, scilicet communis spiratio, et una propria Spiritui Sancto. Quatuor autem sunt relationes, quia innascibilitas non dicit relationem nisi per privationem; paternitas vero et filiatio et communis spiratio et processio relationes sunt. Quatuor etiam sunt proprietates, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, processio: communis enim spiratio non convenit uni soli, ideo non dicitur proprietas. Sic [p] ergo quinque sunt notiones, quatuor relationes tantum et quatuor proprietates tantum. Et haec [q] est communis opinio de numero notionum, proprietatum et relationum.

Contra hoc obicitur multipliciter: I. Primo, quod [r] tantum sunt tres notiones et similiter tres relationes [s], tres etiam proprietates.

Ad quod sic: 1. Omnis persona est aliqua trium personalium proprietatum; sed [t] omnis notio communis est persona et similiter omnis relatio; ergo omnis notio est aliqua trium personalium proprietatum [u]; ergo paternitas vel filiatio vel processio; et similiter omnis relatio.

Respondeo: 1. Cum in divinis sit triplex modus praedicandi: 'quod, quis et quae' — 'quod' significat essentiam, 'quis' personam, 'quae' notionem — secundum hoc patet quod in praedicta argumentatione est commutatio praedicamenti. Non enim sub hoc nomine 'persona' potest sumi notio, sicut sub medio, quae significat 'quam', cum persona significet [v] 'quem' [4], sed deberet sumi 'Pater vel Filius vel Spiritus Sanctus', quorum unumquodque significat 'quem'.

II. Sed iterum obicitur ad idem: 1. Nam dicit Damascenus [3] quod «secundum omnia

---

[a] G *omnis.* [b] V om. [c] L *significat.* [d] V om. [e] VS *innascibilitatis,* quod P corr. [f] B add. *in.* [g] B *negatio.* [h] S *relationem.* [i] PVS om. [k] PVS om. [l] G om. [m] G om. *persona... dicitur.* [n] BRGL *qua.* [o] P *inspirationem.* [p] P *sicut.* [q] L *non.* [r] PVS *quia.* [s] BRG om. *e. s. t. r.* [t] V *hec.* [u] G om. *sed... proprietatum.* [v] PVS *significat.*

1 Cap. 7 (PL 42, 915 sq.).
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 26, a. un., q. 4 (I, 460 sq.).
3 *De fide orthod.*, I, c. 2 (PG 94, 791).
4 Cf. supra, num. 386.

sunt idem tres hypostases, praeter generationem, ingenerationem et processionem »; sed paternitas non est aliqua istarum nec communis spiratio; ergo [a] non sunt notiones; ergo tantum sunt tres notiones.

2. Item, si secundum omnia sunt unum etc., cum persona non dicat generationem vel ingenerationem vel processionem: ergo sunt unum in persona; ergo una persona.

Respondeo: 1. Damascenus in illis tribus intelligit quinque notiones, quia ingeneratio dicit innascibilitatem, generatio autem active dicta paternitatem, passive dicta filiationem. Similiter in processione intelligitur respectus ad principium, et ita ad spirationem: omne enim [b] quod procedit, ab aliquo procedit.

2. Ad aliud [c] dicendum quod « persona est commune ratione [1] ». Unde non sequitur si conveniunt in ratione huius nominis 'persona', quod propter hoc conveniant in una persona singulari, sed conveniunt tantum in re una essentiae. Loquitur ergo Damascenus de illis quae dicuntur essentialiter, ut potentia, sapientia, bonitas.

CAPUT II. 466

DE NUMERO RELATIONUM.

Secundo quaeritur de numero relationum.

Videtur quod plures sint relationes: 1. Nam relationes multiplicantur secundum habitudines extremorum; sed trium extremorum ad invicem sex sunt habitudines; trium ergo personarum sex erunt relationes.

Respondeo: 1. Hoc sequeretur, si unaquaeque persona relatione propria sive habitudine ad aliam [d] referretur; sed Pater non refertur relatione propria ad Spiritum Sanctum, similiter nec Filius, sed ii duo referuntur ad Spiritum Sanctum una communi relatione, et ideo non sunt nisi quatuor relationes: duae [e] quibus Pater et Filius referuntur ad Spiritum Sanctum et e converso, duae [f] quibus Pater et Filius [g] ad se invicem referuntur. Nam referuntur Pater et Filius ad Spiritum Sanctum una relatione, non duabus, ad designandum [h] maximam concordiam istarum duarum personarum. Sicut [i] enim tres personae eadem relatione referuntur ad ea quae sunt ab ipsis, scilicet ad creaturas — liceat loqui improprie, quia proprie divinae [k] personae sive Deus non referuntur ad creaturam, sed referri significantur eo quod creatura refertur et dependet ab ipsis; et [l] illa relatio, qua significantur referri, est una ad designandum [m] unitatem personarum trium — similiter et multo magis Pater et Filius ad illum, qui est ab ipsis, una relatione debent referri. Et propter hoc dicit Augustinus, in [n] V *De Trinitate* [2], quod Pater et Filius sunt unum principium creaturae, sic dicens: « Fatendum est Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti, non duo principia; sed [o] sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relatione [p] unus Creator, sic relatione [q] ad Spiritum Sanctum unum principium; ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum principium sicut unus Creator et unus Deus [r] ».

CAPUT III. 467

DE NUMERO PERSONALIUM PROPRIETATUM.

Tertio quaeritur de numero personalium proprietatum.

1. **Videntur enim esse numero aequales personis** quarum sunt proprietates; non ergo erunt nisi tres. — Contra: Videtur quod quatuor sint proprietates personales; nam ingeneratio sive innascibilitas est proprietas, sicut dicit Damascenus [3], nec est aliqua praedictarum; ergo non sunt tantum tres.

2. Item, distinguitur proprietas [s] personae a proprietatibus personalibus; quaeritur quare innascibilitas non ponitur proprietas personalis.

3. Item [t], adhuc obicitur, iuxta auctoritatem Damasceni [4], quia si in omnibus sunt unum Pater et Filius et Spiritus Sanctus [u], « praeter

---

[a] P om. [b] VBG om. [c] P *illud.* [d] VS *alias*, quod P corr. [e] V *de.* [f] V add. *quidem.* [g] R om. *referuntur... Filius.* [h] G *significandum.* [i] BRG *sic.* [k] R om. *q. p. d.* [l] G *est.* [m] BRG *signandum.* [n] VRG om. [o] R om. [p] PBRG *relattve.* [q] Ita L (corr.), alii *relatio.* [r] L *Dominus.* [s] P *proprietates.* [t] BRG om. [u] G add. *scilicet.*

1 Cf. Damasc., loc. cit., c. 8 (PG 94, 827).
2 Cap. 14 (PL 42, 921).
3 Cf. *De fide orthod.*, I, c. 2 (PG 94, 791).
4 Cf. loc. cit.

ingenerationem, generationem [a] et processionem », ergo solum in iis distinguuntur; sed distinguuntur [b] per paternitatem, filiationem et communem spirationem; ergo omnes notiones et proprietates sub aliqua praedictarum continentur; ergo tantum erunt tres.

Si autem dicatur quod in processione intelligitur communis spiratio; unde cum dicitur quod in omnibus sunt unum et tamen [c] non excluduntur istae, quia intelliguntur in illis, quia per ingenerationem innascibilitas, per generationem paternitas, per processionem autem spiratio – contra: si in omnibus sunt unum, aut contingit communem spirationem praeter istas [d] intelligere aut non. Si est intelligere praeter istas, ergo in illa sunt unum; si non est intelligere praeter istas, ergo communis spiratio non est communis aliquibus.

Praeterea, tres sunt personae et habent proprietates quibus sunt personae, scilicet paternitatem et filiationem et processionem; si ergo in iis tribus esse habent personae, relinquitur quod magis est distinctio per paternitatem et filiationem et processionem quam per has: innascibilitatem, generationem et processionem; quare ergo non dixit quod in omnibus sunt unum, praeter paternitatem et filiationem etc. [e]

Respondeo: 1. Sicut supra dictum est [1], quinque sunt notiones, quatuor relationes, tres personales proprietates: proprietas enim personalis est quae uni soli personae [f] convenit et eam ab omni alia distinguit. Ex quo patet quod proprietates personales sunt tres et personis [g] sunt aequales secundum numerum sicut differentiae constitutivae ipsis speciebus. Unde personales proprietates sunt tres [h] tantum, relationes autem [i] quatuor. Cum enim sit [k] una relatio Patris ad Filium, alia Filii ad Patrem; item, cum [l] sit relatio communis Patris et Filii ad Spiritum Sanctum et e converso sit alia Spiritus Sancti ad Patrem et Filium: ideo in universo sunt quatuor relationes tantum; sed quaelibet istarum notionum relatio est [m]; et quia praeter istas quatuor est reperire notionem quintam — non enim habitudo Patris ad Filium convenit tantum Patri, sed etiam convenit ei privatio relationis ad alterum principium; aliter enim esset in personis abire in infinitum — ideo est quinta notio quae Patri convenit per privationem ordinis ad principium, quae dicitur innascibilitas.

Probatur ergo numerus notionum sic: In divinis personis est ordo secundum rationem originis [2]; prima autem divisio entis est: omne quod est aut est ab alio aut non ab alio, et haec est prima ratio distinguendi essentiam ab essentia; similiter in divinis est haec ratio distinctionis personarum. Item, 'esse ab alio' aut est per generationem aut per spirationem. Iam ergo habemus tres [n] proprietates: quia ex hoc quod est 'esse non ab alio' est proprietas innascibilitatis, et ex hoc quod est 'esse ab alio [o] per generationem' est filiatio, item, ex hoc quod est 'esse ab alio per spirationem' est processio. Item, alia est divisio entis: a quo alius aut a quo nullus. 'A quo alius' dupliciter: per generationem, et ex hoc habetur proprietas paternitatis; aut per spirationem, et ex hoc est communis notio quae est communis spiratio. Sic ergo secundum has duas divisiones entis sunt quinque notiones.

Ad illud quod quaeritur, respondendum est [p] et concedendum quod dicit Damascenus quod in omnibus sunt unum, « praeter ingenerationem, generationem [q] et processionem ».

3. Ad hoc [r] quod quaeritur 'suntne unum in communi spiratione et paternitate?': dicendum quod non, quia in omnibus illis quae praeter 'ad aliquid' dicuntur, sunt unum, sive dicant substantiam sive qualitatem sive quantitatem [s]. Istae autem proprietates dant intelligere proprietates omnes [t] alias distinguentes: processio enim, quia posterius est per intelligentiae rationem, determinat tamquam prius spirationem; et generatio, quia posterius est, determinat tamquam prius paternitatem; ingenerationem autem [u] ponit Damascenus ut in qua primo persona Patris distinguitur, generationem vero ut in qua primo persona Filii intelligitur, processionem autem qua primo persona Spiritus Sancti intelligitur. Non autem enumerat illas [v] ut per quas personae ad invicem [x] referuntur, ut paternitas, filiatio etc., et hoc quia prius est intelligere distinctas personas quam ad invicem relatas. Praeterea, aliae in iis tribus intelliguntur, et ideo sufficit enumerare istas.

2. Ad aliud quod quaeritur quare Pater penes innascibilitatem non habeat esse personale, respondeo: modus determinandi personam, secundum quod persona, non potest esse nisi secundum positionem est, quia persona « est per se sonans [3] »; unde oportet quod per se nominationem habeat et secundum nominationem [y] non dependeat ab altero. Sed omnis negatio secundum nominationem ab altero dependet [4], quia ab affirmatione; unde esse [z] personale a tali non accipitur.

---

[a] P del., V exp., BRG om. [b] R *scilicet* pro *s. d.* [c] VSL *etc.* pro *e. t.*, quod P corr. [d] BRGL *ista.* [e] PVS om. [f] G om. [g] Ita R, alii *personae.* [h] V om. [i] PVS om. [k] P *sint.* [l] G add. *enim.* [m] PV om., in S est add.; PVSL om. *et.* [n] VS om. [o] VS *aliquo.* [p] BRGL om. [q] B om., in L est add. mg. [r] BRGL add. *autem.* [s] V om. *s. q.* [t] L om. [u] R om. [v] L *illa.* [x] P *rationem.* [y] L *denominationem.* [z] S *esset*; G *unum* pro *unde.*

[1] Cf. supra, num. 465.
[2] Cf. supra num. 321.
[3] Cf. supra, p. 570a, sub litt. *a.*
[4] Cf. Aristot., *Anal. poster.*, I, c. 25 (I, 147).

MEMBRUM IV. 468

Si idem sit numerus notionum, proprietatum et relationum.

Circa partem istam, scilicet circa numerum [a], dubitatur multipliciter.

I. Et primo, cum 'a quo alius sit' conveniat Patri et Filio et iuxta hoc sumitur communis notio quae est communis spiratio, 'qui vero ab alio' sit commune [b] Filio et Spiritui Sancto, ergo iuxta hoc debet sumi communis notio Filio et Spiritui Sancto [c].

Respondeo: Dicendum [d] quod penes hoc quod dico 'qui est ab alio', cum sit commune Filio et Spiritui Sancto, non assignatur communis notio Filio et Spiritui Sancto, quia 'esse ab alio', simpliciter dictum, non dicit dignitatem nisi dicatur esse ab alio per generationem vel [e] spirationem. Item, 'qui est ab alio' non dicitur univoce de Filio et Spiritu Sancto, eo quod Filius est ab alio per generationem, Spiritus Sanctus per spirationem; ideo non potest secundum hoc sumi communis notio. Sed 'a quo est [f] alius' potest esse commune univocum Patri et Filio, quoniam ab utroque est alius per spirationem; tamen secundum quod Patri conveniat 'a quo alius per generationem' et Filio 'a quo alius per processionem', secundum hoc non potest assignari communis notio Patri et Filio, quia sic 'a quo est alius' dicitur aequivoce.

II. Item, quaeritur, cum 'qui a nullo' sit distinctivum Patris et dicatur notio innascibilitatis et prima notio, quaeritur [g] quare 'a quo nullus', cum sit distinctivum Spiritus Sancti, non sit notio.

Respondeo: 'A quo nullus' dicit negationem nec insinuat aliquam dignitatem vel perfectionem in qua quiescat intellectus, et ideo non ponetur notio. Sed 'qui a nullo', licet quamdam negationem dicat, dicit tamen quamdam ampliationem, in qua quiescit intellectus, ad auctoritatem sive principium originis: unde notio est [h].

III. Item, quaeritur [i]: 'Qui ab alio' in sua communitate non dicit notionem, tamen 'qui a nullo' dicit notionem [k] auctoritatis; quare hoc?

Respondeo: 'Qui ab alio' non determinat unam finitam [l] rationem, sed dicit progressum virtutis usque ad terminationem [m], et 'qui a nullo' dicit principium virtutis, et 'a quo nullus' extremitatem terminantem: unde non dicit notionem. Ideo necesse est esse quinque notiones: qui a nullo a quo alius, qui ab alio per generationem, qui ab alio per processionem, a quo alius [n] per generationem, a quo alius [o] per processionem: et haec duo non faciebant notionem, scilicet [p] 'a quo nullus' et 'qui ab alio', in sua communitate.

IV. Item, obicitur: Videtur enim quod sicut innascibilitas facit unam notionem, et 'inspirabilis' faciet unam, quia sicut unum distinguit per negationem, ita et reliquum.

Item, in *Symbolo*. Quidam [1] dicebant essentiam deitatem, de qua essent personae tres: unde ad [q] hoc tollendum dicitur in *Symbolo* [2] quia « Pater a nullo est nec factus nec creatus nec genitus »; sed quare non tollet habitudinem spirationis, ut dicatur a nullo procedens vel spiratus?

Respondeo: Secus est cum dico 'inspirabilis' [r] et 'innascibilis' [s], quia 'inspirabilis' importatur per 'innascibilis': posterior enim habitudo est spiratio quam nativitas sicut [t] emanatio naturae emanatione voluntatis; unde sola remota nativitate auferetur spirabilitas: unde 'innascibile' [u] negat quod simpliciter sit a nullo. Non ponitur ergo inspirabilitas notio, sed ponitur innascibilitas, quia illa prior est habitudo, et illa ablata omnis posterior removetur. — Sed contra: inspirabile convenit Patri et Filio, innascibile tantum Patri. Respondeo: 'Esse a nullo' aliquo modo dicit statum ab aliqua dignitate [3]; sed in [v] inspirabilitate non ponitur ille status sub dignitate; unde super inspirabile non stat intellectus: unde non dicit notionem.

V. Item, quaeritur utrum [x] 'qui a nullo, a quo nullus' faciat notionem.

Respondeo: 'Qui a nullo et nullus ab eo' non facit notionem, quia non dicit habitudinem nec ad hypostasim priorem nec ad [y] posteriorem; unde,

---

[a] G *unum*. [b] PVS *communis*. [c] GL om. *ergo... Sancto*, in V est add. mg. [d] BR om. [e] P add. *per*. [f] Ita VS, alii om. [g] RGL om.; S exp. *quare*. [h] S om. [i] V om. [k] B om. *t. q. a. n. d. n.* [l] P *infinitam*. [m] VS *determinationem*. [n] G om. *qui ab alio per processionem... alius*; S om. *qui ab alio per processionem... generationem*. [o] P om. [p] L om. [q] S *de*. [r] G om. *Respondeo... inspirabilis*. [s] S add. *possunt*. [t] B *quia*. [u] B *innascibilitas*, G *innascibiliter*. [v] PVS om. [x] P om., in R est add. mg. [y] B om.

[1] Verbi gratia Damian. Alexandr. († 605). Cf. Timoth., *De recept. haeret.*, (PG 96, 60).

[2] *Symbolum* Athanasii.

[3] Cf. supra, sub II.

cum non[a] dicitur ordo, tollitur ratio distinctionis personalis in Trinitate; sed 'quod a nullo et[b] nulla persona ab illo'[c] hoc convenit essentiae.

VI. Item, obicitur: Contingit multiplicare distinctiva per duodenarium, quia Pater est qui[d] a nullo est per generationem et spirationem et a[e] quo alius per spirationem et a quo alius[f] per generationem et processionem; ecce quatuor. Similiter quatuor sunt in Filio distinctiva: qui ab alio, scilicet per generationem, et a quo alius per spirationem, qui a nullo per spirationem, a quo nullus[g] per generationem; ecce quatuor in Filio. Similiter quatuor in Spiritu Sancto sunt distinctiva: qui ab alio per processionem, qui a nullo per generationem, a quo nullus per generationem vel per[h] processionem; ergo erunt duodecim notiones. — Si vero dicatur quod reducuntur hae distinctiones ad pauciorem numerum – ad minus tunc videtur quod[i] 'a quo nullus' faciet notionem in Spiritu Sancto, sicut innascibile in Patre.

Respondeo: Ratio distinguendi non facit notionem, sed ratio distinguendi cum ratione status dignitatis; sed cum dico 'a quo nullus per generationem vel spirationem', non dico statum dignitatis; ergo secundum hoc notio non[k] ponetur[1]. Similiter in Filio privationes nullam dicunt dignitatem, sed 'esse ab alio per generationem' dicit quamdam dignitatem. Unde nulla negatio in divinis praeter personam Patris, est significativa status in[l] dignitate, sed omnes aliae sunt ad modum defectus.

VII. Item, quaeritur utrum innascibilitas et auctoritas sint duae[m]?

Et videtur quod sic: Quia magis appropinquant sibi 'a quo alius per spirationem' et 'a quo alius per generationem' quam innascibilitas et auctoritas; ergo si illa faciunt duas notiones, et haec duo similiter facient.

Respondeo: 'A quo alius' fundatur necessario in hoc quod est 'qui a nullo', aliter esset processus in infinitum, quia fundaretur in 'qui ab alio', et sic esset processus in infinitum: et haec est ratio quare cedit in unam notionem auctoritas cum innascibilitate.

VIII. 1. Item, cum tres personae sint tres res et una res[n], quia essentia una, quare similiter tres relationes, quae sunt in persona Patris, cum sint una res, quia persona una, non dicuntur tres[a] res et una?

2. Item, quare non dicitur Deus 'quinus'[b] a quinque notionibus, sicut dicitur 'trinus' a tribus personis? — Si dicatur quod dicitur 'trinus' a tribus personis[c], quia sunt tres[d] in una essentia, sed non dicitur 'quinus' propter quinque[e] notiones, quia notio non dicitur respectu essentiae, sed respectu personae – adhuc[f] opponitur: quia cum sint tres proprietates vel notiones in una persona, scilicet in persona Patris, quare non dicitur illa persona trina propter illas, sicut Deus est trinus propter personas?

Respondeo: 1. Est[g] essentia et hypostasis et notio: essentia secundum esse et secundum modum essendi est res; hypostasis secundum esse est res, secundum modum essendi respectum dicit; notio vero secundum esse et modum essendi[h] dicit respectum[2]. Unde una dicitur essentia tantum, hypostases vero tres dicuntur et una res; sed de relationibus non dicimus quod sunt tres res, sed tres relationes: unde non possumus dicere quod in Patre sunt tres res[i], sunt tamen tres relationes.

2. Ad aliud quod quaeritur, dicendum quod intentio proprietatis non dicit rem proprie, prout res dicitur res naturae, sed rationem rei, sicut relatio non dicit rem, sed habitudinem rei. Unde non est concedendum quod quinque notiones sint quinque res, quia intentio notionis non dicit rem, sed rationem; unde proprietas non intelligitur in esse divino absoluto, sed comparato.

Si obiciatur quod proprietas est essentia, et essentia est res; ergo notio est res[k] – sed[l] mutatur 'quid' in 'quae'. Nec dicitur Deus quinus propter quinque notiones, quia non ex quibuscumque unitatibus constituitur numerus, sed ex iis quae per se sunt. Unde quia persona intelligitur ut per se ens, est dicere[m] Deum trinum propter tres unitates trium[n] personarum; sed notio vel proprietas non dicit ut ens per se, sed ut ens in[o] alio, sicut[p] paternitas dicit ut[q] in Patre: propterea ab unitatibus proprietatum vel notionum non dicitur Deus quinus nec etiam persona[r] trina, quia non dicit[s] unitates per se entes, sed unitates[t] in alio vel ut alterius.

Et patet instantia ad praedictum sophisma: notio est aliqua trium personarum et quaelibet persona est aliqua trium proprietatum; ergo quaelibet

---

[a] PVSL om. [b] P add. *a.* [c] R *illa.* [d] L *quia.* [e] S om. [f] BRGL om. *per spirationem... alius*; S *spiratione* pro *spirationem.* [g] P *que alius*, RG *quo alius* pro *q. n.* [h] S exp., BRG om. [i] B om. *a. m. t. v. q.* [k] VS om., in P est add. interl. [l] S om. [m] L add. mg. *notiones.* [n] V om. *e. u. r.*

[a] G om. [b] L add. *et.* [c] S om. *si dicatur... personis*, in P est add. mg. [d] P *res.* [e] Ita B, alii om. [f] G *ad hoc.* [g] B om. [h] BRGL om. [i] G add. *sed.* [k] V om. *e. r.*, in PS est add. mg. [l] L add. interl. *dicendum quod.* [m] L *dividere.* [n] V om. [o] S *ab.* [p] P exp. et corr. in mg. *sed.* [q] B add. *est.* [r] L add. interl. *Patris.* [s] VSL *dicunt*, quod P corr. [t] V *pronitates.*

[1] Cf. supra, p. 669a, II.

[2] Cf. supra, p. 661b sq.

notio est aliqua trium proprietatum. — Respondeo: Non sequitur, sed mutatur 'quis' in 'quae'. Instantia: Posito [a] quod non sint nisi ista nomina 'homo, asinus, capra', inde sic: omne nomen est aliquod horum trium; sed quodlibet horum trium est aliqua harum [b] vocum; ergo quodlibet nomen est aliqua harum [c] trium vocum. Quod falsum est: nam haec vox 'hominis' non est haec vox 'homo' nec aliqua aliarum et tamen idem est nomen quod homo.

MEMBRUM V.

De comparatione notionum.

Consequenter quaeritur de comparatione notionum. Comparantur autem ad personam et ad essentiam et ad se invicem; item, comparantur ad [d] attributa substantive et adiective; item, comparantur [e] secundum praedicationem et secundum determinationem. Ad quorum declarationem quaeruntur ista:

Primo, an notiones sint personae;

secundo, an sint essentia;

tertio, an sint in essentia;

quarto, an adiectiva essentialia dicantur de notionibus;

quinto, an adiectiva notionalia, quae dicuntur de personis, dicantur de notionibus;

sexto, de comparatione in assignatione notionum differenti.

CAPUT I. 469

AN NOTIONES SINT PERSONAE [1].

Nota primum opinionem Gilberti Porretani [2], cuius [f] opinio fuit quod proprietates nec essent personae divinae nec essentia divina nec in personis nec in essentia. Et motus fuit ad hoc ex natura relationum, quae non dicunt 'esse in', sed 'esse ad', nec [g] consistunt in substantia sicut qualitates et alia accidentia, sed exterius adsistunt; cum enim quis sit dexter vel sinister, per huiusmodi relationes nihil ponitur in substantia nec inest substantiae; sed adest vel est ad. Quia ergo sic vidit in relationibus creaturarum, sic etiam posuit in relationibus divinarum personarum. Item, ipse supponebat hanc propositionem 'nihil se ipso differt aut distinguitur'; sed personae proprietatibus distinguuntur; ergo proprietates non sunt personae. Sed hoc fallit in divinis et etiam in creaturis, vel sequeretur infinitas in differentiis et in generibus generalissimis.

Sed obicitur quod proprietas sit persona: *a.* In simplici non differt esse et quod est; haec propositio est per se nota et est regula in libro *De hebdomadibus* [3]. Si ergo divina persona simplex est, ergo non differt 'quod est' et 'quo est' in persona; sed 'quod est' est persona [h], 'quo est' est [i] proprietas personae; persona ergo et proprietas [k] non differunt, sed sunt idem.

b. Item, Bernardus [4]: Paternitas aut [l] est aliquid aut nihil. Si nihil: sequitur absurditas quod nihilo distinguitur persona a persona. Si autem est aliquid: aut est maius Deo, quod est [m] absurdum; aut minus: et túnc sequitur quod a minori habet Pater quod sit Pater; paternitate enim est Pater; aut est aequale: et tunc si non est idem, sequitur inconveniens quod aliquid est aequale Deo quod non est Deus; sed haec omnia sunt falsa; relinquitur igitur quod paternitas est idem quod Pater.

Contra: 1. Distinguere et distingui sunt correlativa vel correspectiva; ergo non insunt [n] uní et eidem; sed personae est distingui, proprietatis est distinguere; ergo non sunt idem proprietas et persona [o].

2. Item, consideratio est Aristotelis [5]: « Ostendentes quantulamcumque differentiam, ostendentes erimus quoniam non idem »; sed proprietatis et

---

[a] L *ponit.* [b] S *qualibet istarum* pro *a. h.* [c] G om. [d] VS om., in P est add. mg. [e] V *predicantur.* [f] V *quibus.* [g] V *nature.* [h] V om. *s. q. e. e. p.*, in P est add. mg.; GL om. *est.* [i] G om. [k] G *proprietates.* [l] R om. [m] V *esset.* [n] VR *sunt.* [o] V *proprietates et persone* pro *p. e. p.*

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 33, c. 1 (p. 207 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 33, a. un., q. 1 (I, 571 sqq.).

[2] Cf. *Comment. in Boeth. De Trinit.* et *De praedic. trium person.* (PL 64, 1292 sqq. et 1302 sqq.). De condemnatione Gilberti Porretani, cf. Gaufrid., abbas Clarae-Vall., *Epistola ad Albin. Cardin. et Episc. Albanensem* (PL 185, 587-596), et eiusdem *Contra capitula Gilb. Pictav. Episcopi* (PL 185, 596-618).

[3] PL 64, 1311.

[4] *In Cantica*, sermo 80, n. 6 (PL 183, 1169), ad sensum.

[5] *Topic.*, I, c. 16 (I, 185).

personae ostenditur aliqua differentia, quia personae est generare et generari, proprietatis vero non; ergo non sunt idem. — Item, consideratio est Aristotelis[1], de eodem et diverso, quia si hoc est in plus quam illud vel in pluribus, quod non sunt idem; sed constat quod plures sunt proprietates et notiones quam personae, quia pauciores sunt personae, proprietates plures; ergo non est idem proprietas et persona.

3. Item, Augustinus[2] dicit: « Nulla proprietas est id quod ea ad aliud refertur »; sed Pater paternitate refertur ad Filium; ergo paternitas non est Pater.

Respondeo: Dicendum quod proprietas est persona: paternitas enim est Pater, filiatio Filius, processio Spiritus Sanctus. Et hoc est propter naturam simplicitatis [a], qua, sicut [b] non differt 'quod est' et 'quo est', sic nec differt 'quis est' et 'quo quis est'. Unde sicut Deus est deitas et e converso, sic Pater est paternitas et e converso.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [c] quod obicitur quod 'correlativa non insunt [d] uni et eidem': dicendum quod 'distinguere' et 'distingui' in divinis correlativa sunt in dicendo et non in essendo, sicut etiam est [e] in primis generibus et in iis quae se ipsis distinguuntur: ibi enim [f] idem est in re distinguens et distinctum nec est ibi correlatio in essendo, sed in dicendo solum; in iis vero quae sunt in genere et quae differentiis differunt est correlatio in re nec est idem distinguens et distinctum. Sicut ergo est in primis quod se ipsis differunt [et] quod idem est distinguens et distinctum [g], sic est in divinis personis ratione simplicitatis. Unde cum dicitur quod 'persona distinguitur a persona' [h], hoc est dicere quod haec non est illa.

2. Ad aliud dicendum quod generare et generari non dicunt differentiam personae ad proprietatem nec personae ad essentiam, sed personae ad personam. Unde, sicut [i] non sequitur: 'homo non est genus, animal est genus, ergo homo non est animal', sic non valet: 'proprietas non generat, persona [k] generat, ergo proprietas non est persona', sed est fallacia accidentis.

3. Ad aliud quod obicitur per auctoritatem Augustini: dicendum quod non bene intelligitur. « Augustinus[3] enim assignat differentiam inter proprietates aeternas et proprietates quae sunt accidentia, ostendens [l] quod si istae proprietates essent accidentia, nulla earum esset id quod ea ad aliud refertur ». Et ita eadem auctoritas contraria est ei propter quod inducitur. Patet etiam quod non sequitur: 'personae proprietatibus differunt, ergo non sunt ipsae proprietates'. « Hoc[4] argumentum est contra auctoritatem Hieronymi[5]; nam "personae, ut dicit Hieronymus, se ipsis et nominibus differunt", ita hoc argumentum fallit. — Et [m] est instantia: Deus sua sapientia gubernat omnia; ergo non est [n] sua sapientia. — Item, quaeritur, cum personae proprietatibus differant, an differant [o] proprietates aliquibus [p] proprietatibus aliis a se. Quod si dicatur, oportet tunc dicere quod illae proprietates similiter aliis proprietatibus differunt et adhuc illae aliis, et sic ratio procedet in [q] infinitum; ideo oportet dicere quod illae proprietates se ipsis differunt ».

470 CAPUT II.

AN NOTIONES SINT ESSENTIA.

Secundo quaeritur utrum proprietas sit essentia divina vel Deus[6].

Quod videtur: *a.* In Praefatione[7]: « Et in personis proprietas et in essentia unitas et in maiestate adoretur aequalitas ». Ergo proprietas adoratur, non dulia, cum non sit creatura, ergo latria; sed illa soli Deo debetur; ergo proprietas est Deus.

b. Item, Augustinus, in XI *De civitate Dei*[8]: « Ideo simplex [r] dicitur Deus, quia est hoc quod habet, excepto [s] quod quaelibet persona relative dicitur ad alteram nec est [t] ipsa ». Et hoc idem habetur in *Sententiis*, I libro, dist. 8, cap. ultimo[9]; ergo paternitas [u] et aliae proprietates sunt Deus.

c. Praeterea, omne quod est, vel est Deus vel a Deo; sed proprietas non est a Deo, quia non est creatura; ergo proprietas [v] est Deus.

---

[a] L *simplicis.* [b] VSL *sic.* [c] BRGL om. *A. i.* [d] R *sunt.* [e] PVS om. [f] V *idem cum ibi* pro *i. e.*; R om. *est.* [g] G om. *Sicut... distinctum.* [h] P om. *d. a. p.* [i] V om. [k] PS add. *non*; V om. *p. g.* [l] PV *ostendentes*, quod S corr. [m] BRGL om. [n] V *inest* pro *n. e.* [o] PVS om. *a. d.* [p] R *alicuius*, G om. *d. a. d. p.* [q] G om. [r] PB *simpliciter.* [s] BRGL add. *hoc.* [t] L om. [u] S *proprietas.* [v] L om.

1 *Metaph.*, II, c. 1 (II, 489).
2 Cf. *De Trinit.*, V, c. 12 (PL 42, 919), ad sensum; *Quaest. div. 83*, q. 30 (PL 40, 19 sq.).
3 Verbotenus ap. Praeposit., *Summa*, I (f. 81c).
4 Sequentia verbotenus ap. Praeposit., loc. cit.
5 *Expositio fidei*, n. 3; cf. supra, p. 660, nota 5.
6 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 33, c. 1 (p. 207 sqq.); Praeposit., loc. cit. (f. 80d); S. Bonav., I *Sent.*, d. 33, a. un., q. 2 (I, 574 sqq.).
7 Praefatio SS. Trinitatis.
8 Cap. 10, n. 1 (PL 41, 325).
9 Lombardi, c. 8 (p. 65).

d. Praeterea, arguit[a] Bernardus[1] in similibus sic contra Gilbertum Porretanum: Proprietas aut nihil est aut Deus aut creatura; sed non nihil, quia tunc non distingueretur ea persona a persona; si vero aliquid quod non est Deus: aut res maior aut minor aut aequalis. Sed « nihil maius Deo potest excogitari », ut dicit Anselmus[2]; nec minor[b]: cum ea sit persona persona[c], ut Pater paternitate est Pater; nec aequalis: tunc enim essent duo summa[d] bona, quod refugit catholicus; ergo proprietas est Deus.

Contra arguitur multipliciter: 1. Quia supposita proprietate non supponitur essentia; sed quod est omnino idem alteri supponitur illo[e] supposito, ut homine animal rationale; ergo proprietas non est essentia.

2. Item, essentia est quo personae sunt unum, proprietates sunt[f] quibus discernuntur; ergo etc.

3. Item, dicit Augustinus, VII *De Trinitate*[3]: « Substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est, et ita[g] persona Patris non est aliud quam Pater ». Ex quo videtur accipi quod[4] « 'quo Pater est Pater' non est substantia Patris; sed paternitate est Pater[h]; ergo paternitas non est substantia Patris; ergo nec substantia divina aut Deus ».

4. « Item, deducendo ad inconveniens arguitur sic: filiatio est Filius et non Pater; ergo est[i] a Patre; ergo per generationem vel alio modo; sed non alio modo; ergo per generationem; ergo est genita a Patre; ergo est[k] in se ipsa, cum significatum per 'genitum' sit in eo qui genitus est; ergo filiatio est in filiatione ».

5. « Item, filiatio est Filius et Filius est in Patre; ergo filiatio est in Patre; ergo Pater est Filius; ergo eadem ratione paternitas est in Filio; ergo Filius est Pater ».

6. Item, proprietates sunt quibus personae differunt; sed personae non differunt essentia, sed sunt unum essentia; ergo non est idem proprietas quod essentia.

Respondeo: Dicendum[l] quod paternitas est Deus eo modo quo est Deum modo abstracto dicere.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicimus[m] quod non sequitur quod si aliquid est idem alicui, quod supposito uno supponatur aliud, quia identitas in supponendo magis dependet a modo significandi consimili quam ab identitate significati.

— Ad illud vero quod dicitur[n] quod 'est omnino idem' etc.: dicendum quod hoc intelligitur in iis quae sunt eadem definitione; non autem[o] est definitio secundum nomen suum essentiae et proprietatis: neutrum enim in se definitionem habet, cum non habeant priora quibus cognoscantur[5].

2. Ad aliud dicendum[p] quod non sequitur ex hoc quod non sunt idem secundum rem, sed quod alia sit ratio intelligentiae, sicut non sequitur: 'albedo, in quantum huiusmodi, disgregat[6], et color, secundum se, non disgregat, ergo albedo non est color'. Illud tamen non est usquequaque simile, sed ut contingit sumere in creaturis.

3. Ad aliud dicendum quod auctoritas Augustini sic est intelligenda: essentia non est quo Pater est, quasi dicat: 'Pater non est essentia Pater, sed est', et[q] 'paternitate est[r] Pater'; et non est sensus: 'illud quo Pater est Pater[s] non est substantia Patris'. Negat enim[t] quod 'esse' non dicitur de Patre ratione paternitatis, sed ratione essentiae.

4. Ad aliud dicendum quod quidam[7] concedunt « conclusionem illius argumenti, hanc scilicet 'filiatio est a Patre et est per generationem a Patre'. Non tamen sequitur: ergo est genita a Patre, sed potius est genitus a Patre. Et haec ponitur instantia: Manus mea a patre meo est per generationem; ergo est genita a patre meo. Sed tamen Magistri nostri non concedunt hanc 'filiatio est a Patre per generationem', sed hanc 'filiatio est[u] Filio a Patre per generationem'; sicut in simili videtur: 'haec ecclesia est isti[v] ab episcopo' ».

5. Ad aliud dicendum « quod est ibi sophisma secundum accidens et 'esse in Patre' dissimiliter accipitur in propositione et in conclusione, quia cum dico 'Filius est in[x] Patre', sensus est: 'est[y] eiusdem essentiae cum Patre'. Sed cum dico 'filiatio est in Patre', sensus est: 'filiatio est proprietas Patris'; sed hoc falsum est ».

6. Ad ultimum dicendum quod attributio[z] fit ratione rei quandoque, ratione vero modi intelligendi quandoque; essentia enim et persona differunt in ratione intelligentiae, sed idem sunt in re, sicut 'animal rationale, mortale' et 'homo'

---

[a] R add. *deus;* PVS om. *sic.* [b] B add. *est;* G *est* pro *cum.* [c] B exp. [d] BRG *summe.* [e] B *altero;* L *hominem* pro *homine.* [f] B *autem.* [g] Codd. *ista* pro *e. i.* [h] B om. *s. p. e. P.* [i] V add. *Pater.* [k] V om. [l] G om. [m] L *dicendum.* [n] V *queritur,* BG *obicitur.* [o] PVS om. [p] G *vero.* [q] PR *ex.* [r] R exp. [s] V om. [t] PVS *etiam,* L *essentia;* RG *negatur* pro *negat;* PVS om. *Patris.* [u] PVS add. *a.* [v] S *ista.* [x] B *a.* [y] RL om., in B est add.; G om. *quia... est.* [z] G *attributum.*

[1] Cf. *In Cantica,* sermo 80, n. 6 (PL 183, 1169).
[2] *Proslog.,* c. 3 (PL 158, 228).
[3] Cap. 6, n. 11 (PL 42, 943).
[4] Sequentia, usque ad n. 6, fere verbotenus ap. Praeposit., loc. cit. (f. 81a).
[5] Cf. Aristot., *Topic.,* VI, c. 4 (I, 239).
[6] Cf. Aristot., *Topic.,* III, c. 5 (I, 203).
[7] Cf. Petr. Pictav., I *Sent.,* c. 28 (PL 211, 897): « Non video tamen cur debeat negari conclusio ». Verbotenus ap. Praeposit., loc. cit. (f. 81b), ubi et sequens.

idem sunt in re, sed differunt in ratione intelligentiae. Unde sicut non valet: 'animal rationale, mortale est definitio, homo non, sed est [a] definitum, ergo homo non est animal rationale, mortale', ita non valet ex hac parte: 'proprietas distinguit, essentia facit unum, ergo non sunt idem'; ex diversitate enim [b] dicendi concludit diversitatem vel differentiam essendi.

471

CAPUT III.

AN NOTIONES SINT IN ESSENTIA.

Tertio quaeritur an sint in essentia notiones seu proprietates [1].

a. Quia si sic, essentia iam substaret proprietatibus, cum nulli subsit, ut dicit Boethius, in libro *De Trinitate* [2].

b. Item, secundum hoc una esset hypostasis trium personarum et ita in Sabellianam haeresim esset declinare.

c. Item, quantum ad modum significandi est convenientia essentiae creatae et increatae; sed essentia creata secundum se non subest proprietati [c] huius individui aut personae vel illius; ergo nec divina essentia, cum maior dignitas sit ei attribuenda; proprietates [d] ergo non sunt in essentia.

d. Item, nullam rationem denominationis habet essentia a [e] proprietate, ut album dicitur ab albedine, ergo non est in ea.

Contra: 1. Ut genus vel species se habent in creaturis, ad illum modum divina essentia se habet in Deo [f]; sicut haec 'commune essentialiter', scilicet genera et species, ita haec 'commune essentialiter', scilicet essentia et relationes sunt ad modum differentiarum vel proprietatum individuantium; cum ergo differentiae sint positae in genere et proprietates individuantes positae [g] in specie, ut videtur, quare non dicuntur proprietates relativae esse in essentia?

2. Item, 33 dist. I libri *Sententiarum*, cap. *Quorum audaciae* [3], dicit Magister quod [h] proprietates sunt in essentia.

Respondeo: 1. Ad primum dicendum [i] quod non est simile de genere et differentiis et de [k] essentia et proprietatibus: nam ideo dicuntur differentiae positae in genere, quia genus quodammodo habet naturam materialem sive receptivam. — Praeterea [l], additione differentiae fit [m] res generis in specie, et tunc actu suscipit differentiam. Absit autem dicere divinam essentiam individuam quae nullatenus est receptiva; dicit enim Boethius, in libro *De Trinitate* [4], quod « est forma sine materia, nec est forma quae sit imago », vocans imaginem illam [n] quae est in materia vel habet materiae proprietatem, scilicet recipere [o]. — Praeterea, proprietates non adveniunt essentiae ut [p] essentia fiat persona: non enim divina essentia fit persona, sed per omnimodam simplicitatem persona est essentia et e converso, licet convenientius dicatur 'persona est essentia' [q].

2. Ad hoc quod dicit 'proprietates esse in essentia secundum Magistrum' [r]: dicendum quod abusive sumitur haec praepositio 'in', quia ea [s] utitur intransitive, ut sit sensus: 'essentia est proprietas'; sed huiusmodi sermones non sunt extendendi, sed coarctandi; vel per accidens dicitur [t]: quia enim persona est essentia et proprietates in persona sunt ut determinativae [u] earum, ideo dicit proprietatem in essentia, quia [v] est in persona quae est essentia.

472

CAPUT IV.

AN ADIECTIVA ESSENTIALIA DICANTUR DE NOTIONIBUS.

Quarto quaeritur an adiectiva essentialia dicantur de notionibus [5]. Cum enim nomina essentialiter dicta et substantive eis conveniant — notio enim est persona, notio est essentia, notio est Deus, notio est Pater — quaeritur utrum similiter [x] conveniant eis nomina adiectiva essentialia.

---

[a] BG om. [b] G *nec.* [c] PVS *proprietate.* [d] B om., R *proprietate,* G *proprietas.* [e] BG *cum.* [f] PV add. *ut,* quod S exp. [g] S om. [h] PVSL *que.* [i] BRGL om. [k] BRGL om. [l] G *Item.* [m] G *sunt.* [n] G om. [o] G add. *essentie.* [p] S (corr.) BGL *nisi.* [q] V om. *et... essentia.* [r] Ita R, alii *materiam.* [s] S om. [t] B *esse.* [u] V *indeterminative* pro *u. d.* [v] PV *qua.* [x] PV om., in S est add. mg.; G om. *conveniant.*

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 33, c. 2 (p. 210 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 33, dub. 2 (I, 581).

[2] Cf. cap. 2 (PL 64, 1250).

[3] Cap. 1 (p. 209 sq.).

[4] Cap. 2 (PL 64, 1250), ad sensum.

[5] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 33, a. un., q. 3 (I, 576 sq.).

Quod sic videtur: 1. Nam dicta [a] substantive eis conveniunt [b]: paternitas enim est immensitas et aeternitas; ergo est immensa et aeterna, vel quare non?

2. Item, quae dicuntur adiective de essentia possuntne dici adiective de notione? Si non: cum notio sit essentia, quare non? Si sic: ergo, cum essentia sit trium et incarnata et paternitas, quaeritur etiam si ea quae [c] appropriantur personis possunt dici de notionibus, ut dicatur 'paternitas potens' et 'filiatio sapiens' [d]. Quaeritur etiam si ea quae dicuntur de personis et de essentia in respectu ad creaturas vel aliquid connotando [e], possunt dici de notionibus, ut dicatur 'paternitas creans, regens' et huiusmodi. Si dicatur quod non, et hoc ideo quia supposita essentia non supponitur notio: hoc nihil est, quia supposita essentia non supponitur persona; tamen [f] sicut de essentia dicitur quod est creans, ita et de persona.

Respondeo: 1-2. Regulariter adiectiva essentialia quae pertinent ad rem essentiae solum, ita quod non dicunt respectum [g] ad personam nec dicunt modum essentiae nec appropriantur personis nec dicunt effectum in creatura, ut quae dicuntur [h] per abnegationem, ut 'aeternus, immensus', dicuntur de notionibus. Quae vero [i] dicunt respectum ad personam vel modum essentiae vel effectum in creatura vel appropriantur personis, non dicuntur de notionibus. Et ratio est: quia repugnat eorum intentio intentioni proprietatis; modus enim essentiae est indifferens et communis: quod repugnat intentioni proprietatis. Item, quae dicuntur in respectu ad personam vel ad naturam, ut 'trina, incarnata', similiter repugnant intentioni proprietatis: 'trina', quia [k] dicit pluralitatem vel [l] essentiam ut est plurium vel in pluribus, scilicet trium unius essentiae; 'incarnata' [m], quia importat unitionem: idem enim est dicere 'essentia est incarnata' quod 'essentia est carni unita'; solius autem substantiae est uniri. Item, quae appropriantur personis repugnant intentioni proprietatis sive notionis, ratione ipsius appropriationis; similiter quae connotant effectum in creatura, ut 'creans et regens', quia actus omnis a substantia egreditur, intentio autem proprietatis nihil dicit de substantia.

CAPUT V. 473

AN ADIECTIVA NOTIONALIA DICTA DE PERSONIS DICANTUR DE NOTIONIBUS.

Consequenter quaeritur an [n] adiectiva notionalia, quae dicuntur de personis, dicantur de notionibus, ut dicatur 'paternitas generans, filiatio genita' [1].

Ad quod sic: 1. Paternitas enim et Pater convertuntur et sunt idem; sed Pater bene dicitur generans; ergo et paternitas.

2. Item, adiectiva essentialia dicuntur de notionibus, et hoc propter identitatem notionis et essentiae; sed magis conveniunt adiectiva notionalia cum notionibus quam essentialia; cum ergo essentialia eis conveniant, multo fortius notionalia.

3. Item, in primis [o] est reflexio [p] supra se: unde unitas dicitur una; ergo [q], cum 'generatum' sit de primis, in [r] 'generatum' erit reflexio; ergo sicut dicitur 'unitas est una', ita dicetur 'generatio generat et est genita'.

4. Item [s], adiectiva essentialia dicuntur de notionibus; quare ergo non dicuntur adiectiva notionalia de essentia? Similis enim videtur habitudo notionalium ad essentiam et essentialium ad notionem.

Respondeo: 1. Adiectiva notionalia non dicuntur de notione substantive dicta; et ratio est: quia adiectivum notionale dicit proprietatem eius qui est sive personae. Unde sicut 'Deus' et 'deitas' in ratione differunt, quia 'Deus' dicit 'quod est', 'deitas' 'quo est' [2], sic persona et notio; nam persona dicit 'quis est' vel 'qui est', notio [t] vero 'quo est'. Quia ergo notio nihil dicit de substantia, et adiectiva quaerunt substantiam cui innitantur secundum modum dicendi, ideo non possunt dici de notione, sed de persona dicuntur. Unde non sequitur: 'Pater et paternitas convertuntur, sed generans dicitur [u] de Patre, ergo et de paternitate'; sicut non sequitur, cum persona et essentia conversim dicantur, ut quod dicitur de essentia dicatur de persona, immo est fallacia figurae dictionis ex commutatione praedicamenti.

---

[a] BG *differentia.* [b] B *communicat.* [c] P om. [d] R om. *p. e. f. s.* [e] R om. *v. a. c.* [f] PVS add. *quia.* [g] V add. *solum.* [h] R *dicunt.* [i] PVSBG *non*, quod RL corr.; G om. *respectum.* [k] PVS *quare*, quod L delev. [l] B *secundum.* [m] G om. *ut est... incarnata.* [n] P om. [o] G *personis.* [p] V *inflexio.* [q] B *unde*, quod L corr. [r] SR add. marg. *hoc quod dicitur.* [s] BG om. [t] V om. *nam... notio.* [u] R om.

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 27, p. 1, a. un., q. 1 (I, 467 sq.). | [2] Cf. supra, p. 536a, sub *Respondemus.*

2. Ad aliud dicendum quod in adiectivis essentialibus est intellectus absolutus; unde non repugnat intentioni proprietatis, quia nihil dicunt ultra essentiam: unde sicut dicere est propter identitatem et simplicitatem 'paternitas est essentia.', ita est dicere quod est aeterna. Notionalia vero dicunt [a] habitudinem ipsius hypostasis vel personae in quantum huiusmodi: inde est quod non possunt attribui proprietati, quia non habent intellectum hypostasis, sed solum proprietatum [b].

3. Ad aliud dicendum quod reflexio invenitur ubi est convenientia subiecti ad praedicatum; cum ergo 'generat', eo quod verbum [c], habeat de suo intellectu personam, non habitudinem personae, sed de sua significatione dicat ut actum personae solum, generatio vero nullo modo dicit personam, sed habitudinem personae, non poterit attribui generationi vel paternitati ut dicatur 'generatio generat' vel 'paternitas generat'.

4. Ad aliud dicendum quod intellectus personae ponit essentiam et non e converso, ponit etiam notionem; similiter notio secundum rationem intelligentiae ponit essentiam, sed non [d] e converso; ideo essentialia dicuntur de notione, sed non e converso. Sicut intellectus 'hominis' ponit 'animal' et non e converso [e] — unde quae per se dicuntur de animali, dicuntur de homine et non e converso, et [f] non ea quae dicunt modum animalis, ut genus — sic quae sunt essentiae, secundum quod essentia, dicuntur de notione, sed non e converso.

CAPUT VI.

DE COMPARATIONE IN DIFFERENTI ASSIGNATIONE NOTIONUM.

Restat quaerere de comparatione assignationum, de notionibus et [g] proprietatibus inter se. Et quaeruntur ista:

Primo, utrum eadem sit assignatio quando designantur [h] concrete et abstracte, substantive et adiective;

secundo, utrum contingat proprietates significari abstracte, quia hoc movit [i] Praepositinum [1] ut non poneret proprietates nisi in modo loquendi;

tertio, utrum opinio Gilberti dicenda sit haeretica, quamvis tactum sit supra [2], quia hoc pertinet ad declarationem negotii;

quarto, utrum eaedem sint proprietates quae sunt eiusdem personae;

quinto, de communitate huius intentionis 'proprietas' et 'relatio'.

474 ARTICULUS I.

Utrum eadem sit assignatio quando designantur concrete et abstracte, substantive et adiective.

Ad primum: Quaeritur a Lombardo, in *Sententiis*, I libro, dist. 27 [3], sic: « Utrum proprietates quas Hilarius assignat, scilicet quod Pater semper est Pater et Filius semper est Filius, sint illae eaedem proprietates quas Augustinus distinguit dicens proprium esse Patris quod genuit Filium, et proprium Filii quod genitus est a Patre, et Spiritus Sancti quod [k] ab utroque procedit; ac deinde, utrum istae sint illae quae dicuntur paternitas, filiatio, processio ».

1. « Videtur quod non sint eaedem proprietates quas ponit Augustinus et Hilarius. Si enim eaedem sunt, idem ergo est Patri [l] esse Patrem et genuisse Filium, quod utique quidam concedunt. Si autem hoc est, cui ergo convenit esse Patrem, convenit genuisse Filium; natura igitur divina, si Pater est, genuit Filium; si vero non genuit, Pater non est. Sed quis audeat dicere aut quod ipsa genuit Filium aut quod ipsa Pater non sit? Si autem ipsa Pater est nec Filium genuit, non est ergo [m] idem dicere aliquid esse Patrem et gignere Filium. Et ita non videtur una eademque esse proprietas ».

[Solutio]: Ad hoc respondet [4] « sine praeiudicio aliorum », dicens « quod easdem proprietates notavit uterque, licet diversis verbis. Quod enim ait Hilarius ita intelligi debet: proprium est Patris quod semper Pater est, id est proprietas Patris est qua semper Pater est, semper vero Pater est, quia semper genuit Filium; ita est proprium Filii

---

[a] P *dicuntur.* [b] BRGL *proprietatem.* [c] G *illum.* [d] PV om., in S est add. interl. [e] G om. *sicut... e converso.* [f] BRGL *sed.* [g] S *vel;* G *notionalibus* pro *n. e.* [h] G *assignantur.* [i] B *movi propter.* [k] B om. [l] PVSB *Patrem.* [m] G om.

1 Cf. supra, n. 463.
2 Loc. cit.
3 Cap. 1 (p. 171), ubi et sequentia verbotenus.
4 Scilicet Lombard., loc. cit.

quod semper est Filius, id est proprietas Filii est [a] qua semper est Filius, Filius vero semper est, quia semper genitus est. Ergo proprietas, qua Pater est Pater, est quia semper genuit, et haec eadem dicitur paternitas vel generatio; et proprietas, qua semper Filius est Filius, est quia semper genitus est a Patre [b], et haec eadem dicitur [c] filiatio vel nativitas; sic et proprietas, qua Spiritus Sanctus est Spiritus Sanctus vel Donum, est qua ab utroque procedit, et haec eadem dicitur processio [d]. In praemissis igitur locutionibus eaedem significatae sunt proprietates ».

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [e] quod obicitur quod [1] « non videtur omnino idem dicere aliquid esse Patrem et genuisse Filium: [dicimus] quia Patris nomen non tantum relationem notat, sed etiam hypostasim, id est subsistentiam significat, ita et Filius et Spiritus Sanctus. Relationum vero vocabula, scilicet 'paternitas, filiatio, processio vel gignere, gigni, procedere' ipsas tantum relationes, non hypostases, significant, sive habere Filium et habere Patrem. Verbi gratia, cum dicimus 'Deus est Pater', nomine Patris et relationem notamus et divinam hypostasim significamus, ut sit intelligentia talis: 'Deus vel divina essentia est Pater', id est 'ille qui genuit, scilicet hypostasis quae habet Filium'. Cum vero nomina relationum ponimus [f] in praedicatis, notiones ipsas tantum significamus, non hypostases, ut cum dicitur 'Deus genuit', id est 'habet Filium', et 'Deus genitus est', id est 'habet Patrem'; et tunc oportet intelligi in subiectis hypostases tantum, non essentiam, quae illis proprietatibus determinantur ».

Articulus II. 475

Utrum contingat proprietates significari abstracte.

Consequenter quaeritur utrum contingat significari proprietates in abstractione.

Quod videtur: 1. Cum enim intelligo personam, intelligo [g] habentem divinum esse ex proprietate incommunicabili; intelligendo [h] ergo personam, tres accipio intellectus, scilicet [i] suppositi, essentiae et proprietatis. Cum ergo unum istorum intellectuum sit accipere praeter alios, potest notio significari ut in abstractione a persona.

Contra: *a.* Non est abstractio nisi respectu concretionis; sed haec est in solis accidentibus, in quibus solum est denominativa praedicatio; ergo cum natura divina sit aliena ab accidentibus, ibi nullam continget significari abstractionem.

b. Item, generaliter verum est quod abstractum simplicius est eo a quo fit abstractio. Si ergo abstractio fit notionis a persona, simplicior est [k] notio quam persona; sed persona nihil potest esse simplicius, cum sit summe simplex; ergo non contingit significare proprietates in abstractione.

[Solutio]: Quod concedimus, quantum est de natura rei de qua loquimur. Sed quia [l] ratio ex proportione ad res creatas intelligens Creatorem non potest eum [m] in sua simplicitate intelligere, ex proportione [n] rerum creatarum loquitur de Deo ad infringendum pertinaciam eorum qui de Deo disputant secundum rationes creaturae convenientes: ideo in primitiva Ecclesia non erant huiusmodi nomina, sed pullulantibus haeresibus, a catholicis sunt inventa. Illud vero quod in Praefatione [2] dicitur, scilicet quod « in personis adoretur proprietas », sic intelligendum est: Deus Pater, cuius est proprietas, Deus Filius, cuius est proprietas, et Spiritus Sanctus, cuius est proprietas, adoretur [3].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud vero quod obicitur: dicendum quod etsi sit ibi multiplex intellectus, tamen ex parte rei est summa simplicitas; unde non est ibi abstractio secundum rem, sed solum secundum intelligentiam.

Articulus III. 476

Utrum opinio Gilberti Porretani dicenda sit haeretica.

Quaeritur tertio loco an opinio magistri Gilberti Porretani dicenda sit haeretica: nam dicit quod proprietas non [o] est essentia vel Deus [4].

1. Ad id vero videtur deducere [p] ut proprietas nihil sit aut [q] creatura aut in Deum cadat compositio rationis. Sed dicere proprietatem nihil

---

[a] Ita PV, alii om. [b] P nota mg. *Unde super illud Psalmi: Ego hodie genui te, dicit Cassiodorus: 'Hodie' non dicit temporis prefinitionem etc. G.* [c] L *est.* [d] L *filiatio*, sed videtur expunctum. [e] S *aliud.* [f] L *proponimus.* [g] VSL om. [h] V *intelligo.* [i] RG om., in B est add. interl. [k] BRG *erit.* [l] G om. [m] PVS *enim.* [n] S *portione.* [o] V om. [p] V *reducere.* [q] BG add. *in*, L *creature* pro *creatura.*

[1] Sequentia ex Lombardo, loc. cit., c. 2 (p. 172).
[2] SS. Trinitatis.
[3] Cf. supra, p. 661a, *ad b.*
[4] Cf. supra, num. 468.

esse, est dicere contrarium Sacrae Scripturae, cum Sancti multotiens nominent nomen proprietatis. Dicere autem quod proprietas sit creatura, haereticum est: dicit enim Augustinus, in libro *De Trinitate* [1], quod triplex est genus hominum male de Deo loquentium. Sunt enim quidam qui « ea quae de corporalibus [a] sive per sensus corporeos experta noverunt sive quae natura ingenii vel artis vivacitate perceperunt, ad res incorporeas et spirituales transferre conantur ut ex iis illa metiri valeant. Alii vero sunt qui secundum humani [b] animi naturam de Deo sentiunt, et [c] ex hoc errore, cum de Deo disputant, sermoni suo distortas et fallaces regulas fingunt. Est aliud genus hominum [d] qui universam creaturam nituntur transcendere ut ad incommutabilem substantiam, quae Deus est, erigant intentionem, sed mortalitatis onere praegravati, cum et videri volunt scire quod nesciunt, et quod volunt scire non possunt, praesumptiones suas audacius affirmando intercludunt [e] sibimet intelligentiae vias, magis eligentes sententiam suam non corrigere perversam quam [f] immutare defensam. Et hic quidem omnium [g] morbus est trium generum quae proposui, et eorum scilicet qui secundum corpus de Deo sapiunt et eorum qui secundum spiritualem creaturam sicut est anima, et eorum qui neque secundum corpus neque [h] secundum spiritualem creaturam [i] et tamen de Deo falsa existimant », non secundum creaturae similitudinem, « eo remotiores a vero quod nec in corpore nec in condito spiritu nec in Creatore reperiuntur ». Ex hac auctoritate accipitur quod attribuere Deo [k] quod est creaturae haereticum est.

2. Item, dicere quod vera [l] compositio rationis est in Deo, est contra fidem: tunc enim non esset Deus omnino simplex.

3. Praeterea, in Concilio Rhemensi [m] [2], ut testatur Bernardus, *Super Canticum canticorum* [n] [3] damnata fuit opinio Gilberti Porretani, qui posuit assistentiam formarum; « haec enim [o], tamquam cetera digna reprehensione reperta, damnavit proprio ore, sententiae episcoporum [p] humiliter acquiescens [4] ».

Respondeo [q] quod non est probabile tam peritos viros haeresim sensisse, licet verba eorum viderentur aliquibus haeresim sonare. Nec fuit inter eos contradictio secundum rem vel [r] ad intellectum, quia sicut dicit Lombardus, in *Sententiis*, 32 dist., cap. 3 [5]: « Alia est ratio intelligentiae cum dicitur 'essentia' et cum dicitur 'hypostasis' vel 'persona' »; similiter alia est ratio intelligentiae multo fortius cum dicitur 'essentia' et cum dicitur 'proprietas'. Secundum hoc processerunt ponentes assistentiam formarum, maxime cum dicat Boethius, in libro *De Trinitate* [6]: « Iam patet quae sit differentia praedicationum, quod aliae quidem quasi rem monstrant, aliae vero quasi rei circumstantias, quodque [s] illa quidem praedicantur [t] ut esse aliquid demonstrant, illa vero non ut esse, sed potius extrinsecus aliquid assignant ». Praeterea, subiungit in eodem libro [7]: « Relatio non dicitur ad id de quo praedicatur, quasi sit ipsa secundum rem persona de qua dicitur ». Quod totum referendum est [u] ad rationem intelligentiae: si enim referretur ad rationem rei, haeresim saperet; et secundum hoc sermo ponentium formarum assistentiam [v] potuit damnari. — Est iterum identitas rei, et secundum hoc est dicere quod persona, proprietas et essentia sunt unum in re, et sic dicebant contrarie opinantes. Si vero ponentes assistentiam [x] formarum credebant sic esse in Deo sicut est in creaturis, in haeresim sunt lapsi, vel si de Deo posuerunt quod nec verum est de ipso nec de creaturis: proprietas enim personae non est ipsa persona in creaturis nec essentia; non sic autem est in Deo. Licet autem verum sit, secundum [y] quod dicit Boethius [8], quasdam praedicationes esse eorum quae « extrinsecus aliquid assignant », nec ex hoc sequitur quod proprietates sint separatae a Deo, sed quod sint in singulis personis, quarum intellectus per illas definitur. Ut ergo distinctio fieret intelligentiae inter ea quae praedicant substantiam et quae praedicant ad aliquid, posita est huiusmodi ratio differentiae. — Ad illud vero quod postea ponitur in secunda auctoritate, dicendum [z] quod non intelligit Boethius quod relatio non sit persona de qua praedicatur, sed quod supposita relatione non supponitur persona.

---

[a] RL *corporibus*. [b] G *humanam*. [c] P om. [d] G om. [e] PVS *includunt*, quod L corr., B *interducunt*. [f] G *quasi*. [g] G om. [h] PVS om. *u. s. c. n.*, in L est add. mg. [i] S exp. *s. s. c.* [k] G om. [l] PV om., in S est add. mg. [m] PV add. *damnata fuit*, quod S exp. [n] B om. [o] B *tamen*. [p] G *eorum*. [q] PS *respondens*, V *respondes*. [r] BL add. *secundum*. [s] BRG *quodcumque*. [t] G *predicant*. [u] Ita VS; alii om. [v] L *existentiam*. [x] B *assistentium*. [y] B om. [z] BRGL add. *est*.

[1] Lib. I, c. 1 (PL 42, 819 sq.).

[2] Anno 1148. Cf. Denz.-Bannwart, *Enchir.*, n. 389.

[3] *Sermo* 80, n. 8 (PL 183, 1170).

[4] S. Bonav., I *Sent.*, d. 33, a. un., q. 1 (I, 572b) notat de opinione Gilberti: « Haec positio, etsi rationabilis aliquo modo fuit, tamen stare non potest, quia ponebat relationes in divinis nec Deum esse nec creaturas. Unde etsi in principio sui modicum contineret errorem, ducebat tamen ad magnum; et ideo retractata fuit in Concilio Rhemensi, et magister Gilbertus Porretanus ore proprio retractavit ».

[5] Dist. 34, c. 1 (p. 216), ad sensum.

[6] Cap. 4 (PL 64, 1253).

[7] Cap. 5 (PL 64, 1254).

[8] Loc. cit.

ARTICULUS IV. 477

Utrum eaedem sint proprietates quae sunt eiusdem personae[1].

Quarto loco quaeritur utrum sint eaedem proprietates quae sunt eiusdem personae.

Ad quod sic: 1. Videtur quod paternitas sit idem quod innascibilitas sic: 'Esse ingenitum'[a] est 'esse quem', et 'esse Patrem' est 'esse eumdem'; cum ergo unaquaeque persona divina sit simplex, idem est 'esse ingenitum' et 'esse Patrem'; ergo idem est paternitas et innascibilitas.

2. Item, propter simplicitatem personae, licet in persona sit intelligere hypostasim et proprietatem, est vere dicere quod proprietas est hypostasis et e converso, quod non erit[b] dicere in creatura, in qua non est persona simplex, sed composita; ergo a simili propter eamdem rationem est dicere quod innascibilitas in Patre est paternitas in Patre, et sic idem.

3. Praeterea, innascibilis, secundum Hilarium[2], in quantum huiusmodi, est auctor; sed in quantum quis est auctor in divinis est spirans vel gignens; ergo innascibilis, in quantum huiusmodi, spirans est vel gignens; ergo[c] per locum a coniugatis, innascibilitas est idem quod paternitas vel spiratio[d].

Contra: *a*. Dicit Augustinus[3]: « Si Pater nunquam genuisset Filium, nihilominus innascibilis esset ». Ergo non est eadem notio innascibilitas et paternitas.

Respondeo: 1. Quia 'ingenitus' dicit hypostasim et 'Pater' similiter eamdem, idem est personaliter 'esse Patrem' et 'esse ingenitum', sed[e] non notionaliter; cum autem dicitur 'innascibilitas', nihil dicitur nisi notio, et ideo non est haec vera 'innascibilitas est idem quod paternitas'.

2. Ad aliud dicendum quod simplicitas essentiae non tollit quin persona removeatur a persona, ut licet Pater sit Deus et Filius Deus, nihilominus Pater non est Filius; eodem modo simplicitas personae non tollit quin removeatur notio a notione, sed ponit quod persona dicitur de utraque notione: est enim vere dicere 'innascibilitas est Pater' et[f] 'paternitas est Pater', sicut habetur in *Sententiis*, I libro, 33 dist.[4].

3. Ad tertium dicendum quod haec est duplex 'in quantum est auctor est spirans vel Pater'; 'auctor' enim dicitur aequivoce, cum dicitur idem quod 'innascibilis'[g] et iterum cum dicitur idem quod 'spirans' et cum dicitur idem quod 'Pater': aequivoce enim accipitur hic cum dicitur 'in quantum innascibilis est auctor' et cum dicitur 'in quantum est auctor[h] est spirans' vel[i] 'Pater'; nam cum dicitur idem 'auctor' quod 'innascibilis', solum privat originem sive esse ab alio; cum vero dicitur idem quod 'spirans' vel 'Pater', ponit auctorem principii respectu illorum qui sunt ab ipso.

ARTICULUS V. 478

De communitate huius intentionis 'proprietas' et 'relatio'.

Restat quaerere quinto loco de communitate huius intentionis 'proprietas' et 'relatio'.

a. Cum enim nihil sit commune personis tribus nisi substantia vel essentia, quaeritur[k] qualiter hoc nomen 'proprietas' sit commune: non enim idem significat quod 'persona' vel 'essentia'[l], quae secundum substantiam dicuntur.

b. Praeterea, si secundum proprietates est distinctio[m] et incommunicabilitas, qualiter tunc secundum eas[n] erit communicatio?

Contra: 1. In eo quod una persona non est alia, in hoc habent commune unam non esse aliam: hoc autem est distingui[o]; quid autem est proprietas nisi[p] quo persona a persona distinguitur? in hoc ergo proprietas est in non habendo commune; ergo commune habent non-commune.

Respondeo: Dicendum quod hoc nomen 'proprietas'[q] commune est secundum negationem, et est praedicta ratio peccans secundum quid et simpliciter. — Si dicatur[r]: est commune secundum negationem, ergo est commune – nihil in Trinitate dicitur simpliciter commune nisi essentia,

---

[a] L *genitum*. [b] Codd. *erat*. [c] B om. *innascibilis... ergo*. [d] G om. *Item propter... spiratio*. [e] BRGL *licet*. [f] S *ut*. [g] VL *innascibilitas*. [h] V om. *et... auctor*. [i] S add. *spirans*. [k] PVS add. *ergo*. [l] S *substantia*. [m] G *definitio*. [n] BRG *eos*. [o] GL add. *in hoc ergo habent commune distingui*. [p] B add. *per*. [q] S exp. [r] S (mg.) L add. *quod*.

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 33, a. un., q. 3 (I, 576 sqq).
[2] Cf. *De Trinit.*, IX, n. 31 (PL 10, 305).
[3] *De Trinit.*, V, c. 7 (PL 42, 914).
[4] Cf. cap. 1 (p. 208).

sed [a] cum aliqua determinatione quae aliquando trahit in oppositum, sicut si dicatur commune secundum negationem. Nota de communitate huius intentionis 'relatio' et 'notio' quod est communitas secundum rationem intelligentiae, sicut et nomina secundae intentionis in aliis, ut intentio generis et speciei, quemadmodum dictum est supra de communitate personae [1].

479 CAPUT VII.

AN CONCRETE UNA NOTIO POSSIT DE ALIA PRAEDICARI.

Ultimo quaeritur, ad maiorem evidentiam praedictorum, an concrete una notio possit de alia praedicari [2].

Ad quod sic: 1. Una persona non praedicatur de alia; cum igitur quinque sint notiones differentes [3] sicut tres personae, videtur quod nulla notio de altera [b] praedicetur, et ita generans non esset innascibilis neque spirans.

2. Praeterea, generans non est procedens, neque genitus est generans neque procedens; quare videtur quod similiter generans non est innascibilis vel spirans.

Respondeo: Quaedam notiones dicunt relationes sibi ôppositas ad invicem, quaedam differentes tantum, sed non oppositas. Differentes autem dicuntur relationes et oppositae quae ad se invicem dicuntur et hae non possunt habere eamdem hypostasim vel [c] idem suppositum, quia non possunt esse in eodem relatio et correlatio [4]: quod patet per definitionem relativorum. Et ideo, quia 'genitus' et 'generans' et 'procedens' et 'spirans' relative dicuntur ad invicem, non potest unum de altero praedicari. Similiter 'procedens', licet non dicatur relative ad generantem vel genitum, opponitur eis [d] tamen negative [e] sicut genitum ingenito [f]: quod patet ex definitionibus eorum, scilicet generantis, geniti et procedentis. Sed 'innascibilis, spirans et generans', licet significent differentes relationes, non tamen ad invicem relative dicuntur nec opponuntur alio genere oppositionis, ideo potest unum de altero praedicari. — Aliter potest dici quod aliud est proprietas personalis, aliud proprietas personae; unde relationes personales et proprietates personales non communicant in una hypostasi [g], sed plures proprietates personae possunt; sed quae communicant in una hypostasi [h], de se invicem praedicantur; quae autem non, non possunt: ideo una proprietas personalis non praedicatur de alia, quia penes ipsas differunt personae, sed una proprietas personae potest de alia praedicari.

---

[a] B *et.* [b] RL *alia.* [c] S *et.* [d] P *ei.* [e] V *negatione.* [f] G *ingenitum.* [g] Codd. *unam hypostasim* pro *i. u. h.* [h] P *hypostasim.*

[1] Cf. supra, num. 389.
[2] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 33, a. un., q. 3 (I, 576 sqq.).
[3] Cf. supra, num. 465.
[4] Cf. Aristot., *De categor.*, c. 8 (I, 17).

SECTIO II. — De nominibus notionalibus in speciali.

QUAESTIO I.

DE NOTIONIBUS NON CONNOTANTIBUS EFFECTUM IN CREATURA.

Inquisito [a] de notionibus in generali, inquirendum est in speciali. Notandum [b] ergo quod notiones designantur [c] dupliciter: uno modo, non connotando effectum in creatura, et huiusmodi conveniunt personis ab aeterno, ut 'innascibilis', 'generans' etc.; alio modo, connotando, et dicuntur de personis ex tempore, ut 'datus', 'missus' etc.

Primo, ergo dicendum [d] de notionibus non connotantibus [e] effectum in creatura, quae dicuntur ab aeterno;

secundo, de notionibus effectum connotantibus, quae dicuntur ex tempore.

Item, nomina notionum sive proprietatum non connotantium sunt duobus modis: nam, sicut dictum est [f] [1], quaedam sunt proprietates personales, ut 'paternitas, filiatio, spiratio', quaedam non personales, sed personae, ut 'innascibilitas' et 'communis spiratio'. De nominibus proprietatum seu notionum personalium patet declaratio ex praedictis, ubi inquiritur de nominibus personalibus propriis et relativis 'Pater, Filius et Spiritus Sanctus' [2]: unius enim sunt inquisitionis. Restat autem [g] inquirere de nomine 'innascibilitatis' [h] sive 'ingenerationis' et de nomine 'communis spirationis', quae non sunt proprietates personales.

Primo ergo [i] quaeritur de innascibilitate;

deinde de communi spiratione.

Item, de innascibilitate quaeruntur [k] ista:

Primo, utrum dicatur secundum relationem;

secundo, utrum sit notio vel proprietas;

tertio [l], utrum proprietas Patris;

quarto, utrum eadem notio [m] quae est paternitas;

quinto, utrum remota paternitate intelligi possit persona innascibilis.

TITULUS I.

DE INNASCIBILITATE.

CAPUT I. 480

UTRUM INNASCIBILITAS DICATUR SECUNDUM RELATIONEM [3].

Ad primum sic proceditur: *a.* Quaecumque differunt, substantialiter vel secundum accidens differunt; sed 'genitus' et 'ingenitus' non differunt secundum accidens; ergo differunt substantialiter; quare non est eadem substantia geniti [n] et ingeniti, et ita sequitur haeresis Ariani. — Contra: Maior est substantialis differentia quam accidentalis; sed in divinis non potest esse differentia

---

[a] P *inquisitio.* [b] P add. *autem.* [c] L *distinguuntur.* [d] BRGL *dicendo.* [e] BRG *connotando*, L *notantibus.* [f] P om. [g] BRGL om. [h] P *innascibilitatibus.* [i] G om. [k] B *ponuntur.* [l] G *Item tertio.* [m] L add. mg. *sit innascibilitas.* [n] V *genita*, B om. *ita.*

[1] Cf. supra, num. 467. [2] Cf. supra, num. 405 et sqq. [3] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 28, a. un., q. 1 (I, 496 sqq.).

accidentalis propter summam simplicitatem essentiae; ergo nec differentia substantialis. Praeterea, in divinis non est differentia nisi secundum relationem; ergo secundum substantiam non different res divinae, quia quae secundum relationem differunt, minime differunt; et hoc est quia mutatis relationibus non necesse est mutari ea quibus relationes insunt.

b. Item, Augustinus[1]: Quidquid dicitur de Deo, dicitur aut secundum substantiam aut secundum relationem. — Contra: Innascibilitas non dicitur secundum substantiam aut secundum relationem. Item, dicitur in *Sententiis*[a], I libro, 26 dist.[2], quod non quidquid dicitur[b] secundum substantiam, necesse est dici secundum accidens[c].

Contra: 1. Omne ens aut est substantia aut accidens[3]; ergo omne quod dicitur, secundum substantiam aut secundum accidens dicitur; quidquid vero non dicitur secundum substantiam, dicitur secundum accidens.

2. Item, omne quod dicitur de aliquo, aut est in subiecto aut non. Si in subiecto est, dicitur secundum accidens; si non est in subiecto, substantia est; ergo etc.

Respondeo: Dicendum quod istae differentiae, 'secundum substantiam', 'secundum accidens', licet immediate se habeant in creaturis, non tamen in divinis. Unde Augustinus, in libro *De Trinitate*[4], contra Arium dicit: Non sequitur: 'ingenitus[d] non praedicatur secundum accidens, ergo praedicatur secundum substantiam', sed sequitur: 'ergo praedicatur secundum substantiam[e] vel secundum relationem'. In creaturis vero praedicari secundum relationem continetur sub praedicatione accidentali, quoniam in creaturis relatio sub accidente continetur; non sic autem potest esse in divinis, quoniam Deo nihil potest accidere. Secundum hoc ergo, cum quaeritur utrum genitus et[f] ingenitus differant secundum substantiam vel secundum accidens, non sufficienter dividitur in divinis, sed deberet addi[g] 'vel secundum relationem'. Tamen, ut dicit Ambrosius[5], in divinis non est separatio vel diversitas aut differentia, sed distinctio; unde non est concedendum in personis esse differentiam nisi cum determinatione, sed[h] distinctionem. — Aliter potest dici quod 'differre aliqua substantialiter' dicitur dupliciter: vel quia secundum substantiam differunt, et sic 'genitus' et 'ingenitus' non differunt substantialiter; vel quia differunt per se[i] proprietatibus quae[k] sunt ipsi qui differunt: et hoc modo praedicta differunt[l] substantialiter; Pater enim et Filius, cum differant paternitate et filiatione, secundum se differunt, quoniam Pater est paternitas et Filius est[m] filiatio[6]; possunt etiam dici[n] differre substantialiter, ut substantia dicatur hypostasis, non prout sumitur pro essentia[7].

[Ad obiecta]: 1-2. Ad illud quod obicitur dicendum[o] quod illae divisiones non sunt entis universaliter, sed solummodo entis creati; non enim in ente increato cadit accidens vel esse in subiecto: ideo praecedit[p] alia divisio. Unde Augustinus, in V libro[q] *De Trinitate*[8], ita respondet Ariano sic opponenti: « Quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur; quapropter 'ingenitum esse' Patri secundum substantiam est, et 'genitum esse' Filio secundum substantiam est; diversum est autem 'ingenitum esse' et 'genitum esse'; diversa est ergo substantia Patris et Filii. Quibus respondemus: Si[r] quidquid de Deo dicitur, secundum substantiam dicitur, ergo quod dictum est[9]: *Ego et Pater unum sumus*, secundum substantiam dictum est; una est igitur substantia Patris et Filii. Aut si[s] hoc non secundum substantiam dictum est, dicitur ergo aliquid de[t] Deo non secundum substantiam, et ideo non cogimur secundum substantiam intelligere 'genitum' et 'ingenitum' ». — Et consequenter ostendit quod 'ingenitus' dicitur secundum relationem, dicens[10]: « Cum vero ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur; cum autem relativum negatur, non secundum substantiam negatur, quia ipsum relativum non secundum substantiam dicitur. Negativa ergo[u] particula non efficit illud ut quod sine illa relative dicitur, eadem praeposita[v], substantialiter dicatur, sed id[x] tantum negatur quod sine illa aiebatur, sicut in ceteris praedicamentis; velut cum dicimus 'homo est', substantiam[y] designamus, et qui dicit 'non homo est', non aliud genus enuntiat, sed tantum illud negat. Sicut ergo[z]

---

[a] B add. *in*. [b] V om. [c] G om. *Contra: Innascibilitas... accidens*. [d] V *unigenitus*. [e] V om. *sed... substantiam*, in PS est add. mg. [f] V om. *g. e*. [g] V om. [h] B *et*. [i] L *id est* pro *p. s.*; R add. *et*, BG add. *id est*. [k] VG *qui*; V *ibi* pro *ipsi*. [l] S om. [m] L om. [n] PV *ipsi*, quod S exp. et corr. in mg.; G om. *etiam*. [o] PVS om. [p] B *procedit*. [q] BRGL om. [r] Codd. *sic*. [s] V *secundum*. [t] PV om., in S est add. mg.; G om. *aliquid*. [u] G *vero*. [v] PS *proposita*, V *prepositiva*; BRG *relatione* pro *relative*. [x] V *ideo*. [y] G *subiectum*. [z] L *enim*.

1 Cf. *De Trinit.*, V, c. 5 (PL 42, 914).
2 Cap. 3 (p. 165).
3 Cf. Aristot., *Phys.*, I, c. 2 (II, 249).
4 Loc. cit., c. 6 (PL 42, 914), ad sensum.
5 Cf. *De fide*, IV, c. 8, n. 91 (PL 16, 634).
6 Cf. supra, num. 469.
7 Cf. supra, num. 402.
8 Cap. 3 (PL 42, 913).
9 Ioan. 10, 30.
10 Loc. cit., cc. 6 et 7 (PL 42, 915 sq.).

secundum substantiam aio cum dico 'homo est', sic [a] secundum substantiam [nego] cum dico 'non homo est' »; et sic in ceteris praedicamentis. « Quae cum ita sint, quia relative aio cum dico 'homo est filius', relative nego cum dico 'non filius est'. Ac si quantum [b] valet quod dicitur 'filius', tantum valet quod dicitur 'genitus', tantum [c] ergo valet quod dicitur 'non-genitus', quantum valet quod [d] dicitur 'non-filius'. Relative autem negamus dicendo 'non-filius', relative igitur negamus dicendo 'non-genitus' [e]. Ingenitus porro quis [f] est nisi non-genitus? Non ergo receditur [g] a relativo praedicamento, cum 'ingenitus' dicitur. Quod autem relative praedicatur non indicat [h] substantiam: ita quamvis diversum sit 'genitus' et 'ingenitus' [i], non indicat substantiam diversam, quia sicut filius ad patrem et non-filius ad non-patrem refertur, ita genitus ad genitorem et non-genitus ad non-genitorem [k] referri necesse est ».

CAPUT II. 481

UTRUM INNASCIBILITAS SIT NOTIO VEL PROPRIETAS.

Consequenter quaeritur utrum innascibilitas sit notio vel proprietas [1].

Et videtur quod non sit notio [a]: 1. Quia 'ingenitus' vel 'innascibilis' non dicit quid sit, sed quid non sit; unde non est nisi negatio vel privatio; negatio autem vel privatio non facit cognoscere aliquid simpliciter [b] nec ostendit aliquam dignitatem vel perfectionem; unde non facit notionem vel proprietatem: sic enim essent infinitae proprietates, sicut quod 'non est Filius', quod 'non est Spiritus Sanctus'.

[Solutio]: Ad hoc notandae sunt plurium opiniones [2]. Quidam dicunt quod innascibilitas est quaedam proprietas quae inest Patri ex eo quod ipse a nullo est et alii sunt ab eo.

Sed contra [c]: Quod ipse a nullo est, hoc negatio est, quod alii ab ipso sunt, affirmatio est; sed ex affirmatione et negatione nihil est, cum negatio nihil sit; ergo innascibilitas non est proprietas ex illis existens. — Item, quod alii sint a Patre, hoc in aliis est, non in Patre; ergo ex hoc non debet esse aliqua proprietas in Patre, sed in aliis [d]. — Item, si aliqua proprietas inest Patri ex hoc [e] quod ipse est a nullo et aliae personae ab ipso sunt, eadem ratione aliqua proprietas inest Spiritui Sancto ex eo quod nulla est ab ipso et ipse est ab aliis; et similiter aliqua [f] proprietas inest Filio ex eo quod ipse est ab aliquo et alius [g] ab eo; et ita erunt plures quam distinctae sint notiones.

Propter hoc exponunt quod sic intelligendum est: innascibilitas est proprietas quae inest Patri ex eo quod ipse [h] a nullo est et ipse est [i] principium aliorum. — [Sed iterum obicitur: Pater non est principium aliorum nisi] [k] vel per generationem vel per spirationem vel per creationem; ergo secundum hoc innascibilitas non est aliqua nova [l] notio, alia a generatione vel spiratione.

Alii dicunt quod innascibilitas est universalis auctoritas sive principalitas quae in solo Patre est, essentia autem [m] divina non habet auctoritatem nisi [n] respectu creaturarum.

Sed contra: Aut dicitur universalis [o] principalitas, quia Pater est omnium aut quia universaliter intellecta. Si primo modo: ergo principalitas illa universalis non est aliud quam generatio vel spiratio vel creatio. Si dicatur universalis principalitas, quia universaliter intellecta [p], non propter hoc erit alia notio quam generatio vel spiratio vel creatio nisi ponatur homo [q] communis qui non sit Sortes et Plato et sic de aliis; sed [r] hoc nihil est.

Alii dicunt quod innascibilitas est fontalis [s] plenitudo quae est in Patre et non est ad [t] aliquid; sicut grammatica, licet sit alicuius, non tamen est ad aliquid: ita fontalis plenitudo, licet sit alicuius plenitudo, non tamen est ad aliquid [u].

Sed contra: Dicit Augustinus [3]: « Quidquid dicitur de Deo aut dicitur secundum essentiam aut secundum relationem ». Ergo fontalis plenitudo si non dicatur de Patre secundum relationem, dicetur de eo [v] secundum essentiam;

---

[a] G om. [b] BRL *tantum*. [c] V *quantum*. [d] B *cum*. [e] S *non Filius genitus* pro *n. g.* [f] BRGL *qui*. [g] PVSBG *reciditur*; V om. *a*, in P est add. interl. [h] R add. *secundum*; G om. *praedicatur*. [i] P om. *e. i.*; G *dicat* pro *indicat* [k] S add. *refertur*; G *referatur* pro *referri*.

[a] V *notio sit proprietas notio* pro *n. s. n.* [b] PVSR *similiter*. [c] PVS *constat*. [d] G om. *Item... aliis*. [e] GL *eo*. [f] L *alia*. [g] BRG *alii*. [h] R om. [i] BRG om. [k] Ita habetur ap. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 17c) et videtur hic omissum per homoeoteleuton. [l] Ita L (corr.), PVS *tota*, BRG *nota*; PVSL om. *a*. [m] V om. [n] BR add. *in*. [o] S add. *proprietas et*; B *principaliter* pro *principalibus*, G om. *quae in solo... principalitas*. [p] RG *intelligitur*; V *que* pro *quia*. [q] PV *nec ponitur ut* pro *n. p. h.*, quod S corr.; BRG *notio* pro *creatio*. [r] B *et*. [s] V *formalis*. [t] S om., V om. *est*; B *tempore* pro *Patre*. [u] PV om. *ita fontalis... aliquid*, in S est add. mg. [v] P *Deo*.

[1] Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 28, c. 1 (p. 177); S. Bonav., I *Sent.*, d. 28, a un., q. 1 (I, 496sqq).

[2] Sequentia, usque ad *et ita negatio distinctiva est* (p. 684a), verbotenus ap. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 5 (f. 17b sq.).

[3] *De Trinit.*, V, c. 5 (PL 42, 914), ad sensum.

ergo fontalis plenitudo [a] dicitur de essentia divina; ergo et innascibilitas; sed est [b] hoc falsum. — Item, fons, in quantum fons, habet fluere; ergo est ad aliquid.

Alii dicunt quod innascibilitas est notio Patris per modum privationis: est enim innascibilitas privatio essendi ab alio [c] in eo a quo sunt omnes alii, scilicet in Patre; dignitas est enim Patri [d], a quo sunt omnes alii, non esse [e] ab alio, sicut dignitas est alicui regi non habere regnum ab alio, et per hoc distinguitur Pater ab aliis personis [f], sicut ovis non signata ab omni ove signata. Nec sequitur: 'innascibilitas est notio, ergo est'; sicut non sequitur: 'passio Christi est articulus, ergo passio Christi est'. Et quod ita sit videtur per Augustinum [1], qui dicit quod « 'ingenitus' non dicit de Patre quid sit, sed quid non sit »; et praepositio [g] illa privativa non mutat praedicamentum. Aristoteles [2] etiam dicit quod sicut risibile proprium est hominis, ita non-risibile proprium est non-hominis; et ita negatio distinctiva est.

Nota ergo primo: In quocumque genere per negationem determinari oportet 'quid', non [h] eo quod habeant imperfectionem [i] vel defectum, sed quia non habent alia priora ante se quibus notificentur, sive quia noster intellectus non est potens hoc intelligere vel manifestare prout sunt in sua natura. Unde dicit Philosophus [3] quod sicut oculus noctuae ad lucem diei se habet, ita intellectus ad naturae manifestissima. Ideo [k], dicit Damascenus [4] quod de Deo possibile est scire [l] quid non est, quid est autem est impossibile. Secundum hoc dicit Boethius, in libro *De duabus naturis* [5], quod Deum [m] cognoscimus privatione. Similiter Philosophus [6] definiens substantiam dixit ipsam esse ens non in alio, quoniam si diceretur quod est 'ens per se' et quaereretur 'quid [n] ens per se?' oporteret hoc [o] per negationem determinare [p]. Ideo entia prima et perfectissima oportet negatione determinare [q], non quod illae negationes ostendant defectum in eis, sed quia nos non possumus intelligere quod subest negationibus, quod est ens perfectissimum. Innascibilitas [r] ergo, cum dicitur notio Patris, non denotat defectum, sed potius perfectionem, quae [s] significatur cum dicitur 'Pater est a se', sed quia hoc non [t] possumus intelligere quomodo aliquid est a se, negatione determinamus.

Si autem quaereretur quae esset perfectior secundum rationem intelligentiae notio Patris, innascibilitas aut paternitas: dicendum quod innascibilitas quantum est ex parte rei, paternitas vero [u] quantum ex parte intellectus nostri [v]. Hoc enim est quaerere, cum Deus sit ens perfectissimum, utrum magis ei debeat attribui perfectio quod non est ab alio vel quod est principium et causa aliorum [x], et forte secundum utrumque determinatur summa perfectio in ipso, sed differenter: per unum quantum ad substantiam, per alterum quantum ad virtutem [y] sive potentiam.

482 CAPUT III.

UTRUM INNASCIBILITAS SIT PROPRIETAS PATRIS.

Quaestio consequens est utrum innascibilitas sit proprietas Patris [7].

Quod sic videtur: *a.* Quia sufficienter distinguit personam Patris ab omni alia persona; ergo est proprietas.

Contra: 1. Pater dicitur ingenitus eo quod non est ens ab alio per generationem; sed hoc similiter convenit Spiritui Sancto; ergo non est proprium Patris, sed commune Patri et Spiritui Sancto esse ingenitum.

2. Item, videtur quod 'ingenitus', secundum quod dicitur negative, convenit essentiae, quia essentia non est ens ab alio; ergo non est propria notio Patris.

3. Item, si innascibilitas distinguit Patrem, ad quid erit [z] alia proprietas distinguens?

4. Item, quae prius distinguit personam Patris, innascibilitas aut paternitas?

5. Item, cum procedere non conveniat Patri sicut nec nasci, quare assignatur proprietas Patri per privationem nativitatis, scilicet innascibilitas,

---

[a] R add. *non.* [b] BRGL *et* pro *s. e.* [c] PV add. *et,* quod S exp. [d] Ita ap. Guil. Altissiod., loc. cit.; codd. *sed in Patre dignitas est* pro *scilicet... Patri.* [e] PVS *est.* [f] G om. *et per... personis.* [g] BG *propositio.* [h] R add. interl. *est;* codd. *quod* pro *quid.* [i] PVS *esse imperfectum,* G *perfectionem.* [k] PVS *item.* [l] L *sive.* [m] PVS *bene.* [n] G add. *est.* [o] Ita PV, BRGL om., S *ergo.* [p] BRGL *negationes declarare* pro *n. d.;* P add. *item;* RGL *essentia* pro *entia,* quod B corr. [q] RGL *terminare.* [r] BRGL *innascibilis.* [s] V *quia.* [t] V *nomen.* [u] PVS om., B *enim.* [v] BRGL *inteligentie nostre* pro *i. n.* [x] L om. [y] G *veritatem.* [z] PVS *est.*

1 Loc. cit., c. 6 (PL 42, 915).
2 *Topic.*, V, c. 6 (I, 230).
3 Aristot., *Metaph.*, I, c. 1, lect. brev. (II, 486).
4 *De fide orthod.*, I, c. 4 (PG 94, 799).
5 Cap. 1 (PL 64, 1341).
6 Aristot., *De categor.*, c. 3 (I, 2).
7 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 28, a. un., qq. 3 et 4 et d. 29, dub. 1 (I, 501sqq. et 516).

et non similiter per privationem processionis, ut improcessibilitas?

Respondeo: 1. 'Ingenitus', sicut et ignorantia, dicitur dupliciter: negative et quasi contrarie. Primo modo convenit Patri, secundo modo convenit Spiritui Sancto; et ideo 'ingenitus' non potest esse communis notio utrique, cum dicatur de eis multipliciter. Nec iterum 'ingenitus', prout dicitur quasi [a] contrarie, id est habens proprietatem distinctam et quasi contrariam generationi, est alia notio a processione: Spiritus enim Sanctus, eo quod procedit ab alio per spirationem, est ingenitus.

2. Ad aliud dicendum quod 'non ens ab alio' dicitur dupliciter: aut quia nullo modo est ens ab alio nec in se nec in alio aut non ens ab alio in se, tamen est ens [b] ab alio in alio. Primo modo non convenit essentiae et est Patris proprietas; secundo modo convenit essentiae cum determinatione, et sic non est proprietas Patris, ut [c] sit sensus: essentia est in Filio a Patre.

3. Ad aliud dicendum quod innascibilitas non dicit habitudinem ad alias personas, cum sit habitudo Patris ad Filium una et ad Spiritum Sanctum alia: quare necessariae fuerunt [d] duae notiones quae dicerent has habitudines.

4. Ad aliud dicendum quod 'prius' dicitur dupliciter: ante quod nihil vel quod proximius; per prius ergo distinguit innascibilitas, quia nihil ante, sed paternitas immediatius et proximius.

5. Ad aliud dicendum, sicut dictum est prius de spiratione [1]. Vel dicendum quod innascibilitas secundum rationem intelligentiae dicit non ens ab alio per generationem; potest ergo fieri negatio simpliciter [e] ut negetur esse ab alio, et sic includit in se ingenerationem et improcessionem, et sic est proprietas Patris. Vel potest fieri abnegatio huius totius 'esse ab alio per generationem', et sic non est proprietas Patris: sic enim 'non-processibilitas' esset Patris [f] proprietas. Sed ad illud solutum est plenius in Quaestione De numero notionum [2].

CAPUT IV. 483

UTRUM INNASCIBILITAS SIT EADEM NOTIO QUAE EST PATERNITAS.

Postea quaeritur an innascibilitas sit eadem notio quae est paternitas vel alia [3].

Quod alia: *a.* « Probat Augustinus [4] quia "si Pater nunquam genuisset Filium, nihilominus esset ingenitus" vel innascibilis; sed si non genuisset, non esset Pater; ergo non esset paternitas; sed innascibilitas esset; ergo innascibilitas proprie est alia notio quam paternitas ».

Contra [g]: 1. « Videtur prima propositio esse falsa, quia si Pater nunquam ge .uisset, non esset Pater, quia non esset paternitas, et ita non esset persona, quia paternitas facit hanc personam; et ita si Pater nunquam genuisset, simpliciter non esset, et ita non esset innascibilis vel ingenitus ».

2. Item, cum dicitur 'innascibilis' vel 'ingenitus' et cum dicitur 'Pater', dicitur eadem persona; ergo idem est dicere Patrem et ingenitum.

3. Item, cum in persona sit omnimoda simplicitas, nihil est in Patre quod non sit Pater; ergo paternitas est Pater; ergo similiter, propter omnimodam simplicitatem, paternitas est quidquid est in Patre; ergo paternitas est innascibilitas. — Item, simplicitas essentiae tanta est quod facit omnia essentialia eadem; ergo simplicitas personae faciet omnia notionalia eadem.

4. Item, in Filio nascibilitas et filiatio sunt eadem; ergo similiter in Patre innascibilitas et paternitas sunt idem.

5. Item, supposito, secundum Hilarium [5], quod innascibilitas dicat idem [h] quod auctoritas — vult enim dicere quod innascibilitas est idem quod non ens ab alio a quo alius — sic [i] ergo et innascibilis est idem quod auctor; sed Pater non est auctor nisi per paternitatem aut spirationem; ergo innascibilitas erit idem quod paternitas vel communis spiratio.

Respondeo: *a.* Ad primum « dicendum [k] [6] quod Augustinus non habuit respectum ad naturam essendi, sed ad naturam intelligendi. Concedimus enim [l] quod si Pater non genuisset, non esset; sed intellecto quod non genuit, bene potest intelligi quod sit ingenitus, innascibilis, quia intellecta innascibilitate non intelligitur paternitas, ad minus distincte ».

---

[a] BG om. [b] BRGL om. [c] BRGL add. *sic.* [d] P add. *aut.* [e] BRG *similiter.* [f] BRGL *improcessibilitas esset Patri* pro *n. p. e. P.* [g] PVS *si non.* [h] S om. [i] B *sit*, BRGL om. *et.* [k] BRGL om. [l] V om.

[1] Cf. supra, *ad 1.*
[2] Cf. supra, num. 465.
[3] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 28, a. un., q. 1 (I, 496 sqq.).
[4] *De Trinit.*, V, c. 7 (PL 42, 914); hoc et sequens (*Contra n. 1*) verbotenus ap. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 4 (f. 17 c).
[5] Cf. *De Trinit.*, IV, n. 33 (PL 10, 120).
[6] Verbotenus ap. Guil. Altissiod., loc. cit.

1. Ad aliud dicendum quod alia est proprietas innascibilitas[a], alia paternitas: haec enim dicit proprietatem qua non est ab alio, illa qua alius ab ipso per generationem.

2. Ad illud[b] quod obicitur quod 'innascibilis et Pater sunt idem': dicendum quod idem sunt personaliter, non idem notionaliter. Eadem enim et una est persona cui conveniunt hae duae proprietates, non tamen eadem notio, quia non eadem habitudine ei[c] conveniunt.

3. Ad aliud dicendum quod simplicitas essentiae non tollit relationem vel habitudinem, quia non detrahit eius simplicitati, ita nec simplicitas personae[d] tollit pluralitatem notionum vel differentem habitudinem personae. Nec est simile quod simplicitas essentiae facit essentialia eadem, quia non posset esse differentia in essentialibus cum simplicitate essentiae, sed cum simplicitate personae potest esse differentia habitudinum.

4. Ad aliud quod obicit quod 'sunt idem in Filio nascibilitas et filiatio': dicendum[e] quod idem sunt, differentia solo[f] nomine; sed filiatio duo dicit: 'esse ab alio', 'per generationem'; 'esse ab alio' non est dignitatis[g], sed quod 'per generationem', hoc est dignitatis, et ideo est notio. Similiter in Patre duo sunt: quod non ab alio est, contra illud quod Filius est ab alio; esse autem non ab alio dignitatis est, et ideo notio est. Item, quod alius ab eo per generationem, dignitatis est: ideo paternitas notio Patris est; ideo in Patre sunt duae notiones, in Filio nonnisi una.

5. Ad ultimum dicendum quod 'auctor' dicitur essentialiter tota Trinitas respectu creaturae. Dicitur etiam[h] notionaliter, et hoc tripliciter: dicit enim quandoque innascibilitatem, ut cum dicitur 'Pater est auctor' absolute, hoc est 'non ab alio', sicut dicitur maior; quandoque vero 'auctor' dicit paternitatem, ut cum dicitur 'Pater est auctor Filii'; quandoque vero spirationem, ut cum dicitur auctor respectu Spiritus Sancti.

« Ex[1] praedictis patet quod deceptus fuit Arius, sicut ostendit Augustinus, V *De Trinitate*, volens probare quod Pater fuit maior Filio hoc argumentatione: Pater est innascibilis vel ingenitus; Filius est genitus; ergo Pater est maior Filio. Non valet haec argumentatio propter commutationem praedicamenti, quia 'innascibilis' pertinet ad praedicamentum relationis, 'maior' pertinet[i] ad praedicamentum substantiae, cum sit adiectivum quantitativum. Dicunt ergo quod 'innascibilitas notio est privativum in eo a quo fluit quidquid potest fluere, sed notio est in Patre, quia per eam cognoscitur Pater et discernitur; proprietas est, quia ei soli convenit: si enim essent duae personae in deitate, quarum utraque non esset ab alio, non esset summa germanitas et summa fecunditas ibi[3]. Sciendum etiam quod cum dicitur 'Pater est auctor Filii et Spiritus Sancti', hoc nomen 'auctor' significat communiter paternitatem et spirationem et praeterea innascibilitatem, quia primo auctoritas dicitur esse in solo Patre[k], tantum valet 'auctor' quantum 'principium sine principio' »[l].

484 CAPUT V.

UTRUM REMOTA PATERNITATE INTELLIGI POSSIT PERSONA INNASCIBILIS.

Restat quaerere utrum remota per intellectum paternitate possit intelligi Pater in proprietate innascibilitatis.

Ad quod obicitur *a.* verbo Augustini[4]: « Si Pater non genuisset Filium, nihilominus esset ingenitus » vel innascibilis. Videtur enim quod sit vera simpliciter, quia dicit Dominus, Ioan. 8,54: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est.* Ergo Patrem noverunt Iudaei; sed non in quantum Pater, quia Iudaei non distinguunt personas[m]; ergo in quantum innascibilis, et ita cognoscitur ille qui est Pater in quantum innascibilis vel ingenitus, sine paternitate.

b. Item, Iudaei et gentiles philosophi concedunt istam 'ille qui est a nullo creavit te'; ergo ille **qui est innascibilis creavit te; de Patre vero in quantum est Pater, nihil sciunt; ergo quantum** ad illos, non intellecta paternitate, vera est ista 'iste[o] creavit te', demonstrato illo qui est innascibilis; ergo Pater, etsi non genuisset Filium, nihilominus esset ille qui est innascibilis; ergo nihilominus esset persona, quia iste terminus 'ille qui est'[p] supponere non potest nisi pro persona.

c. Item, dicunt quod 'innascibilis' est notio ejus a quo quidquid fluit fluere potest; aut ergo 'innascibilis' dicit principium a quo fluunt omnia vel[q] possunt omnia fluere. Si primo modo, et

[a] L add. interl. *et.* [b] BRGL om. *a. l.* [c] G om. [d] PVSGL add. *non*, quod BR exp. [e] BRG add. *est*; V om. *idem.* [f] B[illegible] *lum*; G om. *duo.* [g] PV *dignitas*, quod SL corr. [h] G *differentiam* pro *d. e.* [i] P om. [k] PV om., in S est add. mg. [l] V o[illegible] [m] G om. *tantum principio.* [n] G om. *sed personas.* [o] Ita B (interl.) L, alii om. [p] L add. mg. *innascibilis.* [q] V add[illegible]

[1] Sequentia verbotenus ap. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 4 (f. 17d). [2] Cap. 3 (PL 42, 913), ad sensum. [3] Cf. supra, num. 319.

[4] *De Trinit.*, V, c. 7 (PL 42, 914); sequentia usque [illegible] *Hic est quaestio addenda* exclusive (p. 687b), verbotenus ap. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 17 d et 18a).

CAPUT I.

DE INTENTIONE 'PRINCIPII'.

Quantum ad primum, notandum quod hoc nomen 'principium' [a] in divinis accipitur tripliciter: uno modo dicitur Pater principium Filii per generationem; alio modo dicitur Pater cum Filio principium Spiritus Sancti per spirationem; tertio modo dicitur principium communiter Pater cum Filio et Spiritu Sancto universae creaturae per creationem. Primo modo nomen principii soli Patri convenit: secundo modo Patri et Filio; tertio modo unicuique personae. Circa hoc dubitatur multipliciter:

Primo [b], utrum hoc nomen 'principium' secundum tres modos praedictos dicatur aequivoce; secundo, cui primo convenit ratio principii.

485 ARTICULUS I.

Utrum 'principium' dicatur aequivoce [1].

Ad primum sic: 1. Pluralitas vel paucitas suppositorum non mutat [c] rationem termini; sed principium, prout sic dicitur, non differt nisi secundum paucitatem et pluralitatem suppositorum; ergo etc.

Contra: *a.* Unum tantum uni opponitur uno genere oppositionis [2]; sed diversa sunt quae relative dicuntur ad principium, prout sic tripliciter dicitur; ergo principium, dictum ad illa [d], dicitur multipliciter.

b. Item, principium ordinem denotat [3]; sed principium uno modo dicit ordinem temporalem, alio modo dicit ordinem aeternum; sed aeternum et temporale non possunt univocari.

Respondeo: Non dicitur univoce, sed secundum analogiam, et hoc est secundum prius et posterius secundum intelligentiae rationem; esse enim principium alicuius idem est quod origo ad illud [4]; origo autem ad [e] alium erit de substantia aut non de substantia. Si non de substantia: sic dicitur principium creaturae ipsa Trinitas. Si de substantia: aut ergo [f] est origo per modum naturae et per generationem, et hoc modo Pater est principium Filii; aut per modum voluntatis et [g] spirationem, et hoc modo Pater et Filius sunt principium Spiritus Sancti.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur dicendum quod principium non differt solum secundum paucioritatem et pluralitatem suppositorum, sed secundum rationem principii, eo quod principium uno modo est de substantia sua producens alterum, alio modo de nihilo; sed producere de se et de alio sunt actus differentes et secundum rationem et secundum [h] definitionem.

486 ARTICULUS II.

Cui primo conveniat ratio principii.

Secundo quaeritur I. cui primo conveniat ratio principii.

[Solutio]: Ad quod potest dici absolute quod principium dicitur secundum prius de principio generationis quam de principio creationis; tamen quoad humanam [i] intelligentiam e converso est, quia ordinem aeternorum non possumus cognoscere nisi per ordinem creaturarum.

II. Iuxta hoc quaeritur, cum dicatur de Patre quod est principium Filii et Spiritus Sancti, utrum similiter possit dici quod est prius iis vel ante.

III. Item, quaeritur utrum principium, prout dicitur essentialiter, prius sit secundum rationem intelligentiae quam principium secundum quod dicitur notionaliter.

---

[a] V add. *etiam.* [b] BRGL *et primo.* [c] R *mutant.* [d] PVS *ab illo* pro *a. i.* [e] V *aut.* [f] B *substantiis* pro *s. a. e.* [g] V *aut,* L add. *per.* [h] S om. [i] B *habendam.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 39, a. 1, q. 2 (I, 510sqq.).
2 Cf. Aristot., *De caelo*, I, c. 2 (II, 368).
3 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 1 (II, 514).
4 Cf. Aristot., loc. cit.

Quod sic videtur: 1. Quia secundum illum modum tenetur principium essentialiter, sed secundum alios modos personaliter vel notionaliter; ergo cum essentia secundum rationem intelligentiae prius sit quam persona vel notio, principium, secundum illum modum dictum, erit prius quam [a] secundum alios modos. — Praeterea, universalius est illo modo, quia pluribus convenit [1].

Contra: *a.* Hoc modo principium dicitur ex tempore; sed principium secundum alios modos ab aeterno; aeternum autem prius est temporali.

b. Item, generare et [b] spirare prius sunt quam creare, et ita videtur quod principium, dictum essentialiter, posterius [c] sit secundum rationem intelligentiae.

Respondeo II. quod non dicitur in divinis prius vel [d] ante, sed principium, quia hoc nomen 'principium' non dicit ordinem temporis, sed magis naturae; sed haec nomina 'prius' et 'ante' secundum suam intentionem [e] dicunt ordinem temporis; unde nunquam alium ordinem significant nisi trahantur per adiunctum ad alium [f] ordinem, ut 'prius natura vel causa'.

III. Ad aliud dicendum quod duplex est ordo intelligentiae: unus secundum apprehensionem naturalis rationis, et in hac via prius est intentio [g] principii accepti essentialiter quam notionaliter: ratio enim [h] naturalis prius accipit de essentia quod sit principium quam intelligat in divinis personam [i] personae principium [k]; alius est secundum apprehensionem fidei, et in hac via prius est intentio principii accepti [l] notionaliter: prius enim fides dicit personam personae principium de substantia, postmodum dicit personas creaturae esse unum principium, non [m] de substantia. Unde Hilarius, *De Synodis* [2]: « Dicturus unam catholicus substantiam Patris et Filii, non inde incipiat neque hoc quasi [n] maximum teneat, tamquam sine hoc vera fides nulla sit; tuto unam substantiam dicet, cum ante dixerit 'Pater ingenitus [o] est, Filius natus est' ».

CAPUT II.

DE INTENTIONE 'PRINCIPII' DICTA ESSENTIALITER.

Consequenter quaeritur de intentione principii [p] dicta essentialiter. Et quaeruntur duo:

Primum est [q] utrum intentio principii dicatur ab aeterno vel ex tempore;

secundum [r], utrum Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint unum principium creaturae vel plura.

ARTICULUS I. 487

Utrum intentio 'principii' dicatur ab aeterno vel ex tempore [3].

Quantum ad primum quaeritur utrum hoc nomen [s] 'principium', dictum essentialiter [t], dicatur ab aeterno.

a. Et dicitur in I *Sententiarum*, dist. 29 [4], quod non, « quia non dicitur principium nisi ad creaturas; unde cum creaturae esse coeperunt, coepit esse principium creaturarum ».

Contra: 1. Deus conditor est ab aeterno; unde in hymno [5]: « Aeterne rerum Conditor »; ergo est [u] principium ab aeterno.

2. Item, ab aeterno fuerunt creaturae in Deo; sed non fuerunt in eo nisi sicut in causa vel principio; ergo Deus ab aeterno fuit principium et causa.

Respondeo quod non sequitur: 'est [v] principium aeternum, ergo est principium ab aeterno'. In prima enim notatur aeternitas respectu suppositi, in conclusione vero notatur aeternitas respectu effectus connotati in creatura.

Sed contra: Christus, secundum Augustinum [6], dicitur « homo recens et Deus aeternus »; ergo dicitur homo ex tempore, Deus ab aeterno; sed constat quod [x] ratione suppositi non dicitur [y] homo ex tempore, quia suppositum est persona

---

[a] G om. [b] PVS *vel.* [c] B *prius.* [d] PV add. *causa*, quod S exp. [e] BRGL *institutionem.* [f] PVS *illum*, G om. *ad.* [g] PVS *intentione.* [h] Ita L, alii *autem.* [i] L add. *esse.* [k] B add. *item.* [l] BRGL *accepta.* [m] V om. [n] BG *quod.* [o] V *unigenitus.* [p] S add. *dicatur ab eterno vel ex tempore.* [q] BRGL *primo* pro *P. e.* [r] BRGL *secundo.* [s] R om. *h. n.* [t] B *de Deo naturaliter* pro *d. e.*; G om. *dictum.* [u] PVR om., in S est add. [v] P *et.* [x] B om. [y] BRG *dicetur*, L *diceretur.*

1 Cf. Aristot., *Periherm.*, c. 7 (I, 27).
2 Num. 69 (PL 10, 526).
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 29, dub. 3 (I, 517sq.).
4 Cap. 2 (p. 183).
5 In officio Dominicae, ad Laudes.
6 *Enarr. in Psalm. 80*, n. 13 (PL 37, 1039); cf. Praepositi., *Summa*, I (f. 85b).

aeterna; sed ratione ipsius formae humanae dicitur homo recens sive ex tempore; ergo similiter non dicetur[a] ratione suppositi Conditor aeternus.

Respondeo[1] « quod hoc nomen 'aeternus' potest sumi[b] substantive, et hoc nomen 'Conditor', quod est adiectivum significatione, potest sumi adiective, et ita hoc adiectivum determinabit illud substantivum 'aeternus', et sic haec propositio[c] est vera 'Deus est aeternus Conditor', id est[d] aeternus qui condidit. Si vero e converso 'Conditor' sumatur substantive, 'aeternus' adiective, falsa est, et est sensus: est[e] aeternus Conditor, id est aeternaliter condidit. Et secundum hoc verum est quod dicit Augustinus quod Christus est homo recens, id est recenter homo ».

Sed iterum contra[2]: *Ego sum alpha et omega, principium et finis,* Apoc. 1,8; sed[f] finis est in aeternum; ergo principium est[g] ab aeterno.

Respondeo[3]: Nomina quae connotant aliquid in creatura, aut connotant respectum, ut 'Dominus, Dominator', aut effectum, ut 'misericors, Creator' et huiusmodi. In iis ergo quae connotant respectum vel effectum, distinguendum[h] est, quia aut dicunt in actu aut in habitu. De illis[i] quae connotant in habitu potest dici quod conveniunt Deo ab aeterno: notatur enim aptitudo dominii ad servum, cum dicitur 'Dominus ab aeterno'; sed non potest dici 'Dominator ab aeterno', quia non habuit servum ab aeterno. Dicendum ergo: si Deus dicatur principium absolute, potest dici principium ab aeterno, quia non dicit effectum in actu, sed in habitu; sed si dicatur cum determinatione, ut dicatur principium creaturae, non potest dici ab aeterno.

488

ARTICULUS II.

Utrum Pater et Filius sint unum principium creaturae vel plura.

Deinde quaeritur utrum Pater et Filius sint unum principium creaturae vel plura[4].

Et quod unum, patet per Augustinum[5] dicentem: « Unum principium ad creaturam cum Patre et Filio est Spiritus Sanctus, non duo principia ». Sed videtur Apostolus[k] velle quod ii tres sint tria principia, quoniam copulatio praepositionum non permittit idem significari per illa tria, cum dicitur Rom. 11,36: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.*

Respondeo quod illa tria[l] relativa referuntur ad hunc terminum 'Deus', prout supponit pro diversis personis, et notatur[m] alia et alia habitudo per illas praepositiones[n]. Prima enim praepositio notat originem, secunda rationem mediam operationis, tertia conservationem. Et haec tria tribus personis appropriantur: unde ex adiunctis relativa trahuntur ad personas, et[o] ratione illorum diversorum connotatorum fit copulatio[6]. Exponit autem Hilarius has praepositiones, in IV *De Trinitate*[7], hoc modo: « Novit unum Deum Ecclesia[p], *ex* quo omnia; novit unum Dominum Iesum Christum, *per* quem omnia: ab uno, universorum originem; *per*[q] unum, cunctorum creationem; *in* uno, potestatem[r] nihil differentem ab auctore[s] veneratur. Et intellige[t] quod haec est potestas gubernandi ». Ex iis patet quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unum principium creaturae, licet approprietur[u] sub quadam ratione Patri, sub quadam Filio, sub quadam Spiritui Sancto.

CAPUT III.

DE INTENTIONE 'PRINCIPII' SUMPTA NOTIONALITER.

Consequenter quaeritur de intentione principii sumpta notionaliter. Circa[v] quod:

Primo, quaerendum est[x] de circumlocutionibus quae ponuntur[y] secundum Augustinum[z 8]: principium sine principio, principio de principio;

secundo, an divina essentia sit principium Spiritus Sancti;

---

[a] L *diceretur.* [b] S om. [c] PVS *prepositio.* [d] PVS *et* pro *i. e.* [e] PVSR om. [f] Ita S (mg.) L, alii om. [g] L om.; R om. *ergo.* [h] P *distinguendo.* [i] P *iis;* PVS *qui* pro *quae.* [k] G *amplius.* [l] PVS om.; P om. *quod.* [m] V add. *quod.* [n] B *propositiones.* [o] L *in.* [p] B *etiam,* in G vacuum. [q] V om. [r] PV *facere,* quod S. corr. [s] S add. *nominatur et.* [t] PVS *intelligendum.* [u] PVR *appropriet.* [v] V add. *hoc,* B om. *c. q.* [x] L om. [y] V *que circumlocutionibus* pro *d. c. q. p.* [z] PVS *Hugonem.*

1 Verbotenus ap. Praeposit., loc. cit.
2 Cf. Praeposit., loc. cit.
3 Cf. supra, num. 373.
4 Cf. Lombard., I *Sent.*, d. 29, c. 2 (p. 183 sqq.).
5 *De Trinit.*, V, c. 13 (PL 42, 920).
6 Cf. supra, num. 461.
7 Num. 6 (PL 10, 99).
8 *Contra Maximin.*, II, c. 17, n. 4 (PL 42, 784).

tertio, an Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti;

quarto, utrum sint idem principium Spiritus Sancti;

quinto, utrum Pater et Filius sint unus spirator Spiritus Sancti [a];

sexto, de unitate spirationis secundum quam Pater et Filius sunt principium Spiritus Sancti.

ARTICULUS I. 489

De circumlocutionibus 'principium sine principio', 'principium de principio' [1].

Circa primum nota quod dist. 29, I *Sententiarum*, in fine primi capituli [2], concluditur secundum Augustinum, supposita multiplicitate huius nominis 'principium' [b]: « Pater est principium sine principio, Filius principium de principio [c], Spiritus Sanctus principium de utroque ».

I. Quaeritur igitur, cum dicitur 'Pater est principium sine principio', utrum principium dicatur essentialiter vel notionaliter.

1. Essentialiter non, ut videtur, quia essentia non est principium Filii; nec notionaliter, quia non pro innascibilitate sumitur, quia innascibilitas non dicitur respective, principium autem respective dicitur; nec pro paternitate, quia paternitas dicitur solum respectu Filii, principium vero dicitur respectu Filii et Spiritus Sancti. Nec potest dicere notionem spirationis, quia spiratio Filio convenit, non autem convenit ei esse principium sine principio.

II. Similiter quaeritur, cum dicitur Filius 'principium de principio', utrum principium stet ratione essentiae vel [d] ratione notionis.

1. Ratione essentiae non, quia non est ab alio nec de principio; nec pro [e] notione quae sit in Filio, quia non pro filiatione: filiatio enim solum pertinet ad Filium, sed principium de principio pertinet ad Spiritum Sanctum; nec pro spiratione, quia communis spiratio convenit Patri, cui non convenit principium de principio.

III. Similiter quaeritur, cum Spiritus Sanctus dicitur 'principium de utroque', utrum principium sumatur pro [f] essentia vel pro notione.

1. Pro essentia non, quia essentia non est de utroque; nec pro notione, quia Spiritus Sanctus non dicitur principium [g] nisi respectu effectus in creatura; quidquid autem dicit effectum in creatura convenit Trinitati; ergo non sumitur pro notione.

2. Praeterea, omnis notio aeterna est; sed Spiritus Sanctus non est principium ab aeterno, sed ex tempore, ut habetur supra [3].

Respondeo: I. Proprietates sive notiones aliquando significantur [h] distincte, aliquando indistincte: distincte, ut cum dicitur 'paternitas, filiatio, processio'; indistincte, ut cum dicitur 'principium'. Cum ergo dicitur 'Pater est principium sine principio', circumlocutio [i] dicit notionem paternitatis et innascibilitatis [k], sed confuse: cum enim dicitur 'sine principio', dicitur notio innascibilitatis qua est 'non ab alio'; cum dicitur 'principium', dicitur 'a quo alius', et dicitur notio [l] paternitatis, sed indistincte a communi notione quae est spiratio. Dicitur ergo Pater principium sine principio secundum notiones, non unam, sed [m] plures, et confuse sive indistincte.

II. Similiter cum dicitur Filius 'principium de principio', dicitur secundum notiones plures et indistincte: cum enim dicitur 'de principio', dicitur ab alio, et in hoc dicitur [n] notio filiationis, sed indistincte. Cum vero dicitur 'principium', dicitur quod alius [o] ab eo, et sic dicitur notio spirationis, sed indistincte; dicitur ergo Filius 'principium de principio' notionaliter secundum [p] plures notiones et [q] indistincte.

III. Cum autem dicitur Spiritus Sanctus 'principium de [r] utroque': dicendum quod 'principium' dicit essentiam, sed supponit pro persona Spiritus Sancti propter adiunctum quod est 'de utroque', sicut cum dicitur 'Deus de Deo'. — Vel [s] dicendum quod cum dicitur 'principium de utroque', duplex ordo notatur per hoc nomen 'principium': secundum enim nomen suum dicit ordinem ad creaturas, sed virtute praepositionis adiunctae dicit ordinem quasi ad prius, et hoc modo notat ordinem qui est processio, alio modo non.

---

[a] G om. *quarto... Sancti.* [b] S (mg.) L add. *quod.* [c] V om. *F. p. d. p.* [d] G *quia.* [e] S *de.* [f] V *de.* [g] G *est principium ab eterno* pro *d. p.* [h] L *significant.* [i] G *circulatio.* [k] V *paternitas innascibilitas* pro *p. e. i.* [l] Ita SL, PVBRG *nomen.* [m] L *secundum;* S *sed* pro *et.* [n] B om.; V *sive* pro *sed.* [o] PVG *filius,* quod S corr. [p] V om. [q] V add. *sic.* [r] L *ab.* [s] PVS *respondeo.*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 29, a. 1, q. 1 et dub. 2 (I, 508 sqq. et 517).

[2] Pag. 183.

[3] Cf. supra, num. 487.

490 ARTICULUS II.

An divina essentia sit principium Spiritus Sancti.

Consequenter quaeritur an essentia sit principium Spiritus Sancti.

Ad quod sic[1]: 1. Principium Spiritus Sancti est essentia; ergo essentia est principium Spiritus Sancti a simplici conversa.

2. Item, nonne [a] haec est vera 'essentia est Pater Filii'? hic enim est sensus: 'essentia est persona generans Filium', et haec est vera; ergo et illa 'essentia est principium Filii'; ergo eadem ratione 'essentia est [b] principium Spiritus Sancti'.

[Solutio]: Ad hoc plures respondent quod haec falsa sit 'essentia est principium Spiritus Sancti', quia iste terminus 'principium Spiritus Sancti' non praedicat nisi relationem, et est sensus: 'essentia est spirans Spiritum Sanctum'. Hanc etiam dicunt esse falsam 'essentia est Pater Filii', quia cum dico 'essentia est Pater', ibi hoc vocabulum 'Pater' intelligitur cum [c] articulo, gallice '*li* [d] *Père*', et secundum hoc est haec vera, si sine articulo, falsa est [e]; si addatur genitivus, non potest poni nisi sine articulo. Nobis autem videtur, sicut diximus[2], quod haec possit dari 'essentia est Pater Filii', quia iste terminus 'Pater', sive ponatur cum genitivo sive sine genitivo, praedicat personam cum proprietate et tantum valet 'Pater' quantum 'persona generans' [f], et 'Pater Filii' quantum 'persona generans Filium'. Similiter haec potest dari 'essentia est principium Spiritus Sancti' et praedicatur ibi persona vel personae cum proprietate, et est sensus: 'essentia est principium Spiritus Sancti', id est persona spirans Spiritum Sanctum vel personae spirantes uniformiter Spiritum Sanctum. — Sed si inferant: ergo spirat Spiritum Sanctum – instantia per expositoriam: essentia est persona spirans Spiritum Sanctum [g]; ergo essentia spirat [h] Spiritum Sanctum.

491 ARTICULUS III.

An Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti.

Consequenter quaeritur utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti[3].

Ad quod sic: *a.* Isidorus, in libro *De Trinitate*[4]: « Non [i] una res et duorum consubstantialis poterit ab eis procedere et simul inesse nisi unum fuerint [k] illi a quibus procedit ». Ergo Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti.

b. Item, Augustinus, V *De Trinitate*[5]: « Si quod datur vel quod [l] procedit, principium habet a quo datur vel procedit, fatendum est Patrem et Filium unum esse [m] principium Spiritus Sancti, non duo principia ».

c. Item, una est proprietas qua Pater et Filius sunt principium Spiritus Sancti, et illa proprietas est in utroque; ergo illae duae personae sunt unum [n] principium Spiritus Sancti.

d. Item, Boethius, in libro [o] *De Trinitate*[6], dicit quod philosophi ex rationibus propriis argumentantur: Sortes est homo, Plato est homo, ergo Sortes et Plato sunt plures homines; theologi vero ex propriis rationibus sic argumentantur: « Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, ergo sunt unus Deus ». Inferunt autem philosophi pluraliter, propter pluralitatem humanitatum quae sunt in pluribus hominibus; theologi vero singulariter inferunt propter singularitatem divinitatis. Ergo a simili ratione erit inferre: 'Pater est principium Spiritus Sancti, Filius est principium Spiritus Sancti, ergo Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti', propter singularitatem spirationis, ratione cuius sunt principium Spiritus Sancti. Item, hoc nomen 'principium' supponit pro Patre, et ratio huius est: quia spiratio convenit Patri; similiter supponit

---

[a] V *notione*. [b] G *et*. [c] G add. *hoc*. [d] BR *le*. [e] VS om. [f] G add. *Filium*. [g] V om. *vel personae... Sanctum*. [h] PVS *est spirans*. [i] Ita L, alii *nam*. [k] PVS *fuerit*; codd. *illius* pro *illi*. [l] RG om. [m] PS *est*, quod V corr. [n] S om. [o] PVS *fine*.

[1] Omnia sequentia in hoc Articulo verbotenus ap. Praepositi., *Summa*, I (f. 83bc).

[2] Cf. supra, p. 426b, *ad 5*.

[3] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 29, a. 2, q. 1 (I, 512 sqq.).

[4] *Sent.*, I, c. 15, n. 2 (PL 83, 568).

[5] Cap. 14 (PL 42, 921).

[6] Cf. cap. 1 et Gilb. Porret., in h. l. (PL 64, 1249 et 1262); omnia verbotenus apud Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 6 (f. 18c), ubi etiam primum argumentum sub *Contra*.

pro Filio, quia spiratio convenit[a] et Filio; ergo eodem modo supponit pro[b] illis duobus insimul; ergo haec est vera 'Pater et Filius sunt unum principium'[c] pro duabus personis.

Contra: 1. Principium Spiritus Sancti est demonstrato Patre, similiter principium Spiritus Sancti est demonstrato Filio; et hoc principium non est illud principium, quia Pater non est[d] Filius; ergo Pater et Filius non sunt unum principium Spiritus Sancti.

2. Item [1], Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti; ergo sunt unum principium quod est Pater vel quod non est Pater. Sed non quod non est Pater, quia tunc idem poneretur et removeretur. Si vero quod est Pater, tunc[e] quaeritur utrum referat personam vel essentiam vel proprietatem; sed constat quod non refert personam, quia non sunt una persona; nec essentiam, quia essentia non est principium Spiritus Sancti; nec proprietatem, quia proprietas non est principium Spiritus Sancti[f], sed magis persona vel personae habentes proprietatem. Si ergo illa relatio non refert nisi pro aliquo istorum et pro quolibet est falsa, ergo illa locutio est falsa.

3. Item, obicitur de eius conversa 'principium Spiritus Sancti est Pater et Filius', quia nec pro persona est vera nec pro essentia nec pro proprietate, ut ostensum est supra [2]; ergo ipsa est falsa.

4. Item [3], non est ratio quare haec sit vera 'Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti'[g] nisi ratione unius notionis sive relationis quae est spiratio; ergo[h] similiter distinctio notionum sive differentia, quae dicunt rationem principii in una persona, faciunt unam personam esse plura principia. Verbi gratia, Pater est principium Filii per generationem, Pater est principium Spiritus Sancti per spirationem; ergo duo principia: quod est falsum. Si ergo pluralitas notionum, secundum quas[i] est ratio principii, non facit unam personam esse plura principia, ergo unitas notionis non erit ratio quare plures personae sint unum principium.

[Solutio] [4]: Ad hoc dixerunt quidam quod haec est vera 'Pater et Filius sunt principium Spiritus Sancti', sed cum additur 'unum', impropria est nec debet recipi, nisi haec dictio 'unum' cadat in adverbium vel quasi in ablativum[k], ut sit sensus: 'Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti', id est Pater et Filius uniformiter sunt principium Spiritus Sancti, vel 'unum', id est una proprietate. Dicunt etiam quod hoc vocabulum 'principium' tenetur tantum adiective in hac circumlocutione 'principium Spiritus Sancti', et ideo non potest proprie adiungi haec dictio 'unum' nec potest ad ipsam[l] fieri relatio: ad vocabulum enim adiective positum non potest fieri relatio, similiter nec subici potest, quia adiectivum, adiective positum, non subicitur. Et per hoc solvunt[m] obiecta.

Contra [5]: « Omnis terminus supponit naturaliter secundum exigentiam suae formae, ut[n] iste terminus 'homo' pro omni eo cui inest sua humanitas; ergo iste terminus 'principium' supponet naturaliter pro omni eo cui inest[o] forma a qua imponitur; sed haec est communis spiratio; cum ergo ipsa insit Patri et Filio, ergo supponit naturaliter pro Patre et Filio ».

« Item [6], Ioan. 1, 1: *In principio erat Verbum*, et in nullo[p] erat Verbum in quo non esset Spiritus Sanctus; ergo *in principio* erat Spiritus Sanctus, ita quod hoc quod dico '*principio*' accipiatur personaliter; ergo vel[q] in suo principio vel in[r] non-suo; sed constat quod non in non-suo; ergo in suo[s]; ergo principium Spiritus Sancti erat; ergo principium Spiritus[t] Sancti potest subici et teneri[u] substantive ».

Propterea dicunt alii[v] [7] quod haec dictio 'principium' multipliciter sumitur: aliquando pro una persona, ut cum dicitur 'principium Filii' pro Patre; — aliquando vero pro duabus personis simul, ut cum dicitur 'principium Spiritus Sancti'[x], ratione communis spirationis secundum quam sunt Pater et Filius origo Spiritus Sancti; unde haec dictio 'unum' addita, cum dicitur 'unum principium Spiritus Sancti', respicit formam solum [8], hoc est notionem; unde sensus est: 'Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti', id est una spiratione spirant Spiritum Sanctum; — aliquando vero pro tribus personis simul, ut cum dicitur 'principium creaturarum' pro tota Trinitate.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo vero obiectum respondent [9] quod quamvis haec possit concedi 'principium Spiritus Sancti est'[y], demonstrato

---

[a] S add. *provenit et convenit*, L add. *Patri.* [b] V om. [c] L add. *Spiritus Sancti.* [d] PVS om. [e] V om. [f] G om. *nec... Sancti.* [g] BRGL om. *S. S.* [h] G *quare.* [i] P *quos.* [k] PV *adiectivum* pro *i. a.*, quod S corr. [l] Ita VS, alii *ipsum.* [m] Ita BRG, alii *solvuntur.* [n] S om. [o] PVS add. *sua.* [p] S *illo.* [q] PVS om. [r] R om. [s] P om. *e. i. s.* [t] P om. [u] G add. *potest.* [v] G *aliqui.* [x] PVS add. *scilicet.* [y] PVS om.

1 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 83a), ubi multa verbotenus, etiam pro sequenti argumento.
2 Cf. num. 489.
3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 6 (f. 18d sq.).
4 Pro sequentibus cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 18b).
5 Verbotenus ap. Guil. Altissiod., loc. cit.
6 Verbotenus ap. Praeposit., loc. cit.
7 Cf. Praeposit., loc. cit., et supra, p. 688.
8 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 18c).
9 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 18d).

Patre, non tamen haec potest concedi 'hoc [a] principium Spiritus Sancti est'. Et ratio huius est: quia cum dico 'hoc' [b], dico distinctionem et discretionem; non autem habet locum distinctio vel discretio ubi non est ex diversis causis unio [1]. Unde quemadmodum inconvenienter dicitur 'iste Deus' vel 'aliquis Deus' pro Patre, et 'alius Deus' pro Filio, et hoc [c] propter unitatem et singularitatem deitatis [d] in Patre et Filio, eadem ratione inconvenienter dicitur 'hoc principium Spiritus Sancti' pro Patre, et 'aliud principium' pro Filio, et hoc propter unitatem formae ipsius principii, quae est una spiratio in Patre et Filio; propterea non sequitur: 'principium Spiritus Sancti est', pro Patre, 'ergo hoc principium'.

2. Ad secundum [2] vero dicendum [e] quod hoc quod dico 'principium Spiritus Sancti', non habet determinatam [f] suppositionem, immo confusam pro [g] duabus personis simul; unde non sequitur: 'sunt unum principium Spiritus Sancti, ergo unum principium quod est Pater vel quod non est Pater' [h]; immo est ibi fallacia figurae dictionis a confusa ad determinatam. Unde notandum quod relatio posset fieri ad hoc quod dico 'principium Spiritus Sancti' in ascendendo, sed non in [i] descendendo; unde in ascendendo bene concederetur 'Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, quod est Deus'; sed quasi in descendendo non admitteretur relatio, ut diceretur 'Pater et Filius sunt unum principium quod est Pater vel quod est Filius'; ut si dicam [k] 'istae voces, albus-ba-bum, sunt unum nomen quod est adiectivum', haec recipitur; sed non recipitur quod sint unum nomen quod est haec vox 'albus'.

3. Ad illud vero quod obicitur de eius conversa 'principium Spiritus Sancti est Pater et Filius' dicunt quod haec dictio 'principium' habet suppositionem pro duabus personis sub una notione sicut forma; quemadmodum cum dicitur 'Deus est Pater et Filius', hoc nomen 'Deus' supponit pro duabus personis habentibus unam deitatem.

4. Ad ultimum [3] dicendum quod cum dicitur 'Pater est principium Filii et principium Spiritus Sancti', notatur quod non tantum sit principium plurium personarum, sed etiam pluribus modis, et ita non univoce dicitur ratio principii; et ideo non dicetur Pater plura principia, quia numerus pluralis communitatem exigit univocationis: non enim convenienter dicitur 'homo et urina sunt sana'. — Praeterea, cum dicitur 'plura principia', exigitur diversitas suppositorum, quae hic non invenitur [l]; non sic autem exigitur unitas suppositorum, cum dicitur 'sunt unum principium Spiritus Sancti', quia sensus est: sunt unum in spirando.

492 ARTICULUS IV.

Utrum Pater et Filius sint idem principium Spiritus Sancti.

Consequenter quaeritur utrum Pater et Filius sint idem principium Spiritus Sancti [4].

Quod videtur: 1. Quia sicut haec dictio 'unum' respicit unam formam in Patre et Filio, scilicet notionem, cum dico 'Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti', ita haec dictio 'idem': sicut enim est una notio, ita et [m] eadem, scilicet communis spiratio; ergo si Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, sunt idem principium.

2. Item, haec est vera 'Pater et Filius sunt idem in spirando' propter identitatem spirationis; ergo similiter sunt idem [n] principium, quoniam 'principium' dicit notionem quae est spiratio.

3. Item, 'idem' et 'diversum' condividunt ens [5]; si ergo Pater et Filius non sunt diversum principium Spiritus Sancti, ergo sunt idem.

Contra: *a.* Non sequitur: 'Deus genuit Deum, ergo vel eumdem vel alium Deum'; 'eumdem' non admittitur propter diversitatem suppositi; 'alium' non admittitur propter unitatem formae; ergo similiter non sequitur: 'Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, ergo idem vel diversum', simili ratione. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Et dicendum ad primum quod non est similis ratio unitatis in hoc quod dico 'unum' et in hoc quod dico 'idem'. Nam hoc quod dico 'idem' non solum exigit unitatem ratione formae, immo etiam ratione suppositi, et

---

[a] G *sed.* [b] G add. *quod.* [c] G om. [d] L *divinitatis.* [e] BRGL *respondendum.* [f] B *determinativam.* [g] V *de.* [h] V om. *v. q. n. e. P.* [i] BRGL om. [k] V *dicamus.* [l] V *inveniuntur.* [m] PVS om. [n] G *unum.*

[1] Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 3 et Gilb. Porret., in h. l. (PL 64, 1251, 1275sq.). [2] Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 83b).
[3] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 6, q. 6 (f. 19a).
[4] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 29, a. 2, q. 2 (I, 515 sq.); Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 19a).
[5] Cf. Aristot., *Metaph.*, IX, c. 3 (II, 577).

hoc est quia relativum identitatis est[a] discretivum[1]. Quia ergo non est identitas suppositi, id est[b] hypostasis vel personae Patris et Filii, propter hoc non est verum 'Pater et Filius sunt idem principium Spiritus Sancti'. Hoc autem quod dico 'unum', non exigit unitatem suppositi, sed sufficit unitas formae, sicut patet cum dicitur 'unus populus', non ab unitate suppositi[c], sed ab unitate collectionis multorum hominum, quae est sicut unitas formalis.

3. Ad hoc quod obicitur quod 'idem et diversum dividunt ens' etc.: dicendum quod divisio non est per immediata, immo est accipere medium quod nec idem simpliciter nec simpliciter diversum, sed in parte idem et in parte diversum. Unde, quia haec ratio 'principium Spiritus Sancti' convenit Patri et Filio secundum illud in quo non distinguuntur, propter hoc non potest dici 'diversum' propter unitatem notionis in Patre et Filio a qua sumitur[d] principium; nec etiam potest dici[e] idem, quia 'idem' exigit[f] idem suppositum sive eamdem hypostasim.

2. Ad aliud vero iam patet responsio, quia cum dicitur 'sunt idem in spirando', 'idem' dicitur ratione ipsius spirationis et ideo non respicit haec dictio 'idem' nisi identitatem notionalem[g]; et ideo haec est concedenda 'sunt idem in spirando'; sed cum dicitur 'idem principium', non solum requiritur identitas formae sive notionis, immo identitas suppositi sive personae; et ideo haec est falsa 'sunt idem principium Spiritus Sancti'.

ARTICULUS V. 493

Utrum Pater et Filius debeant dici unus spirator.

Consequenter quaeritur utrum Pater et Filius debeant dici unus spirator[2].

1. Dicit Augustinus, V *De Trinitate*[3], quod « quemadmodum Pater et Filius et Spiritus Sanctus per creationem sunt principium unum ad creaturam, ita Pater et Filius sunt principium unum[h] ad Spiritum Sanctum »; sed Pater et Filius et Spiritus Sanctus per creationem sunt principium creaturae, Pater vero et Filius sunt principium Spiritus Sancti per spirationem; cum igitur Pater et Filius et Spiritus Sanctus[i] sint unus creator respectu creaturae, videtur similiter quod Pater et Filius sint unus spirator respectu[k] Spiritus Sancti.

2. Item, Augustinus[4] dicit quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti; sed hoc est ratione spirationis unius in Patre et Filio; ergo multo fortius unus spirator.

Contra: *a.* Esse spiratorem non convenit essentiae, quia essentia non spirat, sed persona; si ergo sunt unus spirator Pater et Filius, sunt una persona: quod est falsum.

b. Item, eadem ratione dicitur 'spirator'[l] de Patre et Filio et 'auctor': nam Pater est auctor[m] Spiritus Sancti, sicut et spirator; sed[n] dicit Hilarius[5] « quod Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio sicut auctoribus »; ergo sunt auctores Spiritus Sancti; ergo et spiratores. — Quod sine praeiudicio concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum dicendum quod non est simile in hoc nomine 'creator' et in hoc nomine 'spirator'. Nam in hoc nomine 'creator' est essentia pro significato sive supposito, et quia[o] una est essentia in tribus personis, propter hoc dicuntur tres personae unus creator; sed in hoc nomine 'spirator' non est essentia ex parte substantiae significatae sive suppositae, sed hypostasis; unde cum non sint una hypostasis Pater et Filius, non possunt dici unus spirator.

2. Ad secundum dicendum quod convenienter dicitur 'Pater et Filius spirant' vel 'spirantes sunt' vel 'spiratores[p] Spiritus Sancti', quia per has dictiones significatur spiratio verbaliter vel participialiter; verba autem vel participia definiunt substantiam in suppositis sibi adiunctis, et quia numerus consequitur substantiam, in illis definiunt numerum: et ideo pluraliter vel singulariter significandi modum trahunt a suppositis sibi adiunctis; 'spirator' autem similiter[q], licet sit nomen, quia nomen verbale definit substantiam in suppositis sibi adiunctis; 'principium' vero, quia nominaliter significat substantiam et substantive[r], unitatem accipit a[s] qualitate sua vel ab eo quod est per modum qualitatis: sua enim qualitas est definitiva substantiae; unde quia huiusmodi qualitas

---

[a] Ita V (corr.), alii *et*. [b] PVS *et* pro *i. e.* [c] V om. *sed... suppositi.* [d] G *sumus.* [e] S *sumi.* [f] PVS *tangit.* [g] G *notionabiliter.* [h] L om. [i] PVS om. *e. S. S.* [k] L om. [l] L om. [m] V om. *n. P. e. a.* [n] B *sicut.* [o] L om. [p] PV om. *v. s.*, in S est add. mg. [q] G om. [r] PVSR om. *e. s.* [s] B om.

[1] Cf. Aristot., *De categor.*, c. 5 (I, 10 sq.); *Metaph.*, IX, c. 4 (II, 578 sq.).
[2] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 29, a. 2, q. 2 (I, 515 sq.).
[3] Cap. 14 (PL 42, 924).
[4] Loc. cit.
[5] Cf. *De Trinit.*, VIII, n. 20 (PL 10, 250 sq.); verbotenus ap. Alan., *Theol. reg.*, reg. 24 (PL 210, 632).

est notio Patris et Filii, quae una est in utroque et ideo ab illa unitatem recipit; unde 'spirans' et 'spirator' ab hypostasi trahunt unitatem, 'principium' vero a notione, licet per illa nomina eadem notio significetur, eo quod differenter significatur.

a-b. Ad obiecta vero alterius partis «notandum», secundum Praepositinum[1], «quod iste terminus 'spirator' duobus modis accipitur: ut significet aeternam proprietatem qua Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum, ut in hac 'Pater est spirator Spiritus Sancti'; vel dicatur de Trinitate ex tempore, ut 'tota Trinitas est unus spirator gratiae'; tamen iste terminus 'spirator' non multum est in usu et in auctoritate non invenitur. Iste autem terminus 'auctor' quatuor modis accipitur: nam per se positus et dictus de Patre praedicat innascibilitatem, ut 'Pater est auctor', id est innascibilis; et in hac 'Pater est auctor Filii' praedicat paternitatem; in hac 'Pater est auctor Spiritus Sancti' praedicat spirationem; in hac 'Pater est auctor creaturae' aequipollet huic nomini 'Creatori'[a]».

494

ARTICULUS VI.

De unitate spirationis.

Consequenter quaerendum est[b] de unitate illa, ratione cuius Pater et Filius dicuntur unum principium Spiritus Sancti[2].

1. Nam si illa unitas est una proprietas quae est spiratio – contra: «differunt hypostases numero», secundum Damascenum[3]. Cum igitur proprietates sint in hypostasibus, non potest una proprietas inesse Patri et Filio.

2. Item, aut dicuntur unum principium, quia sunt[c] unum in essentia: et tunc, cum Spiritus Sanctus sit unum in essentia cum Patre et Filio, spiraret se ipsum; aut quia idem in persona aut quia idem[d] in personae proprietate sive notione. Non quia idem[e] in persona; ergo quia idem[f] in notione; sed non sunt idem in notione nisi in ea quae est spiratio; et ita nihil aliud est dicere quam 'Pater et Filius, quia[g] conveniunt in hoc quod est spirare, spirant'[h], et ita idem esset causa sui ipsius.

3. Praeterea, eadem quaestio esset de spiratione. Illa enim spiratio communiter inest Patri et Filio: non Patri quia[i] Pater, nec Filio quia Filius; inerit ergo secundum aliquid commune. Quaeritur: quid est illud commune? et sic in infinitum. — Respondeo: Dicunt[k] quidam quod spirare non inest eis secundum aliquid commune, sed utrique secundum se, sicut genus secundum se est[l] in pluribus speciebus, non secundum aliquid commune aliud a se.

Contra: *a.* Isidorus, in libro *De Trinitate*[4]: «Non una res, duorum quae substantialis est, poterit ab eis procedere et simul inesse nisi unum sint illi a quibus procedit». Ex quo patet quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, non ut sunt differentes, sed ut sunt unum.

b. Item, Anselmus, in libro *De processione Spiritus Sancti*[5], arguit sic: «Si prius aut post[m] aut maior vel minor aut magis aut minus de uno esset quam de altero, de[n] necessitate sequeretur aut quod Spiritus Sanctus[o] non esset de hoc in quo unum sunt Pater et Filius, aut ipsum unum non esset perfecte et simpliciter unum, sed esset[p] ibi aliqua diversitas»; sed dici non potest quod Spiritus Sanctus non sit de hoc in quo unum sunt Pater et Filius; ergo relinquitur idem quod prius, quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, non ut sunt differentes, sed ut sunt unum.

Respondeo[q] quod Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum secundum aliquod unum in eis, ut ostendunt auctoritates praedictae. Intelligendum est ergo quod omnes personae conveniunt in natura, sed Pater et Filius conveniunt specialiter in natura et ratione naturae. Iuxta enim definitionem naturae in creaturis quae est[6]: «natura[r] est vis insita rebus simile ex simili pro creans», potest assignari ratio in divinis sive definitio naturae sic: natura est virtus sive principium producens aliquem in essentia indifferentem; et secundum huiusmodi definitionem dicitur de Filio Dei quoniam est Filius natura[s]: natura enim dicitur principium producendi ut sumatur productio communiter ad productionem per generationem et spirationem. Secundum hoc igitur potest dici[t] quod spiratio convenit Patri et Filio secundum hoc commune quod est unitas naturae sive rationis naturae, quae non est unitas naturae

---

[a] R *creator.* [b] V *queritur* pro *q. e.* [c] G *sicut.* [d] S om. *in persona... idem.* [e] Codd. add. *est.* [f] G add. *est;* P exp. *in notione.* [g] Ita S (mg.) RL, alii om.; P om. *in.* [h] PS om., G *spiratum;* R om. *ita.* [i] V add. *nec.* [k] P *respondent* pro *R. d.*, quod S corr. [l] G *cf.* [m] L *primo.* [n] BGL *ex*, R *quod.* [o] PVS om. [p] BRGL om. [q] PVS add. *dicimus.* [r] S *nature.* [s] S *nature,* V *nature natura.* [t] V om.

1 *Summa*, I (f. 83c).
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 29, a. 2, q. 1 (I, 512sqq.).
3 *De fide orthod.*, III, c. 6 (PG 94, 1002).
4 *Sent.*, I, c. 15, n. 2 (PL 83, 568).
5 Cap. 23 (PL 158, 318).
6 Cf. supra, p. 415, nota 2.

absolute vel essentialiter dictae, sed relative dictae; et haec unitas non est unitas quae est in notione, sed in principio notionis, quia [a] est unitas naturae, non ut est essentia, sed ut est natura, neque ut essentialiter intellecta, sed ut relative. Sicut enim potentia generandi dicitur ad aliquid [b], non aliquid [1] — potentia enim trahitur ad aliud genus per hoc adiunctum 'generandi' — similiter natura per hoc quod additur 'ut natura' sive 'in ratione naturae', quia natura ut natura dicitur ut est producens sibi indifferentem in essentia. Et [c] sicut potentia generandi in Patre dicitur proprietas Patris, similiter natura ut natura sive [d] in ratione naturae est proprietas Patris et Filii.

[Ad obiecta]: 1-3. Ad hoc quod obicitur quod 'non potest esse una proprietas in diversis [e] hypostasibus': dicendum quod hoc verum est de proprietatibus personalibus, non autem est verum de proprietatibus personae. — Aliter potest dici quod, cum Spiritus Sanctus sit amor, principium eius est voluntas; unde sunt unum Pater et Filius in natura et in voluntate relativa, non essentiali quae est principium spirationis. — Vel potest dici quod huiusmodi unitas est a fine, scilicet a Spiritu Sancto; unde Isidorus, in libro *De Trinitate* [2]: « Spiritus Sanctus pignus accepit ut per eum uno corde unum fiant credentes, per quem Pater et Filius sunt unum essentialiter, ipso Salvatore dicente [3]: *Ut sint unum sicut et nos unum sumus* ». Ex iis patet solutio ad obiecta: sunt enim Pater et Filius unum in spirando Spiritum Sanctum ab unitate rationis naturae sive naturae relate vel voluntatis relate [f], non essentialiter, dictae, quae quidem unitas non est unitas notionis, sed principii notionis [4].

QUAESTIO II.

DE NOTIONIBUS CONNOTANTIBUS EFFECTUM IN CREATURA.

Dicto de nominibus notionalibus quae non [g] connotant aliquem effectum in creatura et dicuntur de Deo ab aeterno, consequenter dicendum est [h] de illis quae connotant effectum in creatura et dicuntur de Deo ex tempore, sicut 'mittere et [i] mitti, dare et [k] dari' et huiusmodi.

Primo ergo quaeritur de missione [l] communiter dicta;

secundo, de missione active dicta;

tertio, de missione passive dicta.

Circa primum quaeritur de missione communiter dicta in hunc modum:

Primo [m], an sit ponere missionem in divinis;

secundo, quid sit, utrum quid temporale vel aeternum, creatum vel increatum;

tertio, quid significetur per haec nomina 'mittere' et 'mitti', utrum scilicet essentia vel [n] persona vel notio;

quarto, utrum missio dicatur de Deo ab aeterno vel ex tempore vel utroque modo.

TITULUS I.

DE MISSIONE COMMUNITER DICTA.

CAPUT I. 495

UTRUM SIT PONERE MISSIONEM IN DIVINIS.

Quaeritur ergo utrum sit ponere missionem in divinis [5].

Et videtur quod non [o]: 1. Quia missio dicit loci [p] mutationem, etsi non secundum circumscriptionem,

---

[a] B *que*. [b] G om. *a. a.* [c] PVS om. [d] G om., PVR om. *it. n. s.* [e] V om. *proprietas* et *diversis*. [f] PV om. *v. v. r.*, in S est add. mg. [g] PV om., in S est add. interl. [h] BG om. [i] PVS om., BG *vel*. [k] V om. [l] L *misso*, G *emissione* et om. *ergo*. [m] PVS add. *queritur*. [n] BG om., PVS *essentialis* pro *e. v.* [o] V *sic*, quod PS exp. et corr. in mg. [p] V *fit* pro *d. l.*

1 Cf. supra, p. 431b.
2 *Sent.*, V, c. 15, n. 2 (PL 83, 569).
3 Ioan. 17, 22.
4 Cf. hic, parum supra.
5 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 15, p. 1, a. un., q. 1 (I, 259sqq.).

tamen secundum definitionem: qui enim mittitur alicubi, prius non erat ibi, aliter pro nihilo mitteretur; sed in divinis non potest esse loci mutatio nec [a] secundum circumscriptionem nec [b] secundum definitionem, cum Deus sit ubique; ergo in divinis non potest esse missio.

2. Item, omne quod mittitur, in [c] quantum huiusmodi, separatur a mittente; unde super illud Ezech. 16,53: *Et convertam* [d] *restituens eos* [e], dicit Hieronymus [1]: « Quod coniunctum est et in uno corpore [f] copulatum mitti non potest, sed quod extra est »; sed in divinis non est ponere separationem unius personae ab altera [2]; ergo nec [g] missionem.

3. Item, nihil pertinens ad inferioritatem et superioritatem dicitur de una persona respectu alterius; unde dicit Damascenus [3] quod Filius « secundum quod Deus [h] non dicitur obediens vel inobediens Patri: subiectorum enim est hoc ». Cum ergo ille qui mittitur, in quantum huiusmodi, sit inferior quam ille qui mittit, et ille qui mittit sit superior, non dicuntur [i] huiusmodi nomina 'mittere' et 'mitti' de una persona respectu alterius.

Contra: *a.* Ad Gal. 4,4: *Misit Deus Filium suum* etc. Ergo Filius mittitur a Patre. Similiter de missione Spiritus Sancti dicitur ibidem [4]: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra* [k], *clamantem: Abba, Pater.* Item, Ioan. 15,26: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Ergo est missio in divinis.

b. Ad hoc etiam [l] sunt auctoritates multae in Scripturis et Augustino, in libro *De Trinitate* II et III et IV [5], et in I libro *Sententiarum*, 14 dist. [6].

Respondeo: 1. Dicendum quod in missione naturali [m] tria considerantur: auctoritas in mittente, loci mutatio circa missum et alicuius effectus productio circa terminum. Primum est de perfectione mittentis, ultimum de perfectione missi, medium vero, scilicet loci mutatio, de imperfectione missi [n] sive nuntii, quia non potest simul [o] esse cum mittente in termino [a]; quia ergo quod perfectionis est debet transferri ad divina, quod imperfectionis non [b], ideo quamvis ibi sit missio, non tamen loci mutatio.

2. Ad aliud dicendum quod est missio differentis [c] per essentiam, et haec ponit separationem; et est missio distincti [d] secundum personam, sed non [e] differentis per essentiam, et haec non ponit separationem. Unde Augustinus, *Super Ioannem* [7], loquitur contra illos qui dicebant Filium minorem esse Patre, quia missus est ab eo, et dicit sic: « Filius minorne [f] est, quia missus? missionem [g] audio, non separationem ». Secundum hoc ergo dico quod in divinis est missio, non tamen separatio, quia missus non est distinctus sive diversus a mittente per essentiam, sed solum distinctus secundum personam. Augustinus, *Contra perfidiam Arianorum* [8]: « Numquid ideo [h] diversa est natura, quia Pater mittit et mittitur Filius? Nisi forte potest homo pater mittere hominem filium unius eiusdemque substantiae et [i] non potest Deus, cum homo ab homine mittendo separetur, quod non potest Deus. Sed ignis mittit splendorem suum nec [k] potest splendor missus separari ab igne mittente, quamvis ista creatura visibilis non omni ex parte sit huic [l] rei comparabilis: nam longius pervenit splendor quo ignis non pervenit, ut in lucerna ».

3. Ad tertium dicendum quod missio non ponit aliquem gradum in divino esse sive maioritatem aut minoritatem alicuius [m] personae, sed solum ordinem naturae: unde [n] non dicit superioritatem, sed solum auctoritatem. Nec est simile de obedientia, quia in obedientia non tantum notatur conformitas voluntatis, sed diversitas et subiectio respectu voluntatis praecipientis. Unde Filius solum [o] secundum humanam naturam dicitur obediens [9], quia solum secundum illam dicitur fuisse subiectus Patri; sed missio convenit ei secundum [p] naturam divinam, quia in missione notatur auctoritas in mittente solum et subauctoritas in eo qui mittitur, sed non subiectio.

---

[a] G *nisi*, quod P corr. [b] G *nisi*. [c] V om. [d] PVS *mittam*, G *commutam*. [e] S add. *etc.* [f] V add. *separatum vel*. [g] G om. [h] PVS *Dominus*. [i] PVS *sunt*. [k] VSRG *nobis* pro *c. n.*, quod B om.; G om. *sui*. [l] B om. [m] Ita VB, alii *materiali*. [n] G om. *medium... missi*. [o] L *suum*, G om. *potest*.
[a] R om. *i. t.* [b] VSG add. *est*, quod P abrasit, R exp. [c] PVS *distinctionis*. [d] G *differentis*. [e] G add *est*. [f] PVSL *minor non*, G *minorve*. [g] G *immissionem*. [h] V *igitur*. [i] B *sed*. [k] PVSGL *non*. [l] G *huius*. [m] G *illius*. [n] PV *vel*, quod S corr. [o] B *filium*. [p] V add. *humanam*.

1 *Glossa ordin.*, ap. Lyran., in h. l., ex Hieronymo, in h. l. (PL 25, 157).
2 Cf. supra, p. 682, sub *Respondeo*, et Ambros., *De fide*, IV, c. 8, n. 91 (PL 16, 634).
3 *De fide orthod.*, III, c. 14 (PG 94, 1042).
4 Gal. 4, 6.
5 Lib. II, cc. 3-6; III, prol., cc. 1-4, 11 et IV, cc. 19-21 (PL 42, 847 sqq.; 867 sqq. et 905 sqq.).
6 Cap. 1 et 2 (p. 89 sqq.).
7 Tract. 21, n. 17 (PL 35, 1573).
8 *Contra sermon. Arianor.*, c. 3 (PL 42, 685).
9 Cf. Philipp. 2, 8.

CAPUT II. 496

UTRUM MISSIO SIT QUID CREATUM VEL INCREATUM.

Secundo quaeritur utrum missio sit quid creatum vel increatum [1].

Et videtur quod increatum: *a.* Quia processio Spiritus Sancti est ipse Spiritus Sanctus procedens, et sanctificatio Spiritus Sancti est ipse sanctificans; sed missio Spiritus Sancti est eius processio a Patre et Filio ad sanctificandum creaturam; utrumque autem est quid increatum, quod est Spiritus Sanctus; ergo missio, qua [a] Spiritus Sanctus est missus, est quid increatum [b], et eadem ratione missio, qua Filius mittitur et qua Pater mittit; ergo missio in divinis est quid increatum.

b. Item, nihil creatum praedicatur de Deo in rectitudine: nihil enim praedicatur de ipso quod non sit ipse [2]; sed haec verba 'mittere' et 'mitti' praedicantur de Deo in rectitudine, cum dicitur 'Deus mittit' et 'Deus mittitur'; ergo non dicunt aliquid creatum; ergo missio significata per illa est quid increatum.

c. Item, Gregorius, in *Moralibus* [3]: « Eo mittitur Filius quo generatur ». Ergo mittere est generare et mitti generari; sed generare et generari non sunt aliquid creatum, sed increatum; ergo missio est quid increatum.

Contra: 1. Omne increatum est [c] aeternum; nullum temporale est aeternum; ergo nullum temporale est increatum; sed missio est temporalis, sicut dicitur 14 dist. libri I *Sententiarum* [4]; ergo non est quid increatum.

2. Item, Augustinus, IV *De Trinitate* [5]: « Sicut generari est Filio esse a Patre, ita Filium cognosci esse [d] a Patre est Filium mitti, et sicut Spiritui Sancto [e] Donum Dei esse est a Patre procedere, ita Spiritum Sanctum cognosci quod a Patre procedit est ipsum mitti »; sed sive [f] Filium sive Spiritum Sanctum cognosci quod a Patre procedant est quid creatum et etiam existens in creatura; ergo mitti sive missio est quid creatum.

3. Item, missio Spiritus Sancti a Patre et Filio nihil aliud est quam gratia data hominibus; unde Beda [6]: « Cum gratia datur hominibus, mittitur Spiritus Sanctus a Patre, mittitur et a Filio »; sed gratia data hominibus est quid creatum; ergo missio Spiritus Sancti est quid creatum.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod missio, sive dicatur active [g] de Patre respectu Filii sive de Patre et Filio respectu Spiritus Sancti sive dicatur passive de Filio sive de Spiritu Sancto, est quid increatum et idem quod Deus.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo obiectum in contrarium dicendum est quod in missione duo sunt: est enim ibi [h] principale significatum, quod est quid increatum; et est ibi aliquid connotatum, scilicet effectus in rationali creatura, quod est quid creatum: nam missio est processio [i] alicuius personae manifestata [k] in creatura vel manifestatio processionis aeternae facta rationali creaturae. Ratione ergo connotati [l], quod temporale est, dicitur missio [m] temporalis; sed [n] illud connotatum non praedicatur de ipsa [o] nisi oblique, non in rectitudine; sed illud [p] quod praedicatur de ipsa ratione principalis significati, quod est quid increatum, dicitur in rectitudine; unde non sequitur si missio est temporalis, quod non sit quid increatum, sed quod illud, ratione cuius dicitur temporalis, scilicet effectus connotatus, non sit quid increatum; et bene sequitur: est quid increatum, ergo est [q] quid aeternum; sed non sequitur: ergo est ab aeterno vel est aeterna, sicut postea ostendetur, scilicet [r] in tertio Problemate [7].

2. Ad aliud dicendum [s] quod, cum dicitur [t] 'Filium a Patre mitti est cognosci quod a Patre procedit', non datur ista definitio [u] per essentiam, sed per effectum [v] consequentem. Nam cognitio processionis est effectus missionis; processio vero [x] manifestata in creatura rationali vel manifestatio processionis est illud quod essentialiter [y] praedicatur de missione; effective vero cum dicitur missio est cognitio facta in creatura vel gratia data creaturae, sicut cum dicitur *Deus refugium nostrum* [8] vel patientia nostra vel fortitudo nostra; unde sicut non sequitur: Deus [z] est fortitudo nostra, sed fortitudo est quid creatum, ergo Deus est quid creatum, similiter nec ex parte ista.

---

[a] L *quia*, item subinde. [b] G om. *quod... increatum*. [c] G om. [d] PVS om. [e] S add. *est*. [f] PVS om. [g] S add. *sive passive*. [h] BG om. [i] G om. [k] V *connotata*. [l] G *notati*. [m] PV add. *Spiritus Sancti*, quod S exp. [n] S *secundum*. [o] G *ipso*, item subinde. [p] L *aliud*. [q] L om. [r] L om. [s] L add. *est*. [t] G *dico*. [u] V *distinctio*. [v] G *effectus* pro *p. e.* [x] G add. *sic*. [y] G *est*. [z] PV *missio*.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 14, a. 1, q 1 (I, 245 sq.).
2 Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 9 (PL 210, 628).
3 Rectius *In Evang.*, II, hom. 26, n. 2 (PL 76, 1198).
4 Cap. 1 (p. 90).
5 Cap. 20, n. 29 (PL 42, 908), ad sensum.
6 *Homil. in Dom. I post Ascens.* (PL 94, 182).
7 Cf. infra, num. 498.
8 Cf. Psalm. 45, 1.

3. Et per hoc patet solutio ad tertium quod obicitur per auctoritatem Bedae. Nam si dicatur 'missio est gratia data rationali creaturae', non est praedicatio per essentiam, sed per effectum consequentem; nec etiam hoc dicit Beda, sed dicit quod «cum gratia datur, Spiritus Sanctus mittitur»: unde dicitur per concomitantiam.

497

CAPUT III.

QUID SIGNIFICETUR PER MITTERE ET MITTI.

Deinde quaeritur I. utrum missio dicatur essentialiter vel notionaliter, hoc est utrum mittere et mitti significent essentiam vel notionem.

Et videtur quod significent notionem: *a.* Beda, in *Homilia Dominicae I* [a] *post Ascensionem* [1]: «Spiritus Sancti missio est eius processio»; sed processio dicitur de procedente Spiritu Sancto sive de Deo notionaliter; ergo missio similiter dicetur notionaliter.

b. Item, essentia non dicitur nec [b] mitti nec mittere, quia mittens et missum distinguuntur ab invicem, essentia autem nec distinguit nec distinguitur; ergo 'mittere' et 'mitti' non dicuntur essentialiter.

c. Item, quidquid dicitur de Deo essentialiter, convenit tribus; sed missio, sive dicatur active sive passive, non convenit tribus, quia missio active dicta non convenit Spiritui Sancto, nec missio passive dicta Patri; ergo missio non dicitur essentialiter.

d. Item, hoc nomen 'Deus' significat divinam essentiam, tamen aliquando trahitur ad personam [2]; sed ad significandum personam, sive distincte [c] pro una sive indistincte pro duabus, nunquam [d] trahitur per nomen essentiale, sed oportet quod adiungatur ei aliqua dictio significans personam vel notionem [e], ut dictio vel propositio [f] notionalis. Unde cum dicitur 'Deus spirat', trahitur ad supponendum pro persona Patris et Filii indistincte; cum dicitur 'Deus procedit', trahitur ad significandum pro persona Filii et Spiritus Sancti [g] indistincte; cum [h] vero dicitur 'Deus generat, Deus generatur, Deus spiratur', trahitur ad supponendum pro [i] una distincte; sed cum dicitur 'Deus mittit Deum', trahitur [k] ad supponendum pro persona, et pro alia persona in subiecto, pro alia in praedicato [l]; ergo illud, per quod trahitur, non significat essentiam, sed [m] personam vel notionem; et non trahitur nisi per hoc quod dico 'mittit'; ergo hoc [n] quod dico 'mittit' non significat essentiam, sed notionem.

Contra: 1. Omne nomen, dictum de Deo secundum divinam naturam, connotans effectum in creatura, est [o] essentiale, et hoc est quia indivisa sunt opera Trinitatis; sed missio dicitur de Deo secundum divinam naturam et connotat effectum in creatura; ergo dicitur de Deo essentialiter.

2. Item, nulla notio est communis Filio et Spiritui Sancto; sed missio, passive dicta, est communis Filio et Spiritui Sancto [p]; ergo missio passive dicta non significat notionem.

3. Item, Augustinus, II *De Trinitate* [3]: «Mitti a Patre Filius sine Spiritu Sancto non potuit, quia Pater intelligitur eum misisse, cum fecit eum ex femina, quod non fecit sine Spiritu Sancto». Ergo missio Filii in carnem est communis [q] Patri et Spiritui Sancto; sed nihil est eis commune nisi essentia; ergo missio Filii in carnem significat divinam essentiam.

[Solutio]: Ad hoc dicendum [r] quod haec verba 'mittere' et 'mitti' de intellectu suo dicunt et essentiam et notionem: dicunt enim respectum personae ad personam, dicunt etiam [s] respectum personae ad creaturam, ratione cuius dicuntur essentialiter: unde significant personam [t] essentialiter. Quaedam enim sunt nomina quae significant essentiam essentialiter, ut hoc nomen 'essentia'; quaedam vero quae [u] significant essentiam personaliter, ut [v] hoc nomen 'Deus' [x] et ea quae significant essentiam in suppositis, et per additionem nominum personalium vel notionalium trahuntur ad supponendum pro aliqua persona vel pro aliquibus, ut cum dicitur 'Deus generat, Deus generatur [y], Deus spirat'. Sunt etiam alia quae significant personam personaliter, ut ista nomina 'Pater, Filius, Spiritus Sanctus'. Sunt etiam alia quae significant personam [z] essentialiter, ut hoc nomen 'persona' et hoc quod dico

---

[a] G om. [b] B exp., R om. [c] PS *indistincte*, G om. [d] G om. [e] R *notio*. [f] Ita L, alii *prepositio*. [g] PVS add. *scilicet*; L *ut distincte* pro *indistincte*. [h] PS om.; BRGL om. *Deus*. [i] S *vel*. [k] G om. *ad... trahitur*. [l] G *predicamento*. [m] S *vel*. [n] PV om., in S est add. interl. [o] V om. [p] PV om. *sed missio... Sancto*, in S est add. mg. [q] PVS *convenit* pro *e. c.*, R om. *est*. [r] S om. [s] V *enim*. [t] PVS om. [u] BRGL om. [v] L *sic*. [x] PVS *Dominus*. [y] BRGL om. *D. g.* [z] G om. *personaliter... personam*.

[1] PL 94, 182. [2] Cf. supra, num. 358. | [3] Cap. 5, n. 8 (PL 42, 849).

'mittere' et 'mitti'; unde in iis verbis attribuitur aliquid personae ratione essentiae: unde essentia nec mittit nec mittitur, sed persona ratione essentiae sive essentia in persona.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod connotant effectum in creatura: dicendum quod verum est; sed tamen non solum connotatur praeter essentiam effectus, sed significatur respectus, qui est personae ad personam, ratione cuius significant haec verba [a] 'mittere' et 'mitti' distinctionem sive relationem, quae non convenit essentiae; unde quantum ad hoc dant intelligere personam vel personas.

2. Ad hoc quod obicitur quod 'nulla notio est communis Filio et Spiritui Sancto, et [b] missio passive dicta est communis Filio et Spiritui Sancto' etc.: dicendum quod sunt quaedam nomina quae significant indistincte relationem sive respectum unius personae ad aliam, et talia dicuntur de tribus personis, licet non in singulari numero, sed in plurali, ut hoc nomen 'persona' et haec nomina 'aequalis' et 'similis' [c]. Unde dicimus 'Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt personae, sunt aequales, sunt similes': quia enim significant respectum, dicuntur in plurali numero; quia vero indistincte, dicuntur [d] de tribus personis. Alia vero sunt quae dicunt relationem aliquo modo distincte [e], aliquo modo indistincte [f], sicut illa quae dicunt relationem duarum personarum ad tertiam, ut hoc quod dico 'spirare', dictum [g] de Patre et Filio respectu Spiritus Sancti, et hoc quod dico 'procedere', dictum de Filio et Spiritu Sancto respectu Patris, et talia sunt haec nomina 'mittens' et 'missus'; unde haec dicuntur de duabus personis nisi determinentur per adiunctum ad significandum pro una, ut cum dicitur 'missus in carnem' vel 'missus ad sanctificandum creaturam' [h]; nunquam vero dicuntur de tribus personis. Aliquando vero significatur respectus unius personae ad aliam distincte, ut per haec nomina 'generans' et 'genitus'. — Cum ergo dicitur quod 'nulla notio sive relatio est communis Filio et Spiritui Sancto': dicendum quod verum est de illis notionibus quae dicunt relationem unius personae ad aliam distincte. Praeterea, si dicatur 'procedere ab alio' de Filio et Spiritu Sancto, hoc non est univoce, quia alius et alius est modus procedendi [1]; unde quia modus procedendi distinguit notiones in divinis, ideo non sequitur si esse ab alio sit commune aliquo modo, quod [i] aliqua notio sit communis; sed [k] aliqua potest esse communis Patri et Filio respectu Spiritus Sancti, quia una est productio et eodem modo dicta de utroque [l]. — Et si obicitur quod nihil est eis commune nisi essentia: dicendum [m] quod est communitas secundum rem et est communitas secundum habitudinem, sicut dictum est supra, Quaestione De persona, quando quaesitum est [n] de communitate huius nominis 'persona' [2]. Unde sicut 'distinguere' et 'distingui' commune est tribus personis [o], non secundum rem, sed secundum habitudinem, ita 'mittere' et 'mitti' potest esse commune duabus personis convenientibus in aliqua habitudine, et hoc melius supra declaratum est [3].

3. Ad illud quod dicit Augustinus quod « mitti Filius sine Spiritu Sancto non potuit »: dicendum quod loquitur ibi Augustinus de Filio secundum humanam naturam et de missione illa qua missus est [p] in mundum; unde illa missio nihil aliud est quam manifestatio Filii in carne, quae convenit toti Trinitati; unde subiungit Augustinus quod « Pater intelligitur eum misisse, cum fecit eum ex femina ». Nec propter hoc sequitur si missio illa sit a Spiritu Sancto, quod Filius sit a Spiritu Sancto [q], sed quod incarnatio Filii sit a Spiritu Sancto; unde secundum [r] hoc bene conceditur quod tota Trinitas misit Filium secundum naturam humanam, secundum [s] quod dicitur in Isai. 48, 16: *Et nunc Dominus misit me et Spiritus eius.*

II. Sed adhuc quaeritur, cum [t] in intellectu eius quod est 'mittere et mitti' sit essentia et persona, quid per prius significetur ibi, utrum essentia vel persona.

Et videtur quod essentia: 1. Quia semper [u] in divinis prius cadit in [v] intellectu essentia quam persona.

2. Item, haec verba 'mittere' et 'mitti' significant aliquid quod attribuitur personae vel personis ratione [x] essentiae; ergo si illud quod significant attribuitur personae ratione essentiae, per prius videntur significare essentiam quam personam.

Sed contra: *a.* Prior est respectus personae ad personam quam respectus [y] essentiae seu personae ad creaturam; ergo si in istis verbis 'mittere' et 'mitti' significetur uterque respectus, et ratione primi respectus significent personam vel notionem, ratione secundi, qui est communis toti Trinitati, significent [z] essentiam, per prius

---

[a] PVS add. *etiam.* [b] PVS *quod;* B om. *est.* [c] R *consimilis.* [d] S add. *in plurali numero.* [e] S om. *a. m. d.,* G add. *alia.* [f] R om. *a. m. l.* [g] V add. *est.* [h] R *creaturas;* L *numquid* pro *nunquam.* [i] R *vel;* G *alia* pro *aliqua.* [k] PVS *quia.* [l] R *utraque.* [m] B add. *est.* [n] G om. [o] BRGL om. [p] G om. [q] BG om.; S om. *q. F. s. a. S. S.* [r] R *per.* [s] L om. [t] B *quod;* L om. *in,* in PR est add. interl. [u] BG om. [v] L om. [x] Ita GL, alii *respectu;* R om. *quod.* [y] BG om. [z] BRG *significet.*

[1] Cf. supra, num. 305. [2] Cf. supra, num. 389. | [3] Cf. supra, p. 700b, *Solutio.*

videntur significare personam vel notionem quam essentiam.

b. Item, prius est procedere personam a persona quam ipsam processionem manifestari in creatura. Cum ergo missio nihil aliud sit quam processio personae [a] manifestata per aliquem effectum in creatura, videtur quod haec verba 'mittere' et 'mitti' per prius significent distinctionem personae a persona quam essentiam.

[Solutio]: Ad hoc dicunt quidam quod haec verba 'mittere' et 'mitti' per prius [b] significant divinam essentiam, sed consignificant distinctionem personae a persona, et quod significant essentiam in rectitudine et distinctionem in obliquitate. Unde dicunt quod missio est manifestatio processionis personae per [c] aliquem effectum in creatura: unde, quia manifestatio dicitur in rectitudine et processio in obliquitate, dicunt quod missio significat essentiam et consignificat [d] distinctionem, sicut haec nomina 'aequale' et 'simile'.

b. Et per hoc solvunt ad secundo obiectum. Nam missio non est processio manifestata, sed potius ipsa manifestatio processionis; unde per prius intelligitur manifestatio [e] active dicta, deinde respectus sive [f] relatio quae est in persona, tertio intelligitur effectus connotatus in creatura.

a. Et per hoc etiam patet solutio ad primo obiectum. Nam licet respectus personae ad personam prius sit quam respectus essentiae ad creaturam, tamen per prius significatur in hoc quod dico 'mittere' vel 'mitti', quia ab [g] illo respectu imponitur hoc quod dico [h] 'mittere' vel 'mitti' [i]: unde significatur actus manifestationis ut transiens super hoc quod dico 'procedere'.

Sed adhuc [k] obicitur contra istos: Si missio essentialiter sit manifestatio processionis, sed manifestatio processionis convenit toti Trinitati, quia tota Trinitas manifestat creaturae processionem Filii et Spiritus Sancti; ergo missio Filii et Spiritus Sancti convenit toti Trinitati.

Ad hoc respondent quod non sequitur, quia licet manifestatio illius processionis conveniat toti Trinitati, tamen nomine missionis designatur quod illam manifestationem habeat una persona ab alia: quod non convenit toti Trinitati. Unde sicut operari commune est toti Trinitati, tamen operari per Filium non convenit nisi soli Patri, nec operari per Spiritum Sanctum [l] nisi Patri et Filio, similiter est in iis verbis 'mittere' et 'mitti'.

Aliis autem videtur quod haec verba 'mittere' et 'mitti' de intellectu suo primo dicunt personam sive respectum personae ad personam, qui attribuitur personae vel personis duabus indistincte, et hoc ratione personae; secundo vero [m] consignificant actum, qui est respectu creaturae, qui attribuitur personae vel [n] personis ratione essentiae. Unde dicunt quod missio passive dicta est processio personae manifestata per effectum in creatura, missio vero active dicta est productio personae manifestata per effectum in creatura [o]; unde haec verba 'mittere' et 'mitti' significant personam essentialiter: unde de missione praedicatur notio in rectitudine. Cum enim idem sit missio quod [p] processio temporalis, processio autem temporalis primo significat notionem [q] personae, secundo consignificat [r] actum qui convenit personae ratione essentiae, similiter et missio.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur quod 'prius cadit in intellectu essentia quam persona vel notio': dicendum quod verum est, quando essentia significatur absolute; sed quando essentia significatur ut in respectu ad creaturam, nihil prohibet primo personam cadere in [s] intellectu quam essentiam [t], sicut cum dicitur 'Pater Verbo loquitur [u] creaturas', praeintelligitur exitus Filii a Patre in hoc quod dico 'loqui', et consignificatur exitus creaturae, qui [v] est communis Trinitati: unde primo intelligitur exitus Filii a Patre et deinde actus qui est respectu creaturae.

2. Ad aliud dicendum quod verum est quod haec verba 'mittere' et 'mitti' significant aliquid quod attribuitur personae vel personis [x] ratione essentiae; illud tamen non est primo significatum in [y] hoc quod dico 'mittere' vel 'mitti', sed potius respectus personalis, qui attribuitur personae, non ratione essentiae, sed ratione [z] suppositi.

498

CAPUT IV.

UTRUM MISSIO DICATUR DE DEO AB AETERNO VEL EX TEMPORE.

Quarto quaeritur utrum missio possit convenire Deo ab aeterno vel tantum conveniat ei ex tempore [1].

Quod ab aeterno videtur: 1. Nam, sicut supra ostensum est [2], missio est quid aeternum et quid increatum; sed quidquid est aeternum praedicatur

---

[a] B om. [b] BRGL *primo* pro *p. p.*; V om. *per.* [c] S *vel.* [d] L *significat.* [e] G om. *processionis... manifestatio.* [f] V add. *mutatio.* [g] L *in.* [h] G om. *h. q. d.* [i] S per *vacat* delev. et B exp. *quia... mitti.* [k] GL (corr. mg.) *ad hec.* [l] B om. [m] G *nec.* [n] V add. *non.* [o] G om. *missio... creatura.* [p] S *vel.* [q] G *motionem.* [r] V *significat.* [s] L om., in P est add. interl. [t] Ita B, alii *essentia.* [u] V add. *ad.* [v] B *que.* [x] PVS *persone.* [y] G *ut.* [z] B om.

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 15, p. 1, a. un., q. 2 (I, 261 sq.). | [2] Cf. supra, num. 496.

de Deo ab aeterno; ergo missio praedicatur de Deo ab aeterno [a].

2. Item, Gregorius, in *Moralibus* [1]: « Eo mittitur Filius quo generatur »; sed generari convenit ei ab aeterno; ergo et mitti.

3. Item, inter illum qui mittit et illum qui mittitur non oportet quod sit « diversitas naturarum, sed solum distinctio personarum », sicut dicit Augustinus, in libro [b] *Contra perfidiam Arianorum* [2], sicut nec inter procedentem et illum a quo procedit; ergo nec similiter inter mittentem et illum cui [c] mittitur vel inter missum et illum ad quem fit missio, cum eadem ratio videatur utrobique, immo maior ex parte illa, quia inter mittentem et missum est distinctio [d] ratione eius quod est 'esse ab alio', quod significatur ibi, et ratione auctoritatis, quorum neutrum significatur ex ista parte inter mittentem sive missum et illum cui fit missio; ergo si Spiritus Sanctus ab aeterno, in [e] quantum amor, procedit a Patre in Filium, videtur similiter quod ab aeterno possit dici missus.

4. Item, sicut mitti habet relationem ad mittentem et ad illum cui fit missio, ita donum habet comparationem ad illum a quo datur et ad illum cui datur; ergo si Spiritus Sanctus dicitur esse Donum ab aeterno et ex tempore [3], videtur similiter quod nullum sit inconveniens Spiritum Sanctum mitti ab aeterno et ex tempore.

5. Item, Augustinus [4] comparat missionem Filii a Patre splendori qui mittitur ab igne; unde dicit quod « ignis mittit splendorem nec tamen splendor separatur ab igne », per hoc ostendens [f] quod Filius mittitur a Patre nec tamen separatur ab eo. Sed si splendor ignis esset ab igne ab aeterno, possem dicere 'ignis mittit splendorem ab aeterno', sive esset illuminabile sive non; ergo cum missio [g] Filii a Patre sit processio Filii a Patre ad illuminandum creaturam — et loquor [h] de missione invisibili, cum semper Filius [i], quantum est in se, illuminet [k], sive sit illuminabile sive non, sicut dicitur Ioan. 1,9: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, licet non omnis homo illuminetur — videtur quod missio possit convenire Deo ab aeterno.

6. Item, cum [l] Spiritus Sanctus dicatur procedere ab aeterno et ex tempore, quare non potest dici mitti ab aeterno et ex tempore, et Donum esse ab aeterno et ex tempore?

7. Item, 15 dist. I libri *Sententiarum* [5], dicitur quod praeter generationem Filii a Patre est duplex missio Filii, scilicet invisibilis in mentem et visibilis in carnem; ergo generatio Filii dicitur missio; ergo si generatio Filii est ab aeterno, dicetur missio de ipso ab aeterno.

Contra: *a.* Nullum nomen connotans effectum in creatura dicitur de Deo ab aeterno; sed missio connotat effectum in creatura; ergo non dicitur de Deo ab aeterno.

b. Item, duplex est processio Filii et Spiritus Sancti, scilicet [m] aeterna et temporalis. Processio autem aeterna dicitur de Filio ab aeterno et similiter de Spiritu Sancto, sed processio temporalis convenit eis solum ex tempore. Cum ergo idem sit missio passive dicta quod processio temporalis, sicut dicitur in libro *Sententiarum* [6], missio passive dicta convenit Filio et Spiritui Sancto solum ex tempore; sed missio passive dicta dicitur relative ad missionem active dictam; ergo missio, sive active dicta sive passive, convenit Deo solum ex tempore.

c. Ad idem etiam sunt auctoritas [n] Augustini et auctoritas [o] Bedae, quae ponuntur in secundo Problemate [7].

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod missio dicitur de [p] Deo ex tempore et non ab aeterno.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum dicendum quod est loqui de missione quantum ad principale significatum et quantum ad connotatum; ratione principalis significati est quid aeternum. Ratione connotati est ex tempore; cum autem aeternum coniungitur temporali in eodem termino, proprie loquendo debet iudicari temporale, sicut quando necessarium coniungitur contingenti, totum [q] iudicatur contingens. Ideo in argumento isto est fallacia accidentis: 'missio est Deus, et Deus est aeternus, ergo missio est aeterna' [r], quia aeternitas, quae est in principali significato missionis, infertur de connotato: hoc enim nomen 'aeternus', cum sit adiectivum, determinat ipsum terminum et ponit [s] rem suam ratione totalis significati.

2. Ad aliud dicendum quod Gregorius loquitur de generatione temporali quae est ex matre, et tunc planum est quod eo [t] dicitur missus quo generatus, quia tunc generatus quando missus; unde Augustinus, II *De Trinitate* [8]: « Pater intelligitur eum misisse, cum fecit eum ex

---

[a] R *etc.* pro *missio... aeterno*, quod in V est add. mg. [b] B om. *l. l.* [c] G *qui.* [d] G *distinctum.* [e] L *et.* [f] PV *ostendemus.* [g] G *filio.* [h] PV *loquitur.* [i] BR add. *in.* [k] PVS *illuminat.* [l] L *sicut.* [m] PVS om. [n] S *auctoritates.* [o] B om. [p] R om. [q] PV *tamen.* [r] V *essentia*; P (corr.) *que* pro *quia.* [s] V *imponit.* [t] G om.

1 *In Evang.*, hom. 26, n. 2 (PL 76, 1198).
2 *Contra sermon. Arian.*, c. 34, n. 32 (PL 42, 706).
3 Cf. supra, num. 431.
4 Loc. cit., c. 3 (PL 42, 685 sq.).
5 Cap. 8 (p. 100).
6 Lib. I, d. 14, c. 1 (p. 89 sq.).
7 Cf. supra, num. 496.
8 Cap. 5, n. 8 (PL 42, 849).

femina ». Si autem exponatur de generatione aeterna, tunc potest dici quod ablativus notat principium effectivum vel quasi effectivum [a]; unde cum dicitur « eo mittitur quo generatur », non notatur quod generatio sit missio, sed quod ab eo est missio a quo est generatio, scilicet a Patre [b].

3. Ad tertium dicendum quod etsi missio non dicat loci mutationem, ut ille qui mittitur sit in loco in quo prius non erat, dicitur tamen [c] missio propter effectum aliquem, quia scilicet ille qui mittitur efficit aliquid quod prius non efficiebat. Et hoc est essentiale missioni, tamquam illud a quo imponuntur haec verba 'mittere' et 'mitti', licet principaliter significent aliquid increatum. Unde non solum exigitur distinctio inter mittentem et missum et illum cui fit missio, sed oportet quod aliquid procedat ab ipsis, scilicet aliquis effectus, qui prius non procedebat: nam ratione huius transfertur missio ad divina. Quia igitur Spiritus Sanctus semper [d] procedit et eius processio nunquam incepit, ideo licet [e] dicatur procedere a Patre in Filium, in quantum est amor, non tamen dicitur mitti, cum missio sit ad faciendum aliquid quod prius non fiebat. — Et si obicitur quod nuntius missus a rege ad faciendum aliquid, nihilominus mittitur, etsi illud non efficiatur: dicendum quod etsi non efficitur illud, tamen efficitur aliud quod [f] prius non efficiebatur; unde nuntius dicitur moveri ad efficiendum, qui prius non movebatur, ratione cuius dicitur missus: non sic autem est de Spiritu Sancto.

4. Ad quartum dicendum quod Donum [g] dicitur Spiritus Sanctus ab aeterno et ex tempore, non tamen missus. Et ratio huius est: quia Donum aliquando dicit respectum tantum ad creaturam, aliquando vero respectum et effectum. Quaedam enim sunt nomina quae dicunt respectum ad creaturam in habitu, sicut hoc nomen 'Dominus', quaedam respectum in actu, sicut 'Dominator'. Illa vero quae dicunt respectum in habitu possunt ei convenire ab aeterno, sicut hoc nomen 'Dominus' [h] et hoc quod dico 'Donum': unde « dicitur Donum Spiritus Sanctus, non solum quia datus, sed quia donabilis », sicut dicit Augustinus, V [i] *De Trinitate* [1]. Unde esse Donum convenit ei ab aeterno, quia donabilis, et ex tempore, quia datus. Non sic autem est de missione, quia semper dicunt haec verba 'mittere' et 'mitti' respectum [k] in actu. Unde etsi aliquo modo posset dici Spiritus Sanctus missibilis ab aeterno, non tamen potest dici mitti vel missus ab aeterno nec missio convenire ei ab aeterno, sed tantum ex tempore.

6. Et per hoc patet solutio ad illud quod postea quaerebatur: quare dicitur [l] Donum ab aeterno et ex tempore et procedens ab aeterno et ex tempore [m], non tamen dici potest mitti [n] ab aeterno et ex tempore. Non est enim [o] simile de hoc quod dico 'procedere': nam 'procedere' non dicit respectum ad creaturam, sed solum ad illud a quo procedit nisi per adiunctum, ut cum dicitur 'Filius vel Spiritus Sanctus procedit a Patre [p] in creaturam vel temporaliter': nam propter [q] adiunctum datur intelligi respectus sive effectus temporalis, ratione cuius dicitur processio temporalis et missio similiter.

5. Ad aliud [r] dicendum quod haec est [s] falsa: si ignis esset ab aeterno, quod missio splendoris esset ab aeterno, sive esset illuminabile sive non. Nam missio exigit terminum a quo et terminum ad quem; unde si non esset obiectum ad quod dirigeretur lux, ignis non diceretur emittere splendorem sicut nec illuminare, licet diceretur splendere vel lucere [t]. Similiter nec dicitur illuminare quantum est in se, nisi cum praesens est illuminabile, nec tamen propter hoc sequitur si illuminat aliquo modo, quantum in se est, licet non illuminetur creatura rationalis, quod propter hoc mittat vel mittatur, quia sicut sol est principium sufficiens illuminationis, licet non semper efficiens, quia ponitur obstaculum, ita et lumen increatum, et ideo dicitur illuminare quantum in se est. Sed non sic est de missione, immo ad hoc quod mittatur oportet quod efficiat in actu, quia, sicut dictum est [2], missio transfertur ad divinas personas, non quia sunt in loco ubi prius non erant, sed quia in creatura rationali efficiunt aliquid quod prius non faciebant: quod non convenit nisi ab ipsis procedat effectus in actu.

7. Ad hoc quod obicitur quod 'missio est generatio', sicut videtur accipi ex verbis Magistri: dicendum quod Magister, cum dicit quod praeter generationem aeternam est duplex missio, loquitur secundum quosdam qui vocabant generationem aeternam missionem: unde postea [3] subdit quod secundum [u] istam generationem aeternam a quibusdam dicitur missus, sed melius est secundum illam dici genitus quam missus.

Sed tunc quaeritur: si non reprehenduntur isti qui dicebant generationem aeternam missionem, ergo non videtur inconveniens quod dicatur

---

[a] G *confectivum* pro *q. e.* [b] G add. *est.* [c] PVS *autem.* [d] PVS om. [e] B om. [f] G *quemadmodum.* [g] S add. *Dei.* [h] Ita RL, alii *Deus.* [i] PV *II*, alii *XV.* [k] L *respectivum.* [l] R om. [m] S om. *e. e. t.*; L *tantum* pro *tamen.* [n] G om. [o] Codd. *tamen.* [p] G om. *a. P.* [q] B *per.* [r] P *illud.* [s] G om. [t] L om. *licet... lucere.* [u] P *secundam.*

[1] Cap. 15 (PL 42, 921). [2] Cf. supra, *ad 3.* | [3] Cf. Lib. I *Sent.*, d. 15, c. 7 (p. 99).

missus ab aeterno, sicut genitus. — Ad hoc dicendum quod illi qui sic dicebant non intendebant quod secundum aeternam generationem dicatur missio secundum completam rationem missionis, sed quia habetur congruitas ex hoc quod genitus ad hoc quod possit mitti, quia ex hoc ipso quod ab alio est, mitti potest: unde non intendebant quod illa missio esset ab aeterno, sed potius ratio, qua congruebat ipsum mitti, quae dicitur generatio.

TITULUS II.

DE MISSIONE ACTIVE DICTA.

Consequenter quaeritur [a] de missione active dicta; de qua quaeruntur haec:

Primo, utrum missio active dicta conveniat toti Trinitati respectu Filii vel [b] Spiritus Sancti [c];

secundo, utrum conveniat alicui personae respectu sui;

tertio, utrum conveniat Spiritui Sancto respectu Christi;

quarto, utrum dare vel mittere Spiritum Sanctum possit convenire creaturae rationali ratione ministerii.

CAPUT I. 499

UTRUM MISSIO ACTIVE DICTA CONVENIAT TRINITATI RESPECTU FILII VEL SPIRITUS SANCTI [1].

Circa primum sic obicitur: 1. Augustinus, in libro *Contra perfidiam Arianorum* [2]: « Nec Pater sine Filio nec Filius sine Patre misit Spiritum Sanctum, sed eum pariter ambo miserunt, inseparabilia quippe sunt opera Trinitatis ». Haec autem ratio nulla esset nisi mittere Spiritum Sanctum [d] esset actus totius Trinitatis; ergo missio active dicta convenit toti Trinitati.

2. Item, sicut dictum est [3], missio transfertur ad divinas personas, non quia aliqua illarum sit ubi prius non erat, sed quia per illas aliquid efficitur quod prius non fiebat; missio ergo convenit personis ratione alicuius effectus procedentis ab ipsis, sicut et processio temporalis; sed ille effectus communis est toti Trinitati et ille effectus est a tota Trinitate; ergo et missio est a tota Trinitate.

3. Item, Spiritus Sanctus mittitur a Patre et Filio, hoc certum est; item, mittitur [e] a se ipso, sicut dicitur in [f] 15 dist. I libri [g] *Sententiarum* [4]; ergo Spiritus Sanctus [h] mittitur a tota Trinitate; ergo tota Trinitas mittit Spiritum Sanctum; ergo missio active dicta convenit toti Trinitati.

Contra: *a.* Beda, in *Homilia Dominicae I post Ascensionem* [5]: « Missio Spiritus Sancti [i] est eius processio »; sed Spiritus Sanctus non procedit a tota Trinitate; ergo non mittitur a tota Trinitate; ergo haec est falsa ' tota Trinitas mittit Spiritum Sanctum '.

b. Item, Pater est persona quae a nulla, sed a qua alia, Filius persona quae [k] ab alia, a qua alia [l], Spiritus Sanctus [m] persona quae ab alia, a qua nulla persona; sed Pater dicitur mittere, quia ab ipso [n] est alia persona, mitti vero non dicitur, quia non est ab aliqua [o] persona, sicut dicit Augustinus [6]; Filius vero dicitur mitti et mittere, quia est ab alio, a quo alius; ergo Spiritus Sanctus dicetur missus, quia ab alio, sed non mittens, quia nullus ab ipso; ergo mittere non convenit toti Trinitati sicut nec mitti.

c. Item, si tota Trinitas ratione effectus connotati mitteret Spiritum Sanctum [p], cum similiter connotetur effectus in missione Filii, tota Trinitas mitteret Filium, et ita Spiritus Sanctus mitteret Filium [q]; quod non invenitur nisi [r] de Filio secundum humanam naturam.

d. Item, mittere Filium est aliquid operari per Filium in creatura rationali; sed operari per Filium non convenit toti Trinitati [7]; ergo nec mittere

---

[a] G *dicendum est.* [b] S add. *respectu.* [c] L om. *v. S. S.* [d] L om. [e] V add. *a Patre.* [f] B om. [g] P *in primo libro* pro *I. l.* [h] L om. [i] P add. *scilicet.* [k] G add. *est.* [l] V om. *Filius... alia.* [m] V om. [n] V *alio.* [o] L *alia.* [p] L om. [q] PV om. *et... Filium,* in S est add. mg. [r] PVS *nec.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 15, p. 1, a. un., q. 4 (I, 264sqq.); Petr. Pictav., I *Sent.*, c. 37 (PL 211, 936sqq.).
2 *Contra sermon. Arian.*, c. 4 (PL 42, 686).
3 Cf. supra, p. 704a, *ad 3.*
4 Cap. 4 (p. 97).
5 PL 94, 182.
6 Loc. supra cit., nota 2.
7 Cf. supra, p. 702b.

Filium convenit toti Trinitati; ergo similiter nec mittere Spiritum Sanctum; ergo missio active dicta non convenit Trinitati.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod super hoc sunt opiniones. Nam sunt quidam qui concedunt quod missio sive [a] Filii sive Spiritus Sancti active dicta convenit toti Trinitati; unde sicut concedunt quod tota Trinitas dat Filium et etiam Spiritum Sanctum, ita concedunt quod tota Trinitas mittit Spiritum Sanctum et similiter Filium.

Alii autem negant utramque. Alii autem [b] concedunt istam 'tota Trinitas dat Filium vel [c] Spiritum Sanctum', sed negant istam 'tota Trinitas mittit Filium vel [d] Spiritum Sanctum'.

Notandum [e] igitur quod missio active dicta potest dupliciter determinari. Nam uno modo dicit divinam essentiam et consignificat distinctionem sive notionem, et sic dicitur missio manifestatio productionis alicuius personae per aliquem effectum in creatura [1]; et quia per [f] nomen 'missionis' significatur divina essentia principaliter et in rectitudine, a qua est effectus, notio vero secundario et in obliquitate, quia manifestatur in illo effectu: ideo concedunt quod missio active dicta convenit toti Trinitati; unde sicut concedunt istam 'tota Trinitas manifestat processionem Filii et Spiritus Sancti', ita concedunt quod tota Trinitas mittit Filium et Spiritum Sanctum et concedunt rationes primas quae sunt pro parte ista.

[Ad obiecta]: *a.* Ad primo autem obiectum dicunt [g] quod, cum dicit Beda [h]: «Spiritus Sancti missio est eius processio», loquitur de processione temporali [i] qua dicitur Spiritus Sanctus procedere ratione effectus, in quo datur vel manifestatur dari Spiritum Sanctum. Unde Spiritus Sanctus non dicitur procedere nisi ratione effectus procedentis ab ipsa Trinitate, cum quo effectu simul datur Spiritus Sanctus: et secundum hanc improprietatem concedit Magister, in I *Sententiarum*, 15 dist., quod Spiritus Sanctus [k] procedit a se et mittitur a se; secundum hoc etiam conceditur quod Spiritus Sanctus incipit esse in rationali creatura quando datur ei [l] gratia.

b. Ad aliud quod obicitur quod 'Pater, qui a nullo est, non dicitur missus, ergo Spiritus Sanctus a quo nullus, non dicitur mittens': dicunt quod non est simile, quia in iis verbis 'mittere' et 'mitti' consignificatur [m] habitudo principii ad illud quod est de principio; esse autem [n] ab aliquo sive a principio negatur sive removetur universaliter a Patre, ita quod nullo modo potest dici esse de [o] principio; esse autem principium non removetur universaliter a Spiritu Sancto, sed Spiritus Sanctus dicitur esse principium creaturae sive effectus [p] qui fit in creatura. Et ideo sicut [q] conceditur quod Spiritus Sanctus facit se esse in creatura per gratiam et Trinitas facit Spiritum Sanctum per gratiam esse in creatura rationali, ita potest concedi quod tota Trinitas mittit Spiritum Sanctum.

c. Ad aliud autem satis patet [r] solutio. Nam secundum istam rationem missionis, quae dicta est [2], sicut conceditur quod tota Trinitas mittit Filium, ita etiam conceditur quod Spiritus Sanctus mittit Filium, quia facit ipsum cognosci quod procedit aeternaliter a Patre per effectum procedentem ab ipso temporaliter.

d. Ad aliud autem [s] solvunt per interemptionem. Non enim idem est operari per Filium et mittere Filium, sed potius manifestare illam [t] operationem esse per Filium. Unde concedunt istam 'Spiritus Sanctus mittit Filium' vel 'Trinitas mittit Filium', non quia Trinitas vel Spiritus Sanctus operetur per Filium, sed quia Trinitas vel Spiritus Sanctus [u] per aliquem effectum, appropriatum Filio, manifestat Patrem operari per Filium: et hoc bene convenit toti Trinitati.

Alio autem [v] modo potest determinari missio, scilicet ut primo et principaliter significet notiotionem, secundario vero actionem sive manifestationem, qua illa notio manifestatur per aliquem effectum. Unde hoc modo dicitur missio active dicta productio alicuius personae manifestata per aliquem effectum in creatura. Unde duo dicuntur nomine missionis, scilicet notio principaliter ibi significata et manifestatio illius notionis per effectum ibi consignificata [x]. Quia igitur illud quod principaliter significatur nomine missionis non convenit toti Trinitati, non concedunt quod missio active dicta conveniat toti Trinitati; ideo dicunt quod haec est falsa proprie loquendo 'tota Trinitas mittit Filium vel Spiritum Sanctum', licet actio ibi secundario significata, a qua est effectus in creatura, conveniat toti Trinitati.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc ergo quod [y] primo obicitur per auctoritatem Augustini: dicendum quod, sicut dictum est [3], in missione active dicta sunt duo, scilicet productio alicuius personae et manifestatio illius productionis et praeter hoc etiam effectus per quem manifestatur. Non vult ergo dicere Augustinus quod missio sit opus totius [z] Trinitatis nisi accipiatur improprie, sed

---

[a] Ita RL, alii om. [b] R om. [c] Ita RL, alii *et*; BG *simul* pro *F. v.* [d] V *et*. [e] RGL *nota*; G om. *igitur*. [f] L add. *hoc*. [g] S *dicendum*. [h] R add. *quod*. [i] S *temporaliter*; G om. *qua*. [k] P om. [l] PVS *in*. [m] S *significatur*. [n] PV *enim*. [o] PVS *a*, V om. *esse*. [p] L *creatus*. [q] V add. *dicitur vel*. [r] S add. *responsio et*; L *illud* pro *aliud*.. [s] G *etiam*. [t] G add. *per*. [u] RGL om. [v] G om. [x] V *consignificate*. [y] B om. [z] R om.

[1] Cf. supra, p. 702a, *Solutio*. [2] Cf. p. 706a. [3] Cf. hic, parum supra.

[quod] illud [a] quod est ibi per modum operationis, scilicet manifestatio productionis, sit opus Trinitatis et hoc innuit, cum dicit: « indivisa sunt opera Trinitatis [b] ».

2. Ad aliud dicendum quod [c], licet missio transferatur ad divina ratione praedicta, quia dicitur efficere in creatura quod prius non faciebat, non [d] illud primo et principaliter significatur in nomine missionis, sed potius respectus personae mittentis ad illam quae mittitur, qui non est communis toti Trinitati, et ideo nec missio communis est.

3. Ad tertium vero responsio postea habebitur, scilicet in sequenti Problemate [1].

CAPUT II. 500

UTRUM MISSIO ACTIVE DICTA CONVENIAT ALICUI PERSONAE RESPECTU SUI.

Consequenter quaeritur I. utrum missio active dicta conveniat alicui personae respectu sui, hoc est utrum [e] vere possit dici 'Pater mittit se vel Filius vel Spiritus Sanctus'.

Ad quod sic: *a.* Magister, in 15 dist. I libri [f] *Sententiarum* [2], concedit quod Spiritus Sanctus mittitur a se et procedit a se; ergo Spiritus Sanctus mittit se.

b. Item, Augustinus, IV *De Trinitate* [3]: « Sicut generari est Filium esse a Patre [g], ita Filium cognosci esse a Patre est Filium mitti, et sicut Spiritum Sanctum Donum Dei esse est a Patre procedere, ita Spiritum Sanctum cognosci quod a Patre procedat est Spiritum Sanctum mitti »; sed istud cognosci est a Spiritu Sancto; ergo missio Spiritus Sancti est ab ipso; ergo Spiritus Sanctus mittit se.

c. Item, Beda [4]: « Cum gratia hominibus datur, mittitur Spiritus Sanctus ». Ergo nihil aliud est Spiritum Sanctum mitti quam gratiam conferri, cum qua etiam datur ipse Spiritus Sanctus; ergo mittere Spiritum Sanctum est ipsum per gratiam conferre; sed hoc convenit Spiritui Sancto; ergo mittere se convenit Spiritui Sancto; ergo eadem ratione convenit aliis personis.

Contra: 1. 'Mittere' et 'mitti' dicuntur relative ad invicem et mittens et missus; sed nihil relative dicitur ad [h] se; ergo nulla persona mittit se vel mittitur a se.

2. Item, Hieronymus, super Ezech. 16, 52: *Convertam* etc., in [i] Glossa [5] quae sic incipit: 'Grandis misericordia', dicit: « Quod coniunctum est in uno corpore mitti non potest, sed quod extra est ». Ergo oportet quod inter mittentem et missum sit aliqua separatio vel distinctio [k] ad minus personalis, etsi non essentialis; sed nulla persona distinguitur a se; ergo nulli personae convenit mittere se vel mitti a se.

3. Item, mitti dicit subauctoritatem; ergo suum activum sive correlativum dicit auctoritatem; sed nihil habet auctoritatem vel subauctoritatem respectu sui; ergo mittere non convenit alicui personae respectu sui.

II. Item, quaeritur utrum haec sit concedenda 'Spiritus Sanctus dat se vel Pater vel Filius dat se'.

a. Ad hoc autem quod sit vera, adducit Magister rationes et auctoritates, in libro [l] *Sententiarum* [6]. Obicit enim sic: « Cum enim donatio Spiritus Sancti sit operatio Dei, sed indivisa sunt opera Trinitatis, ergo dare Spiritum Sanctum convenit toti Trinitati; ergo Spiritui Sancto; ergo Spiritus Sanctus dat se ».

b. Item, Ioan. 3, 8: *Spiritus ubi vult, spirat;* spirare autem [m] nihil aliud est quam dare Spiritum; ergo Spiritus Sanctus dat se ipsum.

c. Item, si Pater et Filius possunt dare vel dant Spiritum Sanctum, et Spiritus Sanctus non potest dare vel non dat se ipsum, aliquid possunt vel aliquid operantur Pater et Filius quod non potest vel non operatur Spiritus Sanctus [7].

d. Item [n], ad hoc est auctoritas Augustini, quam ponit Magister [8] ibi. Dicit enim, XV *De Trinitate* [9]: « Sicut corpus carnis nihil aliud est quam caro, sic donum Spiritus Sancti nihil aliud est quam Spiritus Sanctus ». Ergo Spiritus Sanctus est dans et donum; ergo cum datur, a se ipso datur; ergo Spiritus Sanctus dat se.

e. Item, Augustinus, ibidem [10]: « Ita datur [o] sicut donum Dei, ut etiam se ipsum det sicut

---

[a] PVS om. [b] V *operationis* pro *o. T.* [c] P om. [d] B add. mg. *tamen.* [e] BR om.; GL (mg) *si.* [f] P *in libro* pro *l. l.* [g] PVBL om. *a. P.*, in S est add. mg. [h] L *a.* [i] PVS *ibi.* [k] B add. *etiam.* [l] B (interl.) G add. *I.* [m] BRL om. [n] BR om., in L est add. mg. [o] PV *dicit,* quod S corr.

1 Cf. num. 500.
2 Cap. 1 (p. 95).
3 Cap. 20, n. 29 (PL 42, 908).
4 *Homil. Dom. I post Ascens.* (PL 94, 182).
5 *Ordin.*. ap. Lyran., in h. l., ex Hieronymo, in h. l. (PL 25, 157).
6 Lib. I, dist. 15, c. 1 (p. 94 sq.), ad sensum.
7 Cf. Lombard., loc. cit.
8 Loc. cit.
9 Cap. 19, n. 36 (PL 42, 1086).
10 Loc. cit.

Deus ». Ergo Spiritus Sanctus dat se ipsum; ergo eadem ratione Pater dat se et Filius dat se.

Contra: 1. Augustinus, in libro *De Trinitate*[1]: « Donum [a] refertur ad illum qui dat et ad illum cui datur ». Ergo si Spiritus Sanctus distinguitur ab illo cui datur ratione [b] relationis, ergo similiter ab illo a quo datur; ergo Spiritus Sanctus non potest esse dans et datum sive donum.

2. Item, dicit [c] Magister, in *Sententiis*[2], quod Spiritus Sanctus non potuit dari a creatura, quia si daretur a creatura, procederet a creatura vel esset a [d] creatura; ergo similiter si Spiritus Sanctus datur a se [e], procedit a se. — Si dicatur, sicut dicit Magister, in *Sententiis*[3], quod in quantum [f] datus est a se vel procedit a se in quantum Deus [g] – ergo eadem ratione potest dici quod Pater dat se et datur a se et mittit se et mittitur a se; quod tamen non concedit Augustinus nec etiam [h] ipse Magister, sicut postea videbitur[4].

3. Item, rationes Magistri propter quas videtur concedere quod Spiritus Sanctus dat se et datur a se, mittit se et mittitur a se et quod procedit a se, non videntur valere. Nam in omnibus videtur esse commutatio praedicamenti, quoniam 'mitti' et 'mittere', 'dari' et 'dare' sive etiam 'procedere' non significant 'quid', sed 'ad aliquid', quia missio Spiritus Sancti a Patre et Filio est processio eius a Patre et Filio. Et est instantia: Pater potest generare; Filius vel Spiritus Sanctus non possunt generare; ergo aliquid potest Pater quod non potest Filius vel Spiritus Sanctus.

[Solutio]: I. Ad hoc notandum quod super veritate praedictarum propositionum plures fuerunt opiniones. Quidam dicunt istas esse falsas: 'Spiritus Sanctus mittit se' et 'Spiritus Sanctus procedit a se', et hoc ratione distinctionis et auctoritatis vel subauctoritatis quae significantur in iis verbis 'mittere' et 'mitti'. Unde auctoritates quae videntur haec dicere, exponunt hoc modo: 'Spiritus Sanctus mittit se', id est a [i] Spiritu Sancto est effectus in quo cognoscitur missus.

Alii[5] dicunt quod 'mitti' et 'mittere' dupliciter [k] dicuntur, scilicet proprie et [l] improprie: proprie, quando [m] dicunt distinctionem sive auctoritatem et [n] subauctoritatem, et sic non sumuntur in praedictis locutionibus; quandoque autem 'mittere' est idem quod 'dare sive communicare se creaturae rationali', et tunc sumitur minus proprie, et in [a] hoc sensu concedunt praedictas locutiones. Et hoc volunt trahere ex [b] littera. Dicit enim Magister[6] sic: « Spiritus Sanctus dat se et datur a se ».

Alii autem [c] dicunt et verius, ut videtur, quod [d] cum dicitur 'Spiritus Sanctus mittit se vel dat se', significatur persona Spiritus Sancti sub alia et alia ratione, sicut [e] cum dicitur 'intellectus intelligit se'. Unde cum dicitur 'Spiritus Sanctus mittit se vel dat se' [f], tria intelliguntur ibi, scilicet persona mittens, quae est Spiritus Sanctus, et actio Spiritus Sancti, quae est idem quod ipse, et effectus [g] in creatura, cum quo etiam [h] effectu datur Spiritus Sanctus: non [i] quia in creatura simpliciter incipiat esse Spiritus Sanctus, sed quia est ibi alio modo quam prius; et attribuitur personae Spiritus Sancti [k] illud quod [l] per se est ipsius effectus; unde secundum hoc dicitur Spiritus Sanctus faciens se in creatura per gratiam et factus in creatura. Et hoc videtur dicere Augustinus cum dicit: « Ita datur sicut donum Dei, ut se ipsum det in quantum Deus ».

Secundum hoc ergo potest de facili responderi ad omnia alia [m] quae obiciuntur, scilicet quod haec verba 'mittere' et 'mitti' dicunt relationem vel distinctionem sive [n] secundum auctoritatem et subauctoritatem. Dicendum enim est quod non semper dicunt ista secundum rem, sed solum [o] secundum rationem: unde unum et idem aliquando sub alia ratione et alia potest significari.

Notandum ergo quod, cum haec verba 'mittere' et 'mitti' significant distinctionem ratione relationis et auctoritatis, significatur illa distinctio diversimode [p]. Aliquando enim significatur per illa verba distinctio secundum essentiam, ut cum dicitur tota Trinitas mittere Christum hominem vel [q] angelos vel prophetas. Aliquando vero significatur distinctio secundum personam sive secundum originem solum, ut cum dicitur Pater mittere Filium vel Pater et Filius mittere Spiritum Sanctum. Aliquando vero secundum rationem tantum [r], ut cum dicitur 'Spiritus Sanctus mittit se': unum enim et idem potest esse supra se secundum rationes diversas, prout dicitur quod ratio, considerata ut ratio, est supra se ipsam in quantum consideratur ut quaedam natura, et summus Pontifex, in quantum summus Pontifex [s], est supra se in quantum est quaedam

---

[a] G *unde*. [b] G *bone*. [c] G om. [d] Ita B (interl.) G, alii om. [e] PVS add. *vel*. [f] R add. *est*. [g] S add. *est*. [h] PVS om. [i] B exp. [k] B *tripliciter*. [l] RL *vel*. [m] PVS *quandoque* pro *p. q.* [n] PVS *vel*.

[a] L *etc.* pro *e. t.* [b] B *extrahere a* pro *t. e.* [c] BRL add. *aliter*. [d] S om., in V est add. mg. [e] B om. [f] B om. *v. d. s.*, in L est add. mg. [g] G *affectus*. [h] P add. *in*. [i] L add. *est*. [k] BL add. *et*. [l] S add. *est*. [m] L (corr.) *illa*. [n] BGL add. *etiam*, S *sicut*, L exp. *secundum*. [o] R om. [p] BG *diversitate*, quod L corr. [q] B *per*. [r] RGL (mg.) *solum*, B *scilicet*, quod L corr. [s] G om. *i. q. s. P.*

[1] *De Trinit.*, V, c. 14 (PL 42, 921).
[2] Lib. I, d. 14, c. 3 (p. 93).
[3] Lib. I, d. 15, c. 1 (p. 95).
[4] Cf. infra, num. 504.
[5] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, c. 7, q. 2 (f. 21a).
[6] Lib. I *Sent.*, d. 15, c. 1 (p. 95).

singularis persona. Secundum primum modum accipit Hieronymus missionem, cum dicit quod illud « quod mittitur semper est extra et non coniunctum ». Secundum [a] secundum modum accipit Augustinus missionem, cum dicit *Super Ioannem* [1]: « Minorne est Filius quia missus? missionem audio, non separationem »; quasi dicat discretio personalis exigitur inter mittentem et missum, non separatio. Tertio [b] modo accipit Magister, in *Sententiis*, cum dicit quod Spiritus Sanctus mittit se et mittitur a [c] se.

II. 1. Eodem modo potest dici de hac 'Spiritus Sanctus dat se et datur a se', quia si 'dare' dicat relationem vel auctoritatem respectu dati, non notatur ibi distinctio secundum rem sive auctoritas, sed solum secundum rationem, sicut dictum est [2]. Aliquando tamen accipitur 'dare' pro influere, et 'dari' [d] pro inspirari, et tunc [e] concedunt simpliciter 'Spiritus Sanctus dat se et datur a se', quia tunc non notatur ibi auctoritas neque etiam [f] relatio nisi ad illud cui fit datio [g] sive inspiratio. Unde istae inter alias minus habent improprietatis; istae vero magis 'Spiritus Sanctus mittit se et mittitur a se'; ista vero maxime 'Spiritus Sanctus procedit a se', quia scilicet [h] attribuitur Spiritui Sancto quod est effectus tantum. Minus [i] est impropria activa quam passiva; unde haec est minus impropria 'Spiritus Sanctus dat se' quam haec 'Spiritus Sanctus datur a se', propter habitudinem causae sive principii quae notatur in ablativo ratione praepositionis; tamen utraque potest vera esse eo [k] modo quo dictum est.

2. Ad aliud [l] dicendum quod bene sequitur: 'Spiritus Sanctus datur a creatura, ergo procedit a creatura' [m], sive sumatur 'dari' pro eo quod est mitti sive pro eo quod est infundi sive [n] inspirari; non tamen sequitur: 'Spiritus Sanctus dat se, ergo procedit a se', et ratio huius dicetur infra [o], quando quaeretur utrum dari vel mitti conveniat Patri [3].

3. Ad illud quod obicitur quod 'in rationibus Magistri videtur esse commutatio praedicamenti': dicendum quod in hoc quod dico 'mittere' et 'mitti' tria intelliguntur, scilicet notio et actio, quae est divina essentia, quae significatur ut relata ad creaturam, et etiam effectus connotatus in creatura. Procedunt ergo rationes Magistri ratione actionis, quae significatur in iis verbis 'mittere' et 'mitti', qua [p] tota Trinitas efficit aliquid in creatura, et haec significat 'quid', non 'ad [q] aliquid'. Nec est simile de hoc quod dico 'generare vel spirare' [r]: nam ista non dicunt effectum in creatura nec essentiam, sed puram notionem; unde non dicunt 'quid', sed 'ad [s] aliquid' solum.

CAPUT III. 501

UTRUM MISSIO ACTIVE DICTA CONVENIAT SPIRITUI SANCTO RESPECTU CHRISTI.

Consequenter quaeritur utrum missio active dicta conveniat Spiritui Sancto respectu Christi.

Ad quod sic [4]: *a.* Isai. 48,16: *Et nunc misit me Dominus et Spiritus eius*; loquitur in persona Christi; ergo Christus missus est a Spiritu Sancto; ergo mittere convenit Spiritui Sancto respectu Christi.

b. Item, Ambrosius, in libro *De Spiritu Sancto* [5]: « Quis est qui dicit: *Misit* [t] *me Dominus et Spiritus eius* [u]? nisi qui venit a Patre ut salvos faceret peccatores, id est Christus [v] ». Ergo et Pater eum misit et Spiritus Sanctus [x]. Item, idem, in eodem [6]: « Datus est a Patre, ut Isaias dicit 9,6 quia *puer natus est nobis et Filius datus est nobis*, datus est, audeo dicere, et a Spiritu, quia a Spiritu missus est ». Ergo etc.

c. Item, Augustinus, in II *De Trinitate* [7], loquens de Filio: « Mitti a Patre sine [y] Spiritu Sancto non potuit, quia Pater intelligitur eum misisse, cum fecit eum ex femina; quod utique non fecit sine Spiritu Sancto ». Ergo mittere convenit Patri et Spiritui Sancto respectu Christi.

Contra: 1. Augustinus, II *De Trinitate* [8]: « Exire a Patre et venire in mundum hoc est mitti ». Ergo mittere Filium in mundum sive in

---

[a] S *sed*, L om. [b] PVS *alio*. [c] BRGL *dat* pro *m. a.* [d] L *dare*, quod B corr. [e] PV *non*, quod S corr. [f] P (mg) VS *est*. [g] V *creatio*. [h] BRGL om. [i] BRL add. *etiam*, G add. *secundum*. [k] B *eodem*, quod L corr. [l] L *illud* et om. *dicendum*, quod B corr. [m] S om. *e. p. a. c.* [n] B add. *pro eo quod est*. [o] PVS *inferius*; G om. *utrum*. [p] S (corr.) *quasi*. [q] G om. [r] P *dare gratiam* pro *g. v. s.*, quod S exp. et corr. in mg.; V *dare gratiam vel spirare* pro *g. v. s.* [s] V om. [t] L om. [u] B *prius*. [v] PS *cum Christo* pro *i. e. C.*; V om. *id*. [x] BRGL om.; G *id est* pro *et*. [y] G *sive*.

1 Tract. 21, n. 17 (PL 35, 1573).
2 Cf. supra, p. 708b.
3 Cf. infra, num. 504.
4 Cf. Praeposit., *Summa*, I (f. 85d).
5 Lib. III, c. 1, n. 7 (PL 16, 778).
6 Loc. cit., c. 2, n. 9 (PL 16, 779).
7 Cap. 5, n. 8 (PL 42, 849).
8 Cap. 5, n. 7 (PL 42, 849).

carnem convenit solum illi personae a qua exit Filius; sed Filius non est a Spiritu Sancto; ergo missio Filii in mundum [a] sive in carnem non est a Spiritu Sancto.

2. Item, Augustinus [b], IV *De Trinitate* [1]: « Sicut natum esse est Filio a Patre esse, ita [c] mitti est cognosci quod ab illo sit »; sed Filius non potest cognosci esse a Spiritu Sancto, cum non sit ab illo; ergo non potest mitti a Spiritu Sancto; ergo missio active dicta non convenit Spiritui Sancto respectu Christi. — Si dicatur quod convenit ei ratione humanae naturae – contra: quidquid convenit Christo homini, convenit personae Filii Dei; ergo si mitti a Spiritu Sancto convenit Christo homini, ergo [d] convenit personae Filii Dei [e]; ergo persona Filii Dei mittitur a Spiritu Sancto; ergo est a Spiritu Sancto: quod non conceditur, immo potius [f] Spiritum Sanctum esse a Christo.

3. Item, cum dicitur Filius mitti in carnem, aut intelligitur de Filio Dei secundum humanam naturam aut secundum divinam. Non videtur quod secundum humanam naturam, quia aliud est Filium mitti in carnem, aliud Christum existentem in carne mitti: in carnem enim mitti non convenit nisi existenti praeter carnem; ergo non convenit Filio nisi secundum divinam naturam; sed secundum divinam naturam non mittitur Christus a Spiritu Sancto; ergo missio Christi in carnem non est a Spiritu Sancto; sed non convenit ei nisi missio vel in carnem vel in mentem; ergo missio active dicta non convenit Spiritui Sancto respectu Christi.

[Solutio]: Ad hoc dicunt quidam [2] quod triplex est missio Christi, scilicet in mentem, in carnem et ad praedicandum. Et dicunt quod Spiritus Sanctus non mittit Christum [g] duabus missionibus primis, sed tertia, quae est ad praedicandum. Et sic intelligitur auctoritas Isai. 48, 16 [3]: *Et nunc misit me Dominus et Spiritus eius,* et auctoritas Ambrosii similiter. Unde Ambrosius ad hoc confirmandum adducit illam auctoritatem Isai. 61, 1: *Spiritus Domini super me: evangelizare pauperibus misit me.* Sed licet sic possit responderi ad auctoritatem Ambrosii, non tamen adhuc respondetur ad auctoritatem Augustini, quae intelligitur de missione Filii in carnem, sicut patet per auctoritates quas adducit Augustinus [4]: *Misit Deus Filium suum in terris* etc. Ideo [h] alii dicunt quod haec est duplex 'Spiritus Sanctus misit Filium in carnem', quia hoc verbum 'misit' potest construi cum hoc quod dico 'Spiritus Sanctus' ratione comparationis ad terminum ad quem, et sic est vera, quia incarnatio Filii facta est a Spiritu Sancto sicut et a tota Trinitate. Vel potest construi hoc verbum 'misit' cum hoc quod dico 'Spiritus Sanctus' ratione comparationis ad personam quae mittitur, et sic est falsa, quia Spiritus Sanctus non habet auctoritatem respectu Filii. Utroque autem modo dicitur missio Filii in carnem respectu Patris. Unde cum [i] dicit Augustinus: « Mitti est exire a Patre et venire in mundum », loquitur de missione Filii secundum quod convenit Patri; unde mitti a Patre in mundum convenit Filio, quia est a Patre et quia adventus eius in mundum est a Patre sive incarnatio eius; mitti vero a Spiritu Sancto convenit ei non quia persona eius sit a Spiritu Sancto, sed quia venire ipsum in mundum sive in carnem [k] est a Spiritu Sancto.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet solutio ad primo obiectum.

2. Ad aliud dicendum quod 'Filium cognosci esse a Patre' est Filium mitti, quia illa cognitio est a Spiritu Sancto, ideo missio Filii est aliquo modo a Spiritu Sancto. Sed hoc non est verum de quocumque effectu in quo cognoscitur processio Filii, sed de tali effectu qui aliquo modo praedicatur de persona Filii Dei, ut est incarnatio; unde non [l] oportet quod si Spiritus Sanctus mittit Filium in carnem, quod per illum effectum debeat cognosci Filius esse a Spiritu Sancto, sed esse ab aliquo.

3. Ad aliud patet solutio ex praedictis. Nam cum quaeris si Spiritus Sanctus misit Filium in carnem aut secundum divinam naturam aut secundum humanam, tu quaeris secundum quod illa constructio est ratione comparationis ad personam quae mittitur: et secundum hoc illa [m] locutio est falsa; illa autem missio, qua Spiritus Sanctus dicitur mittere Filium in carnem, nihil aliud est quam manifestatio Filii per incarnationem, quae manifestatio naturaliter sequitur [n] ad carnis assumptionem, et ideo non oportet quod conveniat personae existenti praeter carnem.

---

[a] L *modum.* [b] B add. *in.* [c] L add. *a.* [d] V om. [e] G om. *ergo si mitti... Dei.* [f] G om. [g] R *mittitur* pro *m. C.* [h] PVS *sed,* L *item.* [i] G *sicut.* [k] BRGL *incarnari* pro *i. c.* [l] PVBL om., in S est add. interl. [m] BRGL om. [n] P *se,* quod S corr.

1 Cap. 20, n. 29 (PL 42, 908), ad sensum.
2 Guil. Altissiod., *Summa,* I, c. 7, q. 2 (f. 21b).
3 Cf. Luc. 4, 18.
4 Ioan. 3, 17.

CAPUT IV. 502

UTRUM DARE VEL MITTERE SPIRITUM SANCTUM POSSIT CONVENIRE ALICUI CREATURAE RATIONE MINISTERII.

Quarto quaeritur utrum dare vel mittere Spiritum Sanctum possit convenire alicui creaturae rationali ratione ministerii [a] [1].

Ad quod sic obicitur: 1. Constat quod rationali creaturae, ut sacerdotibus, collatum [b] est ministerium sacramentorum, ut Baptismatis [c] et aliorum; sed in sacramentis sive cum sacramentis simul datur gratia et confertur Spiritus Sanctus; ergo rationali creaturae datum est ministerium in conferendo gratiam sive Spiritum Sanctum [d]; nam sicut dicit Beda [2]: « Cum gratia datur, mittitur Spiritus Sanctus ». Ergo [e] missio sive datio Spiritus Sancti potest aliquo modo convenire creaturae rationali ratione ministerii.

2. Item, remissio peccati non est sine collatione Spiritus Sancti; sed viris sanctis non solum confertur Spiritus Sanctus ad remissionem peccatorum in se ipsis, sed etiam in aliis, sicut Apostolis, Ioan. 20, 22: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata* etc.; ergo Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum, non solum in se ipsis, sed etiam ut conferrent [f] aliis. Et hoc etiam videtur in Actibus Apostolorum [3] saepe dici quod [g] alii per impositionem manuum Apostolorum accipiebant Spiritum Sanctum; ergo conveniebat aliquo modo eis dare Spiritum Sanctum [h], scilicet ratione ministerii.

3. Item, videmus [i] in corporalibus quod calor et splendor non solum dantur a fonte caloris et splendoris ut sint in eo cui dantur, sed etiam [k] ut ab eo possint transfundi in aliud, ut patet in luce corporali. Non enim aër solum accipit lumen sive splendorem et calorem a sole ut sint [l] in ipso, sed etiam ut possit illa transfundere, si inveniat susceptibile; ergo cum gratia, quae est splendor sive lux spiritualis qua anima illuminatur quantum ad intellectum, et calor quo accenditur [m] quantum ad affectum, multo potentior sit quam lux corporalis, non solum a fonte caloris vel lucis spiritualis dabitur ut sit in aliquo, sed etiam ut [n] ab eo possit transfundi in alium; sed ea data datur Spiritus Sanctus; ergo creatura poterit aliquo modo dare Spiritum Sanctum.

Contra: *a.* Missio et datio Spiritus Sancti est eius processio, sicut dicit Beda [4] et Magister, in I° libro *Sententiarum*, 14 dist. et 15 [5]. Unde concedens quod Spiritus Sanctus datur a se, concedit etiam quod procedit a se; sed Spiritus Sanctus nullo modo procedit a creatura; ergo nullo modo datur a creatura.

b. Item, creatura rationalis quantum ad suum potissimum esse sive quantum ad suam perfectionem non dependet nisi a Deo; sed sua perfectio constat in collatione Spiritus Sancti et donorum eius; ergo collatio Spiritus Sancti et donorum eius non est nisi a Deo; ergo non convenit aliquo modo [p] creaturae dare Spiritum Sanctum.

c. Item, ad hoc [q] sunt auctoritates plures Augustini, quae ponuntur I [r] libro *Sententiarum*, 14 dist. [6].

[Solutio]: Ad quod dicendum quod creaturae rationali ratione alicuius ministerii proprie loquendo [s] non convenit dare Spiritum Sanctum nec gratiam; dicitur tamen aliquando ratione ministerii [t] operari aliquid in susceptione gratiae ex parte suscipientium, sed non in conferendo gratiam vel Spiritum Sanctum. Unde cooperari ad susceptionem gratiae vel Spiritus Sancti potest intelligi dupliciter: vel coefficiendo scilicet in actione illa qua datur gratia [u] vel Spiritus Sanctus, sicut Deus aliquando dicitur operari mediante natura vel voluntate et natura vel voluntas cooperari, ita quod in una actione operatur Deus et natura vel voluntas, et sic non dicitur aliqua creatura operari vel cooperari [v] in susceptione gratiae nec per modum ministerii nec alio modo; alio modo [x] dicitur cooperari praeparando susceptibile ad susceptionem gratiae vel Spiritus Sancti, et sic potest aliquo modo creatura cooperari [y] ratione ministerii. Et hoc [z] dupliciter: vel interius, scilicet per aliquam actionem interiorem, et hoc modo

---

[a] P *misterii*, item subinde. [b] V om. [c] BL *baptismi*, G *baptismum*. [d] G om. *ergo... Sanctum*. [e] B *nam*, quod L corr. [f] B *confertur*, quod L corr. [g] S *quorum*. [h] P om., G om. *scilicet*. [i] B *video*, L *videtur*. [k] L *scilicet* pro *s. e.* [l] L *sicut*. [m] L *attenditur*. [n] R om. [o] P om. [p] BL *alicui* pro *a. m.* [q] B *adhuc* pro *a. h.*, quod L corr. [r] PVS *in*. [s] B om. *p. l.* [t] G om. *proprie... ministerii*, in L est add. mg. [u] G om. [v] L om. *v. c.* [x] PVS om. *a. m.* [y] V add. *in*. [z] RGL add. *vel*, quod B exp.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 14, a. 2, q. 2 (I, 250 sqq.).
2 *Homil Dom. I post Ascens.* (PL 94, 182).
3 Cf. capp. 8, 17 et 9, 17.
4 Loc. cit.
5 Dist. 14, c. 2 et dist. 15, c. 1 (p. 91 et 95).
6 Cap. 3 (p. 93 sq.). Cf. Augustin., *De Trinit.*, XV, c. 26, n. 46 (PL 42, 1093 sqq.); *In Epist. ad Gal.*, n. 20 (PL 35, 2117).

dicuntur angeli praeparare susceptibile ad susceptionem gratiae, scilicet instruendo interius animam vel excitando vel impedimenta removendo; vel exterius, et hoc modo dicuntur homines praeparare sive cooperari, et hoc tripliciter: scilicet disponendo exterius per sacramentorum dispensationem, sicut baptizando et alia sacramenta ministrando; alio modo impetrando per orationem, secundum quod dicitur unus alii impetrare gratiam, Act. 8,15: *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum;* tertio modo instruendo et movendo exterius [a] per praedicationem, secundum quod dicitur Rom. 10,17: *Fides ex auditu* exteriori; et hoc modo exponitur illud [b] Gal. 3,5 de Apostolo: *Quis ergo tribuit* [c] *vobis Spiritum?* etc., secundum quod dicitur in Glossa [1] et secundum quod dicit Magister, in *Sententiis,* I libro, 14 dist. [2].

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [d] ergo obiectum dicendum quod licet aliquibus detur ministerium in collatione sacramentorum, in quibus vel cum quibus datur Spiritus Sanctus, non tamen ratione illius ministerii dicuntur [e] conferre sive dare Spiritum Sanctum. Nam in susceptione sacramentorum est quaedam actio exterior, sicut in Baptismo tinctio sive ablutio exterior: et in hac cooperantur ministri, propter quam dicuntur baptizare. Est autem [f] alia actio interior, scilicet ablutio interior a culpa et liberatio a poena: et haec est solius Dei. Quia ergo ratione illius dicitur dari Spiritus Sanctus, et non ratione alterius — nam ablutio potest esse exterior, in qua non confertur Spiritus Sanctus, ut in ficte accedente — ideo non sequitur quod si ministri cooperentur in sacramentis ratione actionis exterioris [g], in qua aliquando datur Spiritus Sanctus, quod cooperentur in datione Spiritus Sancti; nam licet aliquando detur simul [h] in illa exteriori ablutione, non tamen dicitur dari ratione [i] illius, sed ratione actus interioris sive ablutionis interioris, in qua operatur solus Deus et non cooperatur minister [k].

2. Ad aliud dicendum quod remissio peccati potest esse tripliciter: vel [l] quantum ad deletionem culpae, et haec convenit soli Deo et haec est per gratiam gratum facientem, et ratione huius dicitur dari [m] Spiritus Sanctus; alio modo est remissio peccati quantum ad solutionem poenae, et haec est collata Christo homini; tertio modo dicitur peccatum remitti quantum ad [n] commutationem poenae, et haec est collata ministro: data est enim praelatis potestas taxandi poenam poenitenti et commutandi poenam purgatoriam in temporalem proportionalem, sed ratione huius non dicitur dari vel mitti Spiritus Sanctus, sed haec sequitur ad missionem Spiritus Sancti.

3. Ad aliud dicendum quod non est simile de luce et calore corporali et de luce et calore spirituali, quae est gratia, et hoc triplici de causa. Primo, propter imperfectionem ipsius fontis lucis et caloris corporalis; nam ex imperfectione est quod non potest transfundere lucem et calorem cuicumque [o] susceptivo, et maxime distanti ab eo sine medio deferente [p]; sed fons lucis spiritualis, cum sit ubique, potest sine medio unicuique susceptibili conferre gratiam: unde non indiget quod qui accepit eam, transfundat in alium. Secundo, propter ordinem qui est in corporibus, quorum unum ab alio recipere habet: unde quod supra est potest agere in [q] inferiori, sed non e converso; unde ignis illuminatus illuminat aërem aliquando, aër etiam aliquando aquam, aqua etiam aliquando terram, sed non e converso. Sed animae non se habent secundum ordinem ad Deum; unde quaelibet immediate recipit influentiam gratiae, non [r] una mediante altera [s], sicut deferente [t] dico, non dico sicut impetrante. Tertio, propter continuitatem materiae et [u] propter symbolum: nam in habentibus symbolum facilior est transitus [3]; sed in animabus non est continuitas materiae, secundum quam [v] una possit agere in aliam; ideo [x] praedictis rationibus non est simile de infusione gratiae et illuminatione corporali.

---

[a] V *interius.* [b] V om. [c] B *distribuit;* R *qui* pro *quis.* [d] GL *primum.* [e] L *dicunt.* [f] S om. [g] V *alicuius.* [h] S *insimul.* [i] L om., in B est add. interl. [k] V *cooperantur ministri* pro *c. m.* [l] B om. [m] BL *dare.* [n] PVSR *quoad* pro *q. a.* [o] V *cuique.* [p] PVSR *differente.* [q] L om. [r] R om., L *in.* [s] R add. *non.* [t] S *differente.* [u] Ita R, PVS *que est,* BL *que est in materia et,* G *que est et* pro *m. e.* [v] L *in quantum* pro *s. q.* [x] G add. *in.*

[1] *Interlin.,* et Lombardi in h. l. (PL 192, 120), ex Augustino, *In Epist. ad Gal.,* n. 20 (PL 35, 2117 sq.).

[2] Capp. 2 et 3 (p. 91 sqq.).

[3] Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.,* II, c. 4 (II, 457).

TITULUS III.

DE MISSIONE PASSIVE DICTA.

Consequenter [a], adiuvante gratia Iesu Christi, transeundum est [b] ad missionem passive dictam [c]. Et cum duplex sit missio [d], scilicet invisibilis, qua mittitur Filius vel Spiritus Sanctus in mentem ad illuminandum vel sanctificandum creaturam, et visibilis [e], qua missus est Filius in carne et Spiritus Sanctus sub aliqua visibili specie, ut in columba super Christum et in linguis igneis super Apostolos, quae dicitur apparitio:

Primo, dicendum est de missione [f] qua mittitur Filius vel Spiritus Sanctus in mentem sive in corda fidelium;

secundo de missione, qua visibiliter apparuit Filius in carne et Spiritus Sanctus in aliqua corporali specie, scilicet de apparitione [g].

MEMBRUM I.

De missione invisibili.

De missione autem invisibili quaeritur in hunc modum:

Primo, quid sit;

secundo, cuius sit;

tertio, ad quid sit;

quarto, secundum quid sit.

CAPUT I. 503

QUID SIT MISSIO INVISIBILIS [1].

Ad primum sic: *a.* Augustinus, IV *De Trinitate* [2]: « Sicut natum [h] esse est Filio a Patre esse, ita mitti est cognosci quod ab illo sit; et sicut Spiritui Sancto [i] Donum Dei esse est a Patre procedere, ita mitti est cognosci quod ab illo procedat [k] ». Ex quo accipitur quod mitti, secundum quod est commune Filio et Spiritui Sancto, est cognosci ab alio esse.

Sed [l] contra definitionem istam sic obicitur: 1. Constat quod in missione, sive dicatur active sive passive, est aliquid principaliter significatum et aliquid connotatum [3]; illud autem quod principaliter significatur [m] cadit in intellectu [n] eius in rectitudine, scilicet essentia vel persona divina sive notio; illud autem connotatum cadit in intellectu ipsius in obliquitate; ergo, cum in praedicta definitione ponatur illud quod est ex parte creaturae in rectitudine, male videtur assignari definitio missionis.

2. Item, omne quod cognoscitur, per aliquid cognoscitur; sed plus est [o] essentiale missioni illud per quod cognoscitur Filius vel Spiritus Sanctus esse ab alia persona [p] quam sit ipsa cognitio: nam cum Spiritus Sanctus mittitur vel etiam Filius, efficitur aliquid in creatura rationali per quod cognoscitur esse ab alio, et ratione illius effectus dicitur mitti, et non ratione cognitionis, cum ipsa cognitio naturaliter sequatur ad [q] missionem; ergo illud, per quod cognoscitur Spiritus Sanctus esse ab alio, potius debuit poni in definitione missionis quam ipsum cognosci.

3. Item, Spiritus Sanctus potest mitti in mentem et tamen non cognosci, Iob 9, 11: *Si venerit ad me, non videbo eum.* Et hoc patet: quia [r], sicut

---

[a] B *consequente.* [b] S *eum.* [c] L *donum.* [d] VS repet.; L *visio,* quod B corr. [e] S *invisibilis.* [f] G *emissione;* RL *mittuntur* pro *mittitur.* [g] R *aperitione,* S *in* pro *de.* [h] B *notum,* quod L corr. [i] R *Spiritus Sanctus.* [k] PVS *procedit.* [l] BL om. [m] V om. *et aliquid... significatur.* [n] L *intellectum* pro *i. i.* [o] L add. *esse,* quod B delev. [p] BRGL *alio* pro *a. p.* [q] S om. [r] BL om.

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 14, a. 1, q. 1 (I, 245 sqq.). [2] Cap. 20, n. 29 (PL 94, 908). [3] Cf. supra, p. 706b.

dicit Beda[1]: « Cum gratia hominibus datur, Spiritus Sanctus mittitur »; sed per istum effectum non[a] cognoscitur Spiritus Sanctus esse ab alio, cum pauci vel nulli sciant se habere gratiam; et ratione istius effectus dicitur mitti; ergo mitti non semper est[b] cognosci esse ab alio, sed potius hoc accidit missioni Spiritus Sancti.

4. Item, differt missio Filii et Spiritus Sancti. Nam mittitur Filius, cum illuminatur intellectus rationalis creaturae per sapientiam sive cognitionem, quae appropriatur Filio; mittitur vero Spiritus Sanctus cum accenditur affectus per amorem, qui appropriatur Spiritui Sancto; ergo, cum[c] cognitio sit proprius effectus missionis Filii et non Spiritus Sancti, praedicta definitio, qua dicitur « mitti est cognosci » etc.[d], non videtur convenire[e] nisi missioni Filii.

5. Item, per fidem informem cognoscitur Filius esse a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque; ergo ratione fidei informis dicetur mitti Filius et Spiritus Sanctus; sed[f] mitti est cognosci ab alio esse; sed fides informis est in peccatoribus; ergo missio Filii et Spiritus Sancti fiet in mentibus peccatorum: quod non conceditur.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod non semper datur definitio per priora simpliciter, sed per priora quoad nos[2]; unde non semper datur definitio per genus et differentiam, sed aliquando per causam, aliquando per effectum consequentem. Unde concedo quod haec definitio « mitti est cognosci » etc. datur per effectum; unde cum efficitur aliquid in mente in quo habet cognosci processio Filii vel Spiritus Sancti, tunc dicitur mitti Filius vel Spiritus Sanctus, et intelligo non de quocumque effectu[g], sed de effectu pertinente ad gratiam[h] gratum facientem.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod praedicta definitio non[i] datur per illud quod principaliter[k] significatur in hoc quod dico 'mitti'; nec tamen sequitur quod propter hoc male assignetur, quia datur per illud quod est prius quoad nos, non per illud quod prius simpliciter. Unde quia per effectum illum cognosci habet processio Filii vel Spiritus Sancti, et quia ratione illius effectus dicitur mitti Filius vel Spiritus Sanctus, ideo datur definitio missionis per effectum, licet in[l] intellectu missionis cadat ille effectus oblique. Sed si deberet definiri per illud quod est prius simpliciter, diceretur missio processio manifestata vel manifestatio processionis alicuius personae per aliquem effectum[m] in rationali creatura.

2. Ad aliud dicendum quod cum dicitur « mitti est cognosci » etc., ibi dicitur cognitio non actus ipsius cognitivae, sed repraesentatio ipsius[n] processionis in effectu, ordinata ad actum cognitivae: unde illud cognosci est repraesentari in effectu sive per effectum aliquid per quod potest cognosci Filium vel Spiritum Sanctum esse ab alio. Et est[o] talis modus loquendi, sicut cum dicitur 'in[p] hoc opere cognoscitur sapientia vel bonitas artificis', id est in hoc opere repraesentatur aliquid per quod potest cognosci sapientia vel bonitas artificis; unde secundum hunc intellectum manifestum est quod primo et principaliter ponitur illud per quod habet cognosci, et non ipsum cognosci[q].

3. Et per hoc patet solutio ad sequens obiectum. Nam etsi[r] nunquam cognosceretur ille effectus vel per illum effectum processio Filii vel Spiritus Sancti, nihilominus per illum effectum repraesentatur illud per quod potest cognosci, et hoc modo dicitur hic cognosci, scilicet signo aliquo spirituali cognoscibiliter[s] repraesentari.

4. Ad aliud similiter[t] satis potest patere solutio ex iam dictis[3]. Nam mitti non dicitur de Filio vel Spiritu Sancto ratione cognitionis actualis, sed ratione alicuius effectus appropriabilis Filio vel Spiritui Sancto, in quo potest cognosci Filius vel Spiritus Sanctus esse[u] ab alio. Unde si ille effectus approprietur personae Filii et per illum effectum potest cognosci Filius esse a Patre, ut donum cognitionis vel sapientiae, dicitur mitti Filius; si vero approprietur personae Spiritus Sancti et per illum effectum, sic ei appropriatum, potest cognosci Spiritus Sanctus esse ab utroque, ut donum amoris, dicitur mitti Spiritus Sanctus. Quia igitur non ratione cognitionis, sed ratione effectus appropriabilis ordinati ad cognitionem dicitur esse missio sive mitti, non appropriatur illa definitio missioni Filii.

5. Ad ultimum dicendum quod non ratione cuiuscumque effectus sive doni, in quo cognoscitur Filius vel Spiritus Sanctus ab alio esse, dicitur mitti Filius vel Spiritus Sanctus, sed[v] exigitur quod ille effectus sive illud donum pertineat ad gratiam gratum facientem, quia solum secundum illam inhabitant animam et sunt in ea modo speciali quo Deus dicitur habitare[x] in iustis, sicut postea plenius determinabitur[4]. Unde ratione fidei informis non dicitur mitti, licet per fidem informem

---

[a] L *nunc*. [b] B *potest* pro *s. e.* [c] V om. [d] L *et*, G *et cum*. [e] PVS *convenlens*. [f] RG *si*. [g] G *affectu*. [h] BL *differentiam*. [i] P om., in S est add. mg. [k] PVS *prius*. [l] L om. [m] B add. *connotatum*. [n] PVS *repraesentationis* pro *r. i.*, V om. *in effectu*. [o] L om., in B est add. interl. [p] B *sicut*, quod L exp.; P om. *cum*, L exp. [q] V om. *e. n. i. c.* [r] B *si*. [s] PV *cognosci habet et*, quod S corr. [t] R add. *potest*; S *illud* pro *aliud*. [u] L om., in B est add. interl. [v] R *hoc*. [x] RG om., B (interl.) L (mg) *esse*.

1 *Homil. Dom. I post Ascens.* (PL 94, 182).
2 Cf. Aristot., *Topic.*, VI, c. 4 (I, 239).
3 Cf. supra, *ad 2*.
4 Cf. infra, num. 512.

possit aliquo modo cognosci processio Filii vel Spiritus Sancti, quia Augustinus non intelligit de cognitione qualicumque, sed de cognitione [a] coniuncta affectioni [b] amoris, quae, cum est in homine, dicitur Deus [c] inhabitare, et cum de novo est, dicitur mitti.

CAPUT II.

CUIUS SIT MISSIO INVISIBILIS.

Consequenter quaeritur de missione passive dicta cuius sit, hoc est cui conveniat mitti.

Primo ergo quaerendum esset utrum conveniat essentiae vel personae et cui primo, sed istud satis habetur superius: quando scilicet quaeritur utrum haec nomina 'mittere et mitti' significent essentiam vel personam vel notionem [d] [1], sed quaeritur:

Primo, utrum mitti conveniat Patri [e] vel tantum Filio et Spiritui Sancto;

secundo, supposito quod Filio et Spiritui Sancto, utrum secundum eamdem rationem et utrum [f] utrique conveniat aeque [g] primo vel alteri magis sive prius;

tertio, utrum missio Filii possit esse sine missione Spiritus Sancti et e converso;

quarto, utrum plenius dicatur mitti Filius vel Spiritus Sanctus post incarnationem quam [h] ante.

ARTICULUS I. 504

Utrum mitti conveniat Patri.

Primo ergo quaeritur I. utrum mitti conveniat Patri [2].

Circa quod sic obicitur: 1. Damascenus [3]: « Omnia in divinis sunt unum, praeter ingenerationem, generationem [i] et processionem », et dicitur ibi 'unum', id est commune tribus personis; sed missio nec est ingeneratio, quia si esset, tunc haberem propositum, scilicet quod conveniret Patri esse missum sicut esse ingenitum; nec est etiam generatio, quia tunc non conveniret Spiritui Sancto mitti; nec etiam processio, prout ibi accipitur, scilicet pro notione Spiritus Sancti, quia tunc non conveniret Filio mitti; ergo est commune toti [k] Trinitati; ergo convenit Patri mitti.

2. Item, Patri appropriatur potentia sicut Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas; et potest innotescere [l] Pater per effectum potentiae sicut [m] Filius per effectum sapientiae et Spiritus Sanctus per effectum bonitatis; ergo si huiusmodi 'innotescere per effectum [n] in creatura' ponit missionem vel dicit idem quod missio in Filio et Spiritu Sancto, cum [o] sic possit innotescere Pater [p], et Pater poterit dici mitti.

3. Item, Augustinus, IV *De Trinitate* [4]: « Filius cum ex tempore cuiusquam mente percipiatur, mitti dicitur ». Ergo, cum similiter Pater ex tempore mente percipiatur sicut Filius, Pater [q] potest dici mitti sicut Filius [r].

4. Si dicatur quod non, quia mitti ponit esse ab alio, quod non convenit Patri – contra: Spiritus Sanctus mitti dicitur a se, sicut dicit Magister, in *Sententiis* [5], et sicut supra habitum est [6], nec tamen in Spiritu Sancto ponit esse a se; ergo similiter Pater potest mitti a se nec tamen ponetur esse a se vel ab alio.

5. Item, Augustinus, IV *De Trinitate* [7], loquens de Filio, dicit: « Non eo ipso quo de [s] Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo quo in carne apparuit *Verbum caro factum* [t] [8] vel eo quo ex tempore cuiusquam mente percipitur ». Ergo esse a Patre non pertinet ad rationem missionis Filii, sed solum apparere [u] visibiliter vel invisibiliter; cum ergo apparere visibiliter et invisibiliter conveniat Patri, videtur quod mitti conveniat Patri.

Contra: *a.* Augustinus, II *De Trinitate* [9]: « Pater solus nunquam legitur missus »; sed non

---

[a] G *coniunctione.* [b] V *rationis.* [c] R om. [d] PVSG om. *Primo ergo... notionem.* [e] B om., in L est add. mg. [f] PVB om. *e. u.*, in S est add. mg. [g] B (corr.) *et cui.* [h] V *vel.* [i] BL om., PVS om. *et.* [k] S om. [l] L *ignoscere*, quod B corr. et item subinde. [m] PV om. [n] L *affectum*, quod B corr. [o] G *et.* [p] RG *Patri.* [q] B *Patri*, quod L corr. [r] S om. *Pater... Filius.* [s] P add. *quo.* [t] Codd. add. *est.* [u] PV om., in S est add. mg.

[1] Cf. supra, num. 497.
[2] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 15, p. 1, a. un., q. 3 (I, 262sqq.).
[3] *De fide orthod.*, I, c. 2 (PG 94, 791).
[4] Cap. 20, n. 28 (PL 42, 907).
[5] Lib. I, d. 15, c. 1 (p. 94 sq.).
[6] Cf. supra, num. 500.
[7] Cap. 20, n. 28 (PL 42, 907).
[8] Ioan. 1, 14.
[9] Cap. 5, n. 8 (PL 42, 849).

debet asseri nisi quod habetur ex[a] Scriptura; ergo Pater non debet dici missus.

b. Item, Augustinus, IV *De Trinitate*[b] [1]: « Cum Pater a quoquam cognoscitur, non dicitur missus; non enim habet de quo sit aut ex quo procedat ».

c. Item, Augustinus, in libro *Contra perfidiam Arianorum* [2]: « Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem a quo genitus sit vel a quo procedat, et ideo non propter naturae diversitatem, quae in Trinitate nulla[c] est, sed propter auctoritatem solus Pater non dicitur missus: non enim splendor aut fervor ignem, sed ignis mittit[d] splendorem sive fervorem ». Ex iis videtur quod Pater dici non debeat missus.

d. Ad hoc etiam est illud quod dicit Magister, in I *Sententiarum*, dist. 15, cap. *Hic quaeritur cur Pater non dicitur missus*[e] [3].

II. Item, quaeritur utrum Pater debeat dici dari.

Quod videtur: *a.* Quia haec est ratio Augustini, in libro *De Trinitate* [4], quod « Spiritus Sanctus datur a se, quia est suae potestatis ». Ergo cum similiter Pater sit suae potestatis, videtur quod detur a se.

Contra: 1. Sicut Pater non legitur missus, similiter nec legitur datus; ergo sicut non conceditur una, ita nec debet concedi alia.

2. Item, dicit Magister, in *Sententiis* [5], quod datio Spiritus Sancti est eius processio, et ideo non datur a creatura, quia non procedit a creatura; ergo cum in hoc quod est[f] 'dari' intelligatur 'procedere', non videtur debere dici Pater[g] dari sicut nec procedere.

Respondeo[h]: I. Ad primum dicendum quod missio passive dicta sive missum esse non convenit proprie Patri. Et ratio huius est: quia 'mitti' in[i] intellectu suo importat esse ab alio; unde cum Filius vel Spiritus Sanctus dicuntur mitti, intelligitur ipsos aliquid efficere[k] per quod cognoscuntur esse ab alio, sive Filius et Spiritus Sanctus dicantur mitti a Patre sive dicantur mitti a se, sicut iam videbitur [6]; et quia hoc non convenit Patri, ideo Pater non dicitur mitti.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod[l] « omnia sunt unum in Deo praeter ingenerationem, generationem[m] et processionem », quorum nullum est missio: dicendum quod in missione passive dicta intelligitur generatio et processio indistincte, ita quod in missione Filii intelligitur generatio, in missione Spiritus Sancti intelligitur processio; et quia in istis non sunt unum omnes personae, ideo neque in missione. Unde sicut esse ab alio nec generationem nec processionem supponit[n] distincte, utrumque tamen supponit indistincte, cum vero dicitur 'Filius est ab alio, Spiritus Sanctus ab alio', iam distinguitur: ita est de hoc quod dico 'mitti', et ideo non dicitur convenire Patri sicut nec esse ab alio.

2. Ad aliud dicendum quod Pater habet effectum in creatura per quem cognoscitur, sicut Filius et Spiritus Sanctus, non tamen dicitur missus, et hoc est ratione subauctoritatis quae significatur in hoc quod dico 'missus' vel 'mitti'; unde non definitur 'mitti' per hoc quod est mente percipi, sed per hoc[o] quod est mente percipi ab alio esse, sicut dicit Augustinus. Unde hoc quod dico 'mente percipi' non dicit totam rationem missionis passive dictae[p], sed habere ab alio quod efficiat aliquid in creatura, per quod cognoscatur esse ab alio: et hoc non convenit Patri.

3. Et per hoc patet solutio ad sequentem auctoritatem Augustini: nam 'mente percipi' non dicit totam rationem missionis, sicut dictum est [7].

4. Ad illud quod obicitur quod 'Pater poterit mitti a se, sicut Spiritus Sanctus': dicendum[q] quod cum dicitur Spiritus Sanctus mitti a se, ratione subauctoritatis significatae in hoc quod dico 'mitti' significatur ibi Spiritum Sanctum esse ab alio, sed non oportet quod a mittente; unde ibi intelligitur aliquis effectus esse a Spiritu Sancto[r], per quem[s] cognoscitur esse ab alio. Ratione ergo effectus procedentis a Spiritu Sancto cum quo[t] etiam datur Spiritus Sanctus, dicitur mitti a se; sed[u] non solum sufficit illud, sed oportet quod etiam intelligatur ratione subauctoritatis significatae quod illud quod[v] efficit Spiritus Sanctus in creatura habeat ab alio: et quia hoc non convenit Patri, ideo Pater non dicitur mitti a se.

5. Ad aliud dicendum quod natum esse de Patre non est tota ratio missionis, sed manifestari visibiliter in carne vel invisibiliter in mente quod sit a Patre est tota ratio missionis. Unde non negat Augustinus quin esse a Patre intelligatur in missione Filii, sed quod illud non sit tota ratio sive completiva missionis Filii, sed illa quae dicta est.

---

[a] V *in.* [b] BL add. *dicit.* [c] B om. [d] BRGL add. *sive.* [e] R om. *n. d. m.* [f] B *dico.* [g] L add. *potest.* [h] BRGL om. [i] G om. [k] Ita L post exp., alii add. *et.* [l] B om. [m] BL om. [n] PV repetit *supponit*, quod S exp. [o] V om. *p. h.* [p] SL *dictam*, B *active* pro *passive.* [q] BL add. *est.* [r] Ita V, alii om. [s] B *quam;* PV *cognoscatur* pro *cognoscitur.* [t] R om. [u] B *unde.* [v] S om.

1 Cap. 20, n. 28 (PL 42, 908).
2 *Contra sermon. Arian.*, c. 4 (PL 42, 686).
3 Cap. 9 (p. 100).
4 Lib. XV, c. 19, n. 36 (PL 42, 1086).
5 Lib. I, d. 14, c. 1 (p. 89 sq.).
6 Cf. infra, num. 505.
7 Cf. *ad 2.*

II. 1. Ad illud quod dicitur de veritate istius 'Pater datur': dicendum quod minus habet improprietatis quam haec 'Pater mittitur'. Unde notandum quod 'dari' potest sumi pro illabi [a] vel infundi: et sic convenit toti Trinitati et etiam Patri, quia cum Filio et Spiritu Sancto venit in mentem; et licet non inveniatur 'datus', tamen invenitur aequipollens secundum quod sic dicitur 'dari', Ioan. 14,23: *Ad eum veniemus* etc. Alio modo dicitur 'dari' prout dicit subauctoritatem et dicitur relative ad dantem et illum cui datur, et sic dicitur idem quod 'mitti' et importat in suo intellectu esse ab aliquo [b] sicut a dante, et hoc modo non convenit Patri, et secundum hanc acceptionem 'procedit' quod 'datur' ab eo a quo datur.

a. Ad aliud dicendum quod in hoc quod dico 'mitti' vel 'dari' sunt duo sive intelliguntur duo, scilicet esse ab alio et effectus in creatura in quo [c] manifestatur Filius vel Spiritus Sanctus esse ab alio. Ratione autem effectus dicitur Spiritus Sanctus mitti sive dari a se, quia ab ipso est effectus, cum quo etiam effectu datur ipse. Cum ergo dicit Augustinus quod Spiritus Sanctus dicitur dari « a se, quia est suae potestatis », non concludit quod Spiritus Sanctus detur, sed quod si datur ab aliquo cum illo effectu in quo manifestatur, quod etiam a se detur [d], cum operetur illum eumdem effectum: unde non sequitur si Pater est suae potestatis, quod detur a se, sed quod si detur, quod datur a se.

2. Ad aliud quod obicitur ex alia parte: dicendum quod si [e] sumatur 'dari' pro 'infundi', quod non sequitur: 'Spiritus Sanctus datur, ergo procedit', quia 'infundi' non importat subauctoritatem nec etiam distinctionem, sed hoc quod dico 'procedere' dicit distinctionem et etiam habitudinem principii ad id quod est de principio; sed bene sequitur: 'datur a creatura, ergo procedit a creatura'; nam inter Creatorem et creaturam est distinctio non solum originis, sed etiam essentiae; ubi autem est distinctio sive secundum originem sive secundum essentiam, bene sequitur ad 'dari', sive sumatur pro 'infundi' [f] sive pro 'mitti', esse ab alio [g] a quo datur; sed ubi [h] notatur solum differentia secundum rationem, non sequitur; unde non sequitur: 'Spiritus Sanctus datur sive infunditur a se, ergo procedit a se' nec de Patre similiter.

ARTICULUS II. 505

Utrum mitti conveniat Filio et Spiritui Sancto secundum eamdem rationem.

Consequenter quaeritur I. supposito quod 'mitti' tantum conveniat Filio et Spiritui Sancto, utrum conveniat utrique secundum eamdem rationem vel secundum [i] aliam et aliam rationem.

Ad quod sic obicitur: 1. Beda, in *Homilia Dominicae I post Ascensionem* [1]: « Spiritus Sancti missio est eius processio ». Ergo eadem ratione Filii missio est eius processio; sed processio non dicitur secundum eamdem rationem de Filio et Spiritu Sancto; ergo nec missio.

2. Item, Gregorius, in *Moralibus* [2]: « Eo mittitur Filius quo generatur »; sed hoc non potest dici de Spiritu Sancto; ergo alia et alia est ratio missionis Filii et Spiritus Sancti.

3. Item, duplex est missio Filii et Spiritus Sancti, scilicet [k] visibilis et invisibilis, et utraque est ad manifestationem Filii et Spiritus Sancti; sed missio visibilis non dicitur secundum eamdem rationem de Filio et Spiritu Sancto, quia alius et alius est modus manifestationis quo manifestatur Filius in carne assumpta [l] et quo manifestatur Spiritus Sanctus [m] in columba; ergo cum similiter in invisibili missione per alium et alium effectum manifestatur Spiritus Sanctus, non videtur missio dici secundum eamdem rationem de Filio et Spiritu Sancto.

Contra: *a.* « Mitti est cognosci ab alio esse », secundum [n] quod dicit Augustinus [3]; sed haec ratio convenit Filio et Spiritui Sancto [4]; ergo secundum eamdem rationem convenit mitti Filio et Spiritui Sancto.

b. Item, non est alia ratio missionis active dictae [o], cum dicitur 'Pater mittit Filium et Spiritum Sanctum' [p], sicut nec est alia ratio operationis, cum dicitur operari per Filium et per Spiritum Sanctum: dictione enim [q] semel posita non contingit uti aequivoce; ergo si missio passive dicta relative dicitur ad missionem active dictam, non erit alia ratio missionis passive dictae secundum quod convenit Filio et Spiritui Sancto.

---

[a] S *illa vi;* codd. *infundere* pro *infundi.* [b] B *alio.* [c] GL *qua.* [d] PS *datur.* [e] PVS *licet.* [f] V *in pro fundi* pro *p. i.* [g] RGL *illo.* [h] V *ibi.* [i] BRG om., in L est add. mg. [k] RG om. [l] G *sumpta.* [m] PVS add. *scilicet.* [n] S *sed,* R *sicut.* [o] S om. [p] L add. *scilicet;* PVS om. *est.* [q] G om.

1 PL 94, 182.
2 Rectius *In Evang.*, hom. 26, n. 2 (PL 76, 1198).
3 *De Trinit.*, IV, c. 20, n. 2 (PL 42, 908).
4 Cf. supra, p. 714b, *ad 2.*

Si dicatur quod potest esse una ratio, tamen differens secundum prius et posterius secundum rationem intelligentiae – hoc non videtur [a] verum [1]: quia sicut Patri et Filio convenit communiter mittere Spiritum Sanctum, quia communiter spirant [b] Spiritum Sanctum, ita Filio et Spiritui Sancto convenit mitti a Patre, quia uterque procedit ab ipso. Sed alio et alio modo est commune spirare Patri et Filio et alio modo procedere. Nam licet spirare per prius videatur convenire Patri quam Filio secundum rationem intelligentiae, tamen idem est modus spirandi in Patre et Filio, propter quod est una ratio spirandi; unde non differunt nisi [c] secundum prius et posterius secundum rationem intelligentiae, quia intellectus primam auctoritatem spirandi ponit in Patre a quo habet Filius. Sed non est sic in processione: nam non differt solummodo processio in Filio et Spiritu Sancto [d] secundum prius et posterius in ratione intelligendi, sed quia est alius et alius modus procedendi, et ideo alia et alia ratio processionis, et dicitur quasi [e] aequivoce processio, non solum analogice; ergo cum ratione eius [f] quod est 'procedere' conveniat mitti Filio et Spiritui Sancto, non solum dicetur per prius et posterius de ipsis, sed etiam aequivoce.

II. Item, quaeritur, si sit aliquo modo eadem [g] ratio, cui magis proprie conveniat mitti, Filio vel Spiritui Sancto.

Et videtur quod Filio: 1. Quia si mitti est cognosci esse [h] ab alio, et hoc magis proprie convenit Filio cui appropriatur cognitio, magis proprie videtur convenire Filio mitti quam Spiritui Sancto.

2. Item [i], hoc apparet in missione visibili, quia plus [k] manifestatur Filius in carne assumpta quam Spiritus Sanctus in columba vel alia specie assumpta.

Contra: *a.* Processio Spiritus Sancti dividitur in processionem temporalem et aeternam, sed non sic dividitur processio Filii; sed missio idem est quod processio temporalis; ergo missio [l] magis videtur convenire Spiritui Sancto.

b. Item, magis proprie convenit illi [m] esse datum ex tempore cui convenit esse donum ab aeterno; sed hoc est Spiritui Sancto et non Filio; ergo, cum mitti nihil aliud sit quam [n] dari ex tempore, magis proprie conveniet mitti Spiritui Sancto quam Filio. Unde Augustinus, XV *De Trinitate* [2]: « In Trinitate non est Verbum nisi Filius nec Donum nisi Spiritus Sanctus ».

Respondeo [o]: I. Ad primum dicendum quod missio passive dicta dicitur secundum eamdem rationem de Filio et Spiritu Sancto.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc autem [p] quod obicitur in contrarium: dicendum est [q] quod in missione duo sunt, scilicet principale significatum et connotatum [3]. Licet ergo principaliter significetur ibi notio sive etiam essentia, non tamen ab illa [r] imponitur, sed ab eo quod est connotatum in creatura, et ab illo connotato accipit missio rationem suam completam, sicut creare principaliter significat divinam essentiam, non tamen ab illa accipit rationem suam, sed ab eo a quo imponitur, scilicet ab eo quod efficitur in creatura. Unde licet processio principaliter significetur in missione sive in rectitudine et praedicetur de [s] ipsa missione, non oportet quod si [t] alio et alio modo dicatur processio, quod alio et alio modo dicatur [u] missio, quia missio non imponitur a processione, sed ab effectu in quo repraesentatur ipsa processio, a quo etiam accipit rationem; et ipse effectus sive potius ipsa repraesentatio per effectum non dicitur alio et alio modo de missione Filii et Spiritus Sancti, et ideo non oportet quod sit alia et alia ratio missionis utrobique.

2. Ad aliud dicendum quod cum dicitur « eo mittitur Filius quo generatur », sive intelligatur de generatione aeterna sive de temporali, non notatur ratio missionis, sed notatur ratio habitudinis significatae in missione Filii inter mittentem et missum, quae alia et alia est in missione Filii [v] et Spiritus Sancti; sed non propter hoc est alia et alia ratio missionis, quia non ab illa habitudine sumitur ratio missionis, sed ab eo a [x] quo imponitur missio ad significandum, sicut dictum est [4].

3. Ad aliud dicendum quod alius et alius modus apparitionis non facit aliam et aliam rationem missionis: nam aliunde dicitur missio et aliunde [y] apparitio. Unde non oportet quod si Filius apparuit in creatura sibi unita, Spiritus Sanctus in columba sive in creatura non sibi unita, quod propter hoc missio alio modo dicatur. Similiter non oportet quod si alius et alius sit effectus in quo repraesentatur Filius et Spiritus

---

[a] V add. *esse.* [b] G om. [c] SB om. [d] B add. *scilicet.* [e] L *quod,* quod B corr. [f] L om. [g] BL om. [h] B add. *proprie.* [i] BL add. *per.* [k] BR (corr.) L *prius.* [l] L *promissio,* B *processio.* [m] BL om. [n] B add. *mittere vel,* quod L exp. [o] BRGL om.; L om. *dicendum,* in B est add. interl. [p] BRGL om. [q] S om. [r] PV *illo.* [s] PV om., in S est add. mg. [t] P add. *ab.* [u] V om. *processio... dicatur.* [v] G om. *inter... Filii.* [x] L *in.* [y] R add. *dicitur.*

[1] Cf. supra, num. 305.
[2] Cap. 17, n. 19 (PL 42, 1081), ad sensum.
[3] Cf. supra, p. 706a, in *Solutione,*
[4] Cf. hic, supra *ad 1.*

Sanctus, quod [a] propter hoc non sit eadem ratio missionis, sed solum [b] sequitur quod haec missio passive dicta non sit illa: quod bene potest concedi.

Ad aliud[1] quod obicitur contra responsionem: dicendum quod supposito quod processio dicatur aequivoce de processione Filii et Spiritus Sancti, quia de hoc ad praesens non est disputatio, non propter hoc sequitur quod missio dicatur aequivoce vel alia ratione, quia licet missio sit processio vel ad minus in [c] intellectu eius quod est 'mitti' claudatur procedere, non tamen accipit rationem suam complete ab eo quod est 'procedere', sed ab effectu in quo manifestatur processio sive [d] ab ipsa repraesentatione processionis in effectu. Est autem eadem ratio manifestationis sive repraesentationis Filii in effectu [e] sibi appropriato et Spiritus Sancti similiter in effectu sibi appropriato.

II. Ad aliud quod quaeritur de quo per prius dicatur: dicendum quod in missione duo notantur, scilicet processio sive emanatio et manifestatio. Ratione emanationis per prius dicitur de Filio, quia illa prior est secundum rationem intelligendi; ratione vero manifestationis distinguendum, quia est manifestatio visibilis et invisibilis. Manifestatio visibilis per prius convenit Filio, quia expressius manifestatur [f] propter unionem; ratione manifestationis invisibilis magis convenit Spiritui Sancto, quia expressior est in cognitione et dilectione quam in cognitione.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur quod magis proprie convenit Filio, cui appropriatur cognitio: dicendum quod cum dicitur « mitti est cognosci », sicut dictum est prius[2], hoc quod dico 'cognosci' non supponit ibi pro actu cognitivae, sed pro aliquo effectu ordinato ad actum [g] cognitivae, per quem potest aliquo modo [h] cognosci vel Filius esse ab alio vel Spiritus Sanctus. Iste autem effectus in ista generali ratione non magis appropriatur Filio quam Spiritui Sancto nec e converso nisi addatur aliquid per quod approprietur, ut effectus [i] sapientiae vel gratiae.

2. Ad aliud dicendum quod licet magis proprie conveniat Filio ratio missionis visibilis, non tamen oportet quod propter hoc ei magis proprie conveniat [k] ratio missionis. Missio enim visibilis est apparitio in aliqua corporali [l] creatura; apparere autem in corporali creatura, sive [m] unita sive non unita, accidit missioni; unde licet missio visibilis, quae est apparitio, magis proprie conveniat Filio, non ratione eius quod est mitti, sed ratione eius quod est visibiliter mitti, non tamen oportet quod mitti magis proprie conveniat Filio: nam illud [n] non pertinet ad rationem missionis, sed [o] ad modum qui ei, scilicet missioni, accidit; sed ita proprie mittitur persona Spiritus Sancti ad efficiendum illud quod efficit in creatura rationali in sua missione, sive sit in columba sive in alia specie, sicut Filius ad efficiendum illud quod efficit in carne, licet ratio perveniendi in cognitione magis conveniat isti speciei quam illi.

a. Ad aliud dicendum quod sicut est processio Spiritus Sancti aeterna et temporalis, similiter est processio Filii aeterna et temporalis. Distinguitur tamen illa duplex processio in Tractatu De processione [p] Spiritus Sancti[3] et non in Tractatu De processione Filii[4], quia Spiritus Sanctus retinuit in proprietate sua nomen processionis, non quia procedere, generaliter dictum, magis ei conveniat quam Filio, sed alia ratione, quae superius assignata est in Tractatu De processione [q] Spiritus Sancti[5], propter quod etiam attribuitur processioni Spiritus Sancti distinctio illa processionis in temporalem et aeternam.

b. Ad aliud dicendum quod 'dari' dicitur tripliciter [r]. Uno modo dicitur idem 'dari' quod [s] 'communicari alicui': et hoc modo convenit 'dari' toti Trinitati et etiam esse donum, id est communicabile [t] alii. Alio modo dicitur 'dari' communicari [u] ab alio, sicut donum communicatur ab eo a quo datur ei cui datur [v]: et sic dicitur idem quod mitti, et hoc modo convenit Filio et Spiritui Sancto nec magis appropriatur Filio quam Spiritui Sancto. Tertio modo dicitur 'dari' per aliquod donum cognosci ab alio [x] esse sive procedere in ratione doni: et sic solum convenit 'dari' et 'donum esse' Spiritui Sancto, et hoc modo hoc quod dico 'dari ex [y] tempore' addit ad hoc quod dico 'mitti' procedere in ratione doni, quod solum convenit personae Spiritus Sancti, et hoc modo intelligitur quod dicit Augustinus quod donum esse convenit solum personae Spiritus Sancti, quia solum [z] Spiritus Sanctus procedit in ratione doni[6].

---

[a] V *et.* [b] L om., B *scilicet.* [c] L om. [d] Ita RG, alii *sui.* [e] L *et in defectu* pro *i. e.* [f] GL *manifestatus.* [g] PVS om. *a. a.*; BL *quod*, PV *quam* pro *quem.* [h] L om. [i] L *affectus*; BL om. *per.* [k] V om. *Filio... conveniat.* [l] L add. *in*; G om. *creatura.* [m] R om. [n] L (corr. mg.) *illa.* [o] G om. *ratione eius... sed.* [p] L *promissione.* [q] L *promissione*, et om. *de.* [r] R *dupliciter.* [s] V *quam.* [t] RL *incommunicabile* pro *i. e. c.* [u] L *communicare.* [v] V om. *e. c. d.* [x] B *aliquo.* [y] L *et.* [z] RG *solus.*

1 Cf. supra, p. 718a, *Si dicatur.*
2 Cf. supra, p. 714b, *ad 4.*
3 Nempe ap. Lombard., I *Sent.*, d. 14, c. 1 (p. 89sqq.).
4 Scilicet ap. Lombard., I *Sent.*, d. 9, cc. 3sq. (p. 67sqq.).
5 Cf. supra, num. 305.
6 Cf. supra, num. 307.

506

ARTICULUS III.

Utrum missio Filii possit esse sine missione Spiritus Sancti et e converso.

Tertio[a] quaeritur utrum missio Spiritus Sancti possit esse sine missione Filii et e converso vel non.

Circa quod sic obicitur: 1. Sicut missio active dicta est communis Patri et Filio[1], ita missio passive dicta communis est Filio et Spiritui Sancto[2]; sed Pater sine Filio non potest mittere Spiritum Sanctum; unde dicit Augustinus, *Contra perfidiam Arianorum*[3]: « Nec Pater sine Filio nec Filius sine Patre misit Spiritum Sanctum ». Ergo simili ratione nec Filius poterit mitti sine Spiritu Sancto nec Spiritus Sanctus[b] sine Filio.

2. Item, Pater dicitur mittere Filium, cum aliquid operatur per ipsum in rationali creatura, per quod potest cognosci ipsum esse a Patre[4]; sed nullum effectum operatur per Filium quem non operetur per Spiritum Sanctum[c]; ergo nunquam mittit Filium quin mittat Spiritum Sanctum; ergo nunquam potest mitti Filius sine Spiritu Sancto nec e converso.

3. Item, dicitur Filius mitti, cum infunditur alicui sapientia; ergo, cum sapientia sit donum Spiritus Sancti et summum, sicut vult Augustinus[5], Matth. 5, et Spiritus Sanctus detur cum donis suis, maxime debet mitti cum datur sapientia illa; ergo quotiescumque mittitur Filius, mittitur Spiritus Sanctus.

Contra: Missio Filii et Spiritus Sancti sunt differentes missiones, quarum nulla dependet ab alia; ergo una potest esse sine alia.

Quod autem una non dependeat ab alia patet: *a.* Quia dicitur mitti Filius ratione effectus sibi appropriati et Spiritus Sanctus similiter ratione effectus sibi appropriati, in quibus effectibus manifestantur processiones eorum[6]; sed unus effectus potest esse sine alio; ergo[d] et una missio sine alia.

b. Item, non mittitur Filius in quocumque effectu sive ratione cuiuscumque effectus, sed oportet quod ille effectus sit ei appropriatus: unde quia manifestatur in eo, dicitur mitti; sed si in illo[e] eodem effectu mitti diceretur Spiritus Sanctus, oporteret quod in illo manifestaretur; ergo iam non esset appropriatus Filio; ergo non quandocumque[f] mittitur Filius, mittitur Spiritus Sanctus.

c. Item, in missione visibili Filii non dicitur Spiritus Sanctus mitti: nam « illa est missio, qua missus est in carnem », sicut dicit Augustinus[7], quae non convenit Spiritui Sancto; ergo aliquando mittitur Filius, quando non mittitur Spiritus Sanctus.

[Solutio]: Quod sine praeiudicio concedendum est. Etsi enim contingat eos aliquando simul dari vel mitti, non tamen necesse est semper.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod non est simile de missione active et passive dicta. Nam sive dicatur missio active dicta productio alicuius personae manifestata[g] in creatura sive[h] manifestatio productionis in effectu, non significatur in missione sic dicta aliquid quod non sit commune Patri et Filio: nam et ipsa productio Spiritus Sancti et ipsa operatio sive manifestatio active dicta communis est Patri et Filio. Non sic autem est in missione passive[i] dicta respectu Filii et Spiritus Sancti. Nam cum missio passive dicta sit processio manifestata in effectu[k] appropriato personae vel manifestatio processionis, cum processio Filii non sit processio Spiritus Sancti nec idem effectus in quo manifestatur utraque processio, ratione cuius[l] dicitur mitti Filius vel Spiritus Sanctus, immo unus effectus possit esse sine alio et manifestatio unius processionis sine manifestatione alterius, ideo potest esse una missio sine alia. Non sic autem est de missione active dicta, ratione iam dicta, et ideo non sequitur si Pater non[m] potest mittere Spiritum Sanctum sine Filio, quin Filius possit mitti sine Spiritu Sancto vel e converso.

2. Ad aliud[n] dicendum quod licet quotienscumque[o] operatur Pater per Filium, operetur etiam illum eumdem effectum per Spiritum Sanctum, non tamen quotienscumque mittit Filium, mittit Spiritum Sanctum, et hoc quia ille effectus non est appropriatus utrique[p], sed alteri personae; unde solum illa persona dicitur mitti, cui appropriatur ille effectus; nec ratione operationis dicitur mitti persona, sed ratione repraesentationis[q] in effectu sibi appropriato.

---

[a] BRGL *deinde*. [b] PBL om. [c] PVS om. [d] PVS om.. [e] V om. [f] S *quandoque*; B (corr.) *quotiescumque*; P add. *cum*, et om. *mittitur Filius*. [g] PV *manifestate*, quod S corr. [h] B *sua*, quod L exp. et corr. mg. [i] RG *passiva*; BRGL om. *dicta*. [k] L *affectu*. [l] L *eius*. [m] PV om., in S est add. interl. [n] S *illud*. [o] RGL *quotiens*, quod B corr. [p] L add. mg. *persone*. [q] BL *presentationis*.

[1] Cf. supra, num. 499.
[2] Cf. supra, num. 505.
[3] *Contra sermon. Arian.*, c. 4 (PL 42, 686).
[4] Cf. supra, p. 699b, *ad 2*.
[5] Cf. *De doctr. christ.*, II, c. 7 (PL 34, 40).
[6] Cf. supra, p. 714b, *ad 4*.
[7] *De Trinit.*, II, c. 4, nn. 8 et 9 (PL 42, 849 sq.).

3. Ad tertium potest dici [a] quod sapientia dicitur dupliciter [b]: uno modo illuminatio ad cognitionem aeternorum, et sic sapientia mittitur cum Filius mittitur; alio modo dicitur sapientia secundum nomen suum, scilicet cognitio cum sapore, et sic est donum Spiritus Sancti. — Vel potest dici quod sapientia dupliciter potest considerari: vel in quantum comparatur ad actum qui est cognoscere, et sic est appropriata Filio et manifestat eius processionem; vel in quantum comparatur [c] ad finem, scilicet in quantum per ipsam est mereri praemium aeternum sive in quantum per ipsam ordinatur anima in Deum, et sic est donum Spiritus Sancti et manifestat eius processionem, quae est per modum bonitatis sive amoris [1].

ARTICULUS IV. 507

Utrum plenius dicatur mitti Filius vel Spiritus Sanctus post incarnationem quam prius.

Quarto quaeritur utrum plenius missus fuerit Filius vel Spiritus Sanctus post incarnationem quam ante [2].

Et videtur quod sic: *a.* Quia plenior est gratia Novi Testamenti quam Veteris, quia fuit plenitudo gratiae in Christo, a qua recepimus [d] omnes [3]. Cum igitur missio sit propter gratiam, videtur plenius mitti Filius vel Spiritus Sanctus in Novo quam in Veteri.

b. Item, plenius cognoscitur post incarnationem quam ante; ergo, cum mitti sit [e] cognosci, ergo plenius [f] mittitur post incarnationem quam ante.

c. Item, Augustinus, IV *De Trinitate* [4], exponens illud Ioan. [5]: *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, dicit: « Quomodo illud intelligitur nisi quod illa Spiritus datio vel missio futura erat qualis nunquam antea fuerat; neque enim antea nulla erat, sed [g] talis non erat ». Ex quo videtur quod plenius post [h] incarnationem missus fuerit Spiritus Sanctus.

Contra: 1. « Missio Spiritus Sancti est eius processio ad sanctificandam creaturam » — ita vult Augustinus, XV *De Trinitate* [6], et [i] Magister, 14 dist., I libro *Sententiarum* [7] — et similiter missio Filii eius processio ad illuminandam rationalem creaturam; sed aeque procedit Spiritus Sanctus a Patre et Filio ad sanctificandam creatam ante incarnationem et post, et similiter Filius a Patre ad illuminandam creaturam, etiam si creatura minus illuminetur prius quam post [k], sicut sol aeque lucet super istam domum et illam, licet ista domus minus illuminetur; ergo non plenius dicitur mitti post incarnationem quam ante [l], licet plenior sit effectus missionis post quam ante.

2. Item, dicit Augustinus, in libro *De bono coniugali* [8], quod non praefertur [m] caelibatus Ioannis coniugio Abrahae, et hoc est quia « aequaliter potuit mereri Abraham in coniugio sicut Ioannes in virginitate »; ergo non praeferebantur Patres Veteris Testamenti et Novi quantum ad caritatem; ergo nec similiter quantum ad alia [n] dona; sed si plenius dicitur mitti Filius vel Spiritus Sanctus, hoc est ratione donorum; et non plenius dabantur dona gratiae tunc quam nunc, maxime dona gratiae gratum facientis, ratione quorum dicitur dari Spiritus Sanctus; ergo nec plenius dabatur [o] Spiritus Sanctus tunc quam nunc.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod licet simpliciter possit concedi quod Filius vel Spiritus Sanctus plenius mittuntur post incarnationem quam ante, potest [p] tamen distingui quod, cum missio sit processio alicuius ab aliquo et in aliquem, potest determinari missio per comparationem ad illum a quo vel a quibus est vel ad illum cuius est: et [q] iis duobus modis aeque mittitur [r] Spiritus Sanctus nunc et tunc; sed tertio modo, scilicet per comparationem ad illos in quos fit [s] missio sive ad quos, plenius dicitur mitti modo quam tunc, quia plenius modo sunt dispositi homines ad recipiendum. Ratione ergo effectus in creatura dicitur modo plenius mitti quam tunc; et quia, sicut dictum est [9], missio accipit rationem suam ab ipso effectu in quo repraesentatur processio Filii vel Spiritus Sancti, satis potest concedi quod plenius missus est Filius vel Spiritus Sanctus post incarnationem quam ante.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [t] ergo obiectum satis patet solutio [u]. Nam non sequitur si missio est processio ad sanctificandam creaturam vel illuminandam, si [v] aequaliter procedit, quod [x] aequaliter mittatur, quia mitti non dicitur [y] ratione processionis, sed ratione effectus in quo manifestatur ipsa processio, qui [z] plenior est modo quam tunc.

---

[a] G *dicendum* pro *p. d.* [b] G *multipliciter.* [c] RGL *comparatus*, quod B corr. [d] PVS *recipimus*; L om. *cum.* [e] PVS add. *ante.* [f] PVS *melius* pro *e. p.* [g] B *quia.* [h] P om. [i] P *vel*, L *quia*, V om. [k] Codd. *ante.* [l] Codd. *ante incarnationem quam post* pro *p. l. q. a.* [m] B *profertur.* [n] B *illa*, L om. *quantum.* [o] L om. [p] L *post.* [q] B *ex.* [r] S add. *et.* [s] B *fuit.* [t] BL *primum.* [u] V om. [v] BL *sed.* [x] P *vel.* [y] PVS *dicit.* [z] P *que*, S om. *modo.*

1 Cf. supra, num. 807.
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 15, p. 2, dub. 3 (I, 272).
3 Cf. Ioan. 1, 16.
4 Cap. 20, n. 29 (PL 42, 908).
5 Cap. 7, 39.
6 Cap. 27, n. 48 (PL 42, 1095).
7 Cap. 1 (p. 89sq.).
8 Cap. 21, n. 26 (PL 40, 391).
9 Cf. supra, p. 718b, *ad 1.*

Nec est simile de hoc quod dico 'lucere' [a], quia, quantum est de se, 'lucere' non dicit effectum in creatura; si autem diceret effectum in creatura [b], sicut illuminare, non aequaliter diceretur lucere super domum [c] quae plus illuminatur et quae minus [d]. Unde sicut sol [e] non dicitur utramque domum aeque illuminare, licet aeque luceat super utramque [f], similiter licet Spiritus Sanctus aeque procedat nunc et tunc et aeque potens sit sanctificare et Filius illuminare, tamen modo plenius dicitur mitti vel sanctificare [g], cum hoc quod dico 'mitti' dicat effectum in suscipiente.

2. Ad aliud [h] dicendum quod Augustinus non comparat meritum ad meritum nec gratiam ad gratiam, sed statum coniugii in Veteri Testamento statui coniugii in Novo. Sed magnitudo gratiae non de necessitate concomitatur status aequalitatem vel imparitatem [i], ideo non sequitur quod aequaliter mitteretur [k] tunc ut nunc.

CAPUT III.

AD QUOS DICATUR FIERI MISSIO.

Consequenter quaeritur de missione passive dicta per comparationem eorum ad quos dicitur fieri missio.

Primo ergo [l] quaeritur utrum dicatur mitti Filius vel Spiritus Sanctus ad irrationalem creaturam vel tantum ad rationalem;

secundo, si ad rationalem tantum, utrum ad angelos;

tertio, utrum ad Christum hominem.

508

ARTICULUS I.

Utrum dicatur mitti Filius vel Spiritus Sanctus ad rationalem creaturam tantum.

Quantum ad primum sic obicitur: 1. Missio Spiritus Sancti est eius processio ad sanctificandam creaturam; sed Spiritus Sanctus non solum venit [m] ad sanctificandam creaturam rationalem, sed etiam irrationalem, sicut aquam Baptismi et illa in quibus conficiuntur [n] alia sacramenta; unde in benedictione fontium dicitur [1]: « Descendat in hanc plenitudinem aquae virtus Spiritus Sancti »; ergo Spiritus Sanctus non tantum mittitur ad rationalem creaturam, sed etiam ad irrationalem.

2. Item, missio transfertur ad divina, non quia aliqua persona sit ubi non erat prius, sed quia aliquid efficit in creatura per quod dicitur ibi esse alio modo quam prius [2]; sed Deus dicitur esse alio modo in sacramentis quam in aliis creaturis et familiariori [o] modo [3], quia confertur virtus aquae ad emundationem animae; ergo ratione huius virtutis dicetur mitti Filius vel Spiritus Sanctus.

3. Item, mittitur Filius quando cognoscitur aliquo effectu sibi appropriato eius processio, sicut supra ostensum est [4], et similiter Spiritus Sanctus; sed effectus appropriati Filio et Spiritui Sancto [p] non solum apparent in creatura rationali, sed etiam in creatura irrationali; ergo mitti dicetur non solum ad creaturam rationalem, sed etiam ad [q] irrationalem.

Contra: *a.* Non dicitur Filius vel Spiritus Sanctus mitti nisi ad illam creaturam quam dicitur inhabitare [5]; sed solam creaturam rationalem inhabitat, quae capax est eius per cognitionem et amorem; ergo ad solam creaturam rationalem dicitur mitti.

b. Item, Augustinus, IV *De Trinitate* [6]: « Tunc unicuique mittitur, cum a quoquam cognoscitur atque percipitur quantum cognosci et percipi potest pro captu vel proficientis in Deum [r] vel perfectae in Deo animae rationalis ». Ergo ad solam creaturam rationalem dicitur mitti.

c. Item, missio tam visibilis quam invisibilis est ad revocationem ab istis sensibilibus et ad perceptionem aeternorum, secundum [s] quod innuit Augustinus, in libro *De Trinitate* [7]; unde loquens de missione, dicit: « Secundum quod aliquid aeternum mente capimus, non in hoc mundo sumus »; sola autem creatura rationalis est quae

---

[a] B *lucem.* [b] PV om. *si... creatura,* in S est add. mg. [c] G *donum.* [d] G per *vacat* del. *quae plus... minus.* [e] PV om., in S est add. mg. [f] BL *creaturam,* G om. *licet.* [g] PV om. *et Filius... sanctificare,* in S est add. mg. [h] P *illud.* [i] G *in partem.* [k] V *mereretur.* [l] BRL om. [m] L *veni.* [n] PVS *conferuntur,* L *confitentur,* quod B corr. [o] S *familiori,* VBRGL *familiari.* [p] B om. B om. [r] L *idem* pro *i. D.,* quod B corr. [s] G *sed.*

1 Cf. Missale Roman. in officio Sabbati Sancti.
2 Cf. supra, p. 704a, *ad 3.*
3 Cf. supra, num. 51.
4 Cf. supra, num. 506.
5 Cf. supra, p. 714b, *ad 5.*
6 Cap. 20, n. 28 (PL 42, 907).
7 Loc. cit. (PL 42, 908).

sic revocatur; ergo ad solam creaturam rationalem est missio. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [a] ergo obiectum dicendum quod illa sanctificatio, quae est in aqua Baptismi et in aliis sacramentis ordinatur ad sanctificationem animae rationalis, quia motus sanctificationis non terminatur nisi in substantia rationali; sacramentum autem est velut adminiculum sive via ad hoc ut anima sanctificationem recipiat [b]. Quia ergo missio respicit terminum viae, et non [c] viam, in illa sanctificatione, qua sanctificatur aqua, potius dicitur mitti ad rationalem creaturam, ad quam ulterius [d] ordinatur illa sanctificatio, quam ad ipsam aquam, cum sanctificatio, quae est in aqua, sit sicut via, illa vero sanctificatio, quae est in rationali creatura, sicut terminus [e].

2. Ad aliud dicendum quod licet Deus familiariori [f] modo dicatur esse in sacramentis quam in aliis creaturis, non tamen dicitur mitti, quia mitti non dicitur nisi ad illas [g] creaturas in quibus dicitur inhabitare, et hoc est solum in illis quae possunt ipsum capere per cognitionem et amorem, Ioan. 14,23: *Ad eum veniemus et mansionem* [h] etc. Licet autem dicatur aliquo alio modo esse in sacramentis quam in aliis rebus creatis, non tamen dicitur ibi inhabitare, quia scilicet sunt sicut via ad hoc ut Deus [i] sit in rationali creatura per gratiam; unde etsi dicatur esse in sacramentis per gratiam, non tamen per gratiam inhabitantem [1], sed solum in rationali creatura: et ideo ad illam solum dicitur mitti.

3. Ad aliud dicendum quod non propter quemcumque effectum appropriatum Filio vel [k] Spiritui Sancto dicitur mitti Filius vel Spiritus Sanctus, sed propter illos in quibus expresse habet cognosci Filius vel Spiritus Sanctus, non solum per modum vestigii, sed per modum imaginis; et tales effectus sunt cognitio et amor vel [l] dona pertinentia ad cognitionem et amorem, in quibus relucet processio Filii et Spiritus Sancti per modum imaginis; et quia talium effectuum est capax sola rationalis creatura, ideo ratione alicuius effectus appropriati non dicitur mitti ad aliam creaturam, quia in aliis creaturis non dicitur cognosci in effectu nisi per modum vestigii. — Si autem quaeratur quae sit ratio huius: dicendum quod hoc est quia 'mitti' de ratione sua dicit aliquid effici in creatura per quod dicitur alio modo esse in creatura quam prius, licet [m] non sit ubi non esset prius; hoc autem non convenit nisi rationali creaturae, in qua est familiariori [n] et specialiori modo post infusionem gratiae quam ante: et ideo ad illam solam [o] dicitur mitti.

ARTICULUS II. 509

Utrum missio fiat ad angelos.

Deinde quaeritur, supposito quod missio fiat solum ad rationalem creaturam, utrum fiat ad angelos [2].

Et videtur quod sic: *a.* Nam [p], I libro *Sententiarum*, dist. 15, cap. *Ecce distincti sunt duo modi* [3], dicit Magister quod in [q] missione invisibili « mittitur quotidie ad sanctos; et missus est ante incarnationem ad sanctos qui ante fuerunt et missus est ad angelos ». Ex quo habetur plane [r] quod missio Spiritus Sancti fit [s] ad angelos.

b. Item, Augustinus, IV *De Trinitate* [t 4], loquens de Filio, dicit: « Aliter mittitur sapientia ut sit cum homine, aliter ut sit homo: *in animas* enim *sanctas se transfert et amicos Dei et* [u] *prophetas constituit* [5]; sic etiam implet sanctos angelos ». Ergo missio Filii, in [v] qua mittitur invisibiliter, se extendit ad angelos.

c. Item, sicut homo est capax cognitionis et dilectionis Dei, ita et angelus; sed ratione cognitionis vel dilectionis, cum infunduntur, dicitur mitti Filius vel Spiritus Sanctus; ergo non solum ad homines, sed etiam ad angelos dicentur mitti Filius et Spiritus Sanctus.

Contra: 1. Missio est alicuius ab aliquo et in aliquem, et ille in quem est missio se habet in ratione extremi, non in ratione medii. Cum ergo angeli se habeant in ratione medii, et non in ratione extremi, quia eorum officium est mitti et sunt nuntii Dei ad nos, ad [x] Hebr. 1, 14: *Omnes sunt administratorii spiritus*, ad angelos non videtur esse missio.

2. Item, quod imperfectum [y] est habet reduci ad perfectum in eodem genere [6]; ergo in genere missionis imperfecta missio habet reduci ad perfectam [z]; sed perfectissima missio est missio Filii in

---

[a] BL *primum*. [b] V *accipiat*. [c] BL add. *in*. [d] B *interius*. [e] G *in minus*. [f] BRGL *familiari*. [g] V *alias*, S om., B om. *in*. [h] R add. *apud*. [i] PVS *Dominus*. [k] B om. *F. v.* [l] P *et*. [m] B *sed ibi*. [n] R *familiari*; B om. *et specialiori*, in L est add. mg. [o] Ita RG, alii *solum*. [p] BRGL add. *in*. [q] G om. [r] PVS *plene*. [s] RGL *sit*, B om. *ad*. [t] BL *civitate Dei*. [u] PVSB om. [v] BRGL om. [x] L *et*. [y] B *imperfecta*. [z] R *perfectionem*.

1 Cf. supra, num. 51.
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 15, p. 2, dub. 4 (I, 275).
3 Cap. 8 (p. 99 sq.)
4 Cap. 20, n. 27 (PL 42, 907).
5 Sap. 7, 27.
6 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 9 et *Metaph.*, IX, c. 4 (II, 363, 578).

carnem; ergo ad ipsam habent reduci aliae; ergo in quem [a] non habet fieri illa missio vel circa quem, nec aliae; sed illa non fit ad angelos, sed solum ad homines, qui significantur per drachmam decimam et ovem centesimam, Luc. 15,4-8; ergo nec aliae.

3. Item, missio, sicut innuit Augustinus, in libro *De Trinitate* [1], « non fit nisi ad revocationem eius quod aberravit vel aberrare [b] potest »; sed angelus [c] bonus nunquam aberravit nec aberrare potest [d]; ergo ad ipsos non fit missio. Nec ad malos: constat, quia illi non possunt revocari; ergo ad angelos non dicitur fieri missio.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod missio aliquo modo fit ad angelos etiam quantum ad aliquos effectus, licet non quantum ad omnes illos qui sunt in hominibus sive ratione quorum dicitur mitti ad homines.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum in contrarium dicendum [e] quod licet angeli sint in ratione medii in annuntiatione quae fit per eos ad nos, et hac ratione dicantur ipsi mitti, tamen in missione quae fit ad eos [f] non se habent in ratione medii, sed extremi. Unde nil prohibet eamdem personam esse missam et ad quam fit missio, sed non in eadem missione numero.

2. Ad aliud dicendum quod missio in carnem dicitur perfectissima, quia est ibi summa [g] gratia, quanta potest esse in creatura; item, quia est ibi natura summe nobilitata [h], sed non dicitur perfectissima, quia ad ipsam reduci habeant omnes aliae missiones, quia sine illa esse possent; si enim non fuisset incarnatio, adhuc fuisset missio et erat etiam ante incarnationem. Unde etsi omnes missiones visibiles forsitan ordinabantur ad fidem incarnationis, sicut videtur innuere Augustinus, in libro *De Trinitate* [2], non tamen omnes missiones invisibiles, in quibus mittitur Filius vel Spiritus Sanctus in mentes hominum et angelorum; et ideo non oportet quod circa quod illa non habet esse, nec aliae. — Si enim dicatur: circa quod non habet esse perfectum, nec [i] imperfectum in eodem genere – hoc non est verum nisi de perfecto quod dat esse imperfecto et a quo dependet illud quod est imperfectum quantum ad suam perfectionem [k] nec perficitur sine illo.

3. Ad tertium dicendum quod plures sunt effectus missionis Spiritus Sancti, et licet non mittatur ad angelos quantum ad hunc effectum, qui est revocare aberrantem, sicut [l] mittitur ad hominem qui aberravit, mittitur tamen quantum ad alios effectus. Unde non sequitur si mitti in hominibus est revocari, quod ad angelos non fit missio [m], quia quantum ad alium effectum dicitur mitti; sicut non sequitur si gratia hominibus datur ad iustificationem a culpa et iustificatio a culpa non est in angelis, quin gratia sit in angelis. — Vel potest dici quod missio Spiritus Sancti fit ad angelos ad revocationem alio [n] modo, non quia aberrassent, sed ne aberrarent vel [o] aberrare possent: nam natura, nisi per gratiam retineatur, semper est labilis in peccatum. Unde gratia confirmationis data est angelis [p] ne de cetero possent errare per peccatum, et quantum ad hoc communis est [q] aliquo modo ratio missionis.

510 ARTICULUS III.

Utrum Spiritus Sanctus missus fuerit ad Christum hominem.

Tertio [r] quaeritur utrum Spiritus Sanctus missus fuerit ad Christum.

Quod videtur: 1. Quia Spiritum Sanctum mitti nihil aliud est quam ipsum dari quantum ad aliquem effectum, in quo cognoscitur ipsum esse ab alio; sed Spiritus Sanctus datus est Christo, non solum [s] quantum ad aliquos effectus, sed quantum ad omnes. Unde [t] Ioan. 3,34: *Datus est ei Spiritus non ad mensuram;* ergo ad Christum maxime dicetur mitti Spiritus Sanctus, non solum ad alias rationales creaturas. — Item, Luc. 3,22: *Descendit* [u] *Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum;* et Ioan. 1,32: *Vidi Spiritum Sanctum descendentem sicut columbam* [v] *et manentem super eum.* Sed [x] Spiritum Sanctum [y] descendere et manere super aliquem nihil aliud est quam Spiritum Sanctum mitti ad ipsum; ergo Spiritus Sanctus missus est ad [z] Christum.

---

[a] RL *quam.* [b] B *oberravit vel oberrare* pro *a. v. a.* [c] L add. *qui,* B add. *qui est.* [d] V om. *sed... potest.* [e] PVS om. [f] PVS *per eos ad nos* pro *a. e.* [g] S om. *g. e. i. s.* [h] VS *mobilitata,* BL *nobilitatis,* quod G corr. [i] PVS *et.* [k] S *imperfectionem.* [l] L add. *ad.* [m] B add. *sed,* quod L exp.; PVSRG *sit* pro *fit.* [n] BRGL *aliquo.* [o] PV om. *n. a. v.,* in S est add. mg. [p] BGL add. *scilicet.* [q] B *erit* et om. *communis,* in L est add. mg.; L om. *ratio.* [r] BL *deinde.* [s] V om. [t] BRGL om.; PVSBL om. *3.* [u] L om., in B est add. interl.; L om. *item.* [v] PVS *columba,* G om. *columba... sicut.* [x] L *scilicet,* quod B corr. [y] B add. *scilicet.* [z] S add. *ipsum.*

[1] Lib. IV, c. 20, n. 27 (PL 42, 907), ad sensum. | [2] Cf. lib. IV, c. 20, n. 27 (PL 42, 907).

2. Si [a] dicatur quod ille descensus fuit missio corporalis sive [b] exterior tantum – contra: missio corporalis sive exterior ordinatur ad interiorem sive spiritualem, quae invisibilis est [c] et est signum illius, sicut patet in illa missione qua missus est [d] Spiritus Sanctus super Apostolos in igne et linguis [1]; haec enim erant ad manifestationem missionis interioris, in qua dabatur eis donum linguarum et fervoris caritatis; ergo similiter missio corporalis erat signum missionis spiritualis sive [e] interioris ad Christum; ergo non solum fuit in Christo [f] missio corporalis sive exterior [g], sed etiam spiritualis sive interior.

Contra: *a.* Missio Spiritus Sancti est [h] eius processio ad sanctificandum creaturam; sed Christus nunquam fuit sanctificatus, sed semper sanctus et nunquam non-sanctus; ergo non proprie dicitur mitti Spiritus Sanctus ad Christum.

b. Item, missio Spiritus Sancti ponit alium modum essendi in creatura quam prius. Unde Spiritus Sanctus dicitur mitti, non quia modo sit ubi non erat prius, sed quia est ibi alio modo quam prius sive quantum ad alium effectum [i] quam prius; sed de Christo non potest dici quod Spiritus Sanctus esset alio modo in ipso quam prius nec ad alium effectum quam prius, quia non poterat [k] in aliquem actum in quem non posset prius; ergo proprie non dicitur mitti Spiritus Sanctus ad Christum.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod est missio exterior sive corporalis et est missio interior sive spiritualis: prima est manifestatio facta exterius in aliqua specie corporali, secunda est manifestatio interius facta in aliquo effectu spirituali. Loquendo ergo de prima missione dicendum quod Spiritus Sanctus missus est ad Christum quando in specie columbae descendit super ipsum, Luc. 3,22. Et haec missio fiebat non propter se, sed propter alios, ut innotesceret aliis ipsum plenissime habuisse Spiritum Sanctum. Loquendo autem de secunda missione, non dicitur mitti ad ipsum, quia nullus effectus fiebat in ipso qui prius non esset, nec alio modo inhabitabat Spiritus Sanctus in eo quam prius.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum dicendum quod non sequitur si datus est ei Spiritus Sanctus quantum ad omnem effectum, quod propter hoc dicatur mitti ad ipsum. Nam aliquid importatur in hoc quod dico 'mitti', quod non importatur in hoc quod dico 'dari'. Nam hoc quod dico 'mitti' ponit alium modum existendi Spiritus Sancti in Christo quam prius esset vel quantum ad alium effectum quam prius, quod non ponit hoc quod dico 'dari': nam 'dari' non ponit nisi [l] aliquid communicari alicui; unde non ponit novum modum existendi nec novum effectum. Nam de re iam data [m] possumus dicere quod semper est in ratione doni: unde etsi Spiritus Sanctus [n] continue sit in homine in ratione doni [o], non tamen est in ratione missi; et hoc est quia 'mitti' dicit actum prout est in fieri, 'dari' vero prout est in facto esse; et ideo non sequitur quod si datur quantum ad aliquem effectum, quod [p] propter hoc mittatur.

2. Ad aliud dicendum quod missio corporalis non semper ordinatur ad missionem spiritualem nec semper est signum illius, sed bene verum est quod est signum inhabitationis Spiritus Sancti per gratiam. Unde in illa missione qua descendit Spiritus Sanctus super Christum, significabatur inhabitatio Spiritus Sancti, qua scilicet inhabitabat in Christo quantum ad plenitudinem gratiae, a [q] qua plenitudine descendebat virtus in aqua [r] ad regenerationem animarum. — Vel potest dici quod illa missio corporalis signum fuit missionis spiritualis, non quae tunc fieret [s] ad Christum, sed quae debebat fieri ad animas sanctificatas per Baptismum, et sic potest universaliter concedi quod missio corporalis est signum missionis spiritualis. — Alio modo sine praeiudicio posset dici quod utroque modo missus est Spiritus Sanctus ad Christum, sed non simul et semel, sed primo missus est spiritualiter sive invisibiliter, quando in primo [t] instanti conceptionis suae datus est ei *Spiritus non ad mensuram*, cum scilicet primo inhabitavit ipsum Spiritus Sanctus singulariter quantum ad gratiae plenitudinem; deinde vero, ipso [u] baptizato, missus est ad eum [v] visibiliter [x] et in corporali specie ad significandam priorem missionem vel ipsam inhabitationem, quae fuit effectus huius missionis, vel ipsam missionem, quae fit in sacramento Baptismatis, sicut dictum est [2].

Notandum ergo quod in conceptione Christi tria intelligimus in anima Christi, scilicet creationem, unionem et gratiae collationem; et licet ista tria simul fuerint tempore [y], tamen est ibi quidam ordo secundum rationem intelligentiae: ut [z] primo secundum rationem intelligentiae sit creatio ipsius animae, deinde unio ipsius et

---

[a] S *sed.* [b] G *sed.* [c] BRL *invisibilem* pro *q. i. e.*; G om. *quae.* [d] PVS om. *m. e.*; R om. *Sanctus.* [e] BL *sui.* [f] V add. *scilicet.* [g] L *interior*, quod B corr. [h] L om., in B est add. interl. [i] G *est tantum.* [k] P *poterit.* [l] Ita RG, alii om. [m] V om., B *dicta*, quod L corr. [n] Ita G, alii om.; S *cotidie* pro *continue.* [o] PV om. *unde... doni*, in S est add. mg. [p] V *et.* [q] PV om., in S est add. interl. [r] L *aliqua*, quod B corr. [s] L *fuit*, quod B corr. [t] PVS *ipso*; S om. *suae.* [u] S om. [v] V *ipsum*, S *Deum.* [x] G *spiritualiter et invisibiliter.* [y] VL *ipse.* [z] L *et.*

[1] Cf. Act. Apost., c. 2, 3 sqq.

[2] Cf. hic, parum supra.

divinae naturae, tertio collatio plenitudinis gratiae. Secundum hoc ergo dicitur divina natura esse in Christo triplici modo existendi, scilicet modo communi, quo etiam dicitur [a] esse in aliis creaturis per essentiam, praesentiam et potentiam [1]; modo speciali, scilicet quo dicitur esse in sanctis per gratiam [2]; modo singulari, quo dicitur fuisse singulariter in Christo per unionem. Ratione ergo creationis non determinatur missio, quia effectus creationis est ipsa [b] natura, ad quam proprie terminatur missio: unde oportet intelligere prius natura vel [c] tempore illud ad quod fit missio quam ipsum effectum ratione cuius dicitur fieri missio. Sed ratione ipsius unionis vel infusionis gratiae dicitur [d] fieri missio, ita quod missio Filii in carnem determinetur penes ipsam unionem, in quantum ipse Filius Dei dicitur inhabitare ipsam animam Christi et per consequens ipsam carnem modo singulari, scilicet per unionem, Col. [e] [3]: *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Missio vero Spiritus Sancti determinatur penes gratiae collationem, quae data est ei *non ad mensuram* [4]; et sicut non oportet quod humana natura Christi, sive quantum ad corpus sive quantum ad animam, praecedat missionem Filii in carnem tempore, sed solum natura, sicut nec [f] unionem, ita non oportet quod missiones [g] Spiritus Sancti in [h] animam Christi sive [i] Christum hominem praecedant humanam naturam [k] Christi secundum tempus, sed solum secundum naturam.

a. Ad hoc quod obicitur quod 'Christus non fuit sanctificatus, quia nunquam fuit non-sanctus et cum sanctificatum esse [l] sit de non-sancto fieri sanctum', potest dici quod 'non-sanctum' potest dici duobus modis: vel negative vel privative [m]. Si negative: potest concedi quod Christus de non-sancto factus est sanctus, quia primo factus est sanctus [n], cum prius [o] non esset. Si vero privative: non potest dici Christus sub hoc sensu sanctificatus, quia tunc sequeretur quod prius esset non-sanctus et postea factus esset sanctus. — Alio modo potest dici quod sanctificari non semper dicitur quia primo sit non-sanctum et postmodum sanctum, sed quia illud, quod de se non est sanctum [p], altero ei [q] adveniente dicitur fieri sanctum, licet illud, quod sanctificatur et per quod sanctificatur, simul sint tempore, sicut [a] materia in sua prima creatione dicitur perfici et consummari [b], non quia primo crearetur imperfecta sive informis et postea fieret perfecta sive formata, sed quia ipsa de se considerata absque [c] forma, intelligitur ut informis et imperfecta, et quod sit sub esse perfecto, hoc habet a forma. Unde « materia, quae prius est origine quam forma, non tempore [d] », sicut dicit Augustinus [5], prius intelligitur ut informis et postmodum, adveniente forma, intelligitur sub [e] esse formato, cum scilicet advenit ei forma: et quantum ad hoc dicitur formari. Similiter potest dici in Christo quod natura Christi, quae est quasi materialis respectu gratiae, intellecta in suo primo esse, intelligitur quasi informis et imperfecta de se, sed quod perficiatur et sanctificetur, hoc habet a gratia. Unde si intelligatur quidam ordo inter esse naturae in [f] Christo, quod est esse [g] primum, et esse [h] gratiae, quod est esse secundum, sive inter creationem animae Christi et gratiae infusionem, potest intelligi sanctificatio quaedam, ut illud quod ex primo suo esse non habet sanctitatem, licet in primo suo esse habeat sive in primo instanti sui esse, adveniente gratia [i] unionis sive alia, recipiat sanctificationem. Et sic potest dici [k] Christus sanctificatus, quia qui prius, id est [l] secundum esse primum, non habebat sanctitatem [m], ex secundo esse, scilicet gratiae, habuit sanctitatem: et sic ex non-sancto, quantum est de natura per se considerata, factus est sanctus adveniente gratia. Et hoc secundo [n] modo dicunt illi, qui ponunt angelos in creatione sua habuisse gratuita, primo creatos [o] informes, et postea formatos [p], sicut et materiam, secundum Augustinum, non tempore, sed natura sive origine.

b. Ad aliud dicendum quod, sicut dictum est [6], quod Spiritus Sanctus dicitur esse in Christo, sicut dictum est, non [q] solum communi modo, scilicet per essentiam et praesentiam et potentiam, sed etiam speciali [r] modo per gratiam. Unde sicut intelligitur quidam ordo inter primum esse, quod est esse naturae, et secundum esse, quod est esse gratiae, ita [s] intelligitur ordo quidam inter primum modum essendi Spiritum Sanctum in Christo et secundum. Unde si intelligatur prius et posterius non tempore, sed ordine intelligentiae sive de prioritate naturae, intelligitur Spiritum Sanctum

---

[a] S *debet.* [b] PVS om. [c] S *ex.* [d] B *Dei.* [e] L *talis.* [f] B *natura.* [g] G *missio.* [h] PVSR om. [i] BL add. *in.* [k] B *humana natura,* L *humanam natura* pro *h. n.;* BR om. *Christi,* in L est add. mg. [l] BRGL om. [m] L *negatione vel privatione,* quod B corr., item subinde. [n] V om. *q. p. f. e. s.* [o] B *primo.* [p] G om. *sed... sanctum.* [q] G *enim.*

[a] G *sed.* [b] PVS add. *et.* [c] PV *sed,* quod S corr. [d] B *semper.* [e] L add. *idem.* [f] B om., G om. *e. n. i.,* L om. *n. i.* [g] B om., V om. *est.* [h] BL om. [i] BL add. *sive.* [k] B add. *ratione.* [l] PVRG *et* pro *i. e.* [m] S *sanctificationem.* [n] B om., RG *etiam,* L *secundum.* [o] PV *creatas,* quod S corr. [p] PV *formatas,* quod L corr., S *informatos.* [q] S om. [r] V *spirituali.* [s] P om.

1 Cf. supra, num. 46.
2 Cf. supra, num. 50.
3 Cap. 2, 9.
4 Cf. supra, num. 35.
5 *De Gen. ad litt.,* I, c. 15, n. 29 (PL 34, 257), ad sensum.
6 Cf. p. 726a.

alio modo esse in Christo per gratiam quam prius esset per essentiam sive naturam, sicut prius intelligitur in Christo esse naturae quam gratiae. Et quia in effectu [a] gratiae, qui sequitur naturaliter ad primum esse, scilicet [b] naturae, maxime habet cognosci Spiritus Sanctus, ideo ratione istius effectus potest dici mitti Spiritus Sanctus [c] et esse alio modo; et etiam quantum ad alium effectum quam prius, dicendo sic [d] 'prius' sicut dictum est [1]. Sed ista missio, sicut dictum est [2], non fuit nisi in conceptione [e] sua, quando primo [f] data est ei gratia [g], missione tamen corporali sive exteriori missus est postea, quando baptizatus est Christus.

CAPUT IV.

SECUNDUM QUID SIT MISSIO PASSIVE DICTA.

Consequenter quaeritur de missione Filii et Spiritus Sancti secundum quid sit, hoc est secundum quid dicatur mitti Filius vel Spiritus Sanctus.

Primo ergo [h] quaeritur utrum dicatur mitti vel Filius vel Spiritus Sanctus, quia detur ipse Filius vel Spiritus Sanctus vel aliquod donum gratiae appropriatum Filio vel Spiritui Sancto vel utrumque;

secundo, utrum dicantur [i] mitti ratione collationis gratiae gratis datae vel gratum facientis;

tertio, utrum ratione augmenti gratiae dicantur mitti.

ARTICULUS I. 511

Utrum dicatur missio quia detur ipse Filius vel Spiritus Sanctus vel aliquod donum alterutri appropriatum vel utrumque [3].

I. Circa primum sic obicitur: 1. Augustinus, XV *De Trinitate* [4]: «Sicut corpus carnis nihil aliud est quam caro, sic donum Spiritus Sancti nihil aliud est quam Spiritus Sanctus»; sed nihil creatum est Spiritus Sanctus; ergo si Spiritus Sanctus dicitur mitti cum temporaliter datur creaturae, hoc non erit [k] ratione alicuius effectus creati, sed ratione ipsius personae Spiritus Sancti; ergo eadem ratione nec Filius dicetur mitti ratione alicuius effectus creati, sed solum ratione ipsius qui Deus est.

2. Item, nuntius dicitur mitti a rege ad aliquid efficiendum, etiam si nihil efficiatur: unde sine effectu aliquo completur in ipso tota [l] ratio missionis; ergo si Filius et Spiritus Sanctus dicantur mitti a Patre sine effectu aliquo, complebitur in ipsis ratio missionis; ergo non quia detur aliquod donum creatum dicentur mitti Filius vel Spiritus Sanctus, sed ratione ipsorum.

3. Item, Spiritus Sanctus et etiam Filius possunt quidquid possunt dona eorum [m] et multo amplius; ergo possunt mundare animam et inhabitare ipsam sine aliquo dono creato; sed cum Spiritus Sanctus inhabitat animam ab ipso mundatam, dicitur [n] dari et mitti ipsi animae; ergo missio Spiritus Sancti non dicitur ratione alicuius doni creati; ergo si dicitur mitti, hoc est ratione personae ipsius Spiritus Sancti.

Contra: *a.* Quod solum dicatur mitti Spiritus Sanctus ratione alicuius effectus sive doni creati videtur. Nam omnis actio temporalis, scilicet quae convenit Deo solum ex tempore, terminatur semper [o] ad aliquid creatum et nunquam terminatur ad increatum, sicut patet in omnibus: creare enim, quod est actio divina, terminatur ad aliquid creatum et sic de aliis; vel si transit super aliquid increatum [p], hoc est tantum ratione effectus [q], sicut incarnare Filium et [r] huiusmodi. Ergo si missio active dicta de Patre est actio temporalis, id est conveniens ei ex tempore, ergo terminatur ad aliquid creatum; vel si transit supra aliquid [s] increatum, hoc est ratione effectus creati solum et non ratione eius quod est increatum; ergo si Pater dicitur mittere Filium vel Spiritum Sanctum vel Filius vel Spiritus Sanctus dicantur mitti vel dari, hoc non est ratione sui, sed ratione [t] alicuius effectus connotati; ergo si dicuntur mitti, hoc non erit quia aliquis eorum detur in persona sua, sed ratione

---

[a] L *effectum*. [b] L add. mg. *esse*. [c] G om. [d] PS *sicut*, V om. *sicut*. [e] G *ceptione*, quod L corr. [f] V add. *modo*. [g] B add. interl. *in*. [h] G om., R om. *e. q.* [i] PVS *dicatur*. [k] BL add. *in*. [l] B om., in L est add. mg. [m] Codd. *eius*. [n] L *quia*, quod B corr. [o] Ita B (corr.) L (corr. mg.), alii *super*, PVR om. *ad*. [p] Ita RG, PVS *aliud* pro *a. i.*, BL om. [q] S add. mg. *consequentis*, L add. mg. *consequenti*. [r] L *vel*, PVS om. *e. h.* [s] G om. [t] G om. *s. s. r.*

[1] Cf. supra, p. 726a, *ad a.*
[2] Cf. supra, p. 725b, *ad 2.*
[3] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 14, a. 2, q. 1 (I, 249sq.).
[4] Cap. 19, n. 36 (PL 42, 1086).

alicuius doni creati vel alicuius effectus in creatura.

b. Item, Beda[1]: « Cum gratia hominibus datur, mittitur Spiritus Sanctus »; sed gratia non est Spiritus Sanctus, sed eius effectus nec e converso; ergo nec collatio gratiae est collatio Spiritus Sancti nec e converso; ergo potest esse collatio gratiae sine collatione Spiritus Sancti[a]; sed in collatione mittitur Spiritus Sanctus, ut dicit Beda; ergo potest esse missio Spiritus Sancti sine collatione Spiritus Sancti; ergo Spiritus Sanctus[b] non dicitur mitti, quia conferatur ipsa persona eius, sed solummodo donum eius.

c. Item, Spiritus Sanctus dicitur mitti, non quia sit ubi[c] non erat prius, cum sit ubique, sed quia est ibi alio[d] modo quam prius, quia qui prius erat ibi per potentiam, praesentiam et essentiam modo primo, est ibi alio modo, scilicet per gratiam; et similiter dicitur dari, quia alio modo habetur quam prius. Sed iste alius et alius modus essendi vel inhabitandi non dicitur de persona Spiritus Sancti ratione sui, sed ratione alicuius effectus vel doni, quia tunc diceretur Spiritus Sanctus mutari; ergo ipsa missio non dicetur de Spiritu Sancto ratione sui[e], quia scilicet in illa detur ipsa persona Spiritus Sancti, sed solum donum aliquod quod prius non habebatur. Et hoc etiam confirmatur per hoc quod in missione sua Spiritus Sanctus magis habetur quam prius; sed persona Spiritus Sancti non recipit magis et minus in se, sed solum in suo effectu; ergo non datur in missione sua in se, sed solum in[f] effectu.

Quod autem in missione non solum detur donum Spiritus Sancti nec solum persona Spiritus Sancti, sed utrumque, videtur: *a.* II Cor. 1,22: *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris,* Glossa[2]: « Id est dona, quae sunt pignus quo Spiritus Sanctus est in nobis »; sed nihil est pignus sui; ergo in missione Spiritus Sancti non solum datur Spiritus Sanctus nec solum dona eius, sed etiam utrumque, quorum unum[g] est pignus alterius.

b. Item, Rom. 5,5: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Ergo non solum infunditur nobis Spiritus Sanctus nec solum caritas, sed etiam utrumque; ergo si mittitur cum infunditur, in missione Spiritus Sancti datur Spiritus Sanctus et etiam dona eius; ergo et similiter in missione Filii, Sap. 7,11: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*[h].

c. Hoc[i] idem ostenditur ratione sic: In eo, a quo tollitur omnis imperfectio, primum donum amor est et in illo omnia alia dona donantur. Nam dare ex timore, servitutis est, dare vero ut aliquid detur[k], cupiditatis est, sed dare ex amore, liberalitatis est; ergo amor erit in huiusmodi datione primum donum quo omnia alia dantur; sed amor, quo Deus diligit nos, est Spiritus Sanctus; ergo in collatione aliorum donorum datur etiam[l] Spiritus Sanctus.

II. Ratione praedictorum quaeritur, supposito quod in missione Spiritus Sancti conferatur utrumque, scilicet Spiritus Sanctus et dona eius[m], quod istorum dicitur per prius esse in anima sive in creatura rationali ad quam mittitur Spiritus Sanctus: vel ipse vel donum eius. Et loquor de prioritate naturae quae est secundum rationem intelligentiae, non temporis, quia constat quod simul sunt tempore.

Et videtur quod[n] **Spiritus Sanctus**: *a.* Quia « Spiritus Sanctus est donum in[o] quo omnia alia dona dantur », sicut dicit Augustinus[3]; ergo si utrumque dicitur dari[p], per prius dicitur Spiritus Sanctus esse in anima quam gratia vel aliquod aliud donum creatum.

b. Item[q], ad hoc etiam videtur facere illud quod dicitur Rom. 5,5: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis;* ergo prius ordine intelligentiae datur Spiritus Sanctus quam caritas infundatur, ex quo per Spiritum Sanctum datum infunditur[r].

Contra: 1. Si aliqua duo dicuntur esse in aliquo, quorum unum est sicut[s] dispositio respectu alterius, prius dicitur inesse[t] illud quod est sicut dispositio quam illud ad quod illa dispositio ordinatur; sed gratia dicitur esse sicut dispositio in anima ad hoc ut ipsam inhabitet Spiritus Sanctus, et cum mittitur Spiritus Sanctus dicitur inhabitare ipsam animam per gratiam; ergo in missione Spiritus Sancti prius ordine naturae est in anima gratia creata, qua ipsa efficitur templum Spiritus Sancti, quam Spiritus Sanctus inhabitans illam sicut templum suum.

2. Item, ad hoc est illud quod dicitur[u] II Cor. 1,22: *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* Glossa[4]: « Id est, dona quae sunt pignus quo Spiritus Sanctus est in nobis ». Ergo dona Spiritus

---

[a] G om. *nec... Sancti.* [b] S om. *sine collatione... Sanctus.* [c] V *ibi.* [d] GL *aliquo,* item subinde. [e] G om. *sed ratione... sui.* [f] G om. *suo... in.* [g] V *unus.* [h] P nota mg.: *Unde Henricus de Fallebino: Qui habet gratiam, habet omnium bonorum sufficientiam. Et Iosue V: Cum descendisset super castra ros, id est divina gratia, descendebat pariter et man[na]. G.* [i] L *Item hoc.* [k] BRGL add. *ei.* [l] V om., G om. *aliorum.* [m] P add. *et;* PVSB om. *Sanctus.* [n] S add. *sit.* [o] RGL om. [p] L *dare.* [q] BRL om. [r] PVS om. *ex quo... infunditur.* [s] V om. [t] G *esse.* [u] S *dicitur illud* pro *e. i. q. d.;* B om. *item.*

[1] *Homil. Dom. I post Ascens.* (PL 94, 189).
[2] *Interlin.,* et Lombard., in h. l. (PL 192, 16).
[3] *De Trinit.,* XV, c. 19, n. 34 (PL 42, 1084), ad sensum.
[4] Cf. supra, nota 2.

Sancti, quae sunt sicut pignus ad habendum Spiritum Sanctum, per prius sunt in nobis quam sit ipse Spiritus Sanctus cuius sunt sicut pignus.

Respondeo [a]: I. Ad primum dicendum quod in missione Spiritus Sancti non solum datur [b] Spiritus Sanctus [c] nec solum dona eius, sed etiam utrumque: unde datur Spiritus Sanctus in se et in donis suis. Et ratio huius est: quia Spiritus Sanctus est in iustis in ratione fructus, quia eo fruuntur iusti; dona autem Spiritus Sancti in iustis sunt, non sicut fructus, sed sicut dispositiones mentis [1] vel liberi arbitrii ad fruendum: anima enim de se non habet virtutem fruendi bono increato [d], sed per gratiam et virtutes.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum dicendum quod Augustinus intendit ostendere quod Spiritus Sanctus dat se nec tamen distinguitur a se. Nec intendit Augustinus dicere quod aliud donum a Spiritu Sancto creatum non detur cum Spiritu Sancto, sed quod [e], cum dicitur 'donum Spiritus Sancti' de ipso Spiritu Sancto [f], in nomine et in constructione nihil aliud significatur quam Spiritus Sanctus. Cum enim dicitur 'donum Spiritus Sancti', propter transitionem obliqui posset aliquis credere quod diversitas esset inter [g] obliquum et rectum; unde vult Augustinus dicere quod obliquus [h] cum recto intransitivam habet constructionem sicut cum dicitur 'corpus carnis' vel 'creatura salis', et ideo dicit « sicut corpus carnis » etc.

2. Ad aliud dicendum [i], sicut dictum est [2], quod in missione nuntii potest esse ratio missionis, licet non efficiatur illud propter quod mittitur, non tamen sine omni effectu completur ratio missionis. Nam etsi dicatur missus, etiam si non efficiat illud propter quod mittitur [k], non tamen potest [l] dici missus nisi moveatur ad illud efficiendum; sed Spiritus Sanctus non potest dici moveri ad aliquid efficiendum ratione sui, sed si dicitur mobilis, Sap. 7,22, hoc est ratione effectus et non ratione sui; et ideo, cum [m] attribuitur ei missio, quae significat quasi motum, oportet quod hoc sit ratione effectus et ratione talis effectus propter quem dicitur esse alio modo in creatura quam prius; et ideo oportet quod in missione Spiritus Sancti efficiatur illud propter quod dicitur mitti, licet non oporteat illud ex parte nuntii, qui potest moveri ad efficiendum, licet nihil efficiatur: quod non potest intelligi vel dici de Spiritu Sancto.

3. Ad tertium dicendum quod licet Spiritus Sanctus posset efficere in anima quidquid potest gratia et multo amplius, ad hoc tamen ut inhabitet Spiritus Sanctus ipsam animam sicut templum et quod ipse Spiritus Sanctus detur ei, exigitur ex parte animae aliqua dispositio media, per [n] quam ipsa efficiatur sicut templum, quae prius non erat templum vel de se non erat sicut templum. Et licet Pater mittendo sive Filium sive Spiritum Sanctum sive dando, non requirat in sua operatione medium quod sit differens ab ipso per essentiam, anima tamen, propter naturae suae imperfectionem, in recipiendo Spiritum Sanctum ei datum requirit medium differens ab ipsa [o] per essentiam, per quod medium ipsa coniungitur Spiritui Sancto vel etiam ipsi Deo efficitur digna ut inhabitetur ab ipso, quae de natura sua non erat digna.

a. Ad illud autem quod primo obicitur pro alia parte, scilicet quod 'Spiritus Sanctus non detur in se, sed solum in suo effectu vel dono, quia missio, cum sit temporalis, ad temporale terminatur et nunquam ad aeternum': dicendum quod verum est, sed tamen ad effectum dupliciter dictum terminatur missio sive datio Spiritus Sancti, scilicet ad hoc quod est habere gratiam et ad hoc quod est habere Spiritum Sanctum alio modo quam prius: et unus effectus ordinatur ad alium. Unde in missione sive [p] collatione Spiritus Sancti non efficitur Spiritus Sanctus, sed efficitur in isto. — Notandum tamen quod in datione sive missione Spiritus Sancti notatur duplex respectus, scilicet respectus personae ad personam et respectus essentiae sive personae ad creaturam. Ratione primi respectus transit missio super quid increatum, quia in missione Filii vel Spiritus Sancti intelligitur productio vel processio Filii vel Spiritus Sancti, et [q] ratione secundi respectus transit super aliquid creatum, quod est habere gratiam et per consequens Spiritum Sanctum. Unde non sequitur si transit super quid [r] creatum, quod propter hoc conferatur animae solum quid creatum, quia conferre Spiritum Sanctum non terminatur ad Spiritum Sanctum, sed ad hoc quod est habere Spiritum Sanctum inhabitantem animam tamquam templum suum.

b. Ad aliud dicendum quod, licet gratia non sit Spiritus Sanctus, non tamen sequitur quod unum possit haberi sine alio [s], quia unum est dispositio ad aliud. Unde sicut non sequitur: 'forma substantialis non est dispositio, ergo potest imprimi sine sua dispositione', sic nec in proposito. Et cum dicit Beda quod « cum gratia hominibus datur, mittitur Spiritus Sanctus », non

---

[a] BRGL *solutio.* [b] P *datus.* [c] L om. *n. s. d. S. S.*; P om. seq. *solum.* [d] V add. *virtutem.* [e] B om. [f] R *quo Spiritus Sanctus* pro *I. S. S.*, quod B corr. [g] B *in.* [h] P *obliquo.* [i] R om., PVSGL add. *quod.* [k] BRGL *mittebatur.* [l] G om. [m] B om., in R est add. interl. [n] PVS *secundum.* [o] BRL *ipso*, G om. *ei datum... ipsa.* [p] SGL add. *in.* [q] BRGL om. [r] BR *aliquid.* [s] L om. *non tamen... alio.*

[1] Cf. supra, num. 55.

[2] Cf. supra, p. 727a, sub n. 2.

vult dicere quod nihil aliud detur in missione Spiritus Sancti quam gratia, sed quod unum concomitatur [a] aliud nec unum habetur sine alio.

c. Ad aliud dicendum quod Spiritus Sanctus in missione alio modo est in creatura quam prius, quia prius habebatur in quantum Spiritus [b], sed non in quantum Sanctus nec per modum fructus. Verum [c] est etiam quod ille alius modus attribuitur Spiritui Sancto, non ratione sui, sed ratione effectus sive doni; non tamen sequitur quin aliud sit illud quod [d] hoc modo haberi dicitur et illud ratione cuius [e] haberi dicitur. Non enim sequitur si gratia sit illud ratione cuius inhabitat Spiritus Sanctus vel hoc modo est in anima tamquam medium ex parte animae, disponens ipsam [f] ad fruendum ipso, quin aliud sit gratia existens in anima et Spiritus Sanctus existens in ipsa vel quod in se ipso non habeatur ab anima.

II. Ad illud quod quaeritur 'cum utrumque conferatur animae, scilicet [g] Spiritus Sanctus et gratia, quid [h] per prius dicitur conferri animae': dicendum quod donum habet comparationem et ad illum [i] a quo datur et ad illum cui datur. Unde sicut in missione sive [k] datione Filii dicitur Deus operari per Filium, et in missione Spiritus Sancti per Spiritum Sanctum, quod quidem medium non est differens per essentiam, sed solum secundum originem vel etiam [l] aliquando solum secundum rationem, sicut supra determinatum [m] est [1], ita ex parte animae in recipiendo Spiritum Sanctum vel Filium est medium, quod quidem medium differt ab anima per essentiam. Cum [n] ergo quaeritur cuiusmodi donum intelligatur per prius dari animae, scilicet [o] Spiritus Sanctus vel gratia: dicendum quod secundum comparationem doni ad illud a quo datur, prius [p] intelligitur dari Spiritus Sanctus, quia prius procedit a Patre [q] Spiritus Sanctus ad animam et deinde effectus informans ipsam animam [r]; et secundum hoc procedit prima ratio et auctoritas [2]. Secundum vero comparationem doni ad illud cui datur, primo intelligitur gratia, quae est sicut disponens animam et deinde Spiritus Sanctus inhabitans. Unde illud quod erat prius ordine intelligentiae ex parte Dei in conferendo, posterius est ex parte animae in recipiendo: et secundum hunc ultimum modum procedunt ratio et auctoritas ad hoc adducta [3].

512 ARTICULUS II.

Utrum Filius vel Spiritus Sanctus dicantur mitti ratione collationis gratiae gratis datae vel gratum facientis.

Consequenter quaeritur utrum missio Filii vel Spiritus Sancti determinetur penes effectum gratiae gratis datae vel solum penes effectum gratiae gratum facientis [4]. Et est primo [s] quaestio de missione Filii, deinde de missione Spiritus Sancti.

I. Quod autem non sit missio Filii sine gratia gratum faciente videtur: *a.* Nam in I libro *Sententiarum,* 15 dist., cap. *Ad quod dicimus* [5], dicit Magister quod « duobus modis mitti dicitur Filius, scilicet vel cum visibiliter [t] mundo apparuit carne indutus vel cum *in animas pias se transfert* [6] ut [u] ab eis percipiatur et cognoscatur ». Ergo Filius non mittitur invisibiliter nisi ad pias animas; sed anima pia non dicitur nisi per gratiam gratum facientem; ergo missio Filii non est nisi ratione huius gratiae. Unde in sequenti capitulo [7] dicit, assumens auctoritatem Augustini, IV *De Trinitate* [8]: « Secundum alterum modum mittitur ut sit homo, quod semel tantum factum est; secundum alterum ut sit cum homine per gratiam, quo modo quotidie mittitur ad sanctos »; sed mitti ad hoc ut sit per gratiam cum sanctis est effectus gratiae gratum facientis; ergo si dicitur mitti Filius ratione alicuius effectus gratiae, hoc est ratione gratiae gratum facientis.

b. Item, Sap. 7,27, dicitur de sapientia: *In animas* [v] *sanctas se transfert, amicos Dei et* [x] *prophetas constituit,* quod exponit Augustinus, IV *De Trinitate* [9], de missione Filii, qui [y] est sapientia increata; sed amicus Dei non potest aliquis constitui nisi per gratiam gratum facientem, quia gratia gratis data communis est iustis et peccatoribus; ergo in missione Filii datur gratia gratum faciens.

c. Item, Sap. 1,4: *In malevolam animam non intrabit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis;* sed intrare sapientiam in animam est

---

[a] L *comitatur.* [b] G add. *Sanctus.* [c] B *unde.* [d] L *et.* [e] S *eius;* G *tamen* pro *enim.* [f] V *animam.* [g] BR om. [h] B *quidquid,* quod R corr., G *quia.* [i] BR *illud,* VBR om. *et.* [k] BR add. *in.* [l] BR om. [m] G *predeterminatum.* [n] BR om. [o] L om. [p] L add. *et.* [q] L om. [r] R om., in B est add. interl. [s] R *prima.* [t] S (corr.) BRG *invisibiliter,* BR om. *scilicet.* [u] G om. [v] S add. *rectas et.* [x] PVS om. [y] V *que.*

1 Cf. p. 708b.
2 Cf. p. 728b, sub litt. *a.* et *b.*
3 Cf. p. 728b, sub nn. 1 et 2.
4 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 15, p. 2, a. un., q. 2 (I, 270 sq.).
5 Cap. 7 (p. 99).
6 Sap. 7, 27.
7 Cap. 8 (p. 100).
8 Cap. 20, n. 27 (PL 42, 907).
9 Loc. cit.

Filium mitti et effectus huius missionis est inhabitatio; ergo cum utrumque repugnet animae malevolae et subditae peccatis et nihil repugnat ei nisi ratione gratiae gratum facientis, ergo si dicitur Filius mitti in animam vel inhabitare ipsam, hoc est ratione gratiae gratum facientis, et [a] non solum [b] ratione gratiae gratis datae.

d. Item, Deus non dicitur esse in rebus nisi tripliciter, scilicet communi modo, quo est in omnibus rebus per praesentiam, essentiam et potentiam; speciali modo, quo est in sanctis per gratiam gratum facientem; singulari modo quo dicitur esse in Christo per unionem [1]. Sed cum dicitur mitti, hoc non potest esse quia sit ubi non erat prius, sed quia ibi est alio modo quam prius; sed iste alius modus non potest esse nisi vel [c] per gratiam qua dicitur esse in sanctis vel per illam qua [d] dicitur esse in Christo, quarum utraque est gratum faciens; ergo quocumque modo dicatur mitti Filius, hoc non erit solum ratione gratiae gratis datae, sed solum ratione gratiae gratum facientis.

II. Item, de Spiritu Sancto ostenditur istud idem. *a.* Nam dicit Augustinus, in XV *De Trinitate* [2], quod temporalis processio Spiritus Sancti est « ad sanctificandam creaturam »; sed eius temporalis processio est missio; ergo missio Spiritus Sancti est ad sanctificandam [e] creaturam; sed non sanctificatur nisi per gratiam gratum facientem; ergo missio Spiritus Sancti est ratione gratiae gratum facientis.

b. Item, Augustinus, in eodem libro [3]: « Cum datur Spiritus Sanctus, accendit mentem in [f] dilectione Dei et proximi »; sed hoc non potest esse sine gratia gratum faciente; ergo missio Spiritus Sancti non est sine gratia gratum faciente.

c. Item, sicut dicit Magister, in 18 dist. I libri [4], dicitur [g] quod Spiritus Sanctus in quantum datus dicitur noster [5]; sed noster non est nisi per gratiam gratum facientem; ergo nobis non datur nisi per gratiam gratum facientem [h]; sed in missione datur; ergo in missione Spiritus Sancti datur gratia gratum faciens.

d. Item, Sap. 1,5: *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum et auferet se* etc. Ergo Spiritus Sanctus non dicitur esse sive habitare [i] in reprobis; ergo nec mitti ad ipsos, quia mittitur ad inhabitandum; sed gratia gratis data est in bonis et in [k] malis; ergo si mittitur, hoc est ratione gratiae gratum facientis.

Contra: I. 1. « Mitti est cognosci ab alio esse », sicut dicit Augustinus, IV *De Trinitate* [6]; sed non solum in effectu gratiae gratum facientis potest cognosci Filius esse [l] a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque, sed etiam in effectu gratiae gratis datae; ergo non solum determinatur missio Filii et Spiritus Sancti quantum ad effectum gratiae gratum facientis, sed etiam gratiae [m] gratis datae.

2. Item, mittitur Filius ad illuminandum intellectum sicut Spiritus Sanctus ad accendendum affectum [n]; sed illuminatio intellectus potest esse ex gratia gratis data sine [o] gratum faciente; ergo missio Filii potest esse sine gratia [p] gratum faciente; ergo ratione illius gratiae non dicetur [q] mitti Filius, sed solum ratione gratiae gratis datae.

3. Item, si missio Spiritus Sancti est ad sanctificandam creaturam per gratiam gratum facientem, et gratia gratum faciens [r] est proprius effectus missionis Spiritus Sancti, secundum quod dicit Beda [s 7]: « Cum gratia [t] hominibus datur, mittitur Spiritus Sanctus », et ad idem non possunt duo mitti: et [u] dicuntur duae, quia ad aliud est missio Filii et ad aliud missio Spiritus Sancti; ergo missio Filii non erit ratione gratiae gratum facientis, sed solum missio Spiritus Sancti; vel est dicere quod quotienscumque mittitur Filius, necessario mittitur Spiritus Sanctus, cuius contrarium supra [v] ostensum est [8].

4. Item, non dicitur mitti Filius vel Spiritus Sanctus ratione cuiuscumque effectus, sed effectus appropriati; unde missio Filii determinatur penes effectum sibi appropriatum, missio Spiritus Sancti similiter penes effectum ei appropriatum; sed gratia gratum faciens appropriatur Spiritui Sancto et non Filio; ergo ratione illius dicetur mitti Spiritus Sanctus et non Filius.

II. 1. Item, circa missionem Spiritus Sancti obicitur. Nam non videtur dari in illa semper gratia gratum faciens: nam non solum dona gratum facientia, sed etiam gratis data sunt dona Spiritus Sancti; unde dicit Augustinus [9] quod timor servilis est donum Spiritus Sancti, non in quantum servilis, sed in quantum [x] timor; sed Spiritus Sanctus datur cum donis suis; ergo ratione gratiae gratis datae datur Spiritus Sanctus; sed cum

---

[a] P om., V om. *ergo... et.* [b] PVS add. *autem,* V om. *ratione.* [c] BG om.; V *que* pro *qua.* [d] PVS *qũe;* BRG *quorum* pro *quarum.* [e] S *significandam;* B om. *sed eius... creaturam;* RGL om. *Spiritus Sancti.* [f] B om.; S om. *Sanctus.* [g] BR om. [h] V om. *ergo... facientem.* [i] L *inhabitare.* [k] BR om. [l] G *eius.* [m] BRGL om. [n] V *effectum;* R om. *Sanctus.* [o] Ita RL, alii *sive,* SL add. *gratia.* [p] G om. [q] P *dicitur.* [r] BRL om. *g. f.* [s] BRG add. *ergo.* [t] R om., SRL add. *gratum faciens.* [u] BRGL *quia.* [v] BR add. *habitum vel,* S om. *est.* [x] B add. *est.*

1 Cf. supra, p. 726a.
2 Cap. 27, n. 48 (PL 42, 1095).
3 *De Trinit.,* XV, c. 17, n. 31 (PL 42, 1082).
4 Cap. 5 (p. 123).
5 Cf. supra, num. 429.
6 Cap. 20, n. 29 (PL 42, 908).
7 *Homil. in Dom. I post Ascens.* (PL 94, 182).
8 Cf. supra, num. 506.
9 Cf. *De spiritu et littera,* c. 32, n. 56 (PL 44, 236).

datur Spiritus Sanctus, dicitur mitti; ergo ratione gratiae gratis datae dicitur mitti Spiritus Sanctus et non tantum ratione gratiae gratum facientis.

2. Item, dicit Rabanus[1] quod ter datus est Spiritus Sanctus: et primo ad gratiam sanitatis corporum et gratiam doctrinae cum efficacia signorum, et hoc etiam habetur I *Sententiarum*, dist.[a] 16[2]; sed huiusmodi dona sunt gratis data et non gratum facientia; ergo non solum ratione gratiae gratum facientis dicitur mitti Spiritus Sanctus.

3. Item[b], I Reg. 19, 9 dicitur: *Factus est spiritus Domini in Saule et prophetavit;* et tamen tunc non habuit gratiam gratum facientem; ergo non semper ratione gratiae gratum facientis dicitur mitti Spiritus Sanctus.

[Solutio]: I-II. Ad[c] hoc videtur mihi sine praeiudicio respondendum quod loquendo proprie de missione non dicitur mitti Filius vel Spiritus Sanctus nisi ratione alicuius effectus pertinentis ad gratiam gratum facientem nec dari similiter. Nam in missionibus eorum non solum dantur dona[d] eorum, sed etiam ipsi, et inhabitant animam et sunt ibi[e] specialiori modo quam prius. Unde solum dicitur missio ratione ipsorum[f] donorum ratione quorum dicuntur inhabitare animam et esse ibi secundum alium modum quam prius, ut in missione eorum non solum[g] dona eorum sint nostra, sed etiam ipsi: quod est solum[h] per gratiam gratum facientem, secundum quam[i] ipsi sunt in anima in[k] ratione fructus. Extenso tamen nomine missionis potest aliquando dici mitti per dona gratiae gratis datae, sicut videtur dicere Rabanus.

[Ad obiecta]: I. 1. Ad primum ergo dicendum quod illa definitio Augustini «mitti est cognosci esse ab alio», sicut dictum est[l][3], datur per effectum consequentem, in quo potest manifestari eorum processio sicut in processione temporali processio aeterna. Dicendum ergo quod in illo effectu, in quo manifestatur processio Filii[m] vel Spiritus Sancti, non solum manifestatur Filium vel Spiritum Sanctum esse a Patre, sed praeter hoc ponitur ipsos esse a Patre in animam secundum alium modum quam prius sive ipsos dari animae ad inhabitandum: et hoc ponit hoc quod dico 'temporaliter procedere', quod est mitti. Licet ergo per effectum gratiae gratis datae possit[n] cognosci Filius a Patre procedere et similiter Spiritus Sanctus ab utroque, tamen per solum effectum gratiae gratum facientis potest cognosci Filium et Spiritum Sanctum procedere in animam ad inhabitandum ipsam, cum per illam solam[a] sit inhabitatio. Unde si illa definitio integre complectatur rationem missionis, oportet quod in illo effectu habeat cognosci processio Filii et Spiritus Sancti et quantum ad terminum a quo et quantum ad terminum ad quem: et tunc illud cognosci non habet esse nisi in effectu gratiae gratum facientis.

2. Ad aliud dicendum quod licet illuminatio possit esse ex gratia gratis data sine[b] gratum faciente, nunquam tamen[c] ratione illius illuminationis dicetur mitti Filius vel dari, quia non dicitur mitti nisi ratione illius doni[d] ratione cuius dicitur inhabitare vel esse in anima sicut donum et fructus eius, quod non contingit nisi ratione gratiae gratum facientis.

3. Ad aliud dicendum quod licet sit una gratia gratum faciens, tamen plures sunt effectus gratiae gratum[e] facientis. Dicendum ergo quod non distinguuntur missiones Filii et Spiritus Sancti penes ipsam gratiam, sed penes eius effectus; sed[f] sicut in missione sua conveniunt in fine, scilicet in hoc quod est inhabitare animam vel esse in anima secundum rationem fructus, ita conveniunt in eo[g] ratione cuius dicuntur inhabitare animam vel esse in anima secundum[h] hanc rationem; differunt tamen penes diversos actus gratiae gratum facientis, secundum quod illi actus appropriantur Filio vel Spiritui Sancto. Unde si datur gratia gratum faciens ad sanctificandam animam vel gratificandam[i] vel accendendam ad amorem, cum huiusmodi actus sint appropriati Spiritui Sancto et in illis habeat cognosci, dicitur mitti Spiritus Sanctus. Si vero detur gratia ad illuminandam animam vel instruendam vel ad aliquos actus pertinentes ad sapientiam, quae appropriatur Filio, cum in[k] huiusmodi effectibus habeat cognosci Filius, dicitur mitti Filius; et sicut unus effectus potest esse sine alio, ita una missio potest esse sine alia, sicut supra dictum est[4]. Et licet non possit dari aliquis effectus gratum faciens sive aliquod donum quin gratificetur et sanctificetur[l] anima, non tamen[m] datur principaliter ad hoc, sed solum gratia in se datur principaliter ad hoc, non in hoc effectu vel[n] illo: et ideo non dicitur mitti nisi Filius, cum datur actus pertinens ad cognitionem, licet sit actus gratiae gratum facientis. Et si daretur aliquod donum aeque principaliter ad utrumque actum appropriatum Filio et Spiritui

---

[a] Ita R (interl.) L, alii om. [b] L om. [c] P *Item ad.* [d] G om.; SL om. *et.* [e] V *Dei*, G *in.* [f] BRGL *illorum.* [g] VG om. *n. s.* [h] B om. *dona eorum... solum*, in R est add. mg. [i] B *sed quantum* pro *s. q.* [k] Ita GL, alii om. [l] PVS add. *non.* [m] V om. [n] G add. *esse.*

[a] BR om. [b] PSGL *sive*, R add. *gratia.* [c] R *non quantum* pro *n. t.* [d] S add. *in.* [e] R om. [f] BR *et*, PV om. *in.* [g] V *eadem.* [h] G om. *rationem... secundum.* [i] BR om. *v. g.* [k] S om. [l] R om. *e. s.*, in S est add. mg.; S *quid* pro *quin.* [m] B add. *donum.* [n] B add. *in.*

[1] In *Glossa ordin.*, ap. Lyran., Rabano attribuitur; cf. S. Bonav., *Opp. omnia*, I, p. 254, nota 10.

[2] Cf. cap. 1 (p. 102), sed non citatur Rabanus.

[3] Cf. supra, p. 714, *ad 1.*

[4] Cf. supra, num. 506.

Sancto, diceretur mitti sive dari Filius et Spiritus Sanctus, et ideo donum sapientiae et donum intellectus dicuntur dona Spiritus Sancti [a], non ratione actus proprii, sed communis, sive [b] ratione finis, qui est unire animam Deo; et similiter alia dona, ut fides, prophetia et huiusmodi, quia per haec [c] unitur et communicat anima Christo et corpori eius mystico, quod est Ecclesia, quia illa dona dantur ad utilitatem corporis mystici ut unum membrum communicet alii, sicut ibi ostendit Apostolus, scilicet I Cor. 12,8-10, ubi enumerat illa dona: quae communicatio appropriatur Spiritui Sancto, et ideo dicuntur dari ab ipso.

4. Ad aliud patet solutio ex praedictis. Nam licet gratia gratum faciens approprietur Spiritui Sancto, non tamen quilibet [d] actus gratiae gratum facientis, sed quidam [e] appropriantur Filio, quidam [f] Spiritui Sancto, ratione quorum dicitur aliquando mitti Filius, aliquando Spiritus Sanctus.

II. 1. Ad illud quod primo obicitur circa missionem Spiritus Sancti potest responderi per praedicta, quia licet timor servilis et alia dona gratis data sint [g] dona Spiritus Sancti, non tamen in [h] illis vel cum illis datur Spiritus Sanctus, similiter nec Filius ratione cognitionis informis: et hoc est quia per illa dona non efficitur anima templum sive habitaculum Filii vel Spiritus Sancti, sicut dictum est supra [1], nec etiam dona illa faciunt Filium vel Spiritum Sanctum esse nostrum, disponendo ipsam animam [i] ad hoc ut sint in ea in [k] ratione fructus.

2. Ad aliud dicendum quod licet sanitas corporum et doctrina et miracula possint esse sine gratia gratum faciente, tamen in [l] illis ad quos mittitur Spiritus Sanctus non sunt sine gratia gratum faciente. Unde cum Apostolis dabatur [m] Spiritus Sanctus, dabatur eis gratia gratum faciens quantum ad huiusmodi dona, et hoc [n] ad utilitatem aliorum; si autem alicui darentur dona huiusmodi sine gratia gratum faciente, proprie non diceretur mitti.

3. Ad aliud quod obicitur de Saule: dicendum quod non dicitur ibi quod Spiritus Sanctus mitteretur ad eum vel inhabitaret in eo, sed quod *factus est super eum*. Unde etiam si dicatur in eo esse Spiritus, non tamen dicitur esse in eo sicut habitans nec secundum illum modum secundum quem dicitur esse in sanctis, cum [o] mittitur ad ipsos vel datur ipsis. Unde in eo erat Spiritus Sanctus in quantum Spiritus, non in quantum Sanctus, hoc est in quantum inspirans, non in quantum sanctificans sive inhabitans.

ARTICULUS III. 513

Utrum Filius vel Spiritus Sanctus dicantur mitti ratione augmenti gratiae.

Consequenter quaeritur utrum ratione augmenti gratiae dicantur mitti Spiritus Sanctus vel Filius [p] [2].

Circa quod sic [q] **obicitur:** *a.* Cum augetur gratia, plus est de gratia in anima quam prius; et constat quod illud plus [r] datur a Deo, quia ab alio non posset dari nec alio modo haberi; sed «cum gratia datur, Spiritus Sanctus [s] mittitur», sicut dicit Beda [3]; ergo in augmento gratiae mittitur Spiritus Sanctus ratione ipsius augmenti.

b. Item, missus est Spiritus Sanctus ad Apostolos in die Pentecostes [4]; et constat quod ipsi iam habebant gratiam, sed nondum confirmati erant; ergo si missus est ad illos Spiritus Sanctus, non solum exterius in corporali specie, sed etiam interius in mente ad corroborandum et confirmandum eos in priori gratia, scilicet [t] in fide et caritate, ergo ratione augmenti gratiae dicetur mitti Spiritus Sanctus.

c. Item, Augustinus, IV *De Trinitate* [5]: «Tunc unicuique mittitur, cum a quoquam cognoscitur atque percipitur quantum cognosci et percipi potest pro captu vel proficientis [u] in Deum vel perfectae iam in Deo animae rationalis». Ergo missio non tantum dicitur ratione gratiae incipientis esse in anima, sed etiam ratione gratiae proficientis vel iam perfectae; sed non proficit vel perficitur nisi per augmentum; ergo ratione augmenti gratiae dicitur esse missio.

d. Item, in Decretali de sacra unctione dicit Innocentius [6] quod in sacramento Confirmationis datur Spiritus Sanctus ad augmentum gratiae et robur [v].

---

[a] B om. *et ideo... Sancti.* [b] B add. *in.* [c] L add. *enim.* [d] P *quibus*, G om. *non.* [e] PVG *quedam.* [f] PBRG *quedam.* [g] PVG *sicut.* [h] B om. [i] BRGL om.; R *quod* pro *ut.* [k] PVS om. [l] PV *cum.* [m] L add. *primo.* [n] PVS add. *quantum.* [o] B *tamen.* [p] B add. *esse.* [q] R om. [r] BR *prius.* [s] BR om. [t] S *sed.* [u] R *tactu vel perficientis* pro *c. v. p.* [v] L om. *Item... robur.*

1 Cf. supra, p. 732ab.
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 15, p. 2, a. un., q. 3 (I, 273sq.).
3 *Homil. Dom. I post Ascens.* (PL 94, 182).
4 Cf. Act. Apost. 2, 1sqq.
5 Cap. 20, n. 28 (PL 42, 907).
6 Innocent. III, *Epist.*, VIII, n. 3 (PL 215, 285).

Contra: 1. Sicut frequenter dictum est [1], mitti dicitur Filius vel Spiritus Sanctus, non quia sit ubi non erat prius, sed quia alio modo quam prius; sed in augmento gratiae non dicitur esse [a] Spiritus Sanctus in anima alio modo quam prius, cum prius [b] esset per gratiam, et non sit alius modus essendi in creatura pura nisi per essentiam, praesentiam [c] et potentiam et per gratiam; ergo ratione augmenti gratiae [d] non dicitur mitti Spiritus Sanctus [e].

2. Item, sicut dicit Magister, in *Sententiis* [2], et Augustinus, XV *De Trinitate* [3], processio temporalis Spiritus Sancti est qua procedit a Patre et Filio ad sanctificandam creaturam; sed temporalis processio Spiritus Sancti est eius missio, sicut ibidem dicitur; ergo missio Spiritus Sancti est ad sanctificandam creaturam; sed in augmento gratiae non [f] dicitur sanctificari creatura, cum prius esset sancta nec de non-sancta fieret sancta; ergo [g] ratione augmenti gratiae non dicitur mitti Spiritus Sanctus [h].

Respondeo: Dicendum quod augmentum potest esse dupliciter: aut per profectum gratiae praeexistentis, cuiusmodi est in [i] proficientibus de virtute in virtutem; aut [k] per profectum et collationem novi doni vel effectus, sicut est in sacramento Confirmationis et fuit in Spiritus Sancti missione in die Pentecostes. Propter primum modum augmenti non dicitur mitti Spiritus Sanctus, sed solum propter secundum: et quantum ad hunc modum secundum procedunt rationes ad primam partem.

[Ad obiecta]: 1. Et patet responsio ad rationes ad partem secundam. Quod enim obicitur quod 'non mittitur in augmento, quia non est alio modo, quam prius': dicendum quod quamvis non sit omnino alio modo, tamen [l] propter augmentum est pleniori [m] modo et propter novum effectum est quodammodo novo modo, et ideo recte dicitur mitti.

2. Ad id [n] quod obicitur secundo quod 'missio Spiritus Sancti est ad sanctificandum' etc., dicendum quod sanctificare dicitur dupliciter: vel de non-sancto facere sanctum, et sic fit in prima gratiae collatione; vel de sancto facere magis sanctum, et hoc fit in gratiae augmento; et quia sanctificatio est utroque modo, licet magis proprie primo modo, ideo Spiritus Sanctus mitti dicitur in augmento gratiae [o], licet magis proprie in gratiae prima donatione [p].

MEMBRUM II.

De missione visibili.

Determinato de missione invisibili, qua mittitur Filius vel Spiritus Sanctus in mentem ad illuminandam vel sanctificandam creaturam rationalem, consequenter ad consummationem eorum quae pertinent ad inquisitionem sacratissimae divinitatis addendum est de missione visibili, secundum quam dicitur Filius mitti in carnem et Spiritus Sanctus in aliqua visibili specie, ut in columba super Christum et in linguis igneis super Apostolos, quae dicitur apparitio. Quaeritur ergo in primis de missione visibili:

Quid sit;
secundo, ad quid sit;
tertio, cuius sit;
quarto, per quos administrata sit;
quinto, qualiter et quibus modis manifestata sit [q].

514

CAPUT I.

QUID SIT MISSIO VISIBILIS [4].

Circa primum quaeritur quid sit missio visibilis secundum rem [r]. Nam ex praecedentibus satis patet quid sit secundum definitionem, ubi disputatum est de definitione missionis, secundum quod est communis missioni visibili et invisibili tam Filii quam Spiritus Sancti [5]. Quaeritur ergo utrum missio visibilis omnino sit idem quod apparitio vel aliquid addat ad illam.

---

[a] BR om. [b] B om. *c. p.* [c] L om. [d] L om. [e] BR om. *S. S.* [f] P add. *datur.* [g] S add. *videtur quod.* [h] BRG om. [i] BR om. [k] PVS *et.* [l] G *cum.* [m] RGL *planiori*, quod B corr. [n] Ita P, alii om. *A. l.* [o] BRGL om. [p] Hic desinunt varii codices, ut in Prolegomenis dictum est. [q] PVBL om. *quinto... sit*, in S est add. mg. [r] V *rationem.*

[1] Cf. pp. 704a, *ad 3;* 722a, n. 2; 723b, *ad 3;* 725a, sub litt. *b;* 728a, sub litt. *c;* 731a, sub litt. *d.*
[2] Lib. I, d. 15, c. 1 (p. 94sq.).
[3] Cap. 27, n. 48 (PL 42, 1095).
[4] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 16, a. un., q. 1 (I, 278sqq.).
[5] Cf. supra, num. 497.

Quod autem omnino sit idem, videtur: 1. Primo, per auctoritatem Augustini, II *De Trinitate*[1]. Dicit enim sic: « Si missus est Filius in quantum apparuit foris in creatura corporali qui intus in natura spirituali oculis mortalium semper occultus est, iam in promptu est intelligere etiam de Spiritu Sancto cur missus et ipse dicatur; facta est enim creaturae[a] quaedam species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus Sanctus ». Ex iis verbis plane habetur quod visibilis[b] missio Filii vel Spiritus Sancti nihil aliud est quam ostensio ipsorum facta in aliqua corporali creatura; unde subiungit ibidem Augustinus[2]: « Haec oblatio visibiliter expressa et oculis mortalium oblata missio Spiritus Sancti dicta est[c] »; sed apparitio nihil aliud est quam ostensio huiusmodi[d] facta in aliqua specie corporali; ergo missio visibilis[e] omnino idem est quod apparitio.

2. Item, Filius et Spiritus Sanctus dicuntur mitti temporaliter[f], cum temporaliter veniunt ad nos; ergo et visibiliter mitti, cum visibiliter veniunt ad nos; sed nihil aliud est apparere quam venire in aliqua visibili specie, ut patet in adventu Spiritus Sancti in specie columbae super Christum[3] vel in specie ignis super Apostolos[4]; ergo omnino idem videtur missio quod apparitio.

3. Item, dupliciter Spiritus Sanctus dicitur mitti, scilicet visibiliter et invisibiliter; sed mitti invisibiliter nihil aliud est quam per effectum invisibilem invisibiliter manifestari; ergo mitti visibiliter nihil aliud est quam per creaturam visibilem visibiliter manifestari; sed hoc nihil addit ad apparitionem; ergo etc.

4. Item, angelus, quotienscumque visibiliter apparet, dicitur visibiliter mitti et e converso quotienscumque visibiliter mittitur, visibiliter apparet; ergo eadem ratione Filius et Spiritus Sanctus, quotienscumque visibiliter mittuntur, visibiliter apparent et e converso; ergo missio visibilis nihil addit ad[g] apparitionem nec e converso; ergo sunt omnino idem.

5. Item, si non sunt omnino idem, quaeritur quid unum addit ad aliud. Si dicatur quod missio addit ad apparitionem hoc quod est esse ab alio: unde cum Filius mittitur a Patre, intelligitur esse ab alio[h] per generationem, similiter cum mittitur Spiritus Sanctus a Patre et Filio, intelligitur esse ab utroque per spirationem[i], hoc autem non intelligitur in ratione apparitionis, et ideo non sunt omnino idem – contra: Augustinus, IV *De Trinitate*[5]: « Non eo ipso quod de Patre natus est, dicitur Filius missus, sed vel eo quod apparuit huic mundo *Verbum caro factum*[6] vel[k] eo quod ex tempore cuiusquam mente percipitur ». Ergo esse a Patre non pertinet ad rationem missionis, sed solum temporaliter sive visibiliter percipi; ergo missio visibilis non addit illud[l] ad apparitionem.

6. Si dicatur quod missio addit ad apparitionem rationem[m] effectus: nam apparitio est ad manifestandum et non ad efficiendum, quantum est de sua ratione, missio vero est ad aliquid efficiendum; unde cum mittitur Filius vel Spiritus Sanctus, efficitur aliquid in creatura per quod dicuntur inhabitare creaturam[n]; unde in missione visibili illud quod manifestatur exterius, efficitur interius in eo ad quem est missio; hoc autem non necesse est esse in apparitione, et ideo missio addit ad apparitionem rationem efficiendi – contra: secundum Augustinum, in II et IV *De Trinitate*[7], Spiritus Sanctus missus est in specie columbae, quando apparuit super Christum in baptismo; sed in illa missione nihil[o] efficiebatur in Christo, sed solum demonstrabatur: nam ab instanti conceptionis suae fuit plenus gratia et veritate[8], et ab eodem instanti plene habitavit[p] in ipso Spiritus Sanctus; ergo missio de ratione sua non dicit effectum nec est ad efficiendum, sed ad demonstrandum; ergo cum ad hoc idem sit apparitio, nihil addit quod necessario sit de ratione sua ultra apparitionem.

7. Item, angelus, quotienscumque apparet visibiliter, etsi nihil efficiat in creatura rationali, dicitur mitti propter solam manifestationem[9]; ergo efficere aliquid in creatura vel inhabitare creaturam non est de ratione vel de[q] essentia missionis; ergo per hoc[r] non differt essentialiter ab apparitione.

Ex iis videtur quod nihil aliud sit visibilis missio quam apparitio.

Contra: *a.* Augustinus, II *De Trinitate*[10]: « Temerarium est dicere nunquam Deum Patrem per aliquas formas visibiles Patribus aut Prophetis

---

[a] B *creatura*. [b] PVSB *invisibilis*. [c] PVBG om. [d] L om. [e] V om. [f] RL om. [g] L om. [h] RL *illo*. [i] R *inspirationem*. [k] S add. *ex*, B *est vel*. [l] G corr. mg. *aliquid*, V om. *ad*. [m] P *ratione*. [n] V *in creatura* pro *i. c.* [o] V add. *aliud*. [p] L *inhabitavit*. [q] RL om. [r] VSBL add. *quod*, quod R exp.

1 Cap. 5, n. 10 (PL 42, 851).
2 Loc. cit.
3 Cf. Matth. 3, 16; Luc. 3, 22; Ioan. 1, 32.
4 Cf. Act. Apost. 2, 3.
5 Cap. 20, n. 28 (PL 42, 907).
6 Ioan. 1, 14. Cf. supra, p. 715b, n. 5.
7 Lib. II, c. 5, n. 10, et IV, c. 21, nn. 30, 31 (PL 42, 851, 910).
8 Cf. Ioan. 1, 14.
9 Cf. Augustin., *De Trinit.*, II ac III passim et IV, c. 21, n. 31 (PL 42, 910).
10 Cap. 17, n. 32 (PL 42, 866), ad sensum.

apparuisse », et hoc ostendit per Scripturas; sed Pater non legitur missus nec concedit Augustinus Patrem esse missum; ergo non sunt idem missio visibilis et apparitio.

b. Item, Filius et Spiritus Sanctus in Veteri Testamento multotiens apparuerunt, et tamen neuter eorum dicitur missus, sicut dicit Augustinus[1]. Unde videtur dicere quod apparitiones Veteris Testamenti non dicuntur proprie missiones; ergo non omnino est idem visibilis missio et apparitio.

c. Item, qui mittitur, ab alio mittitur et[a] ad alium; ergo missio habet essentialem comparationem ad illud a quo et ad illud ad quod; sed apparitio non dicit essentialem[b] comparationem ad illud a quo; ergo apparitio non est missio.

IL Ratione huius quaeritur, cum apparitiones illae quae fuerunt in Novo Testamento, scilicet Filii et Spiritus Sancti, dicantur missiones, quare non similiter illae in quibus Filius et Spiritus Sanctus apparuerunt in Veteri Testamento dicuntur missiones. Item, cum tam Filius quam Spiritus Sanctus apparuerint visibiliter[c] in Veteri Testamento antiquis Patribus et missi sint ad ipsos invisibiliter, quare non similiter visibiliter missi sunt ad ipsos[d]?

[Solutio]: I. Ad hoc dicendum quod sicut apparitio est manifestatio essentiae invisibilis in aliqua specie visibili[e] — et hoc sumitur ex verbis Augustini, in libro *De Trinitate*[2], in pluribus locis — ita[f] quod apparitio claudit in[g] intellectu suo illud quod manifestatur tamquam invisibile[h] et illud in quo manifestatur tamquam visibile[i]: similiter missio visibilis est manifestatio missionis invisibilis, facta in creatura visibili, et hoc per aliquem actum creaturae corporalis ut in creatura corporali significetur persona missi, in descensu vero creaturae et mansione super illum, ad quem dirigitur, significetur missio sive[k] inhabitatio Spiritus Sancti, ut in descensu et mansione columbae super Christum et in adventu ignis et sessione super Apostolos. Unde quando in creatura significatur Filius vel Spiritus Sanctus ut inhabitans, tunc proprie dicitur mitti.

Ex hoc patet quod missio visibilis in intellectu suo claudit missionem invisibilem et superaddit manifestationem illius missionis per aliquod signum visibile. In intellectu autem missionis invisibilis, significatae in missione visibili[l], clauditur persona mittentis et persona eius qui mittitur et persona eius ad quem fit missio et effectus[m] sive ratio missionis, qui[n] est inhabitatio creaturae rationalis per aliquem effectum gratiae gratum facientis[3]: est enim[o] missio ad inhabitandum. Quando ergo significatur persona missi in aliquo signo sensibili ut ab alio exiens vel emanans et ut in alio inhabitans, tunc proprie dicitur visibiliter mitti: et hoc non invenitur in qualibet apparitione. Ex hoc apparet quod omnis visibilis missio est apparitio, sed non e converso, et quid[p] addit missio ad apparitionem, scilicet manifestationem personae missae ut emanantis ab alio et ut inhabitantis in alio; ubi autem significatur aliqua persona vel manifestatur in visibili[q] creatura non sub istis rationibus, dicitur apparitio, sed non missio, ut[r] in apparitionibus Veteris Testamenti. Per iam dicta patet quare non dicitur Pater missus, sed solum mittens, quia missio importat emanationem ab alio: mittere enim dicit auctoritatem respectu missi, sicut supra ostensum est[4].

II. Similiter patet quare apparitiones illae sive Filii sive Spiritus Sancti, quae fuerunt in Veteri[s] Testamento, non dicuntur missiones, quia non ostendebant personam Filii vel Spiritus Sancti ut inhabitantem nec ostendebatur aliquis actus in illis apparitionibus in quibus significaretur persona Spiritus Sancti ut inhabitans, sicut in Novo Testamento ostendebatur in mansione[t] super Christum, Ioan. 1,33: *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum* etc., et in sessione[u] super Apostolos, Act. 2,3: *Seditque supra singulos eorum* etc. Licet enim forsitan Danieli ostenderetur Filius Dei ut accipiens regnum a Patre et Pater ut dans regnum, qui ostensus est ei in vetere dierum, Dan. 7,14, sicut ostendit Augustinus, V libro *De Trinitate*[5], et ita appareret ibi Filius ut existens a Patre, non tamen significabatur per aliquem actum ut[v] inhabitans in Daniele, nec ad hoc ostendendum erat illa apparitio, sed solum ad ostendendam emanationem Filii a Patre et aequalitatem cum Patre et ad praefigurandam futuram inhabitationem divinitatis in Christo homine, in quo habitavit *omnis plenitudo divinitatis* etiam *corporaliter*[6].

---

[a] Ita RL, alii om. [b] VS *essentialiter*. [c] BGL *invisibiliter*, quod P corr. [d] B *eos*. [e] S *visibiliter*. [f] PVBG om., in S est add. mg. [g] L om. [h] PVBG *visibile*, quod S corr. [i] PVBG om. *et illud... visibile*, in S est add. mg. [k] Ita RL, alii *et*. [l] PVSBG *invisibili*. [m] S *affectus*. [n] V *que*. [o] Ita RL, alii *autem*. [p] PBG *quia*, S *et quia* pro *e. q.* [q] R *invisibilis* pro *i. v.* [r] Ita RL, alii *apparitionibus dicitur missio apparitio, sed ratio missionis* pro *rationibus... ut*. [s] PVSG *novo*, quod S corr. [t] G *manumissione*. [u] V add. *Spiritus Sancti*. [v] L *sit*.

1 *De Trinit.*, III passim ac IV, cc. 19 et 20, nn. 25-30 (PL 42, 905 sqq.).
2 Lib. II et III ex integro (PL 42, 757 sqq.).
3 Cf. supra, num. 512.
4 Cf. supra, p. 698b, *ad 3*.
5 Rectius lib. II, c. 18, n. 33 (PL 42, 866).
6 Col. 2, 9.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod obicitur ex auctoritate Augustini [a]: dicendum quod Augustinus non ponit ibi [b] totam rationem missionis visibilis, sed solum rationem eius quod est visibile. Quod enim [c] illa missio sit visibilis, tota ratio est [d] ex parte creaturae visibilis, sicut processionis temporalis, in qua intelligitur aeterna, non est tota ratio effectus temporalis, sed est [e] tota ratio quare illa processio dicatur temporalis. Similiter apparitio in specie corporali non est tota ratio missionis visibilis, sed est ratio quare illa missio dicatur visibilis.

2. Ad aliud solvendum per interemptionem, quod non semper dicuntur Filius et Spiritus Sanctus mitti, quia temporaliter veniunt ad nos, quia etiam Pater cum Filio et Spiritu Sancto dicitur venire ad inhabitandam creaturam, Ioan. 14, 23: *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Sed cum significatur ut veniens a Patre ad inhabitandam creaturam rationalem vel ad significandam praecedentem inhabitationem, tunc dicitur mitti. Vel in Novo Testamento nomine Spiritus Sancti intelligitur proprietas qua ipse est a Patre per processionem, nomine sessionis vel mansionis super Christum significatur inhabitatio spiritualis qua [f] ipse inhabitavit Christum, et haec est tota ratio missionis: quae non sunt de ratione apparitionis.

3. Ad aliud dicendum similiter quod tota ratio missionis invisibilis non est manifestatio personae, sed manifestatio personae ut [g] emanantis ab alio et inhabitantis in alio. Unde dicit Augustinus, IV *De Trinitate* [1]: « Sicut natum esse est Filio a Patre esse, ita mitti est cognosci quod ab illo [h] sit; et sicut Spiritui Sancto Donum Dei esse est a Patre procedere, ita [i] mitti est cognosci quod ab illo procedat »; hoc autem est in aliquo effectu gratiae gratum facientis appropriato [k] personae, quia secundum illam solam dicitur inhabitare: similiter in missione visibili haec habent exprimi in aliquo actu creaturae corporalis, ita quod in specie corporali exprimatur persona, in actu vero aliquo, ut in descensu vel mansione, ipsa inhabitatio.

4. Ad aliud quod obicitur de angelis: dicendum [l] quod angelus est medius [m] inter nos et Deum et est minister vel nuntius Dei respectu nostri, et ideo quidquid efficit vel nuntiat nobis vel quandocumque visibiliter apparet nobis, auctoritate Dei facit; et ideo in omni opere suo salvatur ratio missionis, quia omnes sunt ministri [n] et in ministerium [o] missi [2], quia a Deo sunt et Dei auctoritate veniunt ad nos. Sed non sic est in personis divinis, quia aliqua persona est quae non est ab alia nec auctoritate alterius [p] operatur vel apparet: et ideo in ipsa [q] potest esse apparitio, non tamen missio passive dicta, et salvari ratio apparitionis, sed non missionis; plus tamen exigitur ad missionem [r] secundum quod dicitur de personis quam secundum quod dicitur de angelis, quia alia et alia est ratio missionis, sicut iam videbitur [3].

5. Ad aliud quod quaeritur quid addit missio visibilis ultra apparitionem, iam patet responsio: quia addit manifestationem personae in quantum existentis ab alio et [s] existentis in alio tamquam inhabitantis vel possessae [t] ab illo, quia in missione efficitur ut persona missa ad nos habeatur a nobis et inhabitet in nobis: et hoc est alio modo esse quam in aliis creaturis, sicut ostensum est supra [4]. — Ad illud quod obicitur in contrarium per auctoritatem Augustini: dicendum quod non vult dicere Augustinus quod esse natum de Patre non sit de ratione missionis Filii, sed quod illud non est tota ratio missionis visibilis; sed apparere in carne tamquam *Verbum caro factum.* Unde per utrumque definit Augustinus missionem, cum dicit, II *De Trinitate* [5]: « Exire a Patre et venire in mundum [6] hoc est visibiliter mitti ». Et quia utrumque complectitur missio et non alterum tantum, apparitio autem amplectitur alterum tantum, scilicet manifestationem personae vel essentiae divinae [u] in creatura sensibili, non sunt omnino idem.

6. Ad illud [v] quod quaeritur 'utrum addat super apparitionem rationem efficiendi': dicendum quod missio visibilis addit ad apparitionem demonstrationem alicuius effectus existentis in creatura, secundum quem dicitur inhabitare Filius vel Spiritus Sanctus vel etiam possideri vel haberi in ratione fructus, sed non oportet quod [x] in missione visibili primo efficiatur, sed sufficit quod primo effectus visibiliter demonstretur; unde sufficit quod in missione visibili demonstretur persona missi, scilicet Filii vel Spiritus Sancti, in ratione inhabitantis [y] vel habiti a creatura cui facta est missio visibilis, sicut fuit in Christo. Unde patet illud quod obiciebatur de Christo, quia non

---

[a] PVSBG *Augustino* pro *a. A.* [b] PVSBG om. [c] PVSBG *autem.* [d] PVSBG add. *quod.* [e] P om. [f] V om., in P est add. interl. [g] V om. [h] G *alio.* [i] PVSBG *et.* [k] VG *appropriatio.* [l] R add. *est.* [m] PVSBG *medium.* [n] G *missi.* [o] V om. *m. e. l. m.* [p] PVSBG *illius.* [q] SG *ipso.* [r] L *de missione* pro *a. m.* [s] VB add. *non,* R add. *ut,* G add. mg. *etiam* (exp. *non.*). [t] B *posse esse.* [u] Codd. add. *non;* R *natura* pro *creatura.* [v] V *aliud.* [x] R om. [y] G *habitantis.*

1 Cap. 20, n. 29 (PL 42, 908).
2 Cf. Hebr. 1, 14.
3 Cf. p. 738a, *ad 7.*
4 Cf. supra, p. 736a, *Solutio.*
5 Cap. 5, n. 7 (PL 42, 849).
6 Cf. Ioan. 16, 28.

oportet quod Spiritus Sanctus in illa missione tunc primo haberetur vel primo inhabitaret, sed sufficit quod datio vel inhabitatio Spiritus Sancti, sibi [a] prius invisibiliter facta, visibiliter postea [b] demonstraretur: quod non oportet in apparitione.

7. Ad illud quod obicitur quod 'in missione angeli non exigitur quod inhabitet creaturam vel efficiatur aliquid per [c] quod habeatur a creatura': dicendum quod alia est ratio missionis in angelis et in personis divinis. Angelus enim mittitur ut [d] minister vel nuntius ad aliquid nuntiandum vel efficiendum; unde etsi nihil efficiatur, nihilominus tamen dicitur angelus mitti, et hoc est quia missio eius qui mittitur ut minister non sumit rationem ex parte eius ad quem mittitur, sed sufficit quod solum [e] moveatur ad efficiendum, et hoc auctoritate alterius [1]. Sed Filius et Spiritus Sanctus non mittuntur sicut ministri, sed sicut donum mittitur alicui; quando autem aliquid mittitur in ratione doni, donum illud non habet completam rationem missionis donec habeatur et [f] possideatur ab eo cui mittitur. Unde non est completa ratio missionis in personis divinis donec per aliquem effectum habeatur et inhabitet creaturam ad quam mittitur, nec vere manifestatur ut missus nisi habeatur et possideatur. Praeterea, in missione oportet quod missus vel sit ubi non erat prius vel sit ibi alio modo quam prius; in missione autem angeli, qui non est ubique, salvatur ratio missionis sine auctoritate mittentis ubi non erat prius; sed personae divinae cum [g] non possint esse ubi non erant prius [h], cum sint ubique, oportet quod sint ubi erant prius, alio tamen [i] modo quam prius, ita quod ille alius modus dicat mutationem [k] ex parte creaturae, non ex parte missi [2]. Unde oportet quod ratione mutationis [l] creaturae salvetur in ipsis ratio missionis, cum non possit salvari totaliter ex parte missi; hoc autem non est necesse in missione angeli [m], ubi totaliter potest salvari ex parte missi, quia mutatio secundum locum potest convenire ei.

515

CAPUT II.

AD QUID SIT MISSIO VISIBILIS.

Secundo quaeritur ad quid sit missio visibilis [3]. Et cum dictum sit supra [4] quod sicut apparitio est manifestatio divinae essentiae vel personae in aliqua specie visibili, ita missio visibilis est manifestatio missionis invisibilis facta in creatura visibili, quaeritur utrum creatura visibilis sit utilis vel necessaria ad manifestationem missionis invisibilis.

Et videtur quod non: 1. Nam quantumcumque appareat creatura visibilis, non ostenditur per illam nisi creatura corporalis, nisi [n] adsit revelatio per quam ducatur [o] intellectus ad cognoscendum aliquid spirituale invisibile per illam significari; sed illa revelatio est cognitio verior et certior quam sit illa quae est a sensu, quae etiam est sufficiens sine omni creatura corporali; si ergo habens cognitionem certam et perfectam non indiget occupari circa cognitionem imperfectam, ergo videtur quod demonstratio illa facta in corporali creatura non sit utilis vel necessaria ad manifestationem rei invisibilis.

2. Item, sicut ostensum est supra [5], in missione invisibili, cum datur [p] aliquis effectus, appropriatur personae missi, per quem [q] potest cognosci persona [r] missi, et hoc patet per definitionem missionis supra positam [6]; ergo cum ille effectus spiritualis, secundum quem persona non solum habet cognosci, sed inhabitare, sit magis expressivus [s] personae quae mittitur et etiam ipsius inhabitationis quam creatura aliqua corporalis, videtur quod ultra illum effectum superfluat species corporalis.

3. Item, affectus circa bona visibilia occupatus minus surgit ad invisibilia; ergo et similiter intellectus, ut videtur; ergo si debet ad perceptionem invisibilium elevari, non debet ei fieri ostensio visibilium; quod si fiat, videtur impediri potius quam iuvari.

4. Item, in missione Spiritus Sancti venit Spiritus Sanctus ad inhabitandum [t], et hoc non per effectum quemcumque, sed per effectum gratiae gratum facientis; sed iste adventus [u] occultissimus est, Iob 9,11: *Si venerit ad me, non videbo eum,* nec est

---

[a] PVSBG *ibi*, V om. *Sancti*. [b] B *invisibiliter* pro *v. p.* [c] Ita R, alii om. [d] V om. *m. u.* [e] PVSBG *solummodo*. [f] L *ut*. [g] PVSG om. [h] B om. *sed... prius*. [i] B *autem*. [k] PVSG *imitationem*. [l] PVBG *missionis*, quod S corr. [m] G om. [n] V *non*, quod P corr. [o] B *dicatur*. [p] R om. [q] PVSBG *quam*. [r] PVB *persone*, et om. *missi*, in S est add. mg. [s] PVG *expressius*. [t] L *habitandum*. [u] RL *eventus*.

1 Cf. supra, p. 737a, *ad 4*.
2 Cf. supra, p. 732a, *Solutio*.
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 16, a. un., q. 2 (I, 280sqq.).
4 Cf. supra, p. 736a, *Solutio*.
5 Cf. supra, num. 503.
6 Cf. supra, loc. cit.

expediens homini [a] ut ei manifestetur se habere gratiam vel Spiritum Sanctum, sed sicut dicitur, Eccle. 9, 1: *Nemo scit utrum amore vel odio dignus sit.* Cum ergo apparitio illa, qua dicitur Spiritus Sanctus mitti visibiliter vel apparere in specie columbae vel alterius creaturae, ordinetur ad ostensionem inhabitationis Spiritus Sancti in homine per aliquem effectum gratiae, et hoc non sit homini viatori utile, non videtur utilis species visibilis creaturae.

5. Item, si manifestatio missionis invisibilis necessaria est, et hoc per speciem creaturae, ergo cum non solum ad Christum vel ad Apostolos missus sit, si [b] ista missio visibilis habet aliquam utilitatem, videtur quod adhuc debeat remanere, cum etiam ad homines mittatur quotidie, sicut dicit Augustinus [1]; ergo deberet in aliquo signo visibili adhuc manifestari.

6. Item, in Veteri Testamento magis per visibilia erat manuductio ad invisibilia quam in Novo; sed in Veteri Testamento mittebatur invisibiliter Spiritus Sanctus ad Patres Veteris Testamenti; ergo illa missio deberet in aliquo signo visibili manifestari vel si tunc non erat necessaria huiusmodi manifestatio, videtur quod nec modo; sed tunc non fuit necessaria [c], sicut ostensum est prius [2]; ergo nec modo debet esse.

Contra [d]: *a.* Cognitio nostra [e] incipit a sensu [3]; ergo si debeamus elevari ad cognitionem invisibilium, necessaria videtur et utilis aliqua excitatio in sensu per aliquod sensibile signum; unde *fides* dicitur esse *ex auditu* [4], non tantum interiori, sed etiam exteriori; ad cognoscendum ergo missionem invisibilem non est superflua species corporalis.

b. Item, familiarius offert [f] suam praesentiam qui se offert secundum [g] sensum et intellectum quam qui secundum alterum; sed in missione invisibili est solum ostensio facta intellectui et non sensui; ergo cum in missione visibili sit effectus obiectus visui et non tantum intellectui, non videtur esse superflua.

c. Item, in missione invisibili Spiritus Sancti non tantum datur donum gratiae creatum, sed etiam donum increatum: unde et datur gratia et ipsa persona Spiritus Sancti; sed per signa sensibilia exteriora ostenditur donum creatum, quod est gratia, ut patet in sacramentis; ergo in signis sensibilibus debet etiam ostendi persona Spiritus Sancti; ergo ad ostensionem missionis invisibilis utilis est species corporalis.

d. Item, signa sensibilia sunt utilia ad ostensionem potentiae et virtutis divinae, ut patet in miraculis; ergo signa sensibilia erunt utilia ad ostensionem praesentiae [h] divinae; sed familiarissime est praesens Spiritus Sanctus [i] ubi inhabitat per gratiam; ergo illa inhabitatio debet ostendi per signa sensibilia; non ergo superfluit missio visibilis.

Solutio: Ad hoc dicendum quod missio visibilis, ut dictum est [5], est ad demonstrationem personae ut inhabitantis per gratiam; sed non est ad demonstrationem cuiuscumque inhabitationis, sed illius inhabitationis quae est per plenitudinem gratiae in alios [k] rendundantis, qualis fuit in Christo et aliquo modo in Apostolis, sicut iam videbitur [6]. Item, non quibuscumque fienda erat manifestatio, sed sensibilibus sive rudibus nondum adhuc per doctrinam et miracula provectis. Nam quidam quaerunt signa, ut sensibiles [l] quibus primo innotescit fides; quidam vero intelligentiam, sicut illi qui iam confirmati sunt per doctrinam et miracula: quaerentes signa per haec manuducuntur ad intelligibilia et propter tales est utilis missio visibilis; missio ergo visibilis est ad manifestationem plenitudinis redundantis, et hoc personis manuducendis per sensum.

Notandum autem [m] quod in Christo fuit influentia plenitudinis dupliciter, scilicet per modum causae et per modum doctrinae: per modum causae efficientis quoad divinam [n] naturam et per modum causae meritoriae quantum ad humanam, et iis duobus modis est influentia [o] gratiae in sacramentis per quae regenerantur homines, ut in Baptismo et Confirmatione et aliis. Influentia per modum doctrinae fuit in praedicatione eius in qua accepimus de plenitudine eius veritatem, quia fuit *plenus gratiae et veritatis,* Ioan. 1, 14; plenitudo ergo gratiae fuit redundans in sacramentis, plenitudo veritatis in verbo praedicationis, quia *gratia et veritas per Iesum Christum facta est* [p 7]. Adveniente ergo plenitudine temporis [8], revelanda erat plenitudo inhabitationis quando illa plenitudo redundare coepit, et hoc sensibilibus et nondum [q] adhuc in fide provectis. Hoc autem fuit quando Christus baptizatus fuit et praedicare coepit: tunc

---

[a] B *ei.* [b] G *sed.* [c] RL om. [d] PVSBG *Item.* [e] R *ista.* [f] B add. *speciem.* [g] PVSBG *per,* G om. *se.* [h] Ita RL, alii *potentie.* [i] G *scilicet* pro *S. S.* [k] PVBG *aliquod,* quod S corr. [l] B *rudes.* [m] B *ergo.* [n] G *divisionem.* [o] PVSBG *influentie.* [p] V *sunt.* [q] L *si de.*

1 Cf. supra, p. 730, litt. *a.*
2 Cf. supra, 736b, *II.*
3 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 8 (III, 471).
4 Rom. 10, 17.
5 Cf. supra, num. 514.
6 Cf. hic, parum infra, sub *Notandum.*
7 Ioan. 1, 17.
8 Cf. Gal. 4, 4.

enim redundare coepit plenitudo gratiae ipsius per modum influentiae, quia data est tunc vis regenerativa aquae Baptismi, et plenitudo veritatis eius per modum doctrinae, quia tunc praedicare coepit et veritatem fidei influere, et ideo quia plenitudo eius coepit influere in alios, debuit per signa sensibilia manifestari, ut doctrinae eius citius crederetur. In Apostolis autem fuit plenitudo gratiae descendens a plenitudine Christi et etiam quodam modo plenitudo influentiae, scilicet per modum doctrinae et per modum ministerii. Nam de plenitudine veritatis Christi accepimus ex doctrina Apostolorum, de plenitudine gratiae per ministerium ipsorum in dispensatione sacramentorum. Et ideo quando Apostolis data est auctoritas docendi et baptizandi, Matth. ultimo, 19: *Ite*[a], *docete omnes gentes, baptizantes eos* etc., datus est eis visibiliter Spiritus Sanctus primo in flatu, quando dictum est[1]: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis* etc.[b], ad ostendendam inhabitationem Spiritus Sancti quantum ad effectum gratiae redundantis per modum ministerii; deinde in linguis igneis ad ostendendam inhabitationem Spiritus Sancti quantum ad effectum plenitudinis veritatis redundantis in alios per modum doctrinae; nam sicut dicitur, Ioan. 16, 13: *Cum venerit Spiritus veritatis, ille*[c] *docebit vos omnem veritatem;* et ista redundantia etiam apparebat[d] in dono linguarum. Sic ergo patet qualiter et quo tempore manifestanda erat inhabitatio[e] Spiritus Sancti in missione[f] visibili tam in capite quam in membris, ut primo[g] manifestaretur in illo de cuius plenitudine accepimus, eo tempore quo coepit illa plenitudo redundare et deinde in illis quorum ministerio de plenitudine eius accepimus, eo tempore quo per ipsos dispensanda erat, et hoc fuit post resurrectionem et ascensionem.

Per praedicta patet quare non fuit missio visibilis tempore legis scriptae, quia non erat inhabitatio in plenitudine in alios redundante, quousque venit plenitudo temporis, quando apparuit ille qui erat *plenus gratiae et veritatis*[2], *de cuius plenitudine omnes accepimus*[3]. Similiter patet quare non modo datur sive mittitur visibiliter, quia iam manuducti sumus ad fidem, sicut non ita frequenter fiunt miracula sicut fiebant antequam fides esset declarata et praedicata. Patet etiam ad quid sit utilis missio visibilis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod 'necessaria est aliqua revelatio et illa sufficit ad manifestationem inhabitationis': dicendum quod verum est, nec tamen superfluit apparitio, quia excitat intellectum[h] ad inquisitionem et sic excitando praeparat ad revelationem, sicut est in fide. Licet enim gratia interius illuminans intellectum requiratur et illa possit sufficere, tamen excitatur intellectus in praedicatione et miraculorum operatione et maxime in sensibilibus, nec illa propter hoc superfluunt.

2. Ad aliud[i] quod obicitur quod 'magis declaratur missio invisibilis per effectum spiritualem quam per signum sensibile': dicendum quod verum est, quando percipitur illud signum invisibile sive effectus, sed non semper[k] percipit homo se habere illum effectum, et si aliquando percipiat, non tamen alii percipiunt, propter quos principaliter est missio visibilis sive apparitio, ut acquiescant doctrinae et subiciant se ministerio eorum ad quos mittitur visibiliter Spiritus Sanctus.

3. Ad illud quod obicitur quod 'visibilia impediunt intellectum sicut affectum', dicendum quod visibilia possunt dupliciter considerari: vel ut res absolute vel ut signa ducentia[l] in aliud. Primo modo si considerentur et amentur, retardant intellectum et affectum; secundo modo iuvant, et sic est in apparitione sive missione visibili, quia ibi consideratur creatura ut signum faciens aliud in intellectum venire[m].

4. Ad aliud dicendum quod adventus Spiritus Sancti in hominem est occultus nec expedit ut omnibus[n] manifestetur, ne[o] forte sumatur occasio praesumptionis vel elationis, illis tamen qui ita sunt[p] confirmati per gratiam ut non possint per haec[q] moveri ad elationem, sed potius ad devotionem[r] et amorem, expedit revelatio sive notitia istius[s] adventus, sicut fuit Christus qui non poterat peccare, et Apostoli qui fuerunt confirmati in adventu Spiritus Sancti et etiam de quibus noverat Dominus quod inde non superbirent, sed potius ex ista[t] manifestatione tam ipsi quam alii per ipsos proficerent, qui scilicet per ipsos crediturі erant.

5-6. Ad alia duo, scilicet quare modo non est utilis missio visibilis et quare non fuit in Veteri Testamento, patet solutio ex praedictis[4].

---

[a] B om. [b] Codd. add. *et;* B *ite* pro *q. r.* [c] PVSBG om. [d] PVSBG *apparebit.* [e] PVSBG *habitatio.* [f] L *visione.* [g] V *prius.* [h] G om. [i] P *illud.* [k] VG om., P om. *n. s.*, B om. *non.* [l] PVSBG *inducentia.* [m] P nota mg.: *Est enim signum quod preter speciem quam ingerit sensibus aliquid aliud faciens in cognitionem venire, ut in prima dist. sen[tentiarum] dicitur. G.* [n] PVSBG *hominibus.* [o] PVSBG *nisi.* [p] PVSBG om. [q] PVSBG om. *p. h.* [r] L *despotionem.* [s] VS *ipsius.* [t] S *ipsa.*

1 Ioan. 20, 2sq.
2 Ioan. 1, 14.
3 Ioan. 1, 16.
4 In hoc eodem capite.

CAPUT III. 516

CUIUS SIT MISSIO VISIBILIS.

Tertio quaeritur cui conveniat missio visibilis, utrum scilicet Patri vel tantum Filio et Spiritui Sancto [1]; et cum disputatum sit supra utrum missio conveniat Patri [2] et missio visibilis addat ad missionem invisibilem [a] manifestationem in aliqua specie corporali [3], utrum apparitio [b] in aliqua specie sensibili sive corporali conveniat Patri.

Quod autem Pater apparuerit in aliqua specie corporali, ostenditur. *a.* Dicit enim Augustinus [c], II *De Trinitate* [4]: « Temerarium est dicere Deum Patrem nunquam Patribus aut Prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse ».

b. Item, in eodem [5]: « Nemo sani capitis affirmare debet nunquam personam Patris per aliquam speciem corporalem vigilantium oculis demonstratam [d] ».

c. Item, in eodem [6]: « Natura vel substantia vel essentia, vel quolibet alio nomine appellandum est id ipsum quod Deus est, quidquid illud est, corporaliter videri non potest; per subiectam vero creaturam non solum Filium vel [e] Spiritum Sanctum, sed etiam Patrem corporali specie sive similitudine mortalibus sensibus significationem sui [f] dare potuisse, credendum est ».

d. Item, sicut necessaria est ad salutem fides de Filio et Spiritu Sancto, ita et de Patre; sed apparitio ordinatur ad manifestationem personae et illa manifestatio ad fidem; ergo sicut Filius apparuit vel Spiritus Sanctus, ita debuit et Pater apparere.

e. Item, non solum Filius vel Spiritus Sanctus [g] veniunt ad inhabitandam creaturam, sed etiam Pater; unde, Ioan. 14,23: *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus;* ergo sicut Filii praesentia manifestata est in carne et praesentia Spiritus Sancti in columba et [h] igne, ita et praesentia Patris debuit manifestari in aliqua specie corporali; ergo et apparere.

Contra: 1. Augustinus, IV *De Trinitate* [7], et habetur in I libro *Sententiarum*, 15 dist. [i], cap. ultimo [8]: « Non ideo Pater dicitur misisse Filium vel Spiritum Sanctum quod ille esset maior et illi minores, sed maxime propter auctoritatem principii commendandam, et quia in visibili creatura non sicut illi apparuit ». Ergo Pater non apparuit in aliqua visibili creatura [k] sicut Filius vel Spiritus Sanctus.

2. Item, Matth. 11,27: *Nemo novit Patrem nisi Filius et cui voluerit Filius revelare;* et dicitur ibi in Glossa [9] quod « Pater Verbo suo se declarat »; ergo manifestatur Pater in manifestatione Filii, secundum illud Ioan. 14,9: *Qui videt me, videt et Patrem.* Si ergo apparitio ordinatur ad manifestationem personae et sufficienter manifestatur Pater in manifestatione Filii, ad manifestationem Patris sufficit apparitio Filii; ergo superflua esset apparitio Patris; ergo non fuit necesse vel conveniens ut Pater appareret in aliqua visibili specie.

3. Item, veritas magis manifestata est in Novo quam in Veteri Testamento; sed in nulla visibili specie legitur Pater apparuisse in Novo Testamento; ergo multo fortius nec debuit apparere in Veteri.

4. Si dicatur quod persona Patris manifestata est in aliquo signo sensibili [l], sicut in voce, cum dictum est [10]: *Hic est Filius meus* [m] etc. – hoc non videtur solvere, quia principaliter quaeritur de manifestatione quae fuit in aliqua visibili specie. Nam illud quod manifestatur per vocem non videtur proprie dici 'apparere', sed solum illud quod oculis apparet in aliqua corporali specie.

5. Item, apparitiones quae fuerunt in Veteri Testamento non fuerunt solum in voce; unde ex textu Sacrae Scripturae ostendit Augustinus [11] quod « non solum in voce ostendit se Dominus Adae, sed etiam in aliqua corporali specie, quando dixit ei [12]: *Adam, ubi es?;* et hoc [n] ostenditur per hoc quod dicitur ibi [13]: *Dum deambularet Dominus in paradiso* » etc.; ergo si solum apparuit Pater in voce in Novo Testamento, in Veteri

---

[a] RL om. [b] RL *apparere.* [c] RL add. *in.* [d] G *demonstrativa.* [e] S add. *per.* [f] VSBG *significationi sue* pro *s. s.*; V *dari* pro *dare.* [g] B om. *ita debuit... Sanctus.* [h] V *columbe specie et* pro *c. e.*, L add. *in.* [i] PVSBG om. [k] G om. *non sicut... creatura.* [l] PVBG om., in S est add. mg. [m] L om. [n] R add. *idem*; L *ostendit* pro *ostenditur..*

[1] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 16, a. un., q. 3 (I, 283 sqq.).
[2] Cf. supra, num. 504.
[3] Cf. supra, num. 514.
[4] Cap. 17, n. 32 (PL 42, 866).
[5] Loc. cit., c. 18, n. 34 (PL 42, 868).
[6] Loc. cit., c. 18, n. 35 (PL 42, 868).
[7] Cap. 21, n. 32 (PL 42, 910 sq.), ad sensum.
[8] Cap. 10 (p. 101).
[9] *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 123), ex Beda, in h. l. (PL 92, 69).
[10] Matth. 3, 17.
[11] *De Trinit.*, II, c. 10 (PL 42, 355), ad sensum.
[12] Gen. 3, 9.
[13] Gen. 3, 8.

Testamento non solum in voce [a], sed etiam in aliqua visibili specie, in qua et loquebatur Patribus; ergo perfectiores, ut videtur, erant apparitiones in Veteri Testamento quam in Novo.

6. Item, si non apparuit Pater in Novo Testamento nisi in voce et non in aliqua visibili specie, quaeritur unde hoc, cum Filius et Spiritus Sanctus apparuerint in visibili specie et etiam cum Pater in Veteri Testamento apparuerit in visibili specie [b], sicut dicunt auctoritates supra positae [1].

7. Item, si Pater apparuerit quando auditus est in voce, quaeritur de numero apparitionum. Nam primo audita est vox Patris in baptismo Filii, Matth. 3,17; secundo, in transfiguratione, Matth. 17,5; tertio, imminente passione, quando dictum est, Ioan. 12,28: *Et clarificavi et iterum clarificabo.* Quaeritur ergo quare totiens demonstratus est Pater in voce.

8. Item, quando vox Patris audita est in baptismo et dictum est: *Hic est Filius meus* etc., additum [c] non est: *Ipsum audite;* in [d] transfiguratione autem, ubi verba eadem replicantur, dictum est [2]: *Ipsum audite.* Quaeritur unde est hoc.

9. Item, cum tam Filius quam Spiritus Sanctus apparuerint post resurrectionem, quaeritur quare Pater nec in voce nec alio modo apparuit [e].

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod Pater apparuit [f] in Novo et Veteri Testamento in aliqua specie sensibili, sed magis distincte in Novo quam in Veteri Testamento; unde magis fuerunt expressa signa in Novo quam in Veteri Testamento. In Veteri enim Testamento et [g] in lege naturae fuit ostensio numeri personarum, ut in [h] tribus viris qui apparuerunt Abrahae, Gen. 18,2; sed non exprimebatur ibi origo vel proprietas personarum, ut [i] in aliquo illorum innotesceret quae [k] esset persona Patris vel [l] Filii vel Spiritus Sancti; similiter nec in aliis apparitionibus ostendebatur quae [m] esset illa persona quae apparebat; unde indistincte et quasi confuse apparebant personae. Sed in lege scripta magis distincte apparebant, quia non solum ostendebatur numerus personarum, sed origo, scilicet quod una ab alia, ut in visione Danielis, in qua apparuit *Filius hominis* et etiam *antiquus dierum,* a quo ille accipiebat regnum, Dan. 7,14: in quo, sicut dicit Augustinus, intelligitur ordo unius personae ad aliam, ut Pater dans et Filius accipiens regnum [n]; unde intelligebatur unus habere auctoritatem respectu alterius, et ita quidam ordo insinuabatur, sed non ostendebatur Pater sub illa proprietate qua est Pater. In Novo autem Testamento non solum manifestatus est numerus sive [o] distinctio personarum in apparitione Patris et Filii et Spiritus Sancti, sed etiam origo et proprietas Patris et Filii, iis verbis: *Hic est Filius meus dilectus* etc. Nec in aliquo signo visibili potuit ita manifestari persona Patris sub proprietate qua est Pater sicut in voce sive in sono audibili: magis enim exprimunt verba quam facta. Et hoc patet in sacramento Confessionis; prius enim fuit expressio peccatorum per signa sensibilia, ut per oblationes et sacrificia; nam pro tali peccato instituebatur talis oblatio, sicut patet in Levitico [3]. Sed quia ista signa visibilia aliquantulum erant confusa, ideo sacramenta successerunt expressiora tempore gratiae revelatae et fit Confessio per verba quae sunt magis expressiva quam signa visibilia et in omnibus etiam sacramentis constituta est forma in verbis. Similiter adveniente tempore gratiae, revelante persona [p] Patris, quae prius ostensa erat per signa visibilia quasi confuse et indistincte, postea distincte et sub sua proprietate expressa est per verba quae sunt signa magis expressa ad ostendendum quoniam Christus est Filius Dei, et ideo Christus non tantum habuit testimonium humanum, ut testimonium Ioannis [4], sed etiam testimonium divinum, et hoc in verbo, ut testimonium Patris, et in facto, ut testimonium Spiritus Sancti descendentis et manentis super eum in specie columbae. Ex hoc patet quod [q] Pater apparuit in voce, tamquam scilicet in signo magis expressivo personae suae et personae Filii.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc ergo quod obicitur per auctoritatem Augustini: dicendum quod non negat Augustinus Patrem apparuisse, sed [r] apparuisse sicut illi in visibili specie et loquitur de apparitionibus quae fuerunt in Novo Testamento, sicut patet [s] ex auctoritate. Vult enim ostendere quod Filius non dicitur minor, quia missus et Pater mittens: unde loquitur de illis apparitionibus quae dicuntur fuisse in Novo Testamento, quia illae solae dicuntur missiones, et vult dicere quod Filius et Spiritus Sanctus alio modo apparuerunt, quia ut missi, Pater autem non apparuit sicut missus. Praeterea, licet Pater apparuerit in Veteri Testamento in visibili specie, sicut dicit auctoritas Augustini supra posita [t] [5], non tamen in Novo Testamento apparuit in specie visibili, sed solum audibili, et [u] ideo dicit

---

[a] S om. *in novo... voce,* RL om. *in.* [b] B om. *et etiam... specie.* [c] PVG *dictum,* B om. [d] L *et.* [e] S om. [f] RL add. *et.* [g] RL om. [h] PVSBG om. [i] PVSB om., in G est add. interl. [k] PVG *quod.* [l] P *et.* [m] V *quod.* [n] G om. *Dan. 7... regnum.* [o] PVBG om. *n. s.*, et habent *manifestata* pro *manifestatus.* [p] V *personam.* [q] L *quare.* [r] P om. [s] RL add. *manifeste.* [t] R *supposita.* [u] PVSG om.

[1] Cf. supra, p. 741b, sub n. 5.
[2] Matth. 17, 5.
[3] Cap. 19, 21..
[4] Cf. Ioan. 1, 32 sqq.
[5] Cf. p. 741b, sub n. 5.

Augustinus quod non apparuit in aliqua[a] specie visibili sicut illi; cuius ratio dicta est[1] et postea magis manifestabitur quare magis Pater apparuit in[b] tali specie quam aliae personae[2].

2. Ad aliud[c] quod obicitur quod 'sufficienter manifestatur Pater[d] habita cognitione de Filio': dicendum quod verum est, sed non habetur manifesta[e] cognitio de Filio quoniam Filius in ostensione speciei visibilis, sed habetur in expressione vocis. Unde fuit ibi expressio in voce, non tantum humana, quae erat in testimonio Ioannis, sed etiam divina, quae habebatur ut non solum ex testimonio proprio, sed etiam alterius personae, scilicet Patris, cuius est Filius; unde in Psalmo[3]: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu* etc.

3. Ad aliud dicendum quod licet Pater non apparuerit in aliqua visibili specie in Novo Testamento, non tamen oportet quin apparuerit in Veteri, quia in signo magis expressivo proprietatis Patris et Filii apparuit in Novo, in Veteri autem in[f] signo indistincte et quasi confuse exprimente personam Patris et Filii[g]. Et hoc congruebat[h] illi tempori, quia nondum adhuc plene manifestanda erat notitia veritatis, sed adveniente plenitudine temporis revelata fuit, et cucurrerunt signa secundum quod currebant tempora[i].

4. Ad illud quod obicitur quod 'manifestatio per vocem non dicitur apparitio, sed solum illud quod ostenditur oculis corporeis': dicendum quod falsum est. Nam apparitio aliquando dicitur manifestatio facta in aliquo effectu[k] intelligibili oblato intellectui, Sap. 1,2: *Apparet autem iis qui fidem habent in illum;* aliquando vero dicitur manifestatio in aliqua similitudine corporali oblata imaginationi, et hoc modo dicitur angelus apparuisse[l] in somnis, Matth. 2,13, et etiam ipse Dominus Danieli, Dan. 7,13: *Aspiciebam in visione*[m] *noctis* etc., et Salomoni, III Reg. 3,5; tertio modo dicitur apparitio manifestatio in aliquo signo sensibili oblato sensui, sive illud signum sit visibile sive audibile: et hoc modo apparuit Pater in Novo Testamento, Matth. 3,17, et 17,5, et Ioan. 12,28; quarto modo dicitur apparitio manifestatio facta in aliqua similitudine corporali sensibili oblata[n] visui: et sic usitatiori modo dicitur apparitio. Ex hoc patet quod[o] non solum manifestatio in signo visibili, sed etiam[p] audibili, dicitur apparitio.

5. Ad illud quod obicitur quod 'perfectiores fuerunt apparitiones in Veteri Testamento, ubi Pater manifestatus est utroque modo, scilicet in signo audibili et visibili, quam in Novo, ubi altero tantummodo apparuit': dicendum quod hoc sequeretur si illa signa vel aliquod illorum signorum esset ita expressivum personae Patris, sicut fuit illud in quo manifestatus est in Novo Testamento; sed in nullo illorum signorum, in quibus Pater apparebat in Veteri Testamento, exprimebatur persona Patris sive proprietas qua Pater est Pater, sicut in voce illa qua dictum est: *Hic est Filius meus* etc., et in illa qua dictum est[a]: *Et clarificavi et iterum clarificabo.* Nam praemissum erat: *Pater, clarifica Filium tuum* etc., Ioan. 12,28. Unde non sequitur si in utroque signo, scilicet visibili et audibili, apparuit, quod propter hoc perfectior esset apparitio, quia nulla illarum fuit ita expressiva sicut ista.

6. Ad illud[b] quod quaeritur quare Pater non apparuit in aliqua visibili specie sicut in Veteri Testamento, patet responsio ex praedictis: quia in nulla[c] visibili specie posset exprimi proprietas, qua Pater est Pater vel qua Filius est Filius[d], sicut in voce.

Si autem quaeratur quare similiter non apparuit Spiritus Sanctus in aliqua voce sive signo audibili vel etiam Filius: dicendum quod congruitas fuit ut sicut erat distinctio in personis, ita esset distinctio in signis[e] exprimentibus personas. Unde Filius apparuit in rationali creatura sibi unita in unitate personae, Spiritus Sanctus in irrationali[f] creatura visibili, non unita in[g] unitate personae; Pater vero[h] in voce tamquam signo distincto ab utroque; similiter in transfiguratione Pater in voce, Filius in propria specie, scilicet in humanitate, Spiritus Sanctus in nube. Sed quando[i] Spiritus Sanctus solus apparuit, tunc apparuit[k] utroque modo, scilicet in sono tamquam in signo audibili et in linguis igneis tamquam in[l] signo visibili; non autem congruebat ut Filius appareret nisi in creatura assumpta, hoc est in humana natura. Praeterea, dabatur in voce Patris testimonium Filio; unde tam Pater quam Spiritus Sanctus apparuerunt ad testimonium ferendum Filio incarnato. Unde de testimonio Patris dicitur, I Ioan. 5,9: *Hoc est testimonium Dei, quod maius, quia testificatus est nobis de Filio suo* etc.; de testimonio Spiritus Sancti dicitur ibidem[4]: *Spiritus*[m] *est qui testificatur*[n] *quoniam Iesus est veritas.* Unde testimonium Patris fuit in signo maxime expressivo

---

[a] R om. [b] B om. [c] RL *illud;* B *dicendum* pro *q. o.* [d] PVSBG *pre.* [e] P *manifestata.* [f] VRL om. [g] P nota mg.: *In Exodo: Dixit Deus pater ad Moysen: Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. Ergo in veteri Testamento apparuit in aliqua corporali specie. G.;* L *et* pro *vel.* [h] PVBG *congruit,* quod S corr. [i] P nota mg.: *Quia secundum diversitatem temporum debent variari statuta causarum: novis enim morbis nova antidota oportet preparari. Pravus enim est medicus qui uno colirio oculos omnium vult sanare, ut canones dicuntur (sic). G.* [k] V *affectu.* [l] SRL *apparere.* [m] PVSBG *visu.* [n] B add. *sensui.* [o] L *et.* [p] R add. *in.*

[a] S om. *q. d. e.* [b] RL *hoc,* B *id.* [c] PVB *illa,* quod G corr. [d] L om. [e] B om. *i. e. d. i. s.* [f] B *rationabili;* V om. *sibi... creatura.* [g] B om. [h] V *enim.* [i] L *quoniam.* [k] VSBG om. *t. a.* [l] PVBG om. *i. i. t. i.,* in S est add. mg. [m] PVSBG add. *Sanctus.* [n] PVSBG *attestatur.*

[1] Cf. supra, p. 742a, *Solutio.*
[2] Cf. infra, p. 743b, *Si autem quaeratur.*
[3] Psalm. 2, 7.
[4] Cap. 5, 6.

personae Filii, scilicet in voce; sed ne crederetur quod vox illa dirigeretur ad Ioannem vel ad aliam personam, apparuit Spiritus Sanctus in specie visibili super Christum, ut insinuaretur quod ad Christum dirigebatur vox illa. Unde Ioan. 1,33: *Super quem videris Spiritum descendentem* etc. Praeterea, Spiritus Sancti proprietas est procedere per modum spirationis et per modum nexus sive amoris [1], qui « est copula amantis et amati [2] », et ista proprietas potest exprimi in signo visibili; unde Ioan. 20,22, ostensa est proprietas qua [a] procedit per modum spirationis, quando insufflavit eis, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum* etc., deinde proprietas qua procedit per modum amoris, quo Pater et Filius diligunt se et nos, quando descendit in specie ignis super Apostolos, Act. 2,3. Sed proprietas generationis non ita poterat exprimi in specie visibili, sed solum in signo [b] audibili, per quod signum non solum manifestabatur persona Patris, sed etiam Filii sub proprietate filiationis.

7. Ad aliud dicendum quod persona Patris apparuit ad perhibendum testimonium de Filio incarnato ut crederetur illius praedicationi, et ideo apparuit in principio praedicationis, quando scilicet debuit praedicare, Matth. 3,17 et Marc. 1,11 et Luc. 3,22; deinde vero in progressu praedicationis, scilicet in transfiguratione, Matth. 17,5 et Marc. 9,6 et Luc. 9 [c],35; tertio vero in fine suae praedicationis, instante hora passionis, Ioan. 12,28. — Praeterea, duo quae praedicata sunt a Christo erant valde difficilia ad credendum, scilicet fides incarnationis et fides resurrectionis: nam fides passionis poterat de facili persuaderi, quia ille, qui debebat pati, erat in carne passibili et mortali. Ideo ergo postquam praedicaverat Ioannes fidem [d] incarnationis, approbata est eius praedicatio per testimonium Patris in voce illa: *Hic est Filius meus dilectus.* Deinde vero praedicata est fides resurrectionis primo coram discipulis secreto, deinde coram turbis, Ioan. 12,28, quando petiit Christus clarificationem [e] sui. Et quia etiam in cordibus discipulorum non poterat cadere fides resurrectionis, immo non intelligebant quod Christus dixerat eis pluries [3] quod Filius hominis, postquam occisus fuisset, tertia die resurgeret, ideo ostendit aliquibus discipulis claritatem resurrectionis: et [f] tunc adfuit vox Patris perhibens testimonium Filio, ut crederetur quantum ad articulum resurrectionis; unde tunc additum est: *Ipsum audite.* Deinde vero coram turbis et discipulis omnibus, quando dictum est: *Et clarificavi et iterum clarificabo.* Et ideo dicitur Pater [g] apparuisse in voce, primo ad adstruendam fidem incarnationis sive divinitatis apparentis in carne, praedicatam [h] a Ioanne, deinde ad adstruendam fidem resurrectionis praedicatam a Christo, primo coram discipulis paucis, deinde coram omnibus [i] discipulis et turbis.

8. Ad aliud dicendum quod Christus [k], quando baptizatus fuit, nondum habebat discipulos sive auditores praedicationis suae nec manifestatus [l] erat per miracula: unde non erant qui discrederent ei; sed in progressu suae praedicationis, assumptis iam discipulis et instructis in fide divinitatis quam confessus est Petrus et in [m] eo alii discipuli, Matth. 16,16, instruxit eos de fide passionis et resurrectionis; et [n] quia quantum ad illam fuerunt discipuli increduli nec intelligebant mysterium glorificationis Christi [o] post passionem, ideo testimonio resurrectionis, quando [p] debebat iterum Christus replicare coram turbis, additum est: *Ipsum audite,* quia per praedicationem Ioannis et testimonium Patris instructi erant de incarnatione; in principio autem adhuc nullus inceperat discredere ei sive praedicationi eius, quia nondum praedicaverat. — Alio modo potest dici quod praedicante Ioanne Christus non praedicavit nec operatus est miracula nisi occulte, quia nolebat Dominus ut praedicante Ioanne alii, qui audiebant Ioannem, adhaererent Christo: praedicatio enim Ioannis suo tempore debuit currere, sed postquam missus est Ioannes in carcerem, tunc coepit Christus praedicare publice, sicut habetur [q] Marc. 1,14. Ideo in primo testimonio Patris non est dictum: *Ipsum audite,* quia noluit [r] praedicationem Ioannis adhuc cessare, sed solum [s] post praedicationem eius [t] et missionem eius in carcerem voluit illos Christo adhaerere, et ideo tunc dictum est: *Ipsum audite,* scilicet in transfiguratione. Tamen addit Ecclesia illud quod non addunt Evangelistae; unde in quadam antiphona, quae cantatur in octavis Epiphaniae [4], additur: *Ipsum audite.*

9. Ad aliud dicendum quod apparitio Patris in voce fuit ad perhibendum testimonium de Filio et quantum ad eius incarnationem et quantum ad eius resurrectionem futuram; apparitio autem Filii post resurrectionem fuit ad ostendendam resurrectionem iam factam et ad hoc maxime necessaria fuit ostensio praesentiae Filii ut ostenderetur quod ille idem, qui passus fuerat, vivebat post mortem. Unde addebat ad ostensionem factam in

---

[a] S *quam.* [b] PVSG *sono.* [c] PVG om. *e. L. 9,* in S est add. mg. [d] VG *fide.* [e] RL *claritatem.* [f] B *quia.* [g] B om. [h] P *predicatum.* [i] V exp. [k] B *ipse.* [l] B *manifestus;* PVSBG om. *suae.* [m] S *cum.* [n] PVSBG om. [o] PVBG om., in S est add. mg. [p] SRL *quam.* [q] V add. *in.* [r] G *voluit.* [s] B om. [t] RL om.

[1] Cf. supra, num. 306-308.

[2] Augustin., *De Trinit.,* VIII, c. 10, n. 14 (PL 42, 960).

[3] Cf. Matth., 20, 19; Marc. 10, 34, Luc. 18, 33sqq. Ioan. 2, 19sqq.

[4] In antiquo Breviar. Romano, in octava Epiph. ad Laudes, antiph. 5: « Vox de caelo sonuit et vox Patris audita est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite ». Cf. Bibl. Florent. Laurent. cod. Gadd. 205, f. 70d.

transfiguratione, quia illa ostendebat gloriam Christi futuram post mortem, apparitio post resurrectionem [a] ostendebat ipsam resurrectionem iam factam. Unde ad adstruendam resurrectionem iam factam [b] nullum erat ita certum testimonium sicut de visu, et ideo non necessarium fuit Patris testimonium, ubi evidens erat signum. Apparitio autem Spiritus Sancti non solum erat ad testimonium Christi, sed etiam illorum per quos Christus debebat innotescere. Unde sicut apparuit super Christum, quando debuit baptizari et praedicare ad ostendendam redundantiam plenitudinis [c] gratiae per modum causae, et plenitudinis [d] veritatis per modum doctrinae, ita [e] apparuit super Apostolos eo tempore quo ista plenitudo coepit redundare per modum doctrinae et per modum ministerii Apostolorum [1]. Et ideo ut testibus Christi crederetur, necessaria fuit apparitio Spiritus Sancti ut inhabitantis per redundantiam plenitudinis descendentis a Christo. Sed testimonium Patris, quod [f] ordinabatur ad ostendendam praesentiam Filii sui in carne, cessavit [g] postquam mortuus est, quia ad adstruendam [h] mortem eius non erat necessarium testimonium, quia visu poterat fides haberi; nec etiam ad faciendam fidem de resurrectione, quia ad hoc sufficiebat apparitio Filii in eadem carne, per quam sufficienter poterat certificari.

CAPUT IV. 517

PER QUOS ADMINISTRATA SIT MISSIO VISIBILIS.

Quarto quaeritur per quos administrata sit missio visibilis, utrum illae species sive voces, in quibus apparuit Pater vel Filius vel Spiritus Sanctus, administratae sint per angelos, ita ut angeli formarent species illas [i] et voces, vel personae visibiliter apparentes assumerent [k] illas species in quibus visibiliter [l] apparebant et formarent eas.

Quod autem huiusmodi ostensiones per angelos administratae sint *a.* videtur Augustinus ostendere multis auctoritatibus et rationibus, in libro *De Trinitate*. Unde dicit, in III libro *De Trinitate* [2]: « Omnia, quae [m] Patribus visa sunt, cum Deus illis secundum [n] suam dispensationem temporibus congruam praesentaretur, per creaturam facta esse manifestum est; etsi nos latet quomodo ea ministris angelis fecerit, per angelos tamen facta esse non ex nostro sensu dicimus, ne cuiquam *plus* videamur *sapere quam oportet sapere* [3]: extant enim auctoritates Scripturarum, ex quibus mens nostra deviare non debet ».

b. Item, in eodem, scilicet in fine tertii [4]: « Antiquis Patribus nostris ante incarnationem Salvatoris, cum Deus illis apparere dicebatur, voces illae ac species per angelos factae sunt ».

c. Si dicatur quod illae species, in quibus apparuit Dominus in Veteri Testamento, per angelos administratae sunt, et de illis loquitur Augustinus, sicut patet; sed illae species, in quibus apparuit vel visibiliter missus est Filius in Novo Testamento vel Spiritus Sanctus [o], non per angelos, sed per ipsum Dominum factae sunt: unde Filius per se, non per angelum assumpsit carnem, in qua visibiliter apparuit, et Spiritus Sanctus [p] columbam, et Pater per se, non per angelum, formavit [q] vocem in qua auditus est; unde et per hoc videtur Augustinus assignare differentiam inter apparitiones Veteris et Novi Testamenti – contra: Augustinus, IV *De Trinitate*, ultimo capitulo [r 5]: « Si [s] quaeritur post incarnationem Verbi quomodo facta sit vel vox Patris vel species corporalis, in qua Spiritus Sanctus demonstratus est: per creaturam quidem ista facta non dubito »; et sequitur paulo post: « Quomodo tamen ista sine rationali vel intellectuali creatura potuerunt fieri, non video ». Ergo voces illae, in quibus Pater apparuit in Novo Testamento vel species illae in quibus visibiliter demonstratus est Spiritus Sanctus cum [t] missus est, per angelos administratae sunt.

d. Item, Gregorius, in [u] *Moralibus* [6]: « Verbis per angelum Dominus loquitur, cum per imaginem nihil ostenditur, sed [v] supernae verba locutionis audiuntur, sicut dicente Domino [7]: *Pater, clarifica Filium tuum* etc., protinus respondetur [8]: *Et clarificavi* etc. »; et sequitur: « Nimirum de caelestibus loquens, verba sua, quae audiri ab hominibus voluit, rationali administrante creatura formavit ». Ergo omnes [x] ostensiones illae, quae factae sunt

---

[a] V add. *eius*. [b] R om. *unde... factam*. [c] B *plenitudinem* pro *r. p.* [d] S om. *g. p. m. c. e. p.* [e] PVSBG *ideo*. [f] V *qui*. [g] PVBG om., in S est add. mg. [h] PVSBG *ostendendam*. [i] G *spiritus illos* pro *s. i.* [k] PVBG om., in S est add. mg. [l] RL om. [m] B add. *a*. [n] L *per*. [o] R om., L exp. [p] B om. [q] L *formari*. [r] PVSBG *libro*. [s] PVSBG *sed*. [t] RL *quando*. [u] L om. [v] PVSBG *sic*. [x] RL om.

1 Cf. supra, p. 739b sq.
2 Cap. 11, n. 22 (PL 42, 882).
3 Rom. 12, 3.
4 Cap. 11, n. 27 (PL 42, 886), ad sensum.
5 Cap. 21, n. 31 (PL 42, 910), ubi et sequens.
6 Lib. XVIII, c. 1, n. 4 (PL 76, 449), ubi sequens.
7 Cf. Ioan. 17, 1.
8 Cf. Ioan. 12, 28.

in Novo [a] Testamento, non solum illae quae [b] in Veteri, administratae sunt per angelos.

e. Item, sicut nobilior est creatura rationalis quam irrationalis, ita nobiliores sunt illae operationes [c] quae habent fieri in creatura rationali quam quae in [d] irrationali; sed operationes interiores, quae sunt in anima, ut revelationes et excitationes et huiusmodi, non semper fiunt immediate a Deo, sed fiunt mediante creatura [e] angelica: unde angelorum [f] officium est purgare, illuminare et perficere [g] [1]; ergo multo fortius ostensiones exteriores et operationes, quae fiunt in creatura irrationali, non fiebant immediate a Deo, sed dispensabantur [h] per ministerium angelorum; ergo videtur quod voces et species corporales, in quibus ostensus est Dominus in Novo Testamento, administratae sunt per angelos.

f. Item, ad nobilitatem divinae essentiae pertinet operari per ministerium ea quae possunt fieri per ipsum. Unde etiam, sicut dicit Augustinus [2], in operibus miraculosis sunt ministri angeli quantum ad ea quae possunt, ut est praeparare materiam et huiusmodi: nam non omnia [i] subiecta sunt potentiae angelicae; unde etiam in opere incarnationis fuerunt angeli nuntii [3] et in operibus iustificationis sunt medii in iis quae possunt, ut est excitare intellectum vel [k] affectum, et etiam in generali resurrectione in [l] collectione pulverum [4]; ergo et in iis missionibus visibilibus et apparitionibus erunt medii in iis quae possunt per [m] ipsos administrari; sed huiusmodi species vel voces per se possunt formare; ergo [n] videtur quod in formatione earum angeli sint ministri.

Ex iis ergo videtur quod [o] in missione corporali vel etiam apparitionibus sive Novi sive Veteris Testamenti quoad ista exteriora angeli sint ministri.

Contra: 1. Augustinus, III *De Trinitate* [5], exponit illud Apostoli ad Hebr. [6]: *Si enim qui dictus per angelos sermo, factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia iustam accepit retributionem, quomodo nos effugiemus* [p] *si tantam neglexerimus salutem?* Dicit enim ibi: « Ut ostenderet de Novo Testamento id dicere, id est sermone qui non *per angelos*, sed per ipsum Dominum *factus est* ». Ergo in Novo Testamento loquebatur Dominus per se, non per angelum; ergo et eadem ratione formabat species in quibus apparebat; ergo missio visibilis vel Spiritus Sancti vel Filii non est administrata per angelos [q].

2. Item, quando introducit Augustinus [7] species et voces in Veteri Testamento formatas per angelos, vult per hoc assignare differentiam inter apparitiones Veteris et Novi Testamenti, sicut patet ibidem, et ad hoc ostendendum adducit auctoritates; ergo si per hoc assignatur differentia, videtur quod ad minus apparitiones, quae fuerunt in Novo Testamento, non sunt administratae per angelos.

3. Item, apparuit visibiliter Filius in carne quando missus est in mundum, et Spiritus Sanctus in columba quando missus est ad Christum; sed carnem, in qua apparuit Filius [r], non formavit angelus, sed immediate ipse Deus; ergo similiter columbam, in qua apparuit Spiritus Sanctus, non formavit angelus, sed immediate Deus [s] sive Spiritus Sanctus.

4. Item, si illas species et voces formavit et movit angelus et uniebatur illis sicut motor, ergo in illis speciebus non poterat vere dici mitti vel apparere Spiritus Sanctus, sed potius angelus vel ad minus uterque missus est et [t] apparuit in illis speciebus; sed hoc est falsum, immo solus Spiritus Sanctus dicitur apparuisse et missus fuisse; ergo non per angelum fuerunt huiusmodi species formatae vel administratae.

5. Item, quae ratio [u] erat ut in Novo seu in Veteri Testamento apparitiones illae [v] administrarentur per angelos? sive melius erat ut ipse Dominus assumeret creaturam in qua appareret, ut per hoc distingueretur apparitio Domini ab apparitione angeli, quia aliquando apparebat Dominus, aliquando angelus; ergo etc.

[Solutio]: Ad hoc dicunt quidam quod aliter est de apparitionibus Veteris et Novi Testamenti [x], quia, sicut dictum est [8], in Veteri Testamento species illae in quibus apparuit Dominus et voces mediantibus angelis sunt formatae et administratae: unde in eadem apparitione in Veteri Testamento aliquando loquitur Scriptura in persona angeli, aliquando in persona Domini, ut in eodem facto modo dicatur angelus loqui, modo Dominus; sed in Novo Testamento species illae, in quibus apparuit Dominus, non per angelum, sed per ipsum Dominum immediate sunt assumptae; unde in illis non dicitur angelus, sed solus Dominus apparuisse. Et hoc videtur dicere Augustinus,

---

[a] G *veteri.* [b] B om. [c] PVSBG *apparitiones.* [d] RL om. *q. i.* [e] G *natura.* [f] RL *eorum.* [g] VG *proficere.* [h] L add. *de specie.* [i] P *omnino.* [k] P om. [l] L *et.* [m] RL om. [n] PVSBG *quare.* [o] R om. [p] PVSBG *fugiemus.* [q] RL *angelum.* [r] V *Christus.* [s] G om. *ergo... Deus.* [t] PVG *vel.* [u] G corr. mg. *necessitas.* [v] R *iste.* [x] R om.

1 Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hierarch.*, c. 3, § 2 (PG 3, 166, PL 122, 1044).
2 *De Trinit.*, speciatim lib. III, c. 9, n. 18 (PL 42, 878sq.).
3 Cf. Luc. 1, 26 sqq.
4 Cf. Dan. 12, 2; I Thessal. 4, 15.
5 Cap. 11, n. 22 (PL 42, 882).
6 Cap. 2, 2.
7 Cf. *De Trinit.*, III, c. 11, n. 27 (PL 42, 886).
8 Cf. supra, p. 745a, sub litt. *a* et *b*.

assignans per hoc differentiam inter apparitiones Novi et Veteris Testamenti. Et hanc dicunt esse rationem quare apparitiones Veteris Testamenti non dicuntur missiones, sed solum apparitiones, Novi[a] dicuntur missiones. — Sed contra[b] hoc sunt auctoritates supra positae [1], quae sunt satis expressae. Propter quod dicendum quod omnes illae apparitiones, excepta illa apparitione qua Filius apparuit in carne, per angelos sunt administratae. Unde species et voces per angelos formatae sunt sive in Novo[c] sive in Veteri Testamento, et concedo auctoritates et rationes quae adducebantur pro illa parte.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud[d] autem quod primo obicitur in contrarium per auctoritatem Augustini, quae dicit quod in Novo Testamento loquebatur Dominus per se[e], non per angelum: dicendum quod ipse non loquitur de quacumque locutione, sed de illa qua loquebatur Filius apparens in carne, quae non est facta per angelum, sed per ipsum Dominum, de qua ad Hebr. 1, 1: *Novissime diebus istis*[f] *locutus est nobis in Filio*[g] etc., sicut manifeste patet ex praecedentibus et subsequentibus[h] in originali.

Per hoc patet solutio ad aliud. Nam Augustinus non intendit assignare differentiam inter apparitiones Veteris et Novi Testamenti generaliter, sed inter apparitiones illas quibus apparuit Filius in Veteri Testamento et in Novo. Nam in Veteri species illae formatae sunt[i] per angelos; sed humanitas, assumpta a Filio, non est assumpta vel formata ab angelo, sed formata a Deo et assumpta a Dei Filio; non tamen illud oportet de aliis apparitionibus, in quibus apparuit Pater vel Spiritus Sanctus.

3. Ad illud[k] quod obicitur quod 'sicut carnem non formavit angelus, in qua visibiliter apparuit Filius quando missus est in mundum, ita nec columbam debuit formare in qua apparuit Spiritus Sanctus quando missus est ad Christum': dicendum quod non est simile, quia caro illa fuit assumpta in unitate personae; unde Christus uniebatur illi carni nobilissima unione, nec in illa unione congruebat ut esset principium alia[l] natura quam divina cui uniebatur, sed ab eo moveretur et formaretur cui uniebatur[m]. Angelus etiam in iis quae ordinabantur immediate ad reconciliationem humani generis, non debuit esse medius, sed solum ille cui competebat esse mediator, qui scilicet erat Deus et homo; et ideo in formatione corporis Christi vel in administratione eorum quae in persona Christi agebantur, non debuit angelus esse administrator, sed solus ille qui erat mediator. Illae autem species, in quibus apparuit Pater vel Spiritus Sanctus, non fuerunt unitae ei, ita ut ex illis et Spiritu Sancto fieret unum in persona, nec ordinabantur nisi ad ostendendam praesentiam ipsius Dei, id est Patris vel Spiritus Sancti: unde mediante[n] alia creatura nobiliori potuit[o] movere huiusmodi creaturam sumptam ad ostendendam[p] suam praesentiam, scilicet mediante creatura angelica, et hoc congruebat, sicut videbitur [2].

4. Ad illud quod obicitur quod 'potius deberet dici in illa apparitione apparere vel mitti angelus quam Spiritus Sanctus': respondet Augustinus, in III *De Trinitate* [3], assignans rationem, quare potius dicatur [4]: *Dixit Dominus ad Moysen* quam 'dixit angelus', cum verba illa[q] formaret angelus, dicens sic: « Cum[r] verba iudicis praeco nuntiat, non scribitur in gestis 'praeco dixit', sed 'iudex dixit'. Sic etiam loquente Propheta sancto, etsi dicamus 'Propheta dixit', nihil aliud quam Dominum dixisse volumus, et si dicamus 'Dominus dixit', Prophetam non subtrahimus, sed quis per eum dixerit[s] admonemus ». Licet ergo esset angelus[t] qui formaret voces illas et species, quia tamen non in persona sua, sed in persona Domini loquebatur, nec praesentiam suam, sed praesentiam Domini demonstrabat, ideo dicitur non angelus, sed Spiritus Sanctus vel Pater loqui vel apparere vel etiam visibiliter mitti, quia omnia haec sunt ad indicandam praesentiam Domini et non angeli.

5. Ad illud[u] quod quaeritur quare Spiritus Sanctus non formavit illam columbam vel Pater vocem immediate: dicendum quod hoc pertinet ad excellentiam divinam et etiam ad excellentiam rationalis creaturae. Ad excellentiam enim divinam pertinet operari per ministrum in iis in quibus potest minister, ad excellentiam etiam ministri pertinet ministrare Creatori in iis in quibus potest. Unde cum angeli superiorem habeant Deum, inferiores corporales creaturas, pares rationales, competit et sibi et Creatori ut sint medii in administratione creaturarum corporalium et irrationalium[v]. Congruit ergo superiori operari per ministrum, competit etiam ministro habere auctoritatem respectu eorum quae infra ipsum sunt. Unde cum assumitur corporalis creatura irrationalis

---

[a] R add. *testamenti.* [b] R *circa.* [c] P add. *testamento.* [d] PB *aliud.* [e] G om. *p. s.* [f] B om. *d. i.* [g] L *Dominus et Filius* pro *n. i. F.* [h] RL *sequentibus.* [i] G om. [k] V *aliud.* [l] G *aliqua.* [m] PVG om. *sed... uniebatur,* in S est add. mg. [n] L *immediante.* [o] V *poterit,* quod G corr. [p] L *emendandam.* [q] PVSBG om.; L *formari* pro *formaret.* [r] B om. [s] RL *perdixerit,* V *diximus;* B *quid* pro *quis.* [t] R om. [u] P *aliud.* [v] S *rationalium.*

1 Cf. supra, p. 745a.
2 Cf. hic, *ad 5.*
3 Cap. 11, n. 23 (PL 42, 882).
4 Exod. 3, 11 et alibi saepissime.

ad ostendendam praesentiam divinam, competit ut administretur per angelicam, tamquam mediam inter ipsam et suum Creatorem, et ideo [a] huiusmodi missiones visibiles per angelos administrantur; natura autem corporalis in Christo non fuit subiecta alicui creaturae nisi beatae animae suae.

518

CAPUT V.

QUIBUS MODIS MANIFESTATA SIT MISSIO VISIBILIS.

Consequenter quaèritur quibus modis [b] manifestata sit missio per creaturas sensibiles. Nam missio Filii, sicut dicit Augustinus[1], manifestata est in carne et missio Spiritus Sancti in columba et igne.

I. Quaeritur ergo qualiter persona apparens [c] vel missa dicatur esse in illis sensibilibus creaturis in quibus apparet vel mittitur[2].

1. Et cum Deus dicatur esse in creaturis, scilicet communiter, sicut est in omni creatura per essentiam, praesentiam et potentiam, et specialiter, sicut est in sanctis per gratiam, et singulariter [d], sicut est in Christo per unionem[3]: quaeritur quo istorum modorum dicitur Spiritus Sanctus fuisse in columba, in qua apparuit, vel in igne [e]. Non secundo vel tertio modo, quia creatura irrationalis [f] non est capax praesentiae divinae secundum illos modos; ergo solum secundum primum modum; sed ille modus essendi in creatura communis est cuilibet creaturae; ergo in qualibet creatura dicetur mitti vel apparere.

2. Item, in illa sensibili creatura dicebatur mitti Spiritus Sanctus, non Pater aut Filius; ergo in illa creatura erat [g] alio modo quam Pater vel Filius. Quaeritur ergo quis sit ille alius [h] modus. Si dicatur quod erat ibi sicut in signo – tunc quaeritur: aut illud signum fuit a natura vel ex institutione. Si a natura: ergo pari ratione et omnis alia columba. Si ab institutione: quaeritur quis instituit. Item, si est [i] ex institutione significans, constat quod rem sacram, scilicet Spiritus Sancti inhabitationem vel Spiritum Spiritum ut inhabitantem; ergo habuit rationem sacramenti.

3. Item, cum triplex sit in nobis vis cognitiva, scilicet intellectus, imaginatio et sensus, et secundum hanc triplicem vim [k] determinetur triplex genus visionis, scilicet corporalis, imaginaria et intellectualis[4], videtur quod similiter debeat esse triplex genus missionis; ergo sicut determinatur [l] unum genus missionis penes effectum intelligibilem, qui se offert intellectui, quae dicitur missio invisibilis [m], et aliud penes signum aliquod sensibile quod se offert sensui, quae dicitur missio visibilis, ita debet determinari aliud genus missionis penes aliquam similitudinem sive [n] signum quod se offert imaginationi. Quaeritur ergo quare non apparuit Dominus[5] in aliqua similitudine imaginaria sicut similitudine corporali, cum in Veteri Testamento utroque modo apparuerit: in specie corporali Abrahae, Gen. [o] 18, 1, et in similitudine oblata imaginationi, sicut in somnis Danieli, Dan. [p] 7, 13, et Salomoni, III Reg. 3, 5.

II. Item, quaeritur de differentia [q] manifestationis Filii et Spiritus Sancti.

1. Nam, cum aeque nobilis persona sit Spiritus Sanctus ut Filius, ergo in aeque nobili creatura debuit manifestari sicut Filius. Quaeritur ergo quare missio Filii manifestata est in rationali creatura tantum, missio vero [r] Spiritus Sancti in irrationali tantum [s].

2. Item, Filius apparuit uno modo tantum et in una sola creatura. Quaeritur ergo quare similiter [t] Spiritus Sanctus non apparuit uno modo et in una creatura.

3. Item, quaeritur specialiter de missione Spiritus Sancti visibili, cum fuerit manifestata in columba et flatu et igne: quaeritur ergo quare tot modis apparuit et quare in alia specie in capite quam in membris.

[Solutio]: I. Ad primum dicendum quod missio Filii manifestata est in carne, missio vero Spiritus Sancti in columba et flatu et igne; sed alio modo dicitur esse Filius in creatura assumpta ad manifestationem sui, alio modo Spiritus Sanctus. Unde notandum quod, sicut tangebatur[6], alio modo dicitur esse Deus in [u] rationabilibus creaturis, alio modo in irrationabilibus, alio modo in Christo. In rebus autem irrationabilibus dicitur [v] esse

---

[a] S *ratio.* [b] R *quomodo* pro *q. m.* [c] R om. [d] B *similiter.* [e] PVBG *signis* pro *i. i.* [f] V *rationalis.* [g] PSB *aut,* V *et,* quod G corr. [h] PVSBG om. [i] VS om. [k] B om. [l] B *determinavit.* [m] PVSB *intelligibilis.* [n] PVSBG *sicut.* [o] PVSBG *Abacuc* pro *A. G.* [p] B om. [q] PVSBG *gratia.* [r] R om. [s] B om. *missio... tantum.* [t] R om. [u] P om., R om. *Deus.* [v] PVSBG *ostenditur.*

1 Cf. supra, p. 730a, sub litt. *a.*
2 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 16, a. un., q. 3 (I, 283 sqq.).
3 Cf. supra, p. 726a.
4 Cf. supra, p. 21a.
5 Nempe in Novo Testamento. Cf. p. 749b, *ad 3.*
6 Cf. supra, p. 748b, sub n. 1.

dupliciter: vel sicut causa in effectu vel sicut significatum in signo. Sicut causa [a] in effectu dicitur esse generaliter in omnibus creaturis essentialiter, praesentialiter et potentialiter, quia ipse habet esse in eis sicut tenens in esse et regens eas, quia quaelibet creatura quantum ad hoc recipit influentiam a Deo, aliter cederet in nihilum. Sicut autem significatum in signo dicitur esse dupliciter: nam est quoddam signum, quod est in creatura irrationali a natura, quoddam ex institutione. Ex natura dicitur creatura omnis, etiam irrationalis, esse signum totius Trinitatis quantum ad conditiones, penes quas determinatur vestigium Trinitatis, quae sunt in omnibus creaturis, sicut est unitas, veritas, bonitas naturalis, modus, species et ordo [1] et huiusmodi, penes quae devenitur in cognitionem Trinitatis [b] quoad ea quae sunt appropriata personis: et hoc modo sicut in vestigio vel signo naturali impresso a creatione, dicitur esse tota Trinitas in omnibus creaturis. Ex institutione etiam [c] dicitur aliquando creatura esse signum praesentiae Creatoris: et hoc modo non dicitur esse in omnibus irrationabilibus creaturis, sed in aliquibus. Sed est quoddam signum institutum ad significandam praesentiam divinam quoad aliquem effectum, et hoc simpliciter et non ad tempus, sicut est in sacramentis, quae instituta sunt ad significandam praesentiam divinam sive Spiritum Sanctum quoad effectum aliquem gratiae: unde quotienscumque transeunt verba super elementum ad hoc institutum, eo modo quo institutum est, habet rationem sacramenti; unde sacramentum Baptismi institutum est in aqua ut semper habeat fieri in aqua et non in alio elemento, et sic de aliis: et hoc modo dicitur Deus esse in sacramentis alio modo quam in creaturis aliis irrationabilibus. Unde praeter illum modum, quo [d] est ibi sicut causa in effectu speciali, est ibi sicut significatum in signo ad hoc specialiter et ad semper instituto. Est autem [e] aliud signum institutum ad significandam praesentiam divinam, sed non quantum ad omne tempus, sed quantum ad aliquod tempus, et hoc modo dicitur fuisse in columba et flatu et [f] igne, quando apparuit super Christum et super Apostolos: non enim columba assumpta erat signum naturale, sed institutum a Deo sive a Spiritu Sancto ad significandam praesentiam suam, et non semper, sed ad tempus, scilicet quamdiu mansit super Christum: et ipsa assumptio ad hoc demonstrandum [g] erat eius institutio, et quamdiu fuit [h] assumptio, tamdiu fuit signum. Et hoc etiam modo patet quod Deus non [i] est in omnibus creaturis, sed in illis quas vult assumere ad suam praesentiam demonstrandam. Cum ergo quaeritur qualiter Spiritus Sanctus erat in columba: dicendum quod sicut significatum in signo instituto sive assumpto ad tempus ad [k] eius praesentiam demonstrandam; in Christo autem fuit non solum sicut in signo, sed sicut unitus [l] carni unitate personali, et hoc non ad tempus, sed ad semper, et hic est modus singularis, qui [m] non reperitur in alia creatura [n].

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet solutio ad primum.

2. Ad secundum similiter iam patet responsio [2], quia Spiritus Sanctus erat [o] in columba alio modo quam Pater, scilicet tamquam in signo assumpto vel formato ad suam praesentiam demonstrandam, et ipsa assumptio vel formatio propter talem finem fuit institutio. — Ad illud quod obicitur quod 'cum significaret rem sacram, habebat rationem sacramenti': dicendum quod significare non tantum est de ratione sacramenti Novae Legis, sed etiam efficere, quod non erat in illo signo. Praeterea, non erat institutum ad semper, sed ad tempus, nec in remedium, sed solum in testimonium Christi, quod scilicet inhabitabat ipsum Spiritus Sanctus quantum [p] ad plenitudinem gratiae et veritatis.

3. Ad aliud dicendum quod non est nisi duplex genus missionis, scilicet visibilis et invisibilis [q], quia non mittitur Spiritus Sanctus nisi vel [r] ad inhabitationem creaturae rationalis vel ad inhabitationem illam demonstrandam aliis. Primum est in effectu invisibili [s] gratiae gratum facientis; secundum [t] in aliqua specie visibili creaturae corporalis. Missio autem visibilis non est propter illos ad quos mittitur visibiliter Spiritus Sanctus, sed propter alios qui crediturі erant propter [u] doctrinam eorum. Similitudo autem oblata imaginationi nec est ad inhabitationem nec etiam ad demonstrationem [v] aliis faciendam, sed illi soli cui offertur illa species; sed species corporalis plurium sensibus poterat offerri, et ideo illam voluit [x] Spiritus Sanctus ad demonstrationem sui assumere, non autem imaginariam [y], quae non habet offerri nisi uni nec etiam ita excitat intellectum nec movet intellectum sicut corporalis, unde nec ita praeparat

---

[a] S *etiam.* [b] PVG *veritatis.* [c] B om. [d] PVSBG *qui.* [e] G om. [f] L *in.* [g] PVSBG *monstrandum.* [h] S add. *eius.* [i] V om. [k] B om. [l] PVBG *unito*, quod S corr. [m] PVSBG add. *etiam.* [n] P nota mg.: *Natura enim humana assumpta a Filio Dei unita fuit Filio Dei in ypostasi Filii Dei, et ita persona Filii Dei non assumpsit personam filii hominis, set naturam, alioquin essent ibi due persone et ita in Trinitate essent IIII^or persone, quod est hereticum dicere. Nec assumpsit humanitatem, id est humanam naturam in carne peccati, set in similitudine carnis peccati; defectus etiam nostros assumpsit, set peccata non assumpsit, tamen velud hyrcus supra se et velud onager supra humeros suos: quod fuit mirabile et nota dignum. G.* [o] PSBG om. [p] R om., S *scilicet quantum.* [q] L om. *e. i.* [r] B om. [s] PVSBG *invisibilis.* [t] G *solum.* [u] Ita B, alii *per.* [v] S om. *n. e. a. d.* [x] SB *noluit.* [y] VG *imaginativam.*

[1] Cf. supra, num. 111.

[2] Ex dictis in *Solutione.*

ad revelationem illius visionis. Apparitiones autem illae, quae non sunt missiones, quae non determinantur sive ordinantur nec ad inhabitationem faciendam nec ad illam demonstrandam nec etiam ordinantur ad aliquid innotescendum nisi illis personis quibus fiunt apparitiones, possunt fieri secundum omne genus visionis, sicut illae apparitiones quae fuerunt in Veteri Testamento et [a] aliquae etiam in Novo, quae non erant ad demonstrationem personarum, sed alicuius alterius. Unde illa visio, quam vidit Petrus de disco pleno diversis generibus animalium, fuit imaginaria, sicut dicitur Act. 10, 10. Praeterea, in visione imaginaria est similitudo rei, sed [b] in visione corporali est res et non solum rei similitudo. Apparitio autem in similitudine aliqua sive alicuius rei competebat illi tempori in quo nondum erat adhuc [c] veritas revelata, sed per similitudines rerum demonstranda; apparitio autem in ipsis rebus, in quibus est [d] veritas rei et non similitudo tantum, congruebat illi tempori in quo iam revelata erat veritas. Unde competebat ut apparitiones fierent in creaturis, quae vere essent creaturae et non tantum creaturarum similitudines, ita quod in illis vere [e] esset Spiritus Sanctus, et signum demonstrans non esset tantum similitudo rei demonstrantis, sed vera res. Unde columba assumpta a Spiritu Sancto vera res fuit et vere erat in illa et attestabatur veritati iam exhibitae. Unde veritas illa [f] faciebat similitudinem suam in sensu et postea in imaginatione, et erat gratia revelans intellectui [g] quid per illam significabatur: ideo noluit [h] Deus apparere in illo tempore in aliqua similitudine oblata imaginationi, sicut in Veteri, quia illud magis conveniebat [i] illi tempori quam isti.

II. 1. Ad aliud dicendum quod assumptio carnis non ordinabatur solum ad ostendendam praesentiam Filii in carne, sed ad satisfaciendum pro humano genere, et ad [k] reconciliandum humanum genus Deo; oportuit autem quod ille, qui satisfaceret, esset Deus et homo: Deus qui poterat, et homo [l] qui debebat; similiter ut ille qui erat mediator inter Deum et hominem esset Deus et homo, et ideo Filius apparuit ut [m] unitus illi naturae pro qua debebat satisfacere. Sed assumptio columbae sive alterius creaturae non ordinabatur nisi ad ostendendam praesentiam Spiritus Sancti ad testimonium Christi sive inhabitationis qua inhabitabat Christum vel [n] Apostolos Christi: unde erat in illa creatura ut significatum in signo, non in unione personae. Quia ergo nihil est perfecte Deo unibile nisi beatificabile, et hoc solum est substantia rationalis, per quam debebat fieri redemptio et reconciliatio, ideo Filius apparuit solum in creatura rationali, et non quacumque, sed reparabili; sed [a] significationi sive demonstrationi purae magis convenit creatura irrationalis quam rationalis [b] ne forte crederetur unita unitate personali, sicut Filius, et ideo Spiritus Sanctus apparuit in creatura irrationali [c] tantum. Praeterea, congruebat ut sicut erat distinctio personarum, ita esset distinctio signorum. Unde quia Filius apparebat in natura humana, non debuit Spiritus Sanctus apparere in illa; nec in angelica, quia illa non est visibilis, unde congruebat quod ipse appareret in creatura irrationali.

2. Ad aliud [d] dicendum quod unio illa qua Filius [e] erat unitus carni, in qua apparuit, erat [f] inseparabilis; et quia manente illa unione non congruebat ut Filius appareret in alia forma quam in illa quam assumpserat in unitate personae, ideo non apparuit nisi in unica creatura [g] et unico modo; sed Spiritus Sanctus apparuit in creatura sibi unita ad tempus; et quia non potest ita perfecte Spiritus Sanctus significari [h] in unico signo sicut in pluribus, ideo plura signa necessaria fuerunt ad demonstrationem ipsius, ideo non in unica creatura [i] apparuit sicut Filius.

3. Ad aliud dicendum quod apparitio Spiritus Sancti fuit ad ostensionem plenitudinis gratiae et veritatis, quae fuit redundans in Christo per modum causae et per modum doctrinae [1] ut referatur singula [k] singulis, et in Apostolis per modum ministerii in dispensatione sacramentorum et per modum doctrinae in praedicatione eorum [2]: et ideo bis apparuit super Christum et bis etiam Apostolis ostensus [l] est. Ad significandam plenitudinem redundantem in sacramentis per modum causae efficientis quantum ad divinam naturam [m], et meritoriae quantum ad humanam, apparuit in baptismo eius, in quo data est vis regenerativa aquis [n], et hoc in specie columbae propter foecunditatem quae attenditur in columba: in quo [o] significatur foecunditas gratiae in Christo ad regenerationem per sacramentorum sanctificationem. Ad significandam plenitudinem veritatis redundantis per modum doctrinae apparuit in nube, sicut dicitur in Glossis Augustini [3] et

[a] PG *vel.* [b] G *sicut.* [c] L corr. mg. *ad hoc.* [d] PVSB om., in G est add. interl. [e] PVSBG *non.* [f] S add. *iam.* [g] PVSBG *intellectum;* B *qui* pro *quid.* [h] PVSBG *voluit.* [i] B *apparebat.* [k] PVSBG om. [l] P om. *e. h.* [m] L *in.* [n] B *per.*
[a] S *et.* [b] PVBG om. *q. r.*, in S est add. mg. [c] B *enim rationali.* [d] P *illud.* [e] PVBG om., in S est add. mg. [f] PVSBG *esset.* [g] B add. *persona.* [h] B *manifestari;* PVSBG *uno* pro *unico.* [i] PVBG *forma*, quod S corr. [k] Ita V, alii *sui gloria.* [l] PVSBG *ostensum.* [m] P nota mg.: *Augustinus: Detrahe verbum, quid est aquae nisi aqua? Accedat verbum ad elementum, et erit sacramentum. G.* [n] P nota mg.: *Beda: Tactu mundissime sue carnis Christus Dominus vim regenerativam contulit aquis. G. Nec mirum, cum in solo tactu fimbrie mundata fuit emoroissa, quod minus videretur.* [o] L *qua.*

1 Cf. supra, p. 739b, sub *Notandum autem.*
2 Cf. supra, p. 740a.
3 *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 114, 213); melius Ambrosii, in h. l. (PL 15, 1704).

Bedae[1], Marc. 9,6. Nam plenitudo veritatis in Christo fuit quasi nubes, ex qua generata est pluvia doctrinae: et dicitur nubes illa fuisse lucida, quia de plenitudine veritatis eius accepimus lumen fidei et doctrinae; unde etiam dictum est tunc: *Ipsum audite*. Similiter ex parte illorum, per quos sive quorum ministerio debebat plenitudo gratiae et veritatis redundare[a], fuit duplex apparitio: primo[b], quando datus est Apostolis in flatu ad ostendendam redundantiam plenitudinis gratiae Christi per ministerium Apostolorum in dispensatione sacramentorum ad regenerationem aliorum; unde dictum est tunc[2]: *Quorum remiseritis peccata* etc.; secundo, in linguis igneis ad ostendendam redundantiam plenitudinis veritatis per doctrinam ipsorum ad accensionem et illuminationem aliorum: unde ad ostendendam huiusmodi redundantiam datum est eis donum omnium linguarum.

Et ita patet numerus missionum visibilium sive apparitionum Spiritus Sancti.

Si autem quaeratur quare in specie columbae apparuit super Christum et non super Apostolos: dicendum quod specialiter ad significandam gratiam redemptionis, quae fuit in Christo et non in alio. Nam columba offerebatur a pauperibus in redemptionem primogenitorum[c], sicut ostenditur Luc. 2,24, in oblatione parentum Christi pro eo.

Sic ergo ad laudem et gloriam Salvatoris terminata est inquisitio de iis quae pertinent ad inquisitionem sacratissimae divinitatis, id est divinae Unitatis et Trinitatis, cui honor et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

[a] PVBG *abundare*, quod S corr. [b] PSB *prima*. [c] V *progenitorum*.

[1] *In Marc.*, c. 9, 6 (PL 92, 219).

[2] Cf. Ioan. 20, 23.

INDEX QUAESTIONUM

LIBRI PRIMI

SUMMAE THEOLOGICAE

Q = Quaestio; M = membrum; c = caput; a = articulus.

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
		TRACTATUS INTRODUCTORIUS.	
Q. 1		**Q. I. De doctrina Theologiae.**	
M. 1	1	c. 1. Utrum doctrina Theologiae sit scientia	1
M. 2	2	c. 2. De distinctione doctrinae sacrae ab aliis scientiis	4
M. 3	3	c. 3. De quo sit scientia S. Scripturae	5
M. 4		c. 4. De modo traditionis S. Scripturae	
a. 1	4	a. 1. An modus S. Scripturae sit artificialis vel scientialis. . . .	7
a. 2	5	a. 2. An modus S. Scripturae sit certitudinalis	9
a. 3	6	a. 3. An modus S. Scripturae sit uniformis vel multiplex	10
a. 4	7	a. 4. I. De multiformitate modorum S. Scripturae	11
a. 5		II. Quaeritur iterum de sensu litterali an fundetur supra verum .	12
Q. 2		**Q. II. De cognitione Dei in via.**	
M. 1		M. I. De cognitione Dei in via ex parte cognoscibilis.	
a. 1	8	c. 1. An cognoscibilis sit Deus animae humanae	15
a. 2	9	c. 2. An divina substantia sit cognoscibilis in sua immensitate . . .	17
a. 3	10	c. 3. An cognoscatur per naturalem rationem Trinitas personarum . .	17
a. 4	11	c. 4. An Deus sit cognoscibilis facie ad faciem in via	20
a. 5	12	c. 5. Utrum Deus sit cognoscibilis in sua specie in vita ista . . .	21
a. 6	13	c. 6. Utrum Deus possit naturaliter cognosci in sua praesentialitate. . .	22
M. 2		M. II. De cognitione Dei in via ex parte cognoscentis.	
a. 1	14	c. 1. Utrum sit in naturali potentia cognoscere Deum, an requiratur gratia superaddita	23
a. 2	15	c. 2. Utrum possit Deus cognosci a bonis et a malis	24
a. 3	16	c. 3. Utrum Deus cognoscatur sensu, et hoc exteriori sive interiori . .	25
§ 1	17	c. 4. Utrum Deus cognoscatur ratione vel intelligentia	27
a. 4		c. 5. De cognitione naturali, quam de Deo habuit homo in primo statu.	
§ 1	18	a. 1. Utrum homo in primo statu cognosceret per creaturas Deum . .	29
§ 2	19	a. 2. Utrum Adam melius in primo statu cognosceret Deum per rationem quam modo cognoscatur per fidem	29
M. 3		M. III. De cognitione Dei in via ex parte medii cognoscendi.	
a. 1	20	c. 1. Utrum Deus videatur vel cognoscatur se ipso vel requiritur aliud sicut medium ad cognoscendum ipsum.	30
a. 2	21	c. 2. Utrum Deus cognoscatur per creaturam sicut per medium . . .	31
a. 3	22	c. 3. De medio cognoscendi Deum per gratiam fidei	32
a. 4	23	c. 4. De probatione credendorum per rationem	34
a. 5	24	c. 5. Utrum certior sit cognitio de Deo quam de creatura per naturalem rationem	35

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
		LIBRI PRIMI PARS PRIMA	
		DE UNITATE ET TRINITATE DEITATIS ORDINATA AD CREDULITATEM CORDIS.	
		INQUISITIO PRIMA	
		De substantia divinae Unitatis.	
		TRACTATUS PRIMUS	
		DE DIVINA ESSENTIALITATE, IMMUTABILITATE ET SIMPLICITATE.	
Q. 3		**Q. I. De divinae substantiae essentialitate.**	
M. 1	25	c. 1. Quod necesse est divinam substantiam esse	40
M. 2		c. 2. Quod non potest cogitari Deum non esse.	
	26	a. 1. Utrum necesse sit divinam essentiam sic notam esse, ut non possit cogitari non posse	42
M. 3	27	a. 2. An sit proprium divinae essentialitati non posse cogitari non esse	44
Q. 4		**Q. II. De immutabilitate divinae essentiae.**	
M. 1	28	c. 1. An divina essentia sit omnino incommutabilis	45
M. 2	29	c. 2. An conveniat divinae essentiae aliquo modo quod sit mutabilis	48
M. 3	30	c. 3. An sit proprium divinae essentiae quod sit incommutabilis	48
Q. 5		**Q. III. De simplicitate divinae essentiae.**	
M. 1	31	c. 1. Quomodo sit simplicitas divinae substantiae	50
M. 2	32	c. 2. Quomodo divinae essentiae sit simplicitas summa	51
M. 3	33	c. 3. An simplicitas sit proprium divinae essentiae	52
		TRACTATUS SECUNDUS	
		DE IMMENSITATE DIVINAE ESSENTIAE.	
Q. 6		**Q. I. De immensitate Dei quantum ad se seu de infinitate eius.**	
M. 1	34	c. 1. Utrum divina essentia sit finita vel infinita	54
M. 2	35	c. 2. Utrum sit proprium divinae essentiae quod sit infinita	57
Q. 7		**Q. II. De immensitate Dei quantum ad intellectum seu de incomprehensibilitate eius.**	
M. 1	36	c. 1. Utrum divina essentia sit comprehensibilis vel incomprehensibilis	58
M. 2	37	c. 2. De differentia comprehensionis in patria.	61
Q. 8		**Q. III. De immensitate Dei quantum ad locum.**	
		TIT. I. *De incircumscriptibilitate divinae essentiae.*	
M. 1	38	c. 1. An divina essentia sit incircumscriptibilis	62
M. 2	39	c. 2. Utrum incircumscriptibilitas sit proprium divinae essentiae	63
Q. 9		TIT. II. *De localitate divinae essentiae.*	
M. 1	40	c. 1. An Deus sit alicubi vel nusquam vel in se ipso	64
M. 2	41	c. 2. An divina essentia sit ubique	65
M. 3	42	c. 3. Quid sit Deum esse ubique	66
M. 4	43	c. 4. Utrum Deo conveniat ab aeterno esse ubique	68
M. 5	44	c. 5. An alii quam Deo conveniat esse ubique	69
Q. 10		TIT. III. *De existentia Dei in rebus.*	
		M. I. De existentia Dei in rebus generaliter.	
M. 1	45	c. 1. An Deus sit extra res	70
M. 2	46	c. 2. Utrum Deus sit in rebus potentialiter, praesentialiter, essentialiter	71

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 3	47	c. 3. De numero modorum existendi Deum in rebus	74
M. 4	48	c. 4. De modis assignandi distinctionem istorum modorum	75
M. 5	49	c. 5. Utrum praedictis tribus modis existat Deus in rebus aequaliter	76
Q. 11		M. II. De existentia Dei in rebus per inhabitantem gratiam.	
M. 1	50	c. 1. Utrum Deum esse per gratiam in aliquo ponat aliquid in isto	77
M. 2	51	c. 2. Utrum Deus sit in sacramentis per inhabitantem gratiam	78
M. 3	52	c. 3. An in carne ante infusionem animae possit esse Deus per inhabitantem gratiam	79
M. 4	53	c. 4. Utrum Deus sit in homine per inhabitantem gratiam, et hoc ante nativitatem	80
M. 5	54	c. 5. Utrum Deus sit in parvulis per inhabitantem gratiam	82
M. 6	55	c. 6. Utrum Deus dicatur inhabitare in habentibus gratiam gratis datam	83
Q. 12		**Q. IV. De immensitate Dei quantum ad durationem seu de aeternitate eius.**	
		M. I. Quid sit aeternitas et quomodo de Deo probetur.	
M. 1		c. 1. Quid sit aeternitas secundum nomen.	
a. 1	56	a. 1. Utrum eadem est intentio nominis aeternitatis et sempiternitatis	84
a. 2	57	a. 2. An aeternum dicatur univoce vel aequivoce de Deo et de creaturis	85
M. 2	58	c. 2. Quid sit aeternitas secundum rem	86
M. 3	59	c. 3. Quid sit aeternitas secundum definitionem	87
M. 4	60	c. 4. Qualiter probetur de divina essentia aeternitas	88
		M. II. De proprietatibus aeternitatis.	
M. 5	61	c. 1. De immensitate aeternitatis	89
M. 6	62	c. 2. De invariabilitate aeternitatis	90
M. 7	63	c. 3. De unitate aeternitatis	91
M. 8	64	c. 4. De incommunicabilitate aeternitatis	92
M. 9		M. III. De comparatione aeternitatis ad aevum.	
a. 1	65	c. 1. De essentia aevi	99
a. 2	66	c. 2. De unitate aevi	101
a. 3	67	c. 3. De simplicitate aevi	103
a. 4		c. 4. De comparatione aevi ad tempus.	
§ 1	68	a. 1. Quomodo se habeant aevum et tempus secundum extensionem durationis	105
§ 2	69	a. 2. Utrum sit aliqua mensura durationis media inter aevum et tempus	106
§ 3	70	a. 3. Utrum idem sit nunc temporis, aevi et aeternitatis	109
M. 10		M. IV. De comparatione aeternitatis ad tempus.	
	71	c. unicum. Utrum divina natura tota sit in omni tempore et semper	110
		TRACTATUS TERTIUS	
		DE DIVINA UNITATE, VERITATE ET BONITATE.	
Q. 13		**Q. I. De unitate divinae naturae.**	
		M. I. De unitate in genere.	
M. 1	72	c. 1. Quid sit unum	112
M. 2	73	c. 2. De comparatione unius ad ens et verum et bonum	113
M. 3	74	c. 3. De differentiis unius et unitatis	116
M. 4	75	c. 4. Quae sit oppositio unius ad multa	120
Q. 14		M. II. De unitate divina in specie.	
M. 1	76	c. 1. An divina unitas secum compatiatur pluralitatem	120
M. 2	77	c. 2. An divina unitas secum compatiatur pluralitatem personarum	124
M. 3		c. 3. An divina unitas secum compatiatur pluralitatem principiorum.	
	78	a. 1. Utrum sit ponere duo principia summe bona	125
§ 1	79	a. 2. Utrum sit ponere duo summa principia, aliud boni et aliud mali	126
M. 4	80	c. 4. Utrum unitas divina compatiatur secum pluralitatem idearum	130
M. 5	81	c. 5. Utrum unitas divina compatiatur secum pluralitatem personarum	132
M. 6		M. III. De comparatione aliarum unitatum ad divinam.	

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 1	82	c. 1. De comparatione unitatis essentiae et personae	133
a. 2	83	c. 2. De comparatione unitatis divinae ad unitatem intelligibilem	134
a. 3		c. 3. De comparatione unitatis divinae quantum ad repraesentationem.	
	84	a. 1. An unitas divina magis repraesentetur in unitate componentium quam compositi	135
§ 1	85	a. 2. An unitas divina magis repraesentatur in unitate universalis quam particularis	135
a. 4	86	c. 4. De comparatione unitatis divinae quantum ad causalitatem	136
Q. 15		**Q. II. De veritate divinae naturae.**	
		M. I. De existentia et natura veritatis.	
M. 1	87	c. 1. An necesse sit veritatem esse	138
M. 2	88	c. 2. An intentio veritatis differat ab illa entitatis, unitatis et bonitatis	139
M. 3	89	c. 3. Quid sit veritas	141
M. 4	90	c. 4. In quibus sit veritas.	146
		M. II. De proprietatibus veritatis.	
M. 5	91	c. 1. An veritas sit una	147
M. 6	92	c. 2. An plures veritates sint ab aeterno.	148
M. 7	93	c. 3. An omnis veritas aeterna sit	149
M. 8	94	c. 4. An veritas sit mutabilis	151
M. 9	95	c. 5. An prima veritas sit causa omnium veritatum	152
Q. 16		M. III. De falsitate veritati opposita.	
M. 1	96	c. 1. An causa proxima falsitatis sit in rebus.	153
M. 2		c. 2. An causa proxima falsitatis sit in sensu vel in intellectu.	
	97	a. 1. An falsitas sit in sensu	155
	98	a. 2. An falsitas sit in intellectu	156
M. 3	99	c. 3. An causa proxima falsitatis sit in re an in rei similitudine	156
M. 4	100	c. 4. An falsitas substantificetur in vero	158
M. 5	101	c. 5. An primae veritati opponatur falsum	158
Q. 17		**Q. III. De bonitate divinae naturae.**	
		M. I. De bonitate in genere.	
		c. 1. Quid sit bonum secundum rationem suae intentionis.	
M. 1	102	a. 1. An idem sit bonum et ens	160
M. 2	103	a. 2. An idem sit bonum et pulcrum	162
M. 3	104	a. 3. An intentio boni dicatur secundum intentionem causae finalis	162
M. 4	105	c. 2. An eadem sit bonitas in omnibus bonis	164
M. 5	106	c. 3. Quae sint differentiae boni	166
M. 6	107	c. 4. De convenientia bonitatis in bonis	168
		M. II. De summo bono.	
M. 7	108	c. 1. An notio et amor summi boni sint nobis a conditione indita.	169
M. 8	109	c. 2. An summum bonum dicat additionem ad bonum	170
M. 9	110	c. 3. De fluxu aliorum bonorum a summo bono	171
Q. 18		M. III. De bono creato.	
		c. 1. De modo, specie et ordine, quibus determinatur bonum in creaturis.	
M. 1	111	a. 1. Utrum sint in omni creatura	173
M. 2	112	a. 2. Utrum sint accidentalia vel substantialia	174
M. 3	113	a. 3. Secundum quid differat assignatio horum differens	176
M. 4	114	a. 4. An sint eadem in omni creatura.	179
M. 5	115	a. 5. An secundum haec determinetur bonum in Creatore et creatura	180
		c. 2. An bonum creatum sit bonum in quantum est et per essentiam.	
M. 6	116	a. 1. Si unumquodque in quantum est, bonum est	182
M. 7	117	a. 2. Si unumquodque bonum creatum sit bonum per essentiam vel per participationem	183
M. 8	118	c. 3. An aliquod bonum creatum sit immutabiliter bonum	186
M. 9	119	c. 4. De effectu boni	187

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 10		c. 5. De bono universitatis	
a. 1	120	a. 1. An Deus permittat mala fieri in universitate	188
a. 2	121	a. 2. An universitas esset melior sine malis	189
a. 3	122	a. 3. An universitas esset melior, si omnia essent aequaliter bona . .	191
Q. 19		M. IV. De oppositione mali ab bonum.	
M. 1	123	c. 1. An increato bono opponatur malum	193
M. 2	124	c. 2. Quomodo opponitur malum bono gratiae et naturae	194
M. 3	125	c. 3. Quomodo malum habeat subsistentiam in bono naturae. . . .	194
M. 4	126	c. 4. An corruptio boni naturae sit finita	196
M. 5	127	c. 5. An malum sit corruptivum habilitatum naturalium	197
M. 6	128	c. 6. An malum sit corruptivum modi, speciei et ordinis	198
M. 7	129	c. 7. An illorum diminutio sive corruptio sit ex malo triplici vel unico. .	198
M. 8	130	c. 8. De differentia corruptionis quae est per veniale et mortale . . .	199
		TRACTATUS QUARTUS	
		DE POTENTIA DIVINA.	
Q. 20		**Q. I. De intentione potentiae.**	
		M. I. De intentione potentiae absolute.	
M. 1	131	c. 1. An Deo conveniat ratio potentiae proprie	201
M. 2	132	c. 2. Utrum potentia dicatur univoce vel aequivoce de creatura et de Creatore	202
M. 3	133	c. 3. Utrum intentio potentiae aliquod creatum connotet praeter divinam essentiam	203
		M. II. De intentione potentiae relative.	
M. 4	134	c. 1. An prior sit vel ad plura se extendat potentia quam scientia . .	205
M. 5	135	c. 2. An prior sit vel ad plura se extendat potentia quam voluntas . .	206
Q. 21		**Q. II. De conditionibus divinae potentiae.**	
M. 1		M. I. De divinae potentiae universalitate.	
a. 1	136	c. 1. An Deo conveniat omnipotentia	208
a. 2	137	c. 2. Secundum quid dicatur Deus omnipotens	211
a. 3	138	c. 3. Utrum omnipotentia conveniat tribus personis	213
a. 4	139	c. 4. An propria sit solius Dei omnipotentia	215
M. 2		M. II. De divinae potentiae immensitate.	
	140	c. 1. An potentia divina limitari possit ex parte actus et voluntatis . .	218
§ 1	141	c. 2. An potentia divina limitari possit ex parte bonitatis et iustitiae . .	219
§ 2	142	c. 3. An potentia divina limitari possit ex parte praescientiae et rationis aeternae.	221
M. 3		M. III. De divinae potentiae perfectione.	
a. 1	143	c. 1. Utrum Deus possit facere res meliores quam fecerit generaliter . .	222
a. 2	144	c. 2. Utrum Deus potuerit res meliori modo facere	224
a. 3	145	c. 3. Utrum Deus potuerit redemptionem humani generis facere meliori modo.	224
a. 4	146	c. 4. Utrum Adam potuit fieri melior	225
a. 5	147	c. 5. Utrum Christus secundum humanam naturam potuit fieri melior . .	226
a. 6	148	c. 6. Utrum B. Virgo ut pura creatura potuit esse melior	226
a. 7	149	c. 7. Utrum universitas potuit fieri melior	226
M. 4	150	M. IV. De divinae potentiae invariabilitate	227
M. 5		**Q. III. De possibili divinae potentiae.**	
a. 1	151	c. 1. Quid sit simpliciter possibile et impossibile	230
		c. 2. Utrum quod est contra naturam, sit possibile.	
a. 2	152	a. 1. Utrum potentia Dei ad miracula sit contraria naturae. . . .	233
§ 2	153	a. 2. Utrum in creatura sit aliqua ratio ad miracula	234
§ 3	154	a. 3. Quaenam sit differentia horum: supra, praeter et contra naturam .	235

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 3	155	c. 3. Utrum quod opposita sint idem sit Deo possibile	235
a. 4	156	c. 4. Utrum Deo sit possibile, quod est impossibile per accidens	237
Q. 22		**Q. IV. De derivatione potentiarum creatarum a Deo.**	
M. 1	157	c. 1. Utrum a divina potentia fluxerit potentia receptiva.	239
M. 2	158	c. 2. Utrum a divina potentia fluxerit potentia activa	239
M. 3	159	c. 3. Utrum a Deo fluxerit omnis potentia praesidendi	241
M. 4	160	c. 4. De potentia praesidendi quae est angeli ad angelum	241
M. 5	161	c. 5. De potentia praesidendi quae est hominis ad animalia	242
M. 6	162	c. 6. I. De potentia praesidendi creaturae corporeae super incorpoream.	242
§ 1		II. Quaeritur etiam incidenter utrum substantia spiritualis habeat potestatem super omnem substantiam corporalem	243

TRACTATUS QUINTUS

DE SCIENTIA DIVINA.

SECTIO I.

DE SCIENTIA DIVINA ABSOLUTE SPECTATA.

Q. 23		**Q. unica. De natura et conditionibus scientiae divinae.**	
M. 1	163	M. I. Quid sit scientia divina	288
M. 2		M. II. Per quid sit scientia divina.	
a. 1	164	c. 1. Utrum Deus sciat res per se vel per aliud	247
a. 2	165	c. 2. Utrum Deus sciat per causam	248
a. 3	166	c. 3. Utrum Deus cognoscat per unum vel per plura	248
a. 4	167	c. 4. Utrum divina scientia sit per exemplar	249
M. 3		M. III. Cuius sit divina scientia.	
a. 1	168	c. 1. Utrum scientia Dei sit entium et non entium	250
a. 2	169	c. 2. Utrum scientia Dei sit infinitorum	251
a. 3	170	c. 3. Utrum scientia Dei sit bonorum et malorum	252
a. 4	171	c. 4. Utrum scientia Dei sit necessariorum et contingentium	254
a. 5	172	c. 5. Utrum scientia Dei sit enuntiabilium	255
a. 6	173	c. 6. Utrum scientia Dei sit singularium	256
a. 7	174	c. 7. Utrum scientia Dei sit oppositorum.	257
M. 4		M. IV. De modo scientiae Dei.	
a. 1	175	c. 1. De ideis rerum et rationibus in Dei sapientia.	
		I. Primo quaeritur hic, si sic est quod idea et ratio et sapientia sint idem secundum substantiam, quae est differentia secundum rationem	258
§ 1		II. Secundo adhuc quaeritur, cum sit una sapientia Dei, quare sint rationes plures et ideae, una autem sapientia	258
§ 2		III. Sed adhuc tertio quaeritur si temporale non est causa aeterni.	258
§ 3		IV. Sed adhuc quaeritur de eo quod dicit Augustinus quod non ea ratione conditus est homo qua equus	258
§ 4		V. Quinto quaeritur, cum omnia sint in ipso ut vita aut lux, quare non sint in ipso omnia sapientia vel potentia	259
§ 5		VI. Consequenter quaeritur incidenter primo, cum omnia dicantur esse in Deo, utrum sequatur: 'ergo omnia sunt in divina essentia'	260
§ 6		Secundo quaeritur: estne concedendum quod omnes creaturae ab aeterno essent cum Deo	260
a. 2	176	c. 2. Quomodo mala cognoscuntur a Deo	260
a. 3	177	c. 3. Quomodo Deus scit omnia praesenter	261
a. 4	178	c. 4. Quomodo Deus scit omnia simul	262
a. 5	179	c. 5. Quomodo Deus scit omnia perfecte.	263
a. 6	180	c. 6. Quomodo Deus scit omnia immutabiliter.	264

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
		SECTIO II.	
		DE SCIENTIA DEI RELATIVE SPECTATA.	
Q. 24		**Q. I. De scientia Dei relate ad futura seu de praescientia divina.**	
M. 1	181	c. 1. An praescientia sit temporalis vel aeterna	266
M. 2	182	c. 2. Utrum praescientia sit causa rerum	268
M. 3	183	c. 3. Utrum praescientia sit causata a rebus	268
M. 4	184	c. 4. Utrum praescientia Dei imponat necessitatem rebus	269
M. 5	185	c. 5. Quomodo praescientia possit stare cum libero arbitrio	270
M. 6	186	c. 6. Utrum divina praescientia sit infallibilis	271
M. 7	187	c. 7. Utrum divina praescientia sit mutabilis	272
Q. 25		**Q. II. De scientia Dei relate ad facienda seu de dispositione divina.**	
M. 1	188	c. 1. An sit dispositio	275
M. 2	189	c. 2. Quid sit dispositio	276
M. 3	190	c. 3. Cuius sit dispositio	277
M. 4	191	c. 4. Quomodo sit dispositio	278
M. 5		c. 5. Secundum quid sit dispositio.	
a. 1	192	a. 1. Utrum numerus, pondus et mensura sint quid creatum vel increatum	279
a. 2	193	a. 2. Utrum res spirituales sint creatae in numero, pondere et mensura	279
a. 3	194	a. 3. An numerus, pondus et mensura sint substantia vel accidens	280
		Q. III. De scientia Dei relate ad regenda.	
Q. 26		TIT. I. *De providentia divina.*	
M. 1	195	c. 1. An sit providentia	281
M. 2	196	c. 2. Quid sit providentia	285
M. 3		c. 3. Quomodo sit providentia.	
a. 1	197	a. 1. Utrum providentia sit temporalis vel aeterna	288
a. 2	198	a. 2. Utrum providentia sit simplex vel non	289
a. 3	199	a. 3. Utrum providentia sit causa rerum et in quo genere causae	289
M. 4		c. 4. Quorum sit providentia.	
a. 1	200	a. 1. Utrum providentia sit bonorum et malorum	291
a. 2	201	a. 2. Utrum providentia sit casualium	293
a. 3	202	a. 3. Utrum providentia sit voluntariorum	294
a. 4	203	a. 4. Utrum providentia sit indifferenter nobilium et vilium	295
M. 5		c. 5. Per quid sit providentia.	
a. 1	204	a. 1. Utrum possit Deus conferre creaturae, ut se gubernet sine Deo	296
a. 2	205	a. 2. Utrum Deus provideat per creaturam	296
a. 3	206	a. 3. Utrum operari per malos conveniat providentiae	297
M. 6	207	c. 6. De modis providentiae	298
M. 7		c. 7. De effectu providentiae.	
a. 1	208	a. 1. Quis sit effectus providentiae	301
a. 2	209	a. 2. Utrum providentia inducat necessitatem rebus	301
M. 8		c. 8. De fide providentiae.	
a. 1	210	a. 1. Quare providentia non ponitur in Symbolo pro articulo	303
a. 2	211	a. 2. De errore circa providentiam	304
Q. 27		TIT. II. *De fato.*	
M. 1	212	c. 1. An sit fatum	304
M. 2		c. 2. Quid sit fatum.	
a. 1	213	a. 1. Quid sit fatum secundum rem	305
a. 2	214	a. 2. Quid sit fatum secundum definitionem.	306
M. 3		c. 3. Quorum sit fatum.	
a. 1	215	a. 1. An fatum sit omnium quorum est providentia	309

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 2	216	a. 2. An naturalia omnia inferiora subiaceant fato	311
a. 3	217	a. 3. Utrum Corpus Christi aliquo modo fuerit fato subiectum	312
M. 4	218	c. 4. In quibus tamquam in causis radicetur fatum.	313
M. 5	219	c. 5. De concordia liberi arbitrii et fati	313
		Q. IV. De scientia Dei relate ad salvanda.	
Q. 28		TIT. I. *De praedestinatione divina.*	
M. 1		M. I. Quid sit praedestinatio.	
a. 1	220	c. 1. Quid sit praedestinatio secundum nomen	315
a. 2	221	c. 2. Quid sit praedestinatio secundum rationem intelligentiae	316
a. 3	222	c. 3. Quid sit praedestinatio secundum rem	318
M. 2		M. II. Quorum sit praedestinatio.	
a. 1	223	c. 1. An praedestinatio sit entis vel non-entis	318
a. 2	224	c. 2. Utrum praedestinatio sit omnium	319
a. 3	225	c. 3. Utrum praedestinatio possit esse reproborum	320
a. 4	226	c. 4. Utrum praedestinatio sit respectu beatorum Angelorum	321
a. 5	227	c. 5. Utrum praedestinatio sit illorum qui sunt in gloria	321
M. 3		M. III. An praedestinationis sit causa vel ratio	
a. 1	228	c. 1. An praedestinatio et reprobatio causam habeant ex meritis propriis	322
a. 2	229	c. 2. Utrum aliena merita sint causa praedestinationis	333
a. 3	230	c. 3. Utrum praedestinatio et reprobatio habeant causam ex parte Dei	324
M. 4		M. IV. De causalitate praedestinationis.	
a. 1	231	c. 1. Cuiusmodi causa sit praedestinatio	325
a. 2	232	c. 2. An praedestinatio ponat aliquem effectum in praedestinato	326
a. 3	233	c. 3. Utrum effectus praedestinationis possit cassari	326
Q. 29		TIT. II. *De reprobatione divina.*	
M. 1	234	c. 1. Quomodo intentio praescientiae approprietur reprobationi	328
M. 2	235	c. 2. Quid sit reprobatio	329
M. 3	236	c. 3. De effectu reprobationis qui est subtractio gratiae	329
M. 4	237	c. 4. De effectu reprobationis qui est excaecatio	330
M. 5		c. 5. De effectu reprobationis qui est obduratio.	
a. 1	238	a. 1. I. Quid sit obduratio	331
§ 1		II. Item, ad maiorem declarationem de obdurationе quaeritur utrum sit culpa vel poena	331
a. 2	239	a. 2. Cui per se opponitur obduratio	332
a. 3	240	a. 3. Utrum obduratio sit generalis omnibus	333
Q. 30		TIT. III. *De electione divina.*	
M. 1	241	c. 1. An in Deo sit ponenda electio.	334
M. 2	242	c. 2. Ad quid sit electio divina ex parte nostra	335
M. 3	243	c. 3. Ad quid sit electio divina ex parte Dei	335
M. 4	244	c. 4. Secundum quid sit electio ex parte Dei	336
M. 5	245	c. 5. Secundum quid sit electio ex parte nostra	336
M. 6	246	c. 6. Cuius sit electio praedestinationis, utrum scilicet reproborum.	337
		TIT. IV. *De dilectione divina.*	
Q. 31		M. I. De dilectione Dei erga creaturas generaliter.	
M. 1	247	c. 1. Utrum eadem sit dilectio Dei respectu creaturae ac personarum ad invicem	338
M. 2	248	c. 2. Utrum dilectio Dei respectu creaturae sit summa	339
M. 3	249	c. 3. Utrum Deus aeque diligat omnem creaturam	340
M. 4	250	c. 4. Quid sit Deum diligere creaturam	341
Q. 32		M. II. De dilectione Dei erga rationalem creaturam.	
M. 1	251	c. 1. Utrum Deus plus diligat angelos quam homines	342

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 2	252	c. 2. Utrum Deus plus diligat iustum praescitum quam peccatorem praedestinatum	343
M. 3	253	c. 3. Utrum Deus inter praedestinatos plus diligat illum qui nunquam cecidit	344
M. 4	254	c. 4. Utrum necesse sit de congruo quod plus diligat plus diligentem eum .	444
Q. 33		TIT. V. *De libro vitae.*	
M. 1		M. I. Quid sit liber vitae.	
a. 1	255	c. 1. Utrum liber vitae sit quid creatum vel increatum	346
a. 2	256	c. 2. Utrum liber vitae sit una persona vel omnes	347
M. 2	257	M. II. Quid dicatur liber vitae	348
M. 3		M. III. Quorum sit liber vitae.	
a. 1	258	c. 1. Utrum liber vitae dicatur respectu Dei	351
a. 2	259	c. 2. Utrum liber vitae sit respectu omnium creaturarum	351
a. 3	260	c. 3. Utrum liber vitae sit respectu bonorum et malorum	352
a. 4	261	c. 4. Utrum liber vitae sit bonorum tantum secundum electionem . . .	354
M. 4		M. IV. Quomodo se habeat liber vitae	
a. 1	262	c. 1. Quomodo se habeat liber vitae quantum ad scriptionem . . .	355
a. 2	263	c. 2. Quomodo se habeat liber vitae quantum ad deletionem. . . .	357
a. 3		c. 3. Quomodo se habeat liber vitae quantum ad lectionem.	
	264	a. 1. Utrum in eo legatur uniformiter et indistincte	358
§ 1	265	a. 2. Utrum mali legant in libro vitae.	359
		TRACTATUS SEXTUS	
		DE VOLUNTATE DIVINA.	
Q. 34		**Q. I. De intentione voluntatis divinae.**	
M. 1	266	c. 1. Utrum intentio voluntatis conveniat Deo.	360
M. 2	267	c. 2. Quid sit voluntas secundum rationem dicendi	361
M. 3	268	c. 3. De comparatione voluntatis ad potentiam et scientiam	362
Q. 35		**Q. II. De causalitate voluntatis divinae.**	
M. 1	269	c. 1. Quare magis definiatur voluntas per causam quam potentia vel sapientia	363
M. 2	270	c. 3. Cuiusmodi causa sit divina voluntas	364
M. 3	271	c. 2. Utrum divinae voluntatis sit causa vel ratio	365
Q. 36		**Q. III. De differentiis voluntatis divinae.**	
M. 1	272	TIT. I. *De differentiis voluntatis divinae in generali.* . .	366
		TIT. II. *De differentiis voluntatis divinae in speciali.*	
M. 2	273	M. I. De voluntate beneplaciti	372
Q. 37		M. II. De voluntate signi.	
		c. 1. De praeceptione et prohibitione divina.	
M. 1	274	a. 1. An Deus possit praecipere quod non vult vel prohibere quod vult .	376
M. 2	275	a. 2. An Deus possit praecipere contra legem naturalem	380
M. 3	276	a. 3. An Deus possit praecipere aut prohibere contra ius morale Decalogi .	381
Q. 38		c. 2. De permissione divina.	
M. 1	277	a. 1. An conveniat divinae voluntati permittere mala	384
M. 2	278	a. 2. Utrum divina voluntas iuste permittat mala fieri	386
M. 3	279	a. 3. Qua ratione permittat Deus mala fieri	385
Q. 39		c. 3. De operatione divina.	
M. 1	280	a. 1. An in Deo ponenda sit intentio misericordiae et iustitiae . . .	388
M. 2	281	a. 2. Quae sit prior in Deo intentio, misericordiae an iustitiae . . .	388
M. 3	282	a. 3. An in universis operibus Domini inveniatur misericordia et iustitia.	
a. 1		I. Quantum ad opera creationis	390
a. 2		II. Quantum ad opera recreationis	390

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 3		III. Quantum ad opera retributionis et quidem beneficentiae . . .	391
a. 4		IV. De operibus punitionis temporalis	391
§ 1		V. De punitione aeterna quoad adultos, an absque misericordia Deus possit aliquem punire in inferno	392
		VI. An sine misericordia puniat aliquem, an sine iustitia. . . .	392
		VII. De punitione aeterna quoad parvulos, utrum iuste et misericorditer puniat eos	393
a. 5		VIII. Utrum Deus misericordius agat cum uno quam cum alio. . .	398
Q. 40		**Q. IV. De subiectis voluntati divinae.**	
M. 1	283	c. 1. Utrum subiectum sit divinae voluntati quod mala sunt vel fiunt . .	399
M. 2	284	c. 2. Utrum mala esse vel fieri sit bonum	402
M. 3	285	c. 3. Utrum mala expediant	404
M. 4	286	**Q. V. De impletione voluntatis divinae**	405
Q. 41		**Q. VI. De conformatione humanae voluntatis ad divinam.**	
M. 1	287	c. 1. Utrum possit esse talis conformatio.	407
M. 2	288	c. 2. Quid sit conformatio	407
M. 3	289	c. 3. An teneamur conformare voluntatem nostram voluntati divinae . .	408
M. 4	280	c. 4. An teneamur velle quod vult voluntas divina.	408
M. 5	291	c. 5. An teneamur velle quidquid scimus Deum velle	409
M. 6	292	c. 6. Utrum meritorium fuit sanctis quod nolebant mortem Christi. . .	410
§ 1	293	c. 7. Utrum meritorium sit dolere de passionibus sanctorum	411
§ 2	294	c. 8. Utrum iusti possint laetari de passionibus reproborum	412
		INQUISITIO SECUNDA	
		De pluralitate divinae Trinitatis.	
		TRACTATUS UNICUS.	
		Q. I. De pluralitate personarum.	
Q. 42		TIT. I. *De generatione Filii a Patre.*	
M. 1	295	c. 1. An generatio sit	414
M. 2	296	c. 2. Quid sit generare in divino esse.	
		I. Utrum generare in divino esse sit idem quod intelligere . . .	419
§ 1		II. Utrum idem sit in divino esse generare et dicere	419
M. 3		c. 3. Cuius sit generatio.	
a. 1	297	a. 1. An generare vel generari sint essentiae aut personae . . .	421
a. 2	298	a. 2. Cuius personae sit generare et cuius generari	429
M. 4		c. 4. De quo sit generatio divina.	
a. 1	299	a. 1. An generatio divina sit de aliquo an de nihilo.	432
a. 2	300	a. 2. Utrum Filius sit de substantia Patris genitus	432
M. 5		c. 5. Quomodo sit generatio divina.	
a. 1	301	a. 1. Utrum generatio divina sit voluntaria vel necessaria	434
a. 2	302	a. 2. Utrum generatio divina sit semper in fieri vel in facto esse . .	436
a. 3	303	a. 3. Quis modus generationis debeat attribui generationi aeternae . .	437
Q. 43		TIT. II. *De processione Spiritus Sancti.*	
M. 1	304	c. 1. An processio Spiritus Sancti sit	438
M. 2	305	c. 2. Cuius sit procedere	441
M. 3		c. 3. Quomodo sit processio Spiritus Sancti	
a. 1	306	a. 1. An procedere per modum spirationis sit proprium Spiritus Sancti .	442
a. 2	307	a. 2. Cuius sit procedere per modum amoris sive doni	443
a. 3	308	a. 3. An procedere per modum nexus sit Spiritus Sancti	446

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 4	309	a. 4. An praeter generationem et processionem sit alius modus productionis in divinis	447
M. 4	310	c. 4. A quo sit processio Spiritus Sancti.	447
M. 5	311	c. 5. Secundum quid sit processio Spiritus Sancti	451
Q. 44	312	**Q. II. De veritate personarum**	454
Q. 45		**Q. III. De numero personarum.**	
M. 1	313	c. 1. An sit ponere numerum in divinis personis	458
M. 2	314	c. 2. An sit numerus in Trinitate sicut in creaturis.	459
M. 3	315	c. 3. Cuiusmodi numerus sit in divinis personis	461
M. 4	316	c. 4. Quid numeratur in divinis personis.	462
M. 5	317	c. 5. Unde sit ratio numeri in divinis	465
M. 6	318	c. 6. An numerus personarum sit finitus vel infinitus	467
M. 7	319	c. 7. An numerus personarum possit poni aliter quam in tribus	468
Q. 46		**Q. IV. De ordine personarum.**	
M. 1	320	c. 1. An sit ordo in divinis personis	471
M. 2	321	c. 2. Utrum in divinis personis sit ordo naturae vel originis	472
M. 3	322	c. 3. An in divinis sit necessario aliqua persona sine origine.	473
M. 4	323	c. 4. An possint esse plures personae sine origine	474
M. 5	324	c. 5. An duae habentes originem immediate procedant ab illa quae non habet originem ita quod neutra ab alia	475
M. 6	325	c. 6. An persona habens originem ab alia habet similiter originem a prima immediate	478
M. 7	326	c. 7. An processio Spiritus Sancti consequatur ordine naturae ad generationem Filii vel e converso	478
M. 8	327	c. 8. An abstractis hypostasibus sit intelligere ordinem naturae in Trinitate et e converso	481
Q. 47		**Q. V. De aequalitate personarum.**	
M. 1	328	c. 1. An sit aequalitas in divinis personis	482
M. 2	329	c. 2. Utrum Filius sit aequalis Patri	484
M. 3	330	c. 3. Utrum Spiritus Sanctus sit aequalis Patri et Filio	485
M. 4	331	c. 4. Utrum una persona sit aequalis duabus vel ipsi Trinitati	487
M. 5	332	c. 5. Penes quid attenditur aequalitas in personis divinis	487

LIBRI PRIMI PARS SECUNDA

DE UNITATE ET TRINITATE DEITATIS ORDINATA AD CONFESSIONEM ORIS.

INQUISITIO PRIMA

De divinis nominibus in generali.

TRACTATUS UNICUS.

Q. 48		**Q. I. De nominibus divinis absolute spectatis.**	
M. 1	333	c. 1. Utrum Deus sit nominabilis	492
M. 2		c. 2. Quomodo Deus sit nominabilis.	
a. 1	334	a. 1. Utrum Deus sit nominabilis absque comparatione ad creaturam	494
a. 2	335	a. 2. Utrum Deus sit nominabilis proprie	495
M. 3	336	c. 3. I. Unde sit multiplicitas nominum divinorum	496
§ 1		II. Utrum Deus sit nominabilis omni nomine	497
M. 4		**Q. II. De nominibus divinis comparate spectatis.**	
a. 1	337	c. 1. Utrum in divinis accipiantur intentiones universalis et particularis	498
a. 2	338	c. 2. Utrum in divinis sit accipere intentionem praedicamenti et praedicabilis	501

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 3		c. 3. An in Deo sit accipere intentiones praedicamentorum substantiae et relationis.	
§ 1	339	a. 1. An intentionem substantiae sit accipere in divinis	503
§ 2	340	a. 2. An omnia accipiantur in divinis secundum intentionem substantiae .	503
§ 3	341	a. 3. Utrum in divinis sit accipere intentionem relationis	505
		c. 4. Qualiter circa divina sit accipere intentiones aliorum praedicamentorum.	
§ 4	342	a. 1. Utrum alia praedicamenta a substantia et relatione sint accipienda in divinis	506
§ 5	343	a. 2. Utrum alia omnia praedicamenta sit accipere in divinis	508
§ 6	344	a. 3. Utrum aliqua praedicamenta dicantur proprie de Deo, aliqua improprie	509

INQUISITIO SECUNDA.

De divinis nominibus in speciali.

TRACTATUS PRIMUS

DE NOMINIBUS ESSENTIALIBUS.

Q. 49		**Q. I. De nominibus designantibus esse divinum absolute.**	
		M. I. De nominibus 'essentia' et 'existentia'.	
M. 1		c. 1. De nomine 'essentia'.	
a. 1	345	a. 1. An nomine essentiae nominetur divinum esse	513
a. 2	346	a. 2. An nomine essentiae nominetur divinum esse proprie	513
a. 3	347	a. 3. Utrum essentia univoce nominet Creatorem et creaturam . . .	514
a. 4	348	a. 4. Utrum nomen essentiae sit appropriabile personae	515
M. 2	349	c. 2. De nomine 'existentia'	517
		M. II. De nominibus 'ens' et 'qui est'.	
M. 3	350	c. 1. Utrum nomen 'ens' possit dici pluraliter	519
M. 4		c. 2. De nomine 'qui est'.	
a. 1	351	a. 1. An nomen 'qui est' sit personale an essentiale	521
a. 2	352	a. 2. De ordine nominis 'qui est' ad alia nomina	522
M. 5		M. III. De significatione pronominali.	
a. 1 § 1	353	c. 1. I. Utrum divina essentia habeat significari per pronomen . . . II. Iuxta hoc quaeritur de pronominibus possessivis utrum possint accipi ad significationem divinae essentiae	523 525
a. 2	354	c. 2. Utrum divina essentia possit significari per pronomina masculini et feminini generis	525
Q. 50		**Q. II. De nomine operationis.**	
M. 1		M. I. De significatione huius nominis 'Deus'.	
a. 1	355	c. 1. Utrum hoc nomen 'Deus' dicatur univoce vel aequivoce	527
a. 2	356	c. 2. Utrum hoc nomen 'Deus' acceptum naturaliter sit nomen operationis.	531
M. 2	357	M. II. De consignificatione huius nominis 'Deus'	532
M. 3		M. III. De suppositione huius nominis 'Deus'.	
a. 1	358	c. 1. Utrum hoc nomen 'Deus' supponat pro essentia vel etiam pro persona	535
a. 2		c. 2. Uberius exponitur quod hoc nomen 'Deus' supponat etiam pro persona	
§ 1	359	a. 1. An sequatur: 'Deus genuit Deum, ergo se vel alium'	537
§ 2	360	a. 2. An haec sit vera 'Deus genuit alium Deum'	537
§ 3	361	a. 3. Utrum haec sit concedenda 'Pater genuit se'	538
§ 4	362	a. 4. An sequatur: 'Deus genuit Deum, ergo genuit Deum qui est Pater vel Deum qui non est Pater'	539
§ 5	363	a. 5. An haec sit concedenda 'Deus generat et ille non generatur' . .	539
§ 6	364	a. 6. An haec sit vera 'Deus est et ille non est Trinitas'.	540
§ 7	365	a. 7. An haec sit vera 'Deus est Trinitas'.	541

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
Q. 51		**Q. III. De nominibus privativis.**	
M. 1			
a. 1	366	c. 1. Utrum affirmationes conveniant Deo et creaturae univoce vel aequivoce	542
a. 2	367	c. 2. Utrum affirmationes de Deo dicantur vere	544
M. 2	368	c. 3. Utrum privativa dicantur de Deo verissime et propriissime . . .	545
Q. 52		**Q. IV. De nominibus consequentibus naturam.**	
M. 1	369	c. 1. An nomina consequentia naturam significent substantiam divinam. .	547
M. 2	370	c. 2. An eodem modo dicantur 'iustum' et 'bonum' de Deo . . .	548
M. 3	371	c. 3. An 'iustum' et huiusmodi connotent effectum	548
M. 4	372	c. 4. An eodem modo dicantur nomina concreta et abstracta	549
Q. 53		**Q. V. De nominibus respectivis.**	
		M. I. De nominibus connotantibus respectum ad creaturam.	
M. 1	373	c. 1. Utrum haec nomina significent essentiam et conveniant Deo ab aeterno .	550
M. 2	374	c. 2. Utrum Deus omnium rerum sit Dominus ex tempore	551
M. 3	375	c. 3. Utrum dominium et huiusmodi respectus sint creata vel increata . .	552
M. 4		c. 4. Utrum respectus connotatus sit in Creatore vel in creatura.	
a. 1	376	a. 1. Utrum divina essentia referatur ad creaturam	554
a. 2	377	a. 2. Utrum respectus connotatus in 'Domino' vel 'Creatore' sit in creatura vel in Deo	554
a. 3	378	a. 3. Utrum similis ratio praedicandi sit in hoc nomine 'Dominus' et in hoc nomine 'Creator'	556
Q. 54		M. II. De nominibus designantibus respectum personae ad personam.	
M. 1		c. 1. De nominibus relative logice designantibus.	
a. 1	379	a. 1. Utrum 'aequalis, similis' etc. dicantur secundum substantiam vel relative	558
a. 2	380	a. 2. Utrum Pater debeat dici aequalis vel similis Filio	560
a. 3	381	a. 3. Utrum Pater debeat dici coaequalis Filio sive aequalis Imagini .	561
a. 4	382	a. 4. Utrum Christus secundum quod homo sit similis sibi Deo . .	572
M. 2	383	c. 2. De nominibus relative grammatice designantibus	562
Q. 55	384	**Q. VI. De nominibus symbolicis**	563
		TRACTATUS SECUNDUS	
		DE NOMINIBUS PERSONALIBUS.	
		SECTIO I.	
		DE NOMINIBUS PERSONALIBUS PROPRIIS.	
Q. 56		**Q. I. De nominibus personalibus absolutis.**	
		M. I. De nomine 'persona'.	
M. 1	385	c. 1. Unde sumptum sit istud nomen 'persona'	565
M. 2	386	c. 2. Utrum 'persona' dicatur secundum substantiam vel relationem . .	566
M. 3	387	c. 3. De definitione personae	570
M. 4		c. 4. De communitate huius nominis 'persona'.	
a. 1	388	a. 1. Utrum 'persona' dicatur univoce.	572
a. 2	389	a. 2. Quae sit communitas personae in divinis	573
M. 5	390	c. 5. De suppositione huius nominis 'persona'	574
M. 6	391	c. 6. De consignificatione huius nominis 'persona'.	575
M. 7		c. 7. De comparatione 'personae' ad 'essentiam'.	
a. 1	392	a. 1. An persona sit essentia	576
a. 2	393	a. 2. Utrum persona differat ab essentia et e converso	578
a. 3	394	a. 3. Utrum convenientius dicatur persona esse essentiae in obliquitate quam esse essentia in rectitudine.	580
Q. 57		M. II. De nomine 'subsistentia'.	
M. 1	395	c. 1. An nomina usia, usiosis, hypostasis, prosopon sint ponenda in divinis .	582
M. 2	396	c. 2. De distinctione horum nominum	584

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 3	397	c. 3. Utrum nomen 'subsistentia' sit essentiale vel personale . . .	586
Q. 58		M. III. De nomine 'hypostasis'.	
M. 1	398	c. 1. An in divinis debeat dici nomen 'hypostasis'.	588
M. 2	399	c. 2. Quid dicatur 'hypostasis'	588
M. 3	400	c. 3. An univoce dicatur 'hypostasis'	589
M. 4	401	c. 4. Quomodo comparetur 'hypostasis' ad essentiam quantum ad significationem	590
M. 5	402	c. 5. Quomodo comparetur 'hypostasis' ad essentiam quantum ad suppositionem.	591
M. 6	403	c. 6. Quomodo comparetur 'hypostasis' ad essentiam quantum ad simplicitatem	592
M. 7	404	c. 7. De comparatione 'hypostasis' ad proprietatem	592
		Q. II. De nominibus personalibus propriis et relativis.	
Q. 59		M. I. De nomine 'Pater'.	
M. 1	405	c. 1. Utrum ratio nominis 'Pater' prius sit in divinis quam in creaturis .	596
M. 2	406	c. 2. Quomodo nomen 'Pater' praedicetur de essentia	597
M. 3	407	c. 3. Secundum quid de Patre notio generationis dicatur	599
Q. 60		M. II. De nomine 'Filius'.	
M. 1	408	c. 1. Quomodo 'Filius' sit nomen proprius personae divinae . . .	601
M. 2	409	c. 2. An nos dicamur filii Dei per naturam vel per solam gratiam . .	601
M. 3	410	c. 3. Utrum daemones vel mali homines dicantur filii Dei	602
M. 4	411	c. 4. Utrum Adam in statu innocentiae diceretur filius Dei	602
M. 5	412	c. 5. Utrum sanctificati in utero dicantur filii Dei	603
Q. 61		M. III. De nomine 'Imago'.	
M. 1	413	c. 1. An Imago in divinis dicatur essentialiter et quid sit	603
M. 2		c. 2. Quid sit Imago in divinis personaliter.	
a. 1	414	a. 1. De partibus primae definitionis	605
a. 2	415	a. 2. De partibus secundae definitionis	606
a. 3	416	a. 3. De differentia harum definitionum	607
M. 3		c. 3. Quomodo Imago esse convenit soli Filio.	
a. 1	417	a. 1. Utrum nomen Imaginis posset convenire rationali creaturae et Filio Dei	608
a. 2	418	a. 2. Utrum nomen 'Imago' posset attribui Spiritui Sancto . . .	608
Q. 62		M. IV. De nomine 'Verbum'.	
M. 1		c. 1. De significatione Verbi.	
a. 1	419	a. 1. Ad cuius verbi creati similitudinem dicatur in divinis nomen 'Verbi' .	610
a. 2	420	a. 2. Utrum in divinis sit prius nomen notitiae quam Verbi . . .	611
a. 3	421	a. 3. Secundum quam intentionem notitiae dicatur 'Verbum' . . .	612
a. 4	422	a. 4. An effectus in creatura connotetur nomine 'Verbi'	613
a. 5	423	a. 5. Utrum Filius possit dici cogitatio sicut Verbum.	614
M. 2	424	c. 2. De proprietate Verbi.	615
M. 3		c. 3. De operatione Verbi.	
a. 1	425	a. 1. Quod Verbum non sit factum	618
a. 2	426	a. 2. Quod ad aeternitatem Verbi non sequitur aeternitas facti . . .	618
Q. 63		M. V. De nomine 'Spiritus'.	
M. 1	427	c. 1. Utrum nomen 'Spiritus sit commune tribus personis	619
M. 2	428	c. 2. Qualiter approprietur nomen 'Spiritus' per hoc quod dicitur 'Sanctus' .	620
M. 3	429	c. 3. Utrum Spiritus Sanctus debeat dici 'Spiritus noster'	621
Q. 64		M. VI. De nomine 'Donum'.	
M. 1	430	c. 1. Utrum nomen 'Donum' sit commune vel proprium Spiritus Sancti .	622
M. 2	431	c. 2. An esse Donum conveniat Spiritui Sancto ab aeterno	624
M. 3	432	c. 3. An donabilitas sit notio Spiritus Sancti	625
		Q. III. De nominibus personalibus distinctivis.	
Q. 65			
M. 1	433	c. 1. Quae nomina distinctiva sint recipienda in divinis et quae non . .	625
M. 2		c. 2. De nominibus partitivis.	

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 1	434	a. 1. Utrum 'unus, duo, tres' significent substantiam vel notionem . .	626
a. 2	435	a. 2. Cuius praedicamenti rem significent nomina partitiva . . .	628
a. 3	436	a. 3. An possit dici 'unus Pater et Filius' secundum quod est dictio numeralis	629
a. 4	437	a. 4. Utrum nomina partitiva et distinctiva possint addi nomini essentiali .	630
M. 4		c. 3. De nominibus exclusivis.	
a. 1	438	a. 1. De intentione nominis 'solus' adiuncti nomini personali . . .	631
a. 2	439	a. 2. De intentione nominis 'solus' adiuncti nomini essentiali . . .	631
a. 3	440	a. 3. Qualiter intelligitur: 'Nemo novit Patrem nisi Filius' . . .	633
Q. 66		**Q. IV. De nominibus personalibus collectivis.**	
M. 1		M. I. De nomine 'Trinitas'.	
a. 1	441	c. 1. Quae unitas ponitur nomine 'Trinitatis'.	634
a. 2	442	c. 2. Qualiter intelligatur numerositas Trinitatis	634
a. 3	443	c. 3. An 'Trinitas' dicatur secundum substantiam aut secundum relationem.	635
a. 4	444	c. 4. An possit dici in divinis 'Trinitas vel triplicitas'	636
M. 2		M. II. De nomine 'trinus'.	
a. 1	445	c. 1. Quid praedicet 'trinus' cum dicitur 'Deus est trinus'	637
a. 2	446	c. 2. An possit dici 'Trinitas trina'	638
a. 3	447	c. 3. Qualiter intelligatur Trinitas in unitate et unitas in Trinitate. . .	639
		SECTIO II.	
Q. 67		DE NOMINIBUS PERSONALIBUS APPROPRIATIS.	
M. 1	448	**Q. I. De appropriatione aeternitatis, speciei et usus.** . .	641
M. 2	449	**Q. II. De appropriatione unitatis, aequalitatis et concordiae** . .	643
M. 3		**Q. III. De appropriatione potentiae, sapientiae et voluntatis.**	
a. 1	450	M. I. Quae sit ratio appropriationis horum trium	645
a. 2		M. II. De sapientia quae appropriatur Filio.	
§ 1	451	c. 1. Utrum 'sapientia' dicatur univoce vel aequivoce	647
§ 2	452	c. 2. Utrum 'sapientia' dicatur proprie personaliter	647
§ 3	453	c. 3. Utrum Pater sit sapiens sapientia genita.	648
§ 4	454	c. 4. Utrum Filius sit sapiens sapientia genita.	650
§ 5	455	c. 5. Utrum sapientia dicat causam rerum	650
§ 6	456	c. 6. Utrum dicatur Deus sapere creaturas	652
		c. 7. De infusione summae sapientiae.	
§ 7	457	a. 1. An sapientia participetur ab irrationalibus creaturis	652
§ 8	458	a. 2. Utrum sapientia percipiatur a rationalibus creaturis malis. . .	653
§ 9	459	a. 3. Utrum perceptio sapientiae sit animae innata vel addita . . .	654
a. 3	460	M. III. De voluntate quae appropriatur Spiritui Sancto	655
M. 4	461	**Q. IV. De appropriatione verborum Apostoli: Ex ipso etc.** . .	658
		TRACTATUS TERTIUS	
Q. 68		DE NOMINIBUS NOTIONALIBUS.	
		SECTIO I.	
		DE NOMINIBUS NOTIONALIBUS IN GENERALI.	
		Q. unica.	
M. 1		M. I. De positione notionum.	
a. 1	462	c. 1. An sit ponere notiones	659
a. 2	463	c. 2. An sit licitum ponere contraria de notionibus.	663
M. 2	464	M. II. Quid sint notiones, proprietates et relationes	664
M. 3		M. III. De numero notionum, proprietatum et relationum.	

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
	465	c. 1. De numero notionum	666
§ 1	466	c. 2. De numero relationum	667
§ 2	467	c. 3. De numero personalium proprietatum	668
M. 4	468	M. IV. Si idem sit numerus notionum, proprietatum et relationum	669
M. 5		M. V. De comparatione notionum.	
a. 1	469	c. 1. An notiones sint personae	671
a. 2	470	c. 2. An notiones sint essentia	672
a. 3	471	c. 3. An notiones sint in essentia	674
a. 4	472	c. 4. An adiectiva essentialia dicantur de notionibus	674
a. 5	473	c. 5. An adiectiva notionalia dicta de personis dicantur de notionibus	675
		c. 6. De comparatione in differenti assignatione notionum.	
a. 6	474	a. 1. Utrum eadem sit assignatio quando designantur concrete et abstracte, substantive et adiective	676
§ 2	475	a. 2. Utrum contingat proprietates significari abstracte	677
§ 3	476	a. 3. Utrum opinio Gilberti Porretani dicenda sit haeretica	677
§ 4	477	a. 4. Utrum eaedem sint proprietates quae sunt eiusdem personae	679
§ 5	478	a. 5. De communitate huius intentionis 'proprietas' et 'relatio'	679
§ 6	479	c. 7. An concrete una notio possit de alia praedicari	680
		SECTIO II.	
Q. 69		DE NOMINIBUS NOTIONALIBUS IN SPECIALI.	
		Q. I. De notionibus non connotantibus effectum in creatura.	
		TIT. I. *De innascibilitate.*	
M. 1	480	c. 1. Utrum innascibilitas dicatur secundum relationem	681
M. 2	481	c. 2. Utrum innascibilitas sit notio vel proprietas	683
M. 3	482	c. 3. Utrum innascibilitas sit proprietas Patris.	684
M. 4	483	c. 4. Utrum innascibilitas sit eadem notio quae est paternitas	685
M. 5	484	c. 5. Utrum remota paternitate intelligi possit persona innascibilis	686
Q. 70		TIT. II. *De communi spiratione.*	
M. 1		c. 1. De intentione 'principii'.	
	485	a. 1. Utrum 'principium' dicatur aequivoce	688
§ 1	486	a. 2. Cui primo conveniat ratio principii	688
M. 2		c. 2. De intentione 'principii' dicta essentialiter.	
a. 1	487	a. 1. Utrum intentio 'principii' dicatur ab aeterno vel ex tempore	689
a. 2	488	a. 2. Utrum Pater et Filius sint unum principium creaturae vel plura	690
M. 3		c. 3. De intentione 'principii' sumpta notionaliter.	
a. 1	489	a. 1. De circumlocutionibus 'principium sine principio, principium de principio'	691
a. 2	490	a. 2. An divina essentia sit principium Spiritus Sancti	692
a. 3	491	a. 3. An Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti	692
a. 4	492	a. 4. Utrum Pater et Filius sint idem principium Spiritus Sancti	694
a. 5	493	a. 5. Utrum Pater et Filius debeant dici unus spirator	696
a. 6	494	a. 6. De unitate spirationis	696
		Q. II. De notionibus connotantibus effectum in creatura.	
Q. 71		TIT. I. *De missione communiter dicta.*	
M. 1	495	c. 1. Utrum sit ponere missionem in divinis	697
M. 2	496	c. 2. Utrum missio sit quid creatum vel increatum	699
M. 3	497	c. 3. I. Quid significetur per 'mittere et mitti'	700
§ 1		II. Cum in intellectu eius quod est 'mittere et mitti' sit essentia et persona, quid per prius significetur ibi, utrum essentia vel persona	701
M. 4	498	c. 4. Utrum missio dicatur de Deo ab aeterno vel ex tempore	702

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
Q. 72		TIT. II. *De missione active dicta.*	
M. 1	499	c. 1. Utrum missio active dicta conveniat Trinitati respectu Filii vel Spiritus Sancti	705
M. 2	500	c. 2. Utrum missio active dicta conveniat alicui personae respectu sui . .	707
M. 3	501	c. 3. Utrum missio active dicta conveniat Spiritui Sancto respectu Christi .	709
M. 4	502	c. 4. Utrum dare vel mittere Spiritum Sanctum possit convenire alicui creaturae ratione ministerii.	711
Q. 73		TIT. III. *De missione passive dicta.*	
		M. I. De missione invisibili.	
M. 1	503	c. 1. Quid sit missio invisibilis	713
M. 2		c. 2. Cuius sit missio invisibilis	
a. 1	504	a. 1. Utrum mitti conveniat Patri	715
a. 2	505	a. 2. Utrum mitti conveniat Filio et Spiritui Sancto secundum eamdem rationem	717
a. 3	506	a. 3. Utrum missio Filii possit esse sine missione Spiritus Sancti et e converso	720
a. 4	507	a. 4. Utrum plenius dicatur mitti Filius vel Spiritus Sanctus post Incarnationem quam prius	721
M. 3		c. 3. Ad quos dicatur fieri missio.	
a. 1	508	a. 1. Utrum dicatur mitti Filius vel Spiritus Sanctus ad rationalem creaturam tantum	722
a. 2	509	a. 2. Utrum missio fiat ad angelos	723
a. 3	510	a. 3. Utrum Spiritus Sanctus missus fuerit ad Christum hominem . .	724
M. 4		c. 4. Secundum quid sit missio passive dicta.	
a. 1	511	a. 1. Utrum dicatur missio quia detur ipse Filius vel Spiritus Sanctus vel aliquod donum alterutri appropriatum vel utrumque	727
a. 2	512	a. 2. Utrum Filius vel Spiritus Sanctus dicantur mitti ratione collationis gratiae gratis datae vel gratum facientis	730
a. 3	513	a. 3. Utrum Filius vel Spiritus Sanctus dicantur mitti ratione augmenti gratiae	733
Q. 74		M. II. De missione visibili	
M. 1	514	c. 1. Quid sit missio visibilis	734
M. 2	515	c. 2. Ad quid sit missio visibilis	738
M. 3	516	c. 3. Cuius sit missio visibilis	741
M. 4	517	c. 4. Per quos administrata sit missio visibilis	745
M. 5	518	c. 5. Quibus modis manifestata sit missio visibilis	748

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 1, nota 4:	*p. 35a*	*p. 33a*
» 5b, lin. 31:	*principium*	*principia*
» 113, nota 1:	*cc. 2 et 36*	*cc. 2 et 3*
» 114, nota 5:	*Cf. infra*	*Cf. supra*
» 177a, lin. 24:	*fundantur*	*fundatur*
» 256b, lin. 1:	*bet universalis*	*universalis*
» 288, nota 2:	*p. 304 sqq.*	*p. 305 sqq.*
» 415, nota 1:	*nota 5*	*nota 6*
» 429, nota 9:	*Lombardus, p. 54*	*Lombardus, I Sent., p. 54*
» 486b, lin. 24:	*est; alia est essentialis, scilicet ipsius essentiae, et haec est summa: et*	*est, et haec est summa; alia est essentialis, scilicet ipsius essentiae, et*
» 736, nota *s*:	*PVSG*	*PVBG*

NIHIL OBSTAT.

Romae, 4 Decembris 1924.

Fr. BERNARDINUS KLUMPER
Min. Gen. Ord. Frat. Min.

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae, 4 Decembris 1924.

† ALPHONSUS MARIA CARDINALIS MISTRANGELO
Archiepiscopus.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
OVERSIZE.BX1749.A6 C001
DOCTORIS IRREFRAGABILIS ALEXANDRI DE HAL
1
3 0311 00079 5323

WITHDRAWN

Oversize
BX
1749
.A6
33333
Alexander de Hales, d. 1245.
SUMMA THEOLOGICA.
v1,c1
DATE DUE | BORROWER'S NAME

DEMCO

HECKMAN
BINDERY INC.
JUN 91

3 0311 00079 5323